
COMMENTARIUS PRACTICUS *IN* ACTORUM APOSTOLICORUM PER *LUCAM EUANGELISTAM* *Deſcriptorum* CAPITA PRIORA SEDECIM,

Studio & operâ

CASPARI STRESONIS,
Anhaltini, verbi divini Miniſtri,

CLXXXV. Concionibus florentiſſimæ Eccleſiæ Hagienſi propoſitus, &, in uſum Candidatorum SS. Miniſterii, prælo ſubjectus.

Editio noviſſima, priori correctior.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
Anno CIↃ IↃ C LVIII.

Celſiſſimo Principi ac Domino

Dn. WILHELMO
PRINCIPI AURIACO, &c.
Confœderati Belgii Provinciarum
Gubernatori, & militiæ terra marique
Imperatori.

CELSISSIME PRINCEPS,

LAUDARE Principes & Heroas mundi de rebus præclarè geſtis in Republica Oratorum potiùs & Poëtarum eſt, quàm ſervorum JeſuChriſti, qui verbum ſalutis annunciant, quippe quorum officium non eſt, Excelſos mundi laudibus admodum extollere, antequam ſenſu peccati ac pœnæ eos coram Deo, mundi Creatore, Domino ac judice viderint humiles & proſtratos, quiq; vix poſſunt alio nomine quenquam Magnatem laudare, quàm *ſi ſe* ſanctitatis ac pietatis exemplum præbeat, & paterna ſua in Eccleſiam Chriſti conſilia, paternamque curam teſtatam faciat. Priori nomine ſi C. T. laudare magnopere vellem, adulationis ſuſpicionem apud Lectorem & Teipſum facilè incurrerem. Eâ enim ætate es, quâ plerique, præſertim Magnates & Fortitudinis filii, minimè laudabile aut decorum putant magnam pietatis ſpeciem præ ſe ferre, ſed potiùs laudi ducunt durum eſſe & imperterritum animo, etiam contra voces SS. Miniſterii, eas præſertim, quibus externa hilaritatis licentia circumſcribitur, atq; id operam dant, ut diſſimule-

muletur ſi quæ eſt in corde pietas,&ſtudium externæ ſanctitatis differatur in annos, quibus decrementum virium de morte aurem vellicat. Dolent ſervi Dei,& meritò ac magnopere dolent, nec ſuo tantùm incommodo dolent atq; increpant hoſce mores & hæc inſtituta hominum, quacunque ſiant ætate, ſed ferre tamen coguntur, & Zelum temperare, dummodò id unum impetrent,ut officium facere licitum ſit, & liberas edere voces, quibus vocationi ac conſcientiæ ſatisfaciant, à communione mali immunes ſint, & Spiritui S. oſtium ſervent apertum, quo opus ſuum in auditoribus quibuſcunque, cum lubet, perficiat. Hoc oſtium, Celſiſſime Princeps,in T.C. hactenus nobis fuit apertum,nec immeritò nobis pollicemur,apertum fore ſemper, dum parrheſiâ utimur in rebus, quæ ſunt intra limites noſtræ vocationis, & ad ædificationem Eccleſiæ neceſſariæ. Nôſti enim, Celſiſſime Princeps, communem & tuam mortalitatem, credis animarum immortalitatem, metuis rigorem & ſeveritatem ultimi judicii, ſentis imbecillitatem naturæ, experiris tempora, quibus tremenda Dei judicia nulli hominum ordini parcunt, & ex his omnibus, pro inſigni acrimoniâ judicii, quo Deus C.T. ſupra ætatem donavit, ſponte intelligis, quàm neceſſaria ſit omnibus,qui iram Dei effugere cupiunt, ſollicita fuga illicitarum rerum,& quàm facilè decreſcat cura ſaluti,ſi non juvetur perpetua Miniſterii parrheſiâ. Reverentia quidem Majeſtatis quam ſacra pagina Auguſtis Principibus & Magiſtratibus vindicat, in miniſtris Eccleſiæ præcipuè debet habere locum,ut parrheſiam illorum reddat circumſpectam, &non ſolùm ipſos intra limites obſequii contineat,ſed etiam

reliquo

reliquo populo venerationis exemplum ſit: Attamen illud quoq; certiſſimum eſt, quod miniſtri Eccleſiæ etiam ad Principes verbum Dei habeant, cui illi aſſurgere & tum in rebus vitæ, tum quadantenus in rebus regiminis ſe ſubmittere tenentur, ac ſine ullo auctoritatis detrimento poſſunt. Non urgebo apud C. T. Regis Ethnici Judaicorumque exempla, quæ ſacrum volumen ſuppeditat, quippe quem novi lubentiſſimè premere proxima veſtigia Glorioſiſſimi parentis, ut qui omnium virtutũ paternarum hæres es, etiam in deteſtandis adulationibus & in ferenda parrheſia Miniſtrorum verbi, quam Sal terræ Servator vocat, Magnum Parentem maturè imitari laudi ducas, nec laudi ſolùm, ſed & emolumento. Dum enim SS. miniſterio apertam commodas aurem, nec Spiritui S. obſtacula ſtruis, nec Heroico Tuo animo intercipis ſemina ſanctiorum meditationum, quibus commune vitium naturæ paulatim eluatur, & cœleſtis vitæ primitiæ gignantur, ut ita Imago Divinæ Majeſtatis, quacum naſcuntur Principes, & novum jubar gratiæ ſalutaris, quod ſpiritus Servatoris accendit, in uno corde coëant, & C. T. non ſolùm Patrem, ſed & Chriſtianæ Eccleſiæ fidum Nutricium efficiant. Tum enim demùm ſeſe illud præcipuum profert, de quo C. T. laudare, & ſibi atq; adeo Eccleſiæ gratulari ſervi Dei poſſunt, ſi ſcilicet non tuæ tantùm ſalutis ſtudioſus ſis, & & SS. Miniſterii reverentiam graviſſimo exemplo populo commendes, ſed etiam curas & conſilia paterna conſecres *Eccleſię Chriſti*, quibus puritas & ſecuritas illius conſervetur ac promoveatur, nec indulgeas iis principiis atque maximis, quibus Eccleſiæ Reformatæ reddaris parùm amicus, & non

niſi infirmiter addictus. Novimus, quàm grave & moleſtum ſit Eccleſiæ, cum illi, ſub quorum alis ſecuritatem quærit, vel ſectis favent, vel in deteſtatione abominabilis idololatriæ frigidi ſunt, vel pernicioſam opinionem de Indifferentia Religionum fovent, vel moderatam diſciplinam eccleſiaſticam oderunt, vel auctoritatem SS. Miniſterii in dubium vocant, aut ſerviliter illud habent, vel denique ſpirituales Eccleſiæ functiones ad ſe rapere, & ſceptro ſuo omnimodo ſubjicere, ac rebus, quæ ſunt de hoc mundo, miſcere ſatagunt. Ubi hoc ſit, tarda ac ſegnis eſt Eccleſiæ defenſio, ſcrupuli ac angores piarum conſcientiarum multiplices, impietas contra Euangelium augetur & triumphat, qui in vinea Domini laborant, de vanitate ſui laboris querulis gemitibus lamentantur, ſchiſmatum ſemina jaciuntur, infirmorum zelus irritatur ac exardeſcit, poteſtatum divinitus ordinatarum veneratio decrementum patitur, & Eccleſiæ juxta ac Reipubl. tempeſtates parantur. Meritò igitur nobis & Eccleſiæ gratulamur, Celſiſſime Princeps, quod C. T. ab iſtis periculoſis principiis atq; maximis immunem, & Reformatæ Eccleſiæ doctrinæ ac diſciplinæ verè addictam credere poſſumus, & ejus rei non levia habemus teſtimonia in illis curis, quas auſpicatò & diſſidiis atq; litibus, eccleſiam concernentibus, componendis, & ſuperſtitionibus abolendis, ac puriori doctrinæ propagandæ non illubenter, nec ſine ſumptibus impendis, præſertim per ditiones nuperæ pacis pacto, & præcedentis belli victoriis C. T. ſubjectas. Hunc animum & hos mores tuos, Celſiſſime Princeps, cùm non paucis occaſionibus expertus ſim, animus mihi geſtiit C. T. humiliter inſcribere ac offerre haſce

meas

meas in partem ſacri Codicis meditationes, de rebus geſtis Apoſtolorum, quibus fragrantiſſimus odor ſalutiferi Euangelii ad nos uſq; delatus eſt. Fas mihi ſit, Celſiſſime Princeps, Patronum his meditationibus eligere, quem auditorem frequenter habuerunt, ut ſub tanto nomine tutiores ſint contra lividorum dentes, quibus volupe eſt arrodere quicquid pro veritate & pietate in lucem prodit, utq; hac occaſione C. T. ſincerum proſperitatis votum, & grati animi exile ſignum exhibere poſſim. Deum itaq; Opt. Max. Regum Regem & Principum Principem ſupplex veneror, ut C. T. cumulet dies vitæ, prudentiam conſilii, pietatem cordis, vires corporis, & per hæc Florentiſſimæ Confœderati Belgii Reipublicæ, & Eccleſiarum in ea hoſpitantium pacem ac incrementum. Scripſi Hagæ Comitum, menſe Aprili, anno ſalutis cIↄIↄcL.

C. T.

humillimus in Domino Servus

CASPARUS STRESO.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BENEVOLE LECTOR,

Habes hîc meas meditationes quales, Belgico magis quàm Latino Sermoni intentus, ad ſuggeſtum paro, alienâ manu deſcriptas, ſemel & diſtractim à me relectas, procul ab oculis meis impreſſas, adeoq; in dictione & typis eam plenitudinem, diſtinctionem, puritatem ac elegantiam non habentes, quam Lector Criticus requirere poſſit, ſed æquitate & veniâ tuâ undiquaque egentes; volui tamen eas prodire me vivo, tum quod non pauci expeterent, tum ne me mortuo minori cum cura prodirent. Si de Materiâ & rebus quas ſcripſi me interroges, abjectè de iis judicare non debeo. Etſi enim contra decorum eſt opus laudare proprium, tamen non minus abſonum eſt, admovere manum alicui operi, & ubi perfeceris, in lucem illud protrudere publicam, ſi non ipſe ſis perſuaſus, quod aliquid perfeceris publica luce dignum. Si enim tute de tuo opere abjectè ſentis, qua ſpe induci potes, ut publicum factum aliis profuturum credas? Non eo inficias, quod multi (& cur non aliquo pacto omnes?) humanorum librorum ſcriptores aliquid humani patiantur, & de proprio fœtu nimis magnificè judicent, interim tamen certum eſt, quod quicumque libros parturiunt, rationabilem aliquam ſpem utilitatis publicæ pro obſtetrice habere debent; Neq; verò alienus ſum ab illâ modeſtiâ, ut noſtros labores aliorum potius judicio ſubmittamus, quàm noſtrâ laude condecoremus: Interim nihil vetat, quo minus ſuo judicio lectorem ſcriptor manuducat, ad æquum de ſcripto judicium formandum, & præcipitem contemtum avertendum; Hinc eſt quod meum, de hoc meo ſcripto judicium in limine exponere non reformidem. Iudico me Commentariis, qui extant in Acta Apoſtolorum, non parum addere, & ex prægnantiſſimis, quæ in hoc libro multæ ſunt phraſibus ac loquendi modis multa proferre, quæ ad lucem & praxin Pietatis, aliquid conferre poſſint. Nolim hoc ita intelligi, quod aliorum labores præ meo contemnam, nec quod aliorum vitulâ non araverim, neq; quod omnes partes libri æquè accuratè elaboraverim: Sed ideo ita judico, quia ſic judicaturum eſſe lectorem quemvis æquum & doctum, ſic hoc meo judicio induci poſſit ad labores meos non negligenter evolvendos, perſuaſus ſum. Non deſtituit me judicium Eccleſiæ, quæ me hac vivâ voce docentem audivit. Etſi enim novi, multa auditoribus placere, dum vivâ voce dicuntur, quæ parum afficiunt ubi in literis comparent, expertus tamen ſum, & cum ratione judico, quod meditationes ſolidæ, methodicæ, ac rerum pondere graves ætatem ferant,

&

& prærogativam in conſcientiis, quam cum voce Doctoris non plane amittunt. Poſſum etiam hoc addere, quod meditationes tibi exhibeo meas, non alienas, aut aliunde exſcriptas, ut de expilatione aliorum auctorum, aut crambe recocta queri admodum lector poſſit. Non quod novam doctrinam jacto, aut ſublimes ſpeculationes, à capacitate populi remotas, profero. Simplicitatem enim perſpicuam, & conformitatem doctrinæ ac interpretationum cum Orthodoxis moderatoribus Theologis ſectatus ſemper ſum, & id teſtimonii apud auditores facilè obtineo, quod ſingulares opiniones magnâ vi obtrudere nunquam ſim ſolitus, nec libertatem Chriſtianam imminuere, ſed potius quod omnem καινοφωνίαν, omnem quoque rigorem non neceſſarium ſtudioſè vitaverim, & quidquid ad concordiam facere poteſt, non minus quàm veritatem enixè locutus ſum. Quid igitur eſt quod meum dicam, & quo nomine hunc fœtum lectori commendem, ne pretio & lectoris labore putetur liber indignus, in hoc fœcundo librorum ſæculo? Quid poſſit dici, quod non ſit dictum prius? Quaſi verò humano ingenio deſit vis multiplicandi conceptus & ſermones de rebus iiſdem. Si ex viginti quatuor literis, quæ omnibus nationibus communes ſunt, infinita vocabulorum varietas orta eſt, quid non oriatur ex tanto Scripturæ volumine, tot hominum ſtudiis & meditationibus volutato? Attamen verum eſt, nihil poſſe dici, quod non ſit dictum prius! Verum eſt, ſi cum grano ſalis accipiatur. Quod implicitè dictum eſt, magis magiſque poteſt explicari; Et quæ paucis in Scriptura verbis ſemel dicta ſunt, tam amplum in ſe continent ſenſum, & tam variam ſapientiam, quæ numquam ſatis nec explicari, nec comprehendi poteſt, ſed cujus explicatio & comprehenſio quotidianum poteſt capere incrementum. Eſt uſitata in Scripturis vox, quod verbum Dei creſcat & invaleſcat potenter, quod non ideò tantum dicitur, quia ad plures propagatur, & à pluribus recipitur, ſed quia Euangelii, ac myſteriorum illius prædicatio & cognitio, quamdiu Mundus ſtabit, quotidiè magis magiſque inclareſcet, inſtar Solis, donec ingruet meridies perfectionis in cœlo. Patitur Eclipſes, ſed non patitur nec mortem, nec decrementum, verum in decremento incrementum capit. Si tanto ſeculorum numero tam avaris hominum ſtudiis atque ſcrutiniis, ſinus telluris exhauriri non potuit, quin uſque ad finem mundi auri argentique copia augeatur, an putamus Scripturam, infinitum ſapientiæ pelagum, Theologorum ſtudiis dudum evacuatam eſſe.

At nondum indicaſti quid præſtiteris præ aliis? Nec indicabo. Non enim ex meâ præfatione hoc tibi conſtare debet, ſed ex lectione libri, ad quem te Præfatio invitat. Nec alio fine judicium de meo libro præfatus ſum, quam ut eo inductus

 digne-

digneris legere. Si poſt lectionem judicium tuum à meo differat, cauſa cecidi, tu verò victor triumphas, & lectionis moleſtiam contemtu autoris vindicas. Sic enim ſe res habet in noſtro miniſterio, ut meditationes, quæ ſe meditantibus admodum probant, auditoribus ſæpè minimè placeant, & in quibus ſibi minimè placent concionatores, iis ſæpè maximè applaudat judicium auditoris vel lectoris. Quid igitur? Nimirum non debent eſſe concionatores, ſicut Comici Poëtæ, qui id ſibi negotii credunt ſolùm dari, populo ut placeant quas fecerunt fabulas. Labores noſtros intelligenti auditori vel lectori uti probemus, anniti licet. Verùm ſi huic diſplicent, & optato effectu labor noſter hominum judicio caret, ipſa diligentia noſtra ſolatium nobis & præmium eſſe debet. Miſeri profectò ſumus, ſi patimur alacritatem ac diligentiam noſtram in officio decreſcere, cum Auditorum de nobis judicium decreſcit; Hoc enim tam facilè mutatur, & tam parum ſolidum eſt, ut ſæpè præferat conciones, quas vel poſt habere debebat. Fama eſt, inter ſectas illas, quæ hodiè dicuntur graſſari in miſerâ Britanniâ, unam eſſe quæ vocetur ſecta Quærentium, *quod opinetur veram & genuinam Chriſti revelationem hucuſque fuiſſe nullibi, ſed expectandam adhuc, & ubiq; quærendam eſſe. Hinc nullibi volunt eſſe fixi auditores, ſed paſſim diſcurrunt, ut quotidiè alios atq; alios verbi præcones audiant; Ubi aliquem offendunt qui præ cæteris placet, hunc agminatim ſectantur, clamantes Invenimus, invenimus! verum poſtquam per compluſculos menſes vehementiſſimè placuit, repentè adeò vileſcit, ut eodem cum cæteris loco habeatur, & novus iterum quæratur. Quidquid ſit de Anglorum ſectis, utrum veræ ſint an fictæ, non interpono judicium. Ex famâ emblema arripio, quod inſtabiles affectus hominum circa SS. Miniſterium adumbret. Idem ac eundem audire facilè faſtidiunt, & varietatis in hac materiâ adeò ſunt cupidi, ut unus aliquis miniſter qualiſcumq; ſit, diu placere non poſſit. Originem hæc res trahere videtur ex ſpirituali ægritudine, quâ laborat appetitus rerum ſpiritualium. Sicut enim ſtomachus æger varietatem & ſelectum cibi atque potus; ita quibus languidus verbi Dei appetitus eſt varietatem & ſelectum concionum ſtudioſè ſectantur. Sicut infantes quidam præ ſatietate & ignaviâ lactantem matrem lactare detrectant, ut fame ferè pereant, niſi matrem habeant, quæ etiam reſpuentibus ingerere nutrimentum poſſit, ita pleriq; auditorum adeò ſunt ad recipiendum verbum Dei tardi, ut propria attentione virtutem concionum attrahere detrectent, & totam ſui ædificationem à miniſtro requirant, quod cum nemo miniſtrorum præſtare poſſit, alius poſt alium contemnitur, nec quiſquam diu placet. Immò verò etiam ex divino conſilio originem ducere videtur hæc inſtabilitas*

bilitas affectuum noſtrorum erga miniſtros verbi, quantumvis orthodoxos, ut ſolus Sponſus Eccleſiæ creſcat, & amici ac paranymphi illius minuantur, nec in partem amoris veniant, utque conſtet, quod ſalutaris efficacia verbi non ſit in poteſtate ullius miniſtri, verum in beneplacito & virtute ſolius Dei. Accedit quod miniſtri auditoribus prodeſſe non poſſint, niſi aculeos ipſis figant, qui vulnerent ac irritent, ſicut amara medicorum pharmaca ægros in medicum irritant, unde facile contingit, ut inimici fiant, quibus ſub initium vel oculos erutos dediſſent, immò ut quadam quaſi vindictæ cupiditate accendantur, quâ operam dant, ut Paſtoribus pro aculeis cruces figant. Denique non parum ad rem facit, quod per diuturnam præſentiam ac converſationem ſeſe proferunt in oculos Auditorum infirmitatum reliquiæ, quas verbi divini præcones non niſi cum vita exuere poſſunt, unde fit ut quos propter ſplendorem doctrinæ Angelos initio putabant, homines eſſe deprehendant, & humani nihil ab iis alienum videant, id quod vitio vertunt, cum lucro eſſe debebat Angelos non ferentibus. Non igitur ut incertos lectorum applauſus captem, hæc in lucem edo, ſed ut diligenti ſtudio atque conatu propagandi verbum Dei, Deo placeam, quod etiam tum futurum credo, ſi Deo fortè placuerit labori meo negare ut multum proſit. Plus me lectori profuturum conſiderem, ſi licuiſſet dicta Scripturæ exſcribere potius quam notare, ſed quod per occupationes mihi non licuit, id Candidati SS. Miniſterii, quibus peculiariter hunc librum conſecro, facile ſibi quiſq; explebunt. Ante aliquot annos hoc quoque mihi à compluribus objectum, quod non ſatis prolixus ſum in dogmatibus, quæ ex textu eruo, operosè confirmandis ac applicandis. Verùm etſi meum non eſt cujuſquam labores carpere, liberè tamen dico, quod iſtæ prolixæ evagationes ac digreſſiones à textu ſacro, tyronibus exercendis magis quadrant, quàm verbum Dei coram populo rectè ſcindendo, niſi ſingularis intercedat acrimonia judicii, quæ totam illam digreſſionem textui poſſit reddere homogeneam ac ſingularem, nec ſit inanis rapſodia potius, quàm ſolida ſacri textus enucleatio. Fruantur alii ſuo ingenio, mihi illi videntur optimi concionatores, qui ſunt optimi Scripturæ interpretes. Nam ſi quando ſine hoc requiſito licebit eſſe concionatorem, tum levi exercitatione quilibet vocalis idiota poterit fieri concionator, quem populus laudet, & quid tum futurum ſit de pace Eccleſiæ & puritate doctrinæ, vicini doceant. Sed eorum Capita tibi exhibeo. In decimo nono nunc laboro. Si Deus prorogabit vitam & vires, cætera dabuntur ſuo tempore. Sin minus, utere his Lector, & vale.

ANALYSIS GENERALIS,

cum INDICE præcipuarum materiarum, per quæ ſingula Capita tractantur.

CAPUT I.

HOC Capite habetur. 1. Præfatio Auctoris. 2. Initium Actuum Apoſtolicorum. In Præfatione Euangeliſta, Acta Apoſtolorum poſt adſcenſionem Chriſti deſcripturus, repetit ſummatim, quæ de vita Chriſti in terris priori libro, i. e. libro Euangelii, ſcripſerat, & addit brevem recenſionem eorum, quæ à reſurrectione uſq; ad adſcenſionem Chriſti contigerunt, præſertim verò deſcribit ultimum illud colloquium, quod Chriſtus cum Diſcipulis in terris habuit, nec non modum atq; formam adſcenſionis in Cœlum. à verſu 1. ad 12. His peractis pergit ad ipſa Apoſtolorum acta, quæ poſt adſcenſionem Chriſti in cœlos contigerunt. Hæc deſcribit ſecundum filum ultimi illius colloquii, quod Chriſtus cum Diſcipulis ante adſcenſionem habuit, quippe quo inſtruit Chriſtus Diſcipulos, quid poſt adſcenſionem ſuam ab ipſis fieri velit. Sicut itaque Chriſtus iſto colloquio Diſcipulos juſſit poſt adſcenſionem ſuam manere Hyeroſolymis, atq; ibi expectare promiſsionem Patris de effuſione Spiritus S. prædixitq;, vel potius præcepit, fore; ut accepto Spiritu S. teſtimonium darent Hieroſolymæ, & in tota Iudæa ac Samaria, ita impoſterum deſcribit.

I. Obedientiam Diſcipulorum erga Chriſti mandatum, quâ Hieroſolymæ manentes per decem dies promiſsionem de effuſione Spiritus Sancti in precibus & Sanctis occupationibus exſpectârunt à verſ. 12. ad finem Capitis primi.

II. Impletionem promiſsionis de effuſione Spiritus Sancti quæ poſt decem ab adſcenſione dies contigit cap. 2. ad v. 14.

III. Teſtimonia Apoſtolorum, quæ ſecundum Inſtructionem ſuam, ultimo colloquio à Chriſto acceptam, Chriſto dederunt, & per quæ Euangelium Chriſti propagârunt, idque

1. *Hieroſolymæ, capite ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto & ſeptimo.*
2. *Per totam Iudæam & Samariam, capite octavo & nono.*
3. *Inter gentes uſque ad fines terræ, à capite decimo ad finem libri.*

Materiæ præcipuæ hoc Capite tractatæ.

HIſtoria eſt fundamentum Doctrinæ Theologicæ. Diviſio hiſtoriæ pag. 1. Status Eccleſiæ ante Chriſtum. Nullum vitæ genus excludit à regno Dei. An Paſtores deceat eſſe opifices? p. 2. Facta & dicta Chriſti. p. 3. Apoſtoli plura egerunt quam ipſe Chriſtus. Officia Eccleſiaſtica diſtribuuntur divinitus. p. 4. Pii agere poſſunt in vires cœli. p. 5. Diſcurſus de regno Dei. p. 6, 7. Συναλιζόμενος. p. 7. Spiritus S. datur in Eccleſia. In Templo non eſt ſedendum otiosè. Quatuor ſpecies baptiſmi. Quatuor gradus donorum Sp. S. p. 9. De Baptiſmo Johannis. Infirmitas diſcipulorum. p. 10, 11. Doctores erga rudes diſcipulos debent eſſe leves. p. 11. In ſcrutanda veritate quid obſervandum. Officium Miniſtrorum eſt verè regium. Teſtari de Chriſto fit multis modis. p. 12. In adſcenſione Chriſti tria contigerunt. p. 13. Articulis de adſcenſione Chriſti

Chriſti eſt myſterium pietatis p.14. Apparitio Angelorum. Abſentia Chriſti à terris non ægrè ferenda. Tempus non terendum otiosè. p. 15. Reditus Chriſti. p. 16. Obediendum Deo contra conſilia carnis. p. 17. Qualitates precum, perſeverantia & concordia. Non ſolùm cultui vacandum, ſed etiam vocationi, p. 18. 19. De electione & vocatione miniſtrorum Eccleſiæ. p. 20, 21. Pii ſunt fratres. Differentia inter inſtinctus Spiritus S. & impulſus Diaboli, p. 22. Spiritus S. prædicit futura. Quod prædictum eſt oportet impleri. p. 23. Peccando etiam poteſt impleri Scriptura. Papa ſucceſſor Judæ. p. 24. ἐπίχυσις peccati, p. 25. Impii homines poſſunt eſſe legitimi Doctores, p. 26, 27. Judæ, peccata varia, p. 27, 28. Pœna Hypocritarum. 28, 29. Miniſtrorum degradatio. 29. Bona talenta, malè uſurpata, amittuntur. Neceſſitas ex decretis & prædictionibus divinis non tollit neceſſitatem officiorum humanorum. Numerus duodenarius Eccleſiæ Characteriſticus. p. 30, Electio miniſtrorum. Exemplar precum. 31. De ſorte 32.

CAP. II.

Secundo Capite deſcribitur 1. *Impletio promiſſionis de effuſione Spiritus S. quam Chriſtus juſſerat exſpectare v. 1. ad 14.* 2. *Primum Teſtimonium Apoſtolorum Chriſto exhibitum in urbe Hieroſolyma per egregiam concionem Petri. v. 14. ad finem cap.*

Materiæ hoc Capite tractatæ.

Differentia inter effuſionem Spiritus S in V. & N. Teſt. pag. 33. Uſus & differentia trium anniverſariorum feſtorum in V. Teſt. p. 33, 34. Rationes cur Spiritus S. Pentecoſtes feſto effuſus. p. 34. Modus celebrandi pentecoſten Chriſtianam. ibid. Ad quaſcunq; difficultates Deus vocat, largitur vires ſuperandi. p. 35. Neceſſitas & qualitates conventuum Eccleſiaſticorum, in quibus exſpectari poteſt præſentia Spiritus S. p. 35, 36. Modus operandi, quo Spiritus S. in nobis utitur. p. 37. & ſigna quibus præſentia *ejus agnoſcitur. ib.* Magnalia Dei. p. 38. Miraculorum uſus, ib. Quis verè religioſus. p. 38, 39. Chriſtiani Judaicæ Eccleſiæ inſiti. p. 32. Non omnis commotio cordis, ex concionibus hauſta, eſt vera converſio. p. 39. 40. Motus & affectus ſpirituales caro habet pro ſtultitia p. 41. Quatenus licitum alios judicare, p. 41. Apologiæ contra obtrectationes an & quatenus licitæ, p. 42. Pii peccatis ſuis acuuntur in Zelo, p. 42, 43. Euangelium annunciandum omnibus & non omnibus, p. 43. Audire verbum labor eſt, p. 43. Contra ebrietatem & commeſſationes nocturnas, p. 44. De ſuſpicionibus quatenus *licitę* & illicitæ, p. 45. In concionibus non tantùm affectus movendi, ſed pręcipuè *judicium* bene informandum. p. 46. Operatio Spiritus S. in V. & N. Teſtam. quomodo *differt.* p. 47. Gratia univerſalis, p. 47. Spiritus S. cur dicitur effundi? ib. Catalogus donorum *Dei,* p. 48, 49. Quid Joël intelligit per Prophetiam, viſiones & ſomnia, & cur *primum* tribuitur filiis, ſecundum adoleſcentibus, tertium ſenibus. p. 50, 51. Quænam illa ſigna, prodigia, obſcuratio ſolis, mutatio lunæ in ſanguinem quæ fient poſt effuſionem Spiritus S p. 52, 53. Cur turbæ Eccleſiæ dicuntur dari à Deo. p. 54. Cur ultimus

dies vocatur dies magnus & illuſtris? ib. Prolixa demonſtratio,quod non detur ſalus in omnibus religionibus, ſed quod acris contentio pro puritate religionis ſit neceſſaria p.55.56,57,58. Doctrina de Perſona Chriſti cur neceſſaria, p.60. Vox *Nazarenus*.ib. Quomodo Deus dicitur operari per Chriſtum, præſertim miracula, p.61. De providentia Dei in malis,p.62,63. Modus applicandi Chriſtum, p.64. Peccati reus eſt non tantùm qui facit, ſed etiam qui contemnit & ſeducitur,p.63. Quomodo Chriſtus ipſe ſurrexerit ex mortuis,& tamen à Patre ſuſcitatus ſit,p.65,56. Solvere vincula mortis, ibid.&67. Prædictio Scripturæ parit neceſſitatem futuritionis,p.67. Doctrina de adſcenſione Chriſti, p.69. & de ſeſſione ad dextram Dei, p.70,71. Annuntiatio & meditatio peccati proprium & verum medium contritionis cordis, p.74, 75, 76. Poſt μεταμέλειαν requiritur etiam μετάνοια,p.77. Quid differant Spiritus ſervitutis,Spiritus regenerationis,Spiritus adoptionis, p.77.b. Converſio ad ſalutem non ſufficit,ſed etjam juſtificatio requiritur, p.78. Et hæc non obtinetur niſi per nomen Chriſti, ib. Et hoc non juſtificat niſi ſide receptum,ib. Verus uſus baptiſmi,79. Cur promittitur Spiritus S. iis qui jam tum credunt,p.80,81. Differentia fœderis Euangelici ab omnibus aliis fœderibus,p.81,82. Contritioni alligata ſalus,p.82. Quatenus concionator aliquis etiam proprio ſuo teſtimonio poſſit confirmare veritatem quam prædicat, p.83 Non eſt vera ad Deum converſio,quæ non eſt à pravo mundo ſeparatio,p.84. Magna vis & potentia miniſterii,p.85. Vera converſio conſiſtit in lubenti receptione verbi Euangelici,p.86,87. Externa communio cum Eccleſia neceſſaria eſt,p.87. Difficilius eſt in converſione perſeverare quàm ſe primum convertere,p 88,89. Non omnis perſeverrantia virtus eſt,p.89.90. Deus piis gratiam & favorem ſæpe conciliat etiam apud hoſtes,p 91. Quomodo miracula fiant per hominum manus,p.92. Cur antiquitus tot miracula facta, ſecus quàm hodie, pag.92. An jam omnia miracula ceſſent, pag.93. Cur Apoſtoli ceremoniis uſi, p. 94. Laus & modus beneficentiæ, p. 95. De circumſtantiis quibuſdam cœnæ dominicæ, pag. 96. Converſatio Chriſtianorum in ſimplicitate, ibidem. Eccleſia ſemper viva & creſcens, pag. 97.

CAP. III.

Hactenus primum teſtimonium, quod Apoſtoli Chriſto perbibuerunt in urbe Hieruſalem. Sequitur aliud in eadem urbe exhibitum, idque duas habens partes, ſeu duos gradus. 1. *Miraculum.* 2. *Concionem miraculo ſubjunctam. Vtraque pars deſcribitur capite tertio*

Materiæ hoc Capite tractatæ ſunt ſequentes:

DIſcurſus de amicitia, pag. 98, 99. De horis Canonicis, & de privatis ac ſecretis precibus ſtatis horis habendis adhortatio, p. 100. 101. Notabile diſcrimen inter miracula Prophetarum & miracula Chriſti ac Apoſtolorum,p.101.b. Ex morbis agnatis quid diſcendum, p.102. Varia monita de mendicatione,p.103. Perſonæ miſerabi-

les

les ſunt ſpecula omnibus probè inſpicienda, p.104. Etiam inſtrumentis Dei competit ſuus honos, ibid. Homines abjectæ fortunæ plerumq; ſunt homines abjecti & vilis animi parum quærentes cœleſtia. Nec tamen quod prætexunt, eo excuſantur, p.105. Gratia datur non quærentib. ib.b. preces impetrant etiam cum non accipimus quod petimus, ib. Miniſtri præmonere debent auditores ne terrena à ſe exſpectent, p.106. Sanatio animæ repræſentata per ſanationem corporis, p.106, 107. Quid regeniti poſſint & non poſſint, p. 108. Lætitia & gratitudo pro acceptis beneficiis, p. 109. Læta miracula terrorem pariunt in peccatoribus, ibid. Deo infideles fiunt creduli admiratores hominum, p. 110. b. Salus tribuenda & non tribuenda mediis, pag. 110. & 111. Cur in V. Teſt. Deus uſus titulo quod ſit Deus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, in N. autem Teſt. quod ſit pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, p. 111, 112. Chriſtus Dei puer & ſervus, p. 112. Item Sanctus, Juſtus & Princeps vitæ, p. 112. 113. Miracula quandoq; fiunt fide facientium, quandoq; fide eorum quibus fiunt. p. 123. b. Fide juſtificante etiam poſſunt fieri miracula, p. 114. Graviſſimi peccatores in Eccleſia appellandi *fratres*, ib. Unde ſciverint Apoſtoli quis ex ignorantia peccaverit necne; & quouſq; ſe debeat extendere judicium caritatis circa eos qui graviter peccant, & quomodo qui Chriſtum crucifixerunt, dicuntur ex ignorantia peccâſſe, cùm alibi dicantur in Spiritum S. peccâſſe, & quatenus ignorantia peccatum excuſet vel non. p. 114, 115, 116, 117. Quid differant μετάνοια & μετάστρεψις, p. 117, 118, 119. Quomodo ſit peccatorum deletio, & cur tribuatur pœnitentiæ potiùs quam fidei? p. 119, 120, 121. Vita æterna eſt refrigerium, idq; à facie Domini procedens, p. 121, 122. Beatitudo æterna non tam ſita erit in amœnitate cœli, quàm in præſentia Chriſti, p. 123. Comparatio Chriſti & Moſis, p. 124, 125. Inductio particularis, quod in omnibus & ſingulis Prophetis extent vaticinia de Chriſto p. 125. Filii Prophetarum ad audiendos Prophetas præcipuè obligati, p 126.

CAP. IV.

Hoc capite deſcribuntur duo effecta Teſtimonii capite tertio deſcripti. videlic. Perſecutio, in quam Apoſtoli per hoc teſtimonium inciderunt &, Ædificatio Eccleſiæ, quam hoc teſtimonio effecerunt.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

HEterodoxi quantumvis erroribus differentes, in perſequutione Eccleſię conſpirant, nec cenſuris Eccleſiaſticis contenti, ultionem Politicam urgent & procurant, p. 127, 128. Annon Reformati Paſtores idem faciant? p. 120. Perſequutione creſcit Eccleſia. p. 130. Auguſtorum & Illuſtrium hominum auctoritas non debet ſupprimere Parrheſiam confeſſionis Chriſtianæ, p. 131. Perſequutione ſemper quæritur prætextus. Unde habuerint ſuam vocationem Theologi Reformantes. Propter difficultatem non eſt detractanda vocatio, p. 132. Quid cavendum Miniſtris in reprehendendis magiſtratibus? Cum beneficia noſtra malefactis compenſantur, non eſt indignandum, p. 133. Intrepida confeſſio veritatis, p. 134. Prolixa explicatio ſimilitudinis, quâ Ec-

cleſia comparatur cum ædificio, quod habet ſuum fundamentum, ſuos architectos & ſuos lapides ex quibus conſtruitur, incipit p. 134. De fundamento dicitur, p. 135, 136, 137, 138, 139. De architectis dicitur, p, 139, 140, 141, 142, 143. De Ædificio ipſo dicitur, p. 143, 144, 145. Non ſufficit in Chriſto ſalutem quærere, ſed in ſolo Chriſto quęrenda eſt, quod multi non faciunt, p. 146, 147, 148. Verbi prædicatio non tantùm regenerat electos, ſed etiam pulſat & commovet præfractos, idque propter parrheſiam miniſtrorum, propter cooperationem malæ conſcientiæ, & propter evidentiam rerum prædicatarum, p. 149, 150. An miniſtri publicas reprehenſiones graſſantium peccatorum rectè ſuperſtruant rumoribus & delationibus? p. 151, 152. Satius eſt apud homines pudefieri quàm apud Deum, p. 152. Poſtquam Satanas exhibitionem Chriſti impedire non potuit, prædicationem Chriſti impedire ſatagit, p. 153. Quando neceſſariū loqui & non tacere. Crebra & continua prædicatio verbi neceſſaria eſt Eccleſiæ, ibid. Quatenus leges Magiſtratus Politici obligent conſcientiam, & quatenus liceat magiſtratui non obedire, vel etiam reſiſtere, p. 154. Tyranni ſæpe non emendantur, & tamen alicunde territi conſilia mutant, p. 155. Membra Eccleſiæ ſe invicem pro *ſuis* agnoſcunt. Præmonitiones Doctorum de inſtantibus periculis non contemnere debet Eccleſia. p. 156. Prima cura contra periculum preces, ib. Quatenus obligemur ad externos geſtus in precibus. p. 157. Zelus & fervor in precibus neceſſarius, & quæ cauſæ ex quibus defectus. p. 157, 158. Deus eſt Eccleſiæ δεσπότης ſeu Paterfamiliâs. p. 159. Potentia & promiſſio Dei fundamenta precationis, p. 160. Quo pacto Abraham & David noſtri Patres. Magiſtratus ſervi Dei. Proprietates hoſtium Eccleſiæ, p. 160, 161. Eccleſia nominatim contra ſuos hoſtes debet precari. Cur Chriſtus & à Iudæis & ab Ethnicis paſſus? Qui contra Eccleſiam inſurgit, contra Chriſtum inſurgit, & contra Deum. Hoſtes Chriſti antiquum obtinent, p. 162. Unctio Chriſti qua in re conſiſtat, p. 163. De Providentia Dei ſuper peccata prolixus diſcurſus, p. 164, 165, 166, 167. Præcipua felicitas Eccleſiæ in terris quæ, p. 167, 118. Concordia Eccleſiæ neceſſaria. Quibus imputanda diſcordia? Et qua in re conſiſtat vera concordia? p, 169, 170. Cur Apoſtoli ſuo tempore articulum de reſurrectione Chriſti præ omnibus aliis diligenter prædicârunt? pag. 171. Liberalitas in pauperes eſt gratia, ibidem. De communione bonorum temporalium, nec non de origine bonorum Eccleſiaſticorum, pàg. 172, 173.

CAP. V.

Hoc Capite deſcribitur tertium & quartum teſtimonium, quod Apoſtoli Chriſti dederunt in ipſa urbe Hieroſolyma. Tertium datur à Petro per reprehenſionem acrem & punitionem terribilem duorum hypocritarum, qui Eccleſia ſe miſcuerant. Quartum datur ab omnibus Apoſtolis, coram Synedrio & Senatu populi, propter conciones & miracula captivis.

Materiæ hoc Capite tractatæ ſunt ſequentes.

HOmines ejuſdem thori facilè fiunt ſocii ejuſdem peccati. Ananiæ peccatum non fuit ſacrilegium, ſed hypocriſis, p. 164. Quid ſit hypocriſis in religione, & quare tam

tam grave peccatum, p.175,176. Pœna Ananiæ & Sapphiræ inflicta non fuit ſupplicium Politicum, ſed ſpecies diſciplinæ Eccleſiaſticæ extraordinariæ. An fuerit miraculum nec ne? p. 177, 178. Quâ in re conſiſtat mors? Sepulturam negare mortuis impium. Aliæ quædam proprietates hypocriſeos, p. 178. 179. Judicia Dei, etſi ſæpe non convertunt impios, tamen refrænant eos, p.180. Diſciplina Eccleſiaſtica, etſi multos abſterret, ne ſe conjungant Eccleſiæ; tamen non impedit ſed promovet incrementum Eccleſiæ, p.181. Qui Chriſto confidunt ſalutem æternam, non debent diffidere de auxilio temporali. Cur inter miracula Chriſti copioſiſſima ſunt ejectio dæmonum & ſanatio morborum? p.182. Etiam ordinarii miniſtri Euangelii multa poſſunt ad ſanationem morborum præſtare. De reliquiis Papiſticis, p. 183. Excitare ſe ad audaciam contra terribilia Dei judicia grave peccatum. Eccleſia N.T. non habet acriores hoſtes quàm Prælatos & Sacerdotes, quia ipſa functio eſt inimicitia contra Chriſtum, p.184. Quid ſit hæreſis. Quid differant Zelus & invidia? p.185. Solatium contra carceres. Euangelium verbum vitæ. Regimen Politicum & Eccleſiaſticum in Judæa. p.186. Uſus Conciliorum, p.187. Quomodo quis poſſit infallibiliter ad agnitionem veræ religionis pervenire, p.188. Quomodo Deus illudit hominibus? De proditione & delatione. Impii judiciis Dei moventur ſed non emendantur. Piis in hoc mundo nulla conſtans felicitas, p.189. Eccleſia nunquam caret fautoribus. Parrheſia concionatorum non eſt cauſa ſeditionis. Defenſio contra criminationes quatenus licita, p. 190. Cur Deo plus obediendum quàm hominibus, p. 191. Religio noſtra antiqua, Pontificiorum nova, p.191,192. Injuſta ſupplicia ſunt latrocinia. Aperti hoſtes veritatis non ſunt leniter tractandi. Cur Chriſtus in ligno ſuſpenſus? Exinanitionis & exaltationis Chriſti diverſi fines, p.193. Chriſtus per exaltationem ſuam factus Salvator & Princeps, p.194. Apoſtoli teſtes Chriſti, Spiritus Sanctus teſtis Chriſti, p.195. Ira in judiciis non debet habere locum. Eadem concio alios compungit & conterit, alios exacerbat & indurat, quare? p. 196, 197. Eccleſia etiam inter *hoſtes fautores invenit*. Nomen *Gamaliel* explicatur & applicatur, pag. 198. Differentia inter conciones, quæ fiunt in Eccleſiis orthodoxis & heterodoxis. Doctores Eccleſiæ debent apud populum eſſe in pretio, pag. 198, 199. Quid differant prudentia & aſtutia, & quatenus licita ſint ſtratagemata? Sibi ipſi attendere, p. 200. Non tantum ſeductores ſed etiam ſeducti punientur. Euangelium Conſilium. Ex Deo eſſe, p. 201. An Gamalielis conſilium rectum & imitandum? Quod ex Deo eſt non poteſt ſolvi. pag. 202 Θεομάχος. Perſequutio piorum habet lætam cataſtrophen. Prudens conſilium in Republ. multum poteſt, p.203. An liceat appetere honores? Malitia malorum ſæpe compeſcitur ſed non tollitur. Loqui in nomine Jeſu. Maxima ignominia etiam in honeſtiſſimos poteſt cadere, pag.204. Quid pati pro Chriſto? Et cur dignitas habetur? Gaudere in afflictionibus. Paſſiones augent ſtudium officii in piis, pag. 205.

CAP. VI.

Capite ſexto & ſeptimo deſcribitur quintum Teſtimonium Chriſto in urbe Hieroſolyma exhibitum, non tamen propriè ex collegio Apoſtolorum, ſed ex collegio Diaconorum per Stephanum. Hoc fine & hoc capite præmittitur Inſtitutio Diaconatus, & diſputatio Stephani cum Synagogis exoticis, quæ fuit occaſio teſtimonii, capite ſeptimo deſcribendi.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

QUid Helleniſtæ? Diverſus Status Eccleſiæ aliquam diverſitatem exigit in rebus ordinis, pag. 206. Inter pios murmuratio & indignatio aliqua poteſt habere locum, ſed non ſchiſma, p. 207. Qui aliis præfecti ſunt longanimes eſſe debent. Et debent prævenire querelas inferiorum tollendo cauſas. Definitio veræ Eccleſię, p. 208. & quinam veri diſcipulorum. Vocatio officiariorum Eccleſiaſticorum eſt penes Eccleſiam. Cur conveniens ſit Paſtores non eſſe Diaconos? p. 209. Officium miniſtrorum verbi. Requiſita Diaconorum, pag. 210. Electio penes Eccleſiam, ordinatio & confirmatio penes Miniſtros verbi, p. 211. Verbum Dei dicitur creſcere. Quid Spiritus, quid Apoſtoli agebant in patrandis miraculis, p. 212. Zelus lucrandi Deo. Pro ceremoniis maximè pugnant Phariſæi & Papiſtæ, pag. 213. Chriſtiani non debent eſſe auctores diſputationum in Eccleſia, ſed tamen defenſores veritatis diſputatæ. Uſus ſcholarum. Veritati poteſt & non poteſt reſiſti, p. 214. Arma hoſtium contra Eccleſiam ſunt aſtútia, calumniæ, violentia. De ſingulis agitur pag. 215, 216. Cur facies Stephani ſicut facies Angeli, pag. 216. 217.

CAP. VII.

Capite ſexto fuit occaſio teſtimonii quinti Hieroſolymitani, per Stephanum Chriſto dati: Capite ſeptimo eſt Teſtimonium ipſum, idque primò verbale, deinde reale. Nam & concionando & moriendo martyr ac teſtis Chriſti fuit.

Materiæ hoc Capite tractatæ paucæ ſunt, quia quæ ad V. Teſtam. pertinent, prætereuntur.

STephani concio videtur incompleta & ſine ſenſu, & tamen non eſt talis, p. 217, 221, 225, 226. Judex non debet quęrere prætextus. Quatenus impiis Eccleſię membris debeatur caritas fraterna? p. 218. Magiſtratus eſt Pater, Miniſtri Patres. Chriſtus Deus gloriæ, p. 219. Deus hominibus apparet decem modis, p. 220. Abraham Deo ſervivit ſine ceremoniis, p. 221. Proprietates veræ fidei in Abrahami fide lucentes, p. 222, 223, 224. Omnes Orthodoxi antiqui, tum ſub tabernaculorum ſub templo in ceremoniis non quæſiverunt ſalutem, p. 225, 226. Cur Judæis ſpecialiter exprobatur

batur, quod incircumciſi ſint corde & auribus, cùm tales ſimus omnes? p. 227. Reſiſtere Spiritui S. An hac phraſi vel gratia efficax & irreſiſtibilis refutetur, vel gratia univerſalis ſtabiliatur? p. 228 229. An per bonum uſum gratiæ communis homo ſibi poſſit acquirere gratiam ſpecialem? An reſiſtere Spiritui S. idem ſit quod peccare in Spiritum Sanct. p. 230, 231. Uſus gratiæ communis. An omnes qui Spiritui Sancto reſiſtunt ſint irregeniti? p. 232. An peccata Patrum puniantur in filiis? p. 232, 233. Prophetarum perſequutio crebra inter Judæos. Miniſtros Eccleſiæ ab ipſa pati grave eſt, p. 233. Officium Prophetarum legale & Euangelicum. Chriſtus eſt ille Juſtus ob varias cauſas, p. 234. Plures proditores Chriſti, non ſolus Judas. Acris increpatio an licita Miniſtris? Cur Iſraëlitæ arcam fœderis portantes dicuntur portâſſe tabernaculum Molochi & Saturni, p. 235. Sancta lex & doctrina non fecit ſanctum populum. Lex data per Angelos & Moſen, p. 236. Multis modis datur lex à Deo, quorum alter altero magis obligat ad obedientiam, p. 237. Fortitudo militaris & Chriſtiana quid differant? p. 238, 239. Quomodo Stephanus potuerit Chriſtum in cœlo ſtantem videre? pag. 239 Fideles ante victoriam triumphant. Stephani lapidatio partim judicialis, partim ſeditioſa. Obturare aures Euangelio, p. 240. Incantatio Spiritualis & divina. Species ſuppliciorum Judaicorum. Varietas plagarum divinarum non minor quàm varietas operum. Chriſtianum oportet precantem mori. Tempore mortis anima præcipuè curanda, p. 241, Immortalitas animæ demonſtrata. Fidelium mors non eſt mera paſſio. Ubi ſint animæ fidelium poſt mortem? Chriſtus non recipit niſi animas ſervorum ſuorum, p. 242. Morientes debere remittere etiam hoſtibus peccata. Chriſtus dat præceptum novum: Mors fidelium ſomnus, pag. 243.

CAP. VIII.

Hactenus Teſtimonia Chriſto de Apoſtolis & diſcipulis exhibita in ipſa urbe: Sequuntur nunc quæ exhibita ſunt extra urbem in Samaria & Iudæa. Hoc Capite octavo deſcribitur. 1. Occaſio propagati extra urbem Euangelii, ſcilicet perſequutio Eccleſiæ ex ſepultura Stephani orta. 2. Duo particularia exempla propagati extra urbem Euangelii quibus populo extra urbem Chriſtus redditus, eſt teſtatus, ſcil. Converſio Samariæ & Converſio Eunuchi Æthiopis.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

IMpii peccant cum beneplacito, pii peccant odio, pag. 244. Unde fit quod & impii aliquando illibenter peccant? Communio cum aliorum peccatis prohibita. Qui aliena peccata non deteſtatur, eadem ipſe facilè committit, p. 245. Non tantùm Paſtoribus ſed & ovibus exſpectanda perſequutio. An liceat potius à Reformata religione ad aliquam ſectam Chriſtianorum tranſire, quàm pro veritate martyrium pati, pag. 246, 247. An tempore perſequutionis fugere liceat? p. 247. Fabula Pontificiorum de Stephani ſepulchro. ἰυλαβεια quid? pag. 248. Mortui in terram condendi,

pag. 249. Luctus & planctus ſuper mortuis quatenus licitus piis. Mortuos ſepelire opus pietatis eſt, p. 250. Perſequutores ſunt profani vel religioſi. Si Paulus ex Zelo erga Deum perſequutus eſt Eccleſiam, cur perſequutio ejus fuit tantum peccatum? pag. 251. Pauli Zelus non fuit cauſa impellens Converſionis ipſius. Non omnis Zelus & religio eſt pietas, p. 252. Sectarii, Heterodoxi, quantumvis religioſi, non ſunt pii, Zelus ſine caritate peccatum eſt, etiamſi ſit pro bona cauſa, p. 253. Hæreſis & tyrannis perpetuò premunt Eccleſiam. Perſequutio veritatis eſt propagatio veritatis, p. 254. Quantum cauſæ inimicitiæ inter Judæos & Samaritanos. Origo Euangeliſtarum, p. 255. Quid prædicare Chriſtum? Compendium religionis Chriſtianæ. Hæreſes & errores contra Euangelium ſunt quadruplices, p. 256. An miracula ſint referenda inter Inſtrumenta regenerationis. Cur dæmoniorum ejectio & morborum ſanatio præcipua inter miarcula Chriſti & Apoſtolorum (Confer Actor. 5. p. 182.) Cur Diaboli exeuntes clamant? Gaudium ex prædicatione Euangelii, p. 257. Tria momenta veræ converſionis. Triplici oppoſitione utitur Satanas contra Euangelium, p. 258. Quid magia vel incantatio, & quomodo fiat, p. 258, 259. Fugienda eſt directa & indirecta, pag. 260. Doctrina Simonis Magi, & qui eam teneant, p. 261. Miniſtri non debent pati, ut auditores eos nimiùm admirentur. Euangelium eſt virtus Dei & Spiritus S. p. 262. Ἐκστασις divina & Diabolica quid differant. Quantam vim habeat Satanas in hominum animos? Simonis Magi fides non fuit mera ſimulatio fidei ſed vera fides hiſtorica, pag. 263. Euangelium omnis generis homines trahet. Non omnis fides vera. Apoſtolorum præ Euangeliſtis prærogativa, p. 264. Aliud habere verbum Dei, aliud recipere. Etſi in Eccleſia non eſt dominium, tamen eſt auctoritas mittendi. An hîc fundamentum habeat Pontificium Sacramentum Confirmationis, pag. 265. Differentia inter dona Spiritus & fructus Spiritus. Quinque res in templo primo, non fuerunt in ſecundo, pag. 266. Hæ redierunt tempore Meſſiæ. Spiritus S. obtinetur per preces. Impoſitio manuum non eſt Sacramentum, pag. 267. Hiſtoria Simonis Magi ex Patribus incerta. Si vera, tum Simon Magus eſt primus Papa Romanus, p. 268. Converſioni Simonis præcipuè deerat abnegatio ſui ipſius, p. 269. Simoniæ origo & ſpecies, p. 270. Imprecandum iis, qui muneribus ad mala tentant. Opes injuſtæ maledictioni obnoxiæ, pag. 271. Cur malæ opiniones & putationes in rebus religionis tam periculoſæ, pag. 272. & quomodo veritas ab opinionibus falſis diſcerni poſſit, p. 273, 274. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ modus, partes, gradus & vis, p. 275, 276. Quid cor non rectum coram Deo, p. 277. Quid differant peccata malitiæ & infirmitatis. Quid meditatio mali & quàm noxia, p. 278. Converſio continet quadruplicem verſionem. Etſi eſt Dei opus, tamen ab homine requiritur, p. 278, 279. Remiſſio & converſio non poſſunt ſeparari. Remiſſio peccatorum non propriè per fidem ſed per preces impetratur, pag. 279. Quid in fide precari? Conſilium Euangelii, 280. Cogitatio cordis ſine perfectione mali operis punitur. Peccata incurabilia. Homines reverâ oderunt Deum, p. 281. In peccatis eſt quædam fellea amarulentia. Peccata colligata. Peccatum eſt in omni-

nibus, ſed non omnes ſunt in peccato. Irregenitorum quatuor Claſſes, pag. 282. Spiritus diſcretionis. Sera pœnitentia prodeſt. Sed rarò vera eſt, p. 283. Alia comparatio Simonis & Papæ. Quo modo Chriſtus noſter interceſſor. Quo modo Paſtores orant pro populo, p. 284. Quomodo miniſtri vocandi ad ægros. Miniſtri dignitas. Datur gratia communis & ſpecialis. Rudera urbium imbecillitatem rerum humanarum deſignant, p. 285. Contra præcepta Dei non valet ratio. Solatium contra deformitatem corporis. Magiſtratum & Chriſtianum eſſe non pugnat, p. 286. Theſaurarii publici debent eſſe fideles. Pium eſſe & Chriſtum ignorare olim non pugnabant. Pium eſſe & magnum eſſe non pugnant. Finito cultu publico non redeundum ad vanitates. Lectio Scripturæ præcipuè magiſtratibus mandata. Occupationes itinerantium, pag. 287. Legendum quantum prodeſt ad intelligendum. De obſcuritate Scripturæ, pag. 288. Interpres Scripturæ non eſt judex ſed ὁδηγός? Docilitas. Curru vehi. Περιοχὴ τῆς γραφῆς, p. 289. Paſſio Chriſti, & patientia Chriſti. Chriſtus ovis. A quo mactatus. Non aperuit os, p. 290. Per patientiam à paſſione liberamur. Scriptura propriè organum regenerationis, pag. 291. Non omnes qui Chriſtum prædicant, Chriſtum Euangelizant. Tria requiſita boni Doctoris, p. 292. Annunciare Jeſum. Primus fructus regenerationis eſt deſiderium verbi & Sacramentorum, pag. 293. Non debent Sacramenta dari niſi confeſſis. Pædobaptiſmus neceſſarius, p. 294. Ad Sacramenta, præcipuè requiritur confeſſio fidei. Credere toto corde, p. 295. Differentia Baptiſmi & Cœnæ. Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, an ſit ſufficiens confeſſio? pag. 296, 297, 298. Notitia religionis neceſſaria. Præter aſſenſum intellectus in vera fide reperiuntur tres motus cordis, ſeu triplex fiducia, p. 297, 298. Modus accedendi ad cœnam, & fructus illius, p. 299. Circumſtantiæ Sacramentorum adiaphoræ ſunt, & tamen ordini ſubjectæ. Vera fides inclinat cor, ut ſufflaminatis negotiis mundanis vacet cultui divino, pag. 300. Fructus S. Cœnæ eſt, currere viam ſuam cum gaudio, pag. 301, 302, 303.

CAP. IX.

Hoc Capite iterum aliquot exempla proponuntur propagati extra urbem Euangelii, facta in Judæa & locis vicinis, partim per Paulum Damaſci, partim per Petrum Lyddæ & Ioppæ.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

FUror Pauli, pag. 303. Chriſtiani diſcipuli. Ars in proſequendo. Chriſtianiſmus eſt via, p. 304. Zelus cæcus parit hoſtilitatem contra Deum. Lupus in ovem & Paſtorem vertitur. Gratia converſionis non datur ſecundum merita aut diſpoſitiones prævias, pag. 305. Nemo tantus peccator quin poſſit converti. Chriſtianiſmus eſt jugum, p. 306. Lux & vox quam Paulus vidit & audivit. Deus habet ſuum tempus liberandi, p. 307. Spiritus ſervitutis & adoptionis. Converſio incipit à terrore, pag 308.

Terriculamenta ſine verbo non convertunt. Docilitas & voluntas cedendi primus actus regeniti. Omnes cuperent Chriſtum ſibi ex cœlo loqui, p. 309. Deus promiſſionibus addit experientiam. Quicquid mali Chriſtianis infligitur ipſi Chriſto infligitur. Calcitrare contra ſtimulum quid? p. 310. Terror filialis differt à ſervili. Terrores non ſtatim ſequitur ſolatium. Deus non docet, ſed remittit ad Miniſterium. Omnes audiunt Euangelium, ſed non omnes intelligunt, p. 311. Ut quis ſit inexcuſabilis, non requiritur gratia ſufficiens ad converſionem. Partes converſionis Pauli. Ad converſionem non ſufficit mutatio mentis, ſed actualis obedientia requiritur, p. 312. Surgere ex peccatis. Qui convertuntur fiunt cœci, p. 313. Vincentes vinciuntur. Ceſſante promiſſionis impletione precandum, p. 314. Diſcipuli Chriſti vivunt ſecundum legem. Quatuor uſus legis, pag. 315. Qui piè vivit, etiam impiis venerabilis eſt, pag. 316. Deus nobis hodieque loquitur. Offerre ſe Deo ad abſolutam obedientiam. Deus novit quid agamus. Accommodat ſe infirmitatibus piorum, p. 317. Chriſtiani vocantur *ſancti* p. 318. Diligens invocatio potiſſima nota Chriſtianiſmi. Ægrè movemur ad diligendos inimicos. Metus & tremor à periculis etiam in ſanctis locum habet, p. 319. Electi & pii ſunt vaſa Dei, p. 320, 321. Paulus Apoſtolorum præcipuus. Portavit nomen Chriſti. Ordinarii Miniſtri idem faciunt alio modo, p. 321, 322. Paulus docuit reges, fuit doctor gentium & Iſraëlis. Pati pro Chriſto, p. 323. Cedendum eſt meliora monentibus. De fortitudine Chriſtiana contra metum, p. 324. Impoſitio manuum. Ordinatio miniſtrorum. Ceremoniis jungendum eſt verbum, p. 325. Remittendum inimicis. Etiam culpam non confeſſis. Provocare poſſe ad vocationem Dei in eo quod ſuſcipimus, utile eſt, 326. Opera Dei triplicia. Solatium contra morbos. Cœcitas ſpiritualis, p. 327. Appetitus Sacramentorum. Edendo & bibendo multis modis poteſt peccari, p. 328, 329. Officia Chriſtianiſmi & vocationis, p. 329. Amicitia cum quibus colenda. Non tergiverſandum in officio propter pericula, pag. 330. Papa non prædicat Chriſtum ſed ſeipſum. Quid prædicare Chriſtum, p. 331, 332. In prædicando verbo Dei non tantùm didaſcalicè, ſed & elenchticè agendum. Cur miniſterium brachium Dei magis quàm Magiſtratus aut Medicus, p. 332, 333. Refutare hæreticos & contradicentes. Dogmata Theologica coagmentare cum ſuo principio. Probare dogmata per conſequentias an liceat? p. 334, 335, 336. Admiratio piorum & impiorum differunt. Qui vitam in melius mutant, odium mundi incurrunt. Paulus muros civitatis tranſiliit, an rectè? pag. 337. Propter pericula non decet ſubterfugere neceſſaria officia. Reconciliationem quærere cum iis quos offendiſti neceſſarium eſt. Doctores Eccleſ. debent inter ſe colere communionem ut ſint uniformes in doctrina: p. 338. Suſpiciones quæ licitæ vel illicitæ. Suſpiciones diluere pium opus, p. 339, 340. Decet facilem eſſe ad reconciliationem admittendam. Helleniſtæ qui, p. 340. Diſputationes acerbæ. Pietas in patriam. Unius hoſtis ſublatio ſæpe multum prodeſt Eccleſiæ, p. 341. Pax Eccleſiæ in terris triplex, p. 342, 343. Tempore pacis ædificatur Eccleſia, quomodo? pag. 343, 344. Ambulare in timore Domini & conſolatione Spiritus Sancti, pag. 345. Timere & gaudere poſſumus ſimul. Ambulare in bonis

operibus

operibus proficiſcitur ex timore Dei & conſolatione Spiritus Sancti, p. 345. Deus creaturis utitur quatuor modis. Miniſtrorum cura Eccleſiis perpetuò neceſſaria, pag. 346. Papa non imitatur Petrum, p. 347. Concionatores poſſunt curare morbos quos Medici non poſſunt. Spiritualis paralyſis. Claudo ac impotenti mandatur ut ſurgat, pag. 348, 349. *Dorcas* aptum nomen mulieris, Mulier non poteſt eſſe doctor, & tamen diſcipula. Abnegare ſeipſum, tollere crucem, ſequi Chriſtum, p. 350. Quid plenus bonorum operum? pag. 351. Catalogus bonorum operum, p. 352. Qui imperfecti ſunt, tamen ſunt pleni bonorum operum. Beneficia in pauperes præcipuum bonum opus, p. 353. Differentia inter mortem piorum & impiorum. Ubi fuerit anima *Dorcadis* dum eſſet mortua? pag. 354. Piorum mors ſemper tempeſtiva. Lectio ſuper mortuis. Mortui vivis abominabiles, p. 355. Verbum Dei etiam contra mortem prodeſt. Luctus ſuper mortuis. Bona opera Sanctorum reliquiæ, p. 356. Quæ artem & naturam ſuperant, precibus poſſunt effici. An licitum ſit petere reſuſcitationem amici mortui? De ſoliloquiis cum Deo, p. 357. De genuflexione in precibus. alloqui non eſt abſurdum, pag. 358 Octo exempla eorum qui ex mortuis excitati ſunt, & eorum exemplorum uſus. Credere in Dominum, pag. 359.

CAP. X.

Hactenus teſtimonia, quæ Apoſtoli Chriſto dederunt, & quibus Euangelium ejus propagârunt in urbe Hieroſolyma, itemque extra urbem in Judæa & Samaria, ac locis vicinis, inter Judæos vel proſelytos circumciſos. Capite decimo incipiunt deſcribi illa teſtimonia, quibus Euangelium propagatum eſt ad Ethnicos incircumciſos, cujus rei primum exemplum contigit Cæſareæ Paleſtinæ, ubi Cornelius circumciſus cum familia ſua per Petrum ad Chriſtum converſus eſt.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

Militia & Chriſtianiſmus non pugnant. Cornelius ante Petri adventum fuit regenitus. Pietas ejus habuit quatuor partes, p. 361, 362, 363. Qui potuerit eſſe regenitus, & tamen ſine cognitione Chriſti? p. 364. Tres gradus divini beneplaciti in hominibus. Duplex apparitio, pag. 365. Angeli præſentes in Eccleſia quid agant? Mala conſcientia non poteſt ferre ſplendorem gloriæ divinæ, p, 366. Civilis adoratio & religioſus cultus quid differant? Bona opera hominum dicuntur in cœlum adſcendere, quomodo? p. 367, 368, Bona opera non placant Deum iratum, ſed placent placato. Quæ vis bonorum operum in negotio ſalutis, pag. 369, 370. Magiſtratus non debet in ſe ſuſcipere functiones Eccleſiaſticas. Diluitur argumentum Pontificiorum pro autoritate Papæ, pag. 371. Vocatio miniſtrorum interna & externa, pag. 372. Bono hero non deſunt boni ſervi, pap 373. Converſis Deus non apparet niſi rogatus. pag. 374. Tres ſpecies viſionum. Mactare & comedere homines jubetur Petrus a

Eccleſia

Eccleſia Novi Teſtamenti colligitur ex toto mundo, pag. 375, 376, Homines ante regenerationem ſunt beſtiis ſimiles. Miniſtri has beſtias mactant, p. 377. Reliquiæ Papatus in Euangelicis gravius puniuntur. Qui luſus liciti, pag. 378. Veri miniſtri Euangelii auditorum ſalutem eſuriunt & ſitiunt, p. 379. De ſcrupulis conſcientię, & quo pacto ſciri poteſt quid licitum vel illicitum, p. 380. Purum & impurum triplici modo ſumitur, p. 380, 381. Argumentum pro Deitate Spiritus S. Scriptura quomodo clara, quomodo obſcura, p. 382, 383. qualitates boni ſervi, p, 383. Vir juſtus tripliciter dicitur. Bona fama duplex. Oracula moderna duo, pag. 384. Verba ſalutis. Φιλοξενία quadruplex, p. 385. Apoſtolorum functio ambulatoria, p. 386. De proſperis itineribus. Multi pii carent ſenſu gratiæ. Amare conſanguineos, pag. 387. Diſcrimen inter honorem qui Deo & qui hominibus debetur. Non obliviſcendum quod ſimus homines. Nimia veneratio miniſtrorum prohibenda, p. 388. Fides ſæpe ſyncopen patitur. Videndum quid liceat & quid ædificet, pag. 389. Judæos non ingredi ad Ethnicos conſuetudinis potiùs quàm divinæ inſtitutionis eſt. Impuritas moralis, forenſis, ceremonialis, p. 389, 390, 391. Jejunium partem eſſe cultus divini an natura dictet? pag. 392. Iejunium ſpirituale & corporale, p. 392. Iejuniorum neceſſitas & tempora. Jejunii Papiſtici vitia. Contritis cæteri converſionis gradus promiſſi ſunt, pag. 393, 394. Pii albi & ſplendidi. Miniſtris Euangelii gratitudinem debent auditores. Cum auditu verbi debet eſſe conjuncta intentio obediendi, pag. 395. Miniſtris verbi obediendum cum limitatione. Coram Deo eſſe. Agnitio veritatis confeſſionem parit, pag. 396. Etiam regeniti in rebus religionis errare poſſunt. Sed tamen faciles ſunt in erroribus agnitis confitendis, p. 397. Quid accipere perſonam, Cur de Deo negatur? 398, 399. Gentium vocatio ad quid obliget. Filialis timor Dei habet duas partes. Imperfectus eſt in hac vita. Neceſſarius eſt, p. 401, 402. Quid operari juſtitiam. Qui hoc facit eſt acceptus Deo. Iſraëlitæ legem & Euangelium habuerunt, p. 402, 403. Pax quadruplex, p. 404. Chriſtus pacis auctor propter tres cauſas, p. 305. Signa quod Chriſtum habeas & pacem, p. 406. Chriſtus eſt Dominus propter quatuor cauſas, pag. 406. Eſt Dominus Eccleſiæ propter tres cauſas, p. 407. Quos uſus hoc præbeat, p. 408. Euangelium olim erat prophetia, nunc eſt hiſtoria, p. 408. Cur Chriſtus non egreſſus extra Iudæam? Cur in Galilæa cœpit ſuum miniſterium, p. 409, Baptiſta fuit Miniſter Novi Teſt. Chriſto viam paravit, p. 410. Chriſtus omnium quæ ſcripta ſunt centrum eſt & meta, pag. 411. Ubi prædictum, Chriſtum appellatum iri Nazarenum? Unctio Chriſti quibus in rebus conſiſtat. Cur Spiritu Sancto opus habuerit? p. 412. Chriſtus eſt audiendus, p. 412. Concionatores fixi & obambulantes. Quatuor ſpecies bonorum operum. Beneficentia commendatur, p. 413. Diaboli oppreſſio multiplex. Solus Chriſtus à Diaboli oppreſſionibus liberat, idque tribus modis, pag. 414, 415. Deus eſt cum Chriſto duobus modis, pag. 415. Miſeria eorum qui ſunt ſub poteſtate Diaboli. Ejicere Diabolum per Beelzebub, p. 416, 417. Deus immortalis potuit mori, p. 417. Auctores mortis Chriſti triplices. Communio cum aliorum peccatis. Ingratitudo pro beneficiis, p. 417.

Chriſtus

Chriſtus occiſus eſt & ſponte animam poſuit. Cur Chriſtus crucifixus? 418. Reſurrectio Chriſti debuit fieri manifeſta. Cur Chriſtus poſt reſurrectionem non ambulavit publicè, ſed paucis ſe conſpiciendum dedit? p. 419. Apoſtoli teſtes reſurrectionis ordinati præcipuè cum Chriſto converſati ſunt, p.420. Fundamentum fidei duplex, p.421. Chriſtus poſt reſurrectionem edit ac bibit. Qui cum Chriſto vult edere ac bibere in cœlis, idem prius faciat in terris, & quomodo? p. 422. Prædicatio verbi Dei per vivam vocem eſt res inſtitutionis divinæ, & Eccleſiis ſemper neceſſaria, p.423, 424, 425, 426. Nemo debet publicè concionari niſi vocatur, p.426. Ultimi judicii circumſtantiæ, proprietates & uſus latè tractantur, p.427, 428, 429. Articulus de remiſſione peccatorum diverſis quæſtionibus declaratur, p. 429, 430, 431, 432, 433. Natura fidei juſtificantis integrâ concione enucleatur, p. 434, 435, 436, 437. Converſio hominis conſiſtit in illapſu & influxu Spiritus S. Spiritus S. præcipuè per linguam ſe exſerit. Deum magnificare. Spiritus venit per verbum, p.438, 439. Fideles poſſunt fovere errores. Baptiſmus non juſtificat. Pædobaptiſmus probatur. Veronius refellitur. Cornelius non baptizatus à laico. Regeniti appetunt verbum, p. 440, 441.

CAP. XI.

Hoc Caput duas habet partes; I. Expoſtulationem quorundam ex circumciſione cum Petro ſuper ingreſſu ejus ad incircumciſos. II. Plantationem Eccleſiæ Antiochenæ, Poſtquam enim ingreſſus ad incircumciſos Petri exemplo & apologiâ juſtificatus eſſet illicò quidam viri Cyprienſes & Cyrenei Antiochiam venerunt, & verbum loquuti ſunt Græcis ſeu Ethnicis. quibus poſtea auxilio venerunt Paulus ac Barnabas.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

ANtiſtites Eccleſiæ regunt per modum fratrum. Regeniti gaudent ob incrementum Euangelii, p.442. Aliud audire verbum, p. 443. Eccleſia etiam pura non eſt ſine diſcordiis. Nemo tam bonus ut omnibus placeat. Judicium præceps. p.443. Miniſtri tenentur offenſos placare rationibus. Pii ſunt εὐπειθεῖς, p.444. Miniſtri verbi in applicatione Euangelii ſcrupulos habent, p.445. Apoſtoli & Miniſtri verbi ordinarii in ſubſtantia officii pares ſunt. Credere & ſe convertere diverſa ſunt ſed conjuncta, p.446. Miniſtri operantur per manum Dei, p. 447. Eccleſiæ particulares debent inter ſe communionem colere. Gratia Dei in Eccleſiis eſt viſibilis, p. 448. Chriſtus manet nobiſcum, nos manemus apud Chriſtum, quomodo? p. 449. Vir bonus quis? p. 450. Addi Domino. Frequentes conventus Eccleſiæ ſunt Apoſtolicæ inſtitutionis. Diſcipuli appellati *Chriſtiani* cur? p.450, 451. Prophetarum offi-

(:) (:) (:) (:)   cium

cium duplex. Prophetæ loquuntur per Spiritum & Spiritus per Prophetas, p. 451. Etiam ordinarii Miniſtri verbi loquuntur per Spiritum S. p. 452. Diſcurſus de fame, p. 453. Magiſtratuum peccata cauſa ſunt plagarum epidemicarum. Beneficentiæ cauſæ ac modus, p. 453. Diaconiæ cura quatenus Paſtoribus relicta, p. 455.

Cap. XII.

Hoc Capite eſt Digreſſio quædam Hiſtoriographi, quâ inſerit memorabilem aliquam perſequutionem, quæ eo tempore, quo Antiochiæ Euangelium florebat Eccleſias in Iudæa preſſit. illata per Herodem Agrippam.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

Eccleſiæ pax in terris non eſt diuturna, p. 455. Armare ſe contra perſequutiones quomodo fit? Una calamitas non eſt ſola, quare? Dum una Eccleſia floret, altera affligitur. Quatuor Herodes in Scriptura noti, p. 456. Impii piorum ſuppliciis ſe delectant ut ſpectaculis. Antiſtites Eccleſiæ periculis expoſiti, p. 457. Supplicia ſceleratorum infligentur piis. Eccleſia florens tenetur precari pro afflicta, p. 458. Quomodo Deus adorandus, quomodo Chriſtus? Non eſt orandum pro mortuis. Eccleſia debet orare pro Miniſtris, p. 459. Magnæ & publicæ calamitates non expediendæ ſolis conſiliis politicis ſed precibus. Clandeſtina conventicula contra edicta Magiſtratus quando licita? Preces intenſæ quid? p. 460. Deus auxilia differt in ultimum articulum, p. 461. Securè dormire in periculis quando licitum vel non? 462. Auxilium Dei dormientibus contingit. Angelorum potentia. Monachorum nugæ. Regenerationis emblema duplex. Auxilium per preces impetratum nullâ vi impeditur, p. 463. Certitudo non eſt ſine dubitationibus; Attamen ſubinde firmior & clarior, idque per ſubtractionem externi auxilii, p. 464. Parit gratitudinem. Quid debeamus Angelis pro cuſtodia, p. 465. Eccleſia aliquando plures inimicos habet. Quid agendum in caſibus dubiis? Cur ancillæ nomen conſignatum? Angelus tutelaris. Præſidia piorum multa. Inſaniam exprobrare an liceat? p. 466. Utrum auctor an verò exſequutor perſequutionis ſit damnabilior? Mala deſideria cruciant animum. p. 467. Juſtitia cauſæ non præbet ſolatium ſi non adſit juſtitia perſonæ. Impii judiciis Dei exacerbantur erga homines, p. 468. Impius lytrum juſti. Turbatio conſcientiæ non tollitur per animi diverſiones, p. 469. Tria ſunt quæ conſcientiam reddunt malam. Deus peccatores exitio maturos ante lapſum extollit, p. 470. Adverſitates temporales beatiores ſunt quàm proſperitates. Bellum animi cauſâ gerere non licet, p. 471. Provocationibus iracundis non debemus moveri ſed cedere. Pacem quærere ſemper bonum, modò fiat bono animo. Tyrii quatenus meliores

Gali-

Galilæis? Regna ſæpe non tam regibus parent quàm regum Miniſtris, p.472. Proſperitate ſuperbum fieri grave. Divinos honores affectare vel admittere quot modis fiat? p. 473.

CAP. XIII.

Finitâ digreſſione redit Lucas ad Methodum, pertexens hiſtoriam propagati inter gentes Euangelii, idque ſpecialiter per Miniſterium Pauli: *Miſſis enim cæteris Apoſtolis, ejus ſolummodo vel præcipuè Apoſtoli opus deſcribit, qui Doctor gentium à Deo ſpecialiter declaratus, & cui concreditum erat Euangelium præputii. Hujus Apoſtoli acta Euangeliſta revocat ad quatuor itinera, quæ Paulus Euangelii causâ ex Oriente in Occidentem emenſus eſt. Primum iter voco* iter Aſiaticum, *cujus Egreſſus deſcribitur à cap.* 13. 1. *& cap.* 14. 21. *Regreſſus à cap.* 14. 21. *ad cap.* 15. 36. *Secundum iter voco* iter Græcum, *cujus Egreſſus deſcribitur à cap.* 15. 36. *ad cap.* 18. 18. *Regreſſus à cap.* 18. 18. *ad* 18. 23. *Tertium iter voco* iter Epheſinum, *cujus Egreſſus deſcribitur à cap.* 18. 23. *ad cap.* 20. 3. *Regreſſus à cap.* 20. 3. *ad cap.* 27. 1. *Quartum iter voco* iter Italicum, *quod deſcribitur à cap.* 27. 1. *ad finem libri, & caret regreſſu. Hoc Capite decimo tertio primi itineris Egreſſus incipitur, & poſt hiſtoriam miſſionis narratur quid geſtum ſit in Cypro, Pamphilia, & præcipuè Antiochia in Piſidia.*

Materiæ hoc Capite tractatæ.

BOnam famam apud poſteros habere. Quid obſervandum in tranſlatione Miniſtrorum ab una Eccleſia ad aliam, p.474. Aulici poſſunt eſſe pii. Λειτουργεῖν non eſt Miſſam facere. Spiritus S. etiamnum loquitur, p.475. Vocatio miniſtrorum per Eccleſiam. Miniſterium eſt Opus. Spiritus S. eſt Deus, p.476. Magna opera cum precibus ſuſcipienda, p.477. Abundantia parit luxuriam. Vocatio non fit ſecundum merita. Quid ſit prædicare Verbum Dei? p. 478. Perſequutio veritatis dat occaſionem incrementi, p.479. Difficile eſt ad agnitionem veritatis pervenire, p.480. Nomen *Saulus* quomodo converſum in *Paulus*. Zelus concionatorum contra peccata non eſt contra caritatem. Aſtutia & prudentia quid differant? p.481. Filius Diaboli, & hoſtis omnis juſtitiæ poteſt quis eſſe duobus modis. Pervertere vias Domini quid, p.482. Jeſuitæ hoc faciunt. Vitia Elymæ exprobrata omnibus aliquo modo tribui poſſunt, p.483. Clavis diſciplinæ verbalis & realis, p. 484. Fideles poſſunt in fide & pietate decreſcere, p. 485. Inter Templum & Synagogas differentia. Geſtus in concionibus, p. 486. Septem ingentia beneficia corporalia Iſraëlitis exhibita. Ferre mores hominum, p. 486, 487. Diſtributio terræ inter populos fit divinitus, p.488. Deus pacem hominum bellis turbare ſemper fuit ſolitus, p.489. Homines

malè petunt quod Deus vult fieri. Deus dat in ira. Omnes reges à Deo, p.490. Fideles, etiamſi infirmi, ſunt ſecundum cor Dei. Deus invenit Juſtos. Excitare variè ſumitur. Caro Chriſti debuit originem habere ex ſemine humano, p.491. Servator quid? Corruptæ Synagogæ dogmata, p.492. Chriſtum ex noſtro ſanguine factum eſſe prodeſt. Fides non requirit præſentiam objecti, ſed promiſſio ipſi ſufficit. Johannes prædicavit in facie adventus Chriſti, p.493. Johannes fuit prædicator pœnitentiæ. Baptiſmus obligat ad pœnitentiam. Curſum ſuum abſolvere, p.494. Lex verbum mortis. Euangelium verbum ſalutis. Habet tres partes, p.495. Spiritus S. beneficia. Verbum fide miſcendum, p.496. Abrahami filium ſecundum carnem eſſe etiamnum privilegium eſt. Omnes fideles ſunt filii Abraham, p.497. Timebant Deum qui non noverant Chriſtum. Curſus Euangelii regitur Providentiâ Dei, p.498. Peccatis hominum ſæpe implentur promiſſiones Dei. Ignorantia duplex. Judæis exprobratur aliquid, quod non fecerunt ſed tantùm petierunt, p.499. Deus Chriſtum ſuſcitavit, & Chriſtus ipſe ſurrexit. Patres Vet. Teſtam. non habuerunt nudas promiſſiones, p.500. Cur dictum de æterna generatione Chriſti ex Pſal.2.7. applicetur ad reſurrectionem Chriſti. Quî fiat, quod communio cum Chriſto per fidem ſit tam efficax ad ſalvandum? p.501. Chriſtus corruptionem vidit & non vidit. Sancta Davidis, p.502. (Vide etiam de hoc p.565.b.) Servire conſilio Dei. Sancti obdormiunt & congregantur ad Patres, p.503. Miniſtri non debent ſanare populum per illinitionem ſed per inſtitutionem. Aliqua differentia eſt inter juſtificationem & remiſſionem peccatorum, p.504. quid ſit quod juſtificat, p.505. Fides juſtificans neceſſariò parit pietatem, p.506. Quot modis contemnatur Euangelium, p.507, 508. Euangelium etiam minatur. Incredibiles plagæ. Plagis ſtupeſcere & tabeſcere, p.509. Religio naturalis & ſpiritualis, p.510. Manere in gratia Dei. Verbum non prædicatur fruſtra, Etiam ſine miraculis ædificat. Regeniti non ſatiantur verbi auditu. Qui ad Papatum deficit, non manet in gratia Dei, p.511. Invidere aliis ſpiritualia. Parrheſia communis & ſingularis. Judæis primò Euangelizatum quare? p.512, 513. Seipſum vitâ æterna indignum judicare. Reprobatio non eſt cauſa condemnationis, ſed peccatum, p.514. Chriſtus lux & ſalus. Gaudium ante fidem, gaudium poſt fidem, p.515. Glorificare verbum Dei. Quid credere verbum Dei? Fides non eſt cauſa electionis, ſed electio fidei. Ordinati ad vitam æternam, p.516. Regenitus conatur propagare Euangelium, p.517. Acerrimi religionis hoſtes ſunt, qui naturaliter ſunt religioſi. Excutere pulverem pedum. Chriſtiani gaudent in triſtitia, p.518.

CAP.

CAP. XIV.

Paulus ex Piſidia in Lycaoniam pergit, & Iconii, Lyſtræ ac Derbæ Officium facit, & primi itineris metam figit, à quo per Eccleſias antea plantatas revertitur Antiochiam Syriæ unde egreſſus erat, comite Barnaba.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

NOn eſt amor ſubtrahendus iis, qui nos offendunt injuriis. Verbum omnibus prædicatur. Sacramenta non omnibus adminiſtranda, pag. 519. Ita loquuti ſunt ut multi crederent. Triplex interpretatio hujus phraſeos, p. 520. Infidelitas eſt inobedientia, p. 521. Concitatio populi & Magiſtratus an ſit Miniſtrorum Opus, & an Miniſtri Reformati rei ſint hujus vitii, p. 522, 523. Chriſtiani fratres. Verbum gratiæ. Miracula fiunt per Apoſtolorum manus. Miracula dant teſtimonium verbo gratiæ, pag. 523. Deus etiamnum dat teſtimonium Euangelio. Ex prædicatione Euangelii ſchiſma oritur. An Euangelici rei ſint Schiſmatis? p. 524. Victoria rarò penes pios. Fides communis etiam impetrare poteſt miracula, p. 525. Fides non tantùm æterna ac ſpiritualia, ſed etiam corporalia bona impetrat. Fides noſtra debet poſſe videre. Miracula non ſunt Argumentum Deitatis, ſed divinæ miſſionis, p. 526. Dii deſcendunt in terras, non eſt loquutio à Chriſtianiſmo aliena. Paulus Mercurius, p. 527. Origo, natura & turpitudo Idololatriæ, p. 528. Idololatria non tantum vitanda ſed ſupprimenda. Non omnibus eundem amorem debemus. Omnes pii Apoſtolis pares ſunt duplici reſpectu, p. 529. Vanitas triplex, creata, facta, ficta, & quomodo rebus vanis utamur ſine vanitate. Mandatum converſionis piis eſt Euangelium, p. 530, 531. Deus vivus, Epitheton quod Deo tribuitur quadruplici reſpectu, p. 532. Qui Filium & Spiritum S. negat, non colit Deum vivum. Non eſt vera converſio ad Deum, quæ non eſt conjuncta cum averſione cordis à rebus vanis. Peccatum vivit in piis, & tamen pii non vivunt in peccato. Ad obſervationem legis obligamur & per creationem & per redemptionem, p. 533. Deus ſe non paſſus eſt eſſe ἀμάρτυρον gentibus. An revelatio Dei, gentibus facta, fuerit ſufficiens ad converſionem? Incedere ſuis viis. pag. 534. Mobile vulgus. Apoſtatæ graviſſimi perſequutores. Lapidatio multis fidelibus contigit, p. 535. Deus etiam ob remiſſa peccata caſtigat. Fideles fidelibus etiam cum ſuo periculo ſuppetias ferunt, p. 536. Etſi ſimus in periculo vitæ, tamen non morimur ante horam conſtitutam. Diſcipuli Chriſti efficimur tribus modis, p. 539. Curſus Euangelii non eſt adſtrictus legibus ſicut curſus ſolis. Eccleſia plantata indiget perpetuâ confirmatione, p. 540. Hortationes fidelium ad perſeverantiam in fide neceſſariæ ſunt. Fidelium ſalus neceſſaria eſt, p. 541. Fideles oportet pati tribulationes, p. 542. Antiſtites Eccleſiæ vocantur

caput in corpore, quo ſenſu? Χειροτονία & χειροθεσία differunt, p. 543. Modus legitimæ vocationis ad Miniſterium. Valedictiones abeuntium piæ. Pii Miniſtri quod efficiunt, Deo tribuunt, p. 544. Aperire & claudere januam fidei, p. 545.

CAP. XV.

Paulus, ex primo itinere Antiochiam reverſus, ibique ad tempus commoratus, ab Eccleſia Antiochienſi, ſchiſmate vexatâ, Hieroſolymam mittitur, ut quaſtionem de obſervatione legis Moſaicæ, quæ Antiochienſem Eccleſiam ſciderat, judicio ac deciſioni Apoſtolorum ac Presbyterorum, qui Hieroſolymæ erant, ſubjiceret. Cum ibi pro Paulo, & qui cum ipſo ſentiebant, eſſet pronunciatum, Paulus Antiochiam revertitur, & cum ad tempus ibi quieviſſet, ſecundum iter verſus Occidentem aggreditur Silâ comite.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

INquiſitio de via ſalutis neceſſaria eſt. Sed indiget manuductione Doctorum, pag. 545. Certat Eccleſia cum hoſtibus externis & internis. Tempore Apoſtolorum jam tum erant triplices Hæretici in Eccleſia, pag. 546. Controverſia, contra quam in Synodo Hieroſolymitana deciſum eſt, eſt ea ipſa, quam hodie Pontificii defendunt. Vehemens contentio pro doctrina in ſervis Dei laudanda duplici cum cautione, p. 547. Membra Eccleſiæ decet ſe ſubmittere unanimi conſenſui piorum Doctorum. Attamen cum probatione doctrinæ, p. 548. Populus non tam caret judicio, quin poſſit & debeat dogmata Paſtorum ſuorum probare. Paulus & Barnabas Apoſtoli Apoſtolorum & Presbyterorum judicio ſe ſubjiciunt, p. 549. Pugna pro fama debet eſſe moderata. Eccleſia Paſtores non debet deſerere in periculis, pag. 550. Quatenus Eccleſia ſit ſub poteſtate Magiſtratus Politici? Vehemens contentio quatenus ſit Theologica? p. 551. Per os Doctorum credunt auditores, p. 552. Deus in omnibus noſtris actionibus cor reſpicit. Spiritus eſt teſtis noſtræ ſalutis, p. 553. Ceremoniarum uſus olim Judæos reddebat puros, nunc impuros. Ceremoniarum neglectus olim gentes reddebat impuros, nunc non, quare? p. 554. Purgatio cordis tribuitur Deo & fidei, & ſanguini Chriſti. Fides cor purgat tribus modis, pag. 555. Lex jugum importabile, quare? p. 556, 557. Tentationum quatuor ſpecies, p. 557. In vera fide debet eſſe fiducia particularis. Et præter hanc applicatio & apprehenſio Chriſti, p. 558. Patres V. T. per fidem in gratiam Chriſti ſervati ſunt, p. 559. Deus nomini ſuo ſumit populum, p. 560. Explicatur dictum Amos 9. 11, 12. Præſcientia Dei oritur ex decreto Dei. Uſus, pag. 561. Apoſtolorum ſuffragia ſunt ſententiæ definitivæ. Qui juſtificationem per legem docent, conſcientias turbant ac deſtruunt, p. 562, 563. Chriſtiana libertas, & propriæ ſalutis certitudo non eſt uſurpanda

panda cum ſcandalo infirmorum, p.563. Abſtinere ad Idolothytis, ſcortatione, ſuffocato & ſanguine quare & quatenus neceſſarium? p.564, 565. Antiſtites Eccleſiæ non planè debent negligere deſideria & conſilia populi. Animi commoti non ſedantur niſi per prudentiam, p.566. Salutatio & valedictio. Turbat Eccleſiam qui docet extra Scripturam. Animam dare pro Chriſto. Viſum eſt Spiritui S. & nobis, p.567. Ab indifferentibus abſtinere ſæpe eſt neceſſe. Uſus conciliorum, p.568. Quem non ſtimulat cura ut Eccleſia bene habeat, non eſt bonus Paſtor. Diſſidium Pauli & Barnabæ trium graduum, pag. 569. Deſerere bonum cœptum res odioſa, p.570. Ne ſanctiſſimi quidem ſine nævis & lapſibus. Præcipua Sanctorum imperfectio, quod ab ira injuſta non ſunt immunes, p.571.

CAP. XVI.

In ſecundo itinere Paulus, Antiochiâ egreſſus, viſitat Eccleſias Aſia, primo itinere plantatas, iiſque in fide confirmatis conatur in cæteris Aſiæ Provinciis, quas primo itinere non attigerat, Euangelium prædicare & Eccleſias plantare, ſed impeditur à Spiritu S. & in Europam vocatur. Eò cum transfretâſſet, Philippos Macedoniæ defertur, ubi multa præclara egit, & gravia paſſus eſt.

Materiæ hoc Capite tractatæ.

Miniſtris in verbo laborantibus Eccleſia debet apprecari auxilium Dei, pag.572. Quatuor morbi Eccleſiæ. Pietas parentum filiis præbet duplex beneficium. Bonum teſtimonium habere. Ædificationi Eccleſiæ neceſſaria eſt cura Scholarum, p.573. Timotheus circumciſus. Res neceſſariæ aliquando non neceſſariæ, & contrà Eccleſia ſemper creſcit. Paulus impeditus in officio, p.574. Quot modis & propter quas cauſas Spiritus eum impedivit. Curſum Euangelii Deus non impedivit. Paulus non peccat, dum vult quod Deus non vult, p.575. Defectus vocationis non excuſat infidelitatem. Datur aliquod deſiderium vocationis ante vocationem. Alloquia Dei ad Apoſtolos ſemper habuerunt claros characteres divinitatis, p.576. Græcorum vita nobis cavenda. Quod Deus promiſit, noſtrâ curâ noſtroque labore obtinendum eſt, p.577. Omnes artes licitæ, quæ non ſunt vanæ. Directiones conſcientiæ circa veſtitum, p. 578. Non omnes Religioſi ſunt pii. Auditus verbi antecedit converſionem. Aperitio cordis triplex. Regeniti poſſunt aperire ſuum cor, p.579. Tres inſeparabiles proprietates veræ fidei. Spiritus fatidicus vel veridicus quis? pag.580. Curioſitas Ethnicorum in indagandis rebus futuris. Diabolus hanc curioſitatem explevit variis modis. Apoſtolorum tempore Synagogæ Judæorum adhuc erant Eccleſiæ Dei, p.581. Diabolus laudat pios ob duas cauſas. Pii ne laudari

laudari quidem ſuſtinent à Diabolo. Sathan ceſſit mandatis Apoſtolorum aliter quàm cedit mandatis exorciſtarum, p.582. Pii habent poteſtatem in Sathanam. Miniſtri Euangelii bellatores. Cupiditas lucri homines alienos reddit ab Euangelio, p.583. Hæc eadem cauſa eſt, quod Papicolæ noſtræ reformationi tam infenſi ſunt, p.584. Afflictiones ignominioſæ in filiis Dei non ſunt tales. Septem vitia Papiſticarum precum, præſertim horarum Canonicarum, p.585. Cantare in triſtitia laudabile eſt. In converſione commentarienſis quatuor gradus. Deſperatio in ſeipſo primus gradus converſionis, p.586. Deſperatio in Deo cauſæ αὐτοφονίας. Autophonia duplex, alia ex animi elatione, alia ex animi depreſſione. Nulla Autophonia licita eſt, p.587. Aliqua tamen ſpem veniæ habet. Autophonia non oritur ex ſeveris peccatorum reprehenſionibus, nec prævenitur per licentiam vitæ, p.588. Terror frangit ſed non mutat cor. Sibi ipſi malum facere homo ſæpe tenetur, ſed non ſibi nocere, p.589. Fides non tantùm bonos fructus fert, ſed etiam ex bono & ad pietatem præparato corde proficiſcitur. Contritio ſine fide non ſervat. Credere ſuper Chriſtum. Fides Patrisfamilias ſervat familiam. Uſus Baptiſmi. Fides parit gratitudinem, p.590. Fideles non tam de ſalute quàm de converſione gaudent. Tegere peccata agnita non eſt pœnitentia. Injuriæ contra proximum peccata contra Deum, p.591. Ad veram pœnitentiam requiritur placatio proximi læſi. Impiis datur agnitio peccati, non ut ſe convertant, ſed ut non noceant piis, pag.592. Cura bonæ famæ quouſque licita vel illicita, p.593. Magiſtratus non eſt exlex. Quid ſolatium? p.593.

COM-

COMMENTARIUS
PRACTICUS
In Acta Apoſtolorum,
Per LUCAM EUANGELISTAM deſcripta.

Actor. Cap. 1. *verſ.* 1. 2.

CONCIO I.

NEMO poteſt verè delectari Dei mandatis, nec metuere Dei comminationes, nec ſolatium haurire ex Dei promiſſis niſi benè inſtitutus ſit de eſſentia & operibus ejus. Cognitio enim eſſentiæ & operum Dei eſt fundamentum omnis timoris, fiduciæ, obedientiæ, & cæterarum cultus partium: & qui non credit Deum eſſe omnipotentem, omniſcium, perfectè bonum, & juſtum, & miſericordem, qui neſcit quid Deus ſit, & quid nobis & pro nobis fecerit, ille nullâ ope poterit diſponi, ut animitus & conſtanter Deum revereatur, Deo fidat & obediat. *Scientes terrorem Domini*. i. e. quàm terribilis ſit Dominus, *perſuademus homines* 2. Cor. 5. 11. *Scio quis ſit in quem credidi*, 2. Tim. 1. 12. Hinc Deus præceptis ſuæ legis tanquam fundamentum ſubſternit hiſtoriam ſeu Deſcriptionem ſuæ eſſentiæ ſuorumque operum, ut videre eſt præcepto primo, ſecundo, quarto. Quicunque igitur cupit verus Dei cultor exiſtere, diſcat eſſentiam & magnalia facta Dei noſſe

Nobis nunc animus non eſt eſſentiam Dei ejuſque attributa & perſonas, quod paſſim in concionibus noſtris facimus, vobis deſcribere, ſed elegimus partem hiſtoriæ ſacræ de Dei factis & operibus, quæ lucent in plantatione Eccleſiæ N. T.

Hiſtoria eſt deſcriptio operum & factorum, quæ Deus in tempore produxit, fecit, aut fieri ſivit. (gewercht/ gedaen/ of laten geſchieden.)

Hiſtoria dividitur in ſacram & profanam.

Hiſtoria ſacra eſt deſcriptio operum & factorum Dei, quatenus ſunt fundamentum & cauſa religionis, ut homines ſint ſapientes ad cultum.

Hiſtoria profana eſt deſcriptio operum & factorum Dei, quatenus pertinent ad adminiſtrationem œconomiæ & politiæ, ut homines ſint inſtructi ad vitæ naturalis commoda promovenda.

Ex ſuggeſtu non proponimus hiſtorias profanas, ſed ſacras, quæ ad ſpiritualem ædificationem pertinent.

Hiſtoria ſacra, quam ex ſuggeſtu Eccleſiaſtico populo ſolemus proponere ad ſpiritualem ædificationem, duo capita complectitur. 1. Creationem Mundi. 2. Plantationem & gubernationem Eccleſiæ.

Hiſtoria Creationis, ſeu deſcriptio operum, quæ Deus creavit, non parum pertinet ad Religionem & ſpiritualem ædificationem. Illa enim annunciat gloriam Domini, & enarrat opera manuum ipſius, Pſal. 19. 2. In illis pervidentur τὰ ἀόρατα θεοῦ, &c. Rom. 1. 20. 21. Hæc ſunt calcaria ad quærendum Deum, Actor. 17. 26, 27.

Præcipuè tamen ad ſpiritualem ædificationem neceſſaria eſt hiſtoria de plantatione, propagatione & gubernatione Eccleſiæ, quæ exponit quomodo ſibi Deus ex creatis angelis & hominibus erexerit & cuſtodiverit Eccleſiam, quam ad æternam gloriam traduceret, & in æterna ſui communione cuſtodiret, cæteris in libertate arbitrii ſui relictis, qui viis ſui incedentes, ſe ipſos ſub juſtum condemnationis judicium præcipitarent.

De Angelica Eccleſia nunc non loquimur, ſed de Eccleſia quam Deus ſibi erexit ex condito genere humano.

Hiſtoria hujus Eccleſiæ habet tres partes. Eſt enim magna ex parte in gubernatione Eccleſiæ, ſicut res ſe habet in generatione frugum. In qua 1. ſemen in terram cadit, moritur, ac corrumpitur. 2. per pluviam fœcundatur & vivificatur. 3. per ſolem & ejus radios excitatur & evocatur ut creſcat. Sic Deus 1. Eccleſiam electam unà cum toto genere humano ſivit ſuâ culpâ ruere in mortem, 2. ſuper hoc mortuum humanum genus fecit cadere rorem & pluviam ſanguinis Chriſti, per quam vivificata eſt Eccleſia. 3. Effuſâ ſanguinis pluviâ oriri fecit ſolem Spiritus ſancti, cujus vi Eccleſia effloruit, & conſpicua facta eſt, in mundo.

Corruptio Eccleſiæ facta eſt paulò poſt ipſam mundi & hominis creationem per peccatum primorum hominum. Vivificatio & fœcundatio Eccleſiæ facta eſt per ſanguinem Ieſu Chriſti effuſum, & contigit circa annum Mundi quater milleſimum. Ortus Eccleſiæ factus eſt, & initium habuit per effuſionem Spiritus ſancti paulò poſt mortem & reſurrectionem Chriſti.

Quærat aliquis: Quid igitur fuit quater mille anni inter corruptionem Eccleſiæ, & apparitionem Chriſti ac effuſionem Spiritus ſancti? an tum nulla fuit Eccleſia? Reſp. Fuit, ſed in parvis initiis, vi iſtius vivificationis, quæ ſuo tempore per Chriſtum futura erat, in præludium iſtius ortus Eccleſiæ qui futurus erat poſt effuſum Chriſti ſanguinem & poſt effuſionem Spiritus S. Sicut vi ſolis, propediem oriundi, in terra diluculum, ſeu aliquid diei lucidæ eſt, etiam Sole nondum orto, tanquam prænuncium, & præludium futuri diei, ita vi futuræ effuſionis aliquod Eccleſiæ initium erat in mundo, etiam ſanguine Chriſti nondum effuſo. Interim verus ille & plenus ortus Eccleſiæ, demum cœpit per effuſum ſanguinem Chriſti, & Spiritum S. Et hic ille ortus Eccleſiæ, qui in hoc libro initialiter, quouſque Spiritui S. viſum eſt, deſcribitur; quem ideo declarandum ſumimus, quia & hiſtorias continet ad ædificationem valde neceſſarias, & præſertim tam inſignes rerum ſpiritualium expreſſiones habet, quales vix in ullo alio libro Biblico invenias.

Autorem libri eſſe Spiritum S. patet iiſdem argumentis, quibus de cæterorum auctoritate conſtat. ſc. 1. teſtimonio Eccleſiæ, non Romanæ, ſed Catholicæ, adeo ut nunquam de ejus autboritate dubitatum ſit. 2. præſertim ex materia verè Divina, & modo loquendi diviniſſimo, nullis profanis auctoribus uſitato, ut patebit in explicatione.

Inſtrumentum, per quod, eſt Lucas, Medicus, ut appellatur Coloſſ. 4. 14. quod patet ex Teſtimonio antiquorum, nec non ex genere dictionis, & præcipuè, quia eidem Teophilo inſcribitur, cui Lucas Euangelium ſuum inſcripſit.

Doctrina. Nullum vitæ genus quenquam excludit ex Regno cœlorum, ſive ſit Medicus, ſive piſcator, ſive publicanus, ſive philoſophus, ſive miles, ſive aulicus, ſive ſervus, ſive dominus, &c. Chriſtianiſmus non tollit ſtatus hujus vitæ, ſed ex omni populo Deo grati ſunt, qui operantur juſtitiam & Deum timent, Actor. 10. 35. Non opus eſt quis vocationem abjiciat, & fiat Monachus, ſi velit acceptus eſſe Domino, 1. Cor 7. 21. 22. 1. Cor. 12. v. 13. Col. 3. v. 11. Chriſtianiſmus, & vocatio, non debent ſeparari, nec Chriſtianiſmus debet eſſe cauſa detrectandi laborem vocationis, nec labor vocationis debet impedire Chriſtianiſmum, quorum utrumque ſolenne eſt hominibus male feriatis.

2. Quæri hic poſſit, an externa vocatio Mechanica & manuaria poſſit conſiſtere cum vocatione paſtorali? Lucas fuit medicus, Paulus tabernacula confecit: an igitur opificibus licet fungi officio Paſtoris, vel Paſtori licet exercere opificium mundanum? Reſp. 1. Nemini licet Paſtoris obire munus, niſi qui vocatus eſt & miſſus, Hebr. 5. 1. Non ſufficit habere dona, ſed requiritur etiam vocatio. 2. Qui vocatus eſt, tempore quidem neceſſitatis, exemplo Pauli, potius labore manuum debet victum quærere, quàm Eccleſiis eſſe oneri, Actor. 18. 3. & 20. 34. & 1. Cor. 4. 12. Interim tamen ordinatum eſt à Domino, ut, ſi fieri poſſit, qui altari ſervit, ex altari vivat. 1. Cor. 9. 6. 7. & cum miniſtri hoc aliquomodo habere poſſunt, rectè faciunt, ſi obſervant illud 2. Tim. 2. 4.

Inſcribitur autem hic liber Theophilo, ſicut & Euangelium Lucæ. Dupliciter hoc ſolet accipi.

1. Ut nomen proprium alicujus hominis & Primarii viri, cui hic liber inſcribitur. Etſi enim omnibus Chriſtianis ſcripti ſint libri ſacri, tamen multi eorum dedicantur certis perſonis, ſine dubio non ut nummos emendicarent Apoſtoli, ſed ut per eos tanto melius innoteſcerent libri. 2. Ut nomen appellativum, deſignans omnes bonos Chriſtianos, ſeu amicos Dei. Nam amicis Dei propriè inſcribuntur libri ſacri, in ſignum familiaritatis,

tatis

tis, quam Deus cum talibus vult colere. Sicut amicus [illegible] abſentem literis ſolet inviſere, ita Chriſtus à terra abſens, amicis tamen ſuis literas [illegible] ex cœlo quas legant. En graviſſima cauſa libenter legendi hos libros, quia veniunt ab amico Deo, ad amicum Dei. Sicut ſponſæ nihil gratius eſſe poteſt, quàm literæ ab abſente ſponſo, ita, ſi verè [illegible]us amici Dei, quid gratius nobis eſſe poteſt, [illegible] à Domino ex cœlo?

Antequam autem Lucas accedit ad materiam hujus [illegible], præmittit præfatiunculam, quâ hunc librum cum priori ſuo connectens, indicat, quid in [illegible] ſcripſerit, & quid hoc libro porrò ſcripturus [illegible]. Hoc ipſo vult indicare diligentiam in officio, [illegible] non contentus aliquid feciſſe in uſum Ecclesiæ Chriſti, porrò aliquid ſibi faciendum judicet. N[illegible] decet benè incipere & deinde fatigari, ſed ad finem [illegible] fidelem eſſe, 2. Pet 1. 13. Ne dicamus, [illegible] jam laboravi, etiam alii aliquid agant. Multi [illegible]tores in juventute benè laborant, in ſenectute, nulla præſente neceſſitate, prætextu ſatis acti, [illegible], & Eccleſiæ ſunt ſcandalo. Dicit autem, ſe [illegible] de iis ſcripſiſſe, quæ Chriſtus fecerit & [illegible], nunc ſe de actis Apoſtolorum ſcripturum. [illegible] hîc notanda. E. g.

1 Cur dicit ſe omnia ſcripſiſſe, quæ Jeſus fecit [illegible]? quomodo hoc convenit cum Joh. 21: 25? [illegible] Non dicit ſe ſcripſiſſe omnia, ſed ſcripſiſſe de [illegible]. Hæc eſt vera natura Theologiæ, quod [illegible] de omnibus Dei operibus aliquid, quantum, [illegible] ad ſpiritualem ædificationem. Non cu[illegible] omnia ſubtiliter enarrat, ſicut fit in Scholis [illegible]cis, ſed de ſingulis tantum dicit, quantum [illegible]ritualem ædificationem ſufficit. Et hæc eſt ſuf[illegible] ſcripturæ, quam credimus, contra Pontifi[illegible] [illegible]us omnia in ſcripturis eſſe, ſed de [illegible], quod ad ſalutem ſufficit.

2 [illegible] ad duo capita revocat, quod priori li[illegible] ſcripſerat. *Facta & dicta Chriſti.* [illegible] tantum intelligit, quod ipſe egit, ſed [illegible]it, & quod paſſus eſt; quamvis [illegible] facta Chriſti, quia [illegible], dici poteſt feciſſe, dum [illegible]m ad ea raptus, atque tractus eſt, *ſed* [illegible] ſubiit & ſuſcepit. Sponte conce[illegible] eſt. Per dicta, intelliguntur e[illegible] iſtaque dicta, Matth. cap. 5. [illegible] 13 [illegible] 14. 15. 16. & alia. [illegible] Paſtorum non tantum eſt docere, ſed & facere quæ docent, & vita exprimere, ut factis quoque doceant. Chriſti enim vita & in dicendo & in faciendo poſita erat. Vide Matth 23. 2. 3 Matt. 5. 19. Nec ſolum Paſtoribus hoc dictum, ſed omnibus Chriſtianis. Jac. 2. 12. Non ſecundum dicta, ſed ſecundum opera judicabimur, Matth. 12. 36. 25. 40. Non quia bene dixeris, ſed quia bene feceris, ſalvaberis, Jacob. 2. 24. qu. 3. Cur indicat ſe nunc de Actis Apoſtolorum ſcripturum, cum tantum de aliquibus Apoſtolis ſcribat, nec omnia eorum acta? Cur nihil ſcribit de Thoma, Bartholomæo, Andrea, &c. deque eorum profectionibus in Indiam, Galliam, Germaniam, deque eorum morte, &c. Reſp. 1. Quia voluit ea ſcribere, quorum fuit αὐτόπτης. 2. Quia Spiritui S. viſum non eſt plura ſcribi, quàm nobis ad ædificationem opus erat. In iis quæ ſcripta ſunt, nos diligenter exerceamus, de cæteris ne ſimus curioſi.

Act. 1. v. 3.

Concio II.

Scopus Lucæ hoc libro eſt, deſcribere, quomodo Apoſtoli ſuum officium executi ſint, & Eccleſiam Chriſti propagaverint atque rexerint poſt aſcenſionem Chriſti in cœlum. Antequam ad hanc rem accedat, præmittit præfationem, quâ ſummam prioris ſui ſcripti repetit, quod ſcripſerat de vita Chriſti in terris: ſpecialiter & præcipuè ea, quæ circa finem vitæ Chriſti contigerant, & cum materia hujus ſecundi libri cohærent, nonnihil accuratius perſequitur, quàm priori ſcripto fecerat.

Duo itaque ſunt, quæ Euangeliſta in hac præfatione, ex priori ſuo ſcripto repetit. 1. Brevem ſummam totius vitæ Chriſti in terris, ante mortem & reſurrectionem. *Per Spiritum S. præcepta dedit Apoſtolis, quos elegerat*, verſ. 2. 11. Brevem ſummam vitæ Chriſti in terris poſt mortem & reſurrectionem, à v. 2. ad v. 12.

De Primo.

IN eo poſita fuit tota Chriſti vita Prophetica in terris, quod Apoſtolos elegit, quibus per Spiritum S. præcepta dedit. Chriſtus non hoc præcipuè egit in terris, ut Eccleſiam Novi Teſtamenti colligeret, ſed ut ſervos aliquos colligeret, & inſtrueret; qui ejus nomine poſt ipſius è terris exceſſum Eccleſiam erigerent, plantarent & gubernarent. Hinc non egreſſus eſt fines terræ Iſrael. In ipſa Judæa quidem, unum atque alterum ad ſui cognitionem perduxit,

duxit, ſed tamen formatam, & à Synagoga Judaica ſeparatam, Eccleſiam, non erexit, verum hoc Apoſtolis poſt ſe reliquit, atque ita implevit illud Joh. 14. 12. Nunquam de Chriſto legimus, quod una hora tria hominum millia converterit, ſicut Petrus, Actor. 2. Quod integras provincias ad fidem converterit, ſicut Paulus, & uno momento multis linguis loqui didicerit, ſicut Apoſtoli, &c. Majora igitur fecerunt Apoſtoli, quam ipſe Chriſtus. Mirabile bonitatis argumentum, quod plus voluit benedicere labori Apoſtolorum, quàm ipſe operari, ut diſcant omnes ſervi Chriſti, nullum opus tam arduum eſſe, quin Chriſtus ſit daturus vires, etiam impotentibus, modò ſincerè agant.

Itaque vita Chriſti in terris in eo fuit occupata præcipuè, ut *Apoſtolos eligeret, eiſque per Spiritum ſanctum præcepta daret.* Tanquam doctor ſupremus & Academicus in paſtoribus formandis fuit occupatus, qui deinde Eccleſias docerent. *Nota.*

I. Quid Apoſtolus? & quomodo differt ab Euangeliſta, Doctore, Paſtore, Diacono, Seniore, Prophetâ, Sacerdote, Levitâ, Epiſcopo? Reſp. Non eſt nomen dignitatis, ſicut Cardinalis à latere, Nuncius Apoſtolicus. Tales fucos Chriſtus in Eccleſia non inſtituit. Sed eſt nomen officii, quales erant miniſtri Veteris Eccleſiæ, ſacerdotes, prophetæ, Levitæ, &c. Sicut Rex in Regno habet ſuos officiarios, ſicut Paterfamilias ſuos ſervos, quibus Regnum regitur, & Domus adminiſtratur; Ita Chriſtus inſtituit & eligit ſibi ſervos, per quos Eccleſia, domus Dei, docetur & regitur. Sunt autem iſti ſervi, vel miniſtri, vel officiarii Chriſti diverſorum officiorum, ut videre eſt 1. Cor. 12. 28. Eph. 4. 11. Rom. 12. 5. 1. Primi ſunt Apoſtoli; qui à Chriſto ipſo vocati non poterant errare in doctrina, miſſi in univerſum orbem, ad Eccleſias plantandas. Juxta hos erant 2. Prophetæ, qui habebant dona prædicendi futura & interpretandi ſcripturas, & alii extraordinarii, qui habebant dona linguarum & miraculorum. 3. Erant quoque Euangeliſtæ; Apoſtolorum comites & adminiſtri. Juxta hos erant 4. Doctores & Paſtores, qui ordinariè vocati ad explicandam ſcripturam, redarguendos hæreticos, paſcendum diſciplinâ unam aliquam particularem Eccleſiam cui erant præfecti. Cum his erant 5. Rectores 1. Cor. 12. 28. Itemque 6. Diaconi, Actor. 6.

II. Apoſtolus dicitur *elegiſſe.* Qui non erant, per electionem Chriſti facti ſunt, quam *ſeparationem* alioquin vocant. Triplex eſt ſeparatio ſeu electio & diſcretio hominum, quæ fit à Deo. 1. Una ante tempus ad fidem & ſalutem, de qua Eph. 1. Rom. 9. &c. 2. Duæ in tempore, quarum prior eſt vocatio ad Eccleſiam, Joh. 15. 19. Poſterior ad officium, Actor. 15. 7. 3. Una poſt tempus, de qua Matth. 25. 32. Hic agitur de Electione ad officium Eccleſiaſticum, & docetur, neminem poſſe gerere officium in Eccleſia niſi ad hoc ſit ab ipſo Chriſto electus. Sicut Chriſtus ad officium ſuum electus eſt à Deo, Eſa. 42. 1, 1. Pet. 1. 20. Ita nec homines officium in Eccleſia capeſſant, niſi electi. Sicut nemo Princeps fert miniſtrum quem non eligit, ita &c. Refutantur igitur, qui negant officia Eccleſiaſtica eſſe à Deo inſtituta ut ſingularia officia, ſed communia opera caritatis, quæ quivis poſſit præſtare, ſi habeat dona. Licet cuivis ſua dona impendere ad ædificationem proximi, ſed non omnes ſunt electa vaſa, Actor 9. Sicut Rex habet multos ſubditos, ſed non omnes ſubditi ſunt aulici, ita omnia membra Eccleſiæ ſunt ſubditi regni Chriſti, ſed non omnes ſunt officiarii iſtius regni. Interim fateor, præcipuum eſſe, ſi quis in Regno Chriſti ſit electus ſubditus, etſi non ſit miniſter. Eſt quidem egregium, ſi quis non tantum eſt ſubditus, ſed etiam inſtrumentum, bonis donis præditum & benedictum; ſed interim in eo non eſt poſita ſalus, Luc. 10. 20.

III. Electis Apoſtolis ἐνετείλατο: Inſtruxit, informavit. Sicut Profeſſores inſtruunt ſuos diſcipulos, ſicut Princeps legatis ſuis dat inſtructiones, ſecundum quas officio fungi debent, ita Chriſtus præcepta dedit Apoſtolis. Duplicia autem præcepta dedit diſcipulis.

1. Præcepta *benè vivendi.* Nemo poteſt eſſe bonus Apoſtolus, niſi ſit bonus Chriſtianus, nemo bonus officiarius, niſi bonus ſubditus. Itaque inſtruxit eos in myſteriis fidei & pietatis, ut paſſim legere eſt, Matth. 5.

2. Præcepta *benè docendi.* Sic Matth. 10. v. 5, 6. &c. Hinc Apoſtoli paſſim gloriantur, ſe à Domino accepiſſe, & αὐτόπτας fuiſſe, 1. Joh. 1. 1. quod commendat authoritatem Doctrinæ Apoſtolicæ, 1 Cor. 11. 1. à Domino accepi, Dominum ipſum Præceptorem habui. Tantò libentius legamus ſcripturas.

IV. Inſtruxit *per Spiritum S.* Diverſimodè hoc interpretantur Theologi.

1. Alii referunt ad vocem *elegerat.* q. d. Elegit Apoſtolos per Spiritum S. Non malè. Nam ſicut Pater miſit Filium, ita Filius mittit Spiritum S. & Spiritus S. vocat, ſeu mittit Epiſcopos, Actor. 20.

2. Alii

2. A[illegible] verbum ἐντειλάμενος. Docuit per S[illegible] [illegible]tantum externo verbo, ſed po[illegible] Spiritus S. Vide Matth. 7.29. Erat [illegible] [illegible]te Spiritus ſupra menſuram, Jo[illegible] 3 [illegible] uſus eſt non ſolum ad benè vi[illegible] agendum, ſed etiam ad efficaciter [illegible] Hinc dicitur non aquâ ſolum, ſed [illegible], Matth. 3. Et hanc efficaciam etiam [illegible] Miniſtris N. T. Hinc afflavit Apo[illegible] Hinc omnes Miniſtri N. T. vocan[illegible] [illegible]rx, ſed Spiritus, 2. Cor. 3. Ro[illegible]tur Deum, ut tales vobis det Miniſtros, qui [illegible] per Sp[illegible] S vos docere. Nam aures ve[illegible], quàm ut noſtris verbis poſſint [illegible] [illegible] ſenſus externus deficiet, Doctor ille [illegible] revo[illegible]bit in memoriam quæ ab ex[illegible]bus didiciſtis.

Act. 1. v. 3.

Concio III.

Si [illegible], qui profiteretur artem regendi cœ[illegible] [illegible]a hominum, ita ut nimis æſtuoſum po[illegible], nimis frigidum calefacere, nimis [illegible] tranquillare, &c. quanti hanc artem [illegible]es? Hæc verò illa ipſa ars, quam [illegible] Euangelii. Poſſumus hoc, non [illegible]ter, ut ſtatim cogamini fateri, [illegible], ut tandem cogamini agnoſcere. [illegible] hoc? Regendo cœlum Microcoſmi, i.e. [illegible]m flectendo ſub voluntatem ejus [illegible] omnes cœlos. Sicut mundus compoſi[illegible] cœlo & terra, ita homo ex anima & corpore. [illegible] Phy[illegible] multa diſſerunt de influxu cœli [illegible] hominum, ut ſecundum cœli motus & [illegible]raciones ſuas patiantur, ita animæ [illegible] & influunt in cœlum & terram, ut [illegible] dependeant ac patiantur ab a[illegible]. Sic anima Adæ & Evæ totam [illegible] mutavit & deformavit. Sic a[illegible] in primo mundo ſuis peccatis ca[illegible]uſerunt. Sic Joſua ſolem fecit ſtare: [illegible]s ſuis cœlum clauſit & recluſit, [illegible] cadere fecit. Sic Eccleſia læto ani[illegible]m cœli ac terræ, ne per illam tur[illegible], Pſal 46. Sed quid agendum Mini[illegible] ut an[illegible] hominum faciant poten[illegible] & ſuſtinendam cœli terræque [illegible] Reſp. Non aliud quam animas ſub[illegible], quod eſt ſupra omnes cœlos. Si quis eſſet ſupra nubes, tempeſtatibus non turbaretur. Sic ſi cujus anima evecta eſt ſupra omnes cœlos in regnum Dei, quod ſupra eſt, ille dominatur cœlo terræque, omniaque ſubdita habet ſuis pedibus, Pſal. 8. Eſt ſicut mulier, quæ ſolem habet ſub pedibus, Apoc. 12. Partim enim ita gratus & amicus Deo eſt, ut Deus cœlum atque terram regat ad ejus deſiderium, partim etiam ita perfuſus eſt cœleſtis gaudii certificatione & præguſtu, ut motus omnes & turbas cœli terræque contemnat, Pſal. 46. 3. Pſal. 73. 25, 26.

At enim quomodo Miniſtri poſſunt animas hominum in cœlos & in Regnum Dei ſubvehere? Reſp. Si Regnum Dei inducant in animas hominum, Luc. 17. 21. Habent enim verbum & myſteria Regni cœlorum, Matth. 3. 23. & 13. per quæ animas noſtras regenerant, ut fiamus filii regni.

Occaſio hujus meæ meditationis ſunt verba textus prælecti, quibus ſignificatur, quod Chriſtus diſcipulos ſuos propediem deſerturus, & in cœlum adſcenſurus, eos prius inſtruxerit de iis, quæ pertinent ad Regnum Dei, ut poſt Chriſti adſcenſionem in terris ſub cœlo relicti, cœli terræque motus ac tempeſtates ſuperare poſſent, meditatione regni illius cœleſtis, quod Chriſtus ipſis pepererat, & alios quoque homines ad iſtam Chriſtianam magnanimitatem adducere.

Lucas in hac præfatione duo deſcribit:

1. Quid Chriſtus præcipuè egerit ante mortem ſuam. Hoc ſummatim deſcribit: *Elegit Apoſtolos, eoſque docuit per Spiritum S.* Hoc nuper explicatum.

2. Quid egerit poſt reſurrectionem quadraginta illis diebus, antequam in cœlos aſcendit.

De hoc Euangeliſta hæc ſequentia deſcribit.

1. Quod multis apparitionibus & ſignis reſurrectionem ſuam ex mortuis diſcipulis ſuis confirmaverit. Hic enim unus ex præcipuis finibus, cur per 40. dies in terris manſit.

2. Quod diſcipulos inſtruxerit de iis, quæ pertinebant ad Regnum Dei.

3 Quod prædixerit inſtantem effuſionem Spiritus S. eoque fine mandatum dederit, ut Hieroſolymis manerent.

4. Lucas addit deſcriptionem particularis alicujus colloquii de tempore regni Dei erigendi.

5. Tandem deſcribit modum aſcenſionis. De primo nolumus multa dicere, quia eſt materia, quæ ſingulis annis in Paſchatis feſto tractatur. Poſtulat igitur ordo, ut dicamus de ſecundo, videlicet

de ſermone Chriſti circa res pertinentes ad regnum Dei. Optandum foret, nos habere iſtas conciones Chriſti, quas de regno Dei habuit. Sed quia Deo non eſt viſum, neceſſe eſt colligamus quæ ſparſim in Scripturis de hac materia habentur, atque ita ad exemplum Chriſti hac hora vobiſcum loquamur de iis, quæ pertinent ad Regnum Dei. Id ut ordine fiat, dicemus.

I. Quid per Regnum Dei intelligatur.

II. Ubi ſit hoc Regnum, ſeu in quo loco.

III. Unde hoc Regnum ſuam habeat originem, quomodo erigatur & adminiſtretur.

IV. Quid agendum nobis, ut poſſimus intrare in hoc Regnum Dei, ejuſque fieri participes.

V. De tempore & duratione hujus Regni.

De Primo.

PEr regnum Dei nihil aliud intelligitur, quàm multitudo illa hominum, qui Deo per Chriſtum ſerviunt in juſtitia, pace & gaudio Spiritus Sancti. Quâ deſcriptione habentur hæc particularia.

I. Subditi hujus Regni ſunt homines. Angeli quidem Sancti etiam ſunt pars aliqua hujus regni, quatenus Chriſtus eorum quoque caput eſt. Coloſſ. 1. v. 20. Sed tamen hic præcipuè agitur de Eccleſia ex humano genere collecta.

II. Eſt multitudo hominum. Non omnes homines pertinent ad hoc Regnum, imò maxima pars hominum non pertinet, Matth. 7. 13, 14. Sed tamen eſt magna multitudo, Deo certa, hominibus innumerabilis, Apoc. 7. v. 4.

III. Regentes hujus Regni, quibus hi ſubditi ſerviunt, ſunt Deus Pater, Filius, Spiritus S. verùm ita, ut Deo Patri ſerviatur per Filium & Spiritum S. cujus rei ratio poſtea explicabitur, cum de erectione & adminiſtratione hujus regni dicetur.

IV. Actiones autem, quas Regentes & ſubditi in hoc Regno ſibi invicem præſtant, ſunt juſtitia, pax & gaudium, Rom. 14, 17. Deus omnes homines regit, & omnes homines ſunt ſubditi Dei, etiam impii. Sed tamen hoc Regnum, quod Deus gerit extra Chriſtum, eſt regnum alterius naturæ. Eſt enim regnum violentum, & bellum potius contra rebelles, quàm Regnum in ſubditos. Hoc verò Regnum eſt, in quo ſubditi Deum colunt in juſtitia ſpontanea per Spiritum S. & viciſſim à Deo beantur gaudio & pace conſcientiæ, Pſal. 110. 3. Eſt Regnum Paternum, ubi omnia aguntur ex amore paterno & filiali. Et hæc eſt beatitudo hujus regni ineffabilis, quod in eo ſervimus Deo ſine peccato in juſtitia, & viciſſim à Deo fruimur pace & gaudio.

De Secundo.

UBi eſt hoc regnum? an in oriente, an in occidente? ubi ſitum eſt? in qua plaga mundi? Reſp:

I. Ad tempus hic eſt in terris diſperſum inter omnia regna mundi, adeò ut in omnibus mundi Regnis detur aliqua pars hujus Regni. Olim nuſpiam inveniebantur ſubditi hujus regni, quam in Judæa; Nunc autem in omnibus nationibus. Pſalm. 2. 8. Etſi plus in una, quam in aliis.

II. Sed tamen non ſemper manebit in terris, verum Deus locum paravit ſuprà omnes cœlos, quo congregabit tandem omnes ſubditos hujus regni, poſtquam ad tempus fuerint aliis hominibus pari conditione permixti, & in juſtitia, pace & gaudio imperfecti, ut ibi maneant in æternum, & perficiantur.

De Tertio.

ERectio & adminiſtratio hujus regni admirabilis eſt, & habet ſequentes partes. A Patre eligitur, & Filio datur, à Filio acquiritur ac redimitur, & Spiritui S. committitur, à Spiritu S. ad Filium adducitur, & tum à Filio ad Deum Patrem reducitur.

I. Eligitur à Deo Patre. Quoniam enim hujus regni ſubditi in una maſſa cum cæteris hominibus peccatoribus erant concluſi, & ſub potentiam Satanæ redacti juſto Dei judicio, Deus Pater eos ab æterno elegit ac diſcrevit, & Filio ſuo commiſit in tempore redimendos, Joh. 17. 6. Eph. 1. 4. 5. Regnum hoc non conſiſtit ex hominibus naturâ melioribus cæteris, ſed à communi maſſa divinitus diſcretis ut emendentur.

II. Acquiritur à Deo Filio Deo Patri, & ab eodem Spiritui Sancto committitur. Deus Pater enim miſit Filium, & Filius paſſus eſt ſe mitti à Patre, tanquam ſervus, ut electam Eccleſiam ex poteſtate Diaboli, in quam devenerat propter peccatum, per juſtitiam liberaret, ſatisfaciendo divinæ juſtitiæ Patris. Et quomodo hoc effecit? Aſſumpſit humanam naturam, eamque juſtitiæ Dei obtulit in ſacrificium, ad placandam ejus iram, & ad implendam conditionem legis, cujus impletione vita æterna erat promerenda. Dum enim paſſus eſt, quod nos eramus meriti, & dum præſtitit ad quod nos eramus obligati, nos Deo ſuis meritis emit & acquiſivit in peculium, Apoc. 5. 9. Tit. 2. 14. Poſtquam autem

Filius

Filius Patri obedientiâ factus per mortem ſuam Eccleſiam electam [illegible] Patri emit & acquiſivit, Deus Pater eum exaltavit, & conſtituit Regem & caput ſuper hanc Eccleſiam, deditque ei poteſtatem mittendi Spiritum S. qui ſuo nomine hanc electam & redemptam Eccleſiam vocaret & colligeret, ut legere eſt Actor. 2. 33. & 5. 31.

III. Vocatur & colligitur per Spiritum S. Deo Filio. Spiritus Sanct. enim tanquam Filii Prorex, in [illegible] à Filio miſſus, imperſcrutabili modo operatur in conſcientiis eorum, qui hoc electo & redempto grege continentur, eoſque liberat à laqueis *Diaboli*, quibus ad voluntatem ejus erant devincti, eoſque ad Chriſtum convertit, Chriſto unit, Chriſto deſponſat, Chriſto inſerit, ut corde compuncti per fidem in ſatisfactionem Filii, quærant reconciliationem cum Patre, eamque nacti Deo per Chriſtum ſerviant in filiali obedientia præceptorum omnium uſque ad finem vitæ.

Serviunt Deo:

1 Per Spiritum, quia Spiritus aptos facit ad ſerviendum.

2 Per Chriſtum, quia Chriſti merita acceptum faciunt ſpiritualem cultum ac gratum Deo.

At quomodo Spiritus S. efficit vocationem electæ & redemptæ Eccleſiæ? Reſp. Non immediate, ſed [illegible] Miniſtris à Spiritu S. vocatis, ut per [illegible]nem verbi & adminiſtrationem Sacramentorum [illegible] diſciplinæ, quæ Chriſtus ipſe inſtituit, [illegible]m lucrentur & Chriſto adducant. Vide Joh. 15. 26. & 16. 13. 14. En admirabilis diſpenſationem tanti operis inter tres perſonas eſſentiâ [illegible]

IV. A Filio ad Patrem reducitur, idque duobus [illegible]

1. Per [illegible]nem, qua vocatis & converſis [illegible]nem & adoptionem, Ioh. 17. [illegible], & benedictionem corporis [illegible] angelorum contra omnes hoſtes [illegible] hoc mundo. Vide totam precationem Chriſti [illegible] 17.

2 Per [illegible]m traditionem, quando ex mortuis [illegible] omni labe perfectè purgatos adducet [illegible] Dei, ſeparabit ab hœdis, & unà cum ipſis [illegible], ut in domo Patris æternum lætentur. 1. Cor. 15. 24.

En habes [illegible] ſummam totius erectionis & [illegible] quam vobis tradimus, [illegible] fatentes interim, quod multa ſint quæ ipſi non ſatis percipimus, nec intelligimus, ſed piâ fide ſuſcipimus, & plenam revelationem à Deo exſpectamus.

De Quarto.

VErum quidem eſt, quod Spiritus S. nos adducat ad Filium, ſed & nobis veniendum eſt. Nam ſi non venimus, nec patimur nos adduci, ſimus rei novæ culpæ, videl. contempti remedii contra miſeriam noſtram naturalem, & ſic Chriſtum habebimus judicem condemnantem nos propter inobedientiam contra Euangelium, 2. Theſſ. 1. 4. 5.

Quid autem faciendum? Reſp.

1. Abi ad Deum Patrem, concide ante pedes ejus, & agnoſce ac confitere te eſſe rebellem & apoſtatam, & pete gratiam, ne intret tecum in judicium, Dan. 9. v. 5. Primus hic gradus eſt quo perduelles Deo reconciliantur.

2. Si ſic venies ad Patrem, Pater te mittet ad Filium. Sicut Job. 42. 8. amicos Jobi remittit ad quærendam interceſſionem Jobi, ita peccatores veniam petentes remittit ad quærendam mediationem Chriſti. Tum itaque adeundus Filius & rogandus, ut nobis ſubveniat virtute ſui meriti & ſuæ interceſſionis. Applica 2. Reg. 3. 14. Dicamus Chriſto: Deus Pater nos ad te remiſit, dicens, ſe nolle ſuſcipere noſtram faciem, ſed tuam. Compareas itaque pro nobis coram facie tui Patris. Niſi tuam faciem accipiat, nos aſpernabitur.

3. Si ſic venerimus ad Filium, Filius nos remittet ad Spiritum S. dicens: Non poſſum vos ad Deum adducere in veſtra impuritate & rebellione. Abite igitur ad Spiritum Patris mei, ut is vos lavet ab immundicie veſtra, & ſuſcitet vos ex morte peccati in ſpiritualem vitam, & tum venite ad me, & onus veſtrum in me reponite cum omni fiducia, & me intuemini in verâ fide, & jugum meum tollite, & ſic defendam vos. Abeamus igitur ad Spiritum S. eque obtendamus quod à Filio Dei ad ipſum ſimus remiſſi, ex Joh. 14. 26. & 16. 12. 13. rogantes, ut perficiat in nobis quod nobis Filius Dei de ipſo pollicitus eſt.

4. Cum ſic ad Spiritum venerimus, Spiritus nos remittet ad Miniſterium, dicens: audite Moſen & Prophetas. His enim datæ ſunt claves regni cœlorum. Hos igitur adeamus & audiamus, cum hac intentione, ut ex ipſis, ceu miniſtris Spiritus, proficiamus in ædificatione, & tum redeamus ad Deum Patrem cum fiduciâ, quod ſimus recepti in gratiam, & cum-

& cum voluptate imposterum renunciemus Diabolo, & ſerviamus Deo, tanquam populus peculii.

De Quinto.

DE tempore quæritur quando cœperit & quando ventura ſit illa hora, quâ Chriſtus Regnum tradet Patri? Reſp. Cœpit hujus regni erectio & adminiſtratio inde ab initio mundi. Quando autem futura ſit illa traditio, de eo dicetur, cum quæſtio diſcipulorum de hac materia tractabitur. Sic breviter habetis omnia quæ pertinent adRegnum Dei.Quæramus hoc regnum Dei ac ejus juſtitiam primò ac præcipuè, nec ei præferamus commoditates mundi. Et ut tantò melius ad diligentiam in quærendo hoc regno exciteris, conſidera ac diligenter tecum meditare 1. Qualitates regis, quam ſit gratioſus, juſtus, potens. 2. Conſtitutionem regni firmam ac tutam. Fundatur in ſanguine tanti Mediatoris, adminiſtratur potentia omnipotentis Spiritus: miniſterio angelorum contra tot oppoſitiones Satanæ ac mundi hactenus fuit tutum. 3. Privilegia & honores civium: ſunt immunes à maledictione legis: filii & hæredes Dei. 4. Leges jucundas ſimul ac faciles: quia quod præcipitur, ab eodem qui præcipit, efficitur. 5. Statum eorum qui ſunt extra hoc regnum. Sunt enim expoſiti arbitrio & libidini Satanæ, carent omni ſolatio contra mortem, &c.

Actor. 1. v. 4. 5.

Concio IV.

SEquitur prædictio Chriſti de inſtanti effuſione Spiritus S. & in ea fundatur mandatum, ut diſcipuli Hieroſolymis manentes impletionem hujus promiſſionis & prædictionis expectent. Habemus igitur hic 1. Mandatum. II. Prædictionem vel promiſſionem, in qua hoc mandatum fundatur.

De Primo.

vid. de Mandato.

MAndatum eſt, *ut maneant Hieroſolymis, & expectent promiſſionem Patris quam audiverant.*

I. Mandatum daturus congregavit eos. Legimus in hiſtoria Euangelica, quod, cùm Chriſtus caperetur, diſcipuli omnes fuerint diſſipati, idque ſecundum prophetiam Zach. 13. 7. Chriſtus poſt reſurrectionem eos iterum congregavit. Vox συναλιζόμενος includit ſimilitudinem, deſumptam vel à patribusfamilias, qui morituri aut iter facturi domeſticos ſuos convocant, eoſque inſtruunt, quomodo ſe gerere debeant poſt diſceſſum, ſicut Jacob Geneſ. 49. & Paulus Actor. 20. Vel à Paſtoribus, qui oves irruptione Lupi territas & diſperſas in ovile colligunt; Vel denique à belli ductoribus, qui milites prælio multum diſturbatos & disjectos, partâ victoriâ, in ipſum prælii locum recolligunt, ut ſe victores, & hoſtem fugatum oſtendant. Sic Chriſtus in ipſum locum, ubi paſſus erat, diſcipulos ſuos congregat, ut conſtet, ipſum viciſſe, & ultimum ſupra pulverem ſtare, ut eſt Job. 19. 25. non obſtante, quod malè pugnaverant diſcipuli.

Oſtendit hoc curam Chriſti ſuper Eccleſiam, quam ſubinde patitur vaſtari, fugari, ſed recolligit Eſa. 11. v. 11. 12. Mich. 4. 6. 7. Eſa. 40. 11. Ezech. 37. 21. Præſertim autem vox συναλιζόμενος nobis in mentem revocat magnam illam congregationem, (dat groote vergaderinge) cum in ultimo die per angelos ſuos ex quatuor finibus terræ congregabit electos; etiam pulveris inſtar diſperſos, Matth. 24. 31. Magnum ſolatium pro exulibus & Patria pulſis, pro amicis quoque magnis itineribus vel etiam morte ſegregatis. Tandem fiet ille magnus συναλισμός.

II. Congregavit autem Hieroſolymam. Cur hoc? Cur induxit in ſpeluncam iſtam latronum, ubi occidebantur Prophetæ, & trucidabantur, qui ad eâ mittebantur? Matth. 23. Quid boni ibi poterant expectare, cum eſſet urbs exitio proxima? Reſp. Fundamentum mandati ſunt promiſſiones Dei. Deus promiſerat in hac urbe unctum iri Apoſtolos, & inde exituros in univerſam terram, Eſa. 2. 1. 2, 3. Mich. 2. 1. Etſi autem illa urbs interea tam multum defecerat à Domino, ideò tamen non irritæ erant promiſſiones Dei. Vide Rom. 3. 2, 3, 4. Diſcamus hinc.

1. Qui vult accipere Spiritum S. debet manere Hieroſolymis, i. e. in congregatione populi Dei. Sicut membra non participant de vita animæ niſi maneant in corpore, ita nemo recipit Spiritum Sanctum qui ſe ſeparat ab Eccleſia. Eccleſia eſt officina ubi Spiritus ſuum opus exercet. 1. Cor. 12. 12. 13. Hebr. 10. 25. Tales congregationes fuerunt ante Chriſtum. Eſa. 2. 1. 2. Pſal. 42. 5. & 55. v. 15. fuerunt Chriſti tempore Act. 2. 44. Act. 12. 12. Act. 20. 7. 1. Cor. 14. 26.

2. Si in congregatione Eccleſiæ multi ſunt impii & hypocritæ, non ideò deſperandum eſt de Spiritus S. ope-

S. operatione & Dei auxilio in Eccleſia. Hieroſolyma erat urbs perditiſſima, & tamen in ea Apoſtoli accipiunt Spiritum Sanctum, quia erat iſta urbs quæ promiſſionem habebat. Veniamus modò in congregationem Eccleſiæ cum intentione diſcendi. Certè docebimur. Eſt enim locus, ubi Deo placuit habitaculum ſuum ponere, manet Dei domus, civitas, &c. Pſalm. 122. 1. ad 5. Etſi multum paleæ in hac area eſt, tamen triticum ſuum Deus præſervabit. Non patietur Deus propter peccata quorundam 1. Suos electos ſine exauditione & auxilio comparere. 2. Veritatem ſuam conculcari. 3. Fidem ſuam fallere. Obſervetur hoc, cum hodie videmus corruptiſſimis moribus & hominibus impletam eſſe etiam Evangelicam Eccleſiam; Ne ideo deſperemus, quin ſit habitura Dei auxilium. Eſt enim ea quæ promiſſiones habet. Deus tandem illam purgabit.

III. Jubet ut non tantùm maneant Hieroſolymis, ſed etiam ibi exſpectent promiſſionem patris quam acceperant. Si quis vult habere Spiritum S. non debet otioſè ſedere in Eccleſia, ſed debet exſpectare impletionem promiſſionum quas accepit. Quid differunt credere promiſſiones Dei & exſpectare promiſſiones Dei? Datio & effuſio Spiritus S. eſt una ex promiſſionibus fœderis. Hanc promiſſionem Apoſtoli ex V. T. Joël. 2. benè ſciebant, & ex Chriſto ſæpè audierant. Johan. 14. & 15. & 16. ideoque eam dudum crediderant, jam jubentur exſpectare. Quid differentiæ inter credere & exſpectare promiſſiones? Reſp. Exſpectatio eſt flagrans deſiderium boni promiſſi, fluens ex fide promiſſionis. Poſtquàm credidimus promiſſionibus, exſpectamus bonum promiſſum, i. e. anxiè deſideramus & optamus ac precamur, ut tandem impleatur promiſſio verbi, quam credidimus. Hæc differentia inter fidem & ſpem. Cum tali exſpectatione credentes debent ſedere in templo & congregatione Sanctorum. Otioſa ſeſſio corporis nil prodeſt, ſed fides in verbum quod prædicatur, & ex fide fluens exſpectatio, deſiderium, precatio. O Domine, hîc ſedeo diſcipulus ad pedes tuos, memor promiſſionum quas accepi abs te, fore, ut Spiritus tuus me ducat in omnem veritatem, me conſoletur. His promiſſis fiſus, ſedeo ante faciem, & exſpecto impletionem. Ne me ſinas exſpectare fruſtra.

De ſecundo, videl. de prædictione vel promiſſione ex verſ. 5. Eſt quaſi dicat. Etſi enim jam tum à Johanne *baptizati* eſtis, tamen jam alio modo baptizabimini. Johannes enim aquâ, at jam Spiritu S. idque propediem.

Solent Theologi quatuor ſpecies baptiſmi recenſere, videl. 1. Fluminis, ſeu aquæ. 2. Flaminis ſeu Spiritus, Matth. 3. *igne baptizabit*. 3. Sanguinis ſeu baptiſmus martyrii, Matth. 20. 22. Marc. 10. 38. 4. Luminis ſeu baptiſmus verbi, Actor. 18. 25. Quatuor itaque ſunt res, quas ſacrum baptiſmatis nomen ſolet inſignire: 1. Sacramentum regenerationis. 2. Ipſam regenerationem 3. Martyrium. 4. Doctrinam Euangelii. Hoc textu agitur de duabus prioribus baptiſmi ſignificationibus & quidem ita, ut videantur inter ſe opponi, tanquam res diverſæ. Duæ quæſtiones breviter ſunt explicandæ;

I. An Apoſtoli antea non fuerint baptizati Spiritu S.? utique non videntur ad iſtud tempus fuiſſe ſine Spiritu S. Dicuntur enim habere carnem & Spiritum Matth. 26. *Spiritus promptus, caro infirma* eſt. Vide etiam Matth. 16 v. 17. Crediderunt utique Joh. 17. 8. At ſine ſpiritu nemo poteſt Jeſum appellare Dominum? Reſp. Omninò habuerunt Spiritum S. Sed tamen hîc ipſis Spiritus S. promittitur. Spiritus S. non datur uno gradu & una vice: Habentibus igitur Spiritum promittitur nihilominus Spiritus videl.

1. Spiritus confirmationis. Apoſtoli habebant fidem, ſed erant ὀλιγόπιστοι. Jam igitur promittit corroborationem fidei. Et hæc eſt Emphaſis vocis baptizare, quæ abundantem effuſionem Spiritus denotat.

2. Spiritus ſanctificationis, pôſtquam enim per Spiritum S. credidimus, datur ſpiritus ſanctificationis, per quem dirigimur ad amorem Dei & Chriſti, Act. 2. 38. Galat. 4. 6.

3. Spiritus obſignationis. Poſtquam per ſpiritum credidimus, & nos convertimus, per eundem ſpiritum obſignamur & certe reddimur, nos eſſe filios Dei, Eph. 1. 13. Rom. 8. 16.

4. Spiritus prophetiæ, ſeu illa dona Spiritus, quæ ad officii executionem pertinent, e. g. donum linguarum, interpretationis, gubernationis, &c. de quibus agitur, 1. Cor. 12. Et hoc præcipuè illud eſt, quod Apoſtolis hîc promittitur: Apoſtoli habebant ſpiritum regenerationis, ſed opus habebant 1. Spiritu confirmationis. Erant enim ὀλιγόπιστοι 2. Spiritu ſanctificationis. Habebant enim affectus adhuc indomitos & carnales, ut patet ex hiſtoria Petri. 3 Spiritu obſignationis. Erant enim adhuc timidi, & nequaquam pares ferendis iſtis difficultatibus,

ad quas erant vocati. 4. Præcipuè indigebant Spiritu prophetico. Erant enim adhuc rudes, non ſatis intelligentes myſteria regni cœlorum, nec ſatis inſtructi prudentiâ, quæ ad hoc officium pertinebat. Hunc igitur præcipuè promittit.

II. An baptiſmus Joannis fuerit alterius naturæ quàm baptiſmus Apoſtolorum, cùm hic dicatur, quod tantum ſit baptiſmus aquæ? Reſp. Hoc non ideò dicitur, quod Johannis Baptiſma fuerit ceremonia vana, vacua & inefficax, quæ Spiritum S. non habuerit conjunctum. Vide Marc. 1. 4. Actor. 1. 9. 4. Fuit ſacramentum obſignans collationem Spiritus. Dicitur autem ſolâ aquâ baptizaſſe, quia ipſe non potuit dare Spiritum S. ſed tantùm dedit externum Spiritus ſacramentum & ſigillum, Chriſtus autem dedit Spiritum. Et hæc non ſolum eſt natura baptiſmi Ioannis ſed & noſtri. Pontificii argumentis quibuſdam aliis ſolent probare fuiſſe alium quàm noſtrum. Sed ſatis eſt nobis hunc locum vindicaſſe. Hæc oppoſitio ideò à Chriſto fit, ne hæreamus in externo miniſtro aut in ipſa ceremonia, ſed erigamus mentes in Deum & Chriſtum, petamuſque ut ipſe benedicat ſuis inſtitutionibus. Et hic debet eſſe uſus noſtri baptiſmi, ut eum quotidie Deo in precibus noſtris obtendamus, petamuſque ut impleat quod obſignatum eſt, dicentes: O Domine, Miniſter quidem nos tuo nomine baptizavit in juventute, ſed baptizavit in eum finem, ut obſignaret, fore, ut Tu nos ſuo tempore baptizares Spiritu. Rogamus itaque facias quod tuo nomine obſignatum eſt. Da nobis

1. Spiritum regenerationis. Confitemur enim nos eſſe mortuos in peccatis, nec quicquam poſſe niſi regeneremur.

2. Spiritum confirmationis. Habemus initia, ſed adeò infirmi ſumus, ut vix granum ſinapi habeamus, & arundinem quaſſatam & linum fumigans. Robora nos igitur, funda, cuſtodi.

3. Spiritum ſanctificationis: Habemus enim carnem, quæ initia ſpiritus oppugnat & nititur exſtinguere. Doma has cupiditates.

4. Spiritum obſignationis. Verſamus enim inter graviſſimas tentationes, quæ ſæpe in nobis extinguunt ſenſum gratiæ, & nos immergunt in dubitationes. Obſigna igitur ſpiritu ingenuitatis, Pſalm: 51.

5. Spiritum donorum. Verſamur in graviſſimis occupationibus & vocatione difficili, & ſumus imprudentes. Da igitur dona apta vocationi.

Actor. 1. v. 6. 7. 8.

Concio V.

Quartum eorum, quæ de Chriſti converſatione cum diſcipulis poſt reſurrectionem narrantur, eſt colloquium illud de tempore erigendi Regni. Habet hoc colloquium quæſtionem diſcipulorum & reſponſionem Chriſti.

De Primo.

Quæſtio hæc nata eſt ex Prædictione antecedente, quâ Chriſtus vaticinatus eſt de baptizatione Spiritus propediem futura. Videbatur hæc mirabilis loquutio, de cujus ſenſu dum apud ſe cogitant, relabuntur in priſtinum errorem de regno Chriſti terreno, & quærunt, An forte jam futurum ſit illud tempus, quo Chriſtus regnum Iſraëli reſtituturus eſſet. Vetus erat opinio inter Judæos, hauſta ex vaticiniis V. T. de ſpirituali Regno Meſſiæ, male intellectis, quod Meſſias eſſet regnaturus ſuper omnes gentes, & liberaturus Iſraëlem, &c. 2. Sam. 7. Pſal. 89. Jerem. 23. Hæc opinio adhæſerat quoque diſcipulis, unde de iſto regno ſæpè cogitabant, & putabant ſe ad hoc electos, ut eſſent in iſto regno Principes, ſedentes ad dextram & ſiniſtram Chriſti, Matth. 20. Chriſtus ſæpè hunc errorem ipſis ademerat. Nam 1. ſæpe declaraverat quod eſſent vocati ad patiendas perſecutiones, Matth. 16. Matt. 10. Joh. 15. Joh. 16. Luc. 21. Hinc facile poterant concludere ſe non poſſe expectare regnum terrenum. 2. Chriſtus ſæpe declaraverat, ſuum regnum non eſſe mundanum, Matth. 26. Matth. 20. & Apoſtolos non eſſe vocatos ad dominandum, ſed ad ſerviendum, ſicut Chriſtus. Imò poſt reſurrectionem eos, qui Emauntem ibant; & ſe de ſpe temporalis liberationis excidiſſe querebantur, redarguerat. Nihilominus tamen occaſione hujus prædictionis, quod propediem baptizandi eſſent Spiritu S. in eundem errorem recidunt, & quærunt, An hoc tempore reſtituturus ſit regnum Iſraëli? Multiplex eſt diſcipulorum in hac quæſtione peccatum: Nam.

1. Indicant, quod ſint adhuc carnales & τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. Quod quis optat, facilè ſomniat & ſibi imaginatur. Quòd tam facilè ex Chriſti prædictione de effundendo ſuper ipſos Spiritu S. hauriunt ſuſpicionem aut conjecturam vel ſpem temporalis felicitatis, id arguit in corde eſſe tædium crucis, & appetitum dominii, & honoris ac pacis temporalis. Eſt hic motus, quem omnes in ſe pii

ſentiunt

ſentiunt d[illegible]m in cruce ſunt. Parum ſe ſolantur meditatione gloriæ futuræ, ſed ſemper ſe alunt & ſuſtentant votis & ſpe terrenæ felicitatis, & cum ſe vident hac ſpe fruſtrari, labaſcit animus & triſtitia dominat[illegible]. Signum eſt, quod converſatio noſtra nondum verè eſt in cœlis: nec quærimus quæ ſupra ſunt, ſed quaſi averſi ſumus à voluntate Dei, & providentia Dei, quæ crucem in remedium immittit. Hoc arguit in omnibus eſſe imperfectionem ſanctitatis. Diſcipuli hi erant regeniti, ut nuper probavimus, & tamen tantum carnis & terrenorum affectuum in ſe gerunt. Habent quidem pii carnem crucifixam, ſed habent tamen carnem, qua cum luctantur, & quæ tantùm ad terram retrahit, quantum ſ[illegible] in cœlum elevat. Eſt cum homine regenito, ſicut cũ lapide in aërem projecto: Sicut enim lapis [illegible]preſſa à manu vi hæret in aëre, ſed inſita gravitate renititur verſus terram; ſic homo regenitus vi ſpiritus elevatur cœlum verſus, ſed carne ſemper renitente, & terram verſus deprimente Nunquam rectius hoc obſervatur, quàm cum ſumus occupati in precibus: Tum enim obſervare potes animum biſariam tractum, ſurſum à ſpiritu, deorſum à carne. Precandum igitur quotidie, ut Deus continuet tractum & motum ſpiritus ſui in nobis, ne ſiamus ſtellæ quæ ex cœlo cadunt. Hæc natura apoſtatarum. Elevant ſe ad quærenda cœleſtia, Hebr. 6. 4. ſed deinde amore mundi recidunt in ter[illegible], 2. Tim. 4. 10.

2. Indicant ſuam oblivionem & inconſtantiam. T[illegible] erat ipſis exempta hæc opinio & affectatio [illegible] terreni, & tamen in eam recidunt. Sancti [illegible] relabi in idem peccatum. Nam 1. habent in ſe eandem concupiſcentiam, cujus vi ſemel fuerunt abrepti. 2. Multa dantur in ſacris exempla. In Abraham, Gen. 12. & 20. & aliis. Pugnemus mo[illegible] peccatum, & lapſi reſurgamus, & retinea[illegible] [illegible]tiam Chriſti, quæ contra omnes lapſus [illegible]

3. [illegible]tate peccant. Non enim tantùm de R[illegible]tione quærunt, ſed ipſum temporis [illegible] ſcire cupiunt. Multa erant quæ neſcie[illegible] de [illegible]bus utilius interrogare poterant, ſed [illegible], id ſolum interrogant, quod inu[illegible]. Non fuit igitur quæſtio laudabilis, [illegible]us in reſponſione ſua, 1. Iſtam quæ[illegible] reprehendit, & 2. Prædictionem; ex qua [illegible] ſumtarant hujus erroris, melius expli[illegible]

Reprehenſio quæſtionis lenis eſt Nam nec acriter invehitur in ipſorum ruditatem & relapſum, nec magnoperè laborat ipſorum opinionem de Regno terreno refellere, ſed tantùm ſimpliciter rejicit quæſtionem de temporis articulo, dicens, hanc eſſe curioſam, nec decere diſcipulos quæſtionem movere de talibus, quæ Pater in ſua poteſtate reſervaverit. Docet itaque.

I. Quomodo Doctores ſe gerere debeant erga rudes diſcipulos. Chriſtus quidem reprehendit, ſed leniter, & errorem primarium non refutat, ſed dat ipſis ſpatium; donec Spiritus S. veniat, & eos in omnem veritatem ducat. Sunt itaque infirmi diſcipuli leniter tractandi, & patienter exſpectandum, donec Dominus ipſis revelet, quod hactenus non capiunt. Vide Rom. 15. 1. Rom. 14. 1. Galat. 6. 1. 2. Tim. 4. 2. Deus non omnia in omnibus uno tempore operatur. Pergendum itaque quidem eſt in adhortatione, ſed & exſpectandum, donec Deus revelet & emendet. Non loquor hic de illis, qui ſemper diſcunt & nunquam ad veritatis cognitionem perveniunt, propterea quod non ex infirmitate errant, ſed ex pertinacia & petulantia veritati reſiſtunt 2. Tim. 3. 7. 8. Sed loquor de infirmis & docilibus, qui ambulant in eo quod cognoverunt, illudque in pia docilitate ad praxin transferunt. Phil. 3. 16. Hos decet leniter tractare. Quantum autem ad priores, de iis ipſos Apoſtolos habemus prævios, quod debeamus iis attendere, eos notare, cum iis non edere, &c. Diſcant hoc non ſolum Doctores Eccleſiaſtici, ſed etiam parentes, quibus præcipuè hac moderatione in liberos opus eſt, ut cum lenitate eos poſſint reprehendere, & exſpectare patienter, donec tandem capiant, quod aſſiduè docentur.

II. Quomodo rudes diſcipuli ſe gerere debeant in ſcrutatione veritatis. Non debent quærere, quod non decet ſcire, ſed debent curioſitatem vitare. Diligentia in inquirenda veritate laudabilis eſt, modò vitio curioſitatis non ſit polluta: Debent itaque auditores in diſcendo & ſcrutando.

1. Servare ordinem Debent prius inquirere in ea, quæ maximè neceſſaria ſunt ad ſalutem, & ad pietatis praxin. Si quis e. g. vult ſpeculari myſteria illa alta de prædeſtinatione, qui ipſa rudimenta religionis nondum didicit, vanus eſt. Habemus hac de re inſtitutionem Apoſtoli 1. Cor. 3. 1. 2. 3. Heb. 6. 12. 13. 14. Hebr. 6. 1. Nemo tectum ædificat antequam fundamenta poſuerit, ita vanum eſt ſpeculari my-

 ſteria

ſteria maximè abſcondita,antequam prima fidei elementa didiceris.

2. Servare modum. Poſitis fundamentis licet quidem aſſurgere ad ſcrutanda altiora, Sed tamen ita,ut maneamus intra limites revelationis,nec ſcrutemur ea, quæ Pater in ſua poteſtate poſuit, i. e. ad quorum effectionem ſe nulla declaratione vel promiſſione alligavit, & quæ nobis nec neceſſaria nec utilia ſunt ſcitu.Hæc enim ſibi reſervavit,ſeu ſuo beneplacito. Hæc igitur non ſcrutemur, Prov. 25. 27. 2. Tim.2.23. 1.Tim.6.4. Tit.3.9. Eccleſiaſtici 3.21. &c. Rom.12. 3. Huc præcipuè pertinet, ne inquiramus in tempora & oportunitates earum rerum,quæ adhuc fieri debent. Deus promiſit deſtructionem Antichriſti & liberationem Eccleſiæ. Sed quando hoc futurum ſit, non revelavit. Itaque ne ſcrutemur, ſed patienter exſpectemus, & rem promoveamus precibus. Idem ſentiendum de articulo noſtræ mortis, & ultimi judicii.

Reprehenſa curioſitate porrò declarat quomodo intelligere debeant, quod de baptizatione Spiritus S. propediem futura, dixerat, v. 8. quaſi dicat: Cum dico vos Spiritu S. baptizatum iri, non ſentio, quod ad terreſtrem dignitatem & felicitatem ſitis evehendi, ſed dico, quod in vos effundentur dona Spiritus S. per quæ reddemini apti, ut poſſitis eſſe mei teſtes in urbe Hieruſalem, in Samaria, Judæa & uſque ad fines terræ. Chriſtus Joh. 18. à Pilato interrogatus, an Rex eſſet, reſpondet, Regnum ſuum non eſſe mundanum, ſed in eo conſiſtere, ut veritati daret teſtimonium, i.e. ut hominum animas expugnaret & vinceret; vel convinceret ad obediendum veritati. Sic hic interrogatus à diſcipulis, an regnum eſſet erecturus, reſpondet,quod ſic,ſed quod hoc regnum non ſit futurum carnale, verum tale, quod conſiſtat in convincendis hominum conſcientiis de officiis & perſona Jeſu Chriſti, ut eum pro Rege ſuo recipiant. Officium miniſtrorum eſt verè regium officium. Sicut enim Regis dominium in eo conſiſtit, quod homines adigit ad obedientiam juſtitiæ, ita miniſtrorum officium in eo poſitum eſt, ut homines adigant ad obedientiam veritatis. Hoc tantùm diſcriminis eſt, quod Reges externâ vi cogunt, Miniſtri verò agunt perſuaſionibus & teſtimoniis,ut homines ſponte & libenter faciant quod veritatis & juſtitiæ eſt. Hinc dicuntur uti armis, ſicut Reges,ſed ſpiritualibus ad captivandum & debellandum, 2. Cor. 10. 1. 2.3. Teſtari de Chriſto alioquin Spiritui S. adſcribitur Joh 15.26 ſed ſtatim additur v.27. vos etiam teſtabimini. Spiritus teſtatur per Apoſtolos, & Apoſtoli per Spiritum S. convincunt. Verbo extrinſecus teſtantur, ſed ſpiritus facit, ut verbum intrinſecus convincat. Princeps bellator poteſt frangere muros, ſed Apoſtoli corda: poteſt ille cogere ut oporteat ſervire, ſed hi poſſunt facere, ut libenter velis ſervire Deo.

Miniſtri de Chriſto teſtantur tribus modis.

1. Chriſtum prædicando perſuaſionibus 2. Tim. 4. 1. & vi argumentorum.

2. Secundum Chriſtum vivendo,cum ipſa ſanctitate vitæ exprimunt, ſe in conſcientia convictos eſſe, quod hæc ſit veritas, quam prædicant; Si quis ita vivit ut vitâ diſſolutâ ſatis oſtendat,ſe ipſum non eſſe in conſcientia convictum de Chriſti amore erga pios, de Chriſti futura irâ & judicio contra impios, is eſt malus & miſer teſtis Chriſti.

3. Propter Chriſtum patiendo, ut veritatem obſignent ſuo ſanguine,ſi opus eſt. Hinc nomen Martyrii. Dum enim propter verbum Dei vitam deſerunt, hoc ipſo teſtantur, ſe ita de hac veritate convictos, ut malint vitam ſuam, quam veritatem Chriſti deſerere. Sacrificuli Pontificii addunt quartum teſtandi genus, quod apud ipſos præcipuum eſt, ſcilicet juramentum & oppignorationem animæ. Sed hæc eſt temeritas extra mandatum & exemplum Scripturæ, adeoque juramentum leve. Si mandatum eſſet & licitum,nihil vereremur idem de nobis jurare, quod de ſe jurant, & oppignorare animas noſtras quod ſint beati futuri qui ſecundum Euangelium noſtrum vivunt.Noſtrum verò non eſt juramentis ſed argumentis Chriſtum teſtari. Hactenus quarta pars eorum, quæ de converſatione Chriſti in terris poſt reſurrectionem narrantur. Sequitur quintum & ultimum, videlicet ipſius adſcenſionis deſcriptio v. 9. 10. 11.

Actor. 1. v. 9.

Concio VI.

Doctrina Euangelii 1. Tim. 3. 16. vocatur Myſterium pietatis, i. e. cujus vera cognitio pietatem generat in hominibus. Nam ſi quis habet oculos apertos ut profunditatem, altitudinem, &c. horum myſteriorum agnoſcat, & mirabilia legis verè intelligat, non poſſunt eum ſinere infœcundum. Veritas enim bene cognita eſt ſemen per quod regignimur, Jacob. 1.18. per veritatem ſanctificamur, Joh. 17. 17. Eph. 5. 26. & veritas ſecundum pietatem eſt, 1.Tim, 1.3. Tit.1.1. Hinc cognitio dicitur juſti-

juſtificare, Eſa. 53. 11. Sicut hoc dicitur de omnibus articulis & Myſteriis Euangelii, ita ſpecialiter de adſcenſione Chriſti in cœlos etiam. 1. Tim. 3. 16. Eſt magnum myſterium pietatis, quod Deus receptus eſt in gloriam. Vt hoc intelligamus, primo omnium articulum de adſcenſione Chriſti rectè cognoſcamus, & tum videamus quare & quomodo ſit myſterium pietatis, ſeu quid conferre poſſit ad pietatem.

De Primo.

ADſcenſio Chriſti hic deſcribitur, quod finitis cum diſcipulis colloquiis, videntibus illis ſurſum receptus eſt, & per nubem ab oculis ipſorum interverſus. Non eſt mihi nunc animus ſectandi ſingulas circumſtantias, ſicut ab Euangeliſtis deſcribuntur (ſecundum quam naturam, cujus virtute, quo medio, quo modo, quo tempore, ex quo loco, *in* quem locum adſcenderit) ſed tantùm naturam adſcenſionis, & quæ cum illa proximè connexa ſunt, breviter explicabo.

Tria ſunt quæ die adſcenſionis Chriſti contigerunt.

I. Exaltatio corporis & humanæ naturæ. Sentimus enim quod adſcenſio in eo conſiſtat, quod humana natura localiter è terris ſublata, ſurſum evecta eſt in tertium cœlum. Hoc probamus ex ſcripturæ verbis 1. *διέςη ἀπ' αὐτῶν*. Luc. 24. 2. Surſum receptus eſt. Act. 1. 3. idque videntibus illis. 4. & quidem mediante nube. 5. idque in cœlum, immò ſupra omnes cœlos, Eph. 10. Heb. 4. 14. & 7. 26. in idem in quod nos adſcendemus. 6. unde etiam dicitur rediturus ex cœlo. Rejicimus igitur interpretationem eorum, qui ajunt adſcenſionem in eo conſiſtere, quod Chriſtus inviſibiliter omnipræſens factus ſit. Pugnat hoc 1. Cum articulis fidei de adſcenſione & re[illegible] 2. Cum veritate corporis Chriſti. Nam ſi eſ[illegible] corporis proprietates non habet, eſſentiam ipſam [illegible] habet. 3. Cum natura unionis, quæ non in eo [illegible], quod humana natura divinitati exæquata eſt, [illegible] proprietates divinas induit. 4. Eſt doctri[illegible], non eſt myſterium pietatis, immò eve[illegible], ut Paulus teſtatur, Hebr. 8. 4.

II. [illegible]ificatio perſonæ. Non loquor nunc de acceptione [illegible]us au[illegible]oritatis, quâ accepit omnem poteſtatem in cœlis & in terra, Matth. 28. 18. Act. 2. 33. & 5. 31. Eph. 1. 10. 20. 21. Hoc enim pertinet ad ſeſſionem ad dextram, & ad ſequens caput, ſed [illegible] de exaltatione quæ deſcribitur, Joh. 17. 5. Hactenus fuit exinanitus, hodie exaltatus, & qualis exinantio, talis quoque exaltatio. Exinanitio autem in eo poſita, quod 1. radii majeſtatis divinæ fuerunt abſconditæ. 2. humana natura multis infirmitatibus & miſeriis ſubjecta, ac ſenſu paterni favoris fruſtrata. Hodie autem glorificatus eſt illa claritate quam habuit ante jacta mundi fundamenta. Hodie impletum illud Hebr. 2. 9. Depoſuit quidem mortalitatem ſuam & alias terreſtres infirmitates ac imperfectiones per reſurrectionem, ſed tamen non plenè reſtitutus fuit ſuæ claritati, quam ab initio apud patrem habuit, niſi in die adſcenſionis.

III. Nova qualificatio officii. Chriſtus officium mediatorium ſuum geſſit inde ab initio mundi, ſed

1. aliter ante adventum in carnem.
2. aliter cum in terris eſſet
3. aliter poſt adſcenſionem, idq; ratione muneris
   - *prophetici,*
   - *ſacerdotalis,*
   - *regii.*

Ante adventum in carnem Chriſtus fuit propheta prænuncians, & præfigurans quæ futura erant. Tempore carnis erat Propheta digito demonſtrans quæ fiebant. Per adſcenſionem factus eſt Propheta rememorans ea quæ facta ſunt. Ante adventum in carnem, Chriſtus erat ſacerdos ſpondens futuram ſolutionem & ſatisfactionem pro noſtro debito. Tempore carnis erat ſacerdos præſtans ſatisfactionem quam ſpoponderat. Poſt adſcenſionem eſt ſacerdos repræſentans interceſſione ſuâ ſatisfactionem ante præſtitam. Ante adventum in carnem Chriſtus erat Rex deſignatus, & non niſi initia ac præludia quædam ſui regni exercens. Tempore carnis erat rex pugnans & regnum ab hoſtibus acquirens. Per adſcenſionem factus eſt Rex triumphans, coronatus, & in ſolium ſuum exaltatus. Hæc illa mutatio officii quæ per adſcenſionem contigit, ſecundum dicta Act. 5. 31. Phil. 2. 9. 10.

De Secundo.

SEd quare eſt hic articulus Myſterium pietatis, quid confert ad pietatem?

Reſp. I. Eſt fundamentum fidei & ſolatii. Eſt enim 1. ſignum peractæ ſatisfactionis. Dum Deus ſponſorem noſtrum ſurſum recepit, eo ipſo teſtatur ſibi ſatisfactum. Hoc igitur in onere peccatorum facit appellare ad Dextram Dei, Joh. 2. 1. 2. Quicquid ſponſori factum, id nobis competit. Quæſo capite quid ſit habere propitiatorem & advocatum

ad dextram Dei? Quanti æſtimamus, ſi criminis rei inter amicos Principis habemus aliquem amicum? Quid futurum de nobis ſi hoc non eſſet? Peccata noſtra ſunt ſine numero. Si interceſſor non eſſet ad dextram Dei, quæ ſpes ſolatii foret & ſalutis?

2. Argumentum ſpei & exſpectationis. Habemus exempla in ſcripturis, quod homines à Chriſto regnum & opem exſpectarent, cum eſſet in carne, in paupertate, in cruce, in morte. Quid igitur nos non ſperabimus ab eo, poſtquam in gloriam adſcendit? Si fidi miniſtri Principem ſuum regno pulſum non deſerunt, ſed à futura exaltatione præmium ſperant, quidni nos ſperabimus? Sic viri Davidis deſerto ipſi adhæſerunt ſpe futuri regni.

3. Argumentum fiduciæ in precando. Quotquot intelligunt tremendam majeſtatem Dei, & tenuitatem ac indignitatem ſuam, ægrè precantur, præſertim cum conſiderant ipſarum ſuarum precum pollutionem. Hinc Pontificii nolunt accedere Deum, ſed ad Sanctos. Sed nos habemus meliorem Interceſſorem. Quomodo poſſunt non audiri preces noſtræ? Spiritus S. eſt notarius, qui facit & format noſtras preces, Rom. 8. 26. Sed Jeſus Chriſtus eſt advocatus ac interceſſor, qui tradit & commendat eas patri ſuo. Eſt noſter Joſephus. In V. T. preces fiebant verſus arcam. Chriſtus vera arca. Via viva Hebr. 4. 14. 15. 16. & 10. 19. 20. Chriſtus altare ſuffitûs Apoc. 8. 3. Chriſtus ſacerdos intrans Sanctum ſanctorum.

4. Argumentum quod nos confirmat in fide magni iſtius articuli de reſurrectione & exaltatione noſtræ carnis in cœlos. Verè dicit Catechiſmus noſter, quòd adſcenſio Chriſti ſit pignus noſtræ. Carnem noſtram cœlo intulit, ſpiritum cœlo demiſit, ſicut in contractibus pignora accipiuntur & dantur. Hinc toties declarat ſe ideò iviſſe ut nos aſſumeret. Abiit in domum patris ſui & patris noſtri. Joh. 20. 17. Vide & Joh. 12. 26. & 17. 24.

II. Eſt fundamentum ſanctificationis. Nam

1. Docet Chriſtum ſanctificare in cordibus noſtris per verum timorem. Magnum fuit peccatum quod Judæi Dominum gloriæ crucifixerunt, ſed tamen aliquam habet excuſationem, quod neſciverunt quid fecerint. Chriſtus enim erat in exinanitione, ut tam facilè agnoſci non poſſet. At nunc gloria ejus conſpicua eſt. Quid igitur ſi nunc eum crucifigamus? In illo tempore cum veniſſet ad ſerviendum, tulit contradictiones peccatorum. Sed nunc dominari cupit. Ne nobis meram gratiam in Chriſto imaginemur, ut ſiamus laſcivi. Pſalm. 2. ult. Hebr. 10. v. 21. ad 32.

2. Docet cor abſtrahere à mundo. Dicimus vulgò, ubi theſaurus eſt, ibi cor eſt. Diſcamus hinc illam ſpiritualem adſcenſionem, de qua Coloſſ. 3. 1. 2. Phil. 3. 21. & illam quoque de qua Phil. 1. 23. 2. Cor. 5. 1. 2. &c. Teneamus igitur *Chriſtum*. Chriſtus enim ſcala per quam adſcendimus; Gen. 28. currus in cœlum evehens 2. Reg. 2. via & janua, per quam in cœlum intramus. Bona opera tantum ſunt via, per quam nos Chriſtus in Cœlum ducit & transfert. Etſi enim non ſunt cauſa regnandi, ſed via ad regnum, quam Deus præparavit ut in ea ambulemus ad cœlum.

Act. 1. *v.* 10. 11.

Concio VII.

Maritus qui uxorem, pater qui liberos rectè amat, ſi quando peregrè proficiſcitur, non tantùm abiturus eos monet de cauſis & fructibus ſui abitus, ne triſtentur, ſed etiam profectus ſemper nunciat quomodo valeat, & ut ſe habeat. Sic Chriſtus abiturus, ſuis valedixerat, eoſque ſolatus fuerat, Joh. 16. 6. & 20, 19. Bonum eſt me abire, Eo in domum patris mei. Nunc ſtatim atque abierat, mittit duos viros, qui orationem habent ad diſcipulos obſtupefactos & cœlum intuentes, qua explicant quid de Chriſto factum & porro futurum ſit. In hac oratione habes.

1. Auctores orationis, ſeu Nuncios qui ferunt.
2. Partes orationis, ſeu Nuncium quod ferunt.

De Primo.

Duo viri in albis veſtibus.

1. Sunt viri. Angelos fuiſſe non eſt dubium, in ſpecie virorum. Sunt enim angeli ſpiritus, ſed ſæpe apparent in forma viri. An tanta ſit angelorum vis, ut ſua virtute ſibi poſſint efficere corpus viro ſimile, an verò divina virtute ipſis corpus aptetur, non diſputabimus. Id certum, quod non verum corpus ex ſemine humano hypoſtaticè ſibi uniant, ſed tantùm figuram corporis formatam ex materia remota geſtent, quale & Chriſtus in præludium incarnationis ſæpe aſſumpſit. Aliud autem eſt illud corpus quod deinde per incarnationem induit.

2. Apparent angeli in forma viri non mulierum, & quidem præſertim in forma juvenum, ad indicandum robur. Heroes fortes Pſal. 103. Arguit hoc divinam majeſtatem Chriſti, & quod major ſit angelis

angelis, quippe illis utitur miniſtris. Sicut reges habent ſuos lateſſaes, ita Deus ſuos heroës angelos. Vide Epheſ. 1. 20. 21

3. Viri duo. Venerant teſtimonii cauſâ. Ergo duo ſunt. Secundum legem Deuter. 17. 6.

4. In veſte alba. Veſtes albæ ſunt emblema duarum rerum in Scriptura: 1. *Iuſtitiæ* Apoc. 3. 18. In hac meritò apparent angeli, quia ſunt juſti ſine macula. Nos etiam, qui in ſanguine Chriſti veſtes noſtras lavimus Apoc. 7. 14. habemus veſtes albas i. e. juſtitiam inhærentem à Spiritu S. nobis datam. Sed ſunt maculatæ. Lavamus igitur in ſanguine Chriſti. Ruber ſanguis Chriſti facit veſtes noſtras albas. Purgat enim noſtras perſonas & noſtras actiones, non virtute ſuæ ſubſtantiæ ſuique coloris, ſed virtute meriti, quatenus conſideratur ut lytrum divinæ juſtitiæ exſolutum, vel ut pœna ſatisfactoria: 2. *Majeſtatis & gloriæ* Apoc. 6. 11. His veſtibus angeli ſunt induti, nos quoque induemur cum ſplendebimus ut Sol. Nullum enim gloriæ cœleſtis magis egregium emblema, quàm res ſplendentes.

5. Adſtabant. Non dicit quod advenerint. Non viderunt de longinquo venientes, ſed ex improviſo adſtantes. Negamus quidem glorioſa corpora fore ubique præſentia, & poſſe penetrare alia corpora: ſed tamen hæc eorum qualitas eſt, quod ſunt corpora velocia. Hinc angeli ſolent cum alis proponi. Eſt ſolatium contra gravedinem corporis, quâ hic ſolemus premi.

DE SECUNDO.

ORatio habet duas partes:

I. Reprehenſionem. Viri Galilæi, quid ſtatis & ſuſpicitis?

1. Cur epitheto Galilæorum compellant? Reſp. Ut indigitent ſe eos noſſe & ut demonſtrent ſe angelos eſſe. Quis enim dixerat illis quod eſſent Galilæi? Angelorum notitia latè patet. Non ſunt quidem multi ti, nec [illegible]: ſed tamen & naturâ ſunt ſagaces, & hominibus adſunt, & multam habent experientiam, & præcipuè nôrunt diſcipulos Chriſti. Gaudeamus quod ſimus talibus ſtipati defenſoribus. Erat Galilæi nomen illud quod contemptus gratiâ Chriſto ſolebat objici, Joh. 7. 52. Sed Chriſtus per angelos diſcipulis ſuis hoc nomen tribuit, ut intelligant Chriſtum ipſis ſuam reliquiſſe ignominiam. Sicut Elias adſcendens pallium ſuum demiſit 2 Reg. 2. 14. quod Eliſa collegit, ita Chriſtus nobis adſcendens, reliquit ſuam ignominiam quam ſi ſuſceperimus & patienter induerimus, erit nobis veſtis nuptialis.

Quid vitii erat in eo, quod verſus cœlum ſuſpiciunt, cur ideò reprehenduntur? Reſp. Non ſpectant factum, ſed animum. *Suſpiciebant* præ ſtupore cum infidelitate, putantes, ſe jam planè amiſiſſe Chriſtum & omne ſolatium, & omnem ſuam de Chriſto ſpem. Hoc reprehendit, q. d. An jam tantopere ſtupeſcitis ob rem quam toties prædixit, & cujus utilitatem vobis oſtendit? Cur in præſentia corporis ita hæretis, quæ inutilis eſt? Præſtat illum eſſe ſuperius, præparare vobis locum, & intercedere pro vobis, & inde vobis mittere Spiritum Sanctum. *Suſpiciebant* cum intermiſſione officii. Habebant mandatum exſpectandi promiſſum à Patre, Actor. 1. Loco hujus ſtant & inanibus admirationibus ac penſitationibus tempus terunt. Hoc reprehenditur, ſicut Matth. 20. 6. q. d. ne terite tempus otioſis ſpeculationibus. Eſt vobis officium commiſſum ſatis grave, abite & præparate vos. Diſcamus hinc.

α. Ne ægrè feramus corporalem Chriſti à nobis diſceſſum. Credamus in Chriſtum, etiamſi non videamus eum 1. Petr. 1. Placuit Deo Chriſtum auferre ex adſpectu, ut fidè & amore eum teneremus, utque deſuefierent affectus noſtri à terris. Cum uxor maritum in cœlos novit tranſlatûm, quanto accenditur deſiderio cœli, & quantum hoc avellit eam à terrâ! Sic Deus Chriſtum ſponſum noſtrum in cœlos tranſtulit, ut deſinamus inhærere terris. Sic quoque corporale auxilium ſæpe nobis ſubtrahit, ut nihil mediorum videamus, quibus vivere poſſimus, idque eo fine, ut oculi noſtri ſuſpiciant verſus montes, Pſalm. 121. 1. ſubtrahit terrena ut quæramus cœleſtia. Quia enim Chriſtus in cœlis eſt, quis non cupiat eſſe cum ipſo? Phil. 1. 23. Pſal. 42. 3. ubi theſaurus, ibi cor.

β. Ne tempus noſtrum teramus otioſis & vanis ſpeculationibus. Tempus Chriſtianorum pretioſum eſt, unde jubemur redimere. Gal. 5. 16. Idque tanto pretioſius, quanto brevius. Chriſtus nos vult invenire non oſcitantes, ſed laborantes. Sumus mercenarii in vinea Chriſti, Oculus Domini noſtri ſupra nos. Caveamus ab oſcitationibus & laboremus diligenter, quiſque in ſua vocatione.

γ. Rectè nos geramus erga amicos mortuos. Cum moritur uxor, maritus, pater, &c nonne eos ſolemus ſequi animis & oculis oſcitantibus? Nonne ut hi diſcipuli, ut Eliza Eliam, 2. Reg. 2. 12. ut David. 2. Sam. 18. 33. ut Rachel, Jer. 31. 15. Talibus ad

adſtant tu angeli, & dicunt, quid hîc ſtatis & lamentamini & penſitatis? Abiit ille in ſuum locum, Ne ſitis vos in lamentatione hujus, ſed in præparatione veſtri ad idem iter. Neſcitis vos eſſe Galilæos & diſcipulos Chriſti? Ne gerite vos ſicut illi qui ſpem non habent.

II. Conſolationem in qua duo argumenta:

1. Ἰησοῦς ἀναληφθεὶς ϗ πορευόμενος εἰς οὐρανόν. q. d. ne putate amiſſum eſſe. Abiit in cœlum in domum patris ſui. Teſtantur Chriſtum iſſe in cœlum. Teſtimonii enim cauſâ venerant. Et eſt magnum argumentum ſolatii. Melius eſt Chriſtum eſſe in cœlo apud patrem quàm in terris. Ibi enim nobis plus prodeſſe poteſt. Poteſt intercedere, poteſt inde Spiritum S. mittere. Uxor quidem mallet maritum ſecum vivere quàm in Indiam abire, ſed cum cogitat ibi poſſe prodeſſe, hîc non, libenter dimittit. Sic Chriſtus hoc argumento diſcipulos ſolatur; Joh. 14. 27. 28. & 16. 7. Melior vobis eſt præſentia Spiritus S. quàm meæ carnis. Caro enim non eſt utilis, Joh. 6. Eſt & applicabile hoc argumentum ad ſolandum contra luctum amicorum, præſertim ſecundum ſenſum qui eſt Joh. 14. 28. Si verè amas, cur invides cœlum?

2. Hic Jeſus redibit ſicut vidiſtis euntem Si ita abiiſſet, ut in æternum non rediret, cauſam haberetis triſtandi Sed redibit. Intelligit reditum ad judicium, qui vulgò vocatur Adventus ſecundus, de quo Dan. 7. 13. Matt. 24. 30. Marc. 13. 26 Luc. 21. 27. 1. Theſſ. 1. 10. 2. Theſſ. 1. 10. Apoc. 1. 7. Spiritu ſuo nobis ſemper adeſt, ſed & corpore redibit. Eſt efficax ſolatium, quod ſcimus nos olim viſuros, in quem nunc tantùm credimus. Quare autem dicit, quod ita rediturus ſit quemadmodum abiit? Senſus eſt, quod tam certò rediturus ſit, quàm viderunt abeuntem. Nam quantum ad modum, differentia erit

Veniet alio modo, vid. in gloria.

In fine, Veniet non ut miniſtret ut Matth. 20. 28. neque ut iterum abeat, ſed ut regnum & ſubditos ſuos ab omni miſeria liberatos ad ſe transferat. Conſideremus hunc adventum.

1. Ad timorem filialem 2. Petr. 3. 11. Luc. 21. 36. Matth. 24. 27.

2. Ad exſpectationem & deſiderium. Si ſponſa tantopere deſiderat adventum ſponſi, quidni nos Chriſti adventum?

3. Ad ſolatium in oppreſſionibus. Veniet noſter vindex, Job. 19. 25.

4. Ad ſolatium contra mortuos amicos, Si pii ſunt, redibunt. Non quidem illi ad nos, ſed tamen nos ad illos, 2. Sam. 12. 23.

Act. 1. v. 12. 13. 14.

CONCIO VIII.

HActenus Præfatio huic libro profixa. Jam incipit ipſa libri materia, ſeu ipſa hiſtoria Actorum Apoſtolicorum poſt Chriſtum è terris ablatum. Hæc acta Euangeliſta deſcribit eleganti methodo, quæ planè accommodata eſt ad ultimam converſationem Chriſti cum diſcipulis, in præfatione deſcriptam. Tria enim ſunt quæ Chriſtus in ultima converſatione diſcipulis ſuis propoſuit.

I. Mandatum, quo injungit ut maneant Hieroſolymis donec promiſſio patris impleretur de mittendo Spiritu S.

II. Prædictio, quâ vaticinatur, vel promittit, fore ut poſt paucos dies iſta promiſſio impleatur.

III. Inſtructio, quâ explicat quid faciendum ipſis fuerit, poſtquam iſta promiſſio impleta eſſet, videlicet teſtaturos eſſe de Chriſto Hieroſolymis, in tota Judæa & Samaria, & uſque ad fines terræ, v. 8. Ad hæc tria capita Euangeliſta exactè revocat totam Actorum Apoſtolicorum hiſtoriam, Nam

I. Deſcribit obedientiam Apoſtolorum erga Chriſti mandatum Act. 1. à v. 12. ad finem capitis.

II. Deſcribit veritatem Chriſti in impletione prædictionis Act. 2. à v. 1. ad v. 14.

III. Deſcribit fidelitatem Apoſtolorum in proſequenda inſtructione, quam Chriſtus ipſis dederat. Deſcribit enim, quàm fideliter de Chriſto teſtati ſint.

1. Hieroſolymis à v. 14. cap. 2. uſque ad caput VIII.

2. In tota Judæa & Samaria extra Hieroſolymam à capite VIII. ad caput XI. v. 19.

3. Extra Judæam uſque ad fines terræ i. e. inter Ethnicos, à capite XI. ad finem libri, quanquàm hîc quoque paſſim aliquid inſeritur, quod Hieroſolymis actum eſt, adeò ut in toto hoc libro nil aliud deſcribatur, quàm

I. Plantatio primæ Eccleſiæ Chriſtianæ in urbe Hieruſalem.

II. Propagatio ejuſdem Eccleſiæ in alias urbes & nationes, quouſque Spiritui S. viſum eſt. Nam non omnium gentium converſio hoc libro deſcribitur. Primò, inquam, & ante omnia deſcritur obedientia diſcipulorum erga mandatum Domini

mini. Sicut enim Chriſtus mandaverat, ut Hieroſolymis non diſcederent, ita ſtatim atque Chriſtus diſceſſerat, revertebantur ex monte olivarum in urbem Hieroſolymam, & ſe concludebant in ſuperiorem domûs partem, ſeu in cœnaculum, ut ibi manerent, donec prædictio Chriſti impleretur.

Fuit hæc non ſimplex obedientia, ſed obedientia contra conſilium carnis & ſanguinis, ut Paulus loquitur Gal. 1. 16. Dei mandata & hominum deſideria ſæpe non pugnant, ſed benè conveniunt, & tùm voluntas hominum mandata Dei ſine difficultate ſequitur; e. g. Deus mandat, ut vitemus ſcortationem. Multorum hominum tale eſt temperamentum, vel talis conjugii felicitas, ut non deſiderent ſcortari. Itaque hac in parte homo ambulat cum Deo, ut ſcriptura loquitur Gen. 5. 22. Verùm hæc convenientia non eſt perpetua, ſed diſcordia ſæpe tanta, ut homo non tantum non deſideret, quod Deus mandat, ſed etiam oderit: e. g. Deus mandat ut toto corde ames inimicum tuum, cor autem tuum ardet cupiditate vindictæ. Cum ita ſe res habet, tum voluntas hominis naturalis, eſt ſicut canis, qui ſequitur duos viros, alterum herum, alterum peregrinum, quamdiu herus & peregrinus ambulant una, ſed quando à ſe invicem diſcedunt, canis deſerit peregrinum, & ſequitur herum ſuum, ſic nos, quamdiu Deus aliquid præcipit quod carni non eſt admodum contrarium, facilè ſequimur Deum & carnem, ſed ubi ſecus fecerit, facile Deum deſerimus & carnem ſequimur. Etſi autem hæc eſt indoles hominis naturalis, tamen non debet ſic eſſe regenitus. Hoc enim eſt præcipuum illud totius Chriſtianiſmi, Matth. 16. 24. abnegare ſe ipſum, & Chriſtum ſequi, etiamſi per crucem ſequendus ſit. Hujus naturæ fuit obedientia diſcipulorum, quæ hic deſcribitur. Jubentur ire Hieroſolymam. Caro & ſanguis eò non inclinabat. Sciebant enim ſibi ibi perpetuas infeſtationes Judæorum eſſe metuendas, Joh. 20. 19. Quomodo tuti eſſe poterant in urbe poſt Chriſtum ex terris remotum, cum iram tyrannorũ ſævituri procul dubio eſſent in diſcipulos, poſtquam in magiſtrum amplius non poterant. Et aliquid fortè fuiſſet, ſi licuiſſet diſperſos in urbe latere: Sed congregatio habenda erat in una domo centum & viginti hominum. Sine dubio caro & ſanguis ſuggeſſit, Spiritum S. non alligatum eſſe loco, ſed ſpirare ubi vult. Melius igitur eſſe congregari in deſerto, vel alio in loco, ubi minus periculum habeant. Sed ecce, conſiliis & deſideriis carnis ac ſanguinis abnegatis ſtrictè Chriſti mandato adhærent. Hoc nobis imitandum multis modis.

1. In recipienda veritate revelata. Debemus obedire veritati. Rom. 2. 8. & Euangelio 2. Theſſ. 1. v. 6. Cum res videtur incredibilis & impoſſibilis quæ annuntiatur & promittitur, ne differamus fidem, ſed abnegemus rationem, eamque captivam ducamus, cogitantes exemplum Zachariæ Luc 1. v. 18. 19. &c. & Mariæ ibidem v. 38. Cum res videtur injuſta, ne ideò blaſphememus. Ne dicamus e. g. quomodo foret juſtum, ut per unius unicam tranſgreſſionem omnes homines peccatores conſtituerentur, quomodo foret juſtum, Deum aliquos elegiſſe, cœteros reliquiſſe in corruptione, Deum indurare quem vult, & tamen de induratione eorum conqueri, &c. Diſcamus dicere cum Paulo ut eſt Rom. 9. v. 20.

2. In uſurpandis mediis inſtitutis. Qualis erat Naaman 2. Reg. 5. v. 11. 12. & Petrus Luc. 5. v. 4. 5. tales ſunt multi in uſurpandis mediis ſalutis. Dicunt: An non præſtaret meritis operum vitam quærere, quàm tali fiduciâ? annon ex Seneca & aliis moralibus ſcriptoribus æquè poſſumus ædificari ac ex ſcriptura? annon legendo domi ſcripturam æquè poſſumus ædificari ac in templo? an omnes vis damnare, qui S. cœnâ non utuntur? Immò ſicut Saul eligebat cultum, quem Deus rejecerat. 1. Sam. 15. ita hi inſtituta hominum cultui miſcent, & introducunt quicquid ſibi bonum videtur, ſacrificant Deo phantaſmata ſua, quod idem eſt, ac ſi quis Judæus porcinam ſacrificaſſet. Hæc non eſt obedientia talis qualem Chriſto debemus.

3. In exequendis officiis mandatis. Qualis erat Jonas, cum juberetur Ninivem ire, quale erat conſilium quod Petrus Chriſto dabat Matth. 16. 22. talis eſt multorum obedientia, ceſſans ſcilicet, cum ſine cruce vel ignominia fieri non poteſt. Si facerent, hoc & illud, ſequeretur. O quàm multi ſunt tales etiam ex illis qui videntur pii. Ne ſimus tales, ſed obediamus quicquid tandem ſequatur. Motivæ.

1. Quod Deus vult, ſemper ſanctum, ſapiens, & bonum eſt, nec poteſt eſſe aliud. Quod nos volumus, neceſſariò malum eſt, & nobis malè cedet, etiamſi aliud videatur. Sequamur igitur Deum & non nos. Dicamus ut Luc. 5. 5. ad verbum tuum faciam quod jubes etiamſi mihi fruſtraneum videatur.

2. Deus zelotypus eſt ſi faciamus voluntatem aliam, quàm ſuam; non tantum cum facimus voluntatem Diaboli & impiorum hominum, ſed etiam

cum noſtram, ſeu noſtræ carnis deſideria. Noſtra enim voluntas, Dei voluntati contraria, verè eſt voluntas Diaboli & mundi; & laqueus ille, quo nos ad ſuam voluntatem devincit. Si quis non vult capi, non tantum debet fugere manus aucupis, ſed etiam rete quod manibus tenet: ſic ſi nos à Diabolo capi non volumus, non tantùm debemus declinare ab ipſo Diabolo, ſed etiam à propriis noſtris malis deſideriis, per quæ ille nos ſibi obſtringit.

3. Sumus milites Chriſti. At talium conditio eſt, non ſua quærere, ſed ad mortem uſque ſequi. 2. Tim. 2. 3. 4.

4. Chriſtus propter nos abnegavit voluntatem ſuam, ſeu humanæ naturæ deſideria, ut voluntati Patris in noſtrum commodum ſe ſubmitteret. Ergo nos viciſſim.

5. Ne ſimus deteriores cane, qui diſcedentibus hero & peregrino, non peregrinum ſed herum ſequitur. Deus noſter herus, caro nobis peregrina, non dat cibum, nec potum, nec amictum. Deum ergo ſequamur. Diſcamus igitur ſedulò, quæ ſit accepta voluntas Domini; & cum ſcimus, ſequamur etiam per crucem, etiamſi deſideria noſtra nos aliò inclinent. Deſcribit autem Euangeliſta duas res de iſta mandati Chriſti executione.

I. Quinam fuerint iſti, qui mandato Chriſti obedientes Hieroſolymam conceſſerunt, ut ibi effuſionem Spiritus S. expectarent. Fuerunt nimirum;

1. Undecim Apoſtoli. Hos nominatim Euangeliſta recenſet, ut appareat eoſdem, quos Chriſtus antea elegerat, Matth. 10. & qui ferè omnes graviter lapſi erant Chriſto patiente, nunc eſſe receptos in gratiam, & in officium reſtitutos. Speculum bonitatis divinæ, ex quo apparet, quod non tantum remittat peccata, ſed & reſtituat in amicitiam & honorem.

2. Cum mulieribus. Hoc dupliciter exponitur. Vel enim intelligi poteſt de uxoribus Apoſtolorum, quippe non fuerant omnes ſine matrimonio, nec Apoſtolatus & matrimonium inter ſe pugnant. Vel poteſt referri ad iſtas mulieres, quæ ex Galilæa oriundæ ſolebant eſſe cum Chriſto, & nuper ad Sepulchrum ejus excurrerant, & Chriſtum redivivum viderant. Debuit prima Eccleſia non ſolùm viris, ſed etiam mulieribus conſtare, ut conſtet, quod utrique ſexui jus civitatis in Eccleſia Dei competat.

3. Maria Mater Chriſti cum fratribus ejus. Hæc eſt ultima mentio Mariæ in hiſtoria Euangelica. Deſcribuntur Acta Apoſtolorum, ſed non Acta Mariæ. Voluit Spiritus S. reliquam ejus vitam ſilentio involvere, ut futura circa ejus perſonam fabuloſa ſuperſtitio nihil prætextus in ſcriptura inveniret. Quinam autem ſunt illi, qui fratres Domini hic appellantur? Maria certè plures liberos non habuit. Intelliguntur igitur cognati, non tantùm ex parte Joſephi, quem ajunt ex priori uxore plures habuiſſe filios, ſed etiam ex parte Mariæ, uxor Cleophæ quæ Mariæ ſoror erat, & tres filios habebat, Jacobum, Joſen, Simonem Judam Matth. 13. 55. 56. comparato cum Joh. 19. 25. & Matth. 27. 56. Fuerunt itaque ex conſanguinitate Chriſti tot, ut unà cum Apoſtolis efficerent congregationem centum & viginti capitum, ut eſt v. 15. Fuere plures eo tempore, qui in Chriſtum credebant: Nam 1. Cor. 15. eſt mentio de pluribus, quàm quingentis fratribus, quibus Chriſtus apparuit. Sed videntur cœteri in Galilæa manſiſſe, & illi præcipuè Chriſtum ſecuti, qui erant de Chriſti ſanguine, quibus tamen aliqui potuerunt accedere, qui Hieroſolymis habitabant. Videmus igitur ex quali hominum genere prima hæc Eccleſia conſtiterit, ſcilicet non ex Principibus & Sacerdotibus, ſed ex abjectiſſimis piſcatoribus, ut ſub ipſum initium impletum ſtatim ſit illud 1. Cor. 1. 26. 27, ut ita conſtet collectionem & electionem Eccleſiæ non fieri ſecundum eminentiam humanam in ſapientia, potentia, &c. Sed ſecundum gratioſum Dei beneplacitum, ut qui vocati ſunt, tantò plus ſe obligatos intelligant ad gratitudinem erga Deum, & longanimitatem erga proximum.

II. Quidnam fecerunt in hâc congregatione? Non fuerunt otioſi per omne illud tempus. Expectandi causâ convenerant, & quamvis per decem integros dies promiſſio differretur, tamen non diſcedunt aut dilabuntur. Sed tamen nec otioſi ſedent, & tempus terunt confabulando, verùm ſe occupant in talibus, quæ amat Spiritus, quem exſpectabant. Duas deſcribit Euangeliſta ipſorum occupationes. Prima eſt, quod unanimiter perſeverarunt in petitione & deprecatione. Petitio & deprecatio fuit ipſorum occupatio. Vox prior ſignificat petitionem boni, poſterior deprecationem mali. Sedebant ibi in ſpe & metu. Ex una parte ſperabant & exſpectabant illud magnum bonum quod Chriſtus promiſerat; ex altera parte ſibi timebant à violentia Judæorum. Precantur igitur, ut Chriſtus impleat promiſſa, & depellat vim hoſtium. Sic noſter ſtatus eſt, dum hic vivimus. Exſpectamus cœlum & metuimus mundum. Occupemus nos igitur in precatio-

precationibus & deprecationibus. Sed præ cœteris notandum eſt, quod preces horum fidelium habuerint duas qualitates.

1. Perſeverantiam ἦσαν προσκαρτεροῦντες. Eſt vox deducta à nomine κράτος ſeu robur, & notat talem perſeverantiam, qua quis multo labore & magna vi ſeipſum tenet, & conſtantem reddit in aliqua occupatione difficili. Precari eſt res difficilis. Tardi ſumus corde ad precandum, ſicut ad credendum Luc. 24. Moſis manus labaſcunt facilè Exod. 17. Diſcipuli precaturi dormitant Matth. 26. Cogitationes noſtræ, ſicut palea; à vento facile disjiciuntur. Sicut avis non poteſt conſiſtere in aëre; niſi perpetuo volitet, & alas moveat, ita nemo poteſt perdurare in precibus, niſi ſe magna vi teneat & excitet. Et tamen Deus vult, ut perduremus & vigilemus in precibus Eph. 6. 18. Luc. 18. 1. Rom. 12. v. 12. Neceſſe igitur eſt ut vim adhibeamus, quâ nos reddamus in precibus conſtantes. Duæ ſunt rationes, propter quas homo tantâ vi opus habet ad precandum.

α. Quia inimicitia inter nos & Deum fuit, quam non niſi fide infirmâ credimus reconciliatam. Cape exemplum ab hominibus, imò à conjugibus per iram aliquam à ſe diviſis, quam ægrè & tardè redeant ad familiaritatem & colloquium amicum. Sic liberi à Parentibus objurgati tardè & ægrè redeunt ad parrheſiam cum parentibus. Sic nos Deo reconciliati poſt tanta peccata non niſi infirmâ fide Deum nobis verè propitium credimus,& proinde ad parrheſiam in precibus tardi ſumus.

β. Quia noſtrum in Deum & divina odium nondum in tam perfectum amorem mutatum eſt,ut adhæreamus Deo ſine concuſſione. Quod homines impenſe amant, id ita perſequuntur, ut non audiant [illegible] videant, ſi quid aliud in aures & in oculos incurrit. Sed quia noſter in Deum amor infirmus eſt, & amor mundi firmior, qui nos retrahit ſicut uxor Loti [illegible]ebatur, ideò quodvis objectum mundanum [illegible]tiones noſtras, facilè à Deo depellit. Opus itaque habemus robore & vi, quâ nos teneamus conſtantes in devotione. Vis facienda regno Dei, Matth. 11. precatio valida eſſe debet, ἐνεργουμένη, [illegible] expreſſit, Jac 5. 16.

2. Altera qualitas harum precum erat concordia. Erant in precibus ὁμοθυμαδόν. Duo hac voce dicuntur.

α Omnes precati ſunt. Hoc rarò fit in congregationibus, ubi multi etiam inter preces ſedent otioſi & aliud agentes, ſicut in organo Muſico, dum una tibia, fiſtula vel fidecula canit & ſonum edit, cæteræ ſilent. Non debebat eſſe ſic: Nam hæc cauſa eſt precationum publicarum ut per multorum cordium conjunctionem Deus tantò fortius urgeatur 2. Cor. 1. v. 11.

β. Precati ſunt animis in amore conjunctis & nullo odio diviſis. Miſeræ ſunt preces, ſi voces in adoratione conjungantur, & corda mutuis diviſionibus ardeant. Hinc Chriſtus voluit in precibus noſtris eſſe aliquam confeſſionem amoris, quem gerimus erga fratres, docens nos precari in plurali numero, de nobis, *remitte nobis, libera nos*, ut intelligamus, nullas poſſe fundi preces Deo gratas, ſi non remittamus debitoribus, & odium omne deponamus. Quamdiu geris iram in proximum, tamdiu vadis ſine cultu & adoratione. Nam preces ex corde irato non ſunt preces. Tollite manus ſanctas ſine ira 1. Tim. 2. 8. ira viri non operatur juſtitiam,i.e. non finit quenquam ſanctè precari. Fruſtra quoque eſt, precari corde irato. Deus enim non audit, ſed punit tales preces, ut patet ex Matth. 18. à v. 18. ad finem. Preces ex irato corde non ſunt thus odoriferum, ſed fœtor & abominatio.

Actor. 1. *v.* 15. 16. 17.

CONCIO VIII.

Altera occupatio Apoſtolorum,cui incubuerunt, dum per decem dies expectarunt adventum Spiritus S. eſt electio novi Apoſtoli in locum Judæ proditoris. Incluſerant ſe ipſos ſuperiori parti domûs, ſed nec otioſi erant, nec ſoli cultui vacabant, ſed etiam de vocatione ſua, quam acceperant, erant ſolliciti, & cum recordarentur, interitu Judæ vacare locum in Apoſtolatu, de loco vacante ſupplendo curam ſuſcipiunt. Docet hoc in genere hæc duo.

1. Non ſolum cultui vacandum, ſed etiam vocationi. Monachi, propriarum Inſtitutionum adoratores, & divinarum contemptores, honeſtæ ſe vocationi ſubtrahunt, & in cœnobiorum clauſtra abditi ſoli devotioni ſe vacare ajunt, quam rem incautis magna ſpecie commendant. Sed quis hoc poſtulat ab eorum manibus? Apoſtoli his ipſis diebus, quos ſpecialiter precibus dedicaverant, non obliviſcuntur vocationis. Sex diebus operaberis, æquè, præceptum eſt, ac Memento diei ſabbathi. Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet.

 2 Eccle-

2. Eccleſiaſticæ vocationes non ſunt hæreditariæ, ſed uno defuncto, requiritur alterius electio. Non eſt in Eccleſia, ſicut in quibuſdam Rebuspublicis, ubi Princeps Principi hæreditario jure ſuccedit. Diſcamus etiam illos habendos eſſe pro Dei ſervis, qui quidem non immediatè à Chriſto electi, ſed tamen per Eccleſiam vocati ſunt. Non minus enim Apoſtolus fuit qui mediante Eccleſia electus eſt, quàm qui immediatè à Chriſto vocabatur. Sed hæc obiter. De electione hujus novi Apoſtoli ſequentia deſcribuntur

I. A quo, vel à quibus hæc electio facta eſt.

II. Quo ordine & modo.

De Primo.

Non ab uno aliquo Apoſtolo, nec à ſolis undecim Apoſtolis, ſed à tota Eccleſia, quæ erat ferè centum & viginti perſonarum. Hi enim ſunt, quos Petrus alloquitur, & ad electionem hortatur. Jus vocandi miniſtros radicatur in toto Eccleſiæ corpore. Petrus hic ſibi non arrogat jus vocandi miniſtros ſicut Papa Romanus, ſed tantùm Eccleſiam hortatur, ut faciat quod ſui eſt officii. Non eſt itaque hæc electio miniſtrorum penes ſolos miniſtros, multo minus penes unum aliquem Epiſcopum, à quo fluat & derivetur omnis poteſtas eligendi miniſtros, ſed eſt hæc poteſtas in corpore Eccleſiæ. Debet quidem hæc actio regi & gubernari conſilio & authoritate eorum, qui ſunt Eccleſiæ cujuſlibet antiſtites, ut fiat ordine, decenter, prudenter, nec quicquam committatur in pacem Eccleſiarum vicinarum: ſed tamen quod totius Eccleſiæ eſt, ſibi ſolis non debent rapere antiſtites. Probatur 1. Ex hoc loco. 2. Ex Actorum 14. 24. ubi deſcribitur χειροτονία cum precibus totius Eccleſiæ. 3. Sicut Diaconi electi ſunt, ita etiam miniſtri, Actor. 6. 3. 2. Cor. 8. 19. &c. 4. Eccleſia eſt regnum & domus. Habet igitur poteſtatem ſibi proſpiciendi de rectoribus ſicut alia regna. Sic Timotheus electus ſecundum teſtimonium Eccleſiæ. Duo ſunt quæ hinc diſcimus.

1. Non eſſe electionem & vocationem miniſtrorum partem politicæ poteſtatis, quam Deus dedit Magiſtratibus, ſed eſſe rem Eccleſiaſticam, quæ pertinet ad regnum Chriſti, & quam nemini licet peragere & exercere niſi Eccleſiæ aut iis, quibus Eccleſia hanc rem commiſit. Non itaque poteſt Magiſtratus Politicus hoc in ſe ſuſcipere, aut ſibi arrogare, tanquam ſibi competens ex officio. Fatemur quidem aliquam iſtius rei curam etiam incumbere Magiſtratui ex officio, ne homines de Eccleſia negligant ſuum officium, vel id male adminiſtrent. Quia enim eſt nutritius & hoſpitator Eccleſiæ, omnino curare debet, ut Eccleſia ſuam in ſuis functionibus habeat libertatem ſine impedimento, curare quoque debet ne quid fiat in Eccleſia malum legi Dei, cujus Magiſtratus cuſtos eſt, contrarium, & paci Reipublicæ noxium: ſed tamen functiones & adminiſtrationes Eccleſiaſticas, inter quas eſt electio & vocatio miniſtrorum, non debet ſibi arrogare, aut facere partem ſui officii. Sicut enim abſurdum foret, Magiſtratum ſibi arrogare adminiſtrationem ſacramentorum, ita etiam abſurdum eſt, eum ſibi ſumere electionem miniſtrorum, quæ etiam eſt res Eccleſiaſtica eccleſiaſticis peragenda viris & ceremoniis. Utrumque enim fieri debet poteſtate, quæ venit ex Eccleſia. Multò magis autem cenſuram merentur illi, qui ob aliquod externum beneficium Eccleſiæ collatum ſibi jus Patronatûs, ut loquuntur, arrogant & propter beneficium aliquod Eccleſiæ præſtitum, jus Eccleſiæ ad ſe rapere ſatagunt. Nec eſt quod Magiſtratus vereantur miniſtros affectare poteſtatem aliquam collateralem &c. Eccleſia non quærit dominari, ſed tanquam peregrina in terris quærit ſibi hoſpitium ſub alis magiſtratus, ut ſuam propriam œconomiam adminiſtrare, & ſuas res ſpirituales, Majeſtati Magiſtratus neutiquam repugnantes, agere poſſit in pace.

II. Diſcimus hinc quoque quid reſpondendum Pontificiis, dicentibus, Nos non habere veram vocationem, quia non ſimus conſtituti ab Epiſcopo, ex authoritate Pontificis Romani: Habemus vocationem noſtram ex Eccleſia, cui ſervimus, & per Eccleſiam à Deo. Eccleſia enim quælibet habet jus ſuos ſibi vocandi miniſtros.

De Secundo.

Ordo & modus hujus electionis conſiſtit in ſequentibus:

I. Petrus ſurgit, & congregationem hortatur, ut faciant officium, & ad electionem novi Apoſtoli procedant.

II. Eccleſia, admonitione Petri auditâ, facit nominationem duarum perſonarum.

III. Nominatione factâ, preces ad Deum fundunt, ut electionem ipſe gubernet.

IV. Fuſis precibus ſortem mittunt, quâ Matthias declaratur à Deo Apoſtolus.

V. Per-

V. Perſona, in quam ſors ceciderat, electa à Deo, communibus ſuffragiis in numerum Apoſtolorum recipitur.

Primò omnium Petrus ſurgit, & orationem ad congregationem habet: Totius Eccleſiæ officium eſt eligere miniſtros. Cum hoc non pugnat, unum aliquem facere initium, & congregationem hortari. Sed cur Petrus hoc potius facit, quam alius quiſpiam Apoſtolus? Sine dubio quia Spiritus S. totius actionis Præſes hunc præ aliis inſtigavit. Sed annon hinc ſequitur, Petrum fuiſſe Principem reliquorum Apoſtolorum, adeoque caput totius Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti in terris, & Epiſcopum Oecumenicum, & Papam Romanum ejus ſucceſſorem in omnibus his privilegiis? Reſp. Eſt certè logica verè aſinina quæ hic ratiocinatur. Nam:

I. Pone, Petrum feciſſe hæc omnia, quid hoc ad Pontificem Romanum? Except. At Pontifex ſucceſſor Petri. Reſp. hoc falſum ob tres rationes.

1. Petrus non fuit Romæ. Saltem ita dubium hoc eſt, ut longe probabilius, & calculationibus ſcripturæ convenientius ſit, non fuiſſe, ſaltem non fuiſſe Epiſcopum Romanum.

2. Apoſtoli non habent ſucceſſores. Apoſtolatus enim fuit officium extraordinarium ad primam Eccleſiæ conſtitutionem erectum.

3. Si haberent ſucceſſores, ſaltem Papa non ſucceſſit. Nam non ſucceſſit in doctrina, ſed Apoſtaſiam fecit à Petri doctrina, ut aliàs probatur.

II. Pone, Papam eſſe ſucceſſorem Petri, non tamen poteſt Petro ſuccedere, niſi in eo, quod Petrus habuit. At quid habuit Petrus? Verba fecit in congregatione Apoſtolorum. An ideò fuit Apoſtolorum Princeps &c. Duodecim erant Apoſtoli. Poterant ſimul canere, ſed non poterant ſimul loqui: debebat igitur unus eſſe qui loquebatur. Quid hinc aliud poteſt concludi, quàm in congregationibus Eccleſiaſticis debere ordinis causâ eſſe aliquem qui actionem dirigat, & res agendas proponat, cæterorumque ſuffragia colligat. Hoc æquè Jacobus poteſt ac Petrus, Actor. 15. 13. Habeat hoc ſibi Papa, Romana in Eccleſia, ſi quæ Romæ eſt. Sed quid hoc ad id, quod prætendit & ſibi arrogat? Videmus qualibus fundamentis nitatur Hierarchia Romana. Certè [illegible] duodecim Apoſtolorum ſicut Jeruſalem Apoc. 21 ſed fictitiâ unius Apoſtoli ſupra cæteros authoritate. Certè non tamdiu ſtetiſſet, niſi judiciali Dei potentiâ & excæcatione hominum, qui amorem veritatis abjecerant & erroribus crediderant, tolerata aut ſuſtentata fuiſſet. Cùm ira Dei deſinet, ſponte corruet. Agamus Deo gratias, quod nos ab Imperio ejus liberavit. Oppugnationem & perſecutionem ejus patienter feramus. Ne commodemus manus noſtras ad ædificationem turris Babel, ne de plagis ejus accipiamus. Si volumus Petrum ſequi, ſequamur in doctrina & vita. Si volumus Petrum in hoc quoque particulari exemplo ſequi, ſequamur in eo, ut ſinamus eſſe ordinem in Eccleſia, nec nitamur confuſionem alere, Spiritus Prophetarum in rebus ordinis Prophetis ſint ſubjecti. Tyrannis & confuſio ſunt duo contraria, Medium inter utrumque eſt Ordo. Cum confuſio & Tyrannis bellum inter ſe gerunt, belli fructus ſolet eſſe Ordo. Oratio Petri habet tres partes.

1. Compellationem. *Viri fratres* v. 16.

2. Narrationem, quâ proditionem & interitum Judæ exponit, tanquam fundamentum novæ electionis, v. 16. 17. 18. 19. 20.

3. Propoſitionem, quâ exprimit, quid ſit, quod cupit in congregatione fieri, ſeu quod faciendum judicat. Petrus in congregatione verba facturus, compellat ſolos viros, cùm tamen ex ſuperioribus conſtet, congregationem etiam habuiſſe mulieres. Cur hoc facit? Reſp. 1. Non eſt mirum conciones præcipuè dirigi ad viros, non quaſi fœminarum & liberorum non æquè curam habeant ac virorum, ſed quia viri ſunt caput uxoris & patres familiâs, ut intelligant ſui eſſe officii, conciones non ſibi ſolùm audire, ſed eas etiam domi conjugi & liberis ac ſervis applicare. Debent quidem mulieres, liberi, ſervi etiam venire ad templum, & conciones ex ipſius concionatoris ore excipere, ſed tamen viri præcipuè ita debent concionibus attendere, ut infirmitati uxorum & liberorum poſſint ſubvenire in retinendis & applicandis concionibus.

2. Sed tamen quod ſolos viros compellat, hoc loco habet aliquid peculiare, quia acturus eſt de tali materia, quæ ad mulieres nō pertinet, ſcil. de electione Apoſtoli. Sicut enim tota functio miniſterialis non pertinet ad mulieres 1. Cor. 14. 34. 1. Tim. 2. 12. ita nec electio & vocatio miniſtrorum. Eſt quidem jus hoc penes totam Eccleſiam, ſed tamen ne confuſio fiat, & omnia ſint ordinata, exercitium ejus poteſtatis committendum eſt ſapientioribus, & iis qui judicare poſſunt de qualitatibus ad Miniſtrum pertinentibus, ut illi nomine Eccleſiæ agant quod agendum eſt, & deinde quod egerunt, judicio & approbationi Eccleſiæ ſubjiciant. Sic videmus

mus factum Act. 14. 23. 1.Tim. 4. 14. Vide annot. Belg.

Titulus quo compellat, eſt, *Fratres*: Hoc non ideò fit, quod non niſi conſanguinei & ſodales erant compellandi, ſed ut doceat complementa, ut loquuntur, mundana debere exulare ab Eccleſia, & in ſacris adminiſtrationibus id potiſſimùm debere reſpici, quod omnes in Chriſto communionem habeamus. In mundo magna eſt hominum differentia, alius herus, alius ſervus, alius Rex, alius ſubditus, alius nobilis, alius Dominus, alius Pater, alius Filius, Eccleſia has differentias hominum non tollit, ſed tantùm in adminiſtratione ſacrorum non reſpicit. In Eccleſia ſervus eſt frater ſui heri, & herus frater ſervi, Rex frater ſubditi, pater frater filii, &c. Matth. 23. 8. Philem. 16. Fratres ſunt omnia Eccleſiæ membra propter multas rationes 1. Quia filii ejuſdem Patris, omnes divinæ naturæ participes. 2. Filii ejuſdem matris: Omnes filii Eccleſiæ. 3. Fratres ejuſdem Primogeniti Chriſti, per quem ad eandem veniunt hæreditatem. 4. Ex eodem ſemine geniti, videlicet verbo Dei. Fratres itaque cùm ſimus, diſcamus fraternè inter nos converſari, vid.

1. Miniſtri non dominentur Eccleſiæ, ſed cogitent ſibi cum fratribus rem eſſe, ne eos habeant pro ovibus, pecudibus.

2. Qui nobilitate, divitiis & potentiâ eminent, cæteros non tractent cum contemptu, ſed recordentur ejus ſpiritualis conjunctionis, quâ ſibi invicem pares ſunt. Is quem contemnis eſt æquè Dei Filius ac tu, æquè Chriſti frater ac tu, æquè hæres vitæ ac tu.

3. Omnes mutuis officiis nos invicem juvemus.

4. Mutuas infirmitates toleremus. Nam cum fratribus nobis res eſt.

Actor. 1. *v.* 16. 17. 18. 19. 20.

CONCIO IX.

HActenus compellatio. Narratione Petrus exponit, quid de Apoſtolo Juda in ſcriptura V. T. prædictum ſit, & quomodo iſta de Juda prædictio impleta ſit, & quid etiamnum de ea implendum reſtet. Duplicem autem ſcripturam de Juda enarrat.

1. Eam quæ de Perſona & actionibus ejus vaticinatur.

2. Eam, quæ de officio ejus vaticinatur. Priorem ſcripturam non particulariter exprimit, ſed tantùm generaliter dicit, neceſſarium fuiſſe ut impleretur illa omnibus nota ſcriptura, quam Spiritus S. per os Davidis prædixerat de Juda, &c. Sine dubio autem digitum intendit in id quod extat Pſalm. 41. 10. quod & allegatur Joh. 13. 18. Ubi prædicitur, fore, ut unus ex domeſticis Chriſti diſcipulis Chriſtum hoſtiliter prodat. Hanc ſcripturam ait oportuiſſe impleri. Nota:

I. Verba ſacræ ſcripturæ ſunt verba Spiritus S. Ait enim Spiritum S. locutum eſſe per os Davidis. Verba ſcripturæ ſunt verba hominum: Sunt enim verba quæ David, Petrus & alii, ſuo ore loquuntur. Et tamen reverà dicere poſſumus, quod non ſint verba hominum, ſed verba Spiritus S. quia ſancti Dei homines locuti quidem ſunt, ſed non propria ἐπιλύσει, nec ἰδίῳ θελήματι, non ex propria meditatione & inventione, ſed actu & inſtinctu Spiritus S, 2. Pet. 1. Philoſophia inventa eſt humano ratiocinio & per obſervationem ſeu experientiam, quamvis non ſine omni ope revelationis. Sed myſteria ſcripturæ ſunt ex revelatione. Diabolus etiam poteſt loqui per os hominum 2. Chron. 18. 20. 21. ſed magna eſt differentia inter actus Diaboli & inſtinctus Spiritus S. Nam

1. Reſpectu materiæ: Diabolus loquitur mendacia, Spiritus S. veritatem. Diabolus fabulas, nenias & nugas, Spiritus S. myſteria ſalvifica. *Object.* Annon Diabolus etiam aliquando veritatem loquitur? *Reſp.* hoc non facit, niſi cùm vera dicendo mentiri, & fallere poteſt, e.g. cùm exaggerando Dei juſtitiam poteſt abnegare Dei miſericordiam, ut peccator deſperet, vel cum exaggerando Dei miſericordiam poteſt extenuare juſtitiam ut peccator fiat ſecurus, vel cum confitendo & prædicando majeſtatem Chriſti, ſibi quoque poteſt conciliare opinionem majeſtatis. Vide Marc. 1. 24. quaſi dicat: Non ſum ita tenuis & vilis, quin norim quis tu ſis.

2. Reſpectu formæ: Diabolus poteſt loqui per os hominum, ſicut Deus loquebatur per os aſinæ, per motus verè corporales, vel per ſuggeſtiones, ſomnia aut phantaſias, in cerebro natantes: ſed non poteſt ita verba indere in cor & animam hominis, ſicut Deus legem inſcribit in corda fidelium, ut toto corde ad Deum clament & laudes ipſius annuncient, ut ſibi ex ore infantium & lactentium laus præparetur Pſal. 8. Et ſicut miniſtris ſuis dat loquelam, ut aperto ore cum omni parrheſia annuncient myſteria Evangelii Eph. 6. 19. & per Spiritum S. doceant

doceant in ſpiritu, & virtute Eliæ. Tantum poteſtatis in corda hominum non habet Diabolus. Diſcamus hinc:

α. Spiritum S. eſſe veram perſonam, & non qualitatem. Tribuitur ipſi enim actio perſonalis i. e. loqui. Loqui præſupponit intellectum, intellectus vitam, vita perſonam.

β. Rectè æſtimare verba ſcripturæ. Deum audimus loquentem. Cum mutas illas fiſtulas & tibias organi muſici audis tam articulatè canentes, manuduceris ad cogitandum, intus eſſe Magiſtrum, & artificem qui pulſet. Sic cum homines Dei audis magnalia Dei annunciantes, cogita Deum eſſe in illis, & plectrum linguæ regere 1. Cor. 14. 24. 25. Recipiamus igitur non ut verba hominum, ſed ut, quod reverâ ſunt, verba Dei, omni reverentiâ, fiduciâ, obedientiâ, quantumcunque aliquando videantur improbabilia. Verba ſcripturæ ſunt tuti pontes, quibus potes Oceanum mundi tranſire ſine metu.

II. Spiritus S. non tantum poteſt dicere quæ facta ſunt, ſed etiam prædicere quæ futura ſunt. *Prædixit per os Davidis*. Et quomodo? Non per modum Aſtrologi, qui ex motu & conjunctione ſtellarum conjecturas elicit, nec per modum auguris, qui ex propriis imaginationibus cupit præſagire quod futurum eſt, nec per modum vatis, qui ex faſcinatione Diaboli futura prædicit, nec per modum Prophetæ, qui ex revelatione Spiritus S. prædicit futura, ſed ex propria ſcientia abſque alterius revelatione. Sicut Chriſtus Joh. 13. 18. 19. ex prædictione proditionis Judæ vult concludi ſe eſſe verum Deum, ita, quia Spiritus S. id prædixit per os Davidis, idem quoque de ipſo licet concludere. Spiritus S. poteſt loqui. Ergo eſt perſona. Poteſt futura prædicere. Ergo eſt divina perſona. Nam futurorum prædictio Deitatis ſignum eſt infallibile. Eſa. 44. 7. & 45 11. *Objectio*. At Joh. 16. 13. dicitur ab alio audire illa futura quæ nobis prænunciat. *Reſp*. Non quaſi opus habeat à Patre aliquid diſcere, quod ipſe neſciat, ſed quod revelationem ſuam, quam dat hominibus, inſtituat ſecundum voluntatem Patris & Filii, revelans ea, quæ Pater & Filius volunt revelari. Hæc enim eſt illa voluntaria Oeconomia trium perſonarum inter ſe. Magnum ſolatium hîc pro iis, qui Spiritum S. in ſe ſentiunt operantem & loquentem. *Habent* in ſe ipſum verum Deum, qui cor eorum ſibi fecit templum. Quid igitur poterunt ipſis nocere tentationes ſive externæ ſive internæ? Habes Spiritum roboris in te. Infirmus es? At, qui infirmitates tuas ſublevat eſt Deus. Corruptiones habes in te validas, quæ pugnant contra animam? At qui eas oppugnat Spiritus, Deus eſt. Age igitur opus tuum cum fiducia. Ne terreant nos corruptiones, quæ in nobis ſuperſunt, modò probemus, an juxta corruptiones in nobis quoq; habitet Spiritus.

III. Quod Spiritus S. prædixit, id *oportet impleri*. Prædictiones Scripturæ, ſicut etiam æterna Dei decreta, futuris rebus quandam quaſi neceſſitatem dant, ut eas oporteat fieri. Oportet Judam calcaneum tollere contra Chriſtum. Oportet Jeſum pati Luc. 24. Oportet ſectas eſſe 1. Cor. 11. Oportet venire ſcandala Matt. 18. 7. Si hunc textum vellem tractare ſpiritu ſchiſmatis, magnus mihi foret Rhetoricandi campus. Si oportuit ita fieri, Judas eſt ſine culpa, Deus autor peccati, fruſtra fuêre omnes adhortationes in contrarium, inevitabiliter debuit peccare, non potuiſſet evadere damnationem, quicquid egiſſet boni. Sic ſolent declamare noſtri Novatores, contra omnia quæ ſecundum ſcripturam dicuntur de dominio divinæ providentiæ in liberas actiones hominum. Et quid reſpondebimus? Nihil aliud quàm quod Paulus eidem objectioni reſpondet Rom. 9. 19. 20. Hac reſponſione Paulus repreſſit ſuos adverſarios, eâdem Patres repreſsêre Pelagianos, eâdem nos reprimimus noſtros ſchiſmaticos, & qui in hac reſponſione non cupit acquieſcere, inducet ſe in labyrinthum, ex quo non poſſit evadere, niſi velit negare quod ſit Deus. Nos quidem debemus, ſecundum ſcripturam, firmitatem & immutabilitatem divinæ præordinationis, & prædictionis credere, & eventus rerum ad eam referre, ſed tamen in ea non debemus fundare ullam excuſationem noſtrorum peccatorum, ſed hanc totam difficultatem rejicere in ſapientiam divinam, eamque credere talem ac tantam, ut nôrit providentiam ſuam in homines præſtare immunem ab iſta injuſtitia & abſurditate, quam ratio humana inanibus ſuis conſequentiis divinæ providentiæ, in ſcripturis revelatæ, nititur affingere. Neceſſitas humanarum actionum, quæ oritur ex divina præordinatione & prædictione, eſt quidem aliqua ſed non talis, ut tollat culpam hominis ex peccato, & faciat Deum injuſtum in pœnis. At enim quæ ratio eſt, quod ſcriptura peccata hominum ita ſolet referre ad præordinationes & prædictiones divinas, & dicere, quod oportebat ita fieri? Cur loquitur hæc verba quæ humanam rationem ita offendunt?

Reſp.

Reſp. 1. Ad pudefactionem impiorum, ut intelligant ſe peccatis ſuis non offendere Deum invitum, ita ut mutare vel prævenire non potuerit, ſed ut ſciant ſe omni ſuo contra Deum furore nihil aliud facere, quàm quod manus & conſilium Dei decrevit ut fiat. Vide Pſalm. 2. 1. 2. 3. 4. Deus cum impiis agit, ſicut gubernator aliquis ac defenſor caſtelli, præſcius conſiliorum & machinationum hoſtilium ſolet agere cum hoſtibus. Præſcit quid facturi ſint, ſinit appropinquare, ſed interim ponit limites quouſque velit eos pervadere, & poſtquam anxios eorum conatus ad tempus ſpectavit & riſit, tandem eos obruit & capit. Dicat Eccleſia hoſtibus ſuis: quid furitis, quid machinamini & meditamini? Pater noſter qui in cœlis eſt, ſecreta cordium intuetur, præſcit omnia veſtra conſilia, & lubens permittit ad noſtrum bonum, ſed interim limites vobis poſuit, & tandem ex improviſo vos capiet in omni veſtra aſtutia.

2. Ad conſolationem piorum contra furores & inſidias hoſtium. Facile eſt conſolari homines contra morbos, incendia & talia, quæ nobis accidunt ab immediata manu Dei, ſed animum purgare ab ira contra homines injuriantes & perſequentes difficilius eſt, præſertim cum injuriantes ſpeciali vinculo nobis ad officia ſunt obligati. Pſalm. 55. 13. 14. Ideò Scriptura hæc peccata hominum refert ad providentiam, decretum vel prædictionem Dei, ut ſciamus Deum quoq; habere manum ſuam in gubernatione humanorum peccatorum, ut ita negligentes culpam hominum diſcamus reſpicere conſilium Dei in permiſſione peccatorum, quibus homines nos affligunt. Nam cum ita facimus, extinguitur ira in homines & firmatur patientia in Deum. Sic fit 2. Sam. 16. 9. 10. Matth. 26. 53. 54. Sic cum perſecutionem patimur, dicamus ut eſt 2. Tim. 3. 12. 13. 1. Theſſ. 3. 3. Act. 14. 22. Accipiamus tanquam à manu Dei, etiamſi obveniant culpâ hominum.

IV. Peccando & malè agendo etiam poteſt impleri ſcriptura, & Dei voluntas. Judas tollendo contra Chriſtum calcaneos, implevit Scripturas, Judæi Chriſtum crucifigendo impleverunt Scripturas, & fecerunt quod Deus decreverat ut fieret. Act. 4. 28. 29. Quomodocunque homines vivant, Deus ſemper obtinebit voluntatem ſuam, ſi non voluntatem præcepti, tamen voluntatem decreti. Finis Dei in omnibus bonis, quæ facit hominibus, eſt ipſius gloria. Hunc finem ſemper obtinebit, ſive homines benè agant ſive malè. Nam ſi non glorificabitur hominum virtutibus, glorificabitur hominum pœnis. Juſtificabitur in judiciis Pſal. 51. 6. Levit. 10. 1. 2. 3. Confundat hoc omnes atheos & impios, qui odio Dei obſeſſi ſperant, ſe Deo nociturus. Inviti glorificabitis Deum. Dicetis tandem, *Viciſti Galilæe*, & eritis omnibus piis occaſio dicendi: Quàm juſtus eſt Dominus, & quàm verax in ſuis prædictionibus, quàm verè tandem impletur omnis ſcriptura, & omnis impietas juſtam ſuam ſortitur mercedem! Cœlum & terra peribit, ſed nullus ſcripturæ apex manebit, qui non impleatur Matth. 5.

Poſtquam Petrus citavit ſcripturam de Juda vaticinantem, deſcribit perſonam Judæ, ut intelligatur de quo Juda loquatur. De illo ſcilicet Juda, qui factus eſt ὁδηγὸς illis qui Chriſtum cœperunt, indigitans hiſtoriam quæ deſcribitur Matth. 26. 47. 48. Egregia deſcriptio peccati Judæ. Phariſæi & Scribæ ſolliciti erant de modo quo Chriſtum poſſent capere ſine tumultu: Judas igitur ſe obtulit, & miniſtros ſacerdotum deduxit in locum ubi Chriſtus noctu ſolus erat, & ſine omni tumultu poterat apprehendi, ſignavitque perſonam Chriſti oſculo, ne in perſona errarent. Duo hic ſunt ad ædificationem notanda:

I. Videmus hic cujus Apoſtoli ſucceſſor factus ſit Papa Romanus. Gloriatur ille, quod ſedeat in ſede Apoſtolica, & ſit ſucceſſor Apoſtoli, ut nuper audivimus. Fatemur rem totam, ſed errat ille in perſona. Nam non Petri ſed Judæ eſt ſucceſſor. Eſt enim ὁδηγὸς & caput eorum qui Chriſtum capiunt. Nam

1. Etſi Chriſtus jam eſt in cœlo, ut capi non poſſit, tamen ſicut Paulus Chriſtum dicitur perſequi dum membra perſequitur Act. 9. ita meritò Papa dicitur Dux viæ eſſe iis qui Chriſtum capiunt, dum emittit ſuos emiſſarios, eoſque inſtruit, quomodo capere, & in rete Papæ involvere debeant omnibus inſidiis illos, qui veram Chriſti doctrinam profitentur, & quos inſidiis ſeducere non poteſt, eos tyrannide & vi captivos ducit, & omnibus tormentis afficit. Quàm ſedulus ſit Papa in hoc officio, non opus eſt probare. Loquuntur Hiſtoriæ Patrum, & oculi noſtri vident, ſi cœcutire ſponte non volumus.

2. Et tantò magis hic titulus in Papam quadrat, quia non eſt Chriſti peregrinus, ſed miniſter & Apoſtolus Chriſti, ſicut Judas, qui ſortem miniſterii acceperat, domeſticus & ſocius Chriſti Pſalm. 41. Pſal. 55. Chriſtum prodidit, ita Papa eandem ſortem mini-

miniſteri [illegible] omnibus fidis Euangelii miniſtris accep[illegible], & tamen Chriſtum & membra ejus capit. Ethnici quidem & Turcæ Chriſtum capiunt, ſed nemo eſt, qui atrocius Chriſtum perſequitur, quàm hic ſucceſſor Apoſtoli Judæ, qui vocatus ad Eccleſiam, quæ corpus Chriſti eſt, paſcendam & ædificandam, [illegible] tam furioſè ſeducit & deſtruit.

3 Et quidem eodem modo Chriſtum capit quo Judas, ſcilicet oſculo. Eſt reverà hoſtis & adverſarius Chriſti, eſt verus Antichriſtus, & tamen Chriſtum adorat, ſe ſervum Chriſti ac vicarium ejus prætendit. Ovum ovo ſimilius non eſt, quàm Papa & Judas ſibi invicem, ut omninò fatendum nobis ſit, Papam ſedere in ſede Apoſtolica & eſſe ſucceſſorem Apoſtoli. Factus enim eſt ὁδηγὸς eorum qui Chriſtum capiunt & perſequuntur, idque eodem modo, quo Judas Apoſtolus, unde & ſeductoris nomine in Scriptura inſignitur. Apoc. 18. 23. 2. Joh. v. 7.

II. Non eſt gravius peccatum, quàm aliis eſſe ὁδηγὸν peccati: Petrus volens deſcribere peccatum Judæ, illud deſcribit hoc termino, quo atrocior non eſt. Grave eſt peccare, ſed gravius eſt eſſe ſeductorem aliorum & ὁδηγὸν peccati. Diabolus ideò ab omni ſpe veniæ excluſus eſt, quod non tantum ipſe peccavit, ſed etiam traductione & calumniatione Dei hominem ſeduxit, eique factus eſt ὁδηγὸς ad peccandum. Calumniari Deum & ſeducere hominem proprium Diaboli, unde & Diabolus & Tentator appellatur. Matth. 4. quia nemo poteſt ſeducere hominem, niſi per calumniationem Dei. Nemo igitur inter homines proprius accedit ad Diabolum, quam qui aliorum ſeductor eſt. Unde etiam contra neminem graviores ſunt in Scriptura comminationes, quàm contra tales. Matth. 18. 6. 7. Ezech. 13. 10. 11. Obſervent hoc.

1. Omnes falſi doctores, qui populum inſtituunt ad blaſphemandam veritatem & perſequendam Eccleſiam [illegible]. 3. 12. & 9. 16. O quot ſunt inter nos lupi, qui in pellibus ovinis ad nos veniunt! Probemus ſpiritus an ex Deo ſint, nec adhæreamus Spiritibus ſeductoribus, 1. Tim. 4. 1.

2 Omnes illi, qui pietatem rident ac perſequuntur, & nihil non agunt ut peccatorum ſocios habeant. Eſt hæc indoles impiorum, ut non ſint contenti ipſos eſſe impios, ſed non acquieſcant, donec & alios ad impietatem ſeduxerint. Si quis eſt fur, ebrioſus, [illegible], ſcortator, ſemper avet habere [illegible] Proverb. 16. 29. 2. Timoth. 3. 13. Pſal. 4. 4. Si ipſe non vis eſſe bonus ſaltem alios non ſeducas ad malum, ne duplicetur pœna tua.

3. Illi qui malo exemplo aliis præeunt. Multi ſunt qui alios ad impietatem non ſollicitant, ſed poſſunt pati ut ſint pii, ſed interim exemplo ſuæ vitæ eos ſeducunt. Væ miniſtris, væ parentibus, væ magiſtratibus, væ omnibus qui hoc faciunt. Hortamur omnes ne ſint ſecuri, ſed ſibi caveant à ſpiritibus ſeductoribus. Plenus eſt orbis talibus, precamini Deum, ne nos inducat in tentationem. Deus punit & qui ſeducunt & qui ſeducuntur, & cùm non obedimus iis, qui ad bonum ducunt, Deus mittit efficaciam erroris, ut adhæreamus ſpiritibus ſeductoribus. Sumus nos veſtri doctores. Examinate noſtram doctrinam, nunquid in ea ſit quod malum ſit, ſi non, obedite, ne Deus mittat efficaciam erroris. Precemur Deum ut nobis det tales ὁδηγὺς, qui nos ducant ad Chriſtum non occidendum, ſed colendum & amplectendum, præcipuè ut nobis det Spiritum S. qui nos ducat in omnem veritatem: Ipſi nos ſumus oves qui ſponte ſua ſatis errant, multò magis ſi habeamus ſeductores.

Act. I. *v.* 17. 18. 16.

Concio X.

ORatio Petri habet Compellationem, Narrationem, Propoſitionem. In narratione Eccleſiæ ob oculos ponit quid Scriptura jam olim prædixerit de Juda Apoſtolo, & quouſque illæ prædictiones impletæ ſint, quouſque etiam implendæ reſtent. Duplices autem enarrat prædictiones: 1. illam quæ eſt Pſalm. 41. & loquitur de ejus perſona, proditione & interitu. 2. Illam, quæ eſt Pſal. 69. & 109. & loquitur de vacatione officii & ſubſtitutione novi ſucceſſoris. Quod ad prius vaticinium, illud non particulariter exprimit, ſed tantum digito quaſi monſtrat, tanquam vaticinium diſcipulis notiſſimum, & ne erretur in perſona, deſcribit Judam à ſuo facinore, ne quis de alio Juda hoc vaticinium intelligat, quàm de illo, qui factus eſt vyæ dux illis qui Chriſtum ceperunt. Denique texit hiſtoriam vitæ Judæ, ut appareat quod illud vaticiniũ Pſalmi quadrageſimi primi in iſto Juda impletum ſit. Sicut autem iſto Pſalmo tria de hoc Juda prædicantur, videlicet fore unum ex amicis Chriſti & ex domeſticis v. 10. 2. Fore ut calcaneum efferat contra Chriſtum, id eſt hoſtiliter ipſum prodat, *ibid.* 3. Fore ut Chriſtus ipſum ulciſcatur. 4. privat offi-

cio v. 11. 12. Ita in hac hiſtoria Judæ Petrus monſtrat quomodo.

1. Judas fuerit unus ex domeſticis Chriſti v. 17.

2. Judas per avaritiam abſtractus, cum ſacerdotibus pactus ſit de proditione Chriſti certo pretio, & ita occaſionem dederit emendi iſtius agri, de quo ibidem in V. T. Zach. 11. prædictum ſit verſ. 18. p. poſtr.

3. Chriſtus Judam ultus ſit verſ. 18. p. poſt. & v. 19.

Tria itaque de Juda in hac hiſtoria narrantur: 1. ejus officium & vocatio, 2. ejus peccatum, 3. ejus pœna.

De Primo.

Erat nobis annumeratus & ſortem hujus adminiſtrationis nactus erat. Eſt deſcriptio legitimæ vocationis ad Apoſtolatum, q. d. erat æquè legitimè vocatus Apoſtolus ac nos omnes ſumus. Vocationem Judæ cœterorum Apoſtolorum vocat ſortem, non quaſi per ſortitionem fuerint vocati, ſicut Matthias, id enim de illis nuſquam legimus, ſed quia ſine ullo reſpectu peculiaris alicujus eminentiæ, & dignitatis in ipſis ad Apoſtolatum immediatè ab ipſo Chriſto erant electi & vocati. Hæc enim una eſt ex differentiis, quibus duodecim Apoſtoli à cœteris Eccleſiæ miniſtris diſcernuntur, quod ſcilicet non ab hominibus neque per homines fuerint electi, ſed immediatè à Deo vocati. Hinc etiam Matthias non ſimpliciter per ſuffragia Eccleſiæ fuit electus, ſed per ſortem à Deo declaratus Apoſtolus, ab Eccleſia ſolummodo fuit agnitus & acceptus. Hinc Paulus quoque immediatè ex cœlo vocatus Gal. 1. 1. Doctrina:

Hypocritæ & impii poſſunt eſſe boni & legitimi miniſtri Euangelii. Judas hypocrita impius, fuit æquè legitimus Apoſtolus, qui Euangelium cum cœteris prædicavit & miracula fecit Matth. 10. 4. 5. quem præterea inter cœteros peculiari Quæſtoris officio dignatus erat. Joh. 13. 29. Joh. 12. 6. Qui & profuſionem bonorum egregiè redarguit, & docuit hanc utilem doctrinam: Si quis aliquid abundantiæ habet, melius eſt ut det pauperibus, quàm ut profundat inutiliter Joh. 12. 5. Et tamen fuit proditor & hoſtis Chriſti. Sic Bileam quantus fuerit Propheta vide Num. 22. 18. & 23. 10. & 24. 3. 4. 5. &c. Sic quales & quàm impii fuerint tempore Chriſti ſacerdotes & ſcribæ in Judæa patet ex Matth. 23. paſſim, & tamen eodem capite v. 1. 2. Chriſtus diſcipulos remittit ad eos, & eorum conciones, cum mandato obediendi, & cum hac ratione, quia ſedent in Cathedra Moſis, & ſunt legitimè vocati miniſtri Dei, conſtituti ad hoc, ut labia eorum cuſtodiant legem Dei Mal. 2. 6. Si quis rationem cupit ſcire, cur Deus malis ſæpè hominibus utatur ad alios faciendos bonos, ea ſine dubio hæc eſt, ut intelligamus vim Miniſterii non pendere à virtute miniſtri ſed ab operatione Spiritus S. Nam cum homines mali malos alios tam bonos faciunt, id ſatis argumenti eſt, quod quædam major virtus in eis operetur, quàm eſt eorum propria. Placuit Deo in infirmitate potentiam ſuam exequi, ut laus non ſit hominum ſed Dei, Hebr. 7. 28. 2. Cor. 11. & 12.

Uſus I. Videmus hîc quid ſentiendum de Clero Pontificio? An ſunt legitimi Euangelii miniſtri? Reſpondemus quod ſic. Nam numerati ſunt nobiſcum, & ſortem ejuſdem adminiſtrationis ſortiti ſunt. Hinc quidquid faciunt ſecundum præſcriptum Euangelii, id ratum habemus & pro divino. Si quem baptizant in nomine Patris, Filii & Spiritus S. ratum habemus, nec retractamus. Si quem vocant vel manus ei imponunt ad docendum Euangelium ſecundum Scripturam, eum habemus pro legitimo Euangelii miniſtro, dum ſecundum Scripturam Euangelium annunciat. Quærunt ex nobis, unde Lutherus, Calvinus & alii primi Eccleſiæ Reformatores habuerint legitimam vocationem, & quis manus eis impoſuerit? *Reſp.* Clerus Pontificius, vi ejus vocationis quam à Chriſto nactus eſt. Nam ſicut impius Judas fuit verus & legitimus Apoſtolus, & quicquid ex vi officii ſui egit, id ratum eſt & legitimum, ita fatemur etiam Clerum Romanum eſſe divinitus vocatum ad docendum Euangelium, ad imponendas manus, &c. & quicquid vi hujus vocationis faciunt, id ratum ac legitimum eſt. Si Lutherus, Calvinus & alii, à Juda proditore accepiſſent impoſitionem manuum, an ideo non forent legitimi miniſtri? Sic etſi acceperunt ab Antichriſto, tamen ſunt legitimi miniſtri. Nam etiam iſte Antichriſtus, qui calcaneos adverſus Chriſtum extulit, à Chriſto accepit ſortem bonæ adminiſtrationis, & quidquid vi hujus miniſterii facit, id ratum ac divinum eſt, & ipſe tamen eſt Antichriſtus verus. Nam à Chriſto accepit vocationem, ut ſit pro Chriſto & miniſter Chriſti, ſed ipſe ſub prætextu oſculi calcaneos adverſus Chriſtum tollit, & cum ſolio ſuo pellere ſatagit. Hinc Antichriſtus dicitur ſedere

in templo Dei, & tamen ſe extollere contra Deum. 2.Theſſ. 2. 4. non eſt aliquis hoſtis extra Eccleſiam, ſed eſt [illegible] in Eccleſia, qui eandem ſortem miniſterii [illegible] eſt cum cœteris fidis Euangelii miniſtris, & [illegible] tamen ſic abutitur, ut quidem oſculetur & [illegible] Chriſtum, ſed prætextu adorationis [illegible] Judas verus Antichriſti typus. Quandoquidem [illegible] iſta convenientia Judæ Proditoris, & Cleri Romani ſole meridiano clarior eſt, exite ab [illegible] populi mei, ne plagarum ejus fiatis participes, & agnoſcant noſtri Magiſtratus, quos hoſpites in ſinu alant, dum emiſſarios Romanæ ſedis tam impunè inter ſe patiuntur graſſari. Etiamſi enim in vocatione ipſorum aliquid divinum eſt, & in functione eorum aliquid legitimum; non tamen ideò miniſterio ipſorum [illegible] ndum cum communione Antichriſtianæ [illegible] & ſuperſtitionis ac hæreſeos, quo ſacra Dei [illegible] tuta polluunt, præſertim cum purior adminiſtratio ſacrorum haberi poteſt.

Uſus II. Ne reſpiciamus miniſtrorum vitam, ſed doctrinam & vocationem. Sunt quidem miniſtri juſti, [illegible] non tantum doctrinâ, ſed etiam vitâ ædificent, & Deus efficacius benedicit piorum miniſtrorum laboribus, & quod ex corde venit, efficacius ad corda penetrat, ſed tamen ſi quando Deo placet bonam Euangelii doctrinam nobis annunciare per malæ vitæ miniſtros; ne ſcandalizemur, nec recuſemus eos audire, ſed cogitemus illud Chriſti Matt. 23. 2 & illud Pauli Hebr. 7. 28. *Deus homines conſtituit miniſtros, qui habent infirmitates.* Si Judas aliquis [illegible] mal[illegible] audiendus eſt, quidni aliquis Thomas [illegible] infirmus, aliquis Paulus qui luctatur cum palo Sathanæ? Voluntas Dei ita fert. Ergo nos non debemus recuſare. Sicut fax ideò non eſt obſcurior, ſi fertur ab Æthiope, ita Euangelium ideò non minus efficax, ſi annunciatur ab homine impio. Veritas [illegible] eſt ubicunque invenitur. Non quis dicat, [illegible] attendendum eſt. Sicut infantes [illegible] de habent à quo fricentur modò [illegible] nque onere peccati ſunt contriti, [illegible], [illegible] quo ſolatium Euangelii hauriant, [illegible].

Uſus III. Ne ſit hoc præcipuum noſtrum gaudium, [illegible] præcipua, [illegible] officiarium in regno [illegible]. Nam poteſt quis eſſe Apoſtolus & [illegible] ritatis in Eccleſia, & tamen eſſe homo [illegible] & Dei hoſtis. Tres ſunt bonitatis gradus [illegible], quibus homines alias creaturas [illegible] quod [illegible] turæ rationales. Et hoc magnum beneficium, 2. quod ſunt miniſtri Dei, quibus utitur in aliis gubernandis. Et hoc magnum eſt beneficium, ita eminere ſupra alios. 3. quod ſunt Filii Dei, quibus Deus ſeipſum communicat. Hoc maximum. Qui hoc non habet, nihil eſt, etiamſi ſit Rex, etiamſi Apoſtolus, etiamſi dominetur toti mundo, etiamſi poſſit Diabolos ejicere. Applica Pſal. 84. 11. 1. Cor. 12. 21. cum 1. Cor. 13. v. 1. &c.

De Secundo.

Hic igitur emit agrum ex mercede injuſtitiæ. Apoſtolus contractè loquitur, ut paucis multa involvat, & factum Judæ referat ad Prophetiam Zachariæ c. 11. quaſi dicat: Hic Judas avaritiâ impulſus injuſtum & iniquum contractum fecit cum ſacerdotibus, quo triginta argenteorum pretio Chriſtum promiſit tradere, quod pretium cum nactus eſſet, ſervili pœnitentiâ correptus pretium retulit ad ſacerdotes, atque ita occaſionem dedit emendi agri figulini in ſepulturam peregrinorum, ut ita impleretur quod Zacharias de ipſo vaticinatus eſt. Judæ peccata fuerunt varia. Nam.

I. Peccavit contra legem, idque multipliciter:

1. Fuit avarus. Pro profuſione habebat, quicquid in cultum adhibebatur, Joh. 12. 5. Sicut naturale eſt, ut ubi avaritia, melancholia, invidia prædominantur, ibi quædam ſit averſo à profuſione, ita avarus cum eſſet Judas, profuſionis hoſtis fuit, unde & ſine dubio ambivit ex avaritia officium quæſtoris.

2. Fuit fur. Nam ſicut avaritia radix eſt omnis mali, ita præſertim furti & injuſtitiæ, nec deſiit operari in Juda, donec etiam ex eleemoſynis furaretur, atque ita ſacrilegium committeret, vide Joh. 12. 6. Avaritia quædam ſitis eſt, quæ facit ut injuſtitiam bibamus ſicut aquam.

3. Fuit proditor & hoſtis perfidus proprii magiſtri. Tantum poterat apud ipſum avaritia, ut modò argentum nanſciſceretur, proprium magiſtrum vendere non vereretur, atque ita verum fecit Chriſti dictum Matth. 6. *Qui Mammonæ adhæret, Deum odit.*

4. Fuit invidus & vindictæ cupiditati deditus. Nam cum Jeſus mulierem, quæ pedes ejus unxerat, à diſcipulis reprehenſam laudaſſet ſummopere & defendiſſet, Judas nolens hoc ferre ideò Chriſtum prodidit, Matth. 26. 14.

II. Peccavit contra Euangelium. Nam

1. Fuit hypocrita. Cum tantis ſcateret nævis, tamen paſſus eſt ſe vocari Apoſtolum, concionatus eſt contra peccata, ſimulavit ſe curam gerere pauperum, & cœteris diſcipulis de proditore quærentibus etiam videri noluit cœteris pejor Matth. 26. v. 25. Forte etiam ſacræ cœnæ interfuit, etſi aliis hoc non videtur probabile.

2. Fuit ſecurus contemptor Euangelicarum admonitionum, adhortationum, quibus quotidie ad emendationem fuit excitatus. Chriſtus diſcipulos ſuos, & Judam quoque quotidie hortatus eſt ad pœnitentiam. Verùm egregias conciones fruſtra audierat. Chriſtus ſpecialiter ipſi prædixerat & eum admonefecerat de hoc peccato Matth. 26. 25. &c. Væ ipſi comminatus erat,& tamen faciebat.

3. Fuit infidelis & abnegator miſericordiæ divinæ. Poſtquam diu ſecuritati contra omnes exhortationes indulſiſſet, tandem evigilante conſcientiâ cæteris omnibus peccatis addidit iſtud maximum ſcilicet deſperationem, eique adeò indulſit; ut præ deſperatione ſeipſum laqueo ſuffocaret. Si feciſſet ut Petrus, & ſentiens peccatum pœnitentiam egiſſet, cum fide, miſericordiam aſſecutus eſſet,ſed ecce deſperans ſe ipſum occidit. Factum turpe & horrendum. Si jam omnia vellem exactè premere,quæ hoc textu continentur, quantus mihi foret dicendi campus: Dicerem enim 1. de avaritia & cupiditate temporalium bonorum, 2. de furto & injuſta acquiſitione bonorum, itemque de injuſtis contractibus, quorum tam multi inter nos rei ſunt, 3. de infidelitate & perjurio erga eos quibus ſervimus, 4. de hypocritica religionis ſimulatione, 5. de ſecuritate & pertinacia contra Euangelicas adhortationes, quibus Deus nos patienter ad pœnitentiam invitat, 6. præſertim de infidelitate & deſperatione. Sed ne nimis diu inhæreamus huic textui, verbulo vos rogo, ut hæc omnia peccata vel ideò vitetis, quia ſunt peccata Judæ proditoris, cum quo utique nihil commune cupitis. Præcipuè etiam vos rogo, ut præ omnibus vitetis avaritiam & injuſtas cupiditates mundanarum divitiarum. Nam qui huic indulget,ille facile ex uno in aliud labitur, donec fiat perfectus Judas. Avaritia non deſinit operari, donec incidas in laqueum 1. Tim.6.9. Moderamini igitur veſtras cupiditates. Præcipuè etiam notate, quod ſecuritatis contra Euangelium exitus plerunque ſit deſperatio. Quia ita ſecurè contemnunt Euangelium,& videntur nihil comminationis metuere,plerunque ita fiunt deſperati,ut ſuſpendio propriam vitam finiant.

De Tertio.

Chriſtus minatus eſt Pſal. 41. 11. ſe velle ulciſci Judam. Jam quidem turpe illud ſuſpendium proprii corporis de quo Matth.27.5.habet quandam rationem pœnæ, quatenus à Deo permiſſum eſt, ſed tamen potius eſt peccatum Judæ, quàm ultio & pœna Chriſti.Ideò Chriſtus eo non acquieſcit,ſed & ipſe pœnam ipſi infligit,eamq; triplicem, videlicet:

1. Pœnam doloris.Poſtquam enim ſe ipſum ſuſpendiſſet, effecit Deus, ut præceps factus crepuerit medius, & omnia ejus viſcera effunderentur. Hoc non fuit factum naturaliter vi ſuſpendii, ſed eſt aliqua divina ultio,quâ laqueus fractus, & venter ejus vi ad terram alliſus crepuit ſeu ruptus eſt, & omnia viſcera,etiam illa,quæ firmiter alligata ſunt corpori, ſunt effuſa, quod ſine dubio factum eſt ad deteſtandam hypocriſin. Cum enim extus videretur pius Apoſtolus, & intus eſſet impuriſſimus nebulo, Deus inteſtina ejus effudit ad deteſtandam hypocriſin. Non legimus ſimile exemplum niſi in hiſtoria Eccleſiaſtica de Arrio hæretico & hypocrita, qui etiam dicitur, ſecedens ad onus ventris deponendum, crepuiſſe & omnia viſcera effudiſſe. Terreat hoc omnes hypocritas, qui extus volunt videri Chriſtiani & intus ſunt lupi rapaces,Deus omnia veſtri cordis ſecreta reddet manifeſta,etiamſi ilia veſtra debeat effundere. Vos vultis abſcondere intus, ſed Deus ventrem veſtrum faciet crepare & effundet illa.

2. Pœnam infamiæ. *Innotuit omnibus qui habitabant Hieroſolymis ita ut &c.* Non tam hoc intelligitur de ſuſpendio, quàm de proditione, quæ cùm innotuiſſet, omnibus ita fuit exoſa, ut in æternam infamiam proditoris ille ager, qui proditionis pretio emebatur, vocaretur *ager ſanguinis*, i. e. ager infamis proditionis, quâ innocens Jeſu ſanguis fuit à proprio diſcipulo proditus. Sicut dicitur Pſ. 112. v. 6. quod juſtus ſit futurus in æterna memoria, & ſicut juſtorum facta prædicantur cum Euangelio Matth. 26. 13. ita etiam unà cum Euangeliò Chriſti annunciantur facta multorum malorum e. g. Pilati in ſymbolo fidei, Judæ in inſtitutione cœnæ. *Dominus ea nocte qua proditus eſt.* Quicunque igitur apud poſteros non cupit malè audire, caveat peccata. Uxor Lothi ideò verſa eſt in columnam ſalis, ut

indi-

indicaturus æternam infamiæ memoriam ſubituros qui malè agunt.

3. Pœnam damni, ſeu privationis. Nam degradatus & ab officio depoſitus locum dedit alteri. Sed de hoc in ſequentibus.

Actor. I. *v.* 20. 21. 22.

Concio XI.

HActenus prior ſcriptura, quæ de Judæ perſona & actionibus ac exitu vaticinata eſt. Sequitur altera, quæ de officio ejus vaticinatur. Non enim ſufficiebat ad bene fundandam Petri Propoſitionem, ut allegaret vaticinia de Judæ interitu, ſed etiam ut ex vaticiniis ſcripturæ oſtenderet, quid poſt mortem Judæ de officio ejus futurum eſſet. Affert itaque teſtimonia duo, quibus ſcriptura prædicit officium Judæ vacaturum eſſe, & in alium conferendum. Primum teſtimonium deſcriptum eſt ex Pſal. 69. v. 26 ubi David optat & precatur, ut inimicorum ſuorum caſtella vaſtentur & fiant ſine inhabitatione. Alterum deſumptum eſt ex Pſ. 109. 8. ubi David precatur, ut inimici ſui epiſcopatus vel officium contingat alii. In utroque Pſalmo David agit de aulicis Sauli, calumniatoribus, qui ipſum ita deferebant ad Saulem eo tempore quo à Saule fugere cogebatur, & nominatim ſemper reſpicit ad Edomæum Doëg, qui, ſicut erat præcipuus ex paſtoribus Saulis, ita erat primarius calumniator Davidis. 1 Sam. 21. 14 Sicut enim David in paſſionibus & perſecutione ſua fuit typus paſſionis Chriſti, ut patet paſſim ex hiſtoria Euangeliſtarum, ita iſti aulici Saulis, qui Davidem perſequebantur, fuere typi iſtorum ſacerdotum & aliorum hoſtium, qui Chriſtum perſecuti ſunt, & ſpecialiter ille Doëg paſtor pecudum Saulis, qui Davidem prodidit, fuit typus Iudæ, quem Chriſtus Apoſtolum & Paſtorem oviũ ſuarum elegerat, ſed qui Chriſtum prodidit. Et hæc [illegible] textus, qui alioquin de hoſtibus Davidis propriè loquuntur, hic ad Iudam accommodantur. Duo autem ſunt, quæ David Doegi & [illegible] imprecatur, atque ita Duo ſunt quæ in [illegible] imprecatione de Iuda vaticinatur.

1. *Fore ut Palatia ejus reddantur vacua & non ſit qui inhabitet.* Quomodo hoc in Iuda impletum ſit, de [illegible] & opibus nihil in hiſtoria legimus, [illegible] quod curioſe indagemus. Certum eſt, quod [illegible] per avaritiam, fraudem & furta corra[illegible] us eſt per turpem mortem, & in cujus manus devenerint, etſi ſcriptura non dicit, tamen ex hoc loco facile conjicitur. Si uxorem & liberos habuit, ſine dubio in ipſis quoque impletum fuit illud Pſal. 109. 9. 10. Et hæc juſta pœna eſt avaritiæ, hypocriſeos & perfidiæ in Iuda. Contra hæc vitia ſæpius Deus hanc pœnam minatus eſt & exercuit Mich. 1. 6. & 2. 1. 2. &c. quod impletum per Salmanaſſarem & Nebucadnezarem. Sic Luc. 13. 34. 35. quod impletum per Titum Veſpaſianum. Caveamus à talibus peccatis, hoc tempore & loco non infrequentibus. Nullum enim hîc peccatum ita regnat ac avaritia hypocriſi tecta & per fraudulentiam ac perfidiam exercitata. Avaritiâ ducuntur omnes, interim templum diligenter frequentant, & tamen manus eorum plenæ injuſtitiæ. Si metuitis hanc pœnam, deponite hoc peccatum. Non eſt quod ex antiquis hiſtoriis diſcatis, quàm acerba ſit pœna bonorum, multo labore partorum, ſubita jactura. Vivunt inter nos viva exempla eorum, qui domus, agros, imò regna integra amiſerunt.

II. *Fore ut officium ejus nanciſcatur alius.* Doëg erat Sauli ab armento, quod erat officium lautum. Iudas erat Chriſti Apoſtolus, quod erat officium honorificum. Eſt igitur pars pœnæ, quod degradentur & deponantur à dignitate, honoribuſque, & indigni declarentur, qui ſerviant Deo in honeſto officio. Iudas punitus fuit pœna doloris. Crepuit enim medius & effudit omnia inteſtina: pœnâ ignominiæ. Nam in memoriam ſceleris ager ſanguinis fuit emptus. Pœnâ denique damni. Nam ſpoliatus omnibus bonis & depoſitus eſt ab officio. Sicut Saul propter inobedientiam & crudelitatem depoſitus eſt regno 1. Sam. 15. 23. ita Iudas depoſitus eſt ab Apoſtolatu. Tria verba hinc diſcamus.

1. Sicut in Eccleſia eſt miniſtrorum electio & vocatio, ita etiam eorundem degradatio ſi ſe malè gerunt. Pars Eccleſiaſticæ diſciplinæ eſt deponere à miniſterio eos, qui ſe miniſterio dignè non gerunt, ſeu qui miniſterium gerunt contra Chriſtum. Non tantùm arceantur à ſacramentis & communione, ſed etiam à ſacro officio. Sic factum Abiathari 1. Reg. 2. 27. Sic Chriſtus ſignificat Luc. 16. 2. in parabola. Sic 1. Tim. 1. 20. Rationem reddit Deus ipſe 1. Sam. 2. 30. & Paulus 2. Tim. 2. 17. Servit hoc juſtificandis actionibus Eccleſiæ reformatæ contra eos miniſtros, qui à veritate defecerant. Redarguit etiam Magiſtratus, qui ferunt eos, qui docent fermentum Papatus. Vide Apoc. 2. 14. 15. 20.

2. Bonum herum decet abdicare malos ſervos.

Vide

Vide Pſal. 101. 6. 7. Utinam hoc curarent noſtri magnates, multorum animas ſervarent, quas nunc præpoſtera benignitate perdunt, & multas corruptiones in familia ſua prævenirent. Perinde eſt talibus an atheos; hæreticos, nebulones habeant ſervos & famulos, modò aliquid ſervitii & delectationis inde habeant.

3. Qui bona talenta à Deo accepit, amittet ea, ſi non bene iis utatur. Vide Luc. 19. 24. 26. Itaque qui ſtat, videat ne cadat. Ne gloriemur in eo quod ſumus reges, principes, docti, & aliorum doctores, quod ſumus populus Dei. Fieri enim poteſt, ut impleatur in nobis illud Chriſti, Matth. 21. 43. & 8. 11. 12. Benè utamur talentis noſtris, ut aliquid lucremur ad honorem Dei. Multa enim accepimus. Dedit nobis eſſe & vivere cum nihil eſſemus. Dedit rationalem animam præ cæteris creaturis. Dedit benè eſſe & pacificè vivere in ſanitate & abundantia, præ multis hominibus. Vocavit multos noſtrûm ad alios homines gubernandum. Dedit honeſtatem vitæ ut poſſimus dicere cum Phariſæo, *Non ſum ſicut alii.* Dedit eſſe cives Eccleſiæ, aperit januam gratiæ & invitat ad converſionem, &c. Si non utamur, non tantùm non ingrediemur ad gloriam, ſed etiam amittemus quod accepimus. Utamur igitur ad humiliationem, ad fidem, ad gratitudinem. Si ſic, nunquam amittemus, ſed dabitur nobis plus Luc. 19. 26.

Hactenus ſecunda pars orationis Petri videlicet Narratio: ſequitur tertia, videlicet propoſitio, quâ tandem exprimit quid velit factum ab Eccleſia, q. d. Quandoquidem ſcriptura de perſona & officio Judæ ita vaticinata eſt, intelligimus quid ſit noſtri officii. Hinc in genere diſcimus hanc doctrinam: Certitudo & neceſſitas rerum futurarum, quæ eſt ex decreto & prædictione Dei, non impedit, ſed infert hominis officia, ad exiſtentiam illarum futurarum rerum requiſita. Oportet ſcripturam impleri, oportet alius veniat in locum Judæ. Ergò oportet nos eligamus. Homo profanus potuiſſet dicere: Si oportet fieri, fiet etiamſi nos non curemus. Sed Petrus ex neceſſitate prædictionis infert neceſſitatem officii. Unum oportet concludi ex altero. Confer. v. 16. cum v. 21. Sic Act. 27. 22. & 25. cum 26 & 31. Deus enim non ſolum determinavit finem, ſed etiam media ad finem. Obſervemus hoc, ut habeamus quo os obturemus Spiritibus turbatoribus. Firmitas decretorum & prædictionum divinarum non impedit, ſed includit neceſſitatem humanorum officiorum. Scripturam oportet impleri. Ergò oportet nos aliquem eligere, *qui fiat teſtis reſurrectionis Chriſti* cum cæteris Apoſtolis. Eſt deſcriptio Apoſtolatus & ſacri miniſterii, quam ſupra verſu octavo explicuimus, ubi oſtendimus, quot modis Apoſtoli de Chriſto teſtentur. Unum tamen peculiare hic eſt. Cùm ſuprà verſu 8. in genere dicantur futuri teſtes Chriſti, hic ſpecialiter dicuntur futuri teſtes reſurrectionis Chriſti. Cur hoc? An Apoſtoli non æquè teſtantur de Deitate, de Nativitate, de miraculis, de doctrina, de paſſione, de adſcenſione Chriſti, &c. atque de ejus reſurrectione? *Reſp.* Articulus de reſurrectione Chriſti includit omnes alios articulos fidei de Chriſto 1. Cor. 15. 13. Si enim reſurrexit, mortuus eſt, ſi mortuus eſt, natus eſt, & qui reſurrectionis cauſas, fines & fructus enarrat, is omnia annunciat quæ de Chriſto dici poſſunt. Articulus reſurrectionis eſt ſumma Euangelii. Eſt enim ſignum & teſtimonium, quod pro peccatis noſtris exactè ſatisfactum ſit. Juſtiſſimus enim Deus ſponſorem noſtrum non exſolviſſet vinculis mortis, niſi lytrum ſufficiens ab ipſo accepiſſet.

Quærere aliquis poſſit, quam ob cauſam oportuerit duodenarium Apoſtolorum numerū impleri, cur non plures nec pauciores voluit Chriſtus habere Apoſtolos, quàm duodecim? *Reſp.* Deus jam olim elegit hunc numerum, ut eſſet Eccleſiæ characteriſticus. Duodecim Patriarchæ, & tribus Iſraëlis duodecim. Sic etiam Architecti novæ Eccleſiæ duodecim Apoſtoli, unde etiam in nova Hieruſalem dicuntur futuræ duodecim ſellæ, ſuper quas ſedebunt duodecim Apoſtoli, & judicabunt duodecim tribus Iſraël Matth. 19. eademque Hieroſolyma nova Ezech. 48. 12. & Apoc. 21. 12. dicitur habere duodecim portas, duodecim Angelos, duodecim fundamenta, duodecim nomina. Quæ autem ſit ratio, propter quam Deus voluit numerum XII. itemque numerum 144. ex hoc numero per multiplicationem factum: Apoc. 14. 1. eſſe numerum characteriſticum Eccleſiæ, quemadmodum voluit numerum 666. eſſe numerum characteriſticum Antichriſti Apoc. 13. 18. id ſubtilioris indaginis eſt ac ſpeculationis, quàm ut ad Cathedram Eccleſiaſticam pertineat. Sufficit nos inde obſervare, Eccleſiam V. & N. T. non niſi unam eſſe Eccleſiam, & membra Eccleſiæ N. T. eſſe veros filios Abrahæ participes fœderis & omnium promiſſionum, & de benedicto ſemine, quantumvis ſint Ethnici. Sicut

enim

enim [illegible] duodenarius veteris, ita & novæ Eccleſiæ [illegible] eſt.

Non [illegible] autem Apoſtolus hortatur, ut aliquem [illegible], ſed etiam monet qualis ſit eligendus, [illegible] ex illis, qui cum Apoſtolis fuerit omni [illegible] tempore, quo Jeſus inter illos introiit & exiit; videlicet [illegible] Baptiſmate Johannis uſque ad adſcenſionem [illegible] ſuum miniſterium cœperat eo tempore, quo [illegible], ſcilicet trigeſimo ætatis anno Luc. 3. 23. Ab eo tempore cœpit vocare diſcipulos, eoſque per quatriennium ferè ſecum duxit & quaſi in [illegible] inſtituit ac enutrivit. Hæc enim eſt vis [illegible] *introiit & exiit inter illos*. Petita eſt phraſis ex ore Chriſti, Joh. 10. 9. ubi tribuitur ovibus, ſicut hic [illegible], quia paſtor intrat & exit ante oves, eos [illegible] & reducens. Duæ autem ſunt qualitates [illegible] requirit.

1 Ut fuerit cum illis i.e. ut ſit αὐτόπτης eorum, quæ Chriſtus fecit. Hoc enim decebat Apoſtolum, 1 Joh. 1. 1.

2 Ut fuerit omni tempore cum ipſis, ut ad finem uſque perſeveraverit in ſequela Chriſti, nec ſit Apoſtata factus, ſicut Judas, & multi alii Joh. 6. 66. Sunt hæ duæ qualitates, quæ etiamnum reſpiciendæ ſunt in electione Miniſtrorum, ſcilicet 1. Ut habeat cognitionem eorum, quæ debet annunciare. Non quidem hodie poſſunt eligi tales, qui ſint αὐτόπται, ſed tamen tales qui per ſcripturas bene inſtructi ſint 2 Tim 3. 14. 15. Tit. 1. 9. 2. Ut ſit probatæ conſtantiæ in amore Chriſti. Hinc Paulus non vult [illegible] eligi, 1. Tim. 3. 6. i. e. tales qui recenter ad Eccleſiam ſunt converſi, ſed qui ad tempus in Eccleſia ſint probati. Debet enim miniſter habere [illegible] conſtantiæ & perſeverantiæ contra plurimas tentationes Luc. 9. 60. 61. 62. Jerem. 1. 17. 18.

Actor. 1. v. 23. 24. 25. 26.

Concio XII.

Hactenus [illegible] ratio Petri, ſequuntur cætera particularia [illegible] electionis modo & ordine ſunt obſervanda, quæ ſunt: Nominatio, precatio, ſortitio, & [illegible].

I. Nominatio duorum, videlicet Joſephi & Matthiæ cognomine *juſti*. Duobus modis hoc exponi poteſt.

1 Quod tota Eccleſia ſuis ſuffragiis, ex toto [illegible] elegerit & coram facie Dei ſtatuerit, ut Deus oſtenderet utrum ex duobus his ipſe elegiſſet.

2. Quod Apoſtoli, tanquam Conſiſtorium, duos nominaverint, eoſque judicio Eccleſiæ ſubjecerint, & ante faciem Eccleſiæ conſtituerint, ut indicaret Eccleſia, utrum contra hos duos aliquid haberet, cur non poſſint in Apoſtolatum eligi & recipi. Utrumque rectum eſt. Hoc modo hinc obſervetur, quod in electione miniſtrorum nihil debeat geri privatâ authoritate unius vel alterius, ſed omnia publicè in facie Eccleſiæ, idque circumſpectè & prudenter, & tali ordine, quo maximè excludatur omnis fraudulentia, ne quis irrepere poſſit, qui doctrinâ vitaque minus ſit idoneus.

II. Preces ad Deum. Rem tanti momenti non judicant agendam ſine invocatione Divini nominis. Scriptura ait, ſemper & indeſinenter eſſe precandum, & totus noſter exitus & introitus debet eſſe in nomine Domini. Multò magis igitur actio tanti momenti debet fieri cum precibus. Eccleſia eſt domus Dei. Quis autem auſit alienæ domui præfectum conſtituere inconſulto Domino? Et quid quæſo, precantur? Precatio eorum habet.

1. Compellationem, *Domine*, q. d. O Deus, nos noſmet hic accingimus gerendo negotio, in quo non ſumus αὐτοκράτορες & αὐτεξούσιοι, ſed pendemus abs te, & ſumus tui ſervi. Itaque Te invocamus, ut Tu ſis præſens inter nos.

2. Fundamenta petitionis duo, vid. *Quia Tu noſti corda omnium*, q. d. nos quidem fecimus, quod poſſumus. Inquiſivimus in externas qualitates, & ſecundùm eas ſtatuimus hos duos. Sed ſumus homines, poſſumus falli. Tu ſolus es qui corda nôſti. Ergò ad Te deferemus. *Quia Iudas exiit à ſorte miniſterii & Apoſtolatus hujus, ut abiret in locum ſuum*, q. d. Non eſt noſtra curioſitas aut propria voluntas quæ nos impellit ad tale quid occipiendum, ſed eſt Eccleſiæ neceſſitas & indigentia, exiſtens ex malitia & apoſtaſia noſtri olim coapoſtoli, qui vocationem ſuam deſerens & in locum ſuum abiens defectum aliquem procuravit in numero Miniſterii abs te inſtituti.

3. Petitionem ipſam; *Oſtende utrum elegeris ex his duobus*. Non ſumunt ſibi electionem particularem ſed nominatione contenti, cæteras partes Deo deferunt.

Diverſa hinc diſcimus ad noſtram ædificationem.

1. Deum eſſe καρδιογνώστην πάντων. Quid ſit eſſe

eſſe *καρδιογνώστην*, & quod Deus ſit talis, & quid nobis inde concludendum inſtructionis & terroris & ſolatii, vide Fundamenta Patientiæ à me conſcripta ſuper 8. cap. Epiſt. ad Rom. pag. 93. 94. 95. 96.

2. Apoſtolatus eſt ſors & miniſterium. 1. Non eſt meritum, ſed ſors, i. e. vocatio, quæ alicui contingit non ex jure meriti, nec ex propria voluntate & aſſumptione, nec caſu & per accidens, ſed ex *εὐδοκίᾳ* Dei. *Separati ſecundum voluntatem Dei ab utero matris*, Gal. 1. 1. Quicquid hominibus boni malique in hoc mundo contingit, ſcriptura vocat ſortem hominis Ier. 13. 25. Act. 8. 21. Pſalm. 125. 3. Ut ſcilicet intelligamus, nihil fieri per accidens, ſed omnia certâ ac prudenti diſpoſitione Dei, ut ita bona noſtra patienter à Deo exſpectemus in legitimorum mediorum uſu, & mala ſine murmuratione feramus. Sunt ſors noſtra, calix noſter, menſura noſtra, quam optimus pater-familias nobis admetitur. 2. Nec eſt dominium, ſed miniſterium Apoſtolatus. Refutatur Cleri Romani ſuperbia, Vide 1. Petr. 5. 3.

3. Iudas abiit in locum ſuum. Quid hoc eſt? In locum ſe & factis ſuis dignum, quemque malitiâ ſuâ meritus erat. Erat in honeſto loco, & in vocatione ac conditione honeſta. Sed eo ſe fecerat indignum, & præcipitavit ſe in eam conditionem, quâ magis erat dignus. In locum quoque divinitus ſibi præparatum. Nam ſicut Chriſtus electis ſuis præparavit multa loca Iohan. 14. 2. ita Deus impiis quoque præparavit locum tormentorum Matth. 25. 41. Apoc. 21. 8. Sicut in unaquaque Republ. eſt carcer & locus ſupplicii erectus in terrorem improborum, ita Deus etiam erexit infernum.

III. Sortitio. Nolunt electionem particularem ſuffragiis ſuis perficere, ſed eam Deo deferunt & voluntatem ejus per ſortem explorant. Tria hic quæri poſſunt & conſiderari.

I. An ſortitio licitè poſſit uſurpari à Chriſtianis? Sors eſt exploratio divinæ voluntatis, non per Urim & Tummim, ſeu per ſignum divinitus inſtitutum, ſed per ſignum à nobis electum Sicût Gideon ſibi ipſi eligebat ſignum, Iud. 6. 37. ita nos eligimus ſive lapillos, ſive aleam, ſive chartulas, ſive aliud quid, quo voluntatem Dei exploremus. Quæritur an licitè? *Reſp.* Licitè. Nam ſæpè Dei populus uſurpavit, e. g. in dividendâ terrâ Ioſ. 15. in eligendo Rege 1. Sam. 10 in exploratione rei ſurreptæ, Ioh. 7. &c. Sed tamen in uſu ſortis hæ conditiones ſunt obſervandæ,

1. Quod in ſcriptura debes quærere, non debes per ſortem explorare, e. g. ſi quis per ſortem velit explorare quæ ſit vera Religio. Non ad ſortem, ſed ad legem & teſtimonium remiſit te Deus.

2. Quod Deus noluit revelare, non debes per ſortem explorare, e. g. qui per ſortem futura volunt prædicere, vel præterita & occulta divinari. Hæc eſt tentatio Dei.

3. Non debes luſus & recreationis causâ ſortem adhibere. Sors enim eſt exploratio non cœcæ fortunæ, ſed divinæ voluntatis Prov. 16. 33. Non decet igitur ludere in re tàm ſeria. Luſus noſtri debent potius arte quàm ſorte conſtare.

4. Non debet ſors adhiberi ad rem levem & nullius momenti, ſed in rebus arduis, vitandæ litis causâ, vel magni incommodi, quod aliâ ratione vitari non poteſt. In talibus adhibetur Prov. 18. 18. Nam quantum ad res leves, quæ judicio & arbitrio hominum diſcerni poſſunt, in iis fruſtra & leviter ſors adhibetur.

2. Secundò quæritur: Annon Eccleſia ſit alligata huic exemplo, ut teneatur ſorte uti in electione Miniſtrorum, nec rem liberè meris ſuffragiis peragere? *Reſp.* Quin imitari hoc exemplum poſſit, poſtquam nominatio plurium judicio & ſuffragiis peracta eſt non dubito. Iudicia enim & ſuffragia debent præcedere. Sed quod alligata ſit, nec poſſit ſuffragiis rem liberam peragere, non eſt quod credamus. Quia enim Apoſtoli præ cæteris miniſtris hoc habent, quod immediatè à Deo debent eſſe vocati, ideò Eccleſia noluit ſibi ſumere rem totam, ſed & immediatam Dei declarationem voluit intelligere. Sed quia hoc ad commune miniſterium non requiritur, non opus eſt ad ſortem recurrere, præſertim quandiu ſuffragia & judicia ſufficiunt litibus & ſchiſmatibus præveniendis. Interim communium miniſtrorum electio non minus eſt à Deo, etſi non ſorte ſed meris ſuffragiis peracta. Etſi enim ſors non adhibetur ab Eccleſia, tamen preces adhibentur & judicioſa ſuffragia, qualia hic in nominatione adhibebantur, & hoc ſufficit ad arguendam divinam voluntatem, & ad dandam authoritatem ac parrheſiam vocatis.

3. Tertiò conſiderandum eſt, quod ſors non cadit in Ioſephum ſed in Matthiam: Ex multitudine nominum apparet Ioſephum fuiſſe magnæ & nobilis Proſapiæ virum, & quia priori loco ponitur

videtur

videtur [illegible] habuiſſe in nominatione ſuffragia quàm [illegible] Interim Deus Matthiam eligit Viæ Dei n[illegible] hominum. Deus non reſpicit ex- cel[illegible] nec [illegible]s movetur, ſed ſæpius humiles & te[illegible] quàm alios. Ne itaque felicitatem magnam p[illegible]us in privilegi[illegible] mundanis, ſed po- [illegible] verâ humilitate & patientiâ nos probemus De[illegible] q[illegible] poteſt exaltare.

IV. A[illegible]batio. συγκατεψηφίσθη. Com[illegible]uni- bus ſuffragi[illegible] receptus eſt inter Apoſtolos. Non de[illegible]tur hic pars electionis. Nam poſtquam di- v[illegible] declaratus erat Apoſtolus, non habebat am- pl[illegible] humana electio. Sed deſcribitur Eccle- ſiæ ſubmiſſio & obedientia, quâ declaratum Apo- ſtolum talem agnoverunt & æſtimarunt, & pari cum cœteris Apoſtolis honore eum proſecuti ſunt. Nulla hic invidia, ſed pia ſubmiſſio. Et hoc etiam- num eſt Eccleſiæ officium, ut pro talibus habeant & recipiant & honorent, qui per legitimam vocatio- nem tales declarati ſunt. In tali enim fœdere inter membra & Paſtores conſiſtit communio Eccleſia- ſtica. Sumus toti cœtui divinitus præſtituti & præ- fecti, ſed multi ſunt qui calculo ſuo nos nondum receperunt. Illi hoc exemplo ſe patiantur emen- dari, & ſuos paſtores agnoſcant, tractent ac reci- piant ut tales, qui ſibi à Deo præfecti ſunt.

Actor. 2. v. 1. ad 14.

Concio XIII.

Res & materia quæ his verſibus con- tinetur, & cujus feſto Pentecoſtes memoriam celebramus, eſt viſibilis effuſio Spiritus S. ſuper omnem car- nem, quæ Ioele c. 2. & aliis Prophe- t[illegible] eſt Non ſimpliciter effuſio Spiritus S. Ea [illegible] in V.T. etiam facta eſt, ſed 1. effuſio viſibi- l[illegible] In V T. Spiritus S. effuſus eſt menſura exili, ſed [illegible] Ch[illegible] regnum & thronum ſuum occupa- vi[illegible]s eſt viſibiliter, ut Deus oſtenderet ſe im- p[illegible] Sp[illegible]m S. daturum majori menſurâ ſu- per E[illegible]am ſuam. Sicut enim infantes & pueri [illegible]on[illegible] habent exiguũ, ſed adulti magnum, ita [illegible] ſpirituale lumen Spiritus S. ſub initium [illegible]t, ſed poſtea Eccleſiam è dura diſciplina [illegible]ogiæ emancipatam clariori & abun- [illegible] Spiritus S. colluſtravit Gal. 4. 1. & c. 2. ef- [illegible] r[illegible]mnem carnem. In V. T. effundebatur [illegible]tem, ſed poſtquam Chriſtus in thro- [illegible] exaltatus eſt, effuſus eſt Spiritus S. ſuper mu[illegible] omnibus nationibus congregatam, [illegible] impoſterum ſalvificam gratiâ Spiri- tus S [illegible] omnibus gentibus, popu- l[illegible] E[illegible] præcipuum eſt, cujus nos h[illegible] , quod ſcil. ſupra nos, [illegible] ſub do[illegible]nio peccati, alieni à vita [illegible] etiam e[illegible] eſt vivificus ille Spiri- tus, [illegible] circa hoc te[illegible]nni arbores & prata [illegible] frigore [illegible]per renovata, lætiſſimè vi- [illegible], ita no[illegible], [illegible] aridum eramus de- ſertum, nunc per effuſum Spiritum ex alto facti ſi- mus fœcundus ager Eſai. 29. 17. & 32. 15. De hac effuſione Spiritus S. quatuor ſunt in hoc textu:

1. *Quando effuſus.*
2. *Super quos effuſus.*
3. *Quomodo effuſus.*
4. *Effuſionis fructus & effectus.*

De Primo.

Effuſus eſt cum ingrueret Pentecoſte. Non cum finita eſſet, ſed cum inciperet & ingrueret. Pen- tecoſte fuit unum ex tribus primariis Iudæorum fe- ſtis anniverſariis, quibus omnes mares coram Do- mino in urbe Hieroſolyma tenebantur comparere. Vocatur Pentecoſte, quia celebratur die quinqua- geſima poſt Paſcha Lev. 23. 16. Vocatur etiam fe- ſtum ſeptimanarum Exod. 34. 22. quia inter Paſcha & hoc ſeptem ſeptimanæ intercedebant. Hoc feſto præter ordinaria ſacrificia fiebat ſacrificium primi- tiarum tritici Exod. 34. 22. unde vocatur feſtum primitiarum Num. 28. 26. Tria feſta magna habe- bant Hebræi 1. Paſchatis, cujus ſecundo die etiam primitiæ frugum offerebantur Deo Levit. 23. 10. ſed primitiæ hordei, quod citius matureſcebat quàm triticum Exod. 9. 31. Ruth. 2. 23. 2. Feſtum Pen- tecoſtes quo offerebantur primitiæ tritici Deut. 16. 9. &c. Exod. 34. 22. 3. Feſtum tabernaculo- rum poſt meſſem & vindemiam quoque peractam Deut. 16. 13. quæ tria feſta egregie repræſentant tres gradus noſtræ ſalutis, quæ ſunt 1. Redemptio

noſtra, quam repræſentat feſtum Paſchatos, quâ agnus Dei cæſus, & viride lignum, frons & germen ex radice Davidis exciſum eſt. 2. Regeneratio noſtra & ſanctificatio per primitias Spiritus, quam repræſentat feſtum primitiarum. 3. Glorificatio noſtra, quam repræſentat lætiſſimum feſtum tabernaculorum, quo in fine anni, poſt peractum laborem in plenitudine horreorum & cellarum ſub umbra frondium lætitiam exercebant Iſraëlitæ. Pentecoſte igitur erat feſtum inter hæc tria medium. Finis hujus feſti erat rememoratio duorum beneficiorum magnorum videl. 1. Promulgatæ legis in monte Sinai. Cum enim quæritur, cur Deus Levit. 23. 15. ordinaverit, ut hoc feſtum celebraretur quinquageſima die poſt Paſcha, reſpondent docti communiter, quod ideò, quia quinquageſima die poſt primum Paſcha Iſraelitis data ſit lex in monte Sinai. Et hoc probant ac conjiciunt ex Exod. 19. v. 1. & 11. ubi Deus Moſi apparet primo die tertii menſis poſt exitum ex Ægypto, eumque jubet Iſraëlitas illo & ſequenti die v. 10. ſanctificare, ut tertio inde die legem acciperent v. 11. 2. Ingreſſus in terram Canaan, ejuſque poſſeſſionis. Hoc clarum ex Deut. 26. v. 1. 2. &c. ubi Iſraelitæ jubentur poſt occupationem terræ ſanctæ primitias omnium frugum & fructuum in corbe adferre coram Deo & edere confeſſionem ſui in Ægypto exilii, & introductionis divinæ in Canaan. Offerebantur quidem primitiæ in feſto Paſchatos, ſed quæ non à ſingulis Iſraëlitis adferebantur, ſed unus manipulus hordei viridis nomine totius Iſraëlis offerebatur. Pentecoſtes autem feſto ſinguli Iſraëlitæ, ſaltem ex ſingulis civitatibus aliqui deputati, primitias omnium frugum & fructuum cum cantu & tibiis Hieroſolymàm mittebant, ac Domino offerebant, quò alludit Eſai. 30. v. 29. Eo ipſo igitur die, quo Judæi recolebant memoriam datæ legis & occupatæ terræ ſanctæ per oblationem primitiarum, voluit Deus Spiritum S. effundere. Quare illo ipſo die? *Reſp.* Ut hoc ipſo oſtenderet officium Spiritus S. cujus gratia ſuper nos effunditur, ſcil.

1. Ut ſit is qui legem Dei inſcribat tabulis cordium noſtrorum. Lex per Moſen lata, etſi in ſe ipſa ſancta, tamen per carnem infirmata nihil poterat ad ſalutem noſtram, ſed erat litera occidens, debitum noſtrum exigens, maledictionem annuncians, peccatum irritans. Sed poſtquam Spiritus S. ſuper nos effuſus carnem noſtram mortificat & ſubigit, & legem à Moſe latam cordibus inſcribit, lex fit potentia Dei ad ſalutem. Fit enim gladius anceps, qui cor perfodit & conterit ad ſanctam humilitatem & gratiæ deſiderium. Fit etiam lux & lucerna pedibus, quæ nos, per Euangelium Deo reconciliatos, ducat in viam gratitudinis, in qua Deo propter Chriſtum placemus, & per quam ad poſſeſſionem ſalutis contendimus.

2. Ut ſit ille dux qui nos in cœleſtem Canaan introducat. Sicut Iſraëlitæ die Pentecoſtes recolebant memoriam occupatæ terræ ſanctæ per Joſuam, ita Deus eodem die voluit effundere Spiritum S. ut oſtenderet, eum eſſe noſtrum Joſuam, qui nos in cœleſtem Canaan, cujus terreſtris illa typus fuit, introduceret. Sicut enim Moſes, poſtquam Iſraelitas ex ſervitute Ægyptiaca eduxiſſet, in cœlum eſt receptus, & poſt ſe reliquit Joſuam, qui in poſſeſſionem terræ promiſſæ Iſraëlem introduceret: ita Chriſtus redemptor noſter, poſtquam merito paſſionis ſuæ nos liberâſſet ex poteſtate hoſtium, & jus vitæ reconciliatis cum Deo acquiſiviſſet, receptus eſt in cœlum, & miſit nobis alium paracletum, qui nos in omnem veritatem duceret, nos conſolaretur, & nobiſcum maneret, donec per Jordanem mortis nos introduxiſſet in poſſeſſionem æternæ Patriæ.

3. Ut ſit pignus & arrhabo ſalutis. Sicut primitiæ frugum, Deo oblatæ, erant ſacramentum cuſtodiendæ & benedicendæ meſſis, ita primitiæ Spiritus ſuper nos effunduntur Rom. 8. 23. ut ſint arrhabo atque pignus, quo nobis obſignetur cuſtodia plenæ illius meſſis, quæ conſiſtit in pace & gaudio Spiritus S. Rom. 14. 17. 2. Cor. 1. 22. En hæ ſunt cauſæ propter quas Deus Spiritum S. voluit effundere in Judæorum Pentecoſte. Quoniam igitur nos hoc quoque noſtrum feſtum, quo memoriam effuſi Spiritus S. recolimus, Pentecoſtes nomine inſignire conſuevimus, celebremus illud eodem modo, quo Judæi ſuum celebrabant Deut. 26. v. 1. ac 11. Sumamus primitias Spiritus S. in corbe corporis & animæ noſtræ, eaſque ſtatuamus coram Deo cum hac ſincera confeſſione & promiſſione. O Domine, ego teſtificor coram te, quod Pater meus Amorita, mater ex Hethithis, conceptus eram in peccato, natura filius iræ, conſtitutus ſub dominio peccati, ſub poteſtate Diaboli, exul paradyſi, alienus ab omni vita & juſtitia. Sed tu mei miſertus, ſanguine filii tui me redemiſti, & has primitias Spiritus mihi dediſti, quibus oculos intellectus mihi aperuiſti, cognitionem Jeſu Chriſti dediſti, ad ſenſum miſeriæ exci-

excitâſti [illegible] ſalutis implantâſti, cum Chriſto univi[illegible], & pedes meos in viam pacis traduxiſti. Pro hoc be[illegible] ago tibi gratias ex toto corde, & lætor ex tota anima, & tibi promitto ſeriò, quod velim ſanctè & gratè coram te ambulare, peccata mea mo[illegible], tibi obedire, crucem patienter ferre, pro[illegible] diligere, vocationem perficere, cultui intereſſ[illegible], nomen tuum adorare, & per has primitias [illegible]rmare in fide futuræ meſſis. Et hoc eſt celebrare Pentecoſten Chriſtianorum.

De Secundo.

Effuſus eſt ſuper eos, qui ad mandatum Chriſti, & cum fide in promiſſionem Chriſti uno in loco erant congregati concorditer. Dependet hoc ab eo, quod d[illegible]tur Actor. 14. 8. 12. 13. 14. Cum autem hæc congregatio conſtiterit non ſolùm ex XII. A[illegible], ſed ex capitibus circiter CXX. Act. 1. 15. quæ[illegible] an viſibilis illa effuſio Spiritus S. contigerit [illegible]s illis CXX. an verò ſolis XII. Apoſtolis? *Reſp.* Textus neminem excipit, quamvis maximè p[illegible]e eſt, quod omnibus quidem contigerit, ſed [illegible] duodecim Apoſtolis ſingulari & peculiari modo ac menſura. His enim in adſcenſione peculiariter p[illegible]miſſa, hi indigebant dono linguarum, ut doctores gentium futuri. Diſcimus igitur hinc duo:

I. Q[illegible] Deus vocat, eos etiam inſtruit donis & v[illegible]us ad vocationem neceſſariis. Vocaverat Apo[illegible], ut intra omnes gentes teſtimonium darent [illegible] ſuo. At i[illegible] adeò inepti & idiotæ, ut nihil eru[illegible] haberent, nullam linguam callerent præter [illegible]ulam. Sed quos vocaverat, eos etiam aptos [illegible] Vide d[illegible]a 1. Cor. 1. 8. 9. 1. Theſſ. 5. 24. Ob[illegible] hoc.

1. Q[illegible] difficilem & periculoſam habent voca[illegible] M[illegible] divina ſit vocatio, vires non dee[illegible]. Qui enim vocavit, fidelis eſt. Hoc diſcrimen [illegible] ſiniſtris mediis ſe intrudunt, & illos [illegible]antur. Hi enim habent in quo con[illegible] infirmitates & pericula, illi non habe[illegible] [illegible]r tales cum Moſe & Jeremia divi[illegible] [illegible]m detrectent præt[illegible]tu infirmitatis [illegible] Exod. 3. 11. 12. Jer. 1. 6. 7. 8. Vide [illegible]

2. [illegible] Chriſtianiſmo ſuo ſentiunt ſuam in[illegible] [illegible] multitudinem impedimentorum ac [illegible] poſſint perficere quod cœperunt: præ[illegible] [illegible] bid[illegible] ſuas & tentationes [illegible] Cogitent quod [illegible] ad hoc vocati ſint 1. Theſſ. 4. 7. Si autem vocati, non deerunt vires. Deus enim fidelis eſt. Pugnemus igitur fortiter & conſtanter, & fidamus ei qui ad hanc pugnam nos vocavit 2. Theſſ. 3. 3. Modò nos ſimus ſinceri & caveamus falſitatem, contra infirmitates Deus fidelis eſt.

3. Qui gravi cruce onuſti ſunt, ſub qua ita merguntur, ut exclament ſe non poſſe amplius ferre. Cogitent hi, ſe non caſu in hanc crucem deveniſſe, ſed divinitus vocatos ad ferendum onus & æſtum diei in vinea Domini Matth. 20. 12. Quod ſi vocati, fidelis eſt qui vocavit. Applica 1 Cor. 10. 13. *Object.* At ſæpe non ſumus vocati ad crucem quam patimur, ſed propria petulantiâ, imprudentiâ, intemperantiâ acceſſivimus. Quid ſolatii contra hoc? *Reſp.* Humilia te ob culpam quæ interceſſit, eamque per fidem expia. Poſt expiatam culpam ſi manet crux, vocatio eſt divina, cui non deerit divina conſervatio & roboratio.

II. Qui Spiritus S. cupit eſſe particeps, intereſſe debet congregationibus ſanctorum. Hebr. 12. ne deſerite congregationes. Matth. 18. ubi duo vel tres congregati. Congregationes ſanctorum ſunt officina in qua Spiritus S. operatur. Sicut Pater familiâs cibum non porrigit unicuique in ſuo angulo, ſed totam familiam convocat ad eandem menſam, ibique paſcit: ſicut anima non animat membra diſſecta & disjecta, ſed congregata & in unum corpus compacta, ita Spiritus S. non ſectatur unumquemque in ſuis viis, ſed convocat omnes in domum ſuam, ibique præſto eſſe promittit. Sicut qui cupiebant ſanari per angelum ex cœlo deſcedentem, tenebantur excubare circa piſcinam Joh. 5. 1. 2. 3 &c. ita qui à Spiritu S. cupiunt ſanari, debent in piſcina congregationis excubare & exſpectare deſcenſum Spiritus, & commotionem aquæ verbi. Redarguit hoc ſuperbos noſtros, qui conventus Eccleſiaſticos contemnunt, dicentes, nonne ſum doctus, nonne ipſe ſcio quod ibi dicitur, nonne domi poſſum legere ſcripturam & alios libros? Sed quid proderit tibi tua lectio, ſi non aſſiſtet Spiritus S? At i[illegible]e non aſſiſtet iis, qui me[illegible]um a ſe ordinatum repu[illegible]. Eſt etiam utile legere domi, ſed [illegible] lectionis uſu non eſt, contemnere congre[illegible]nes, [illegible] mini[illegible]rii operam, ſed probare a[illegible]a, an [illegible] Act. 17.

Object. At Sp[illegible] S. ſe [illegible] congreg[illegible]nibus ſed ſpirat ubi vult, Joh. 3. *Reſp.* E[illegible] ſe non alligat, t[illegible] [illegible] alligat. U[illegible]

ut interdum extra congregationes operetur & ſine miniſterio verbi. Sed hoc non ſolvit nos ab obligatione.

Videndum autem qualis fuerit illa congregatio, ſuper quam effuſus eſt Spiritus S. Erant tum temporis multæ Synagogæ in urbe Hieroſolyma, ſed ſuper nullam præter hanc effuſus fuit Spiritus. Qualis igitur fuit hæc congregatio, ut præ aliis Spiritus S. eam viſitaret?

Reſp. 1. Fuit congregatio obediens. Ideo enim congregati erant, quia Chriſtus ita juſſerat Actor. 1. v. 4. Qui veniunt in congregationes & ſe iis adjungunt aliis reſpectibus, e. g. fallendi temporis, oſtentandi ornatûs, conſequendi favoris, ſuperſtitioſæ conſuetudinis causâ, non eſt quod exſpectent Spiritum, ſed illi demum, qui dicere poſſunt: O Domine, tu me tuo juſſu in hanc domum vocâſti. Ex obedientia igitur erga tuum mandatum in tuo nomine huc venio, Matth. 18. 20. cum intentione audiendi quid velis me docere. Adſum Domine, loquere, ſervus tuus audit.

2. Fuit congregatio plena. Omnes erant congregati. Novimus ex parabola Luc. 14. 22. 23. quàm Dominus velit domum ſuam plenam eſſe, donec non ſit amplius locus, unde etiam declarat, quod facilius audit cum multi ſunt, qui unà precantur. 2. Cor. 1. 11 2. Cor. 4. 15. per preces plurium abundat gratia. Ne ſe ſubducant membra Eccleſiæ publicis congregationibus. Nocent enim ſibi & aliis. Non dico quod Spiritus amet magnas, ſed quod plenas congregationes. Parvas pagorum congregationes æquè amat viſitare ac magnas urbium, modò plenæ ſint, i. e. frequentatæ ab omnibus qui ad eas pertinent.

3 Fuit congregatio concors. ὁμοθυμαδὸν. Cum abimus ad congregationes ſanctas, abjicienda ſunt odium, ira, diſcordia. Nam niſi verbum recipiatur cum manſuetudine, depoſita omni abundantiâ malitiæ & iræ, non eſt conjunctum cum ſalvifica virtute Spiritus S. Jacob. 1. 21. Homines ſæpe nolunt ad cœnam venire, quia ſunt in diſcordia, interim nō verentur ad verbum & publicas congregationes venire cum odio, irâ &c. Cur quæſo? annon verbum æquè eſt inſtitutum Dei ac ſacramentum? annon hoc quoque profanare periculoſum eſt? Quàm grave eſt patri-familias, ſi videt liberos eâdem conſidere menſa, & unà cibum capere, & interim animos erga ſe invicem gerere plenos ira! Sic qui potest eſſe gratum Deo, ſi corporibus eodem compa-remus loco, & interim animas habemus plenas odioſi? Multitudo quæ habet unum cor & unam animam, eſt gratum Deo auditorium, in quo amat præſens eſſe Spiritus S. Actor. 4. 32. 33.

4. Fuit congregatio diligens. Non ſedebant otioſi, ſed exſpectabant promiſſionem Patris Act. 1. 4. & perſeverabant in precibus & deprecationibus *ibid. verſ.* 14. Sic non debemus putare, ſatis eſſe ad impetrandum Spiritum S. ſi ſimus in templo otioſè ſedentes, & laborem omnem rejicientes in humeros & latera concionatoris, ſed laborandum eſt, ut animum poſſideamus & contineamus ne peregrinetur in varias cogitationes, ſed cum attentione & devotione hauriat inſtitutionem verbi, ut memoria quod audivit, retineat, ut cor bono propoſito ad obedientiam auditi ſe flectat, ut anima Spiritum S. ſitiat inſtar terræ aridæ, utque intimis deſideriis & votis cœlum verſus ſe elevet, & adventum Spiritus S. imploret. Sint nobis hujuſmodi congregationes quàm recommendatiſſimæ, nec adeò facile eas contemnamus & negligamus præſertim die dominica, cui ſpeciali præcepto & perpetuo Apoſtolorum & totius Eccleſiæ exemplo adſtrictæ ſunt ejuſmodi congregationes. Quam turpe eſt, nos Chriſtianos diebus Dominicis, cum Eccleſia eſt congregata, tam levi de cauſa ſectari convivia, exſpatiationes &c. Et quàm tamen pauci ſunt, qui hoc non faciant! Cum Spiritus S. eſt in templo, quis vobiſcum eſt in veſtris conviviis & non neceſſariis itineribus? nonne Diabolus? Si ullum peccatum vos ſpoliabit veſtra pace, erit hoc, quod diem dominicam adeò violatis. Conſiderate quæſo, quod 1. ſemper in Eccleſia hæ congregationes fuerunt uſitatæ. In V. T. habuit Eccleſia ſuas Synagogas ſingulis ſabbathis in ſingulis civitatibus Actor. 15. 21. Eccleſia Apoſtolica habuit ſuos conventus continuos ab ipſis incunabulis ſuis Actor. 2. 44. 42. 2. 2. Vult Deus privatum & domeſticum cultum, ſed vult etiam publicum, qui fiat coram omni populo Pſal. 116. 14. Hoc enim eſt lucem ſuam ſincere lucere coram aliis, ut bona opera noſtra videntes Deum nobiſcum glorificent Matth. 5. 3. Hinc ſancti deſiderârunt intereſſe cultui publico Pſal. 26. 6. 7. 8. Pſal. 27. 4. Pſal. 42. 3. 5. Pſalm. 84. 2. 3. 4. Congregationes Eccleſiæ in hoc mundo ſunt præludium iſtius magnæ congregationis in cœlo, ubi eſt univerſalis congregatio, & Eccleſia primogenitorum, & ipſius Dei & mediatoris Hebr. 12. 23. Quod ſi hanc amamus ac deſideramus, cur contemnimus ejus præludium?

Non

Non po[illegible] vere deſiderare, ni[illegible] hoc quoque de[illegible] S[illegible] vosmet tam fac[illegible]le excommunicatis e[illegible]c [illegible]nctorum in terris, quid mirum, ſi De[illegible] ex[illegible]nicet ex Eccleſia ſanctorum [illegible] 5 [illegible]terea non tam propter ſuam utili[illegible] n[illegible]ſtram indigentiam has con[illegible] a n[illegible]b[illegible]s requirit, ut nos ibi paſcamur [illegible] S Pſalm. 23.

De Tertio.

Effu[illegible] eſt viſibiliter ſub duabus corporalibus & [illegible] figuris & ſignis ſuæ præſentiæ. In ſe ip[illegible] [illegible]bilis, ſed tamen verè effuſus eſt [illegible] figuris. Sicut etiam factum Matth. 3. 16 [illegible]s S. ſub ſpecie columbæ ſuper Chri[illegible]t. Quomodo poteſt effundi? *Reſp.* S[illegible] Dicimus enim, hoc conclave eſt plenum [illegible] radii ac virtutes ac operationes ſolis in il[illegible]tur. Sic Spiritus S. dicitur effundi in [illegible]um, cum virtute ſuâ omnipotenti in co[illegible]num operatur inſtinctus, inclinatio[illegible] atque motus ſpirituales, quæ vocantur cha[illegible] chariſmata, ſpiritualia dona. Quænam au[illegible] illæ viſibiles figuræ, ſub quibus Spiritus S. effu[illegible]? 1 ventus validus & impulſus, replens totam d[illegible]mum, ſ[illegible] ſonitu ac ſtrepitu. 2. Ignis ſimilis linguis d[illegible]s. Hæ figuræ nos docent modum operandi, quo [illegible] S. in nobis utitur. Operatur per modum [illegible] & ven[illegible] Per modum ignis, quia emollit, illu[illegible], accendit, purgat cor. Per modum venti, quia [illegible]gerat & impellit ac movet. Refrigerat ac reficit te[illegible] anguſtiarum per ſolatium & initia vitæ æ[illegible], q[illegible]æ proinde vocatur tempus refrigerationis Actor 3 19. Movet etiam per efficacem & irreſiſti[illegible] opera[illegible]onem, & facit nos currere viam [illegible]rum De[illegible], ſicut ventus impellit naves. Quod [illegible] ve[illegible]ti & ignis operatur, hoc commune [illegible] bus, quod autem per modum [illegible] i[illegible]nis inſtar linguarum diviſi, hoc ſin[illegible] Apoſt[illegible]li, in quibus majori vi & effi[illegible]a [illegible] eſt per donum linguarum inter o[illegible] Ex his diſcendum erat, quo pacto de[illegible]s, an Spiritus S. in nobis habitat. S[illegible]u[illegible] ad quid proſit, & quomodo ac[illegible] S. nunc diſcendum erat, qui[illegible]ere poſſimus an habeamus. Hic e[illegible] Qui enim Spiritum Chriſti non ha[illegible], & c[illegible]ntrà ubi Spiritus S eſt, ibi li[illegible] Spiritu De[illegible] ducuntur, ſunt fi[illegible]i Dei. Hinc agnoſcimus Deum in nobis manere, ſcilicet ex ſpiritu quem nobis dedit Rom. 8. 1. Joh. 3. 24. Quomodo autem ſciam an habeam Spiritum S?

Reſp. 1. Si habeas cor ardens, ſcilicet cor illuminatum, molle, accenſum fide, amore, zelo, deſiderio verbi, purgatum à dominio cupiditatum.

2. Si habeas cor currens, quod quaſi vento impellitur ad currendum in via præceptorum Dei. Ubi enim Spiritus S. ibi pellit & urget inſtar venti. Rom. 8. 4. Gal. 5. 18. Vide Pſalm. 119. 32. ſi dilataveris cor. Cor Spiritu inflatur quaſi folle. Utrumque ſignum indigitat Apoſtolus Rom. 12. 11.

De Quarto.

Effectus effuſi Spiritus S. fuit duplex, alius in Apoſtolis, alius in Apoſtolorum auditoribus.

I. De Apoſtolis textus dicit

1. Replebantur omnes Spiritu S. Quomodo hoc intelligendum, vide explicatum in Actor 6. 8.

2. Incipiebant loqui. Spiritus non eſt otioſus, ſed ubi habitat, ibi operatur. Lingua præcipuum inſtrumentum & plectrum per quod Spiritus S. operatur concionibus & precibus.

3. Loquebantur aliis linguis, videl. omnium gentium quæ præſentes erant. Ecce gratiam Dei ſe accommodantem noſtræ infirmitati, ut unicuique noſtrûm ſuâ lingua loquatur. Si ſola Hebræa vel Græca lingua loquutus eſſet media ſalutis, & vellet ut omnes, qui ſalvari volunt, proficiſcerentur in eum locum, ubi illa lingua in uſu, eamque addiſcerent, magna foret gratia. Sed quantò major gratia, quod ſe ita accommodat, ut det miniſtris dona linguarum diverſarum, ut unicuique magnalia Dei annuncient in ſua vernacula lingua! Immò ita ſe accommodat, ut, ſicut pater aliquis cum filiis pueris pueriliter loquitur, ut ab iis intelligatur, ita Spiritus S. nobis loquatur per parabolas & ſimilitudines rerum terreſtrium. Aliter agit Papa Romanus qui theſaurum ſcripturæ concludit intra linguam Romanam, ut nemo legere poſſit, niſi qui Romanam linguam addiſcere vult. Confuſio linguarum pœna peccati Geneſ. 11. Dona diverſis lingui[illegible] loquendi medium ſalutis 1. Cor. 12

4. Sic loquebantur ut Spiritus dabat. Quod Apoſtoli loquuntur Spiritus dat. Id etiam de ordinariis paſtoribus verum eſt, quatenus ex ſcriptura & cum ſcriptura loquuntur. Non igitur contemnenda, ſed magni æſtimanda miniſtrorum vo[illegible]

enim ſpiritus,qui,quod loquuntur, dat loqui Matth. 10.v.19.20.Ergo qui hos rejicit, Spiritum rejicit.

5 Spiritus dabat ἀποφθέγγεσθαι, Hæc vox exprimit ſingularem illam ἐνέργειαν quæ eſt in ſtylo Apoſtolorum. Apophthegma enim eſt modus loquendi ſuavis & prægnans, ſed pauló obſcurior, ut interpretatione ferè opus habeat vel meditatione, quâ intelligatur. Et talis revera eſt ſtylus Propheticus & Apoſtolicus, etiamſi alicubi minus, alicubi magis apophthegmaticus ſit.

6. Et quid autem loquebantur Apoſtoli? Hoc addendum ex v. 11. Loquebâtur τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ. Vide Pſalm. 87. 3. Non loquebantur laudes & magnalia Mariæ ac ſanctorum, ſicut ſacrificuli in Papatu, nec magnalia liberi arbitrii & propriorum meritorum, ſicut Pelagius cum aſſeclis, ſed magnalia Dei. Quæ autem illa magnalia Dei? *Reſp.* Magnalia & mirabilia eſſentiæ, annunciantes & prædicantes Dei infinitatem, omniſcientiam, omnipotentiam, perfectam juſtitiam & bonitatem ac beatitudinem, mirabilem ſubſiſtendi modum in perſonarum Trinitate. Magnalia operum quæ produxit in creatione, oſtendentes pulchritudinem, bonitatemque operum creatarum, τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ repræſentantium. Magnalia factorum ſeu rerum geſtarum, lucentia in myſteriis Euangelii, nec non in divinis judiciis ſuper angelos & homines, tum intra tum extra Eccleſiam, in ſplendida denique gloria & majeſtate, fidelibus in cœlis reſervatâ. Hi veri miniſtri Dei, qui ita nôrunt conſcientiis hominum imprimere magnalia Dei, ut per ea perſuadeantur & trahantur ad Deum timendum, deſiderandum, amandum, colendum, tenendum, Actor. 20. 27. 2. Cor. 5. 11.

II. De auditoribus Apoſtolorum textus tria dicit: 1. quomodo convenerint. 2. quales fuerint. 3. quos motus ex his concionibus hauſerint.

1. Quomodo convenerint. Propter feſtum confluxerant Hieroſolymam, ſed γενομένης τῆς φωνῆς ταύτης, cum audiretur illa vox, concurrunt ad locum ubi erant Apoſtoli. Non diſquiro an ipſe ſuſurrus venti tantus fuerit, ut paſſim, totâ urbe audiretur, an verò rumor tantùm miraculi percrebuerit. Hoc certum, quod per auditũ miraculi conveniunt. Et hic miraculorum uſus, quod convocant homines ad audiendum verbum. Non ſunt inſtrumentum converſionis, id enim eſt verbi, ſed occaſio. Sicut campanæ non convertunt, ſed convocant ad audiendum verbum, per quod fit converſio, ita miracula. Sunt ſicut fiſtula aucupis. Sicut non fiſtulâ ſed reti capiuntur aves, fiſtulâ tamen ad rete alliciuntur, ita non miraculis ſed verbo convertuntur homines, miraculis tamen ad verbum audiendum alliciuntur. Sicut mulier Samaritana non convertit ſuos concives, ſed ad convertentem Chriſtum pellexit Joh 4. ita miracula non convertunt, ſed ad verbum legendum ac audiendum alliciunt. Nobis hodie quidem eo fine non dantur miracula nova, habemus tamen vetera eum in finem deſcripta, & loco miraculorum habemus teſtimonium Eccleſiæ totius, quæ vim mirabilem Scripturæ ſibi experta nobis teſtatur, & hoc teſtimonio ad legendam nos pellicit, ut huc quadret illud antiquum: Non crediđiſſem ſcripturæ, niſi me permoviſſet Eccleſiæ autoritas.

2. Quales fuerint. Erat multitudo Judæorum, qui Hieroſolymæ habitabant, viri religioſi ex omni gente ſub cœlo, videlicet Parthi, Medi, Elamitæ incolæ Meſopotamiæ, Judeæ, Cappadociæ, &c. Nota: Si erant ex omni gente, qui dicuntur habitaſſe Hieroſolymis? *Reſp.* Non quod eſſent cives & incolæ urbis, ſed 1. quia in ſcholis Hieroſolymitanis ſtudiorum gratiâ commorabantur. Vide Act. 6. 9. 2. quia feſti celebrandi cauſa ad urbem confluxerant. Si erant ex omni gente, qui vocantur Judæi? *Reſp.* Vel quia erant ethnici proſelyti & religione Judæi, vel quia erant Judæi ex diſperſione, ut 1. Petr. 1. 1. Si Judæi, quomodo religioſi? Solus enim Chriſtianiſmus vera religio eſt, & qui ad Chriſtum non eſt converſus, non poteſt eſſe religioſus. *Reſp.* 1. Vox religioſus non ſemper notat hominem pium & regenitum, ſed in genere hominem devotioni deditum, ſive veræ, ſive falſæ. Sic Paulus ante converſionem ſuam valde religioſus Phil. 3. 6. Sic hi homines erant religioſi, quia erant ſtudioſi Theologiæ, qui Hieroſolymæ religionem Judaicam diſcebant. Multi religioſi non ſunt pii Matth. 7. 21. & 25. 11. 2. Tim. 3. 5. 2. Etſi non erant Chriſtiani, tamen multi ex illis poterant eſſe pii & regeniti: Tum temporis enim ſufficiebat ad pietatem contrito corde redemptionem Iſraëlis exſpectare, ſicut Simeon & Anna Luc. 2. 25. Sed nunc nemo poteſt eſſe pius niſi ſit Chriſtianus. Nunc enim vita æterna in eo poſita eſt, ut quis Deum nôrit & Jeſum Chriſtum Joh. 17. 3. 1. Joh. 4. 2 3 Quid autem eſt vir εὐλαβὴς & verè religioſus? *Reſp.* Qui ſibi ipſi ſollicitè attendit & cavet omnia offendicula quibus labi poſſit. Eſt ſimile ſumptum ab iis qui pretioſum liquorem in vaſe fragili gerentes cautè illud vas prehendunt atque geſtant, præſertim cum in tene-

bris

bus [illegible] aut per ſalebroſas vias. Hæc proprietas [illegible]. Novit quam pretioſum cimelium animæ [illegible] S. in ſe gerat. Novit quàm fragili [illegible] thesaurum pretioſum, quod facile [illegible]. Novit denique quàm ſalebroſus ſit mundus, [illegible] offendicula ad quæ poſſit impingere. [illegible] attendit, vias ſuas ad lucernam [illegible] ſollicitè dirigit, ſibi ipſi non fidit, ſed [illegible] habet ſuſpectum, ideoque ductum [illegible] S. imperat, offendicula quantum poteſt, [illegible] adhæret. Hebr. 4. 1. Phil. 2. 12. Ubi [illegible] dominatur, ibi hæc ſollicitudo & fi[illegible]pectio non eſt, ſed carnalis ſecuritas, [illegible] culorum contemptus. Cur dicit fuiſſe [illegible] gente ſub cœlo, & tamen non omnes [illegible] tantùm quoſdam? Non enim [illegible]os, Gallos, &c. *Reſp.* 1. dum ex[illegible] nominat, omnes occidentales na[illegible] comprehendit quæ Romano imperio pare[illegible]. 2. [illegible] non exprimuntur omnes particulares [illegible], exprimuntur tamen omnes partes terræ, [illegible] Aſia, Africa & Europa. Recenſet enim quoſdam A[illegible], quoſdam Africanos, quoſdam Europæos, adjiciens ſub finem & extra ſuum ordinem [illegible]ſes & Arabes, forte ut ad Indos & Inſulanos, ex Arabibus & Æthiopibus ferè oriundos, di[illegible] quoque intendat, ut his quoque aliqua ſpes [illegible]. Summa, ex tam multis recenſitis facilè judicare poteſt vocationem pertinere ad omnes. [illegible] eſt ex hac parte textûs diſcere & obſervare.

α. Quod prima Eccleſia N. T. ex meris Judæis [illegible] & collecta eſt. Etſi enim erant ex omni [illegible], tamen omnes erant Judæi, ſive ſecundùm [illegible], ſive ſecundùm profeſſionem. Factum hoc, [illegible]mus: quod Abraham & ejus familia eſſet [illegible] & mater cui inſeri debet tota Eccleſia, ut [illegible] verè ſunt de Eccleſia, verè ſint filii Abra[illegible] ex Judæis eſt Joh. 4. 22. Ergo qui ſalutem [illegible] cum Judæis (veris, non degeneribus) habere [illegible] communionem. Abraham pater o[illegible]. Ergo omnes credentes debent [illegible] Abrahæ. Quomodo poſſunt eſſe filii Abrahæ, [illegible] Abrahæ nati non ſunt? *Reſp.* Si inſe[illegible] Eccleſiæ per fidem ejuſdem doctrinæ [illegible] Joh. 10. 16. Rom. 11. 17. &c. Eccleſia [illegible] ex Judæis collecta eſt mater, cujus nos de[illegible]. Refutat hoc Romanenſes, qui ja[illegible] Romanam eſſe matrem (de Moeder-Kercke) cujus filii eſſe debent, quicunque ſalvari cupiunt. Quid nobis cum Italis? Nos ex Abrahamo trahimus originem, & quamdiu fœdus cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo factum tenemus, ſumus vera Eccleſia. Naturâ quidem ſumus ethnici, ſed ſumus tamen verus Iſraël, quia acceſſimus ad civitatem Iſraëlis. Eph. 2. 13. 19. Romanenſes ſunt Iſmaëlitæ, quia filii Hagar, dum volunt ſalvari per doctrinam Sinai i. e. legis, & perſequuntur filios promiſſionis Gal. 4.

β. Quod tamen illi Judæi erant ex gentibus. Non tam erant Judæi ex Judæa, quàm Judæi diſperſi inter gentes, vel proſelyti ex gentibus. Ex talibus collecta prima Eccleſia, ut indigitaretur jam veniſſe tempus, quo ſublato muro tranſverſo vocatio Euangelica à Judæis ad omnes gentes eſſet pervaſura. Videmus igitur quo nomine, ſi omnino celebrare volumus feſta, feſtum Pentecoſtes nobis debeat eſſe ſolenne, ſcilicet quod hoc die gratia Dei ſalutifera, perruptis Judææ clauſtris, omnibus illuxit hominibus, & ad nos gentes penetrarit. Hoc die & tempore, totius anni amœniſſimo, deſertum ethnicum, effuſo Spiritu ex alto, factum eſt jucundum arvum Eſai. 32. 15. Excitet hoc nos omnes ad gaudium & gratitudinem. Vide dicta Rom. 11. 11. 12. &c. 1. Petr. 4. 3. Eph. 4. 17.

3. Quos motus hi auditores ex his concionibus hauſerint. Dicit textus. Quod aliqui hauſerint bonos motus: Confuſi ſunt, extra ſe ipſos rapti ſunt, admirati ſunt, dubitârunt & ambigui facti ſunt, ſe invicem interrogantes, quid hoc futurum, quomodo hi ſimplices Galilæi tot linguis loquuntur magnalia Dei? Dico hos eſſe motus bonos, & tamen nego eſſe verè & ſpiritualiter bonos, ex corde verè regenito profectos. Erat magna commotio, ſed non erat vera converſio. Erant commoti, ſed nondum compuncti. Poterant admirabundi & perturbati dicere, quid hoc ſibi vult, quomodo hi hoc poſſunt? ſed nondum dicebant: viri fratres, quid agemus? Per Petri concionem demum fuerunt converſi. Quales igitur fuerunt hi motus? Fuerunt pulſationes illæ vocationis externæ, quibus Deus ad converſionem invitat, quæ ſæpe etiam contingunt illis, qui non aperiunt nec convertuntur Apoc. 3. 20. Deus ſæpè pulſat & etiam aperit. Sed aliquando pulſat & nemo aperit, cum ſcil. non tantùm verbum prædicat, ſed etiam per verbum aut alia media aurem vellicat excitatis quibuſdam motibus conſcientiæ, quibus de præſentia Dei convincimur, & intus ad converſionem.

verſionem concitamur. Externa vocatio non tantùm aurem extus ferit, ſed ſæpe etiam animum intus movet, idque vehementer, imprimens motus & ſollicitudines, non tantum ſubitò tranſeuntes, ſed etiam aliquamdiu durantes Hebr.6 4.5. Marc.6.20. Actor. 24. 24. 25. & 26. 28. Deus ſæpe tam vehementer pulſat fores cordis, ut tota domus contremiſcat, & tamen nemo aperit. Hæc pulſatio ſæpe contingit in concionibus. Si tum non aperimus, immò aures claudimus, & ſollicitudinem ac curam hac pulſatione excitatam nitimur ſuffocare, hoc eſt reſiſtere Spiritui S. & eſt juſta deſertionis ac occœcationis cauſa. Non igitur omnis commotio cordis, ex concionibus hauſta, eſt vera converſio, ſed illa demum, quam ſequitur apertio cordis, quâ Chriſti dominium ſuper nos admittimus, & peccati dominium abrumpimus. Pariunt ſæpe conciones motus ad converſionem quibus auditores ferè convertuntur Actor. 26. 28. ſed qui non ſunt gradus in converſione, nec veræ converſionis initium. Quod aliqui hauſerint malos motus. Nihil moventur tanto miraculo, ſed illudentes dicunt, quod ſint pleni vino dulci. Quomodocunque prædicetur verbum Dei, etiamſi linguis angelicis, etiamſi miraculosè, etiamſi tam efficaciter ut multi obſtupeſcant, tamen ſemper erunt qui nihil moventur, immò potius exacerbantur ad illudendum & perſequendum Actor. 6. 10. 11. & 7. 54. & 17. 18. & 22.22. Arment ſe miniſtri patientiâ, & ſint contenti ſi modò aliquos lucrentur. 1.Cor.9.22.

Actor. 2. v. 13. 14.

CONCIO XIV.

TRia ultima verba, quæ Chriſtus in cœlum adſcenſurus Apoſtolis ſuis locutus eſt, ſunt hæc: 1. Primum fuit mandatum, quo injunxit, ut manerent Hieroſolymis, uſque dum promiſſio Patris in ipſis impleretur. 2. Secundum eſt promiſſio, quâ pollicetur fore, ut non diu poſt illos dies promiſſio Patris de effundendo Spiritu S. impleretur. 3. Tertium eſt prophetia vel vaticinium, quo prædicit, quid de Apoſtolis futurum ſit, poſtquam Spiritum S. acceperint, fore ſcilicet teſtes Chriſti Hieroſolymæ, in Samaria & Judæa, & denique inter gentes omnes uſque ad fines terræ. Vel ſumatur hoc tertium tanquam inſtructio & Commiſſio officii. Ad hæc tria ultima verba Chriſti in terris Lucas reducit & accommodat totam Hiſtoriam Actorum Apoſtolicorum, quæ contigêre poſt Chriſtum in cœlos ſublatum. Deſcribit enim 1. obedientiam diſcipulorum erga ultimum Chriſti mandatū cap. 1. 2. Effuſionem Spiritus Sancti à Chriſto promiſſam. cap. 2. à v. 1. ad 14. 3. Denique executionem iſtius teſtimonii, quod Apoſtoli, ſecundum ultimum ejus vaticinium, Chriſto perhibuerunt, tum Hieroſolymis, tum in Samaria & Judæa, tum inter gentes ad fines terræ, à v. 24. ad finem libri.

Primam partem Actorum Apoſtolicorum capite primo tractavimus. Secundam partem ſuperiori concione abſolvimus. Accedimus igitur in nomine Domini ad tertium generale libri caput, videlicet ad teſtificationem Apoſtolorum de Chriſto, quam poſt acceptum Spiritum S. præſtiterunt, & primò quidem ad illam, quæ facta eſt in ipſa urbe Hieroſolyma, & conſiſtit partim in egregiis Apoſtolorum concionibus, partim in miraculis, partim in martyriis, ſeu perſecutionum tolerationibus.

Prima teſtificatio Apoſtolorum de Chriſto, quæ in urbe facta eſt, & concio illa Petri Apoſtoli, quæ à verſu 14. cap. 2. uſque ad finem capitis deſcribitur, & facta eſt nomine & in præſentia omnium Apoſtolorum, quod hæc concio præcipuum habet præ aliis concionibus. De hac concione Petri Lucas ſequentia nobis deſcribit:

I. Occaſionem hujus Concionis.
II. Partes hujus Concionis.
III. Fructus & effectus ejuſdem.

Occaſio Concionis fuit ſiniſtrum illud judicium, quod quidam prophani homines tulerunt de miraculoſis ſermonibus Apoſtolorum, quos ſeruerunt poſtquam Spiritu S. impleti eſſent. Cum enim Spiritus S. ſuper unumquemq; eorum conſediſſet, cœperunt omnes loqui aliis linguis, prout Spiritus S. ipſis dedit eloqui, & ita de magnalibus Dei locuti ſunt, ut ab omnibus, qui aderant, quantumvis diverſiſſimarum nationum, intelligerentur. Hoc cum videret & audiret turba rarum ac inſolens, alii quidem admirabundi dixerunt, quid hoc fiet? alii verò profano contemptu tulerunt hoc ſiniſtrum judicium, quod Apoſtoli eſſent ebrii. Hæc injuria & calumnia, ſeu hoc ſiniſtrum judicium impellit Petrum & cœteros Apoſtolos, ut ſurgant, & Petrus nomine omnium apologeticam hanc inſtituat concionem, in qua refutat crimen objectum, & populum inſtituit, quid ſit illud rarū ac inſolens quod in Apoſtolis videant, & ex quâ cauſa veniat. Ex hac occaſione concionis ſequentia nobis diſcenda veniūt.

[illegible] ſpirituales, præſertim cum [illegible] carne & ſanguine judicantur eſſe ebrietas & [illegible], Ebrietas enim eſt ſtoliditas ac [illegible], orta ex obrutione ſenſuum per abu[illegible]s Sic 1. Sam. 2. 14. tepidus Eli ferv[illegible] habet pro ebria. Sic hi homines c[illegible] Apoſtolos tanto fervore loqui magnalia De[illegible]m ludificatione exclamant, eos eſſe e-b[illegible] Sic Feſtus Actor. 26. 24. Sic 1. Cor. 1. 18. Et [illegible]m hoc præcipuè ſciendum, quod non ſint [illegible] qui doctrinam & motus Spiritus S. habe[illegible]tia, ſed quantò ſunt ſapientiores, tantò [illegible] haben pro ſtultitia. 1. Corinth. 1. 19. 20. 23. Ph[illegible] Græcis præcipuè videbatur ſtultitia. Act. 17. 18. Ratio evidens eſt; quia caro & Spiritu[illegible] ſunt contraria, non tantum cupidat[illegible] ſed etiam judicio atque ſenſu. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς eſt inimicitia adverſus Deum & E[illegible]m Spiritus Dei ſapientiam carnis habet pro [illegible], & caro omnem ſapientiam Spiritus h[illegible] pro ſtultitia. Seipſum abnegare, crucifigere [illegible] proprias, in afflictionibus gaudere, in eo [illegible] per turpe ſupplicium crucis ex mundo ſublatus eſt, ſalutem quærere, inimicos non ſolùm non [illegible], ſed etiam amare, eum qui ex muliere natus eſt, denuò debere naſci, antequam in regnum Dei poſſit intrare, in lectione & prædicatione ſolius Scripturæ & in contemtibilibus ſacramentis ita quærere ſolatium & vitam, ut cœtera omnia abnegare &c. Qui poteſt homo carnalis qui non capit quæ ſunt Spiritus Dei, hæc habere pro ſapientia. Q[illegible]nia tanquam ſtulta condemnat. Uſus:

Qu[illegible]nque ſpiritualiter vivere volunt, neceſſa-[illegible]bnoxii erunt judiciis & ludificationibus mundi [illegible] ſors omnium eorum, qui ſecundum Scri[illegible]m docere volunt & vivere, quod pro ſtolidis [illegible] inſipientibus habentur, non tantum [illegible] ſunt profani, & ab omni ſapientia [illegible] præcipuè ab iis, qui mentem ſuam & judic[illegible] mancipârunt & vendiderunt ſub auth[illegible] prudentiæ politicæ & ſapientiæ Philoſophicæ. D[illegible] in locis maximè patiuntur con[illegible] 1. In aulis. Scimus, quàm ſcurriliter ibi [illegible] tractemur, quod ſimus homines imprudentes, [illegible] ſpiritus ac cerebri. 2. In ἀκροατηρίοις Ph[illegible]rum, ubi ratio agnoſcitur pro ſupre[illegible] controverſiarum Si hic loquaris de ca[illegible]ne, ſtultus es. Patimur quidem etiam a [illegible] vulgi & ab irrationalibus creaturis Papæ Romani, ſed hi tamen nobis non impingent crimen ſtultitiæ, ſed dicent nos velle nimis eſſe ſapientes, & hoc potiſſimùm pro crimine habebunt, quod cœca obedientiâ non volumus non mancipare cupiditatibus carnis, & traditionibus Romanæ Eccleſiæ. Sed viri Politici & Philoſophi ideò nos habent pro ſtultis, quòd Scripturæ benè examinatæ ſtrictè adhærentes ne latum quidem unguem, vel in judicio vel in praxi velimus ab illa recedere, nec pati, dictamen Scripturæ artibus Philoſophiæ & ſapientiæ politicæ ſtratagematis ita temperari, ut minus ſit odioſum mundo, & minus obnoxium perſecutionibus & incommodis hujus vitæ. Sed ſciendum vobis, quicunque eſtis ita ſapientes, quod debetis ſapientiam veſtram carnalem ſubmittere ſub ſermonem crucis, aut nos vobis cum veritate denunciabimus quod ſitis ἀνόητοι Γαλάται Gal. 3. 1. quod cum velletis eſſe ſapientes, vani facti ſitis, &c. Hortamur itaque vos ne vobis ipſis indulgeatis in ludificatione ſapientiæ Theologicæ, hortamus etiam nos ne curemus nec moremur veſtras ludificationes, hortamur denique omnes ne ſint præcipites in judicandis aliorum actionibus. Facile enim eſt iis, qui carnem adhuc habent, condemnare pro ſtultitia, quod à Spiritu S. profectum eſt. Itaque obſervemus illud Matth. 7. 1. Rom. 2. 1. & 14. 4.

Object.

An igitur nullo modo licitum eſt, nos invicem judicare ſuper rebus ſpiritualibus? annon licitum eſt alium appellare hæreticum, ſchiſmaticum, hypocritam, profanum, ſtolidum? *Reſp.* Non omne judicium de nobis prohibetur, ſed præceps & leve. Habet enim in Eccleſia locum

1. Judicium publicum, ſeu judicium declarationis, cum ii, qui conſtituti ſunt Eccleſiæ Paſtores & antiſtites, ſeriâ deliberatione & examinatione factum aliquod condemnant, & tale vel tale pronunciant, & perſonam quæ patravit, eo nomine reprehendunt, 1. Cor. 5.

2. Judicium diſcretionis, cum unuſquiſque vitia proximi obſervat & diſcernit, non ut odioſè eum hoc nomine traducat, ſed ut ſibi prudenter à moribus ipſius caveat, vel ut fraternè ipſum dâta occaſione moneat & ad frugem reducat 1. Joh. 4. 1. Matth. 7. 15.

II. Secundum quod hinc diſcimus, eſt hoc: Fidelibus falſo crimine gravatis, licitum eſt ſe purgare & defendere. Sic hic totus ſermo Petri eſt apologeticus contra imputationem ebrietatis, Verum

eſt, debent fideles patienter ferre injuſtas infidelium obtrectationes. Matth. 5. 11. Sed hæc patientia non excludit legitimam defenſionem ſuæ famæ, ſi ea fieri poteſt ſine cujuſquam injuria, & ſine transgreſſione divinæ voluntatis. Patientia Chriſtianorum excludit ultionem & vindictam, ſed non Chriſtianam defenſionem. Hinc Prov. 22. 1. Fama honeſta nobis recommendatur ut cuſtodiamus tanquam maximas divitias. Sic Eccleſiaſt. 7. 1. Præcipuè qui in officio aliquo eſt poſitus, non debet pati ut contemnatur, ſed ut ab omnibus habeat bonum teſtimonium, 1. Tim. 3. Hinc Chriſtus apologiâ uſus eſt contra ſuos calumniatores Matth. 12. 25. Joh. 5. 8. 18. & Paulus contra Pſeudapoſtolos, qui ſtudebant gloriationem ejus ipſi eripere 2. Corinth. 1. 2. 10. 11. 12. Gal. 1. 2. Nam ſi hoc non faciunt, authoritatem officii facilè amittunt, quia homines credunt approbatum, quod non vident refutatum. Attamen cavendum, ne hoc trahatur in prætextus ſplendidæ ultionis & vindictæ ac inanis contentionis, ut vulgò ſolet. Si apologia non debet eſſe inanis contentio aut biliosa vindicta, debet ſequentes habere conditiones:

1. Nemo debet uti apologiis, niſi qui bonâ vita malam famam prævenit. Apologiæ non niſi innocentibus ſunt licitæ, qui dicere poſſunt, quod Paulus dicit 2. Cor. 1. 12. Qui fecerunt quod Paulus præcipit Rom. 12. 17. 2. Cor. 8. 21. Miſerum eſt eos ſe velle defendere, qui rei ſunt ejus, quo nomine reprehenduntur. Non in apologiis, ſed vel in innocentia, vel in confeſſione & emendatione debemus ſolatium quærere contra obtrectationes injuſtas. Dediſcamus illam artem excuſandi & ornandi peccata, quam à primis parentibus didicimus. Euangelium talibus ordinavit confeſſionem in remedium famæ. Sic David amiſſam famam recuperavit per confeſſionem & emendationem. 2. Sam. 12. Sic Petrus per lachrymas. Neſcio qui tam difficile ſit homines adigere ad confeſſionem! Multi ſunt in noſtra Eccleſia malæ famæ. Rogamus hos ut verum arripiant remedium. Homines malæ vitæ, dum ſtudent apologiis ſibi bonam famam creare, ſunt iſti, qui Eſa. 5. 20. dicuntur amarum vocare dulce, tenebras lucem, & illi qui Matth. 23. dicuntur ornare ſepulchra, ut quæ intus ſunt putrida, extus ſint pulchra. Stercus lavant.

2. Immerita diffamatio primò omnium factis eſt refutanda, antequam refutetur verbis. Facto debemus contrarium oſtendere. Si quis inſimulatur injuſtitiæ & avaritiæ, tantò magis oſtendet ſuam liberalitatem & juſtitiam. Si quis ſcortationis, tantò magis oſtendet ſuam caſtitatem, vitando etiam ſpeciem impudicitiæ & occaſiones. Reprehenditur aliquis ob defectum fortitudinis, facto ipſo in legitima occaſione ſe alium oſtendat. Hoc docet Petrus 1. Pet. 2. 12. Hoc optimum genus Apologiæ, ad quod Chriſtus quoque calumniatores ſuos ſæpiſſimè remiſit Joh. 8. & paſſim.

3. Si quis etiam verbis ſeſe vult defendere, is caveat ne loquatur ex bile, ſed ex mente, non ſe conviciis ſed rationibus defendat, nec etiam cuivis ſtulto verbo reſpondeat. Ne intendas te ulciſci, ſed tantùm proximum convincere, & à malo abducere, ne & tibi & ſibi noceat maledicentiâ ſua. Talis eſt hæc tota Petri Apologia. Hic ſpiritus debet dominari in apologiis noſtris, alioquin ſunt malæ. Utinam diſcerent hoc homines noſtri, multæ profectò lites prævenirentur. Cogitate exemplum Chriſti, qui contradictiones peccatorum tulit. Vide 1. Pet. 2. 23. Benè facere & malè audire regium eſt. Sicut equus generoſus contemnit latratum canis, ita Chriſtianus generoſitate & contemptu multa debet vindicare. Etiam Chriſtiana compaſſione multa perferenda, ſcientes, quod & nos ſimus imperfecti, & ad malè judicandum de proximo valdè proclives. Gloria, quam obtinetis in cœlis, omnem ignominiam abſterget.

Hac itaque occaſione Petrus cum cæteris undecim *ſurrexit, & vocem tollens dixit eis*. Nota.

I. Cur Petrus ſurrexit, & non unus ex cæteris? Non ad indigitandum Petri Principatum ſupra cæteros Apoſtolos. Nam cæteri unà cum ipſo ſurrexerunt, ſed propter duas cauſas:

1. Quia Petrus erat primus Apoſtolus ſeu primò vocatus, vide Matth. 4. 18. Marc. 1. 16.

2. Quia abnegatio Chriſti, quam Petrus nuper commiſerat, acrius urgebat Petrum ad Chriſtum confitendum. Sicut Simei, qui David abnegaverat, primus erat inter filios populi ſui qui exibat ad Davidem reducendum 2. Sam. 19. 20. ita nil mirum, quod Petrus, qui Chriſtum abnegaverat, ſemper ſtuduit eſſe primus in Chriſto confitendo & teſtificando. Piorum peccata calcaria ſunt ad majorem zelum. David lapſus impetratâ veniâ tantò ferventior fuit in annunciandis viis Domini & peccatoribus convertendis Pſalm. 51. v. 15. 16. Mulier quæ multum peccaverat, impetratâ veniâ, multum amat Luc. 7. 47. Hæc ratio cur Deus filios ſuos aliquando ſinit

doſinit gra[illegible]bi, ut ſcilicet tantò plus humilientur, & [illegible]o ferventius currant. Vide 2. Cor. 7. 9. 10 11.

II. Petrus concionem habiturus ſuſtulit vocem & locutus eſt. Deſcribitur hic quoque parrheſia ipſius contraria iſti meticuloſitati, quam in abnegatione C[illegible] oſtenderat. Deſcribit quoque elegãtiam & ſplendorem ſermonis Petri in verbo ἀπο-φθέγξατο, quaſi dicat, eleganti & ſentẽtioſa oratione eos allocutus eſt, quod etiam apparet in ipſo orationis exordio, quod non cedit artificioſiſſimis oratoribus. Hoc voluit Lucas annotatum, ut pateret, quam efficax fuerit Spiritus S. operatio in Apoſto*lis*, quod uno momento plebeios piſcatores effecerit tam bonos oratores idque in variis linguis. Proponitur hoc omnibus concionatoribus. 1. in exemplum parrheſiæ, ne metuant, ſed liberrimè populo ſua peccata ob oculos ponant. 2. in calcar fiduciæ contra ſenſum ſuæ imbecilitatis. Is qui dedit Petro ita loqui, etiam tibi dabit. Qui paulò ante abnegator erat, nunc eſt liberrimus confeſſor. Qui paulò ante piſcator erat, nunc eſt eloquentiſſimus orator. Hæc efficacia Spiritus S. Quotquot veſtrûm cupiunt ſalutem Zionis; precamini miniſtris veſtris hanc parrheſiam. Miniſtri ſunt milites Chriſti, quibus opus eſt fortitudine contra pericula & invidiam mundi. Hæc illa ſalſedo, quâ terram condiunt. Hactenus occaſio, ſequuntur partes orationis. Oratio ipſa habet quatuor partes:

I. Præfationem v. 14.

II. Refutationem, quâ crimen objectum diluit v. 15

III. Inſtitutionem, ſeu explicationem quâ ediſſerit, quidnam ſit illud rarum ac inſolens in Apoſtolis, quod illi pro ebrietate habebant, & unde veniat à v. 15. ad 37.

IV. Directionem ſeu conſilium quâ per inſti[illegible] perterritis ſuadet quid agendum ut ſalvi ſi[illegible]. ad 41. In præfatione habes quos alloqua[illegible]tationem attentionis.

Alloq[illegible] omnes Judæos, & omnes qui habitant Hieroſolymis. An igitur Euangelium pertinet ad o[illegible] *Reſp.* Annunciatio Euangelii duplex eſt: 1 [illegible], conſiſtens in inſtitutione & mandato, q[illegible] manifeſtamus, quod Chriſtus ſit factum ſacrificium & via ſalutis omnibus credentibus & pœ[illegible]us, & proinde hortamur unumquemque a[illegible]m & pœnitentiam. Hoc modo omnibus an[illegible]us Euangelium. 2. Specialis, conſiſtens in applicatione, quâ omnibus fidem & pœnitentiam ore confitentibus nec facto contrarium oſtendentibus particulariter annunciamus, quod ipſis propter Chriſtum remiſſa ſint peccata. Hoc modo Euangelium non pertinet ad omnes. Qui itaque cum fructu vult eſſe auditor Euangelii, credat & pœnitentiam agat. Excitat attentionem voto & exhortatione. *Notum ſit omnibus.* Eſt formula voti, quaſi dicat: Opto Deus vobis det intelligentiam ut percipiatis quæ dicturus ſum. Petrus probè ſciebat non peragi regenerationem ſolius concionatoris operâ; & auditoris labore, ſed requiri benedictionem Spiritus S. 1. Cor. 3. 5. 6. Hanc ita[illegible] precatur. Addit exhortationem, ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου. Etſi converſio eſt opus Spiritu S. tamen non excluditur nec concionantis opera, nec audientis labor, ſed hæc tria debent concurrere. Eſt verbum factum ad imitationem Hebraici האזין, & notat illam attentionem & cupiditatem retinendi, quam auditor debet adhiberi in auditione verbi, ut quaſi in aurem imprimat & implantet. Sicut cibum cum appetitu attrahimus & deglutimus & ſtomacho arctè comprimimus, ita etiam verbum debemus auribus quaſi haurire & imbibere. Hactenus Præfatio.

Actor. 2. v. 15.

Concio XV.

Refutatio negat crimen, & dat rationem negationis, *quia eſt tertia hora diei.* Eſt quaſi dicat, ſi non vultis credere nos eſſe homines pios, ſaltem credite nos eſſe homines honeſtos, quorum mos utique non eſt, tertiâ hora diei *jam tum* ebrios eſſe, uel *adhuc* ebrios eſſe: Ebrietas, præſertim matutina, non ſolum pietati, ſed etiam honeſtati civili eſt contraria. Ita indulgere ebrietati, & ita ſe noctu per ebrietatem infatuare, ut hora tertia diei nondum reſipueris, non ſolùm pietati, ſed etiam honeſtati contrarium eſt, nec cadit in hominem pium vel honeſtum. Antequam hoc probemus, conſiderandum primò quid ſit ebrietas? Ebrietas eſt, ſecundùm textũ, talis perturbatio cerebri per nocturnas recreationes & vanitates, ut hora tertia diei nondum reſipueris & aptus ſis ad officia. Non omnis ebrietas oritur ex vino & potu, nec ea ſolum ebrietas cenſenda eſt, quæ conſiſtit in totali ablatione vel ſuffocatione rationis, quamvis hæc ſint peſſima ebrietatis genera, ſed omne id ebrietatis vocabulo

venit, quod noctu ita infatuat cerebrum, ut mane non ſit aptum ad officia. Quicunque noctem ita tranſigit in potu, in luxuria, in ſaltationibus, in luſibus, & aliis vanitatibus, ut mane vel rationis impos ſit, vel ſomno ſuffocatus cum ad munia vocationis & Chriſtianiſmi debet vigilare, is nec pius, nec honeſtus cenſendus eſt. Patet hoc ex ſequentibus argumentis.

1. Ex hoc teſtimonio Petri, qui hunc in modum argumentatur: Homines honeſti non ſunt ſuſpecti habendi talis ebrietatis, quæ in tertiam diei horam duret. At nos ſumus homines honeſti, E. Hic Petrus expreſsè præſupponit, quod ebrietas ſit contraria honeſtati.

2. Talis ebrietas eſt præcipua pars vitæ Sodomitarum, & hominum qui vivebant circa tempora diluvii Ezech. 16. 49. 50. Matth. 24. 38. Atqui hi non erant homines honeſti, ſed homines abominabiles 2.Pet.2.7.

3. Quod hominem ipſis brutis reddit pejorem omninò honeſtati eſt contrarium, Atqui ebrietas &c. Ergò. Probatur minor. Aves obſervant matutinam horam ut laudent Dominum, gallus ſuas horas, nec ulla eſt beſtia, quæ ſe ita obruat cibo vel potu, ut inepta fiat ad officium. Non igitur tales homines ſunt ſimiles beſtiis, ſed planè infra bruta, & ſunt ſimiles feris iſtis belluis, quæ factæ ſunt ad perniciem humani generis propter furorem, qui ipſis adhæret. Harum enim proprium eſt latere interdiu, & paſcere ſe noctu, Pſal. 104. 20. 21.

4. Hinc cum talibus Chriſtiani non debent edere 1. Cor. 5. 11. Oportet igitur ſit contra honeſtatem, cum ponatur in eodem ordine cum prædatoribus, &c.

5. Eſt abuſus creaturarum divinarum ad Dei ignominiam & noſtram perniciem. Eo fine dat nobis Deus bona dona, ut eum celebremus, ut eum quæramus, Act. 14. & ut ſint media conſervandæ vitæ. At nos noſmet occidimus, & vires vitæ abſcindimus, ut nec apti nec proni ſimus ad Deum colendum. Sumus homicidæ proprii corporis. Superfluitas enim cibi potûſque venenum eſt.

6. Eſt perverſio naturæ. Deus diem condidit ad laborem, noctem verò ad quietem Pſalm. 104. 23. Quod igitur Deus tantâ ſapientiâ fecit, id homo ſtultitiâ ſua evertit. Vide ibid. v. 24.

7. Eſt directè Chriſtianiſmo contrarium. Chriſtianorum enim eſt diem incipere & finire laudibus Dei, & obſervare ſtatuta tempora cultûs, ſine qua certè obſervatione nemo meretur nomen Chriſtiani, 1. Chron.23 30. Pſalm. 5. 4. Pſal. 55. 18. Pſal. 59. 17. Pſalm. 88. 14. Pſalm. 108. 3. At hæc perverſio noctis & diei evertit hanc partem Chriſtianiſmi, & facit vitam ἀτάκτως Eph.5.18. καὶ ἀσώτως. Chriſtianiſmus conſiſtit in labore mortificandi carnem, & adigendi cor ad reſipiſcentiam. At talis vita gravat cor, reddit pingue, obtuſum, ἀσωτον, ut non ſit capax ſpiritualium, & vaſtat ac ſuffocat omnem vim verbi. Vide Luc. 8. 14. Luc. 21. 34. Hoſ. 3. 11. Eph. 5. 18. Prov. 23. 29. 30. 31. &c.

8. Vehementer talis vita Deum irritat. Excludit ex regno cœlorum 1. Cor. 6. 10. Eſa. 5. 11. 12. 13. Vide judicia Dei in Sodomam, in Germaniam, in Græciam.

9. Reddit ineptos ad ferendam crucem. Nam qui tali vitæ aſſueti ſunt, iis crux & calamitas valdè peregrina accidit, ut loquitur Scriptura 1.Pet.4.12. Hortamur itaque omnes, & præſertim juvenes ut diſcant vitam ducere ordinatam, & noctem quieti tradere, diemque Chriſtianiſmo & labori, ut Deus ordinavit, ne in omnia hæc mala incidant.

Object. 1. Oportet habeamus recreationes. Beſtias hoc diſcrimen noctis atque diei tàm ordinatè obſervare non eſt mirum, quia eæ non ſunt obnoxiæ curis, ſicut homo, ideoque non opus habent recreationibus. *Reſp.* 1. Licet uti recreationibus, ſed non talibus, quæ verbo Dei ſunt contrariæ, & cum pietate & vocatione conſiſtere non poſſunt 2. Negatur, quod talis nocturna, vel ulla ebrietas naturam recreet aut reficiat. Evertit enim naturam & frangit ejus vires.

Object. 2. Qui ſe tam ordinatæ vitæ adſuefaciunt, non ſunt apti ad nocturnos labores & vigilias, ſi quando opus eſt in bello, vel aliis occaſionibus. *Reſp.* Multò minus illi, qui ſe adſuefaciunt nocturnis crapulis & vanitatibus. Per talia enim vigilantiam & alacritatem naturæ ad gerenda negotia acui, omni experientiæ, & ipſi rationi contrarium eſt. Si quis vult nocturnis vigiliis ſe adſuefacere, laboribus nocturnis debet dare operam, non deliciis nocturnis. Nam deliciis non generatur vigilantia. Si vis te ita adſuefacere, ſequere conſilium Davidis, Pſal. 119. 62. Vide, quanta ſint ſtratagemata Diaboli, & quàm ſpecioſi prætextus impietatis.

Object. 3. Malum quidem eſt, ſi quis hoc faciat perpetuò, ſed qui aliquando facit, non peccat, præſertim cum tales ſunt occupationes, quibus ſe honeſtè

neſſe non poteſt ſubtrahere, e. g. in nuptiis & aliis occaſionibus. *Reſp.* 1. Qui aliquando facit, non facilè negabit ſemper facere, cum modò occaſio eſt. Iſtæ enim vanitates ita mentem occupant, ut ſemel factæ ſtimulum poſt ſe relinquant perpetuo urgentem. Non multi actus requiruntur ad hunc habitum generandum. 2. Cum tibi ad occaſiones talis ἀταξίας veniendum eſt, venias cum ſinceró propoſito reſiſtendi occaſionibus omni prudentiâ, nec te præbeas ductorem & incitatorem aliis, nec te præpares ad peccata. Si ſic facis, occaſiones tam facile non nocebunt, vel ſi nocuerint, infirmitas erit, non deſtinata malitia

Non negat autem Petrus crimen objectum ſimpliciter, ſed cum exprobratione temerariæ ſuſpicionis: *Sicut vos ſuſpicamini.* ὑπολαμβάνετε. quaſi dicat, eſt iniqua & charitati repugnans ſuſpicio, quam in hos viros conjicitis. Hinc itaque nota: De viris honeſtis non facilè aliquid inhoneſtum & impium ſuſpicandum eſt. Suſpicio aliquando in laude, aliquando in vitio ponitur. Quid eſt ſuſpicio? Suſpicio in genere eſt opinio mali de aliquo ob rationes leves, vel ad ſummum probabiles. Græcè vocatur ὑπόληψις, q. d. aſſumptio nimis facilis, ex propoſitione minus firma. Talis ſuſpicio damnatur 1. Cor. 13. 4. & 5 ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ, οὐ λογίζεται τὸ κακόν, non quod ſuſpiciones omnes ſint illicitæ, ſed quod non ſit licitum ſuſpicionibus plus æquo indulgere, 1. Tim. 6. 4. Quando igitur licitæ ſunt, quando non?

Reſp. 1. In converſatione cum hominibus ignotis pars prudentiæ eſt, non nimis eſſe credulum, ſed ſibi attendere & cavere. Quandoquidem enim plures mali ſunt in mundo, quàm boni, prudentiæ eſt illud obſervare quod Paulus ait Eph. 5. 15. 16. Matth. 10. 17.

2. In converſatione cum iis, quorum mala fama eſt in Eccleſia, prudentiæ eſt non nimis eſſe credulum. Prudentiæ enim eſt iis, qui malæ vitæ, vel mali cordis indicia præbuerunt, vel qui malæ vitæ ſpecie communem opinionem hominum contra ſe excitârunt, non nimium fidere, ſed iis attendere.

3. Præſertim decet, ut ſuſpecti nobis ſint, qui in religione cupiunt ſchiſmata & ſcandala ſuadere. Quantumvis blandè & egregiè poſſint loqui, tamen debent eſſe ſuſpecti, Rom. 16. 17. 18. Matth. 7. 15. 1. Joh. 4. 1.

4. De nobis ipſis ſemper debemus ſuſpiciones fovere. Quoniam enim cor nobis eſt fraudulentum, non debemus nobis ipſis fidere, ſed ſemper cavere à proprio corde, & nobis ipſis attendere, nosipſos probare. Sicut parentes filiis ſuis ſemper diffidunt, & ſuſpicantur, ne quid agant minus conveniens, Joh. 1. 5. ita ſemper nobis ipſis debemus eſſe ſuſpecti. Hic magnus ſæpè defectus, quod homines nil mali de ſe ipſis ſuſpicari volunt, ſed ſibi ipſis omnia fidunt. Qui ſtat videat ne cadat. Sæpe multa aliorum teſtimonia adigerè non poſſunt homines ad quicquam de ſeipſis ſuſpicandum, qui alioquin ad ſuſpicandum de aliis ſunt maximè proni. Debemus facere ut diſcipuli Chriſti Matth. 26. 22.

Illicitæ autem ſuſpiciones ſunt quæ concipiuntur.

1. De hominibus notæ famæ & integritatis. Sic Geneſ. 43. 18. Sic Matth. 1. 19. Hoc non permittit amor, ut ex levibus aliquibus & probabilibus cauſis ſuſpicionem concipiamus contra eos, quorum alioquin nota eſt integritas & pietas. O quàm crebrum hoc inter homines, quod quotieſcunque leviculum aliquod ἁμάρτημα in proximo animadvertunt, alioquin pio, ſtatim ſuſpicantur eſſe hypocritam. Sic amici Jobi. Judicium caritatis erga tales tantopere nos obligat, ut magnæ debeant eſſe rationes, antequam aliquid ſuſpicionis contra tales accipiamus, ſed decet omnia ambigua in bonam partem interpretari 1. Cor. 13. *Caritas omnia ſperat.*

2. De iis quos probavimus & exploravimus. In negotio religionis multi ſunt adeò ſuſpicaces, ut nullis probationibus velint locum dare. Non indignamur iis, qui concionatoribus etiam Orthodoxis non facilè fidunt, qui ſibi ipſis & cordi ſuo diffidunt antequam probârunt. Sed poſtquam ſatis probârunt, & tamen ſuſpicionibus indulgent, hoc malum. Perſonis enim ita diffidunt, ut propter diffidentiam in eos etiam ipſis verbi Dei teſtimoniis diffidant.

3. De Deo ipſo. Tales ſunt qui ſuſpicantur ſe non eſſe electos ſed reprobos, qui ſuſpicantur ſe non eſſe Deo dilectos, ſi non ſtatim preces audit, ſi ullo modo affligit, &c. Vide 1. Joh. 4. 18. Probatio ſui ipſius poteſt eſſe ſine ſuſpicione in Deum.

4. Præſertim inter conjuges ſolet regnare malum alioquin ſuſpicionis genus, quod vocatur zelotypia, de qua Num. 5. 14. Sic inter heros & ſervos, ſi quid amiſſum eſt de re familiari, ſtatim in ſuſpicionem veniunt ſervi. Noxia valdè paci eſt hæc ſuſpicio.

Actor. 2. *v.* 16. 17. 18. &c.

CONCIO XVI.

HActenus præfatio & refutatio. Tertia pars concionis Petri eſt Inſtitutio ſeu Informatio, eâ dubitantes & admirantes informat, quidnam ſit illud mirabile & inſuetum, quod in Apoſtolis viderant, & unde veniat. Non tantum refutat calumniatores, qui ebrietatem fuerant interpretati, ſed etiam inſtituit illos, qui cum admiratione & ſtupore inter ſe dicebant, quid hoc erit? verſ. 12. Hinc in genere diſcimus: quod qui benè vult docere, non tantū debet reprehendere, ſed & inſtituere & manuducere, non tantum debet eſſe ἐλεγχτικός, ſed etiam διδασκαλικός. Vide 2. Tim. 4. 2. *refuta, reprehende & hortare in omni lenitate & doctrina.* Affectuoſæ illæ concionum partes debent eſſe conjunctæ cum modeſta ac leni informatione judicii. Vehementia ſermonis, manſuetudo morum, & clara informatio judicii, ſunt tria requiſita boni concionatoris. Ratio eſt: Quia affectus fruſtra moventur, ſi non illuminetur intellectus & conſcientia cognitionem myſteriorum Euangelii & veritatis. Veritas cognita eſt mater omnis ſanctitatis, & ſine veritate Euangelii non gignitur ulla pietas. Refutantur igitur hinc, qui ægrè ferunt concionatores multum morari in explicatione veritatis, & in ea repurganda à corruptelis errantium, & ſeducentium, & malunt eos nil aliud agere quàm tonare contra vitia & hortari ad ſanctitatem. Fruſtra hæc ſunt, niſi fiant ἐν διδαχῇ, ſeu cum informatione judicii. Si nil aliud faceremus, quàm ea, quæ ad movendos affectus pertinent, multis perſecutionibus non eſſemus obnoxii. Verùm nobis mandatum eſt *contendere pro fide ſanctis ſemel traditâ, Iud.* 2. *myſteria fidei ſervare in pura conſcientia* 1. *Tim.* 3, 9. Niſi hoc fecerimus, fruſtra ſunt hortationes. *Per veritatem enim ſanctificamur* Joh. 17. 17. Sicut omnis calor eſt ex luce, ita omnia pietas ex cognitione myſteriorum. Vide 1. Tim. 6. 3. *Sana verba & doctrina, quæ ſecundum pietatem eſt.* 1. Tim. 3. 16. *Magnum eſt myſterium pietatis*, Sic Tit. 1. 1. *agnitio veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt.*

Habet autem hæc inſtitutio Petri duas partes:

1. Quid ſit illud mirabile quod in Apoſtolis viderunt.

2. Unde veniat & ex qua cauſa. Si non eſt ebrietas illud mirabile, quod in Apoſtolis vident, quid igitur eſt? Eſt id quod per Prophetam Joël prædictum eſt, per quem ſic dicit Deus, q. dicat: Deus jam olim per Prophetam Joël prædixit, ſe in ultimis diebus effuſurum Spiritum S. ſuper omnem carnem, per quem omnes prophetent. Id jam completum eſt, aut incipit compleri. Duo hîc in genere obſervanda.

1. Spiritum S. eſſe verum Deum. Qui per Prophetas locutus eſt, eſt verus Deus verſ. 16. At Spiritus S. per Prophetas locutus eſt 2. Petr. 1. 21. Sic Act. 28. 25. Act. 1. 16. E. Spiritus S. eſt verus Deus.

2. Patres V. T. non ſaginatos eſſe ſolis promiſſis terrenæ vitæ, ſed etiam habuiſſe promiſſiones ſpiritualium bonorum. Habuerunt enim promiſſionem Spiritus S. Sed his non inſiſtemus.

Res, quam Joel hoc vaticinio prædixit, trium eſt membrorum, ſeu potius trium effectorum. Prædixit Propheta Deum in ultimis diebus effuſurum eſſe Spiritum S. ſuper omnem carnem, & ex hac effuſione ſequuturos eſſe tres effectus vel eventus. 1. magnam notitiam rerum ſpiritualium in omni hominum genere v. 17. 18. 2. magnas turbas ac commotiones hominum, cum multis prodigiis & portentoſis ſignis, v. 19. 20. 3. Salvationem & Liberationem omnium, qui nomen Domini invocaverint v. 21. adeò ut hoc vaticinio contineatur egregia deſcriptio totius ſtatûs, in quo futura eſt Eccleſia totius N. T. videl. abundantia ſcientiæ & cognitionis, perſecutio & turbæ propter veritatem, & tamen efficax & certa ſalvatio omnium piorum. Res promiſſa eſt effuſio Spiritus S. futura ultimis diebus ſuper omnem carnem. De hac promiſſione tres quæſtiones breviter explicandæ ſunt.

I. Cur dicitur effuſio Spiritus S. futura ultimis demum diebus, cum tamen ſine dubio etiam in V. T. facta ſit? Ne auferas de me Spiritum Pſal. 51. ergò fuit effuſus. Vide etiam Num. 11. 17. Jud. 14. 6. 9.

Reſp. 1. In veteri T. dabatur guttatim, & rariſſime deſtillabat, ſed nunc *effunditur*, i. e. datur copioſius, quàm tunc.

2. In Veteri T. dabatur quidem, ſed non ſuper omnem carnem, ſed tantùm paucis quibuſdam & uni populo.

3. Propheta facit oppoſitionem inter Legem & Euangelium. Per legem & Moſaicum cultum dabatur Spiritus, ſed maxima ex parte ſpiritus ſervitutis. Ideò enim lex ſupervenit & addita eſt Euangelio, ut homines per ejus prædicationem continerentur in metu & humiliatione, donec veniret tempus

tempus Euangelii, quo Spiritus adoptionis & filialis ingenuitatis effunderetur uberius. Sicut homines in ætate infantili reguntur leniter, puerili verò duritie & per virgas, donec adoleverint ad uſum rationis, ut ſeipſos nôrint regere: ita tempore Patriarcharum Deus homines rexit leniter per promiſſiones, poſtea addidit legem & duras ceremonias, donec venit tempus, quo uberè effudit Spiritum S. ut ſeipſos poſſint regere, & ſponte bene agere, Gal. 4. & Abba Pater dicere. Sicut appropinquante tempore liberationis ex Ægypto, Deus immiſit Iſraelitis preſſuram graviſſimæ ſervitutis, quâ urgerentur ad deſiderandam liberationem, ita appropinquante tempore Meſſiæ, Deus Iſraëlitis immiſit prædicationem legalis maledictionis, ut eâ urgerentur ad appetendum adventum Salvatoris. Diſcamus hinc, quid ſit noſtri officii, videl. ut non amplius vivamus ſicut pueri, ſed ut illi, qui ad maturam venerint ætatem in rebus ſpiritualibus. Si Deus à Judæis in V. T. requiſivit vitam ſinceram, ſapientem & ſanctam, qui tamen exiguam habebant Spiritus S. menſuram, quid non requiret à nobis, ſuper quos effuſus eſt Spiritus S. Conſideremus igitur illud Pauli Eph. 4. 14 15 1. Cor. 14 20. Qua in re debebamus excellere Judæos V. T.

Reſp. 1 In notitia 1. Cor. 3. 1. 2. Gal. 4. 3. & 9. Quam turpe eſt, ſi quis adoleſcens in alphabeto diſcendo occupatus eſt. ſic Hebr. 5. 12.

2 In precatione, Gal. 4. 6.

3. In deſiderio verbi, 1. Petr. 2. 1. ſed hoc illud prophetare, hæ illæ viſiones fidelium in N. T. de quibus in ſequentibus.

4 In modeſtia, ne ſimus ut petulantes pueri. 1 Cor. 13. 11. Phil. 2 15.

O quam multi ſunt, qui ruditate ſua manifeſtum [illegible] ſe non eſſe ſub regno Chriſti.

II. Cur dicit ſe ſpiritum effuſurum eſſe ſuper omnem carnem? *Reſp.* i. e. ſuper omnes homines. Aliquando anima ponitur pro homine, aliquando corpus & caro. Sed an igitur omnes homines in N. T. accipiunt Spiritum S. & annon hinc confirmatur omnes homines per Chriſtum actu eſſe cum Deo reconciliatos, & accepiſſe univerſalem aliquam gratiam, quia peccatum originale hactenus ſit deſtructum, & natura hactenus inſtaurata, ut ſe poſſint convertere modò velint? *Reſp.* Non ſic. *Ratio* 1. Quia ſcriptura non patitur nos ita loqui, omnes homines repletos eſſe Spiritu S. ſed templum Spiritûs S. eſſe, eſt proprium regenitorum. Cæteri ſunt carnales & ſine ſpiritu, Judæ 19. ambulant ſecundum carnem, & non ſpiritum. Nam qui Spiritu Dei ducuntur ſunt filii Dei. At non omnes ſunt filii Dei. Ex hoc novimus, quod ſumus ejus, ex ſpiritu quem nobis dedit. Quoniam autem non omnes ſunt filii, etiam non omnes habent Spiritum Dei. 2. Quia loquitur de tali effuſione, quæ parit prophetiam, viſiones, ſomnia, i. e. ſpiritualem notitiâ, & ſpirituales motus ac effectus erga Deum. At hos non invenies in omnibus hominibus. 3. quia ipſe textus ſe explicat, quid hâc phraſi velit: ſuper omnem carnem, i. e. ſuper filios & filias, ſenes & juvenes, ſervos & ancillas; ſumma, ſuper omnis generis, & omnium conditionum homines. Antea Deus Spiritum ſuper unum tantummodo populum effuderat, & in eo quidem populo pauci erant prophetæ, qui ſpiritum Dei in excellenti aliquo gradu acceperant, ſed jam ſuper omnes gentes, & in omnibus gentibus ſuper omnium conditionum homines affatim effundere promittit. Hoc ſolatio eſſe debet & gaudio nobis, qui ex gentibus ſumus. Antea omnes hæ regiones erant ut ſylva arida, ſed jam ſuper nos effuſus ſpiritus ut vireſcamus. Sit etiam ſolatio omnibus, qui ſunt conditionis tenuis. Nihil refert. Spiritus etiam in ſervis & ancillis habitare vult, Æquè poteſtis eſſe templa Spiritus ac celſiſſimi Principes.

III. Sed cur de tertia perſona Deitatis dicitur, quod effundatur, cùm hoc ſit proprium humoris liquidi, quod Spiritui S. nullo modo videtur poſſe tribui? *Reſp.* Idem quod Spiritu S. baptizare Act. 1. lavare Tit. 3. Non tantùm hâc phraſi ſignificatur, quod Spiritus S. in cordibus noſtris efficaciter per modum pharmaci & unguenti operetur, eaque mutet, emendet, renovet, purget, & ad bonos ac ſpirituales motus excitet, ſed etiam notatur illa mirabilis unio & communio perſonarum divinitatis, ad quam ſe Deus nobiſcum demittit. Pater dicitur habitare in nobis, & amorem ſuum in nos effundere, Rom. 5. 5. i. e. amore nos complecti, & ſenſum amoris ſui conſcientiis noſtris imprimere, ſicut mater ſolet infanti omnibus blanditiis, oſculis & amplexibus amorem ſuum teſtari. Filius nos dicitur nutrire ſicut membra corporis ſui Eph. 5. Spiritus S. dicitur nos ſibi in templum formare, & ſe in nos effundere. Sicut ſol & aſtra vires ſuas per pluviam in gremium terræ effundunt & influunt, ſicut mater proprium ſanguinem per ubera influit & effundit in viſcera infantis, ita Deus proprium Spiritum

tum in corda noſtra effundit. Res cujus modus eſt ἀνιχνίαστος, ſed quæ arctiſſimam ac feliciſſimam noſtram cum Deo communionem exprimit, de quâ meritò lætantur, qui Spiritus S. participes facti ſunt. Demus operam, ut viciſſim corda noſtra effundamus erga Deum gaudio, amore, precibus. Hoc requiritur 1. Sam. 1. 1. 5. effudi animam coram facie Domini. Pſal. 62. 9. Effundite cor veſtrum. Quod Paulus de ſe dicit 2. Corinth. 6. 11. 12. meritò Deus quoque ad nos dicere poteſt: Dilatamini, nec ſitis adeò anguſti.

Actor. 2. *v.* 17. 18.

CONCIO XVII.

HActenus res ipſa quæ promittitur hoc Joëlis vaticinio: Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Sequuntur tres effectus hujus effuſionis. Primus effectus eſt, quod filii & filiæ prophetabunt. De his verbis duæ quæſtiones nobis ſunt explicandæ:

I. Quid intelligatur per iſtas prophetationes, viſiones & ſomnia.

II. Cur ita ſigillatim ſingulæ ſingulis tribuantur, vid. prophetia filiis & filiabus, nec non ſervis & ancillis, viſiones junioribus, & ſomnia ſenioribus.

DE PRIMO.

SIne dubio intelliguntur omnis generis dona ſpiritualia, quæ Deus per Spiritum Sanctum operatur in cordibus hominum, præcipuè intra pomœrium Eccleſiæ. Hi enim ſunt veri fructus Spiritus S. quorum gratiâ ſuper Eccleſiam effunditur. Hi etiam ſunt fructus quos Chriſtus ſua adſcenſione nobis peperit Eph. 4. 8. Dona Dei, quæ hominibus dantur, ſunt triplicia:

1. Naturalia, quæ homini agnoſcuntur, vel in ipſa creatione ac nativitate conferuntur, e. g. corpus, anima, corporis robur, ſanitas, pulchritudo, animæque indoles atque dotes bonæ, quibus per ipſam nativitatem alius alium excellit. Hæc etiam ſunt dôna Dei 1. Corinth. 7. 7. & 17. Hæc dona ſunt quidem etiam excellens talentum, cujus bonum uſum Deus à nobis requirit, & cujus abuſu graviſſimè Deum offendere, & nos judicio Dei obnoxios reddere poſſumus, ſed tamen non ſunt illa dona, per quæ quis adſcendere poteſt ad Spiritualem communionem cum Deo. Qui enim in his donis ſunt omnium eminentiſſimi, ſunt tamen hoſtes Dei, & etiam ſapientia eorum inimicitia eſt contra Deum, Rom. 8. & niſi per Spiritum S. hæc dona ſanctificentur, plerunque ſunt nebulones perditiſſimi, qui in his donis ſunt eminentiſſimi; ita ut plerumque qui his donis excelluere fiant ingenioſi fures, callidi politici, lepidi hiſtriones, gratum & deſideratum ſcortum, &c. Sunt hæc dona ſicut bonus culter in manu ſtulti vel infantis, quo ſibi ipſi oculum effodit. Et tamen eſt magna gratia, & eſt pura gratia. Non enim pendet ex meritis, ſed ex beneplacito Dei, ut hoc animadvertere poſſunt parentes in diverſa liberorum indole & diſparibus ingeniis, licet ſint ex eodem conjugio. Et ſunt dona quibus homo naturalis in medio abuſu turget & ſuperbit.

2. Dona civilia e. g. libertas, honores, divitiæ, pax, conjux, liberi & cætera media externa ad proſperam ac lætam in hoc mundo vitam neceſſaria. Etſi enim hæc nobis accedunt per hæreditatem, vel etiam noſtris artibus & noſtrâ induſtria acquiruntur, ſunt tamen dona Dei, Eccl. 3. 13. & 5. 18. Pſal. 128. 3. 4. Pſal. 127. 3. Prov. 19. 14. Nam labor noſter, qui ad talia acquirenda adhibetur, nec meretur hæc bona, nec in ſe ſufficiens eſt ad ea paranda, niſi gratuitâ Dei benevolentiâ nobis donentur.

3. Dona Spiritualia, quæ nobis dantur ad finem ſpiritualem & ſupernaturalem videl. ad Deum quærendum vel inveniendum. Hæc dona ſunt varia & diverſæ naturæ, poſſunt tamen diſtingui in dona legalia & Euangelica.

1. Legalia, ſeu quæ originem habent ex fœdere legis in creatione fundato. Etſi enim illud fœdus per peccatum violatum eſt, ita ut Deus jure iſtius fœderis nobis nihil boni debeat præter pœnam, ea tamen eſt longanimitas Dei, ut non ſtatim abjiciat omnes homines in infernum, ubi finis erit omnium bonorum donorum, ſed pleroſque finit ad tempus vivere in domo terræ, ubi multa dona illis diſtribuit, ut per ea Dominum quærant, ſi forte palpitent & inveniant. Act. 17. 27. Hoc fine non tantùm dat bona naturalia & civilia, ſed etiam per Spiritum S. in animam eorum infundit egregias ſcientias & artes, per quas poſſunt penetrare in opera & creaturas Dei, eaſque non ſolùm in ſuos uſus convertere, ſed etiam ſapientiam, potentiam, bonitatem & juſtitiam Dei in illis tanquam in ſpeculo intueri. Hæc enim omnia, etſi hominum ſtudio & induſtriâ acquiruntur, tamen ſunt dona Dei, & quidem peculiariter dona Spiritus S. quippe ſine cujus ope nemo potuiſſet eò pervenire, Exod. 35. 31. & 32.

k [illegible] 4 1 Reg.7.14. Immò Deus non tantùm dat ex [illegible] fundamento humanas artes & ſcientias, ſed [illegible] aliquos gradus ſpiritualis illuminationis de [illegible] & myſteriis ſalutis, quo fit, ut non tantùm na[illegible] ſciant quæ ſunt legis, & opus legis habeant [illegible]bus inſcriptum, ſed etiam per externam præ[illegible]onem verbi guſtent dona cœleſtia, fiant parti[illegible] Spiritus S. guſtent bonum verbum Dei, virtu[illegible] ſeculi, credant ad tempus, ſentiant internos [illegible] & pulſus Spiritûs, quibus invitantur ad aperie[illegible] & intromittendum Chriſtum, ut ſæpè parum a[illegible], quin fiant Chriſtiani Hebr.6.4.5. Luc.8.13. [illegible] 26 28. 29. Hæc dona diſtribuuntur tum intra [illegible]eſiam, tum extra Eccleſiam & proinde dicuntur d[illegible]na communia Spiritûs, etſi uni majori, alteri mino[illegible] dantur menſurâ. Si hanc velis appellare Gratiam univerſalem, vel communem, per nos licet. Hi [illegible]t fructus longanimitatis & patientiæ divinæ, qu[illegible] Deus erga homines gerit, etiam poſtquam p[illegible]ârunt, & per quos eos ad pœnitentiam invitat, antequam in æternos eos cruciatus demergat, quos tamen homines ſuo abuſu plerunque convertunt in oc[illegible] majoris pœnæ & judicii. Non ſunt fructus mortis Chriſti, ſeu gratia omnibus hominibus per Chriſtum parta, ſed ſunt fructus longanimitatis di[illegible]æ, quam etiam poſt violatam legem gerit erga h[illegible]es. Non oriuntur ex fœdere Euangelii, quod [illegible] cum Eccleſia pepigit, ſed ex fœdere legis, qu[illegible] cum omnibus hominibus pepigit, & quod per [illegible]m irritum factum eſt. Hæc quoque ſunt d[illegible] Dei, & ſunt in ſe bona dona, quibus homines a[illegible]um uti debebant, etſi ſuâ culpâ iis abutuntur ad [illegible]am perniciem.

2 [illegible]gelica, ſeu quæ originem habens ex fœ[illegible] [illegible]lico, & ex ſpeciali gratia electionis. [illegible] enim homo peccavit, Deus non ſolum [illegible] longanimis eſt erga homines commu[illegible] [illegible]us teſtificans & ad pœnitentiam invi[illegible] [illegible] 4.17 Rom.2.4. 2. Pet 3.9. Sed etiam ex [illegible] & beneplacito quoſdam homines cum[illegible] donis, quibus certo infallibiliter & [illegible] Deum non tantùm quærunt, ſed etia[illegible]t, & cum ipſo reconciliati ac uniti æ[illegible] omni beatitudine. Hæc dona quæ ex [illegible]nto fluunt, vocantur ἀμεταμέλητα. R[illegible] 29. [illegible]a fluunt ex tanto gradu gratiæ & a[illegible] non [illegible]tur extingui per corruptiones [illegible], ſed q[illegible] ita [illegible] in voluntatem ho[illegible] [illegible], ut [illegible] homines [illegible] ea repellere, ſed omni ope conentur retinere. Hæc ſalvifica dona in quatuor claſſes poſſunt diſtribui.

1. Primum donum hujus generis, eſt Jeſus Chriſtus cum ſuis meritis ſuaque juſtitia. Hic enim eſt illud verum & eximium donum de quo Joh. 4. 10. 1. Cor. 1. 30. Rom. 8. 32. Rom. 5. 16. 17.

2. Secunda ſpecies donorum hujus generis ſunt illæ qualitates, quas Spiritus S. per opus regenerationis & ſanctificationis in corda noſtra inſcribit, ſeu implantat, unà cum actionibus ſpiritualibus, quæ ex illis in nobis & à nobis producuntur. Hæc dona vocantur gratia Dei, & Spiritus S. Actor. 10. 45. Donum Spiritus S. Act. 2. 38. Fructus Spiritus, cujus diverſæ ſpecies recenſentur Gal. 5. 22. Eph. 5. 9. Eph. 2. 8. Eſa. 11. 1. 2. 3.

3. Tertia ſpecies donorum, ſunt dona miniſterii Eccleſiaſtici, quibus Chriſtus Inſtrumenta ſui regni ornat, ut vocatio eorum ſit efficax, quorum multæ ſpecies recenſentur, 1. Cor. 12. 13. & 14. & ad quæ ipſa quoque Scriptura pertinet, quæ ſanè eſt egregium donum Dei. Hæc propriè vocantur chariſmata Spiritus, & ab ipſis Charitibus, ut ita loquar, tantum differunt, quantum ducatus plumbeus, quales ſolent eſſe ponduſcula in libella aurifabrorum, à ducatu aureo. Sicut in arboribus dantur folia & flores, quæ à fructibus differunt, & generantur ad generationem frugum: ita Spiritus in quibuſdam hominibus generat hæc chariſmata Prophetiæ, linguarum, notitiæ, miraculorum, &c. ut per ea in Eccleſia ſua generet veros fructus fidei & omnium virtutum. Sicut igitur folia & flores, non ſunt id, quod hominem nutrit, & delectat, ſed fructus: ita hæc chariſmata neminem reddunt Deo gratum, ſed fides & virtutes ſunt id, quo Deus delectatur, nec dantur propter ſe, ſed propter aliud. Hinc 1. Cor. 13. & 14. dicitur quod quantumvis quis habeat omnia iſta dona, & tamen non habeat amorem & cæteras virtutum ſpecies, non placeat Deo. Hoc genus donorum datur etiam hominibus ſæpè impiis, & tamen originem ſuam habet ex fœdere gratiæ, & proinde inter dona Euangelica & ſalvifica rectè cenſetur, quia datur ad ædificationem Eccleſiæ electæ, ad quam Deus ſæpe etiam adhibet eos, qui non ſalvantur, ſicut arca Noæ fabricata eſt per fabros, qui non ſervabantur ab aquis. Etſi non ſalvant eos qui ea habent, ſalvant tamen alios.

4. Quartum denique & ultimum genus donorum Euangelicorum eſt vita æterna Rom. 6. ult. Hoc ſummum donum, & cæterorum donorum co-

 rona.

rona, quâ Deus cætera ſua dona in nobis coronat. Hæc diſtinctio donorum Dei præmittenda fuit, antequam vobis potui dicere quid intelligatur per has Prophetias, viſiones & ſomnia. Nunc uno verbo dicam: Intelliguntur duplicia dona ex donis Euangelicis, videl. ſecunda & tertia horum donorum ſpecies, i.e. notitia myſteriorum Dei, fides in Euangelium, omniumque ſpecies virtutum & bonorum operum, quæ in lege Dei præcipiuntur, nec non pax & conſolatio ac gaudium conſcientiarum, itemque dotes miniſterii Eccleſiaſtici ad ædificationem perſonis vocatis conceſſæ, quales ſunt linguæ facundia, dona miraculorum, &c. Hæc enim omnia peculiariter vocantur dona ſpiritualia 1.Cor.12.1. Rom. 12.6. Senſus igitur textûs eſt, ſi rotundè velimus loqui, quod effuſio Spiritus S. primò omnium paritura ſit abundantiam notitiæ, fidei, ſanctitatis, ſapientiæ, &c. inter omnis generis homines.

At enim quare hæc dona & hi fructus Spiritus S. appellantur nominibus Prophetiæ, viſionum & ſomniorum? *Reſp.* Hoc fit propter tres cauſas.

I. Enumerat aliquas ſpecies donorum, ut ex quibuſdam intelligantur cæteræ omnes.

II. Vult Euangeliſta vel Propheta hac appellatione omnia hæc ſpiritualia dona dividere in tres gradus, in quibus reverà conſiſtunt, videlicet in dona illuminationis, conſolationis & ſanctificationis.

1. Dona illuminationis in intellectu. Hæc indigitantur per voculam Prophetia. Prophetia enim duo in Scripturis ſignificat: Primò notitiam & intelligentiam myſteriorum Euangelicorum & providentiæ divinæ, tùm quatenus futura, tùm quatenus præſens aut præterita eſt. Deinde dexteritatem explicandi & applicandi doctrinam ſalutarem ad corda & conſcientias aliorum. Sic ſumitur hæc vox Rom.12.v.7. Prænunciat itaque Propheta fore in N. T. ut omnis generis homines habeant abundantem cognitionem myſteriorum Euangelii, & ut Eccleſia inſtructa ſit doctoribus facundis & efficacibus magno numero. Quomodo hoc impletum ſit & quantum Eccleſia N.T. hac in parte ſuperet Eccleſiam V. T. non opus eſt demonſtrare: Res eſt in omnium oculis. Sic impletum abundanter illud Eſai. 54. 13. Jer. 31. 33. Joh. 6. 45. Hebr. 8. 11. *Objeſt.* Atqui etiamnum opus habemus inſtitutione & multi ſunt qui non habent hanc notitiam. *Reſp.* Senſus non eſt, quaſi nulla ſit futura inſtitutoi, ſed quod externa inſtitutio ſit conjuncta futura cum interna inſtructione Spiritûs, per quam omnes electi ad longè majorem ſint perventuri cognitionem, quàm erat in V. T. Dicuntur hæc omnia comparativè ad V T. Non docebunt, i. e. non tantopere opus habebunt docere ac ſub V. T. Non tanta inculcatione indigebunt, ſed leviori negotio addiſcent.

2. Dona conſolationis in conſcientiis. Hæc indigitantur per voculam Viſio. Viſio enim opponitur auditui, & eſt repræſentatio rei ad conſcientiam per ſpecies viſibiles, notatque intimiorem rei apprehenſionem, quàm fit per auditum verborum. In verbo intuemur tanquam in obſcuro ſpeculo, ſed in vita æterna de facie ad faciem videbimus. Hujus autem viſionis æternæ magna quædam initia promittuntur fidelibus in N.T. & reverà dantur. Nam aperiuntur nobis oculi intellectûs, ut intimè penetremus in myſteria Euangelii, & apprehendamus eorum longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem, & convincamur in conſcientiis de eorum veritate & admirabili ſapientia, impleamurque vivo ſenſu divinæ gratiæ ac favoris erga nos, & ſæpiſſimè habeamus quaſi raptus ſpirituales in tertium uſque cœlum, intimo corde prægustantes gloriam & virtutes futuri ſeculi. Hæc ſunt viſiones N. T.

3. Dona ſanctificationis in affectibus. Hæc indigitantur per ſomnia. Somnia enim ſunt cogitationes & commotiones animæ, quæ fiunt clauſis externis ſenſibus. Cum homo nec audit, nec videt, nec tangit, nec guſtat, nec olfacit quicquam, tum anima intus agitatur cogitationibus & cupiditatibus rerum longè diſſitarum. Hoc egregiè deſcribit mortificationem hominis exterioris, & vivificationem interioris, ſeu totius ſanctificationis, quæ in eo conſiſtit, quod ſenſus noſtri clauduntur ad mundana objecta & mundo quaſi moriamur, & fœdus faciamus cum oculis ne videant, &c. Interim tamen non ſumus mortui, ſed animis noſtris occupati in rebus quæ ſupra ſunt quærendis & affectandis, & in mundo viventes, tamen non ſapiamus quæ ſunt mundi, ſed converſationem noſtram habeamus in cœlis. Quid aliud ſunt preces noſtræ, quàm ſomnia, quippe quibus ſenſus omnes ad omnia externa claudimus, & animum quaſi in cœlum evehimus? Homo precans debet eſſe ſicut homo ſomnians, ſenſus habere clauſos ad omnia terreſtria, & animam nihilominus occupatiſſimam in ſpiritualibus. Qui apertis ſenſibus vult precari, perinde facit, atque qui apertis feneſtris & foribus vult focum ſtruere.

Sicut

S[illegible] tunc ventus ignem de foco difflat, & [illegible] ingratum fumum efficit, ita, ſi quis apertis [illegible]us precatur, objecta terreſtria attentionem [illegible]t, Et hæc ſunt ſomnia N. T. quæ ſomniant [illegible]enes

III. Euangeliſta dona ſpiritualia N. T. proponit [illegible] Prophetiæ, viſionum & ſomniorum e-[illegible] hanc ob cauſam, ut his tribus nominibus indi-[illegible]es illos modos, quibus dona ſpiritualia in [illegible]untur. Efficiuntur enim.

1 P[illegible] prophetiam, ſeu prædicationem verbi.

2 [illegible] viſiones, ſeu per externa & clariſſima ſa-[illegible], quibus Chriſtus ante oculos noſtros cru-[illegible]r, præcipuè autē per experientiam, & actua-[illegible] imple[illegible]nem omnium umbrarum & figura-[illegible] V. T per quā fit, ut videamus quæ multi Reges & Prophetæ cupiverunt videre, & non viderunt.

3 Per ſ[illegible]mnia, i. e. per tales inſpirationes & in-[illegible]ctus, quæ fiunt immediatè ad animam ſine mi-[illegible] externorum ſenſuum. Etſi enim improba-[illegible]us mores Phantaſtarum, qui ſibi aliquid imagi-[illegible]r, quod ex Scripturis demonſtrare non poſ-ſ[illegible] à Spiritu S. ſibi inſpiratum, tamen cre-d[illegible], quod Spiritus S. ſæpè immediatè animabus [illegible] loquatur, & bonos motus cum verbo Dei [illegible]ven[illegible]tes nobis inſpiret, etiam ſine miniſterio [illegible]um ſenſuum, e. g. in infantibus qui ſenſi-[illegible] & [illegible]e nondum poſſunt uti ad capiendam [illegible]am, non eſt tamen dubium, quin Spiritus S. [illegible] habeat opus, & bonas qualitates bonoſque [illegible] ſæpe in iis operetur, ſicut in Joanne Bapti-ſta, [illegible]m eſſet in utero matris. Sic in hominibus im-p[illegible] & profanis non rarum eſt Spiritum immediatè [illegible]re, & vulnerare, dum externi ſenſus non [illegible]pati in mediis converſionis, ſed in ipſiſſi-[illegible] impietatis. Sicut obſervatum eſt, quod [illegible] ſæpè lædat gladium intactâ vaginâ, ita [illegible] cor vulnerat intus, nec tamen penetrat [illegible]eriores. Sic non eſt putandum Spiri-t[illegible]rum operari dum vigilant, non au-tem [illegible]t. Et præſidium cordis noſtri, [illegible] ſomno, & etiam noctu ipſius opera-t[illegible] nos caſtigant, Pſal. 16. Sicut Dia-bo[illegible]que quærit quem devoret, ita Deus etiam [illegible] præſidium noſtri cordis. Facit nos [illegible]ndum creſcere in fide. Denique in articulo mortis, ubi ſæpe videmus hominem ſen-[illegible] captum, tamen vivere per horas, im-[illegible]. *In tali caſu*, cum per externos ſenſus nulla amplius recipitur inſtitutio, nihilominus non debemus cogitare animam in iſta luctâ ſummâ eſſe deſertam præſidio Spiritûs S. Immò tum maximè docet intus, cum ſenſus exteriores clauſi ſunt. Hactenus quæſtio prima.

De Secundo.

Cur ita diviſim prophetiam tribuit filiis & filiabus, ſervis & ancillis, viſiones juvenibus, & ſomnia ſenibus?

Reſp. 1. Non eſt neceſſe, ut aliquod myſterium hic quæramus. Vult tantummodò mentionem facere omnium hominum, ut intelligamus nullius conditionis homines excluſos fore à communione Spiritus S. Ne parentes ſolliciti ſint de liberis qui moriuntur ante uſum rationis, quaſi moriantur ſine Spiritu. Ne ſervi & ancillæ triſtentur per conſiderationem tenuis ſui ſtatûs, quaſi ideò ſint indigni, qui Spiritum S. in ſe exſpectent. Ne robuſti juvenes in robore ſuo confidant, ſicut ſolent adoleſcentes eſſe præſumptuoſi, ſed laborent conſcientias ſuas implere virtute Spiritûs S. per quam ſolam vivere poſſint. Ne denique ſenes ob imbecillitatem ſuam deſperent, ſed recordentur, quod Spiritus roboris in ſe habitet. Quantumvis ſit deforme tuum corpus & rugoſum, tamen eſt templum Spiritûs S.

2. Si tamen omninò myſterium aliquod in hac diſtributione volumus quærere, diſcamus hinc naturam regenerationis, quibus gradibus ad perfectionem tendat. Nam

1. Filiis & filiabus i. e. pueris, & puellis tribuitur prophetia ſeu notitia, quia hac ætate ager memoriæ debet conſeri ſemine verbi. Hac ætate ſemen verbi Divini hæret in memoria.

2. Viſiones tribuuntur adoleſcentibus, quia hac ætate verbum ex memoria plus immergitur in judicium & conſcientiam, ut incipiant ſentire mirabilia legis, dulcedinem verbi, ſapientiam myſteriorum, longitudinem, latitudinem, &c. Incipiunt uti conſcientiâ, agere ex conſcientia.

3. Somnia tribuuntur ſenioribus ſeu adultis, quia hac ætate ſemen verbi ex memoria & judicio per conſcientiā magis magiſq; mergitur in affectus, ut eos claudat & mori faciat mundo, & magis magiſq; in praxi rerum cœleſtium occupet. Sicut ſemen frumenti primò in agrum conſeritur, deinde radices agit in terram, & tum demum fructus ex terra producit, ita hic eſt ordo in opere regenerationis, ut 1. Verbum plantetur in memoriam. 2. Inde mergatur

gatur in conſcientiam 3. hinc in affectus reſurgat.

Et hinc applicationis loco reprehendi poſſunt illi:

1. Qui in inſtitutione puerorum negligentes ſunt. Arvum ſinunt incultum,& ſementi tam abundanter in N.T. ſubminiſtrata non utuntur ad promovendum regnum Chriſti. Diſcamus quoque regnum Chriſti diſtinguere à regno umbrarum & tenebrarum, quale eſt Papatus. Chriſti regnum, regnum lucis, prophetiæ, viſionum, ſomniorum ſpiritualium. Sed regnum Antichriſti regnum ceremoniarum & onerum. Nam Antichriſtus vetat prophetiam, legere Scripturam, &c. 2. vetat viſiones, i. e. certam fiduciam & certitudinem ſalutis. 3. ſupprimit vera ſomnia, dum omnem ſanctimoniam ponit in externis, & internum hominem non curat ædificare, &c.

2. Qui acquieſcunt in informatione memoriæ & intellectûs, nec dant operam ut verbum mergatur in conſcientias, & exprimatur per affectus, ut ita per omnia ſanctificemur 1. Theſſ. 5. v. 23.

Actor. 2. *v.* 19. 20.

CONCIO XVIII.

His verſibus deſcribitur ſecundus effectus effuſionis Spiritus S. ſuper omnem carnem. Quæritur.

1. Quid intelligitur per illa prodigia & ſigna in cœlo & in terra, & cur Petrus & Joël hæc ſigna conjungat cum effuſione Spiritûs S. cùm tamen eo tempore nulla videantur talia ſigna facta eſſe? *Reſp.* Triplex eſt expoſitio horum verborum.

1. Alii dicunt quod loquatur de iis ſignis,. quæ contigerunt tempore paſſionis Chriſti Matth. 27. 51. &c. Non approbamus hanc expoſitionem, quia loquitur non de antecedentibus hujus effuſionis, ſed de effectis & conſequentibus, & quia loquitur de talibus ſignis, quæ erunt inter hanc effuſionem & ultimum adventum Chriſti.

2. Alii dicunt, quod loquatur de ſignis illis & prodigiis, quæ diem ultimi judicii antecedent proximè, de quibus Matth. 23.29.30. Non probamus, quia non eſt effectus effuſionis hujus, nec ullam habet cum ea connexionem.

3. Amplectimur igitur ſententiam tertiam, quæ eſt, quod hic deſcribantur illæ turbæ & commotiones mundi, quibuſcum conjunctum erit regnum Chriſti inde à prima effuſione Spiritus S. uſque ad illuſtrem illum adventum Domini, quo veniet ad judicandum vivos & mortuos. Non loquitur de miraculis, quibus Apoſtoli ſuam doctrinam erant confirmaturi, nec de ſacramentis, quæ Deus Eccleſiæ N.T. erat daturus, ſed de mirabilibus & terribilibus afflictionibus & tentationibus Eccleſiæ, quæ originem & occaſionem ſuam habebunt ex donis & doctrina Euangelica, non vitio Euangelii, ſed vitio hominum. Vaticinatus erat Propheta de magnis illis & excellentibus donis ſpiritualis illuminationis, conſolationis & ſanctificationis,quibus regnum Chriſti poſt effuſionem Spiritûs S. in his terris eſſet abundaturum, & tempora V. T. longè latéque ſuperaturum. Hinc facilè concipi poterat illa opinio, ad quam adeò proni ſemper fuerunt diſcipuli Chriſti, quod ſcilicet tempora N. T. ſint futura tempora meræ felicitatis, adeò ut qui nomen Chriſto in terris dederit, ſtatim ſit dominaturus in hoſtes, futurus ſine turbis, victurus in perpetua & mera lætitia. Hanc carnalem opinionem Propheta præveniendam judicavit, ne hoc jucundo ſomnio decepti deponerent curam ſpiritualis armaturæ,quâ in regno Chriſti præcipuè opus eſt Eph. 6. Hoc igitur eſt, quod per hæc ſigna & prodigia intelligit, videlicet illas turbas, perſecutiones, afflictiones, tentationes, bella & inquietudines tùm corporales tùm ſpirituales, quæ expectandæ erunt illis, qui in regno Chriſti accipient illa ſpiritualia dona illuminationis, conſolationis & ſanctificationis, ſicut Chriſtus hoc idem prædicit, Matth. 10. 34. 35. 36. Luc. 12.51.52.53. Matth. 16.24. Matth. 10.38. Sic 2. Tim.3.12. Luc. 24. 26. Ioh. 17. 14. Actor. 14.22. 1. Theſſ. 3. 3. 1. Petr. 4. 17.

II. Cur iſtas turbas & afflictiones appellat prodigia & ſigna? Cur non dicit: dabo plagas, crucem & afflictiones ac tentationes, ſed: dabo ſigna?

Reſp. 1. Quia Deus ſæpè ſolet ſignis terrere, antequam plagis & pœnis obruit. Nihil crebrius in gubernatione Dei. Sic deſtructionem Hieroſolymæ præceſſerunt multa prodigia Matth.24. Sic hodierna experientia teſtatur in bello Germanico, & Ioſephus de bello Iudaico. Legamus omnes Hiſtoriographos, qui prælia & mutationes Rerumpublicarum deſcribunt, pleraſque illas mutationes videbitis præceſſiſſe aliqua prodigia commonefactoria. Præcipuè diem ultimum talia multa præcedent. Luc. 21. Apoc. 6. 2. Petr. 3.

2. Quia omnes plagæ, quas Deus hominibus immittit, ſunt ſigna iræ, Rom. 1. ira Dei revelatur,

Sunt revelationes & ſigna iræ divinæ. Iræ autem judicialis contra hoſtes Eccleſiæ, & præſer tim contra hypocritas in Eccleſia. Etſi enim Propheta præcipuè hîc loqui videtur de turbis & afflictionibus piorum, quæ cum ſpiritualium donorum charismata erunt conjuncta, tamen iſtæ plagæ ſunt communes, & æquè impios tangunt ac pios, hoc tamen cum diſcrimine, quod impiis ſunt ſigna iræ judicialis & vindictæ ad interitum, niſi ſe convertant, piis verò ſunt ſigna iræ & indignationis paternæ, qua ad emendationem invitantur, quæ ira potius gratia est, quam ira. Cum Deus pios caſtigat, hoc impiis ſignum eſt, quod ipſos ſit æternum punitu[illegible] ſe convertant. Nam ſi hoc fit in ligno viridi, quid non fiet in arido?

3 Vocantur ſigna ratione eventûs, quia Deus ea immittit probationis causâ, & cum pii ea patienter & filialiter ferunt, fiunt ſigna & teſtimonia ſinceritatis, quæ in ipſis eſt. Sic paſſim Hebr. 12. Apoſtolus indigitat divinas afflictiones eſſe ſigna, quod quis ſit Dei filius. Quomodo hoc, cum Deus æque impios ac pios affligat? *Reſp.* Non afflictiones ſimpliciter & in ſe ſpectatæ ſunt ſignum, quod quis ſit filius Dei, ſed quatenus à fidelibus filiali cum patientia & gratitudine feruntur, & quatenùs Deus in illis paternum ſuum favorem & auxilium experimentaliter percipiendum exhibet fidelibus, ſunt occaſiones & ſigna, quibus fideles ſuum erga Deum filialem, & Dei erga ſe paternum affectum poſſunt explorare & dignoſcere. Plus enim in adverſitate quàm in proſperitate quis poteſt explorare, ſentire & experiri ſuum in Deum, Deique in ſeſe affectum. Sicut exercitus hoſtilis eſt illud objectum, illa occaſio, illud ſignum, quo quis poteſt probare & experiri ſuam fortitudinem, ita afflictiones & crux ſunt illud ſignum, quo fideles experiuntur ſuas vires ſpirituales. Sicut arbor cognitionis boni & mali erant data in ſacramentum & ſignum, quo Deus experimentum caperet in Adam eſſet bonus an malus, & quò homo poſſet [illegible] ſeipſum.

III. Quare illa ſigna, ſeu iſtas turbas Eccleſiæ diſtribuit in terreſtria & cœleſtia?

Reſp. 1. Per terreſtria ſigna commodè intelligi poſſunt turbæ, plagæ & afflictiones corporales, quibus fideles regni Chriſti cives agitari & exerceri ſolent, quæ ad tria ſumma capita rectiſſimè revocantur, videl. 1. Sanguinem, i.e. bellum & cædes & crudeliſſima martyria. Quoties enim hæc mala preſſerunt Chriſtianos, quoties ſanguis eorum effuſus inſtar aquæ, ut rivos & torrentes effecerit? 2. Ignem, i.e. famem, paupertatem, nuditatem, ac omnis generis defectus, per igneas tempeſtates, vel combuſtiones, incendia ac devaſtationes effectos. 3. Vapores fumoſos, i.e. omnis generis morbos, quibus corpus cruciatur, & tandem diſſolvitur ac ab anima ſeparatur. Pravi enim vapores præcipuè ſunt morborum cauſæ. En hæ ſunt tres plagæ capitales corporales, ſicuti conjunguntur. Jerem. 14. 12. Sicuti etiam experientia docet, quod plerunque conjunctæ eſſe ſoleant.

2. Per cœleſtia ſigna commodè intelligi poſſunt turbæ & plagæ piorum ſpirituales, quas in anima patiuntur, quæ etiam rectè revocantur ad duo capita: 1. Obſcurationem ſolis. Notatur per hoc triſtitia ſpiritualis animæ fidelis, quam patitur tempore tentationis, cum lux divinæ faciei non affulget eorum conſcientiis, nec habent gaudium & certitudinem ſalutis, ſed ſentiunt & guſtant terrores inferni, & circundantur torrentibus Belialis. Sicut ſol aliquando patitur Eclypſin, non quod ſolis lumen deficit, ſed quod ſolis lumen nobis intercipitur per interpoſitionem lunaris corporis aut denſarum nubium: ita fideles ſæpè patiuntur Eclypſin ſuarum viſionum & ſui ſolatii, non quod amor Dei in eos deſinit aut minuitur (gratia enim & favor Dei erga ſuos filios in omni ſtatu & conditione ſunt æquales) ſed quia nubes & corpora tentationum, caſtigationum, & terrorum interponuntur, ut amorem Dei in nos ſentiamus. 2. Mutationem lunæ in ſanguinem. Notatur per hoc graſſatio hæreſium & turbulentorum ac ſæpè ſanguinolentorum ſchiſmatum in Eccleſia. Vetus eſt apud Eccleſiaſticos Scriptores ſimilitudo quâ Eccleſiam comparant cum luna. Sicut enim luna patitur ſuas mutationes, ut modò ſit vacua, modò cornuta, modò plena, & præterea pro ratione aëris ſereni vel nebuloſi calorem ſuum mutat, itemque per interpoſitionem terræ ſæpè privatur influxu lucis ſolaris, ut quaſi deliquium patiatur, ita Eccleſia modò clariſſimâ luce Evangelii ſit venuſta, modò lethalibus hæreſibus & turbulentis ſchiſmatibus ſit turbata. Miniſterium Eccleſiæ, quod eſt noſtra luna, quæ nobis luceat in hoc tenebricoſo ævo, ſæpè patitur ſuas Eclypſes, in doctrina & in vita. Quàm hoc verum ſit vaticinium, & quoties in Eccleſia Dei impletum ante Romani Pontificis ortum, in eo, & poſt eum, experientia ipſa loquitur, nec aliud eſt quod ante ultimum diem exſpectemus, quàm hæreſes,

ſcandala, apoſtaſias Matth. 18. 7. Corinth. 11. 19. Matth. 7. 15.

IV Quare Deus dicit, ſe eſſe daturum has turbas? An Deus dat hæreſes, ſchiſmata, perſecutiones, &c. nonne hæc ſunt opera Diaboli & impii mundi? *Reſp.* Non eſt novum in Scripturis, Deo tribui peccata hominum, ut patet ex 2. Sam. 12. 11. 12. & alibi, non quod Deus ſit author eorum, ſed quia non fiunt niſi permittente, decernente, volente & gubernante Deo. Deus novit peccata hominum ita regere, ut maneant vitia ſolius hominis, & tamen fiant effecta & opera providentiæ Dei, qui modus gubernandi in Scriptura eſt teſtatiſſimus, etſi nobis omnibus incomprehenſibilis, & carnalibus hominibus valdè ſcandaloſus. Veræ cauſæ harum turbarum ſunt in hominibus, videl. peccata & infirmitates piorum, propter quas merentur & opus habent caſtigari & probari, itidemque malitia impiorum, qui ex Euangelio occaſionem ſumunt pios perſequendi. Sed Deus tamen poſterius propter prius permittit & immittit. Ne itaque in talibus plagis, quæ nobis ab hominibus adveniunt, ſolos homines & eorum malitiam reſpiciamus, ſed etiam conſilium & immiſſionem Dei, non minus ac in iis afflictionibus quæ nobis adveniunt à creaturis irrationalibus, vel immediatè à Deo. Nec obliviſcamur, quod Deus dicit ſe nobis has turbas & afflictiones dare. Sunt donum Dei. Sunt enim pharmacum contra ſecuritatem carnis, & ſunt ſignum gratiæ contra dubitationes conſcientiæ.

V. Quandiu autem denique durabunt iſtæ turbæ? An Eccleſia ſemper & in æternum erit ſub his afflictionibus? *Reſp.* Non ſemper, ſed donec veniat ille magnus & illuſtris dies Domini, i. e. dies ultimi judicii. Is finiet omnem Eccleſiæ miſeriam. Hic quæritur:

1. Cur ille dies, vocatur dies magnus? An eſt major aut longior aliis diebus? *Reſp.* Non ſic, ſed quia illo aliquid magni operis fiet à Deo. Multi ſunt dies magni, quibus aliquid magni contigit, e. g. dies creationis, dies nativitatis, mortis, reſurrectionis & adſcenſionis Chriſti, dies Pentecoſtes, &c. Sed hic demum verè magnus dies eſt, quia in illo fiet conſummatio totalis omnium operum divinorum. Hoc enim die Deus obtinebit ſuum ſummum finem in omnibus operibus, i. e. pleniſſimam glorificationem ſui nominis, & hoc die homo pius obtinebit ſummum gradum ſui ſummi boni, videl. pleniſſimam unionem & communionem cum Deo.

2. Cur ille dies vocatur dies illuſtris, an erit ſerenior, an ſol clariùs ſplendebit, quàm diebus aliis? *Reſp.* Quia omnia reddet illuſtria & manifeſta, quæ antea fuerunt obſcura & abſcondita. Manifeſtabit enim

1. Omnia occulta cordis. Hic multa mala opera celant homines, ſed ibi aperientur, 2. Cor. 5. 10. Eccl. 12. 16.

2. Gloriam filiorum Dei. Hic non apparet ulla differentia inter piorum & impiorum felicitatem, ſed ibi revelabitur 1. Joh. 3. Rom. 8. Vita noſtra abſcondita, &c. Coloſ. 3. 3. 4.

3. Veritatem promiſſionum & comminationum verbi. Hic ſæpe non videmus, quomodo impleantur omnes promiſſiones in piis, & comminationes in impiis, ſed ibi apparebit clarè. Ibi hoſtes Euangelii videbunt, quem confoderint, & fideles in quem crediderint.

4. Gloriam Dei. Hic videmus poſteriora Dei, ibi de facie ad faciem.

APPLICATIO.

I. PRæſciamus igitur quis ſit futurus ſtatus eorum, qui cupiunt eſſe membra regni Chriſti in terris. Ne decipite vos imaginatione meræ felicitatis, ſed potius armate vos hac mente, quod velitis omnia pati propter Chriſtum, & cum paſſiones ingruunt, ne ſimus ac ſi quid peregrinum aut inopinatum nobis accideret. Chriſtus prædicit. Si ita non vis ſalvari, quære tibi alium Salvatorem. Hic enim non ſervabit niſi per multas tribulationes. Tandem cum venerit dies ille glorioſus & illuſtris, plena dabit gaudia.

II. Si quem vides probum & tamen malè afflictum, ne malè de eo judices. Nam dona Dei ſpiritualia non pugnant cum adverſitate ſtatus & conditionis.

III. Ne ſcandalizemur, cum Eccleſiam videmus plenam turbis, bellis, litibus, ſcandalis, &c. Prædictum enim eſt, ita fore in Eccleſia vera.

Act. 2. v. 21.

CONCIO XIX.

TErtius fructus & effectus effuſi ſuper omnem carnem Spiritus S. eſt certa ſervatio & liberatio omnium eorum, qui nomen Domini invocaverint. Quantumvis Eccleſia turbabitur, multis terribilibus afflictionibus, tum corporalibus, tùm ſpiritualibus,

[illegible], tamen omnes illi, qui in Eccleſia nomen [illegible] ini invocaverint, certò ſervabuntur.

I Per invocationem hic non intelligitur una [illegible]is actio Chriſtianiſmi, videl. precatio, ſed [illegible] cultus internus & externus, qui à precatione [illegible] nationem habet, propterea quod precatio [illegible] compendium & epitome totius cultûs, ſeu com[illegible]ſum exercitium omnium motuum ſpiritua[illegible]s Deus colitur. Preces enim ſunt motus [illegible], contritionis, fidei, amoris & omnium [illegible] Sic accipitur Geneſ. 4. ult. & Phil. 2. 9. 1[illegible]

II Per Dominum hic intelligitur Dominus Je[illegible]tus, vel Deus in Chriſto. Hoc patet 1. ex [illegible] Joel, cap. 2. v. 32. qui addit: *nam in monte Zion & Jeruſalem*, i. e. in Chriſtiana Eccleſia *erit evaſio*. 2. Ex ſcopo Lucæ. Lucas enim hæc verba [illegible]t eo fine, ut per ea Judæos ex effuſione Spiritus S. manuducat ad Chriſtum agnoſcendum, quem crucifixerant, ut verſu ſequenti patebit. 3. Ex duo[illegible] locis parallelis quæ ſunt Rom. 10. verſ. 9. 12. 13. & 1 Cor. 1 v. 2. 4. Quia nemo ſervatur, niſi per in[illegible]m nominis Chriſti, Act. 4. 12. Act. 10. 43. [illegible] 16. 23. Inanis eſt opinio quod etiam illi ſer[illegible]nt inter Judæos & Ethnicos, qui ſine Chriſto M[illegible]iatore honeſtè vixerunt & Deum invocârunt [illegible] Ethnicos. Talis invocatio Domini non ſerva[illegible] Nam ſi ſine Chriſto aliquis ſervari poſſit, Chriſtus fruſtra mortuus eſt, & poſſumus carere toto [illegible]elio, & Philoſophia Ariſtotelis ac Senecæ æ[illegible] brachium & via Dei ad ſalutem ac Euange[illegible]rum omnes Martyres ſtulte fecerunt, qui un[illegible] propter nomen Chriſti perſecutionem paſſi [illegible] Extra Chriſtum non eſt ſalus. Phariſæus aſcen[illegible] precandum, & rediit non juſtificatus Luc. 18.

III Cur autem non dicit: qui Chriſtum Domi[illegible]verit, ſed dicit: qui *nomen Domini Jeſu* [illegible] *Reſp.* Nomen hic non ſignificat voca[illegible] Dominus appellatur, ſed omne id, quod de Do[illegible] Jeſu nobis revelatum eſt in Scripturis, & ſenſ[illegible] Quicunque Dominum Jeſum agnove[illegible] & coluerit, ſecundum id, quod Script[illegible] de ipſ[illegible] revelant & teſtantur, is ſervabitur. M[illegible], qui nomen Jeſu Chriſti invocant, & à nomine [illegible] ſe Chriſtianos denominant, & ta[illegible] non ſalvantur. Sic Chriſtus dicit Matth. 7. 21. 22. 23. Act. 19. 13. Matth. 25. 11. 12. Luc. 6. 46. [illegible] 12. 23. 24. 25. Qui nomen Jeſu Chriſti invo[illegible] & non diſcedit ab injuſtitia non ſervabitur, 2. Tim. 2. 19. Hæc omnia refutant prophanam illam & peſtilentem opinionem, quod quilibet in qualibet religione poſſit ſalvari, modò Chriſtum aliquo modo invocet & colat, & quod omnes iſtæ diſputationes de modo agnoſcendi, recipiendi & colendi Chriſtum, quibus Chriſtianitas ſcinditur & dividitur, ſit fatua & vana. Quæſo vos:

1. Si tam pauca ſcire opus eſt, cur Deus tam multa revelavit, cur Scripturam tam amplam fieri curavit? Si ſalvâ ſalute poſſumus ignorare an Chriſtus ſit verus Deus, an nudus homo, an nos redemerit per ſatisfactionem & ſacrificium, an per opera an per fidem poſſimus juſtificari, an ſanctos an ſolum Deum liceat invocare. Si non opus eſt ſcire quid præſtet & quantam ac qualem vim ad humanam ſalutem habeat gratia Dei, mors Chriſti, operatio Spiritûs, fides, bona opera, verbum, ſacramenta, &c. Cur Deus hæc omnia in Scripturis revelavit, & eorum contraria condemnavit. Certè Spiritum S. ſtoliditatis arguunt, qui harum rerum rectam cognitionem neceſſariam eſſe negant.

2. Si contentiones Chriſtianorum contra Chriſtianos, pro vera doctrina ſeu pro vero & puro modo Chriſtum recipiendi & colendi, ſunt inutiles & non neceſſariæ, cur Apoſtoli veri, & præſertim Paulus tantopere pugnârunt, & diſputârunt & Eccleſias armaverunt contra iſtos Pſeudapoſtolos, qui doctrinam de Chriſto corrumpebant & miſcebant cum Judaiſmo. Si qualiſcunque agnitio & invocatio Chriſti ad ſalutem ſufficit, cur tantopere Paulus intonat contra eos qui volebant juſtificari per opera? Cur Jacobus invehitur in eos, qui volunt juſtificari per fidem ſine operibus? Cur jubet ut contendamus pro fide Sanctis ſemel traditâ, cur maledicunt iis, qui aliud Euangelium afferunt, cur vetat ne omni vento doctrinæ circumferamur, cur vetat recipere, qui veram doctrinam non adferunt, cur jubet cavere à falſis Prophetis, cur jubet retinere hypotypoſin ſanorum verborum, & cavere à verbis, quæ ſerpunt ſicut cancer, &c. Cur tota Eccleſia inde ab Apoſtolorum temporibus habuit hanc conſuetudinem, ut ſanam doctrinam contra omnis generis hæreticos tanta cum vehementia defenderit. An nos hoc poſtremo ævo ſapientiores ſumus, quàm omnia præcedentia ſecula?

3. Si non opus eſt pro diverſitate opinionum in rebus religionis contendere, quæ quæſo, neceſſitas perſecutionis Chriſtianis reliqua eſt? Quid enim eſt, quod Chriſtianis neceſſitatem perſecutionis infert,

ſert,niſi quod ſecundùm veritatem, quam mundus odit, piè vivere volunt, 2. Tim. 3. Si non opus eſſet pro veritate contra mundum contendere, non opus eſſet perſecutionem pati. Vide Paulum Gal. 6. 12. 13. 14. &c. ubi invehitur illos, qui volebant Judaïſmum cum Chriſtianiſmo conjungere,ne Chriſtiani opus haberent à Judæis perſecutionem pati. Non debemus metu crucis deſerere contentionem pro veritate. Ergò iſta contentio neceſſaria eſt.

4. Praxis Chriſtiana, quam etiam iſti moderatores coguntur fateri neceſſariam, puritatem & integritatē Theoriæ requirit, & niſi ea conſervetur,fieri non poteſt.Chriſtianiſmus eſt ars,& quidem ars magna & ampla,quæ multam requirit cognitionem,ne deficiat à ſcopo. Sicut ad bonum militem & medicum non tantum requiritur ut habeant voluntatem & propoſitum bene pugnandi & curandi, ſed debent habere amplam ſcientiam de modo pugnandi & curandi:ita ad Chriſtianiſmum non ſufficit,ut habeas aliquale propoſitum te ipſum cum Deo reconciliandi, ad Deum convertendi, conſtanter perſeverandi & Deum ſolidè glorificandi, ſed etiam debes tenere vera media, verumque modum omnium harum rerum, ne quid ſit ignorantiæ & erroris in tuo intellectu, quod bonam intentionem voluntatis, & totius praxeos corrumpat, & à ſcopo ſuo deturbet. In cultu non ſufficit bona intentio Joh. 16. 2. Nam ſi quis bona cum intentione malum facit, is juſtè condemnari poteſt Rom. 3. 8. e. g.

1. Noſti te peccatorem eſſe. Vix Ethnicus eſt qui hoc neget, & non capiat, nedum Chriſtianus. Quod ſi quis te doceat, modum reconciliationis in eo conſiſtere, ut in peccatis pergens Deo offeras ſacrificium taurorum & vaccarum, aut:ut de nulla ſatisfactione ſollicitus nuda miſericordiâ Dei, ſine interventu ullius ſacrificii, te habiturum eſſe remiſſionem peccatorum confidas, aut: ut in meritis angelorum & hominum, vel in virtute ſacramentorum juſtitiam quæras,aut:ut in propriorum operum meritis fiduciam ponas, aut: ut omnem curam bonorum operum abjiciens, te reconciliatum putes, ſi modò credas & tibi imagineris quod ſis reconciliatus:aut quod quædam peccata ſint venialia, & nullâ reconciliatione indigeant, aut: quod poſt regenerationem ſis perfectus, & nulla reconciliatione indigeas,&c. annon noſtrum eſt te commonefacere has eſſe vias erroneas,quibus ad juſtitiam non venitur,& inſtruere,veram obtinendæ reconciliationis viam in eo conſiſtere, ut ex intimo miſeriæ ſenſu, abnegatâ omni propriâ & aliorum ope, ad ſolum ſacrificium Jeſu Chriſti in cruce oblatum confugias, & in eo fiduciam tuam colloces, ut ita de remiſſione peccatorum perſuaſus, vero in Deum amore accendaris, qui converſionem & novæ obedientiæ fructum pariat?

2. Noſti te à Deo averſum eſſe, & vis te ad Deum convertere. Quod ſi quis te doceat, te nihil habere internæ corruptionis in corde, quod indigeat agnitione, expiatione, oppugnatione, mortificatione, propter quod nova vita & regeneratio ac mutatio cordis neceſſaria ſit, ſed converſionem tantùm conſiſtere in omiſſione magnorum peccatorum externorum, & in vita civili ac honeſta. Quod ſi quis doceat, converſionem non in eo conſiſtere, ut facias quæ Deus in verbo præſcripſit, ſed ut te ſubjicias mandatis & traditionibus hominum. Aut ſi quis doceat, te non opus habere virtute Spiritus S. per uſum verbi & ſacramentorum quærenda, ſed poſſe te convertere vi liberi arbitrii,& poſſe bonum facere æquè intra Eccleſiam, ac extra eam, &c. nonne noſtrum eſt te commonefacere, veram converſionem, quæ Deo placeat, in eo conſiſtere, ut corruptiones & imperfectiones cordis tui ſumma cum triſtitia agnoſcens, non tantùm ſanguinem Chriſti implores, per quem remittantur, ſed etiam Spiritum S. per quem mortificentur, utque cum imploratione Spiritus S. conjungas ſerium propoſitum, ſincerum ſtudium, diligentem luctam omne malum fugiendi,& omne bonum faciendi, æquè interna ac externa, æquè parva ac magna, &c.

3. Mergeris in ſummam animi triſtitiam ob calamitates & copiam peccatorum, & vis firmam habere conſolationem in vita & morte,qui certè debet eſſe ſcopus religionis, & quæ religio hunc fructum non profert, nulla eſt. Quod ſi quis te doceat,in Deo nullum eſſe æternum propoſitum, nullam firmam ac immutabilem voluntatem, nec in fœdere gratiæ ullas eſſe promiſſiones tam firmas, ex quibus tibi in angoribus conſcientiæ poſſis polliceri certam in gratia Dei perſeverantiam contra omnes tum externas,tum internas tentationes. Aut, ſi quis te doceat, non eſſe firmam in Deo & meritis Chriſti collocandam fiduciam, ſed præſtare de ſalute ſemper dubitare, quo te medio ſuſtentabis in angoribus? Nonne noſtrum eſt contendere pro firmitate & immutabilitate voluntatis & promiſſionis Dei in omnes & erga omnes qui ſunt contriti corde, & juſtitiam Jeſu Chriſti ſitiunt & ſincerè quærunt?

4. Vis

4 Vis adorare Deum eique ſoli ſervire, & eum fontem omnis boni agnoſcere, qui ſanè debet eſſe ſcopus omnis religionis, & ſi quis hunc in religione ſolum ſcopum non habet, dignus non eſt qui religioſus appellatur. At ſi quis te doceat Jeſum Chriſtum & Spiritum S. non eſſe naturâ Deum, annon aut honore religioſo Chriſtum & Spiritum S. privas, aut Idololatriæ crimen committis? Quod ſi quis doceat angelos & ſanctos religioſo honore eſſe invocandos, quod ſi quis doceat propter merita tua juſtitiam & vitam æternam tibi deberi ex juſtitia & cõdigno, tuum arbitrium eſſe primam & ſummã tuæ diſcretionis, electionis & converſionis cauſam, quomodo dicere potes, te ſolum Deum adorare, eumque fontem omnis boni agnoſcere. Ex his omnibus quicunque mentis compos eſt, facilè intelligit, quàm neceſſarium ſit, contendere pro puritate doctrinæ, & pro formula ſanorum verborum, nec in quavis religione dari ſalutem. Nam ubi vera ac pura doctrina non eſt, ibi non poteſt eſſe vera ac ſincera praxis pietatis. Prolixius hæc demonſtravi, quia indifferentia in religione, i. e. promiſcua & indifferens omnium religionum æſtimatio nunc plurimum creſcit, & majorum zelus in manutenenda religione purâ contra Papatum mutatus eſt in frigidum contemptum litis Eccleſiaſticæ, & inſtabilitatem ac fluctuationem mentium in religione, quâ omnium hominum pacem quærimus, ut crucem Chriſti effugiamus. Sunt etiam qui ſeductoribus Spiritibus indulgent, & prætextu deteſtationis, quam gerunt erga diſſidia Eccleſiaſtica, totum S.S. miniſterium oppugnant, ac imaginationibus quorundam pſeudoprophetarum ſeſe regendos tradunt. Stemus in veritate, nec circumferamur quovis vento doctrinæ, ſtabiliamus cor in doctrina gratiæ, qua peccator poteſt cum Deo reconciliari, ſincere ad Deum converti, in omnibus conſcientiæ anguſtiis ſuſtentari, Deoque omnis boni gloriam adſcribere. Contendamus pro fide Sanctis ſemel traditâ, & perſeveremus in doctrina Apoſtolorum, Chriſtum ſic diſcamus, ſicut veritas in ipſo eſt. Expellamus ignorantiam ac tenebras mentis, & doctrinam quam diſcimus examinemus, an conveniat cum verbo Dei, an utilis ſit ad reconciliationem, ad converſionem, ad conſolationem & ad Dei glorificationem, quæ ſunt quatuor infallibilia veræ religionis κριτήρια. Habent tamen iſti homines, qui contentiones de rebus religionis contemnunt, & neutralitatem in religione introducere ſatagunt, ſpecioſas ſuas objectiones, quas breviter diſcutiam.

Object. 1. Si iſtæ contentiones ſunt neceſſariæ, tum nunquam poteſt eſſe Pax in mundo. *Reſp.* 1. Poſſet eſſe pax, ſi omnes alii, qui alias ſectantur religiones, vellent in veritatem inquirere, & ei ſe ſubmittere, aut ſi ad minimum vellent, quod vult reformata Eccleſia. Reformata religio nemini qui in religione diſſentit, vel vitam vel libertatem conſcientiæ adimit. Verum eſt quod doceamus errantium & ſeducentium ἀναξίαν, cum fieri poteſt, omni ſeveritate, quæ contra vitam & libertatem conſcientiæ non pugnat, eſſe coërcendam, ne vel impunis eorum laſcivia & luxuria Dei iram contra Rempublicam & Eccleſiam provocet, vel verbum eorum inſtar cancri ſerpat, & Eccleſiæ ac veritati noceat, ſed tamen nec vitam eorum quærimus, niſi accedat blaſphemia & ſeditio, nec in conſcientias eorum dominari cupimus, ſed potius omni lenitate ac patientia converſionem eorum exſpectamus & quærimus. Si alii hac libertate eſſent contenti, & nobis eandem præſtarent, nec mallent convitiis & acerbis obtrectationibus de Religione diſputare, quàm manſuetis & ordinatis diſcurſibus, poſſet eſſe pax in Republica. 2. Sed quia error ſemper ſolet eſſe ſchiſmaticus & crudelis, nec quieſcere donec veritatem expulerit, & ejus confeſſores perdiderit, ideò non eſt exſpectanda Pax pro veritatis confeſſoribus. Armemus igitur nos patientiâ, defendamus & aſſeramus libertatem, quam Deus dedit, & ſi quando juſto Dei judicio impugnatur, vitam potius amittamus, quàm veritatem, conſolationem quærentes in Pace cœleſti.

Object. 2. Si non in omnibus religionibus datur ſalus, ſed neceſſaria eſt cognitio diſtincta unius veræ religionis, tum certè miſeri ſunt homines ſimplices & idiotæ, in quorum poteſtate non eſt omnes partes reformatæ religionis comprehendere, & unam veram religionem à tot erroribus & falſis religionibus diſtinguere. An igitur omnes condemnas qui reformatæ religioni non ſunt addicti, aut eam non intelligunt? *Reſp.* 1. Quin miſeri ſint, qui jacent in ignorantia Euangelii, & adhærent Spiritibus ſeductoribus, non eſt dubium, nam tales prædicare felices, mandatum mihi non eſt. Nec ſine ſua culpa miſeri ſunt. Nam nullius tanta eſt ſimplicitas & impotentia naturæ, quæ culpam ignorantiæ & erroris in homine non habeat, etſi unius culpa major eſt, quàm alterius. Nam qui ſub Euan-

gelio vivunt & Scripturam legere poſſunt nec volunt, nihil habent quod ignorantiæ ſuæ prætexãt. 2. Condemnationis tamen ſententiam pronunciare ſuper omnes, qui non volentes veritatem ignorant, noſtrum non eſt. Noſtrum eſt ſalutem promittere iis, qui ſunt in fœdere gratiæ, illudque intelligunt & recipiunt, cum docentur, comminari autem condemnationem iis, qui prædicatum Euangelii verbum rejiciunt nec recipiunt, nec Deum quærere laborant. Hoc noſtri eſt officii. Quid autem Deus facturus ſit quibuſdam ſimplicibus, & impotentiâ naturæ laborantibus, aut annon aliquos inter errores viventes extraordinaria operatione Spiritus S. ab infectione errorum præſervet, vel in articulo mortis liberet, Deo eſt committendum. 3. Si non omnes reformatam religionem poſſunt perfectè capere, inde non ſequitur, eam non eſſe totam docendam & perfecte puram cuſtodiendam. Non omnes poſſunt de arte medica tantum ſcire, quantum opus eſt ad valetudinem tuendam. Interim Medici debent habere puram ejus notitiam, ut laborantes docere poſſint & inſtruere. Sic etſi non omnia Eccleſiæ membra poſſunt habere perfectam religionis notitiam, quantũ ad totius vitæ integritatem requiritur, tamen paſtorum eſt, formam ſanorum verborum perfectè docere & cuſtodire, ut ſubvenire poſſint ſuis ovibus cum uno alterove errore impediuntur in curſu ſanctitatis aut ſolatii & pacis.

Object. 3. Multa tamen curioſa diſputantur ſumma cum vehemẽtia, quæ ſalvâ ſalute poſſent ignorari. *Reſp.* Fatemur hoc fieri, & dehortamur omnes ne faciant. Ne diſputemus cum magna vehementia ea dogmata, ſine quibus peccator poteſt juſtificari, regenerari, ſanctificari, ſolatium habere, & Deum glorificare. De talibus quidem dicimus, & defendimus noſtram ſententiam, & contrariæ opinionis incommoda placide oſtendimus, ſed nulla vehementiâ, tanquam pro aris & focis contendimus, nec pacis vinculum rumpimus.

Sic itaque videtis, hoc dictum textus noſtri non ita intelligendum, quod ſalvandi ſunt omnes quicunque Chriſtum ullo modo invocant & colunt, ſed illi tantùm, qui eum colunt in veritate & in ſpiritu, i. e. qui eum agnoſcunt, recipiunt & colunt, ſicut in Scriptura revelatus eſt, & qui cultum illũ, quem Chriſto exhibent, exhibent toto corde, totâ animâ, ſine fuco, cum zelo & conſtantiâ uſque ad finem. Quod ſi jam ex me quæratis, quid & quantum ad hoc requiratur, ut poſſimus dici Chriſtum adorare in ſpiritu & veritate, reſpondeo vobis, hoc prolixius eſſe, quàm ut unâ, ſaltem hac concione particulariter poſſit exponi. Hoc fine toto anno Catechiſmum & verbum Dei concionamur, ut hoc diſcatis. Mihi hac concione animus fuit præcipuè obviam ire illis inſtabilibus hominibus, qui deſidiâ inquirendi veritatem, ejuſque à multitudine errantium opinionum diſtinctionem diſcendi, nec non ignaviâ crucem, odium & perſecutionem propter veritatem patiendi, ſe vendunt ſub iſtam peſtilentem opinionem, quod in omnibus religionibus detur ſalus, quæ opinio rectâ ad atheiſmum via eſt. Stemus in veritate, ſervemus fidem & bonam conſcientiam, ſic in nobis implebitur verbum, quod in noſtro textu reſtat, videl.

IV. *Servabimur*, vel, ut habent verba Prophetæ, *evademus*. Verbum legendum eſt cum oppoſitione, q. d. Quantumvis poſt effuſum Spiritum S. Eccleſia premetur magnis turbis, afflictionibus, perſecutionibus, tentationibus, tùm corporalibus, tùm ſpiritualibus, tamen quicunque nomen Chriſti in Spiritu & veritate invocaverit, non eſt, quod metuat interitum & ſeparationem à Chriſto, ſive ab internis ſive ab externis hoſtibus, ſed ſervabitur, & erit ſicut qui evadit ex carcere, qui effugit ex clade, qui ex procellis maris incolumis in portum appellit, qui in periculo peſtis incolumis & ſuperſtes eſt. Non tantùm ſervabitur in periculis ne per ea pereat, ſed etiam eripietur ex periculis, nec amplius iis torquebitur & angetur, neque tantùm eripietur ex malo, ſed transferetur in cœlum & perpetuam lætitiam. Dignum certè præmium, pro quo laboremus ad perſeverantiam. Refutentur hinc qui negant perſeverantiam Sanctorum, & conſolationem recipiant omnes illi, qui multis anguſtiis obſepti deſperant de evaſione. Nihil tam velociter & furioſè te perſequitur, quod non ſis evaſurus. Ex ipſo mortis carcere datur evaſio per Chriſtum.

Actor. 2. *v.* 22.

CONCIO XX.

VErſamur in tertia parte apologiæ Petri, ſc. in Informatione, qua auditores inſtruit, 1. quid ſit illud mirabile & inſolens, quod in Apoſtolis audiebant & videbant, & perperam pro ebrietate habebant. 2. quam ob cauſam & quo fine hoc tempore effundatur, & quid emolumenti atque utilitatis

ratis inde debeant haurire, ſc. hanc effuſionem fieri eo fine, & ſic inſpiciendam eſſe ab Iſraëlitis, ut inde diſcant, quod Deus illum Jeſum, quem ipſi crucifixerant, fecerit Dominum & Chriſtum v. 36. Prius membrum hujus informationis abſolvimus, ſequitur poſterius. Hoc poſterius membrum primò fundatur, ut conſequentia ejus fiat manifeſta, deinde apertè proponitur. Fundatur in compendioſa recitatione hiſtoriæ Chriſti, quâ deſcribit breviter omnia illa quæ eò pertinent, ut Chriſti perſonam & officium agnoſcentes, de peccatis ſuis erga eum compuncti pudefierent & pœniterent. Hæc hiſtoria durat à v. 22. ad v. 36. & habet ſex particulas:

1. Præfationem, v. 22. p. pr.
2. Deſcriptionem perſonæ Chriſti v. 22. p. med.
3. Deſcriptionem vitæ Chriſti v. 22. p. poſtr.
4. Deſcriptionem paſſionis & mortis Chriſti verſ. 23.
5. Deſcriptionem reſurrectionis Chriſti, v. 24. ad 33.
6. Deſcriptionem adſcenſionis Chriſti, v. 34. 35.

I. Præfatio eſt: *Viri Iſraelitæ audite hos ſermones.* Apoſtolus ſub initium apologiæ ſuæ præmiſerat præfationem ſatis prolixam & patheticam, v. 14. ſed tamen hic novam, & paulò poſt, v. 29. iterum aliam præfationē intertexit. Hac prudentiâ Petrus [illegible], ut ſe accommodet ad ingenium auditorum, quos ſciebat ſomnolentos & ad attendendum tardos, adeoque novâ compellatione ſubinde excitādos. Nihil novum eſt, auditores in concionibus dormitare, aut alia cogitare. Antea vocaverat viros Judæos & cives ac incolas Hierſolymitanos, nunc viros Iſraelitas. Judæi ſuperbum genus hominum nihil lubentius audiebant, quàm privilegia [illegible]legalia, quæ habebant præ Ethnicis. Apoſtolus [illegible] ſe accommodat ut eos apprehendat cornibus quæ maximè eminent. Præterea etiam ſolenne eſt [illegible]us omnibus nihil citius audire & nulla re[illegible]s ad attentionem moveri, quàm appellatione[illegible]. Nō facilè audiunt homines, niſi nomine [illegible] vocentur, ſicut Moſes. Summa: Cōpellatione [illegible] utitur, ut ſit ratio movens ad attentionem. *Eſtis Iſraelitæ*, quorum eſt adoptio, & gloria & teſtamenta, & lex, & cultus, quorum ſunt Patres, ex quibus & Chriſtus ſecundum carnem. Vobis [illegible] convenit ignotum eſſe, vel à vobis blaſ[illegible] hunc fructum fœderis, audite quæſo, & [illegible] inſtitutionem. Etſi autē hi auditores erant [illegible]tæ ſecūdum carnem, aut ſaltem Judaicæ religionis profeſſione Eccleſiæ Iſraëliticæ inſiti, tamen nondum erant veri Iſraelitæ ſicut Nathanael Joh. 1. erant ex Iſrael, ſed nondum erant Iſraël Rom. 9. Nam adhuc dolus in ipſis erat, ſcil. error & cor non rectum, neque adhuc didicerant artem vincendi Deum, ſicut Jacob, primus Iſraël. Hoc demum facti ſunt poſtea, cum cordibus compuncti exuerunt Phariſaicum fermentū ſpiritualis ſuperbiæ & hypocriſeos, & terroribus conſcientiæ divinitus correpti & oppugnati, contra Dei iram vera fide in Chriſtum luctati ſunt, nec Dominum deſeruerunt, donec juvarentur. Hoc eſt eſſe Iſraelitam. Externa privilegia nativitatis & profeſſionis nihil proſunt. Non eſt Judæus, qui apertè Judæus eſt, & in carne circumciſus, ſed qui in occulto per circumciſionem cordis Judæus eſt, Rom. 2. 29.

II. Deſcriptio perſonæ eſt in his verbis: *Ieſus Nazarenus, vir à Deo demonſtratus, ſeu teſtificatus inter vos.*

1. Vocatur vir. Alibi homo, filius hominis, ſemen mulieris, fructus ventris, fructus lumborum Davidis. Verus itaque homo, non ſpecies hominis. Non ὁμοιούσιος nobis in cœlo creatus & per Mariam, ceu canalem, in terram delapſus, ſed ὁμοούσιος nobis, ex vero humano ſemine & ſanguine genitus.

2. Non tantùm nudus vir, ſed vir à Deo demonſtratus. Eſt ſermo incompletus, & hunc in modum complendus eſt: & Vir à Deo demōſtratus eſſe aliquid aliud, quàm vir nudus. Quid autē à Deo demonſtratus eſt aliud quàm vir nudus & communis? *Reſp.* Demonſtratus eſt eſſe vir juſtus & ſine peccato. Sicut enim Spiritus S. poſt adſcenſionē Chriſti mundum convicit de juſtitia ſcil. Chriſti, Joh. 16. ita Deus in vita Chriſti in terris ſatis manifeſtū fecit, quod nullius peccati poſſet convinci Joh. 8. 46. ita cum in paſſione multi falſi teſtes contra ipſum aſſurgerent, tamen Deus eum ita glorificavit, ut nihil contra eum invenirent, nec Sadducæi, nec Phariſæi omnibus ſuis tētationibus Matt. 22. Matt. 26. Vide præſertim Luc. 23. 47. Demonſtratus eſt eſſe filius Dei Rom. 1. 4. & Matth. 3. 17. Demonſtratus eſt eſſe miſſus a Patre & unctus in Meſſiam, Prophetam, Sacerdotem & Regem, eſſe vir ille conſtitutus ad judicandum terrarum orbem, Joh. 5. 36. 37. 38. Act. 17. 31. Act. 10. 42.

3. Vocatur Jeſus Nazarenus quo indicatur Unitas Perſonæ. Etſi duæ ſunt naturæ, tamen unum eſt nomen proprium, & ſingulare non plurale,

quod ſignum eſt unam tantùm perſonam eſſe Nam nomina propria ſunt ſigna perſonarum Eſt nomen illud unum & proprium, quod datum eſt hominibus, notans illam unam perſonam, illum unum Chriſtum; per quem poſſumus ſalvari. Act. 4. Et ſic debebat eſſe. Debebat quidem Chriſtus eſſe vir & homo. Nam ſi homo non fuiſſet, tum 1. non potuiſſet ſe ipſum dare in ſacrificium pro peccatis noſtris, non potuiſſet ſubire mortem & pœnam, quam meriti eramus. 2. non potuiſſet eſſe noſter mediator, per quem ad Deum veniemus. Nam ſi nudus Deus fuiſſet, non magis ad ipſum potuiſſemus accedere, quàm ad Deum Patrem; quippe qui ut ignis conſumens nos annihilaſſet, ſed quia caro factus, frater noſter, nobis per omnia ſimilis, hanc nobis largitur audaciam & confidentiam accedendi ad ipſum, & per ipſum ad Deum. Sed tamen humana ejus natura ipſi perſonæ ſecundæ Deitatis, ſcilicet Filio Dei debebat eſſe perſonaliter unita. Nam ſi non fuiſſet Dei propria caro, Dei proprius ſanguis, tum 1. ſacrificium ejus nos non redemiſſet, juſtitiæ Dei non ſatisfeciſſet. Nam non hominis ſanguis, ſed Dei ſanguis poterat tollere peccata. 2. Sponſor noſter hoſtes noſtros non viciſſet, nec nos ex eorum manibus liberare, & juſtitiam partam applicare nobis potuiſſet. 3. non potuiſſet nobis acquirere jus filiationis & adoptionis ac hæreditatis. Nemo enim nos poterat facere fratres & cohæredes in domo Dei, niſi qui eſſet verus ac naturalis Filius Dei ac hæres. Diſcamus rectè intelligere doctrinam de perſona Chriſti, eamque firmiter teneamus contra omnes hæreſes, ut ſciamus quis & qualis vir ſit Jeſus Chriſtus. Nam ſi non, tum nec colere, nec pro Salvatore noſtro habere Chriſtum poſſumus. Si non credis verum Deum eſſe, verâ tamen carne humana veſtitum, nec timebis, nec adorabis, nec filiali & fraterna libertate accedes, nec fides tua firmum habebit fundamentum. Niſi poſſis dicere cum Paulo 2 Tim. 1. 12. *Scio in quem crediderim, & quod potens ſit*, &c. Mulier non nubit niſi ei, quem novit. Si tu Chriſtum vis recipere pro Sponſo, pro Paſtore, pro Rege, debes noſſe ejus perſonam, ut habeas fundamentum fiduciæ. Si noſti Deum & hominem eſſe in una perſona, tum omnia habes quibus ad pietatem & fidem indiges. Status exinanitionis. Dat illi contemptum illud nomen Nazareni quod acceperat ab iis, qui vilitate Patriæ offendebantur, ut credere in eum non poſſent. An ex Nazareth aliquid boni? Ioh. 1 47. Hoc contemptibile nomen tribuit Apoſtolus Salvatori in iſta augusta congregatione, cui tamen volebat perſuadere, ut Chriſtum reciperent. Quare hoc? ut ſcil. doceret, cum volumus homines lucrifacere Chriſto, non ſolùm majeſtatem & gloriam, ſed etiam humilitatem & exinanitionem Chriſti eſſe prædicandum. Nam non per gloriam & majeſtatem, ſed per exinanitionem nos redemit Chriſtus. Phil. 2. Matth. 20. Eſa. 53. Si per meram vim & potentiam nos potuiſſet eripere ex manibus Diaboli & mortis, non opus habuiſſet niſi majeſtate & gloria. Sed quia nos debuit liberare per viam juſtitiæ, ſatisfaciendo divino judicio, quo in poteſtatem Diaboli, tamquam lictoris & carnificis, eramus traditi, ideò debuit venire in humilitate, paupertate, contemptu, dolore, &c. Cum ſecundò ad judicandum vivos & mortuos redibit, non veniet in humilitate, ſed in mera majeſtate, quia tum non veniet, ut ſatisfaciat divino judicio, ſed ut potenter frangat & debellet iſtos hoſtes, qui nos, contra ſententiam juſtificationis, per Chriſti ſatisfactionem apud tribunal Dei partam & procuratam, merâ injuſtâ vi captivos detinere ſatagunt. Hæc probè imprimenda ſunt veſtris conſcientiis, ne tenuitate Chriſti offendamini, ſed potius in ea gloriemini, & in ea ſalutem quæratis. Nec offendamur, ſi ob confeſſionem Chriſti etiamnum ab Ethnicis & Judæis Nazarenorum nomine contemptim appellemur. Sanctitas vitæ, vel etiam origo humanæ naturæ in Chriſto. Hoc paret, ſi inſpicias locum Matth. 2. 23. ubi Euangeliſta dicit, Ieſum ideò educatum eſſe in urbe Nazareth, & inde nomen Nazaræi accepiſſe, ut impleretur, quod dictum eſt apud Prophetas, quod ſcil. Nazaræus ſit appellandus. Quomodo hoc intelligimus, quis Prophetarum hoc dixit? *Reſp.* Prophetæ dixerunt hoc per ænigmaticam alluſionem, tribuentes Meſſiæ in V. T. talia nomina, quæ aliquam ſimilitudinem & affinitatem habent cum vocabulo Nazareth, ut ita Patriam Meſſiæ tectè innuerent, & quaſi divinandam darent. Hinc Iudic. 13. v. 5. 7. in perſona Samſonis, tanquam typo Chriſtus vocatur Naſir, i. e. talis qui ſe ipſum voto adſtrinxerat & ſeparaverat ac Deo conſecraverat ad abſtinentiam à certis cibis, & ad ceremonias alias, ut intelligatur Chriſtum fore ſeparatum à peccatoribus, & Deum perfectè colentem, & Eſa. 11. 1. & 60. 21. & Zach. 6. 12. Chriſtus appellatur Netzer, i. e ſurculus, ut prædicatur ipſum ſuam ſecundùm carnem originem habiturum eſſe, ex Davide & Abrahamo. Quoties itaque in

V.T legimus hiſtoriam de Naſireis, vel voculam Netzer ſeu germen & ſurculus, cogitemus, quantum in V.T de Chriſto jam tum fuerit revelatum, adeò ut etiam urbs educationis ipſis quodammodo obſcure licet, fuerit intimata & ſubindicata. Et quoties in N. T. legimus nomen Nazaræus Chriſto tributum, ſemper ex eo recordemur, Chriſtum eſſe verum illum Naſiræum, qui ſanctitate vitæ nobis in meritum & in exemplum fuit, eſſe quoque verum illud germen Davidis, Patribus promiſſum, ut ita noſtra in Jeſum fides liberetur ab omnibus dubitationibus.

III. Vita. Vita Chriſti in terris maximâ ex parte tota in eo fuit poſita, quod *Deus per eum fecit virtutes, prodigia & ſigna in medio Judæorum, adeò ut ipſi ſciant*. Ad explicationem nota breviter.

1. Per δυνάμεις intellige efficacem illam vim & operationem, quam per doctrinam ſuam exeruit in animis hominum, de qua legimus Matth 7. 29. Marc. 6. 2. ubi quidem per δυνάμεις χειρῶν intelliguntur miracula, ſed tamen præcipuè vis doctrinæ. Non tantum δυνάμεις τῶν χειρῶν, ſed etiam δυνάμεις τοῦ ςόματος. Lege textum Luc. 4. 32. Joh. 7. 44. 46. Ligabat conſcientias loquendo, ut non poſſent apprehendere. Præſertim autem hîc intelligitur illa δύναμις, quam exercuit in reſurrectione Rom. 1. 4. Sicut Samſon tollens portam Aſcalon robur ſuum oſtendit, ita Chriſtus tollens portas inferni.

2. Per τέρατα intellige prodigia illa, quibus Deus Chriſto teſtimonium dedit, e. g. quod Matth. 3. Cœlum apertum, Spiritus S. in ſpecie columbæ viſus, vox audita, quod Joh. 12. v. 28. 29 tam prodigioſa vox ex cœlo audita paulò ante paſſionem, quod in morte Chriſti tot prodigia facta ſunt, quæ deſcribuntur Matth. 27. 51. 52. Etſi enim Deus hæc prodigia propriè non fecit per Chriſtum, tamen fecit propter Chriſtum, ad eum demonſtrandum.

3. Per σημεῖα intelliguntur iſta miracula, quæ ipſe Chriſtus fecit, ad demonſtrandam divinitatem & officium ſuum, de quibus Matth. 4. 24. Johan. 20. 30.

4. Hæc omnia dicitur Deus feciſſe per Chriſtum. Hinc aliqui arguunt ex talibus non poſſe concludi Chriſti Deitatem, propterea quod tantum fuerit inſtrumentum, per quod Deus fecit, ſicut & Apoſtoli, de quibus etiam dicitur, quod multa ſigna fuerunt facta per eos. Marc. 16. 17. 2. Cor. 12. 12. *Reſp. Talis* objectio non poteſt valere contra tot & tanta Deitatis Chriſti teſtimonia, quæ ſunt in Scriptura, quippe quæ facilè poteſt diſſolvi. Nam, 1. Non eſt verum, per Apoſtolos propriè loquendo edita eſſe miracula. Sicut nemo potuit eſſe creationis cauſa Inſtrumentalis, ita nemo miraculorum. Cùm Deus dicitur miracula feciſſe per manus Apoſtolorum, hoc impropriè intelligendum, non quod fuerint Inſtrumentum, per quod Deus operatus eſt, ſed quod fuerint externa circumſtantia, cum qua Deus operatus eſt. Prophetæ & Apoſtoli fuerunt cauſa ſuorum miraculorum, non inſtrumentalis ſed impetrans. Fide & precibus ſuis tranſtulerunt montes, fecerunt ſtare ſolem, &c. nec præter fidem, preces & externa quædam ſigna, cum quibus & ad quæ Deus operatus eſt, quicquam contulerunt ad miracula. 2. Cum Deus dicitur miracula feciſſe per Chriſtum, intelligi poteſt de humana natura, quæ eſt Deitatis inſtrumentum ἐνυπόστατον per quod omnia operatus eſt. 3. Cū Deus dicitur miracula feciſſe per Chriſtum, non notatur ſubordinatio Dei & Chriſti, ac ſi Deus eſſet cauſa principalis, & Chriſtus cauſa inſtrumentalis, ſed notatur ille ordo, quem tres divinitatis perſonæ in agendo obſervant. Pater enim agit à ſe ipſo, Filius à Patre, & Pater per Filium & Spiritum S. Sic Joh. 1. 3. *Omnia facta ſunt per verbum*. 4. Denique poteſt hîc intelligi voluntaria illa ſubmiſſio filii ſub voluntate Patris, quam in operibus mediatoriis exercuit. Etſi enim Filius eſſet æqualis Patri natura & majeſtate, tamen volens & liberè ſe humiliavit, & factus eſt ſervus Patris, qui omnia ageret, nomine & mandato Patris, per cujus manum ſicut totum Patris propoſitum ſucceſſit, ita etiam miracula hæc facta ſunt. Applicetur hûc illud Joh. 5. 19. 20. & 30. Fecit igitur Chriſtus miracula ſua quidem propriâ virtute, ſed Patris juſſu ac voluntate. Ne tam facilè moveamur objectiunculis, neque contra articulos fidei, neque contra officia pietatis, quæ in claris Scripturæ teſtimoniis fundata ſunt. Caro & ſanguis multa ſuggerunt ſutilia contra clariſſima Scripturæ teſtimonia, quæ contemnendâ potius ſunt, quàm ſolvenda.

5. Denique Chriſtus dicitur hæc omnia feciſſe in medio Judæorum, ita ut ipſi ſciant, quaſi dicat, non poteſtis prætendere hæc in occulto geſta eſſe, ita ut ſcire non potueritis. Immò ante oculos veſtros geſta ſunt. Vide Joh. 18. v. 19. 20. 21. Adimitur hac parte omnis prætextus Judæis. Sic Chriſtus dicet in ultimo judicio: Non adminiſtravi regnum meum in occulto, ſed publicè & apertè, vos

commoneſeci de voluntate mea, veritati meæ multa dedi teſtimonia, regnum meum multis ſignis inter vos manifeſtavi, hoſtes meos judicavi, cultoribus meis me ſemper benignum exhibui, ut nihil habeatis, quod prætexatis veſtris criminibus. Caveamus igitur, ne inobedientes ſimus Evangelio tam claré revelato. Non enim habebimus prætextum Joh. 15. 22. 24.

Actor. 2. *v.* 23.

CONCIO XXI.

IV. SEquitur quarta particula hiſtoriæ de Chriſto quam fundamenti loco ſubſternit ſecundæ parti hujus informationis, videl. Deſcriptio paſſionis Chriſti. In hac deſcriptione duo ſunt conſideranda:

I. Res quæ deſcribitur, videl. paſſio Chriſti, de qua nobis proponuntur.

1. Cauſæ paſſionis, quæ ſunt
   Conſilium & præſcientia Dei,
   Viri Iſraëlitæ ad quos loquitur:
   Manus impiorum.
2. Partes vel modus paſſionis, videl.
   Datus eſt
   Acceptus eſt
   Affixus eſt
   Sublātus eſt.

II. Modus deſcriptionis. Proponitur hæc deſcriptio paſſionis Chriſti per modum exprobrationis. Vos ſumſiſtis, ſuſtuliſtis, &c.

Prima cauſa paſſionis Chriſti eſt conſilium & præſcientia Dei. Nota:

I. Conjungit conſilium & Præſcientiam ad refutandos eos, qui dôcent, Deum quidem præſcire, quid homines in tempore vi liberi arbitrii facturi ſint, ſed non prædeterminâſſe certo ac immutabili & definito conſilio. Et Scriptura & natura Dei à nobis requirit hanc fidem, quod nihil in tempore fiat, neque ab irrationalibus, neque a rationalibus creaturis, neque bonum neque malum, quin ab æterno certo ac definito conſilio Dei (ὡρισμένῃ βουλῇ) ita fuerit determinatum ac decretum Scriptura requirit. Hoc loco & Act. 4. 27. 28. 1. Petr. 3. 17. 1. Petr. 4. 19. Thren. 3. 37. Natura Dei requirit. Si omnipotens eſt, nil poteſt fieri ſine ejus voluntate. Si non determinavit ad certos fines, non eſt gubernator omnium rerum ſapiens, nec poteſt quis hoc negare, quin ipſum Deum neget. Et eſt hæc doctrina fundamentum omnis pietatis & ſolatii. Nam ſi rerum omnium motûs non pendent & determinantur á conſilio Dei, tum non poſſum credere mihi ſatis proſpectum eſſe, ſi Deum habeam propitium. Et ſi hoc non credo, corruit omnis pietas & omne ſolatium. Tum venerandus erit Diabolus ne noceat, tum metuendum ne quid nobis faciant homines, etiamſi Deum habeamus propitium. Tum iſta adhortatio ſine fundamento eſt. Matth. 10. 28. 29. 30. 31.

Object. 1. Si Deus omnia tùm bona tùm mala certo conſilio determinavit, tum eſt auctor peccati. *Reſp.* Sequeretur hoc, ſi determinatio conſilii divini in eo conſiſteret, quod Deus decreviſſet mala æquè ac bona facere, vel in homine operari hominemvè ad ea inducere & impellere. Sed quia tantùm in eo conſiſtit conſilium Dei, quod decrevit permittere, ut homo malum faciat, & malum, quod facturus eſt, in bonum finem dirigere, ideò non ſequitur hinc, quod ſit auctor, ſed tantùm quod ſit gubernator mali.

Object. 2. Si Deus firmo & immutabili conſilio decrevit, ut Judæi Chriſtum crucifigerēt, ut homines hoc vel illud peccatum committerent, tum homini eſt inevitabilis neceſſitas peccandi, & proinde nō juſtè poteſt puniri propter peccatum. *Reſp.* Hoc non ſequitur. Ratio: quia conſilium Dei non eſt homini lex, quæ vel obliget vel cogat, & poteſt Deus ſapientiſſimus motus arbitrii humani facere futuros & coram ſe infallibiliter certos, nec tamen humano arbitrio imponere ullam neceſſitatem peccandi. Poſſumus hoc ſapientiæ divinæ concredere, etiamſi quomodo fiat non capiamus nec intelligamus. Deus enim poteſt facere ſupra quàm nos intelligimus Eph. 3. 20. Eſa. 40 28.

2. Non tantùm conjungit βουλὴν & πρόγνωσιν, ſed etiam τὴν βουλὴν τῇ προγνώσει præponit, indicās, quod Deus nihil præſciat, niſi quod prius decrevit. Deus enim nihil præſcit, niſi quod futurum eſt. At nihil poteſt eſſe futurum niſi quod Deus conſilio ſuo futurum fecit. Prævidet & intelligit Deus quid fieri poſſet, ſi permitteret, ſed nihil prævidet certò futurum, niſi quod decrevit facere, vel permittere ut fiat. Et ſi hoc certum eſt in malo, quantò magis certum eſt in bono? Deus non poteſt prævidere in nobis aliquod bonum, niſi quod prius decrevit in nobis operari. Falſum igitur eſt illud dogma, quod Deus præviderit, quod virtute noſtri arbitrii, univerſali gratiâ melius eſſemus uſuri, quàm alii, &

pro-

propterea nos præ aliis elegerit. Deus nullum bonum uſum gratiæ communis in nobis prævidit, niſi quem ſingulari ſua gratiâ in nobis decrevit efficere, ut ita ſingulare bonum, quod in nobis eſt præ aliis, non ſingulari bonitati noſtri arbitrii, ſed ſingulari gratiæ Dei attribuamus. Hactenus prima & ſuprema cauſa paſſionis Chriſti.

Secunda vel media cauſa paſſionis fuerunt viri Iſraelitæ, quos alloquitur: *vos crucifixiſtis*. Nam aliqui ex ipſis Chriſtum accuſaverant, prodiderant, ceperant, condemnaverant, tradiderant, ſc. Judas, Scribæ, Phariſæi, Seniores, Sacerdotes, falſi teſtes, &c. Sed omnibus tamen adſcribitur, quia omnes paucis exceptis fidelibus, in mortem Chriſti conſenſerant, Luc. 23. 18. Joh. 18. 40. Tria ſunt quæ hinc diſcamus:

1. Deus peccata hominum facit inſtrumenta exſequendi bonum conſilium. Deus Chriſtum in mortem dedit per odium & invidiam Judæorum. Judæorũ peccata inſtrumentum fuêre divini conſilii exſequendi. Qui ex tenebris produxit lucem, per peccata bonum poteſt producere. Per malitiam Judæ Chriſtus venit in manus ſacerdotum. Per malitiam ſacerdotum venit in manus Pilati & militum. Per malitiam militum venit in crucem, per crucem venit in gloriam. Et hoc ſciendum Chriſtianis, quod etiamnum omnes actiones impiorum ſtent ſub Dominio Dei, qui eas non tantùm cohibet ne noceant, ſed etiam iis utitur ut inſtrumentis, quæ proſint fidelibus, Rom. 8. 28. Gen. 50. 20.

2. Non ii tantùm rei ſunt peccati, qui peccatum faciunt & perpetrant, ſed etiam qui in peccatum conſentiunt, vel illud aliquo modo adjuvant, nec impediunt, quantum poſſunt. Totus populus non crucifixerat, ſed tantum clamaverat, crucifige, & tamen crucifixio ipſis imputatur, Rom. 1. 32. Hoſ. 7. 3. Act. 8. 1. Etſi David non occidit Uriam, ſed tantum occaſionẽ mortis dare juſſit, reus erat homicidii. Eli qui non caſtigavit filios, reus eſt peccati quod commiſerunt filii. Obſervẽt hoc, qui ſe ſolis ... peccatorum prætextibus. Non ſufficit nos immunes a facto, ſed etiam immunes debemus eſſe a talibus, quæ factum promovent. Obſervent Magiſtratus, qui malefactores non puniunt, miniſtri qui peccata non reprehendunt, parentes, qui filios non caſtigant, &c.

3. Non ii tantùm rei ſunt, qui ſponte peccant, ſed etiam ii, qui ſeducti. Populus Iſraëliticus poſtulabat mortem Chriſti, ſeductus à Phariſæis Matth. 27. 20. nihilominus mors Chriſti exprobratur illis. Deponamus igitur iſtas excuſationes, quod ſit moris, quod facias in gratiam aliorum nec ſponte delecteris, &c. Nihil proderunt. Et ſeductus & ſeducens punientur 2. Tim. 3. 13. Jer. 14. à v. 14 ad 17. 1. Joh. 3. v. 7.

Tertia & infima cauſa mortis Chriſti, ſunt *manus impiorum*. Per τοὺς ἀνόμους intelliguntur Ethnici, vid. Pilatus cum ſuis militibus, lictoribus & carnificibus. Nam his traditus erat Chriſtus à Judæis, & per hos crucifixus eſt. Sic Luc. 24. 7. Quærat aliquis cur homines Ethnicos ſolummodò vocet homines ἀνόμους, cùm tamen Judæi etiam fuerint tales? Annon æquè in peccatis concepti, annon æquè irregeniti, annon æquè crudeles in Chriſtum, imò magis invidi, quàm ipſe Pilatus? *Reſp.* Etſi utique æquè mali erant, tamen hoc erat diſcriminis, quod Ethnici vivebant in mundo ſine lege, & ſine Deo, Eph. 2. ideoque rectè vocantur ἄνομοι. Iſraëlitæ autem erant populus Dei ſacer, quorum erant patres, lex, teſtamenta, fœdera, &c. Rom. 9. 4. Rom. 3. 1. Etſi enim hæc externa ſanctitas nihil faciebat ad impietatem Judæorum imminuendam, ſed potius ad eam aggravandam, tamen externa vocatio ad Eccleſiam magnum eſt privilegium, tùm apud Deum, tùm apud homines. Nam apud Deum talibus eſt aperta janua gratiæ, cum cæteris ſit clauſa, & homines obligati ſunt, ut judicio charitatis tales habeant pro fœderatis Dei, & cum iis converſentur cautè, tanquam cum fœderatis Dei, præſertim quando aperta diſſolutione vitæ contrarium non teſtantur. Non caret autem myſterio, quod Judæi & Ethnici occidendo Chriſto ſocietatem inierunt. Voluit enim Deus utrorumque peccatis Chriſtum mori, ut intelligeremus, quod pro utrorumq; peccatis moreretur, & quod æquè Ethnicis ac Judæis factus ſit propitiatio. Non eſt quidem nobis Ethnicis honos, quod in ſocietatem occiſionis Chriſti venimus, ſed eſt nobis tantùm ſolatium. Eſt enim ſignum divinæ voluntatis de noſtra in virtute mortis Chriſti participatione. Voluit Deus etiam maximè flagitioſos homines inter cauſas mortis Chriſti admittere, ut intelligeremus mortem Chriſti etiam contra maxima flagitia fore remedium, ſi modò per veram fidem applicetur.

Hactenus cauſæ, per quas Chriſtus in mortem venit, ſequitur modus, quomodo. Et quidem:

1. Per conſilium Dei factus ſuit ἔκδοτος. Duplex

plex eſt ſimilitudo in hac voce: Petita ab iis, qui ſumptus erogant, & munus dant: Nos opus habebamus pretio redemptionis. Deus de ſuo erogavit, ex ſuo theſauro nobis dedit pretioſiſſimum cimelium, illudque lytrum animarum pro nobis expoſuit. Petita à Judice, qui tradit malefactorem condemnatum in manus carnificis ad ſupplicium. Chriſtus Sponſor factus noſter, recepto noſtro in ſe reatu, & ſeipſum ſiſtens divino judicio, à Deo morti addictus & in manus impiorum hominum traditus eſt, Rom. 4. ult & 8. Non mera hominum malitia periit Chriſtus, ſed juſto Dei judicio. Deus enim occidit & crucifixit, tanquam Sponſorem generis humani, à Deo occiſus eſt, Eſai. 53. Hinc Deus dicitur in carne ejus puniviſſe noſtra peccata Rom 8. 3. Si contra voluntatem Dei ſolo hominum conſilio veniſſet in mortem, non fuiſſet lytron pro noſtris peccatis. Sed quia mors Chriſti originem ſuam habet ex tribunali Dei, quo ſedit judex hominum peccatorum, & Chriſtum noſtro loco condemnavit & punivit, hinc eſt omnis virtus mortis Chriſti ad noſtram ſalutem. Pœnam noſtram tulit Eſa. 53. Hæc enim cauſa eſt, quod Deus peccata noſtra non poteſt in nobis punire, quia ea punivit in Chriſto Sponſore noſtro.

2. Ab hominibus *acceptus eſt*. Hæc vox exprimit, quo animo Judæi Chriſtum crucifixerint, nimirum non ducti ſunt aliquo ſtudio obediendi divinæ voluntati, ſed mero odio & invidiâ in Chriſtum involârunt. Etſi Deus ſancto conſilio Chriſtum ipſis dederat occidendum, tamen ipſi non occiderunt ſancto animo Vide ſimile quid Eſa. 10. 6. 7. Homines impii non ſunt ſicuti lictores, qui ex obedientia erga Dominos puniunt reum ſine affectu crudelitatis, ſed ſunt ſicut canes, quibus lacerandus exponitur lepus vel urſus quem arripiunt ac lacerant antipathiæ & inimicitiæ æſtu ac furore. Et hæc cauſa eſt, quod juſtè puniuntur, qui nihil faciunt, quàm quod conſilium Dei determinaverat, ut fieret, quia ſc. illud faciunt non intuitu divini conſilii, ſed ductu & impulſu propriæ malitiæ. Pudeſient igitur, qui talibus excuſationibus utuntur.

3. *Affixus eſt*, ſcilicet crucis ligno per clavos. Non perinde erat, quo mortis genere Chriſtus è medio tolleretur, ſed iſto horribili & maledicto genere mortis, cruce videl. debebat interire, ut ſcil. intelligeremus, in Chriſtum effuſam eſſe iſtam maledictionem, quam nos eramus meriti, Gal. 3. & finem mortis ejus eſſe placationem irati Dei.

4. *E medio ſublatus eſt*. Non ſatis erat Chriſtum cruci affigi, & vivum è cruce deſcendere, ut poſtulabant Judæi, ſed neceſſe erat ipſum planè è medio tolli. Debebat enim pro nobis mori, 1. Cor. 15. v. 3. Mortem eramus meriti, morte filii Dei eramus redimendi. Non poſſumus ſingula latè perſequi, & latius exponuntur in hiſtoria paſſionis Dominicæ. Nos ex hoc malo aliquid boni diſcamus, transferentes hos quatuor gradus paſſionis Dominicæ ad quatuor gradus applicationis, qui requiruntur, ut virtutis paſſionum Chriſti fiamus participes. Nam ſicut Chriſtus fuit datus tempore carnis ſuæ, ita etiamnum datur nobis.

1. Chriſtus à Deo nobis datur in *ἱλαστήριον* Rom. 3. 25. i. e. proponitur & offertur in Euangelio, imputatur in opere juſtificationis, & in opere regenerationis per effuſiohem Spiritus S. nobis unitur, ut in corda noſtra habitatum concedat. Datur nobis in matrimonium, Rom. 8. 32. *dabit omnia cum ipſo.*

2. A nobis ſumitur & recipitur. Hinc eadem vox de piis Chriſtianis uſurpatur, quæ hîc de impiis Judæis, Joh. 1. 12. Sumitur autem per fidem, tanquam per manum, per anchoram, quâ ipſum recipimus, tenemus, eoque nitimur.

3. Sumptus affigitur. Per fidem receptus, per amorem in nobis radicatur, & cordi affigitur, Eph. 3. 17. Coloſſ. 2. 6. 7. Sicut maritus & uxor per contractum conjuncti, per amorem magis magiſque conglutinantur, ita nos per fidem cum Chriſto juncti per amorem magis magiſque concreſcimus & unimur.

4. Affixus tollitur & quaſi conſumitur. Per hoc intelligo mutationem illam noſtri in imaginem Chriſti per ſanctificationem. Sicut enim cibus aſſumptus ita deſtruitur, ut non maneat quod fuit, ſed mutetur in noſtrum ſuccum & ſanguinem, per quem vivimus & movemur, ita poſtquam Chriſtum vera fide nobis applicuimus, & per amorem in nobis firmavimus, ita quaſi imbibimus & digerimus Chriſtum, ut ipſe fiat noſtra vita, & noſtra vis, per quam vivimus, & nos mutemur in ejus ſimilitudinem ac imaginem. Non quidem mutatur Chriſtus, ſed tamen ita in nos operatur, ut fiat noſtra vis & vita, ut per Chriſtum vivamus, ſicut in natura per cibum vivimus. Non tollitur Chriſtus è medio, ſed tollit Chriſtus è medio, & mortificat veterem hominem. Fit in applicatione quoque quædam *ἀλλοίωσις*, ſeu *ἀναίρεσις*, Galat. 2. 20. 2. Cor. 3. 18.

2. Cor. 3. 18. Eph. 4. 15. 16. & 13. Illis quatuor gradibus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & his quatuor grad bus Chriſtus in nobis vivit.

Hactenus res deſcripta. Modus deſcriptionis in eo poſitus eſt, quod proponitur per modum exprobrationis & reprehenſionis: *vos crucifixiſtis.* Hic enim eſt ſcopus hujus totius hiſtoriæ de Chriſto, ut acri reprehenſione peccati in Chriſtum commiſſi eos pungat, ut ita conſilium Euangelii quærant & ſerventur. Docet hoc

1. Miniſtrorum libertatem & parrheſiam in redarguendis peccatis. Petrus hic redarguit, quod à toto populo & à ſenioribus, & à Cæſareo præſide factum erat, & ita redarguit, ut appellet manus impias, quæ hoc fecerant. Etſi peccatum aliquod ſit commune, etiamſi fiat à magnatibus & magiſtratibus tamen miniſtrorum eſt reprehendere. Sic Prophetæ paſſim ipſos Reges redarguunt. Sic Nathan 2. Sam. 12. v. 7. 8. Sic Iehu 2. Chron. 19. 1. Nec mirum, ſunt miniſtri Dei.

2. Auditores diſcant ferre ſermonem reprehenſionis 2. Tim. 4. 3. Melius eſt à nobis reprehendamini, quàm ut Dominus vos increpet. Iudæ 9.

Actor. 2. *v.* 24. *ad v.* 33.

CONCIO XXII.

Eſt quidem tota hæc Petri concio apologetica contra imputationem ebrietatis; ſed tamen illa perſon[illegible] apologia & defenſio, non eſt principalis, ſed [illegible] principalis hujus concionis ſcopus. Principalis, ſcop[illegible] eſt, populum de miraculoſis iſtis Apoſtolorum donis ſtupentem, admirantem & dubitantem hac occaſione adducere ad agnitionem Ie[illegible] horum donorum auctor erat. Ad hunc [illegible] aſſequendum, Petrus auditores ſuos non tan[illegible], quod iſta miraculoſa dona, quæ vide[illegible] o[illegible]s, ſint dona Spiritus S. ſecundum P[illegible] Ioelis effuſi, ſed etiam rationem reddit, q[illegible] Sp[illegible] S. potius hoc tempore tam viſibiliter [illegible]nda[illegible] quam alio, videl. ut tota domus Iſraelis i[illegible]at quod i[illegible]le nuper crucifixus Ieſus Nazar[illegible] ille Patribus promiſſus Dominus & [illegible]e Chriſtus. Antequam autem Euange[illegible] proponit, præmittit brevem hi[illegible] cor[illegible], quæ ad agnitionem Jeſu Chriſti ne[illegible] ut in ea hi[illegible] iſta ratio fundata, cun[illegible] Iſr[illegible]litarum tantò fortius ſtringat. Iſtam

hiſtoriam diviſimus in ſex particulas, quæ ſunt 1. nova præfatiuncula v. 22. p. pr. 2. Deſcriptio perſonæ Chriſti v. 22. part. med. 3. Deſcriptio vitæ Chriſti, v. 22. p. poſtr. 4. Deſcriptio paſſionis Chriſti v. 23. 5. Deſcriptio reſurrectionis Chriſti à v. 24. ad 33. 6. Deſcriptio adſcenſionis Chriſti, v. 33. ad 36. cui hiſtoriæ deinde ipſa rationis propoſitio ſuperſtruitur, v. 36. Abſolvimus præfatiunculam, deſcriptionem perſonæ, vitæ & paſſionis Chriſti: ſequitur

V. Particula hiſtoriæ quinta, quæ eſt de reſurrectione Chriſti. De hac reſurrectione tria habet textus:

I. Auctorem reſurrectionis. *Deus*:

II. Modum reſurrectionis; *Suſcitatus eſt ſolutis doloribus mortis.*

III. Certitudinem reſurrectionis, quam probat duobus argumentis:

1. Quia impoſſibile erat Chriſtum à morte teneri, idque ideò, quia David prædixerat, Chriſtum reſurrecturum.

2. Quia omnes Apoſtoli reſurrectionem Chriſti teſtantur.

Auctor reſurrectionis Chriſti eſt Deus. Reſurrectio Chriſti eſt opus divinum, & quidem immediatè divinum, ad quod nulla creatura aliquid contulit; ſicut ad mortem aliquid contulere hoſtes, ad Nativitatem aliquid Maria, &c. Vocabulum tamen Deus hic ſumitur pro prima perſona Trinitatis, videl. Deo Patre, uti ſæpè in Scripturis. Huic enim reſurrectio Chriſti ſæpe tribuitur, Act. 10. 40. Rom. 8. 11. Modus hujus reſuſcitationis in eo poſitus eſt, quod ſolvit dolores mortis. Reſuſcitatio Patris non in eo poſita eſt, quod Ieſu Chriſto, ſua ſponte reſurgere non valenti dedit vires reſurgendi. Nequaquam. Chriſtus enim ſua vi & propriâ potentiâ reſurrexit. Ioh. 2. 19. Rom. 1. 4. Quid igitur eſt, quod Pater ad reſurrectionem Chriſti contulit? ſolvit dolores mortis. Quid hoc eſt? An Chriſtus habebat adhuc dolores poſtquam mortuus eſſet? Mortui utique non ſentiunt. Si dixiſſet: Solvit dolores morbi, aliquid dixiſſet, ſed dolores mortis, quid hoc eſt?

Reſp. 1. Alii ſic exponunt, quod poſt mortem anima Chriſti apud inferos adhuc paſſa & cum doloribus infernalibus luctata ſit, quos dolores Deus per reſurrectionem ſolverit. Falſa eſt hæc expoſitio. Nam ante mortem conſummati erant dolores. Ioh. 19. 30. & poſt mortem anima Chriſti erat in manu

Domini & in Paradiſo, non in inferno, Luc. 23. 43. & 46.

2. Alii ſic exponunt: Liberavit mortem à doloribus, quibus tanquam fœmina parturiens erat correpta. Ajunt mortem abſorpto Chriſto factam eſſe ſimilem fœminæ gravidæ, quæ fœtum, quem cum voluptate conceperat, cum dolore & angore enititur.

3. Sed vera ſententia eſt, quod Petrus hic reſpiciat ad locum Pſal. 18. 6. ubi Chriſtus in perſona Davidis queritur quod *Chelle Sheol & Mokeshe Maveth* ipſum circumdederint, quod in Græca verſione eſt dolores mortis, quia mors eſt vinculum, quod magno cum dolore nobis injicitur, ut corpus animam enitatur cum dolore, ſicut Gravida fœmina fœtum. Quid eſt mors? Mors non eſt perſona, non eſt vir ſenex vel Saturnus aliquis, qui infantes devorat, ut vulgò pingitur, ſed eſt vinculum ſeu poteſtas, quam Deus dedit Diabolo in homines propter peccata, Hebr. 2. 14. Mors eſt poteſtas ſeu vinculum Diaboli, quo nos arcet à poſſeſſione vitæ, & corpus ac animam noſtram ſeparat. Quare autem & quomodo hoc vinculum, ſeu hæc poteſtas adimendi vitam Diabolo tribuitur? Annon Deus eſt, qui vitam noſtram tollit, qui corpus & animam ſeparat, qui mortem infligit? Omninò Deus eſt, ille judex, qui peccatorem occidit, qui non ſolum corpus occidit, ſed etiam animam in gehennam præcipitat, Matth. 10. 28. Luc. 12. 5. Cur igitur Diabolo tribuitur poteſtas mortis?

Reſp. 1. Quia Diabolus peccatores ligavit vinculis peccati, quo mortem merentur, & propter quod mors neceſſariò infligitur. Vis mortis eſt peccatum 1 Cor. 15. 56. Rom. 5. 12. Jam autem Diabolus habet poteſtatem peccati 2. Tim. 2. 26. Elegans ſimilitudo petita ab iis, qui per inebriationem aliquem pertrahunt in ſuam voluntatem, ſicut filiæ Lothi ſuum Patrem. Sicut illæ vaporibus vini ligârunt mentem & rationem Patris, ita Diabolus operando in nobis peccata nos ſubjicit neceſſitati moriendi.

2. Quia poſt mortem Diabolus habet ſuper mortuos poteſtatem, eos retinendi ſub ſuo dominio & tormento. Dum peccatores in hac vita ſunt, ſunt adhuc in domo Dei, ubi quidem ad voluntatem Diaboli ſunt captivi per peccatum, ſed tamen Diabolus nondum habet tam plenam ſuper eos poteſtatem, quin adhuc ſit aperta janua gratiæ, per quam poſſint evadere poteſtatem Diaboli, ſi non ſponte ſeſe indurent, & Evangelium rejiciant. Sed poſtquam mortui ſunt peccatores & à Domino occiſi, ab eodem conjiciuntur in carcerem gehennæ Luc. 12. 5. ubi Diabolus eſt commentarienſis, & abſolutam habet poteſtatem torquendi in æternum.

Vides igitur quid ſit mors, videl. poteſtas Diaboli, à Deo ipſi data in peccatores, qua operando in ipſis peccata, eos præcipitat in neceſſitatem moriendi, & poſt ſeparationem corporis ac animæ eos torquet ad lubitum. Hæc poteſtas Diaboli hic vocatur dolores mortis, vel dolorifici mortis funes; quia vinculum eſt ſignum talis poteſtatis, qualem habet lictor in captivos, & Diabolus in peccatores. Sicut gladius Magiſtratus, ita laquei & compedes ſunt inſigne lictoris. At enim in peccatores quidem talem habet poteſtatem Diabolus, ſed quomodo in Chriſtum, qui peccata non habuit, hanc poteſtatem accepit? *Reſp.* Quia Chriſtus Sponſor noſter factus, ſponte ſeipſum fecit culpæ noſtræ participem. Hinc dicitur peccata noſtra tuliſſe 1. Petr. 3. peccatum & maledictio pro nobis factus 2. Cor. 5. Gal. 3: Hanc poteſtatem Diaboli ſuper Chriſtum Deus Pater ſolvit. Quomodo? Dum Diabolo ademit jus Chriſtum in morte tenendi. Sicut judex acceptâ à reo, quem propter reatum in vincula conjecit, ſatisfactione, commentarienſi ſuo, cui antea poteſtatem in reum dederat, iſtam poteſtatem iterum adimit, reumque dimitti jubet: ita Deus Chriſtum quidem Sponſorem peccatorum in vincula mortis conjecit, ſed quoniam mors ejus eſt plena ſatisfactio pro peccatis noſtris, ideò poſt mortem Diabolo injunxit, ut Chriſtum ex morte dimitteret, & non Chriſtum ſolum, ſed & omnes peccatores illos, quorum Sponſor factus eſt Chriſtus. Id quod Deus Pater ad reſurrectionem Chriſti contulit, non in eo poſitum eſt, quod animam & corpus redunivit, quod corpus erexit, quod Diabolo Chriſtum per vim eripuit, Johan. 2. 19. & 10. 18. Hæc enim omnia Chriſtus ipſe fecit ſuis propriis viribus: ſed in eo conſiſtit actio Patris circa reſurrectionem Chriſti, quod Diabolo ademit poteſtatem mortis, quam ipſi propter noſtra peccata, & in Chriſtum & in nos ipſos conceſſerat. Hoc eſt ſolvere vincula mortis, ſeu dolorificos funes mortis. Diſcamus hinc

1. Quanta ſit eorum felicitas, qui ſunt in Chriſto. Vincula mortis ſuper ipſos ſoluta. Diabolus non habet poteſtatem nos occidendi, neque in morte retinendi. Nam dum Deus ſolvit poteſtatem Diaboli in Chriſtum, ſolvit quoque in nos, quorum Chriſtus Sponſor eſt. Si quis Sponſor, ob alienam

culpam

culpam captivus, ſatisfecit, juſtitia poſtulat, ut non ipſe ſolùm dimittatur, ſed cum ipſo omnes, quorum Sponſor eſt. Triumphemus igitur ut eſt 1.Cor.15. 54 55. Pſal. 116.3. 8. Pſal.124.7.

Object. At æquè moriendum nobis ac cœteris. *Reſp.* At noſtra mors non eſt poteſtas Diaboli ſuper nos, ſed eſt unum ex ſalutaribus mediis, per quæ Deus noſtram vitam & ſalutem operatur. Mors noſtra non eſt ſtipendium peccati, quod Diabolus in nobis operatus eſt, ſed eſt janua & initium vitæ, quam Deus nobis propter Chriſtum gratificatus eſt. Rom. 6. ult. Quandiu vivimus, mortales ſumus, ſed mors fidelium eſt immortalitatis initium. Poſtquam mortui ſumus, non ſumus ſub cuſtodia & poteſtate Diaboli, ſicut animæ & cadavera impiorum, ſed ſub cuſtodia & in manu Spiritus S. & Chriſti, requieſcimus in cubiculo noſtro, Eſa. 26. v. 19. 20. Pſal.34.21. Rom. 8. 11.

2. Unde quis ſcire poſſit, quod ſit Chriſti, & quod virtute reſurrectionis Chriſti reſurrecturus ſit: ſcilicet ſi vincula mortis ſuper ipſum ſint ſoluta. Deus ſolvit vincula mortis, ademit Diabolo poteſtatem mortis ſuper Chriſtum, & omnes qui ſunt Chriſti. Examina te igitur, ne forte ſis inter eos quos Satanas vinxit laqueis peccati ad ſuam voluntatem, & adhuc ſis mortuus in peccatis. Si hoc, non es Chriſti. Surge igitur qui dormis, ut te Chriſtus illuminet. Libera te, ne moriaris, Prov. 6. 5. Beatus & Sanctus, qui partē habet in reſurrectione prima. In hunc enim Mors altera poteſtatem non habet.

Object. At enim quis hominum eſt, qui non in ſe habeat vincula mortis, i. e. peccata, per quæ obligamur ad moriendum? Quis noſtrûm, qui non opus habeat querelâ Pauli, Rom.7.21.22.23. *Reſp.* 1. Verum quidem eſt quod laquei peccati adhuc in nobis ſunt, & in anima noſtra radicantur, eique firmiter adhuc inhærent, ut Diabolus hac anſâ nos poſſit pr[illegible]re & ſeducere, ſed qui Chriſti ſunt, ii per [illegible] fidei inconcuſſæ ſe ita firmârunt in pectore [illegible] Chriſti, ut portæ inferorum, peccatis nos trahentes [illegible] exitium, non queant prævalere. Cum Diabolus nos apprehendit cornibus libidinum, ut ſeducat ad malum, tum nos apprehendimus per fidem Dominum Jeſum Chriſtum, & ſub alas ejus confugimus, eique firmo propoſito cordis, & ſincero [illegible] adhæremus, ut nocere non poſſit, nec à Chriſto nos ſeparare: ἡ ἀνθολκία Diaboli. Hinc [illegible] 11.4 Chriſtus benignis funibus dicitur nos habere, quibus tractio Diaboli ſuperatur. *Reſp.* 2. Verum quidem eſt, quod in anima adhuc hærent & radicantur pravæ cupiditates, quibus Diabolus nos conſtringere ſatagit ad ſuam voluntatem, ſed tamen qui Chriſti ſunt, voluntatem ſuam à cupiditatibus carnis ſeparârunt & expediverunt. Non eſt fœdus inter eos & peccata, ſed vinculum fœderis eſt ruptum. Non ſunt ſicut illi, de quibus Eſa. 5. 18. Sed ſunt ſicut illi, qui ſpinam pedi infixam magno ſtudio conantur eradicare. Non ſunt ſicut boves, qui ſe ſine omni reluctatione patiuntur duci ad mactationem. Si te ipſum probans hoc invenis, ſoluta tibi ſunt vincula mortis. Si inimicitiam geris erga proprias cupiditates, ſi quotidie in precibus contra eas proteſtaris, ſi luctaris, & tùm Chriſtum tenes verâ fide, tum cupiditates non ſunt in te ita firmatæ, ut te Diabolus per eas poſſit trahere in infernum.

Hactenus auctor & modus reſurrectionis Chriſti. Certitudo hujus reſurrectionis patet ex duobus argumentis: Primum argumentum eſt: quia propter prædictionem Scripturæ impoſſibile erat ipſum à morte teneri. Poſſibile erat Chriſtum mori, ſed non erat poſſibile Chriſtum à morte teneri. Quare non? Variæ poſſunt dari rationes, e.g. quia juſtitia Dei non patitur in morte teneri eum, qui pleniſſima ſatisfactione ſe ab omni reatu expediverat, quia fieri non poterat, ut potentia Diaboli prævaleret contra omnipotentiam Chriſti. Sed Petrus dat hoc textu rationem aliam, à prædictione Scripturæ petitam. Impoſſibile erat Chriſtum non reſurgere. Nam David prædixerat ipſum eſſe reſurrecturum. Prædictio Scripturæ inducit aliquam neceſſitatem futuritionis, ut ita loquar, ut impoſſibile ſit non fieri, quod prædictum eſt. Scriptura prædixerat Judam proditurum Chriſtum, Ergo oportebat fieri. Act. 1. hæreſes futuras. Ergo oportebat 1.Cor.11. Scandala ventura, Ergo neceſſarium Matth. 18. fideles ſalvatum iri, Ergo impoſſibile eſt, non fieri. Infideles perditum iri, Ergo impoſſibile eſt ſalvari. Requirit hoc natura Dei. Nam alioqui Deus falli poſſet in conſiliis & prædictionibus ſuis. Terret hæc doctrina malos, & dat ſolatium bonis. Non eſt tamen talis neceſſitas, quæ officiis hominum viam obſtruat, culpam peccatorum impediat, hominem ad peccata inevitabiliter determinet, vel cogat, fatum Stoicum inducat, hominem in negotio religionis faciat ſtipitem & truncum, vel cæteras iſtas abſurdas conſequentias naſutulorum hominum gignat, ſed eſt neceſſitas ad naturam hominis accommodata. Talis eſt neceſſitas, quæ non tollit homi-

nis arbitrium & libertatem (vrywilligheydt) in actionibus quæ ad religionem pertinent, itemque in peccatis, ut quicquid hujus facit, non faciat coactus, ſed ſponte, volens, liberè. Si quis autem quærit, quomodo fieri poſſit, ut, quæ verbo Dei vel conſilio ejus prædicta ac præfinita ſunt, neceſſariò fiant, & tamen homo in talibus ſuam habeat libertatem, per quam præmio pœnæque juſtè fiat obnoxius atque capax, reſpondemus hoc fluere ex omniſapientia & omnipotentia Dei, per quam facere poteſt, ſuprà quam nos intelligimus. Sufficit hæc reſponſio iis, qui moderatè ſapere capiunt, & authoritatem Scripturæ pluris æſtimant, quàm conſequentias rationis humanæ.

Vaticinium autem quod producit ad reſurrectionem Chriſti probandam petitum eſt ex Pſalmo decimo ſexto. Hoc vaticinium 1. Deſcribitur & citatur v. 25. 26. 27. 28. 2. Applicatur ad præſentem materiam.

Dictum ipſum, uti hic citatur, habet duas partes:

I. Officium Chriſti erga Deum: *Circumſpexi Dominum*, vel, *ob oculos mihi poſui Dominum ſemper*. Eſt deſcriptio egregia totius Chriſtianiſmi exprimens fidem & obedientiam.

1. Fidem. Cum in neceſſitate ſumus, oculi noſtri circumſpiciunt de auxilio. Fideles autem in omni neceſſitate oculos nuſquam convertunt, niſi ad Deum. Vide 2. Chron. 20. 12. Pſal. 121. 1. Pſal. 123. 1. 2.

2. Metum & obedientiam. Deum ſemper ob oculos habere, eſt, perpetuâ conſideratione majeſtatis, bonitatis, juſtitiæ, judiciorum & beneficiorum tum ſpiritualium, tùm corporalium moveri ad timorem & obedientiam, Pſal. 54. 5. Pſal. 86. 14. Pſ. 119. 11. Sicut jaculator ſemper collimat ad metam, eamque habet ob oculos, ita Chriſtianus hoc agit, ut omnes ſuas actiones totamque vitam dirigat in Deum ejuſque gloriam. A jaculatoribus enim petita eſt ſimilitudo hujus phraſeos. O utinam omnes eſſemus ſicut David, Pſal. 10. 1. 3. Sed ehu! quàm multi ſunt qui nil aliud ante oculos habent quàm mundum & bona mundana, & Dei tantùm non obliviſcuntur.

II. Beneficia Dei erga Chriſtum, quæ ſunt quatuor.

1. Cuſtodia & protectio. *Ideò Deus ad dextram meam ut non dimovear*, ἵνα ſeu כִּי hic idem valet, quod διὰ τοῦτο. Ego Dominum pono mihi ante oculos. Ergo Dominus ſe mihi ponit ad dextram. Hominem eſſe ad dextram Dei, eſt nota gloriæ & honoris ac exultationis, ſed Deum eſſe ad dextram hominis, eſt nota auxilii. Eſt ſimilitudo petita ab eo, qui in prælio eſt, & aliquem ſibi habet ſuccenturiatum quo defendatur, (een ſecunde) ſumus conſtituti in prælio, ſed Deus nobis à dextris, pugnans pro nobis, & in nobis, & per nos.

2. Pax & gaudium conſcientiæ. *εὐφράνθη ἡ καρδία μου*. Etſi Chriſtus erat in miſeria, tamen pacatam & lætam habebat conſcientiam.

3. Gloria animæ: *Exultabit gloria mea*. Hoc alii de lingua, alii de anima accipiunt (in Hebræo enim eſt: gloria mea) quæ eſt gloria corporis. Sequimur poſteriorem ſententiam & putamus Chriſtum ad hoc reſpicere, quod, etſi moriendum ipſi ſit, tamen anima ipſius interea futura in gaudiis Paradiſi, ut eſt, Luc. 23.

4. Cuſtodia, reſuſcitatio & glorificatio corporis. Etſi moriar, tamen caro mea non videbit corruptionem, ſed requieſcet in pace, & monſtrabitur mihi via ad vitam, i. e. reſuſcitabor in vitam, & tum gaudiis fruar ad dextram Dei æternis. En hæc ſunt quatuor emolumenta pro eo, quod Chriſtus Deum ſemper habuit ob oculos. Sic & nobis erit, ſi Deum perpetuò ob oculos habuerimus, niſi quod hoc unum Chriſtus habuit peculiare, quod caro ejus corruptionem non vidit, cui nos omnes debemus fieri obnoxii ut corpus peccati exuamus.

Sequitur applicatio hujus vaticinii, quæ habet tres partes:

1. Novam Præfationem: *Viri fratres*: liceat loqui liberè. v. 29. Nondum erant fratres Petri ſecundùm Spiritum, ſed tantùm ſecundum carnem. Eſt autem præfatio digniſſima & ſæpe uſurpanda miniſtris, rogandique auditores, ne indignatione ſua impediant, quin integrum & tutum ſit miniſtris liberè dicere veritatem, exprobrare peccata, &c. Sit nobis licitum liberè vobis loqui veritatem. Cur autem non? Non quærimus vos perdere, ſed ſalvare. Quid proderunt vobis concionatores, canes muti?

2. Refutationem falſæ interpretationis. Oſtendit hoc vaticinium de Davide ſolo poſſe intelligi. Rationem dicit, quia mortuus & ſepultus eſt, & ſepulchrum ejus inter nos uſque ad diem hunc.

3. Oſtenſionem veræ interpretationis. Quid igitur vult David, cum dicit, animam ſuam non derelictum iri in inferno, ſeu, ſe non manſurum in ſepulchro, nec viſurum corruptionem, cum tamen in ſepulchro manſerit uſque ad hunc diem!

Reſp.

Reſp. Non loquitur de ſeipſo, ſed cum eſſet Propheta, videns quod Deus jurejurando ipſi promiſerit Chriſtum ſecundum carnem excitare ex ejus lumbis, & ſtatuere in ejus throno, prævidens hoc locutus eſt de reſurrectione Chriſti, cujus anima non manſit in inferno. Multa ex hac parte poſſemus diſcere, e.g. modum interpretandi Scripturam, quod ſcil. Scriptura non ſemper ſit intelligenda ſecundum literam, ſed ſi litera aliquid abſurdi habet, & pugnat contra manifeſtam veritatem, ſenſum alium eſſe quærendum. 2. Doctrinam de perſona Chriſti, cujus egregia deſcriptio eſt v. 30. Sed inſtat feſtum nativitatis, cujus hæc doctrina eſt propria. Ideo hic præteribimus. Hactenus primum argumentum, quo certitudo reſurrectionis Chriſti probatur.

Alterum argumentum petitum eſt à teſtimonio Apoſtolorum v. 32. Sed quinam Apoſtoli & quot modis de reſurrectione Chriſti teſtati ſint, ex profeſſo tractatur in feſto Paſchatis, & legi poteſt 1. Cor. 15.

Actor. 2. v. 33. ad v. 37.

CONCIO XXIII.

SEquitur ultimum membrum compendii hiſtoricæ de Chriſto, videl. ejus in cœlum adſcenſio, vel exaltatio. De hac habet textus:

1. Cauſam efficientẽ adſcenſionis τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ.
2. Formam & modum ὑψωθεὶς.
3. Effectum duplicem
   1. Accepit à Patre promiſſionem Spiritûs S.
   2. Effundit quod videtis & auditis.
4. Certitudinem & demonſtrationem adſcenſionis, petitam ex prædictione Pſalmi 110.

I. Cauſa efficiens adſcenſionis eſt dextra Dei, i.e. potentia Dei Pſal. 20. 7. Pſalm. 60. 9. Annon Chriſtus propria virtute adſcendit? *Reſp.* Imò ipſe adſcendit & [illegible] Patrem Joh. 20. & tamen dicitur per dextram ſeu potentiam Dei exaltatus, idque propter duas cauſas

1. Quia humana natura Chriſti non propriâ potentiâ adſcendit, ſed virtute divinitatis, qua cum unita eſt, ſubvecta.

2. Quia poſt mediationem in terris conſummatam Deus Pater ſua dextrâ filium apprehendit, & in cœlum induxit. Sicut hoſpitem, ſeu convivam [illegible], cujus adventus nobis gratus eſt, dextrâ manu apprehendimus, & in domum noſtram inducimus, ita Deus Pater Chriſtum dextrâ ſua in cœlum induxit, in ſignum & in præmium plenè peracti officii ad quod miſſus fuerat in terram. Cum in terris pateretur, Dextra Dei eum tenuit, Eſa. 41. 10. Cum omnia conſummaſſet ad quę miſſus erat, dextra Dei eum apprehendit, & quaſi gratulabunda in cœlum induxit. Contemplemur hanc rem, tanquam nobis quoque futuram. Quod enim Deus Pater Filio ſuo fecit, id filius viciſſim nobis faciet. Suſtentabit & ducet nos ſua dexterâ dum hic erramus & premimur, & tandem eadem dextera in cœlum ducet. Vide Pſalm. 73. verſ. 24. Hy ſal ons welkom heeten met ſijn handt. Vide Matth. 25. verſ. 33. 34. Obviam nobis veniet, & ſic nos inducet in domum Patris, ſicut convivæ grato ante fores obviam imus 1. Theſſ. 4. v. 16. 17. Luc. 19. 17. vocula gratulationis. Faciamus igitur quod eſt 1. Theſſ. 4. 18.

II. Forma & modus: ὑψωθεὶς. Hæc vox duo notat:

1. Tranſlationem corporis. Nam humana Chriſti natura ex terra in cœlos corporaliter & localiter fuit ſubvecta, Luc. 24. & Act. 1.

2. Mutationem ſtatûs. Hactenus duraverat iſta exinanitio, de qua Philip. 2. Nunc ſequitur illa exaltatio de qua ibidem v. 9. 10. & Joh. 17. 12. Idem nobis continget. Nam

1. Ex terra ſubvehemur in cœlos, quæ eſt res magni miraculi, & magni beneficii. Si quam glebam terræ Deus ſubveheret, & inter aſtra poneret, quantum foret! At nos ex inferno ſupra omnes cœlos evehet.

2. Status noſter penitus mutabitur. Abſtergentur omnes lachrymæ. Eripiemur ex anguſtia & judicio, &c. Faciamus igitur quod eſt Coloſſ. 3. 1. & Phil. 3. ult.

III. Effectus primus eſt, quod acceperit promiſſionem Sancti Spiritus à Patre, i. e promiſſum Spir. S. Senſus non eſt, quod in cœlum evectus promiſſionem Spiritûs S. demum acceperit, neq; quod tum demum donis Spiritûs S. ornatus & imbutus ſit. Id enim dudum habuerat in terris, Joh. 3. 43. Sed quod acceperit promiſſionem poteſtatis effundendi Spiritum S. in terras. Hanc promiſſionem dudum habuit, ut declarat Luc. 24. 49. Act. 1. 4. Sed poſtquam in cœlos adſcendit, accepit complementum hujus promiſſionis. Pater enim Chriſtum in cœlos induxit, non tantùm eo fine, quo nos inducemur, ſcilicet ut ibi quieſceret à labore, & frueretur præmio glo-

riæ, ſed præcipuè, ut ſederet ad dextram Dei, i. e. ut collocaretur in ſolium auctoritatis, haberetque poteſtatem mittendi Spiritum S. & per eum colligendi redemptam Eccleſiam, & arguendi mundum impium, Joh. 16. propter tres cauſas Deus Pater Chriſtum in cœlos induxit.

1. In ſignum perfectæ & conſummatæ ſatisfactionis. Dum enim Sponſorem ita tractat, ſignum eſt, quod ſatisfactum ſit.

2. In præmium peracti laboris, Phil. 2. 9.

3. In medium applicandi juſtitiam redemptione partam. Ideò in cœlum abiit, ut ibi cum authoritate regnandi ſederet. Debet nobis hæc exaltatio Chriſti prodeſſe ad corroborationem fidei. Si multi in Chriſtum crediderunt cum in terris verſaretur humilis, & in cruce penderet mortuus, quantò facilius eſt credere in exaltatum?

IV. Secundus effectus adſcenſionis eſt effuſio ejus quod in terris videtur & auditur i. e. mirabilia illorum donorum loquendi magnalia Dei diverſis linguis, quæ animadvertitis in Apoſtolis. His verbis hiſtoriam Chriſti hactenus relatam incipit contrahere ad ſcopum, quaſi dicat: Et quandoquidem Chriſtus ita exaltatus eſt, inde nobis veniunt iſta dona, ſuper quibus tantopere miramini. Sunt effecta Chriſti à vobis quidem crucifixi & occiſi, ſed à Deo reſuſcitati & exaltati. Hoc patet ex Pſalm. 68. v. 19. Exinanitio Chriſti habet ſua effecta, videl. impletionem legalium comminationum & maledictionum, placationem Divinæ juſtitiæ & iræ, annihilationem juris quod Diabolus habebat in peccatores electos, & jus electorum redeundi ad Deum & fruendi gratiâ vitæ æternæ. Hæc, inquam, ſunt effecta exinanitionis Chriſti. Exaltatio Chriſti habet etiam ſua effecta, videl. applicationem juſtitiæ partæ & executionem juris acquiſiti. Chriſto mortuo licebat iis, pro quibus erat mortuus, redire ad Deum, eumque verâ filiali fiducia tanquam Patrem amplecti, & ſe vera gratitudine ad eum convertere, ſed non poterant. Erant enim mortui in peccatis, impliciti laqueis Diaboli, ut non magis poſſent ad Deum redire, quàm mortuus ſurgere. Ideò Deus Chriſtum exaltavit, eique dedit poteſtatem Spiritum S. effundendi, ut, &c. Hoc illud ad Rom. 4. ult. Suſcitatus propter juſtificationem noſtram. Itaque

1. In Chriſto non tantùm quæramus vim ſatisfactionis, ſed etiam vim regenerationis. Sicut enim illa eſt effectus exinanitionis, ita hæc exaltationis, & abnegant exaltationem Chriſti, qui negant efficacem gratiam applicationis & regenerationis, & fidem ex libero arbitrio hominis derivant. Chriſtus ſuis electis non tantùm factus eſt redemptio, ſed etiam ſanctificatio 1. Cor. 1. 30.

2. Sit ſolatio iis, qui ſciunt Chriſtum pro ſe mortuum eſſe. Nam pro quibus mortuus eſt, in eos etiam effundet Spiritum S. nec ſinet vim ſanguinis ſui in iis perire. Non poſſunt ſeparari duæ partes officii mediatorii, exinanitio ſcilicet & exaltatio.

V. Demonſtratio adſcenſionis Chriſti, petitur ex Pſal. 110. ut abundè pateat in Chriſto impleta eſſe omnia quæ de Meſſia erant prædicta. Proponitur hoc teſtimonium cum aliqua oppoſitione, q. dicat, David non adſcendit ad cœlum, & tamen loquitur de aliqua adſcenſione cum dicit Pſalm. 110. Dixit Dominus Domino meo, &c.

1. *David non adſcendit ad cœlos.* Annon hinc ſequitur, vel Patres non habuiſſe promiſſionem vitæ æternæ, ſed tantum temporalem Canaan, & poſtea cum corpore & anima interiiſſe, vel ſaltem animam Patrum non veniſſe in cœlos, ſed in limbo vel ſuburbio inferni manſiſſe uſque ad adventum Chriſti? *Reſp.* Loquitur de adſcenſione ſecundum corpus, quam probat ex ſepulchro Davidis factam non eſſe. Alioquin quò anima Davidis vaſerit, patet ex Pſal. 31. 6. Pſal. 42. 3. Pſal. 43. 3. 4. Etſi enim in his Pſalmis David in exilio ſuo deſideraviſſe putatur ingreſſum in tabernaculum, tamen hoc tum typus erat cœli, & præcipuè cœlum deſiderat, nec terminatur deſiderium ejus in tabernaculo terreſtri.

2. *Dixit Dominus Domino meo.* Super hæc verba Chriſtus movet quæſtionem, Matth. 22. v. 41. 42. ad quam facilè reſpondetur ſecundùm diſtinctionem monſtratam, Rom. 1. 3. 4. & 9. 5.

3. *Sed ad dextram meam.* Adſcenſio ad cœlos & ſeſſio ad dextram Dei ſunt duo diverſi articuli fidei. Prius notat localem tranſlationem humanæ naturæ Chriſti à terra in cœlos, unà cum depoſitione exinanitionis, & indutione gloriæ cœleſtis, quam nobiſcum Chriſtus communem habet, etſi gradu majorem. Alterum notat eam partem officii mediatorii, quâ Chriſtus fungitur in cœlo. Chriſtus non tantùm in terris fuit mediator, ſed eodem officio fungitur etiamnum, & fungetur uſque ad finem mundi, ſed aliter functus eſt in terra, aliter fungitur in cœlo. In terris in miniſterio, Matth. 20. 28. in cœlis autem in Dominio. Et hoc dominium exprimitur per hanc phraſin, ſedere ad dextram Dei, ſede ad dextram, i. e. recipe auctoritatem & domi-

nium

nium colligendi & gubernandi ac defendendi Eccleſiam, quam exinanitione tua acquiſiviſti.

4. Et quandiu hoc dominium Chriſti durabit? *Donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum;* i. e. donec omnes Eccleſiæ hoſtes ita contrivero, ut nemo ſit qui Regnum tuum amplius oppugnet. Tum Chriſtus dominium ſeu regnum ſuum deponet & Patri tradet, 1. Cor. 15.

Objeƈt. Annon Chriſtus ſemper erit Rex Eccleſiæ, Eſa. 9. v. 6. Luc. 1. 33. *Reſp.* In eminentia regia duo diverſa ſunt conſideranda: 1. Regia cura, quâ Rex ſubditos colligit, ad obedientiam adigit, & contra hoſtes defendit. 2. Regius honor, quem Rex à ſubditis recipit. Chriſtus erit Rex in æternum, quia ſemper honorabitur & adorabitur ut Rex & mediator. Deponet tamen Regnum, quia deponet curam adminiſtrationis. Electis enim plenè converſis & ſanctificatis; hoſtibuſque penitus deſtructis, hoc regnum iſta curâ adminiſtrationis non amplius indigebit. Magnum ſolatium pro Eccleſia, quod veniet aliquandò tempus, cum Eccleſia non tantùm non vincetur ab hoſtibus, ſed ne hoſtes quidem ullos habebit. Nam tum hoſtes non tantùm erunt ita ligati, ut oppugnare non poſſint, ſed etiam ita convicti, ut ſe ipſos accuſaturi ſint, quod unquam Eccleſiam oppugnaverint. Vide lib. Sapientiæ c. 5. v. 1. 2. 3. &c.

Hactenus hiſtorica relatio brevis omnium eorum quæ ad cognitionem Chriſti pertinent, quam Petrus ſubſternit pro fundamento, cui ſequentem concluſionem ſuperſtruat: *Sciat igitur tota domus* [illegible] q. dicat, Deus igitur hoc ipſo tempore, quo J[illegible] Nazarenus à vobis, vel inter vos crucifixus, mortuus & ſepultus eſt, voluit effundere hæc mi[illegible] dona Spiritûs S. ut ex iis tota domus Iſraël cog[illegible]ſcat Jeſum, quem crucifixiſtis, non eſſe ſubla[illegible] medio, ſed exaltatum & factum Dominum ac [illegible]. Prædicant Evangelium ſoli Domui [illegible] myſterium de vocatione gentium non-du[illegible]nt. His verbis continetur ſumma totius E[illegible]lii, totius N. T. & omnium Actorum A[illegible]m Hoc enim unum egerunt, ut oſtenderent [illegible]um Nazarenum à Judæis crucifixum, eſſe illu[illegible]um & Meſſiam, quem Deus Patribus in V. T. [illegible]iſerat, & ut homines ad hunc Chri[illegible] agnoſcendum & recipiendum adigerent.

Hoc Thema

1 A[illegible] directè à quibuſdam negatur ut faciunt [illegible] Ethnici, Turcæ.

2. Aut indirectè per falſa dogmata circa Chriſti perſonam & officium evertitur, ut faciunt hæretici, quorum alius negat divinitatem, alius humanitatem, alius veram naturarum unionem, alius ſatisfactionem, vel ullam eſſe factam, vel ita perfectam, ut noſtra ſatisfactione non ſit opus, alius efficaciam ſacrificii Chriſti, quaſi non ſit ita efficax, ut ullos homines ad ſalutem certò adducat, ſed omnis ejus efficacia pendeat à libero hominis arbitrio. Mittamus omnes iſtos errores, & firmiter teneamus Jeſum Nazarenum eſſe illum Dominum in V. T. promiſſum, qui peractis omnibus Mediatorii officii partibus nobis factus eſt perfecta ſapientia, juſtificatio, ſanctificatio & redemptio, eumque nobis applicemus verâ fide, quæ per caritatem ſit efficax: Sic finita eſt tertia Pars principalis hujus Apologiæ Apoſtolicæ, ſcilicet informatio vel Inſtructio. Sequitur pars quarta, videl. directio, ſeu conſilii ſuppeditatio.

Act. 2. v. 37.

Concio XXIV.

De quarta parte hujus Apologiæ Apoſtolicæ tria ſunt conſideranda:

1. Occaſio hujus directionis v. 37,

2. Directio ipſa, ſeu conſilium ipſum verſ. 38. 39. 40.

3. Effectus ſeu fructus hujus conſilii, à v. 41. ad finem capitis.

Quarta pars apologiæ non continua oratione prioribus annectitur, ſed interveniente occaſione elicitur. Occaſio eſt commotio auditorum per tres priores apologiæ partes effecta. Cum enim has tres partes audiviſſent, per eas ita compuncti ſunt corde, ut Petrum & cæteros Apoſtolos interrogaverint, quid faciendum ſit, atque ita occaſionem Petro dederint, prioribus tribus apologiæ partibus addendi quartam, videl. directionem & conſilii ſuppeditationem. Tria autem ſunt, quæ de hac commotione veniunt conſideranda.

1. Cauſa per quam hæc commotio effecta eſt. *Cum hoc audiſſent.*

2. Commotio ipſa: *Compuncti ſunt corde.*

3. Effectum hujus commotionis. Efficit hæc compunctio iſtam ſollicitudinem, ut ad Petrum & cæteros Apoſtolos dicerent: *Viri fratres, quid faciemus?*

De Primo.

Cum hoc audiſſent. Quidnam? Quod Petrus dixerat. Quid autem dixerat? Quod iude à v. 14. explicavimus. Iſtam patheticam præfationem, iſtam efficacem refutationem, iſtam clariſſimam informationem, quibus omnibus hoc egit Apoſtolus, ut Judæis oſtenderet qualis & quantus vir eſſet ille Jeſus Nazarenus, quem recens crucifixerant, & quantum eſſet peccatum, quod contra hunc virum commiſerant. Multa erant in iſta concione Petri ex quibus poterant intelligere, quantum peccatum commiſerant crucifigendo Chriſtum, & illudendo Apoſtolis per Spiritum S. loquentibus. e. g.

1. Quod eam rem blaſphement, & eum virum crucifixerint, de quibus tam multum Scriptura prædixerit, ut pateat ex Prophetia Joëlis, q. d. Audite viri: Sicut fuit prædictio Scripturæ, ita longa ſpes & exſpectatio Patrum, fore ut Deus mitteret redemptionem Iſraëlis, in quo effunderet Spiritum S. ſuper omnem carnem. Jam venit ille dies. Miſit Filium & effundit Spiritum. Quid autem vos? Illum crucifixiſtis, hunc blaſphematis, & dona ejus pro ebrietate traducitis. Quod Patres tam diu exſpectarunt, & tanto cum deſiderio deſiderarunt, id vos videntes tam malè excipitis.

2. Quod ſit peccatum contra conſcientiam: Vos enim ſcitis quid & qualia Deus per eum patraverit, v. 22. Scitis ex Pſalm. 16. & 110. quod verus Meſſias debeat mori, reſurgere, adſcendere. Nunc cum hæc omnia in Jeſu Nazareno videtis compleri, eum crucifixiſtis, & etiamnum blaſphematis, cum videtis ab eo venire hoc miraculum, quod nulla manus humana poteſt efficere.

3. Quod ſit peccatum contra tantam perſonam. Eum quem Deus demonſtravit eſſe ſuum filium, quem evexit & ad dextram ſuam collocavit, cui omnem poteſtatem dedit in cœlo & in terra, Domino gloriæ, eum vos crucifixiſtis. Cogitate quid hoc ſit.

En hæc aculeata illa concio Petri, quæ quod cor Judæorum compunxerit, nihil mirum. Cum hoc audirent, vel audiſſent. Aoriſtus enim ſignificat aliquid medium inter tempus præteritum & præſens, q. dicat, cum hæc vox Petri in auribus ſonaret, cum has cogitationes circumferre ſit: Ego Dominum gloriæ crucifixi, ego innocentem ſanguinem effudi, ego particeps hujus iniqui ſceleris, cum hoc audiſſent, cum hoc etiamnum ſonaret in auribus, cum hoc meditarentur & penſitarent, tum compungebantur. Hinc doctrina: Accurata & acris propoſitio, exaggeratio & meditatio peccati, ſecundum omnia accidentia & circumſtantias eſt verum medium contritionis & humiliationis, quæ Deo grata & homini peccatori neceſſaria eſt. Vult Deus ut peccatores, in quibus ille debet habitare, habeant cor & Spiritum fractum & contritum. At quomodo frangi & conteri poteſt cor hominis illæſo corpore? Per anunciationem & meditationem peccatorum. Per fores aurium inſonanda ſunt peccata. Hanc propoſitionem hac vice nonnihil explicabimus, probabimus, & applicabimus. Scitis quo fine convenerimus ſcil. ut nos præparemus ad ſacram cœnam. At quid magis ad hanc præparationem requiritur, quàm contritio & humiliatio cordis? Hæc enim accendit famem & ſitim, quâ cum accedendum eſt ad hanc menſam.

Explicatio Thematis.

1. Per meditationem peccatorum non intelligo ſimplicem narrationem, notitiam & aſſenſum, quod ſimus peccatores, ſicut ſolent homines in iſta confuſa peccatorum ſuorum notitia acquieſcere, ſed intelligo exquiſitam ponderationem & meditationem, quâ inquiritur in peccati longitudinem, latitudinem, profunditatem, multitudinem, turpitudinem; quantum, quàm certam, quàm inevitabilem, quàm juſtam pœnam mea mihi peccata ſunt attractura. Sic David Pſal. 51. 5. & Pſal. 119. 59. dicat, conſidero & cum lege tua comparo.

2. Hæc meditatio eſt medium contritionis & veræ humiliationis. Non cauſa principalis, quaſi homo ſua morali meditatione poſſit cor ſuum conterere, ſed eſt inſtrumentum, culter & gladius, per quod Deus conterit & humiliat cor. Homines ſunt, qui peccata noſtra nobis proponunt, homines ſua quiſque peccata debent meditari; ſed ſicut culter non ſcindit, & gladius non findit atque ferit, niſi manu aliqua geratur & gubernetur, ita peccatorum propoſitio & meditatio non conterit cor, niſi Deus per iſtam meditationem operetur. Deus cor Lydiæ aperuit Act. 16. Vide Ioh. 6. 44. Pſal. 38. 2. 3. Dei manu & Dei jaculis conterimur & compungimur. Interim tamen accurata meditatio peccati eſt illud medium, quod adhibere nos debemus, ut cor noſtrum conteratur, liquefiat & humilietur.

Probatio: Hæc cauſa eſt cur Deus legem curat nobis prædicari. Lux non poteſt monſtrare viam

ad

ad vitam peccatoribus. Et tamen peccatoribus prædicatur. quare? ut ſit gladius vulnerans Hebr. 4. Hinc dicitur occidere & condemnare, 2. Cor. 3. i. e. cor ſenſibile reddere & convincere de condemnatione & morte, atque ita terrere & humiliare. David per meditationem alienorum peccatorum humilis factus eſt. Vide Pſalm. 119. 136. 2. Petr. 3. 8. Quod ſi alieni peccati meditatio poteſt vulnerare noſtrum cor, quantò magis proprii. Et eſt res in rationibus fundata. Nam

I. Non eſt periculum, ſed apprehenſio & meditatio periculi, quæ cor afficit, terret, frangit & humiliat. Etiamſi quis jaceat in extremo pontis pronus labendi in flumen, etſi quis habeat gladium ſtrictum pilo equino capiti impendentem, tamen ſi non videat & apprehendat, non afficitur nec movetur hoc periculo. Sic etſi ſumus in peccato, tamen ſi neſcimus, nec apprehendimus qualia, quanta, & quàm periculoſa ſint noſtra peccata, non humiliamur. Applica illud Rom. 7. 9. Quamdiu peccatum non nôſſem nec ſatis apprehenderem, vivebam, i. e. ſecurus eram, nec ullo terrore tactus, ſed cum per legem meditarer mea peccata, moriebar, i. e. convincebar, me mortis reum eſſe, & ita terrebar, ac ſi præſentiſſima mors me obrueret.

II. Quia meditatio ad hoc neceſſaria eſt, ut retundantur exceptiones carnis, quibus illa periculum, quod ſubinde apprehendimus, nititur extenuare. Etſi aliquis ſtatum rerum, quæ gerunt, nobis verè & accuratè deſcribat, tamen ſi in via intercipiantur & falſificentur literæ, non movet nos periculum. Sic etſi intellectus noſter, verbo Dei informatus, eſt tabellarius, qui nobis nunciat quod ſimus in periculo maledictionis, &c. tamen Satan & caro habent ſuos emiſſarios, ſua ſophiſmata, quibus iſtud nuncium intercipitur, ſeu vis iſtius nuncii frangitur, ne verè afficiat, e. g. Periculum non eſſe tantum, Deum eſſe propitium, Chriſtum mortuum. Quod ſi non ſatis meditamur quibus & quo modo Deus ſit propitius, &c. etiam apprehenſo periculo parum movemur.

Object. Quid poteſt prodeſſe meditatio ad cor frangendum & molliendum. Conſideratio, argumentatio, meditatio, ratiocinatio poteſt movere cor molle & flexile, ſed cor durum, quale homines naturaliter habent, velle meditationibus frangere, idem eſt ac ſi ferrum cultro ſcindere, & hominem mortuum argumentis tractare & movere velles.

Reſp. 1. Meditatio, argumentatio & ratiocinatio eſt proprium & naturale ac homogeneum medium tractandi, flectendi & regendi hominem qui cum ratione, judicio & arbitrio conditus eſt. Etſi autem judicium & arbitrium & voluntas hominis per peccatum indurata eſt, verbum tamen morale manet naturale medium cor hominis flectendi, & à Deo rectè adhibetur. Gladius eſt naturale medium vulnerandi corpus carneum. Sed ſi corpus carneum vertatur in ſaxum aut ferrum, gladius quidem ſua naturâ vulnerare illud corpus non poterit, ſed poterit tamen ſi geratur omnipotenti manu Dei, ſic &c. Quod peccatum impedit, potentia Dei poteſt ſuperare.

2. Non præſupponimus, quod nobis res ſit cum hominibus mortuis in peccato, cum nos ad cœnam præparamus, ſed ſupponimus vos jam tum eſſe compunctos, liquefactos, fractos. Nos jam ideò meditationem peccati urgemus, ut vulnus dudum inflictum refricetur, & actualem dolorem & ſenſum miſeriæ vobis præbeat, quo ducamini ad ſerium appetitum cibi cras proponendi.

Applicatio:

Amate igitur & ferte tales concionatores, qui quærunt veſtras animas vulnerare. Multi homines malunt merum Euangelium, ſed non prodeſt. Vulneratio cordis requiritur, Ezech. 16. 1. Oſeæ. 2. 2. Tit. 1. 3.

Jam præcipuè meditamini veſtra peccata, cum vos præparatis ad cœnam. Semper tempus eſt meditandi, ſed præcipuè nunc. Meditamini & penſitate.

I. Multitudinem peccatorum. Cogitate hoc. Objectivè. Nullum eſt præceptum neque in Lege, neque in Euangelio, quod non violâritis. Etſi enim à multis peccatis actualibus liberi ſitis, tamen nullum eſt peccatum, ad quod non ſæpiſſimè tentemini per cupiditatem propriam, & in quod non incideretis facillimo negotio, niſi divinitus præſervemini. Adeò ut non immeritò queramini de peccatis ſine numero, quæ ſuperent crines capitis & arenam littoris. Subjectivè. Nihil boni in nobis habitat, nihil ſanum à vertice uſque ad calcem Eſa. 1. totus Spiritus, anima & corpus, 1. Theſſ. 5. & intellectus & conſcientia, Tit. 1. 15. & quicquid in nobis eſt, etiam juſtitiæ noſtræ maculatæ ſunt. Eſa. 43.

II. Gravitatem peccatorum. Homines putant, Deum non magni æſtimare noſtra peccata, ſed eſſe ſicut parentes erga filios. Parentes quidem ſubinde irritantur peccatis liberorum, ſed hoc imbecillita-

tis eſt. Cum ad ſe redeunt, cogitant eſſe infantilia, & non curant. Sic putant Deum non magnopere curare noſtra peccata. Sed quæſo, te:

1. Quod nos hominum peccata tantopere non curamus, nil eſt mirum. Non ſumus ita puris oculis, ut nullo modo poſſimus videre peccata, ſicut Deus eſt, Hab. 1. 13

2. Deus nos non amplius æſtimat & tractat ut infantes, poſtquam dedit rationem & intellectum, præſertim poſtquam dedit Euangelium,& tot judiciis ac beneficiis nos abſterret ac invitat.

3. Si vis ſcire quanti Deus æſtimet peccata noſtra, inſpice modò pœnas & plagas, quibus viſitare ſolet homines. Cogita 1. quam terribiles plagæ corporis & animæ homines ſæpe obruant in hac vita,& præſertim quid ſit exſpectandum in inferno. 2. Si Deus tam parvi æſtimat peccata, qui fit quod etiam parvulos infantes, immunes à magnis actualibus peccatis, tam gravi cruciatu ſæpe è medio tollit, & communibus judiciis implicat. 3. Si tam parvi æſtimat, cur peccata electorum in filio unigenito tam graviter punivit? 4. Si tam parvi æſtimat qui fit quod parva peccata ſæpè tam magnis pœnis caſtigat? Adamum ob pomi manducationem occidit, Uzam ob tactum arcæ, Ananiam ob mendacium, Zachariam ob incredulitatem, &c. Deus ſæpè magna peccata ſinit impunita, & parva præſentiſſimè punit, quo fine? Ut dediſcamus iſtam excuſationem, à parvitate peccati deſumptam. Deus nullum peccatum parvi æſtimat, ſed punit omnes, qui non manent in omni verbo legis, & etiam de quovis inutili verbo rationem exigit. Peccata parva mater ſæpe ſunt magnorum peccatorum, & avia magnarum pœnarum. Magna peccata quæ homines committunt, plerumque ſunt pœnæ, in quas Deus eos ſivit incidere, propterea quod de parvis peccatis luſum fecerunt.

III. Pœnarum infernalium, quæ omnes inconverſos manent, intolerabilem magnitudinem. Cogita quàm grave ſit incidere in manus Domini! Si cogitarent homines quantopere iratus ſit Deus, plus ſibi metuerent Pſal. 90. 11. Sed jam multi ſunt, qui putant ſe fortitudine ſuperaturos pœnas. Si ſim reprobus, inquiunt, ſim reprobus, ſi non poſſum effugere, feram ut poſſum,& cum non amplius poſſum, annihilabor. Sed heus, cor durum, conſidera quæſo:

1. Qualis ſit ſtatus eorum, qui modò in hac vita guttulam aliquam divinæ iræ in conſcientiis ſentiunt. Nonne ſunt tam impatientes,ut rugiant ſicut leones, ut nec die nec nocte quieſcant? Quid igitur de te fiet, cum præcipitaberis in ipſam abyſſum triſtitiæ.

2. Cogita, quàm impatiens ſis, ſi modò aliquem morbum habeas in corpore, ſi æſtuantem febrim, &c.

3. Si creaturarum vires & ſagittas ferre non potes, quid ferres terrores altiſſimi? Si omnes morbi, omnes Diaboli, omnes creaturæ vires ſuas conferrent ad te affligendum, an poſſes ferre? Quid igitur feres, ſi manus Dei te tanget?

4. Si Chriſtus tantopere queſtus eſt in ſuis paſſionibus, qui tamen verus Deus & in fide ac patientia perfectus fuit, quid tu, quid tu non facies?

5. Non annihilaberis, ſed manus Dei te conſervabit etiam in inferno, ut quod meritus es, ſentire poſſis.

Si hoc colore peccata veſtra vobis propoſueritis, ſpes eſt, fore, ut liqueſcant corda veſtra. Non dicuntur hæc, ut contriti & infirmi fideles in dubitationes agantur, & deſperationis ipſis monſtretur via, ſed ut nemo in neglectu & ἀναισθησίᾳ ac parva æſtimatione peccatorum pereat, ſed omnes ſeſe ad ſanam converſionem accingant. Vivimus temporibus quibus divina ira horrendum in modum ex cœlo revelatur ſuper omnem injuſtitiam hominum, quibuſque lex clarè inter nos prædicatur, & tamen homines adeò duri ſunt, ut in his calamitatibus læti ſaltent, & in peccatis pergant. Etiam inter eos, qui ad cœnam accedere ſolent, multi ſunt, qui putant contactu ſacri panis omnia peccata facilè tolli, ſicut in Papatu per Miſſam. Id ne fiat, cogitare quid ſit peccatum non mortificatum. Quod autem ad eos attinet, qui ſunt contriti & eſurientes, iis ſit hæc concio calcar, ut non in ſe ipſis ſalutem quærant, ſed ad Chriſtum eant,&c.

Actor. 2. v. 37.

CONCIO XXV.

HActenus cauſa iſtius commotionis in auditoribus, quæ Petro occaſionem dedit addendi quartam partem ſuæ apologeticæ concionis, videl. directionem ſeu conſilium. Sequitur commotio ipſa & ejus effectus. Commotio ipſa: *Compuncti ſunt corde*. Alii: turbati ſunt corde, territi ſunt corde.

1. Erat compunctio, turbatio, terror, concuſſio, qualis ſolet eſſe, cum fulgur ſubitum nos circum-

cumfulget, ut Paulum Actor. 9. Lux quædam & ſplendor quidam ſubitus eos circumfulſit, qui ipſos terruit, non quod ipſa lux eſſet terribilis, ſed quia ipſis detegebat turpitudinem & miſeriam eorum, quæ viſa terrebant. Si quis ſit in cubiculo, quod plenum ſpectris eſt, ſed obſcurum ac tenebroſum, ut nihil videatur, non terrebitur. Sed ſi quæ lux inferatur, ſubitò terrebitur, non quia lux eſt terribilis, ſed quia lux detegit horribilia illa ſpectra, quorum viſio terret. Sic hic lux quædam ſubito affulſit, & conſcientias illuminavit, ut abominabile ſuum peccatum videntes viſu peccati terrerentur.

2. Erat compunctio ipſius cordis. Non erat motus aliquis tranſiens, ſed erat compunctio quæ faciebat vulnus in corde. Terremur ſæpe hac vel illâ re, ſed deſinente objecto deſinit terror. Verùm hic terror quidam habitualis & permanens cordi imprimitur, per quem cor quaſi liqueſcit & molleſcit. Cor hominis naturâ durum eſt, Eſa. 48. v. 4. Jerem. 6. 28. idque tum per naturalem & agnatam corruptionem, tum per vim conſuetudinis, unde fit, ut plenus peccatis peccatorem ſe non agnoſcat. Sed per hanc compunctionem cor ita movetur, ut mutetur in cor molle, ut conteratur, vulneretur, liqueſcat, & perpetuum ſenſum miſeriæ ſuæ concipiat. Porrigit itaque nobis hic textus hanc doctrinam:

Regeneratio hominis incipit à tali terrore, per quem cor ſeu anima hominis ita compungitur, conteritur, vulneratur, frangitur, aratur, liqueſcit, ut imbuatur vivo & acri ſenſu miſeriæ ſuæ. Non eſt compunctio & fractio ac contritio corporalis, qualis ſolet eſſe lapidum, ſed ſpiritualis, quæ conſiſtit in ſublatione ἀναισθησίας ac pertinaciæ, & in implantatione ſenſus dolorifici ex miſeria in qua ſumus.

Probatur hæc doctrina: Adámum converſurus Deus terruit magna voce, Gen. 3. 2. Iſraëlitas converſurus terribili legis latione terruit, Exod. 19. Miniſtris Euangelii ferulam dedit, 1. Cor. 4. v. 21. & gladium ancipitem, Hebr. 4. 12. Sic hos Judæos converſurus compunxit, Act. 2. 37. Paulum converſurus ſubito fulgore conſternavit, Actor. 9. Sic Commentarienſem Actor. 16. Lydiæ cor aperuit & quaſi perforavit, Actor. 16. Requirit cor fractum, Pſalm. 51. & paſſim clamat ſe non habitaturum niſi in ſpiritu contrito Eſa. 57. Jubet cor arare Jer. 4. ſcindere Joël. 2. Laudat Joſiam ob cor liquefactum 2. Chronic. 34.

Rationes cur regeneratio à tali contritione incipiat, ſunt hæ:

I. Quia non poteſt alioquin recipere ſemen Euangelii, ex quo creſcat fides & converſionis fructus. Si ſemen ſpargitur in callem tritum & agrum non aratum, ferre fructus non poteſt. Luc. 8. 12. Sic ſi verbum Euangelii ſeritur in cor non contritum, vel à Diabolo rapitur, vel radices agere non poteſt.

II. Quia cor non poteſt rectificari, ſeu reſtitui & reduci ad conformitatem cum lege primigeneam, à qua receſſit, niſi prius frangatur & liquefiat. Sicut chirurgus non poteſt reſtituere pedem luxatum, & in luxatione induratum, niſi prius mollefaciat, ſicut vaſa ſtannea non poſſunt ab incurvatione reſtitui niſi liquefacta, ſicut faber tractare ferrum non poteſt niſi calefactum, ita ſine tali ſpirituali liquefactione cordis, cor noſtrum rectificari, per verbum flecti, & ad conformitatem cum lege reduci non poteſt. Nec poſſunt eradicari impuræ libidines ex corde, niſi cor molleſcat & liquefiat. Sicut ex tellure per æſtum vel frigus indurata difficulter eradicatur lolium, ita ex corde non mollefacto peccatum.

III. Quia per hanc compunctionem efficitur in nobis iſta filialis ſollicitudo, quâ opus habemus in hac periculoſa vita ad cautam & prudentem converſionem. Quantumvis ſol luceat clariſſimè, tamen ſi lux non ſit in pupilla oculi, nulla fit viſio. Sic quantumvis nos circumfulgeant radii verbi, beneficiorum, judiciorum, miraculorum divinorum, niſi intus in corde ſit ſenſus quidam vitalis, nulla fit commotio. Curabat Rex Ethnicus ſibi per puerum ſingulis diebus acclamari, *Memento mori*. Sed hæc acclamatio non facit recordationem veram & ſeriam mortalitatis, niſi Deus nobis implantet ſenſum mortalitatis, per quam animum applicemus ad ſapientiam Pſal. 90. v. 12. ut ita proprii renes nos caſtigent Pſal. 16. Qui calculum habet in renibus, hoc calculo efficitur cautus in vita tota & in diæta, ne in morbum veniat. Sic qui hoc internum calcar, hoc vulnus, hunc ſtimulum in corde gerit, cum tremore & timore ſalutem ſuam operatur & peccata cavet.

IV. Quia ſine hac contritione & ſine hoc ſenſu ac perpetuò implantata recordatione miſeriæ noſtræ non poteſt eſſe in nobis ſanum deſiderium gratiæ, nec vera gratitudo pro gratia. Sicut qui non eſurit, ei cibus non ſapit. Sicut Ægyptiaca ſervitus Iſraëlitis immiſſa eo fine, ut tanto melius de-

ſiderarent Canaan, ſic hæc contritio & triſtitia cordi infligitur, ut accendatur appetitus & digna æſtimatio gratiæ Chriſti. Expetebant Ægyptum in deſerto, Num. 11. 5. Quid futurum fuiſſet, ſi ſervitutem experti non eſſent? Sicut Iſraelitis dabatur ideò illa externa operoſa & moleſta Lex ceremoniarum, ut ejus tædio in Iſraëlitis accenderetur deſiderium gratiæ Chriſti Gal. 3. 24. Ita eodem fine nobis in N. T. datur contritio illa cordis.

Object. 1. Hic terror non convenit cum ſtatu Chriſtianorum, qui non recipiunt Spiritum ſervitutis ad metum Rom. 8. v. 15. 2. Tim. 1. 7. qui non ſunt amplius ſub pædagogia Legis, Gal. 4. ſed ſunt ſub gratia, & vocati ad hoc, ut perpetuò gaudeant in Deo ſalutis ſuæ. *Reſp.* Hoc non ita intelligendum, quaſi fideles in V. T. ſolummodò habuerint Spiritum ſervitutis ad metum, & fideles in N. T. ſolummodò habeant Spiritum adoptionis ad conſolationem & lætitiam. Nam fideles V. T. etiam habuerunt gaudium & ſolatium, Pſal. 27. 13. & 33. 1. Rom. 9. 4. & fideles N. T. etiam habent terrorem & triſtitiam ſpiritualem. 2. Cor. 5. 11. Sed hoc ita intelligendum, quod fideles V. T. majori gradu habeant Spiritum ſervitutis, fideles autem N. T. majori gradu habeant Spiritum ingenuitatis & adoptionis. Sicut adoleſcentes liberalius & magis ingenuè habentur, quàm pueri, qui virgis magis obnoxii ſunt, & tamen nec pueri ſunt extra omnem diſciplinam, nec adoleſcentes extra omnem paterni amoris demonſtrationem, ita fideles N. T. liberalius habentur à Deo quàm fideles V. T. nec tamen ideo vel illi ſine triſtitia contritionis ſunt, nec hi ſine lætitia adoptionis fuerunt. Vide Galat. 4. v. 1. 2. &c.

Object. 2. Plurimi fidelium ajunt ſe nunquam ſenſiſſe hanc compunctionem. *Reſp.* Vide Fundamenta Sanctitat. in Rom. 8. v. 15. pag. 243. Multi ſentiunt ſe vulneratos, qui non ſenſerunt ſe vulnerari. Probandum eſt an habeas effecta hujus contritionis & liquefactionis, ſcil. cor flexile, quod verbo Dei facilè movetur & ducitur ad bonum.

Object. 3. Impii etiam terrentur. Sic Iudas Matth. 27. 4. Sic Felix Act. 24. 35. Quid igitur differentiæ? *Reſp.* Id patet ex tertia parte verſiculi, ubi hi auditores compuncti ad Petrum & cæteros Apoſtolos confugiunt, & humiliter conſilium petunt: *Viri fratres, quid faciemus?* Cain & Iudas territi deſperabant, Felicis terror erat ſuperficialis, & ſtatim tranſibat, ſed terror fidelium eſt permanens, ipſi cordi inflictus, & in cor penetrans, & tamen non adigit ad deſperationem, ſed adigit ad quærendum conſilium. Terror infidelium eſt frænum, quo à Deo retrahuntur, terror fidelium eſt calcar, quo ad Deum compelluntur. Vt conſilium petant contra ſuam miſeriam. Terror infidelium adimit omnem amorem Dei, ac omne deſiderium Dei, ſed fidelium terror tantùm accendit pœnitentiam, pudorum & indignationem contra ſeipſum ob offenſionem tam boni Dei, & deſiderium ac ſtudium quærendæ reconciliationis. In verbis multa ſe produnt, quæ cor filiale arguunt.

1. Vera abnegatio ſui ipſius, q. dicant: Neſcimus quid faciendum ſit. Sumus expertes conſilii. Stamus convicti, quod perditi ſimus & liberare à perditione nos ipſos non poſſimus. Nam ſi ipſi conſilium ſciviſſent, conſilium apud alios non quæſiviſſent.

2. Vera ſollicitudo. Senſum miſeriæ non vertunt in ignavam deſperationem, ſicut Cain & Iudas, ſed in diligentem inquiſitionem conſilii. Erant conſilii expertes, ſed erant tamen conſilii cupidi: Quid faciemus? Parati ſumus ad faciendum quicquid monſtrabitis. Indicate modò conſilium.

3. Vera humiliatio, pœnitentia & pudor de peccatis. Hæc ſe manifeſtant in amicabili illa compellatione: Viri fratres. Si eadem mente fuiſſent erga peccatum affecti, quâ antea fuerant, tum certè Apoſtolos, qui eos propter peccata tantopere reprehenderant, odiſſent tanquam hoſtes, nec habuiſſent pro fratribus & medicis à quibus conſilium peterent. Dum autem hoc faciunt, hoc ipſo fatentur, ſe rectè reprehenſos, malè feciſſe, & de factis pœnitere. Atque hæc ſunt illa tria, quibus terror fidelium differt à terrore infidelium, præterquam quod in fidelibus etiam ſupervenit ipſa fides, quæ in infidelibus non eſt. Duo hinc diſcamus:

1. Refutationem eorum, qui carnaliter ſecuri tamen gloriantur de regeneratione & certitudine ſalutis. Si non es ita territus & contritus, ut teipſum & omnes tuas vires abneges, conſilium Euangelii ſollicitè quæras apud eos, quibus illud commiſſum eſt, & ad ejus exequutionem ſis paratus, vana eſt omnis tua gloriatio.

2. Conſolationem eorum, qui contritione cordis gravati, ex ea concludunt ſe eſſe alienos à ſalute. Immò eſt primus gradus ad ſalutem. Iam vocatus es ad conſilium Euangelii recipiendum. Recipe igitur.

3. Ne te tædeat eſſe contriti cordis. Eſt quidem moleſtum. Sed vide quæ merces. Deus non contemnet, Pſalm.51.19. Beati qui tales ſunt Matth.5.3.4. recreabuntur, Matth.11.ult.

Actor. 2. v. 38.

Concio XXVI.

Hactenus occaſio conſilii, ſequitur conſilium ipſum, ſeu ipſa directio, in qua habemus

1. Rem quam ſuadet,

2. Argumenta quibus ſuadet.

Suadet autem duo,

1. Pœnitentiam,

2. Baptiſmum in nomine Chriſti ad remiſſionem peccatorum.

Primò omnium requirit *μετάνοιαν*. Hic duo quæruntur,

I. Quid per *μετάνοιαν* intelligatur? *Reſp.* Non propriè intelligit pœnitentiam, dolorem & triſtitiam de peccato, contritionem, terrorem, humiliationem, &c. Nam hoc præcedenti verſu fuit expreſſum per vocem *κατενύγησαν*. Quid igitur intelligit? Mutationem animi & conſilii, quâ homo peccata, quibus antea delectabatur, incipit odiſſe, eorumque quadam nauſeâ affici. Sicut ſtomachus noſter corruptus cibos non ſalutares ſolet ſumma cum delectatione attrahere & deglutire, ſed deinde mole eorum preſſus, nauſeâ quadam eorundem ciborum capitur, quum eos geſtit evomere: ita anima corrupta injuſtitiam cum delectatione imbibit, ut aquam, Job. 15. 16. ſed Spiritu ſervitutis compuncta incipit peccata non tantùm ſentire, tanquam onus, ſed etiam nauſeâ eorum corripitur, & ſe exonerare nititur. Ezech. 6. 9. & 20. 43. & 36. 31. Pſalm.119.158. Hoc vult vox *μετάνοια*, quaſi dicas, tranſmentatio, ſeu mentis mutatio, converſio, tranſpoſitio. Et hic ſecundus gradus eſt veræ converſionis. Nauſea eſt ſpecies morbi, & non ceſſat antequam id quod ſtomachum onerat, ejiciatur. Quoniam autem peccatum non citius planè evomitur, antequam anima per mortem evometur, ideò fideles nunquam ſani ſunt in hoc mundo, ſed ſemel compuncti perpetuâ nauſeâ peccatorum in ſe habitantium ægrotant, ut apparet ex gemitibus Rom.7.24. Rom. 8. 22. 23. Pii qui ſibi ipſis attendunt, hac de re teſtimonium perhibere poſſunt. Eſt conatus ſeipſum purgandi & emendandi à peccatis, qui paſſim requiritur, Matth. 3. 1. 2. Luc. 3. 3.

II. Sed cur hoc requirit ante fidem, cum tamen ſit fructus fidei? Videtur enim eſſe tertia pars converſionis, quæ fidem ſequitur. Poſtquam enim credidimus nos per Chriſtum redemptos eſſe, hæc fiducia gratiæ operatur in nobis hunc ſenſum & hoc judicium, quod non ſimus debitores carnis, ut ſecundum carnem vivamus. Cur igitur hic ponitur ante fidem in Chriſtum? *Reſp.* Non eſt in opere converſionis tanta diſtinctio temporis, ut poſſimus accuratè dicere quid præcedat, quid ſequatur. Partim præcedit, partim ſequitur fidem. Nam Spiritus ſervitutis, qui fidem præcedit, & animam terret ac conterit, hanc nauſeam de peccato, ſeu hanc mutationem mentis erga peccatum incipit, quam deinde Spiritus regenerationis, qui nos per fidem Chriſto inſerit, nec non Spiritus hæreditatis, qui nos de amore Dei certos reddit, magis magiſque corroborat. Triplex enim Spiritus, ſeu tres gradus donorum ſpiritualium electis dantur.

1. Spiritus ſervitutis, quo anima conteritur, humiliatur, vulneratur & ſenſu miſeriæ oneratur, ut gratiam anhelet ac deſideret, ſitiat ac eſuriat. Rom. 8. 15.

2. Spiritus regenerationis, quo ex Deo gignimur, naturæ divinæ participes reddimur, & Chriſto unigenito Dei per fidem inſerimur, ut filii Dei fiamus. Hic Spiritus regenerationis Johan. 3. 5. quo ſimus filii ex Deo nati, & filii à Deo adoptati.

3. Spiritus adoptionis ſeu hæreditatis, quo de paterno Dei in nos amore certiores reddimur quod ſimus filii Dei, Rom.8. accendimurque filiali amore in Deum, quo clamamus Abba Pater, Eph.1.14. Gal. 4. 6. Rom. 8. 15. Per omnes haſce operationes Spiritus S. fit hæc mutatio cordis erga peccatum, nec eſt quod ſolliciti ſimus de ordine, quid præcedat, quid ſequatur, modò hinc diſcamus, quod *μεταμέλεια*, ſeu contritio ac pœnitentia de peccato, & *μετάνοια*, ſeu mutatio mentis erga peccatum, quâ homo ſe à peccato nititur purgare ac illud exonerare, ſemper ſint conjuncta, ſecus quàm multi putant, qui ſat habentes dixiſſe quod pœniteat, interea in praxi peccati pergunt: *μεταμελεῖται ϗ μετανοεῖται*. Non tantùm requiritur, ut de peccatis doleamus, ſed etiam ut peccata miſſa faciamus, Prov.28.v.13. Pſal.34.15. ut ea expurgemus, mortificemus, deponamus, crucifigamus, Eph.4.22. Gal. 5. 24. Coloſſ.3.9.

Poſt *μετάνοιαν* requirit baptiſmum in nomine Chriſti ad remiſſionem peccatorum. Quæritur hic:

Cum nil aliud requirat, quàm baptiſmum, annon etiam fides & alia ad ſalutem ſunt neceſſaria? *Reſp.* Eſt phraſis complicata, quæ duas diſtinctas res implicat & exigit. Eſt enim, quaſi dicat, credite in nomen Ieſu Chriſti ad remiſſionem peccatorum, & ex hac fide baptizamini, vel quaſi dicat, quærite remiſſionem peccatorum in nomine Ieſu Chriſti per verum uſum baptiſmi. Qua autem in re conſiſtit verus uſus baptiſmi? Ut recipiatur cum fide in Chriſtum, ſicut omnia Sacramenta cum fide debent recipi. Includitur igitur exactio fidei in Jeſum Chriſtum, ſed præter internam fidem etiam requiritur externa conjunctio cum Eccleſia per Sacramentum inſitionis. Nota

1. Non ſufficit ad ſalutem à peccatis ſe convertere, ſed etiam opus eſt remiſſionem peccatorum habere. Etſi peccata ſint mortificata, & tamen non remiſſa, morieris in peccatis tuis. Immò etſi fieri poſſet, ut penitus eſſent expurgata nec amplius ulla macula tibi inhæreret, tamen ſi reatus peccatorum expurgatorum non remitteretur, moriendum eſſet. Iuſtificatio & ſanctificatio non poſſunt ſeparari. Vide 1. Ioh. 5. 6. Venit cum aqua Spiritus ad ſanctificationem, & cum ſanguine expiationis ad juſtificationem. Et ratio quoque in promptu eſt. Nam juſtitiæ non ſatisfit per ſanctificationem & mortificationem peccati. Si quis ſemel furatus deſinit furari inpoſterum, per hoc non eſt liber à pœna, ita ſi quis peccator non peccet amplius, per hoc non eſt juſtificatus. Obſervanda hæc doctrina contra illos qui diſputationes de veritate doctrinæ Euangelicæ putant eſſe ſupervacaneas, nec quicquam aliud doceri debere, quàm ut homines ſe convertant, & ſanctè vivant. &c. Immò etiam docendum, quomodo à reatu peccatorum poſſint juſtificari Nam qui hoc non novit, nunquam ſanctificabitur, &, ſi ſanctificari poſſet, tamen moreretur & periret.

2. Nullum eſt medium aliud accipiendi remiſſionem peccatorum, quàm ut unuſquiſque baptizetur in nomine Chriſti ad remiſſionem peccatorum. Fruſtra eſt propriis ſatisfactionibus velle expiare, vel bonis operibus converſionis velle mereri remiſſionem peccatorum, vel ex mera miſericordia Dei remiſſionem ſperare ſine ſatisfactione. Baptiſmus in nomen Chriſti requiritur in unoquoque. Nota

α. Non poſſumus alter alterius loco remiſſionem peccatorum acquirere. In Papatu unus peccat, & alius pro peccatis iſtis ſatisfacit, eorumque remiſſionem meretur ac impetrat ſuis precibus, meritis, miſſis, ſatisfactionibus, &c. Fruſtra hoc. *Unuſquiſque* debet. Poſſumus quidem mutuis precibus nos juvare in acquirenda remiſſione peccatorum Iacob. 5. 15. Sed hoc non notat ſponſoriam unius pro altero interceſſionem & ſatisfactionem, ſed fraternam collaborationem in precibus. Iuſtus ſuâ fide vivet, Rom. 1. non alienâ.

Object. Contrarium videtur Marc. 2. 5. *Reſp.* Non ſolùm bajulantium fidem vidit, ſed & ipſius ægroti.

β. Non poteſt obtineri remiſſio peccatorum ſine interventu nominis Chriſti. Act. 4. 10. 12. & 10. 43. Quid nomen Chriſti? *Reſp.* Chriſtus ipſe quatenus in verbo revelatus, ſeu in Euangelio annunciatus eſt. Non datur remiſſio peccatorum ſine revelatione & cognitione Chriſti. Qui Chriſtum non novit ſecundùm perſonam & officium, non poteſt habere remiſſionem peccatorum. In duobus verò iſtis poſitum eſt nomen Chriſti, ſeu quod de Chriſto revelatum eſt, ſc. 1. in doctrina de perſona qualis ſit. 2. In doctrina de officio, quid fecerit & quo fine in mundum venerit. Qui hoc non novit, remiſſionem peccatorum non habet. Vide Eſa. 53. 11. Ioh. 17. 3. Ierem. 9. 24. Hæc ratio cur Paulus electus ut nomen Chriſti portaret coram gentibus, Act. 9. 15. Multum igitur ſitum eſt in cognitione Chriſti. Nam ſi quis non ſcit nomen Chriſti, i. e. id quod de Chriſti perſona & officio revelatum eſt, non eſt capax remiſſionis peccatorum. Nam per id, quod de Chriſto revelatum eſt ſatisfactum eſt divinæ juſtitiæ, placata Dei juſtitia, & via aperta divinæ gratiæ, ut peccata condonare poſſit.

γ. Nomen Chriſti non largitur remiſſionem peccatorum, niſi quis in eo baptizetur ad remiſſionem peccatorum. Quid hoc eſt? Eſt baptiſmum recipere in ſignum & ſigillum remiſſionis peccatorum. Eſt deſcriptio fidei in IeſumChriſtum cum externo ritu conjunctæ. Baptiſari enim non tantùm eſt baptiſmum accipere, ſed recipere per fidem & in teſtimonium fidei. Vtrumque mandatum eſt, & externum aquæ baptiſmum admittere, & eam per fidem recipere. Sicut enim Deus baptiſmum dat in ſignum & ſigillum remiſſionis per Chriſtum, ita qui baptiſmum recipit, eâ receptione teſtatur, ſe credere remiſſionem peccatorum per nomen Ieſu Chriſti ſibi factam & futuram. Sicut Chriſtus per adminiſtrationem baptiſmi teſtatur ſe remittere, ita nos per uſum & receptionem baptiſmi, teſtamur nos credere remiſſionem peccatorum. Baptiſmus & Sacramentorum

torum aliorum celebratio non eſt ſolius adminiſtrantis, & ex parte recipientis mera paſſio, ſed eſt etiam actio ejus, qui baptizatur, quâ baptiſmum deſiderat, recipit & ſibi applicat ad remiſſionem peccatorum. Infantes cum baptizantur, nihil agunt, ſed ſe habent purè paſſivè. Sed poſtquam adulti ſumus, noſtrum eſt uſurpare Sacramenta, & per ea Deo teſtari noſtram fidem, & nobis ipſis per ea teſtari remiſſionem peccatorum. Hoc enim illud eſt, per quod remiſſionem peccatorum accipio, ſi baptizer in nomine Chriſti. Quonam pacto baptiſmus operatur remiſſionem peccatorum?

Reſp. 1. Non Phyſicè aut Medicè, expurgando fomitem peccati originalis.

2. Non ex opere operato, quaſi propterea remittantur quia baptiſatus ſum, quaſi baptiſmus ſit cauſa meritoria remiſſionis.

3. Sed quatenus teſtimonium fidei meæ in nomen *Jeſu Chriſti*. Credo, mihi propter Chriſtum peccata mea eſſe remiſſa, & in teſtimonium hujus meæ fidei baptiſmum à Deo in ſigillum remiſſionis accipio & admitto. Quod de circumciſione dicitur Rom. 4. 11. Declarari hoc poteſt per infidelitatem Achabi, quæ deſcribitur Eſa. 7. 10. 11. 12. Deus dederat promiſſionem de obſeſſa Hieroſolyma liberandâ, & volebat ut pateretur & poſtularet hanc promiſſionem ſibi confirmari aliquo ſigno. Achab nolebat tentare Dominum, i. e. recuſabat Deo tantum fidere, ut in divino ſigno acquieſceret, & ſecurus eſſet. Et hoc erat peccatum Achabi. Si hoc peccatum vulumus evitare, contrarium agamus. Deus dedit promiſſionem remiſſionis omnibus iis qui ad Chriſtum confugiunt. Poſtulat à nobis, ut huic promiſſioni credentes in teſtimonium hujus fidei & in obligationem ad hanc fidem continuandam accipiamus baptiſmum. Si hoc facimus, juſtificamur. Vera receptio baptiſmi eſt profeſſio fidei & [illegible] noſtri ipſius ad fidem. Sicut in contractu nuptiali procus promittit virgini, quam ambit, omnia quæ à bono marito poſſunt exſpectari, & poſt hanc promiſſionem offert arrhabonem & petit ut recipiat. Si recipit, teſtatur ſe proco credere & ſe ejus fidei committere, ſi renuit, teſtatur, ſe ei diffidere, & non habere eum pro marito idoneo. Sic Chriſtus verbo promittit ſe nobis omnia præſtiturum, quæ à fideli Salvatore poſſunt exſpectari, & poſt promiſſionem prædicatam offert Sacramenta in ſigillum & arrham promiſſionis, poſtulatque ut eo fine recipiamus. Si recipimus, cum tali ſcil. fiducia, obſignamus quod ſit verax, nos ejus totos fidei committimus, ejuſque participes reddimur. Si recuſamus recipere, teſtamur noſtram infidelitatem, ſanguinem Teſtamenti impurum ſeu inſufficientem ducimus, Chriſtum contemnimus nos à ſalute excludimus. Hoc eſt illud Act. 22. 16. ſurge ablue tua peccata. Et hæc eſt tertia pars veræ converſionis, cui quoque ſatisfaciendum, ſi volumus ſalvari. Refutentur igitur omnes infideles & Sacramentorum recuſatores. Quo fine recuſatis Sacramenta? quià non creditis nec confiditis vos in nomine Chriſti habituros remiſſionem peccatorum. Si vobis animus eſt in peccatis pergendi, rectè facitis quod ſigna recuſatis, quia talibus non porriguntur. Sed ſi peccata tua ſentis, & ab iis cupis reſipiſcere, ſi ob inperfectionem doles, ne pereas quæſo per infidelitatem. Nullum eſt peccatum majus neque magis noxium, quàm infidelis recuſatio ſignorum gratiæ. Peccaviſſe grave eſt, ſed reſpuere remedium contra peccata per infidelitatem, graviſſimum. Duæ reſtant quæſtiones de hac particula textûs.

1. Cùm Matth. 28. jubeamur baptizari in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. cur hic ſimpliciter jubemur baptizari in nomine Chriſti. *Reſp.* Apoſtolus non præſcribit aliam formam baptiſmi, quàm Chriſtus inſtituerat, ſed indicat verum finem illius baptiſmi, qui fit in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. ut per Chriſtum Mediatorem remiſſionem peccatorum nacti communionem cùm Deo Patre, Filio, & Spiritu S. haberemus. In baptiſmo enim non ſolùm myſterium Trinitatis in conſiderationem venit, ſed præcipuè etiam myſterium redemptionis per Chriſtum Mediatorem.

2. Annon ex hoc loco ſequatur abſoluta neceſſitas externi baptiſmi? Eſt enim pars conſilii Euangelici quod Petrus præſcribit ad ſalutem? *Reſp.* Nihil aliud inde ſequitur, quàm nobis non licere recuſare & negligere baptiſmum neque contemnere. Cum enim nos baptiſmum deſideramus & recipere volumus, ſatisfecimus officio etiamſi habere non poſſimus. Recuſatio & contemptus, non autem privatio Sacramentorum damnabilis eſt. Duo requiruntur ad Sacramentum baptiſmi. Legitima adminiſtratio & legitima receptio. Si modò tu paratus ſis ad legitimam receptionem, etſi legitimæ adminiſtrationi locus non ſit, ex privatione nullum damnum. Moſes circumciſionem omiſerat & puniebatur Exod. 4. quare? quia neglexerat, cùm habere commo-

commodè poſſet. Iſraëlitæ circumciſionem diu intermiſerant, & non puniebantur, Joſ. 5. 2. quia non licebat facere ſine periculo tempore itineris. Paſcha erat præceptum, ſed etiam erat interdictum, cum non poterat fieri ſecundùm inſtitutionem Dei, Num. 9. 6. Sic etiam baptiſmus. Ceſſet igitur ſuperſtitioſa opinio de neceſſitate baptiſmi, & varia praxis in iſta opinione fundata. Ceſſet etiam neglectus & dilatio baptiſmi propter reſpectus humanos.

Object. At niſi regeneremur ex aqua & Spiritu, non ſalvabimur, Joh. 3. *Reſp.* 1. Si ille textus loquitur de baptiſmo, non loquitur de privatione baptiſmi, ſed de contemptu. 2. Sed non loquitur de baptiſmo, ſed eſt talis locutio, qualis Matth. 3. 11. q. d. niſi quis regeneretur per Spiritum S. qui per modum ignis & aquæ corda noſtra purgat ab inhabitante peccato, non veniet in regnum Dei.

Act. 2. *v.* 38. 39.

CONCIO XXVIII.

HActenus conſilium ipſum, ſeu res quam ſuadet. Sequuntur argumenta & modus ſuadendi. Unum ex his argumentis expreſsè proponitur & confirmatur: Cætera implicitè per abbreviationem inſinuantur.

Argumentum quod proponitur hoc eſt: *Et accipietis donum Spiritus* S. Duo hic quæruntur:

1. Cur non ſuadet promiſſione vitæ æternæ ſed promiſſione Spiritûs S. *Reſp.* Conſilium debebat eſſe congruum conſultationi. Conſultatio quam propoſuerat, erat hæc: quid faciemus ut ſalvari poſſimus, & liberari à miſeria, in quam nos præcipitavimus? Reſpondet: Convertimini, & quærite remiſſionem peccatorum per baptiſmum in nomen Jeſu Chriſti. Nam ſi hoc feceritis, accipietis Spiritum S, qui vos omnia docebit, & qui vos idoneos faciet, ut facere poſſitis omnia, quæ facto opus eſt. Vult igitur Apoſtolus hoc argumento interrogationem ipſorum redarguere, & impotentiam ad faciendum ob oculos ponere. Quærebant: Quid faciemus? Reſpondet. quid quæritis, quid faciendum ſit? impotentes eſtis ad faciendum quod ad hanc evaſionem requiritur. Non tantùm in miſeriam vos conjeciſtis ut liberatione opus habeatis, ſed etiam in impotentiam vos conjeciſtis, ut facere non poſſitis, quæ ad liberationem facienda ſunt. Convertimini igitur & baptizamini, ut accipiatis Spiritum S. qui vos doceat & faciat facere quæ facienda ſunt. Non tantùm debetis interrogare quid faciendum ſit, ſed etiam, unde accipiendæ vires, quibus poſſitis facere, quod faciendum eſt, & à vobis requiritur. Inſtruam igitur vos, & quid faciendum ſit, & unde accipere debeatis vires faciendi id, quod faciendum eſt. Convertimini & baptizamini, ſeu credite, & tum accipietis donum Spiritus S. qui vobis dabit notitiam & potentiam & voluntatem faciendi quod opus eſt.

2. Sed an homines prius reſipiſcunt & credunt, antequam Spiritum S. accipiunt? Annon hinc ſequitur, quod homo ſe poſſit convertere & in Chriſtum credere vi naturalis arbitrii vel gratiæ communis antequam regeneretur, & quod deinde, poſtquam homo ſuo arbitrio ſe diſcrevit & fecit quod in ſe eſt, & ab aliis ſe ſeparavit meliori uſu communis gratiæ, tum demum Deus ipſi det Spiritum S, quo regeneretur & ſanctificetur? *Reſp.* Non ſequitur. Nam ſi hoc eſſet, homo ſeipſum diſcernit, & eſt cauſa ſuæ ſalutis, & contradicitur omnibus Scripturis, quibus hominum diſcretio tribuitur beneplacito Dei, & ſalus negatur eſſe ex nobis, &c. Si homo ſeipſum poteſt convertere & credere antequam Spiritum regenerationis & ſanctificationis accipiat, tum non opus habet Spiritu S.

Cur igitur hic jubentur, ſi non poſſunt?

Reſp. 1. Quidam exponunt de donis Spiritus S. miraculoſis, qualia Apoſtoli acceperant. q. d. Tum æquè talia dona accipietis ac nos habemus, idque ſecundùm dictum Chriſti Joh. 14. 12. Cum diſcipuli mirarentur miracula Chriſti, reſpondet Chriſtus: credite in me & ſic accipietis dona queis faciatis eadem & majora: Sic cum auditores mirarentur miraculoſa illa dona Apoſtolorum, reſpondent Apoſtoli: credite & accipietis ſimilia dona. Et ratio adjungitur: nam iſta promiſſio Joël. 2. non nobis tantum ſed vobis omnibus & veſtris liberis data eſt & omnibus qui procul ſunt. Si hanc expoſitionem ſequimur, nulla eſt difficultas, niſi quod objici poſſit, non omnibus fidelibus dari dona miraculoſa. Sed reſpondeo: Etſi non dantur illis dona illa miraculoſa, tamen ipſis dantur dona majora, quàm ſunt illa, videl. donum vincendi mundum & portas inferni, immò vincendi ipſum Deum, &c. quod plus eſt, quàm variis loqui.

2. Accipi poteſt promiſſio de augmento Spiritus S. ſeu de Spiritu adoptionis & ſanctificationis & perſeverantiæ. Etſi enim Spiritus ſervitutis & rege-

regenerationis nulli ſunt alligati conditioni, ſed diſpenſantur pro beneplacito Dei, tamen Spiritus ſanctificationis & adoptionis eſt alligatus conditioni, & omnibus illis promiſſus, quotquot compuncti corde cum vera reſipiſcentia in nomen Chriſti baptizantur. Ex compunctione quam profitebantur, perſpiciebat ipſos habere initia Spiritus S. Jubet igitur ut iis bene utantur ad reſipiſcentiæ & fidei propoſitum firmandum, & promittit tum fore, ut accipiant incrementum Spiritus S. quo in fide & reſipiſcentia confirmentur, cuſtodiantur & de ſalute certificentur.

3. Jubet reſipiſcere & credere antequam habent Spiritum S. non quaſi exſpectet, ut faciant quod jubet, ſed ut hoc juſſu ipſos percutiat aliquo ſenſu ſuæ impotentiæ, ut eam confitentes Deum implorent, ut ipſe faciat, quod ipſi facere jubentur. Si quis præterea catervam mendicorum claudorum qui incedere non poſſunt, & ipſos jubeat ad ſe venire, pollicitus eleemoſynam, non cum intentione illudendi, ſed cum intentione humilem agnitionem impotentiæ ingenerandi, per hanc ſuam vocationem: Quicunque ex his mendicis vocationem planè negligunt, vel etiam contemnunt, & illudunt ſecuro prætextu impotentiæ, illos præterit & ſinit quales ſunt. Sed ſi qui hac vocatione excitentur ad confeſſionem impotentiæ, & petitionem ut ad ſe veniat & eleëmoſynam adferat, ad eos ipſe veniet, & eleëmoſynam feret. Sic Deus ideo jubet quod non poſſumus, ut hoc jubendò ſeriam confeſſionem & deplorationem impotentiæ ingeneret, quâ deinde ad ſanandam impotentiam moveatur. Quiſquis itaq; ſibi conſultum cupit, deponat iſtas ſcurriles illuſiones doctrinæ de impotentia noſtra ſpirituali, & agnoſcat ac deploret ſuam impotentiam. Sic Deus ad ipſum veniet, eique dabit donum Spiritus S. quo potens fiat. Agnoſcimus hominem poſſe omnia mala facere, agnoſcimus etiam hominem naturalē poſſe multa facere, ſicut Herodes Marc. 6 multa ſcil. bona naturalia, civilia & Eccleſiaſtica. Sed negamus hominem naturalem poſſe ſe perfecto corde ad Deum convertere. Deū amare toto corde, tota animâ, &c. in ea converſione perſeverare ad finem, ſuperatis omnibus tentationibus carnis, mundi & Diaboli. Et tamen *Deus* hoc ab ipſo requirit: non quaſi exſpectet futurum, quod homo facere non poteſt, ſed ut ex mandatis homo agnoſcat ac deploret ſuam impotentiam. *Hoc igitur facias*, & poſtquam Spiritum S. acceperis, agnoſcas eſſe *δωρεὰν* donum. Non mercedem nec præmium, ſed purum putum donum, ut ita omnis gloria Dei ſit, & non noſtra. Confirmatur autem hoc argumentum hac ratione: Nam vobis & liberis veſtris facta eſt hæc promiſſio, & omnibus qui procul ſunt, quotquot advocaverit Dominus. Duplicem expoſitionem patiuntur hæc verba:

1. Vobis Judæis omnibus qui jam vivitis & ad adultam ætatem veniſtis, & filiis quoque veſtris, qui adhuc parvi ſunt, & poſteris quoque veſtris qui adhuc ex vobis generabuntur per Dei benedictionem, facta eſt illa promiſſio Joëlis, quæ nunc in nobis Apoſtolis impleta eſt. Hæc expoſitio vera eſt, ſi intelligatur promiſſio facta eſſe conditionaliter; Si ſcilicet ſe converterent & crederent: Nam abſolutè non omnibus Judæis promiſſus eſt Spiritus S.

2. Omnibus vobis Judæis, qui jam hic eſtis & à Domino per veram compunctionem cordis vocati eſtis ad reſipiſcentiam & fidem, & filiis quoque veſtris, immò etiam gentibus, qui etiamnum ab Eccleſia alieni ſunt (ſic enim deſcribuntur gentes Eph. 2. v. 13.) ſed cum tempore ſimili modo à Deo vocabuntur, uti vos nunc vocati eſtis, facta eſt hæc promiſſio. Tribus igitur generibus hominum promiſſus eſt Spiritus S. 1. Omnibus compunctis Judæis. Nam Judæis primò promiſſiones fœderis applicandæ erant. Illi enim ſunt quaſi primogeniti in familia Dei. 2. Eorum liberis. Promiſſiones quæ ad parentes fideles pertinent, etiam eorum liberis debemus applicare, quandiu facto contrario & propriâ infidelitate ſeipſos non excludunt. 3. Omnibus gentibus quotquot Dominus advocaverit. Nec promittitur hic gratia aliqua univerſalis omnibus hominibus, nec promittitur ſpecialis gratia illis qui ſe ipſos ab aliis diſcreverint, & ſuo arbitrio advenerint, ſed promittitur Spiritus regenerationis & adoptionis omnibus illis tum Judæis, tum gentibus, eorumque liberis, quos Dominus Spiritu ſervitutis compunxerit, & ſalutis ſitientes fecerit, ſicut hos Judæos. Talibus enim fit promiſſio Matth. 11. 28. Eſa. 57. v. 15. & 55. 1 Luc. 1. 53. Matth. 5. 3. 4.

Ex his quæ dicta ſunt, ſequentia diſcimus:

1. Quantum differat fœdus gratiæ ſeu Euangelii à fœdere naturæ ſeu legis, & omnibus aliis humanis fœderibus ac contractibus. In fœdere legis, quod cum Adamo faciebat Deus, ab hominis parte requirebat officium, & ex ſua parte promittebat præmium. Et ſic fit in aliis humanis fœderibus, quælibet pars ſuis viribus tenetur præſtare quod promittit. Rex requirit officium & promittit præmium,

mium. Mercator poſtulat pretium & dat mercem. Sed in fœdere Euangelico aliter ſe res habet. Deus non tantùm requirit officium, ſed etiam promittit & officium & præmium officii. Requirit à noſtra parte, ut convertamus nos & credamus. Et quid promittit ex ſuâ parte? non ſolùm præmium vitæ, ſed etiam Spiritum S. qui nos convertat & nobis fidem det. Requirit à nobis ut in timore & tremore ſalutem operemur Phil. 2. & quid ipſe viciſſim promittit? non ſolùm præmium ſalutis,ſed etiam ipſum velle & perficere vult in nobis operari. Requirit à nobis ut emamus, & tamen promittit ſe gratis daturum, Eſa. 55. 1. Quomodo hoc conciliabimus? Quidam inde concludunt, quod ſalus partim ſit ex nobis, partim ex Deo. Quod nos virtute liberi arbitrii incipiamus opus converſionis, & nos ipſos ab aliis diſcernamus, & tum Deus ex ſua parte etiam aliquid conferat, ut tantò facilius perficiamus. Sed vanum hoc. Deus ſolus omnia, nos nihil facimus. Requirit Deus à nobis, quod ipſe vult operari in nobis, & promittit ſe operaturum quod nobis injungit.

1. Partim ideò,ut nos non ſinat otioſos, ſed per juſſa ac mandata operetur in nobis ſollicitudinem faciendi quod debemus facere.

2. Partim ideò, ne ſenſu impotentiæ deterreamur, ſed promiſſione divinæ potentiæ freti contra omnes tentationes & illecebras maneamus conſtantes.

3. Partim denique ideò, ut officio peracto nihil laudis nobis veniat, ſed Deo maneat ſola & tota gloria noſtræ ſalutis. Videamus igitur ne abutamur doctrina Euangelii, neque ad alluſiones & cavillationes, argutantes: Si Deus operatur omnia, quid opus eſt ego ſim ſollicitus,&c.Deus ita docet.tu igitur ne cavilleris, ſed captivam duc rationem in iis quæ non potes capere: neque ad laſciviam & negligentiam in officio. Abs te requiritur, & ſi tu non feceris, condemnaberis: neque ad ſuperbiam & aliorum contemptum. Tu enim non feciſti, ſed ſi quid in te boni eſt, Dei opus eſt, qui te diſcrevit, ne itaque ſuperbias aut alios contemnas.

II. Quàm fœlices ſint, qui ſpiritualem illam compunctionem in corde gerunt, & iſta nauſeâ peccati ſui laborant, & contabeſcunt. Sunt hæc quidem moleſta,ſed perfer libenter. Tibi enim promiſſus Spiritus S. qui omnia ſanet & opus perficiat. Si habes cauſam gemendi cum Paulo: ô me miſerum,quis me liberabit! habes etiam cauſam lætandi cum eodem: Gratias ago Deo per Chriſtum qui me liberavit. Peccata tua remiſſa, Spiritus tibi datus, Et quo fine datus? In conſolatorem contra tuam triſtitiam. In medicum tuæ infirmitatis. In arrham ſalutis.

III. Habemus hic confirmationem pædobaptiſmi. Si enim liberi fidelium pertinent ad fœdus gratiæ, & habent promiſſionem Spiritus S. quis recuſet aquam quò minus baptizentur, Act. 10.47. & 11. 17. & ſigillum fœderis accipiant ad conſolationem parentum dum ſunt ratione inferiores, & ad ſuum proprium ſolatium ubi adoleverint, & ſecundùm baptiſmatis ſui doctrinam vivere cœperint. Hactenus primum argumentum, quo Apoſtolus conſilium propoſitum ſuaſit. Cætera non exprimuntur, ſed tantùm implicitè dicitur quod multis aliis rationibus teſtatus & hortatus ſit, ut conſilium ſuum ſecuti ſervarentur à prava illa ſeu curva generatione. Nota:

1. Miniſtrorum eſt non tantùm didaſcalicè agere, ſed etiam proteſtationibus & vehementibus hortationibus conſcientiis imprimere doctrinam ſuam, ut ei fiant obedientes. Si dicere ſufficeret quid faciendum ſit,facile eſſet negotium. Sed dura ſunt corda hominum & multis conteſtationibus & hortationibus commovenda.

2. Converſio ad Deum includit ſeparationem à pravis hominibus. Si quis ſe vult ad Deum convertere & tamen ſocius impii mundi manere, vana eſt converſio. Nam amicitia mundi inimicitia Dei, & prava ſodalitia corrumpunt bonos mores, 1. Cor. 15. Exite ab illis,popule mi, ne plagarum ejus fiatis participes.

3. Qui ſunt extra Eccleſiam, ſunt generatio curva ſeu perverſa,idque non ſolum propter corruptionem naturæ omnibus hominibus communem, ſed præcipuè propter ſpontaneam perverſionem animi, quâ ſe obdurant contra omne bonum, & inſtar flexibilium ſerpentum ſubtilitatibus & cavillis ſe ſuſtentant contrà accuſationes legis & conſcientiæ.

Actor. 2. v. 40.

CONCIO XXVIII.

Latius nonnihil hunc verſum explicabimus, cujus ſummam ſupra ſtrictim recenſuimus.

1. Dicitur quod Petrus multis aliis rationibus ſuaſerit ſuum conſilium. Vnam rationem expreſſit, videl. quia ſic accepturi eſſent Spiritum S.ſi conſilium

filium ſuum ſequerentur. Cæteras rationes Lucas non exprimit, ſed tantum dicit, Petrum etiam plures alias rationes adhibuiſſe. Talibus abbreviationibus Scriptura etiam alibi utitur, Joh. 20. 30. & 21. 25. Luc. 3. 18. Sed quo fine hoc dicit, quid prodeſt ſcire Chriſtum & Apoſtolos adhuc multa alia feciſſe & dixiſſe, quàm ſcripta ſunt, ſi neſcimus quænam ſint illa? Annon hinc ſequitur neceſſitas traditionum & verbi non ſcripti? *Reſp.* Ita quidem fit in Papatu: quia Scripturæ non omnia habent, quæ à Chriſto & Apoſtolis dicta & facta ſunt, ideò ipſi multa comminiſcuntur & venditant commenta ſua pro illis quæ his abbreviationibus indigitentur. Sed quæ hæc audacia? Si Spiritui S. utile fuiſſet viſum nos ea ſcire, ſine dubio non tacuiſſet. Indigitat multa alia fuiſſe dicta ab Apoſtolis, ut Apoſtolorum diligentiam hodiernis miniſtris in calcar & exemplum proponat, ut illi quoque ſtudeant multis rationibus efficere, quod unà non poſſint. Non exprimit tamen quænam illa alia fuerint, quia illa quæ ſcripta ſunt, ſufficiunt ad finem Scripturam aſſequendum. Scriptura enim non ideò ſcripta eſt, ut nullo alio labore opus haberemus, ſed ut eſſet fons ac regula, ex quâ notitia Euangelii hauriretur, & ſecundùm quam miniſtri Euangelii, ad inculcationem illius vocandi, functionem ſuam adminiſtrarent. Apoſtoli multa dixerunt viva voce, quæ ſcripta non ſunt, interim tamen tam multa ſcripta ſunt, ac ad ædificationem Eccleſiæ utile ac neceſſarium eſt.

II. διεμαρτύρετο καὶ παρεκάλει. Quomodo hoc intelligendum, quod rationibus teſtatus eſt? Rationibus probamus & demonſtramus, ſed non teſtamur. Teſtimonium enim eſt affirmatio; cujus fides non nititur rationibus, ſed auctoritate perſonæ affirmantis. Et an paſtorum eſt teſtimoniis ſuis probare quod dicunt, & non potius rationibus demonſtrare? In Papatu homines nituntur teſtimoniis Paſtorum qui teſtantur, jurant & oppignoratione animarum ſuarum certificant, quod hæc ſit veritas, quam concionantur. Annon Petrus quoque ita videtur feciſſe?

Reſp. 1. Si Petrus ſimpliciter ſuo teſtimonio comprobâſſet, quod dicebat, mirum non foret. Erat enim Apoſtolus immediatè à Chriſto vocatus, actionum Chriſti αὐτόπτης, miraculoſa effuſione Spiritus S. divinitus repletus, cujus proinde teſtimonium fidem merebatur. Sed hoc non pertinet ad miniſtros ordinarios, qui non habent teſtimonium αὐθεντίας è cœlo, ſed per homines vocati ſunt, ut doceant Eccleſiam ex Scriptura & ſecundum Scripturam. Hi proinde non ſuo teſtimonio debent comprobare quod docent, ſed teſtimonio Scripturæ. Eſa. 8. 20.

2. Etſi Chriſtus & Apoſtoli tot haberent teſtimonia ſuæ αὐτοπιστίας è cœlo, ut ſimplex eorum teſtimonium ſufficeret ad fidem, tamen rarò aliquid dixerunt, quod non ex Scriptura probarent, ut patet legentibus eorum ſcripta. Et ſine dubio is quoque hic ſenſus eſt, quod Petrus multis teſtimoniis Scripturæ probaverit, hoc illud eſſe unicum conſilium ſalutis, quod ipſis dederat, videl. converſionem ad Deum & fidem in Jeſum Chriſtum; Actor. 20. 21. Actor. 28. 23.

3. Sed & aliud quid hac voce notatur, ſcil. quod Petrus probationibus & demonſtrationibus ſuis conjunxerit affectuoſam obteſtationem & conteſtationem; quæ ad movendum conduceret. Talibus obteſtationibus ſæpe utuntur Prophetæ & Apoſtoli. Sic e. g. Moſes obteſtatur, ſeu in teſtimonium vocat cœlum & terram, Deuteron. 4. 26. & 30. 19. ſic Joſ. 24. 22. Joſua in teſtimonium vocat propria promiſſa auditorum. Sic Paulus conſcientias auditorum appellat, Act. 26. 4. 1. Cor. 10. 15. Sic Paulus ipſum Deum teſtatur in animam ſuam, Rom. 9. 1. 2. Cor. 11. 31. præſertim huc quadrat Eph. 4. 17. Gal. 5. 2. 3. quid hoc: teſtor per Deum ne amplius ambuletis? q. dicat, Ego Deum teſtem invoco, vos perituros ſi ſic agatis. Et in hoc miniſtri ordinarii poſſunt imitari Apoſtolos, ut ſe ipſos ita convincant per Scripturam de ſua doctrina, & in ea ita ſint fundati, ut non tantùm ex Scriptura eam auditoribus poſſint demonſtrare, ſed etiam ut neceſſitate poſtulante hanc doctrinam proprio teſtimonio poſſint confirmare. Quid hoc eſt, doctrinam ſuam proprio teſtimonio confirmare? Non eſt jurare & ſe execrari & animam oppignorare quod hæc ſit vera doctrina, ſed eſt, 1. Auditores ſuos pertinaces ad tribunal Dei vocare, & appellare teſtimonium Dei ſuper ſua ſinceritate in quærenda auditorum ſalute, q. dicat, Deum teſtem invoco, quod nihil vobis concioner, niſi quod novi in verbo Dei fundatum, & ad ſalutem veſtram neceſſarium eſſe ac utile, quod, quæ doceo, non doceam ob auctoritatem humanam, ob commoda temporalia, &c. ſed ex conſcientiæ convictione.

2. Eſt etiam vitæ ſuæ jacturâ, ſi opus eſt, teſtari, ſeu obſignare veritatem, q. dicat Hæc eſt illa doctrina in qua vivam ac moriar, & de qua ita con-

victus ſum in conſcientia ex Scripturis, ut eam vita & ſanguine obſignare non dubitem. Tam firmus & fundatus debet eſſe concionator in ſua doctrina, ut ei etiam hoc teſtimonium dari poſſit, ſi opus ſit. Etſi enim hoc teſtimonium paſtoris, non eſt illud fundamentum, quo fides auditoris niti poteſt, (hoc enim eſt teſtimonium Scripturæ) tamen hæc paſtorum firmitas & convictio multum poteſt ad confirmandam fidem gregis, ſi modò non ſit audax & pertinax præſumptio, ſed ſana parrheſia in verbi teſtimoniis fundata. Multum intereſt inter eloquentem ſtudioſum ex Academia recenter & eloquenter concionantem, & inter ſanum paſtorem, qui in doctrina ſua fundatus, radicatus, firmatus eſt, ut veritatem doctrinæ ſuæ vitâ & morte ſua poſſit teſtari. Ne occœcet vos ſacrificulorum audax præſumptio, quâ animas oppignorant, &c. Habetis & vos per Dei gratiam paſtores, qui non ex cœco zelo & carnali audaciâ & pertinaciâ, ſed plenâ & vivâ perſuaſione & convictione conſcientiæ per Scripturas vobis in facie Dei vivi teſtantur, quod Reformata doctrina ſit illa doctrina, quæ cum Scriptura convenit, & per cujus ſinceram receptionem & praxin vitam habere poteſtis, qui etiam ſanguine ſuo non detrectabunt obſignare hanc veritatem, ſi Deus vocaverit ad hoc.

III. Σώθητε ἀπὸ, &c. i.e. Recipite & ſequimini conſilium, per quod ſervari poteſtis. Chriſtus eſt is qui ſalvat, Matth. 1. nos ſumus illi qui ſalvantur. Sed quid eſt ſalvari, an hoc notat meram paſſionem? Non notat paſſionem, ſed actionem veram, videl. receptionem & exſecutionem iſtius conſilii, quod Salvator nobis dat. Chriſtus dat conſilium; μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε. Nos tenemur hoc conſilium exſequi. Sed an igitur Chriſtus dat conſilium, & nos noſtris viribus illud conſilium exſequimur? *Reſp.* Chriſtus dat conſilium, & nos illud conſilium exſequimur, ſed non exſequimur noſtris viribus, ſed Chriſtus operatur in nobis ut exſequamur. Sed ſi ipſe operatur, cur poſtulat à nobis? *Reſp.* Ut poſtulando operetur. Nam Chriſtus ſe non convertit, non credit in Deum, ſed hoc noſtrum eſt. Et tamen nos hoc non poſſumus. Chriſtus igitur ideò à nobis poſtulat, ut poſtulando in nobis operetur. Noſtrum eſt opus, à nobis debet fieri, ſed non ex nobis. Dei donum eſt, Eph. 2. Deus & velle & efficere operatur. Phil. 2. Noſtrum igitur eſt convertere ac credere, & convertendi ac credendi vires humili agnitione impotentiæ apud Deum quærere. Vide 2. Cor. 5. 19. 20. 21.

IV. Sed quid eſt ſalvari à pravâ generatione? *Reſp.* i.e. à communione quam habemus cum illa generatione, ſalus peccatoris non tantùm in eo conſiſtit, ut ad Deum convertatur, ſed etiam ut à mundo ſeparetur, nec eſt vera ad Deum converſio, quæ non eſt à pravo mundo ſeparatio. Et quidem duplex eſt ſeparatio.

1. Interna, quâ pravam mundi vitam incipimus odiſſe, ne communionem habeamus cum operibus tenebrarum. Hæc præcipuè neceſſaria, ſine qua externa nihil eſt. Separati ſumus externè à Papatu, à mundo, & conjuncti Eccleſiæ. Sed ſi corde adhuc favemus operibus mundi & Papatûs, fruſtra eſt ſeparatio externa. Sic Libertini corde ſunt ab Eccleſia ſeparati, & tamen pacis causâ, ut ajunt, externam colunt communionem, ut tantò tectius propagent falſorum dogmatum venena. Cor & anima primò debet ſeparari. Geneſ. 49. 6. Pſalm. 119. 136. Pſal. 139. 21. 22. Vide etiam Matth. 6. 24. ſapientia mundi, inimicitia Dei, Rom. 8. Non eſt claudicandum inter duos.

2. Externa. Vide Exod. 33. 7. Num. 16. 20. 21. 2. Corinth. 6. 17. Gal. 2. 12. Eſdr. 10. 11. Eſa. 52. 11. Act. 19. 9. Rom. 16. 17. Pſalm. 1. 1. 2. Quis pater honeſtus ferret filium ſuum communionem colere cum hoſtibus & impuris. Quantò minus igitur Deus ferret. Diſcedat ab injuſtitia, qui nomen Dei invocat. 2. Tim. 2.

Object. 1. At periculoſum eſt ſe ſeparare. parit enim plerumque perſecutionem. *Reſp.* At non ſeparare parit plagas & ultionem divinam. Eſa. 52. 11. Quid autem tolerabilius?

Object. 2. Separatio eſt opus carnis. Schiſma eſt opus damnabile, Gal. 5. 20. *Reſp.* Magna eſt differentia inter ſchiſma & ſeparationem Chriſtianam. Schiſma eſt ſeparatio à bonis, ſeu à vera Eccleſia propter rem nullius momenti, ſed ſeparatio eſt à malis ob corruptam doctrinam ſalvificam, & cum non licet manere ſine communione mali.

Object. 3. At Chriſtus cum impiis Judæis coluit communionem. Fuit enim membrum Judaicæ Eccleſiæ, & ſacris eorum interfuit. *Reſp.* Hoc Chriſtus fecit, quandiu licuit ſine communione mali, & quandiu neceſſarium fuit ad implendas figuras V. T. ſed cum jam ceremoniæ eſſent impletæ, & non liceret communionem colere ſine communione mali, & fieret quod ſcriptum eſt, Act. 19. 9. Apoſtoli ſeparârunt diſcipulos.

V. Homines non ſalvandos vocat γενεὰν σκολιάν.

Cum

Cum Deus ex gente aliqua evocavit ſuam Eccleſiam, qui relinquuntur & non evocantur, ſunt generatio curva, idque non tantum propter generalem corruptionem omnibus communem, ſed præcipuè propter indurationem ſui ipſius contra Euangelium.

1. Eſt ſimilitudo ſumpta ab ædificatoribus. Perambulat quis ſylvam, ſeparat omnes arbores rectas, & ad ædificandum aptas, cæteras curvas, & non niſi incendio aptas relinquit. Sic Deus evocat è natione aliqua, & in Eccleſiam congregat omnes, quos ſingulari ſua gratiâ fecit rectos & aptos, ut ſint lapis vivus, columna vel trabs in ædificio Spiritualis Hieruſalem, cæteros quales ſunt relinquit, ut tandem fiant titiones inferni.

2. Vel reſpicit illud Matth. 3. 7. ubi homines contra Euangelii vocationem ſe indurantes, vocantur generatio viperarum. Vipera enim ſeu ſerpens, eſt animal σκολιὸν ſeu tortuosè incedens, cum quibus rectè comparantur, qui ſe contra Euangelium indurant. Nos hinc diſcamus

1. Quàm juſta ſit condemnatio eorum, qui per ſingularem gratiam non evocantur. Sunt enim generatio perverſa, malitioſa & proinde pœnis digna.

2. Quàm turpis res ſit indurare ſe contra vocationem Euangelii. Sunt inſtar aſpidum qui aures obturant contra vocem Euangelii, ne perdant venenum malitiæ, Pſal. 58. 5. 6.

Act. 2. *v.* 41.

Concio XXIX.

Hactenus occaſio directionis, & directio ipſa, ſicu ipſum conſilium, ſequitur effectus hujus conſilii, videl. converſio multorum auditorum, eorumque ad Eccleſiam adductio. Voco effectum conſilii Euangelici, quia converſio hominum non eſt ſimplex conſequens prædicationis Euangelicæ, ſed verum ac propriè dictum illius effectum. In rebus humanis cum unus aliquod conſilium dat, & alter conſilium illud exſequitur, datio conſilii & exſecutio conſilii, non habent ſe ut cauſa & effectum, ſed tantùm ut antecedens & conſequens: Verum in prædicatione Euangelii datio conſilii, & executio conſilii ſunt cauſa & effectum, nam per ſuaſionem Euangelii Deus efficit in nobis exſequutionem illius quod Euangelio ſuadetur. Iubet & ſuadet quod vult, & ſuadendo efficit quod ſuadet, Euangelium non eſt conſilium merè verbale quod tantùm ſuadet, & neminem perſuadet, ſed eſt conſilium efficax, quod, quamvis à multis rejicitur, tamen multos perſuadet, & ad obedientiam perducit Euangelium non eſt conſilium ſine effectu. Applica Eſa. 55. 10. 11. Solatium pro fidelibus miniſtris, qui quidem ſæpe queruntur ex Eſa. 53. 1. quis credit prædicationi noſtræ? ſed tamen habent hanc promiſſionem, quod non in vanum laborabunt.

Numerus converſorum fuit circiter 3000. Efficax profectò concio. Res magnæ potentiæ quod unus Angelus una nocte occidit 185000. viros. Sed longe facilius opus eſt 185000. viros occidere, quàm 3000. animas ad Deum convertere. nã unus Angelus ſuis naturalibus viribus poteſt 185000. viros armatos occidere, ſed ſi omnes angeli omnes ſuas vires conſerrent, non poſſent unum hominem ad Deum convertere. Et tamen converſio harum 3000. animarum eſt verum effectum concionis Petri, ut de Petro verè dici poſſit, quod uno memento 3000. hominum converterit. Magnum eſt, quod Apoſtoli miracula fecerunt, claudos ſanârunt, mortuos excitârunt, ſed unam animam convertere longè majoris & præclarioris exiſtimationis eſt, quàm ter mille miracula facere. Et præterea in miraculis Apoſtoli tantùm ſunt cauſæ morales, quæ fide & precibus ſuis miracula à Deo impetrant. Sed in converſione hominum ſunt veræ inſtrumentales cauſæ, quæ ad regenerationem novi hominis non minus conferunt, quàm Pater ad generationem proprii filii. 1. Cor. 4. 15. Gal. 4. 19. Philem. v. 10. Intelligitis hinc, quantum debeatur miniſtris Eccleſiæ. Multum debetur Magiſtratibus, quippe ſub quorum alis ducimus vitam quietam: Multum medicis, multum aliis opificibus, qui commoda corporis noſtri promovent: Sed ſi ulli hominum generi quicquam debetur, certè nulli ſunt, quibus tantum debetur, quàm miniſtris Euangelii. Non prædicamus hoc, ut ornemus noſtrum ordinem. Novimus enim loquendum nobis eſſe, ut loquitur Paulus, 1. Cor. 15. v. 10. ſed ut vos ſciatis quid vobis prodeſſe poſſit noſtrum officium, ſi benè utamini noſtra operâ. Vinum vendibile non opus habet hederâ. Hoc proverbium in nobis locum non habet. Eſt enim opera noſtra tam bona ac utilis humano generi, ac quæquam alia, & tamen nemo nos æſtimat niſi multis argumentis à nobis perſuadeatur. Piſtoribus, coquis, ſutoribus, medicis & omnibus opificibus impii juxta ac pii, boni

ac mali utuntur, eoſque quærunt, ſi ſe non offerunt. Si qua in Republ. nulli eſſent piſtores &c. non quieſceret donec acciperet. Sed ſi nulli miniſtri, nemo ſollicitus erit de vocandis. Noſtram operam nemo deſiderat, niſi qui prius propriâ noſtra commendatione lucrifactus eſt. Oportet ſimus ſicut medici circumforanei, à quibus nemo emit, niſi quos propria commendatione perſuadent. Conſiderate, quæſo, quæ ſit vis noſtri officii. Effectus noſter eſt convertere animas. Sitis igitur ſolliciti de habendis & retinendis talibus. Unus miniſter uno momento convertit 3000. animas. Et ſicut ſunt potentes ad bonum, ita etiam potentes ſunt ad malum ſuorum auditorum. Sicut enim per Spiritum Dei & ſemen verbi regnerant eos quos Deus ipſis dat, ita cæteros, qui miniſterio ipſorum opponunt pervicaciam animi, indurant & terribili judicio devinæ maledictionis ſubjiciunt. Eſa. 6. 9. 10. Veneramini igitur miniſterium verbi tanquam brachium Domini quo effecit magna. Hoc enim illud nomen eſt, quod non tantùm ſcripto ſed etiam prædicato Euangelio competit. Eſtote vos ſapientiores & agnoſcite quantum vobis Deus dederit, dum miniſterium verbi inter vos erexit. *Object.* At miniſtri ſæpe æquè mali ac ſcandaloſi ac ipſi auditores. *Reſp.* Non debet vos hoc offendere. Etiam ſic fuit inter Apoſtolos. Diſtinguendum eſt inter perſonas & officium. Spectate vos officium, non perſonas. Ex cœlo plurimæ tempeſtates, an igitur cœlum non eſt creatura terræ utilis & neceſſaria? Inter Magiſtratus juſtitiæ defenſores, ſœpe multi ſunt juſtitiæ violatores, an igitur Magiſtratûs officium eſt contemnendum?

Sunt autem de hac converſione ſequentia notanda:

1. Initium converſionis verſ. 41. anfang:
2. Progreſſus converſionis v. 42. fortgang.
3. Status & conditio Eccleſiæ converſæ à verſ. 43. ad fin.

Initium converſionis conſiſtit in eo, quod *verbum Petri libenter recipiebant, & baptizabantur ac addebantur Eccleſiæ.*

Habemus hic converſionem

1. Internam: Recipiebant libenter verbum Petri.

2. Externam: per baptiſmum addebantur Eccleſiæ.

Verbum Petri quale fuerit, nuper audivimus, videl. 1. Verbum conſilii vel mandati, quo præſcripſit quid faciendum. 2. Verbum promiſſionis, quo pollicitus eſt, conſilii fructum. Utrumque verbum receperunt. Receperunt

1. Conſilium Euangelicum, dum conſenſerunt in media ſalutis præſcripta, recipientes ſcilicet, proponentes ac promittentes ſe à peccatis convertere, & remiſſionem peccatorum per fidem in Chriſtum quærere, ſeu ad Chriſtum confugere, & meritis ejus niti per veram fiduciam, tanquam causâ & fundamento reconciliationis cum Deo.

2. Promiſſionem Euangelicam. Etſi enim ſciebant ſuam impotentiam ſeipſos convertendi & in Chriſtum credendi, tamen conſenſerunt in hæc mandata cum fide & fiducia divinæ opitulationis per Spiritum S. Initium itaque veræ converſionis conſiſtit in receptione verbi Euangelici. Probè notandum.

1. Receptio eſt vox relativa & præſupponit oblationem. Vbi oblatio, ibi receptio. Eſt in converſione ſicut in contractibus vel fœderibus, ubi pars altera offert bonum aliquod ſub certis conditionibus: Altera oblationem ita recipit, ut in conditiones conſentiat, & bona promiſſa ſe confidat habituram. Sic hic Chriſtus offert remiſſionem peccatorum & Spiritum ſanctificationis ac obſignationis ſub conditione pœnitentiæ & fidei. Nos recipimus hoc Euangelium, dum in conditiones requiſitas conſentimus & fiducia promiſſionum nos in obedientia receptarum conditionum ſuſtentamus. Magnopere errant qui receptionem Euangelii putant abſolvi mera fiducia promiſſionum, quaſi ad ſalutem nil opus ſit, niſi ut quis dicat, confido, quod mihi mea peccata ſint remiſſa, &c. Euangelium non tantum habet promiſſiones, ſed & mandata ac conditiones, quæ non minus ſunt recipiendæ ac promiſſiones. Recipe prius mandatum de pœnitentia ſeu converſione, recipe mandatum de firma apprehenſione meritorum Chriſti, & tum confide tibi peccata eſſe remiſſa. Totum Euangelium recipiendum eſt.

2. Non dicit: fecerunt verbum Petri, ſed, receperunt. Magnum diſcrimen inter hæc duo. Poſſumus recipere Euangelium, ſed non perficere omni modo. Recipimus dum conſentimus, proponimus, nitimur, cupimus, luctamur. In hoc poſita vera obedientia Euangelii, ſed interim dicendum hic: Velle mihi adeſt, ſed perficere non invenio, Rom. cap. 7

Additur porrò qualitas converſionis: Receperunt

runt ἀσμένως. Recipere eſt materiale converſionis, ſed ἀσμένως recipere eſt formale, per quod receptio bona & ſana piorum diſtinguitur à receptione falſa hypocritarum. Multi hypocritæ recipiunt Euangelii verbum, δέχονται τὸν λόγον Luc. 8. 13. ſed non ἀσμένως, ſeu libenter. Quid autem eſt ἀσμένως recipere? *Reſp.* 1. Receperunt ἀσμένως verbum conſilii, quia neque hypocriticè ob externum aliquam reſpectum mundanum, neque coactè receperunt, ſed ex intrinſeca perſuaſione & convictione de bonitate & ſalubritate hujus conſilii. Sicut ſcortum ſœpe recipit aliquem virum in matrimonium, non ex amore ipſius viri, ſed ob externa commoda, retinens interea animum ſcortandi cum aliis: Sicut Zipora circumcidit filium, quem maluiſſet non circumcidere, ſicut civitas victoris leges recipit coacta, ita multi Euangelium recipiunt non amore Euangelii, ſed vel ob commoda temporalia, quæ inde ſperant, vel ex mero ſervili metu pœnæ: Sed pii recipiunt libenter & cum deſiderio, non quidem cum deſiderio & lubentia, à qua abſit omnis carnis reluctatio, ſicut homo ſitiens recipit potum dulcem ſine omni nauſea, ſed tamen cum vera lubentia & cum deſiderio, ſicut homo æger & ſanitatis cupidus recipit amaras potiones medici, ſicut civitas à Tyranno poſſeſſa & à legitimo Domino obſeſſa ac expugnata libenter recipit leges victoris.

2. Receperunt ἀσμένως, verbum promiſſionis, quia non hæſitârunt diffidentia, ſed faciles fuerunt in obſignanda Dei veritate. Sicut cum bona nova narrantur, ægrè & difficulter credunt homines triſtes, & rerum ac circumſtantiarum ignari, ſed qui nôrunt auctoritatem & vericitatem ac prudentiam narrantis, non ſe præbent difficiles in credendo, ita fideles, ſcientes quis ſit qui promittit, promptè promiſſioni fidunt.

Obj. At etiam hypocritæ δέχονται μετὰ χαρᾶς. Recipiunt cum gaudio. Luc. 8. 13. *Reſp.* Solum verbum promiſſionis cum gaudio recipiunt, præſertim quatenus in ſe continet aliquid temporalis emolumenti, quod carni gratum ſit. Eſt enim etiam in Euangelio aliquid quod carni gratum eſt. Verbum autem conſilii non recipiunt ἀσμένως, ſed potius cum nauſea reſpuúnt. Externa converſio eſt, quod per baptiſmum additi ſunt Eccleſiæ. Baptiſmus eſt ſacramentum inſitionis in Eccleſiam. In omni contractu poſt contractum ipſum proxima res eſt obſignatio contractûs. Baptiſmus eſt ſigillum fœderis Euangelici. Ad teſtandum igitur ſe ſeriò contraxiſſe, ſtatim recipiunt ſigillum contractûs. Neque tantùm baptizantur, ſed plenè adduntur Eccleſiæ, i. e. plenè ſe ſubmittunt regimini & diſciplinæ Eccleſiæ tanquam membra Eccleſiæ. Poſtquam nupſit fœmina, poſtquam ſe elocavit ancilla, neceſſe eſt veniant in domum ejus cui nupſerunt & ſe addixerunt, quem pro marito ac hero receperunt. Sic ſi contraximus cum Chriſto, ejuſque verbum recepimus, neceſſe eſt veniamus in domum ejus. Refutantur igitur libertini noſtri, qui conjunctionem cum externa Eccleſia non judicant neceſſariam. Deus nos in gregem & domum vult collectos, ut unà paſcamur. Ne igitur derelinquamus congregationes noſtras. Sed quid eſt adjungere ſe alicui Eccleſiæ? Sicut qui familiæ membrum eſt, is ſe legibus, inſtitutis & ritibus familiæ ſubjicit, in communi victu præſens eſt, &c. Ita qui verum Eccleſiæ membrum eſt, aſſiduus eſt in concionibus & precibus publicis, ſedulus in uſu Sacramentorum, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſpontè ſubditus, pacis & concordiæ ſtudioſus, &c.

Act. 2. *v.* 42.

Concio XXX.

Miretur aliquis quid opus ſit ita ſæpe & ſemper concionari, cum paucis vicibus dici poſſit quod ſcire opus eſt, nec quicquam dicatur quod non dictum ſit prius & auditoribus ſatis cognitum? Sed in promptu eſt reſponſio, quia homines ſunt in rebus ſpiritualibus, ſicut pueri in rebus communibus, ſcil. obliviosi, protervi, petulantes. Quanti negotii eſt regere pueros! Toto die reprehendendi, prohibendi & cohibendi ac admonendi ſunt, ſæpe adiguntur ad ſeriam voluntatem emendandi ſe, ſed momentum vix prætererit, quin denuò ebulliat puerilis petulantia & novam requirat repreſſionem. Pilo meliores non ſunt homines adulti in rebus ſpiritualibus. Imò cum pueri tandem adoleſcant ad eam prudentiam, ut diſciplina puerili amplius opus non ſit, nos nunquam in ſpiritualibus adoleſcimus in hac vita ad eam maturitatem & conſtantiam, quin ſemper opus habeamus ſpirituali verbi diſciplina. Creſcimus quidem & proficimus, ſed non ita, ut ſine adjumento verbi & diſciplinæ propriis talis ſubſiſtere queamus. Neceſſe eſt hoc ſciant noſtri auditores. Nam ſi neſciunt ſe in rebus ſpiritualibus adeò eſſe infirmos, lubricos, inſta-

inſtabiles, ut ſunt pueruli in rebus communibus, nimis facilè ſe ſubtrahent diſciplinæ verbi, putantes ſe ſapientiores eſſe, quàm ut opus habeant ope miniſterii. Notatu digna ſunt verba Chriſti, Luc. 18, 17. q. d. qui ſe non æquè impotentem ac perpetui auxilii indigum agnoſcit, & à verbo Dei dependet, ſicut infans ab uberibus matris, &c. Non ſufficit igitur auditores eouſque adigere, ut ſe ſemel ad Deum convertant, ſed etiam informandi ſunt, quod poſt converſionis initia opus habeant magno labore & multa ope, ut in converſione poſſint perſeverare, pergere & creſcere. Hoc fine, ſicut nuper explicuimus initium converſionis horum trium millium perſonarum, ita nunc progreſſum ejus explicabimus.

Duo ſunt in textus:

1. Forma hujus progreſſus in converſione: ἦσαν προσκαρτεροῦντες.

2. Materia illius: In doctrina Apoſtolorum.

Forma eſt in voce προσκαρτερεῖν. Vox notat perſeverantiam in eo quod cœperant. Explicata hæc vox c. 1. 14. Eſt ſimile à nautis, qui navem vento & fluctibus à littore repulſam remis & contis littori vehementer applicant. Significatur hac voce, quod poſtquam nos ſemel convertimus & Euangelium recepimus, magno labore opus ſit ut perſeveremus in eo, quod recepimus, illudque exequamur. Multò difficilius eſt in converſione perſeverare, quàm ſe primùm convertere. Rationes ſunt:

1. In prima converſione nos ferè paſſivè nos habemus, & Deus eſt qui nos convertit & trahit ac vivificat & Chriſto inſerit: Sed in perſeverantia & executione recepti Euangelii nos debemus eſſe activi. Poſtquam enim vivificati ſumus; noſtrum eſt vivere, agere, operari & præſtare quod recepimus. Sicut infans in utero matris ante nativitatem geritur & nutritur ac vegetatur maximè vi matris ſine ſuo concurſu, ſed poſtquam natus eſt, mater quidem lactat, ſed infans debet lactere, & ſibi ipſi nutrimentum applicare, & quantò ſit adultior, tantò plus cura vitæ & nutritionis à matre devolvitur in infantem: Ita prima converſio eſt magis Dei opus, ſed poſtquam regeniti ſumus, non poſſumus quidem perſeverare ſine Dei ope & auxilio, ſed tamen tum cura ſpiritualis vitæ plus in nos ipſos devolvitur. Difficilior igitur eſt perſeverantia, quàm prima converſio, quia illa plus in noſtros humeros recidit. In ſe quidem difficilius eſt mortuum reviviſcere, quàm vivum operari. Sed nobis tamen hoc difficilius eſt, quàm illud, quia plus eſt noſtrum opus, quàm illud, major eſt noſter concurſus ad hoc quàm ad illud. Perſeverantiam noſtram Deus æquè operatur ac converſionem noſtram primam, 1. Pet. 1. 5. Sed tamen ita operatur, ut plus à nobis requirat, poſtquam vivificati ſumus, quàm cum eramus vivificandi. Applica Eph. 2. 10. Condimur & præparamur ad bona opera. Hoc præcipue Dei opus. Sed poſtquam conditi ſumus, noſtrum eſt in bonis operibus ambulare.

2. Prima converſio conſiſtit in receptione, ſed perſeverantia in executione Euangelii. Jam autem multò facilius eſt conſentire in aliquas conditiones, eaſque in ſe recipere, quàm receptas exequi. Facile eſt perſonas duas contractum inire matrimonii & ſibi invicem promittere omnia officia, omnemque amorem, ſed difficile eſt hanc promiſſionem exſequi, cum per occaſiones animi inflammantur in contrarios affectus. Facile eſt nomen dare militiæ, ſed difficile militiæ munia exſequi per omnia dura. Facile Petrus deſcendebat in mare, Matth. 14. 29. 30. ſed difficulter perſeverabat. Sic facile eſt accedere ad dies ſupplicationum, ad cœnam Domini, & ibi publicè coram facie Dei & Eccleſiæ Euangelium recipere & confœderationem cum Deo facere, ſed cum deinde ad executionem ventum eſt, cum contra ventum & flumen agendum eſt, cum carnis appetitus invaleſcit, & in contrarium rapere ſatagit, cum illuſiones vel perſecutiones mundi in tranſverſum rapiunt, cum ſcandala maxima pietatis praxin obſepiunt, cum Deus ſe hoſtem & contrarium oſtendit, tum durum eſt exſequi, quod recepimus, & tum à nobis requiritur illa προσκαρτέρησις, quâ vim faciamus ut ingrediamur & per anguſtam portam penetremus & fœdus initum ſervemus. Solet nobiſcum eſſe, ſicut cum Iſraëlitis, qui preſſi ſervitute Ægypticâ libenter recipiebant Moſen, ducem in Canaan. Sed cum egreſſus tantis exciperetur periculis, ſemper cupiebant reverti. Hoc exemplum plane hunc in finem deſcriptum eſt. Hæc vehemens perſeverantia non minus à nobis requiritur, quàm ipſa prima converſio & Euangelii receptio, immò ita à nobis requiritur, ut fruſtra ſit futura illa ſine hac, immò ita requiritur, ut niſi perſeveremus, pejores ſimus futuri, quàm ſi nunquam cœpiſſemus. 2. Petr. 2. 21. Sicut campiductor in prælio, ſicut navarcha in procellis ſua ſolet emittere κελεύσματα ad excitandam προσκαρτέρησιν, ita Scriptura nobis ſæpiſ-

ſæpiſſime acclamat, ut perſeveremus. Vide Exod. 14. 13. Eſa. 63. 8. q. d. utique non fient perjuri & fœdifragi. Matth. 10. 22. Luc. 22. 28. 29. 30. Joh. 8 31. Actor. 13. 43. & 14. 22. Rom. 11. 22. 1. Cor. 16. 13. Eph. 6. 11. &c. Phil. 4. 1. Col. 1. 23. 1 Theſſ. 3. 8. 2. Theſſ. 2. 15. 2. Tim. 2. 4. 5. Hebr. 6. 11. & 12. 28. 2. Petr. 3. 17. 1. Joh. 2. 28. Apoc. 2 10 26. & 3. 11. præſertim talia ſolet emittere κιλδίσμωτα, quæ nobis nunciant cuſtodiam Dei ejuſque ſubſidium. 1. Petr. 1. 5. Phil. 2. 12. 13. q. d. ne deſiſtite ab opere, quia Deus vobis certe opitulabitur. Si militibus obſeſſis nunciatur certus adventus auxilii, pugnant ad extremum. Sic certa nunciatio divinæ cuſtodiæ Chriſtianos non facit diſſolutos & ſecuros, ſed animat ad pugnandum, ſic Hebr. 10. 23. 35. 36. 37. præcipue etiam κιλδίσματα minarum ſolet immittere, Ezech. 3. 5. & 18. 24. 26. Gal. 3. 3. 4. Hebr. 10. 38. 39. 2. Petr. 2. 20. 31. 22. Hebr. 6. 4. 5. 6. 7. &c. & 10. 10. 26. Sit itaque vobis commendatum hoc. Volui pluribus teſtimoniis hujus officii neceſſitatem probare, quia hæc potiſſima illa pars Chriſtianiſmi, quæ à vobis requiritur, & in qua maxime deficitis: Multi ſunt qui ſe patiuntur adigi ad bonum initium converſionis, recipiunt Euangelium, adduntur Eccleſiæ, ſed iſta ὑπομονὴ [illegible] ipſis deeſt. Huic itaque date operam. Excitate vos ipſos, Eſa. 64. v. 7. Evigilate Phil. 4. 10. ne defatigamini, Gal. 6. 9. erigite genua titubantia, Hebr. 12. Contendite intrare per anguſtam portam, Luc. 13. 7. Servate fidem & bonam conſcientiam, abſolvite prælium, 2. Tim. 4. Et date operam, ut Dominus adveniens facientes, luctantes laborantes & conantes vos inveniat. Sic dabitur vobis corona, quam juſtus judex repoſuit, &c. Aliud eſt perſeverantia, aliud victoria. Non poſſumus ita pugnare, ut non amplius oppugnemur, neque ita ut nunquam vulneremur & offendamus, aut ceſpitemus, ſed tamen ita ut ad finem uſque pugnemus, nec [illegible] pacem paciſcamur cum mundo & peccato, nec navem committamus fluctibus, ſine omni remo. Rogamus itaque vos qui oppugnamini, 1. internis cupiditatibus: dicite ut Paulus. Rom. 8. 12, 2. mundi perſecutionibus: dicite ut eſt, Dan. 3. 16. *periculi*. dicite ut Eſther 4. 16. amicorum ſollicitationibus: dicite ut Paulus Act. 21. 13. Matth. 16. 23 *Johan.* 2. 4. illuſionibus & periculo offenſionis: *dicite ut* Actor. 4. 19. 6. ipſi Deo affligenti. dicite ut *Job.* 13 15.

Object. Sed hoc pugnat contra civilitatem & humanitatem, quam ſibi invicem homines debent. Non poſſumus bene converſari cum mundo, ſi ita præciſe & ſtrictè volumus inhærere viis Dei. Non poteſt tum ulla amicitia habere locum cum iis, qui non planè ſunt nobiſcum ejuſdem animi. *Reſp.* 1. Quid igitur eſt κυρυξαλεῖν, 1. Tim. 2. 3. Utrum mavis, an inimicitiam Dei, an mundi? Scimus hoc, quod non poſſis ſimul Deo & mundo placere. 2. Si nos modò conſtantes ſumus in malis recuſandis, cæteri fient timidi in malis cupiendis. Reſiſtite Diabolo & fugiet. Eſt noſtra nimia facilitas, quæ malos facit audaces ad mala à nobis cupienda. A me non facile quis cupiet, ut ſecum deſcendam in hoc vel illud malum conſilium, quia ſciunt me non facturum. Tu etiam talis ſis, & nemo te facile ad malum ſollicitabit, nemo te ad malum tentabit. Deeſt nobis fortitudo in rebus & cauſis Dei. Fortiſſimi ſecundùm mundum, effœminatiſſimi in cauſis Dei. Ancilla, fœmina, &c. eos deterret, ne audeant dicere, fœmina quid mihi tecum? Hactenus forma perſeverantiæ: Sed quanam in re perſeverarunt. Fortem & conſtantem perſeverantiam ubique invenimus. Hæretici, ſacrificuli, fures, latrones, &c. Quid ſæpe non patiuntur, quid non movent ut pertendant ſcopos ſuos? Quod ſi perſeverantia virtus eſt, annon hi quoque virtuoſi? *Reſp.* Diſcrimen eſt in materia. Contumacia & conſtantia habent unam formam, utrumque enim vehemens eſt perſeverantia contra oppoſitiones, ſed differunt in materia: Contumacia eſt perſeverantia in propriis imaginationibus, in malis deſideriis, in traditionibus hominum, in viis malis, ſed conſtantia eſt perſeverantia in doctrina & inſtitutis Apoſtolorum.

1. Perſeverarunt in doctrina Apoſtolorum, i. e. in ea, quam ab Apoſtolis diſcebant. Hebr. 13. 9. Eph. 4. 14. Putant homines pietatem in eo poſitam eſſe, ut non facile mutent religionem in qua nati ſunt. Sed ſi majores noſtri ſic feciſſent, adhuc Ethnici eſſemus. Omnia probate, quod bonum eſt retinete, quod ſacrum & Apoſtolicum & Scripturæ conſentaneum eſt, 1. Theſſ. 5. 21.

Obj. Sed difficile eſt ſcire, quid ſit Apoſtolicum, quid non. *Reſp.* Difficile eſt hoc duobus hominum generibus.

1. Iis, qui non ſunt dociles, ſed aures obturant & amant eſſe cœci.

2. Iis, qui non ſunt humiles, ſed ſcientiæ opinione inflati, diſputaces & audaculi, contradictores

res. Sed qui avidè cupiunt inſtitui, & cum humili agnitione ſuæ infirmitatis verbum Apoſtolicum legunt, & audiunt, illis non eſt difficile ſapientes fieri ad ſalutem, 1. Tim. 3. præſertim, ſi non tantum inſiſtunt theoriæ, ſed etiam ad praxin transferunt quod ſciunt. Nam non tantùm hic notatur perſeverantia in theoria, ſed præcipuè in praxi doctrinæ Apoſtolicæ. Manſerunt in humili agnitione & deploratione peccatorum, quæ Apoſtoli ipſis oſtenderant, manſerunt in exercitio τῆς μετανοίας & πίστεως in Chriſtum, quam Apoſtoli docuerant.

2. Perſeverârunt in externis Apoſtolorum inſtitutis. Qualis fuit converſio, talis fuit perſeverantia. Converſio autem erat interna, conſiſtens in receptione verbi Apoſtolici, & externa, conſiſtens in eo, quod addebantur Eccleſiæ, i. e. in viſibilem Eccleſiæ communionem ſe dederunt, & Eccleſiæ ritibus ac inſtitutis ſe ſubjecerunt. Perſeverarunt igitur & in doctrina quam receperant, & in inſtitutis Apoſtolicis, quibus ſe ſubmiſerant. Hæc inſtituta recenſentur quatuor:

1. Doctrina Apoſtolorum. Hoc enim non tantùm ita poſſumus accipere, quod perſeverârunt in fide & praxi ejus doctrinæ, quam ſemel ab Apoſtolis didicerant; ſed etiam ita, ut intelligamus eos perſeveraſſe in concionibus Apoſtolorum quotidie audiendis, & uſurpanda eorum informatione.

2. In Communione, ſeu communicatione. Intelligitur non tantùm communio ſanctorum in omnibus officiis, ſed præcipuè mutua auxilia in rebus externis. Rom. 12. 13.

3. In fractione panis, i. e. adminiſtratione cœnæ, Act. 7.

4. In precibus. Eſt igitur hic egregia deſcriptio cultûs publici in Eccleſia Chriſtiana, conſiſtentis in prædicatione verbi, diſtributione eleëmoſynarum, adminiſtratione Sacramentorum, & invocatione nominis Divini. His rebus conſiſtebant conventus Apoſtolorum, his etiam noſtri. Habent igitur Eccleſiæ noſtræ quicquid eſt antiquum, Apoſtolicum & Catholicum, etiamſi non habeant miſſas, ſacrificia & cæteras nugas ac hominum traditiones. Nos modò hæc non ſeparemus, ſed retineamus integra & conjuncta. Alius verbum recipere ſe dicit, ſed externis inſtitutis ſe non ſubjicit, alius in externis diligens eſt, ſed internam veram receptionem verbi non curat, alius verbum audit, ſed Sacramenta non curat, alius baptiſmum recipit, ſed cœnam negligit, &c. Quæ Deus conjunxit, homo ne ſeparet.

Actor. 2. v. 43.

CONCIO XXXI.

HActenus de initio & progreſſu converſionis: Sequitur ſtatus & conditio Eccleſiæ converſæ, quomodo ſcil. à Deo gubernata ſit, & ſeipſam gubernaverit.

De hoc ſtatu & de hac conditione Eccleſiæ converſæ ſequentia ſunt notanda:

I. Singularia quædam media, quibus eo tempore Deus uſus eſt ad gubernandam Eccleſiam, videl. 1. terror ſuper omnem animam. 2. Prodigia & ſigna per manus Apoſtolorum.

II. Singularis Oeconomia & ordo, quam Eccleſia tum temporis obſervavit. 1. quod ſæpe fuerunt in uno loco congregati. 2. quod omnia habuerunt communia. Hujus declaratio additur: i. e. qui aliquid habebant, vendebant & diſtribuebant inter omnes, prout cuilibet opus erat. 3. Quod quotidie in templo erant concordes. 4. Quod domatim panem frangebant, & unà victitabant, cum gaudio & ſimplicitate cordis Deum laudantis. 5. His additur effectus hujus egregii ordinis: Gratiam habebant apud totum populum.

III. Singularis augmentatio Eccleſiæ quam tum temporis operatus eſt Spiritus S. videl. quod quotidie addidit ſalvandos.

Vidimus ordinem qui eſt in his verbis. Si volumus deſerto ordine textus attendere ad materialia, quæ in iis proponuntur, dicendum eſt de ſequentibus.

1. De vi & efficacia Spiritûs S. quâ refrænavit rabiem hoſtium, ut poſſet colligi Eccleſia. Erat terror omni animæ, & gratiam habebat Eccleſia apud omnem populum.

2. De natura ac uſu miraculorum & ſignorum quæ fiebant per Apoſtolos.

3. De cultu publico, quem Eccleſia fecit in templo.

4. De Chriſtianiſmo privato quem hi homines inter ſe coluerunt, conſiſtente in communione bonorum, in fruitione donorum Dei cum gratiarum actione, nec non in læta ac ſimplici inter ſe converſatione.

5. Denique de augmentatione Eccleſiæ.

De Primo.

Cum dicitur omni animæ factum eſſe timorem, & Eccleſiam habuiſſe gratiam apud totum populum, ſunt res ejuſdem naturæ, ideoq́ue conjungimus, etſi ſunt in textu disjuncta. Per utrumque indicatur vis Spiritûs S. quâ refrænavit animos eorum, qui non erant de Eccleſia, ne plantationem Eccleſiæ impedirent. Opera Spiritûs S. quibus vocat & regit Eccleſiam, ſunt duplicia, videlicet quædam directa ſuper ipſam Eccleſiam, quædam indirecta ſuper mundum de quibus Chriſtus loquitur Joh. 16. v. 8. 9. 10. ubi diſcipulos ſolatur contra metum quem ex mundo conceperant: Cum venerit Spiritus, arguet mundū, &c. Complementum hujus vaticinii habemus in his verbis, quibus indicatur, quod Spiritus mundum ita compeſcuerit, ut plantationi Eccleſiæ ſe non oppoſuerit. Sicut autem homines, qui extra Eccleſiam ſunt, ſunt duplices, ita Spiritus S. dupliciter eos refrænavit.

I. Alii ſunt feri & tyranni, Eccleſiæ nocentes per perſecutionem apertam. Hos repreſſit per immiſſionem terroris. Etſi enim dicitur, hunc terrorem factum eſſe omni animæ, hoc tamen præcipue hoc fine dicitur, ut intelligamus etiam ſeviſſimos quoſque & ſuperbiſſimos terrore percuſſos eſſe.

II. Alii ſunt civiliores & modeſtiores, Eccleſiæ non aliter nocentes, quàm per odium clandeſtinum & calumnias. Hos itaque refrænavit, ut eos gratioſos fecerit erga populum, populo ſuo gratiam dederit coram oculis eorum, ut bona opera & bonum ordinem eorum videntes, mitius de iis ſenſerint Factum hic, quod legimus Exod. 10. 11. & 12. ubi legimus, Deum, ut fieri poſſit exitus populi ex Ægypto, Pharaonem terruiſſe, coram populo autem dediſſe gratiam, ut etiam mutuò datis vaſis exitum juvarent Hic terror & hæc inclinatio hoſtium erga Eccleſiam, etſi eſt extraordinaria, & omni tempore non habetur, tamen ſæpe à Spiritu uſurpatur ad gubernationem Eccleſiæ & fidelium. Nam

1. Quod ad terrorem. Sicut Gen. 9. 2. Deus piis ita benedixit. *Metus & terror veſter ſit ſuper omne animal terræ.* Sic etiam ſæpe fideles armat tali authoritate, ut mundus expaveſcat ab ipſorum intuitu. Deut 11. 25 Hoc præſtitit Jacobo Gen. 35. Cum enim is propter cædem filiorum à Sichemitis fugeret, venit terror Jehovæ ſuper terram, ne perſequerentur. Et quoties Deus caſtra hoſtium contra Populum Iſraël congregata terrore ſolo concuſſit, & in fugam egit, ut habemus exemplum in caſtris Philiſteorum, tempore Jonathanis, 1. Sam. 14. in caſtris Syrorum, 2. Reg. cap. 7. in caſtris Æthiopum 2. Chr. 14. 14.

2. Sicut ſæpe hoſtibus injicit terrorem, ita ſæpe eos inclinat ad gratiam erga pios. Sic Jacob coram Eſau invenit gratiam, Gen. 32. & 33. Sic Joſeph coram Potipharo, Gen. 39. Sic Deut. 2. 6. 7. etiam gentium corda erga leges & mores reipubl Iſraëliticæ ita inclinavit, ut admirarentur & delectatione caperentur, & beatum prædicarent iſtum populum. Sic coram Regibus Perſiæ, ut eſt paſſim in libris Eſdræ & Nehem. Etiam coram Regibus Græciæ, e. g. Alexandro M. Ptolomæo Philadelpho, &c. Eccleſia invenit gratiam. Sæpe fit ut hoſtes ita convincat, ut guſtent bonum quid in externa doctrina & moribus piorum, atque ideo eos ament. Sic Herodes Johannem, Marc. 6. Sic Felix & Feſtus Paulum, Actor. 24. 26. Uſus: Sit conſolatio pro nobis. Nam etſi eſt extraordinarium, quod non ſemper, tamen ſæpe uſurpatum eſt, & hodie quoque contingit. Quis eſt qui non poſſit teſtis eſſe, quoties Deus hoſtes Eccleſiæ repulerit per paucos terrores, ut cum viderentur maximè ſuperbi, uno momento conjecti ſint in fugam. Habuit exempla recens ætas. Et qui ſemel hoc fecit, poteſt facere iterum. Etſi videntur omnia viciſſe hoſtes, uno momento, uno terrore Altiſſimi poteſt concidere omne robur. Patienter exſpectemus tempus Dei, ille poteſt terrere hoſtes. Eſt promiſſio Deut. 28. quod ſi manſerimus fideles in omni verbo Dei, fore ut non ſuccumbamus, ſed prævaleamus, ut confundantur hoſtes, ut fugiant per decem vias. Aut, ſi non vult per terrorem, poteſt per gratiam. Poteſt facile tangere & convincere cor unius & alterius, qui premunt Eccleſiam, ut guſtum aliquem habeant noſtræ innocentiæ & pietatis, atque ita deſinant perſequi. Poteſt facere, excitare aliquem Plinium vel Herennium qui pro Chriſtianis intercedat. Et ſicut in publico, ita & in privato. Sæpe ſunt, qui non habent unde vivant. Sed Dominus facile faciet tibi amicos, in quorum oculis gratiam invenias; Parentes cum moribundi relinquunt orphanos ſine amicis, ne ſint ſolliciti, Deus ipſis faciet amicos.

De Secundo.

Fuerunt τέρατα καὶ σημεῖα per manus Apoſtolorum. Hic quæritur

I. Quid differunt τέρατα καὶ σημεῖα? *Reſp.* Non eſt quod curioſè hoc inveſtigemus. Utraque voce eadem res notatur. Hoc diſcriminis poteſt eſſe, quod per nomen prius magis notatur natura horum operum, per poſterius finis & uſus. Vocantur τέρατα, quia ſunt inſueta contra & ſupra naturæ ordinem, & quia ſunt terribilia. Vocantur ſigna, quia hic eſt eorum finis & uſus, ut ſint ſigna nos inſtituentia, de præſentia Dei, de ira Dei. Signa quibus veritas confirmetur, & quibus potentia Euangelii demonſtretur, & Apoſtolorum authoritas & vocatio confirmetur.

II. Quomodo facta per manus Apoſtolorum? An authores miraculorum poſſunt eſſe homines, cum ne Inſtrumenta quidem videantur eſſe poſſe? In rebus quæ ſunt ſupra naturam nulla manus poteſt habere rationem veri Inſtrumenti.

Reſp. 1. Miraculorum, quæ fecerunt Prophetæ & Apoſtoli, auctor eſt Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, nam ſic eſt Hebr. 2. 4. Marc. 16. v. 20. & 1. Cor. 12. Spiritui S. attribuitur donum miraculorum. Quicunque igitur eſt auctor miraculorum, eſt verus Deus.

2. Apoſtoli non tantùm non ſunt veri auctores miraculorum, ſed ne vera quidem Inſtrumenta. In inſtrumento enim debet eſſe quædam amplitudo & proportio ad producendum effectum. At in hominum manibus nil eſt, quod poſſit conferri, e. g. ad vivificationem mortuorum, ad illuminationem oculi naturâ cœci, ad expulſionem Diaboli, &c. Sicut prima creatio non potuit ullum adhibere inſtrumentum, ita nec miracula. Melius dicitur quod fuerint vera inſtrumenta in regeneratione. Ibi enim implantant verbum quod eſt ſemen regenerationis. Sed in miraculis nil poſſunt agere, quod inſtrumenti nomen verè obtineat & propriè.

3. Nihilominus tamen rectè dicitur, quod per eorum manus facta ſint miracula. Ratio:

α. Quia precibus & fide impetrârunt miracula à Deo, unde à quibuſdam Theologis vocantur inſtrumenta moralia.

β. Quia ipſis prædicentibus Deus implevit & edidit miracula.

γ. Quia ipſis externa quædam ſigna applicantibus, Deus non per illa ſigna, ſed cum illis operatus eſt.

III. Quæ ratio, quod Spiritus S. ſub initium tot miracula adhibuit in regenda Eccleſia. *Reſp.* 1. Ut per ea tanquam per campanas populus convocaretur & congregaretur ad audiendum verbum. Quod enim tam copioſè ſecuti ſunt uſque in deſertum, eſt quia miracula viderant, Joh. 6.

2. Ut Apoſtolis conciliaret authoritatem & fidem authentias, & ſermo oris eorum fidem inveniret, & homines per eum ad pœnitentiam ducerentur. Hodie non opus eſt, miniſtrorum verba confirmari miraculis, quia jam conſenſu publico recepta eſt ſcriptura & creditur eſſe divina, ideoque miniſtris tum creditur, cum quod dicunt, ex Scriptura probant. Sed tempore Apoſtolorum Scriptura N. T. nondum erat recepta & agnita; Scriptura V. T. erat obſcura, nec ab omnibus agnita. Ergo ut Apoſtolis crederetur, neceſſe erat haberent ſigna quibus confirmarent Dominum ipſis eſſe locutum, ſicut Iſraelitæ Moſi non credidiſſent, niſi ſigna edidiſſet, &c. Exod. 3. Hinc Dominus dicitur doctrinam ſtabiliviſſe per miracula Marc. 16. 20. & Hebr. 2. 4. unâ teſtatus eſſe. Hoc erat firmum teſtimonium. Sic enim hi homines argumentabantur: Vera miracula nemo poteſt facere niſi Deus. Per manus horum hominum fiunt vera miracula, quæ omnis creaturæ potentiam ſuperant: Ergo cum his hominibus eſt Deus, & per conſequens vera eorum doctrina. Deus enim peccatores non audit, Joh. 9.

3. Ut Eccleſia haberet aliquid, quod metuerent impii & hypocritæ. Eccleſia tum temporis non erat armata potentiâ corporali Magiſtratûs, quippe qui ipſi erat adverſus. Ne tamen quidvis attentarent hypocritæ, Spiritus S. adhibuit donum miraculorum, ut terrerentur improbi exemplis potentiæ, quam videbant in Apoſtolis. Sicut enim ideò Magiſtratus ad ſupplicium trahit improbos, ut exemplo cæteri terreantur: ſic Act. 5. 11. in Anania Petrus exemplum edidit potentiæ Apoſtolicæ, ut alii metuerent Sed hodie cum mundus redactus eſt ſub obedientiam Euangelii, & ipſe Magiſtratus factus Eccleſiæ nutritius, eique hoſpitium præbet, non opus eſt defenſione miraculoſa.

4. Ut Chriſtus toti Eccleſiæ oſtenderet potentiam ſuam & divinitatem, ne hæſitaverit in fide, cum naturalia media deficiunt.

IV. Sed diſputatur acriter, an verum ſit quod Eccleſiæ hodie adempta ſit vis miraculorum? Pontificii negant. Ajunt miracula eſſe notam veræ Eccleſiæ, & hoc fine ex nobis miracula poſtulant doctrinæ noſtræ, & de ſe magna admodum jactant. Referunt ex Patribus & ſuperioribus ſeculis multa mirabilia, & etiamnum plurima ſe dicunt facere:

tere miracula aut habere. Et quæſo, an putamus Deum ita planè ex conſpectu hominum abiiſſe, ut ſe nullâ re conſpiciendum præbeat, niſi per ordinarium curſum naturæ?

Reſpondeo tribus Propoſitionibus.

1 Falſum eſt miracula eſſe notas Eccleſiæ. Probatur: 1. Non fuerunt ante Moſen. 2. Non fuerunt tempore Prophetarum poſteriorum, nec poſt captivitatem Babylonicam. 3. Auguſtinus teſtatur ſuo tempore deſiiſſe. 4. Poteſtas miraculorum non eſt pars ejus poteſtatis, quam unquam ulli Eccleſiæ dedit Deus: Nam ea poteſtas datur omnibus Eccleſiis, & omnibus antiſtitibus. At hæc non, ſed paucis quibuſdam ſingularibus perſonis. 5. Miracula poſteriorum temporum ſunt ſignum Antichriſti, Matth. 24. v. 24.

2. Falſum eſt Papatum edere vera miracula. Illa enim quæ crepant in legendis aut ſunt vetera, aut récentia. Si vetera, non magnopere repugnamus. Concedimus enim illis temporibus fuiſſe miracula. Si recentia, aut ſunt ficta mendacia, aut ſi quid verum in iis, ſunt fraudes & præſtigiæ Satanæ. Satan magna poteſt, & Deus ad ſtabiliendum errorem in pœnam contemptæ veritatis ſæpe permittit ut magna faciat. Interim non poteſt vera miracula facere, ſeu curſum totius naturæ mutare. Si volunt oſtendere miracula, oſtendant vera. Faciant ſtare ſolem, excitent mortuos, &c. Miracula quæ illi crepant, Satan etiam poteſt facere, & prædictum eſt facturum Antichriſtum, & experientia oſtendit, quãtum fraudis & mendaciorum in iis rebus fuerit adhibitum, & quæcunque miracula fiunt ad ſtabiliendos errores Scripturæ contrarios, certè ſunt ex Satana. Dum igitur jactant miracula, ſe nimis faciunt manifeſtos, quod ſint Antichriſtus.

3 Interim non eſt ſic, quod poſtquam miracula ceſſârunt, Deus manum ſuam ita abſconderit, ut nuſquam appareat, niſi in ordinario curſu naturæ. Deus ſæpe ita manum exſerit, ut ſatis appareat. Sæpe tal[illegible], ut cogamur dicere, hic eſt digitus Dei. Deus Eccleſiam non tantùm regit per promiſſiones, aut prædictiones verbi, ſed etiam per experientia[illegible] ſuæ præſentiæ. Non tantùm requirit ut credamus ſuam providentiam, ſed etiam facit ut ſentiamus. Etſi non fiunt miracula, tamen fiunt mira: In [illegible] & mundo. Nulla herba eſt, quin præ[illegible] Dei referat. Aperi modò oculos, inſpice miracula maris, cœli, montium, animalium, herbarum, nativitatis hominis. Inſpice modò varias ſpecies morborum & omnem illam corruptionem & vanitatem, cui Deus mundum propter peccata ſubjecit, Rom. 8. Quot hîc contingunt τέρατα inſueta, innaturalia, terribilia! In Eccleſia. Quàm mirabilis benedictio ſæpè evenit iis terris, urbibus, Eccleſiis, quæ Euangelium profitentur, quàm admirabilis liberatio iiſdem, cum ſunt in anguſtiis, quàm mirabilia judicia contra hoſtes Euangelii, quàm mirabilis caſtigatio, propter nauſeam Euangelii. Hæc terra & recens Germaniæ deſtructio ſit teſtis. Quæritis miracula vos Pontificii. Dabimus cujus vos nullum ſimile dare poteſtis. Quamdiu Proteſtantes reformati fuerunt in mundo, & à Papatu ſeparati, nunquam habuerunt magnam vim externam, fuerunt inter ſe diſſidiis lacerati, quod habuerunt infeliciter perdidêre, victi à vobis Principes noſtri in veſtras manus devenêre, poſt victoriam vos ſæviſtis non ſolum per milites, ſed per carnificem tam crudeliter, ut nulla lingua poſſit ſatis exprimere, & tamen non potuiſtis retundere vim noſtrarum linguarum, quin Papam veſtrum de maxima parte ſolii dejecerimus, & ex tot regnis ac provinciis expulerimus. Proximis annis iterum viciſtis, & eò deveniſtis, ut omnia vobis viderentur contemnenda, quæ opponi poſſent. Per unum aquilonis flatum omnes veſtras copias rejecit Deus in Alpes. Sunt igitur etiamnum in Eccleſia miracula. Sivit Deus vos tertiò redire, ut fraudibus noſtras partes vobis attraheretis, & tamen hactenus non potuiſtis. Et quæſo, ne jactate miracula, antequam videatis exitum. Si nos tantum habuiſſemus victoriarum in vos, quantum vos in nos, veſtra religio & ſuperſtitio dudum ſuccubuiſſet, quia nil habetis, quo defendatur, præter arma: Sed cum nos armis ſpoliati fuimus, ſubſtitimus vi veritatis, imò effecit, ut in oculis quorundam Papiſtarum invenerimus gratiam. In privato hominum ſtatu. Multa mirabilia judicia Dei deprehendis, e. g. homicidam miro vindictæ genere perire, adulterum ſecretâ maledictione conſumi, ut nemo ſciat quomodo, uſurariũ aut oppreſſorem mirabiliter aut in ſe aut in poſteris ita ſpoliari, ut mirum ſit pœnæ talionis varia exempla conſpici. In ſumma omnem omninò tranſgreſſionem recipere juſtam mercedẽ Hebr. 2. v. 2. In his omnibus mira Dei dextra ſæpè apparet. Immò ſi vis videre miram Dei dextram, ſibi modò in te ipſum: Examina 1. Vitam tuam. Toties ſic peccavi, & ſic punitus ſum, toties ſic oppreſſus, & ſic liberatus. Scis quo in ſtatu ſæpe fueris, & quàm incredibilis fuerit tua liberatio, & tamen

liberatus es. 2. Conſcientiam tuam: Nonne ſentis motus Spiritûs S. Cor tuum antea durum, huic & huic peccato deditum. Annon ſentis manu Dei mutatum? Quis eſt qui non per ipſam experientiam de Dei præſentia & manu teſtari poſſit? Exitus ex omnibus tentationibus & compenſatio ſequens altâ voce clamat Dei circa nos præſentiam. Verè exclamandum ex Pſal 58.11. Verè judex eſt in terris. Verè Deus in homine. Verè juſtus fruetur benedictione.

Uſus I. Cum audimus, Deum doctrinam Eccleſiæ tot miraculis olim confirmâſſe, & etiamnum ſe teſtatum reddere per tot mira judicia ſuper mundum & Eccleſiam, denuò moveatur animus, ut Deum metuamus & Eccleſiæ nos aſſociemus. Deus trahit & invitat per opera naturæ, tum per verbum, hortationes, promiſſiones, minas, obſecrationes. Addidit juramenta, addit quotidianam experientiam. Singula hæc exaggerant noſtram condemnationem, ſi non obediamus. Scis quid Chriſtus dicat: Væ tibi Chorazin, &c. Si talia miracula, &c. Sic væ tibi hodierna Eccleſia, quæ tot vides mirabilia Dei judicia, nec tamen reſipiſcis!

II. Conſolatio. Sæpe videmus naturam totam deficere, & omnia media. Tum triſtamur. Sed cogitemus, etſi Deus non facit miracula, tamen facit mira, facit ſupra quàm cogitare poſſumus: media novit conquirere etiam hodie, quæ humanâ arte & ope inveniri non poſſunt. Cum conſolationis ergo producimus vetera miracula, homines excipiunt, id tum quidem factum, ſed hodie non poſſe eſſe ſolatio, quia hodie miracula non fiunt. Sed fiunt tamen mira. Facit Deus etiam hodie ſuprà quàm intelligimus. Summa, ſi nil mirum eſſet in hodierna Dei ſuper Eccleſiam providentia, hoc mirum ſatis, quod ita potens in infirmis gaudet eſſe.

Actor. 2. *v.* 44. 45. 46. 47.

CONCIO XXXII.

HActenus de mediis, quibus Deus hoſtes Eccleſiæ compeſcuit, item de miraculorum natura & fine: ſequitur tertiò de congregatione quotidiana Chriſtianorum & quidem in Judaico templo.

De hac duo docenda:

1. Monemur per eam de neceſſitate congregationis publicæ, ejuſque crebræ & conſtantis, itemque de vitandis ſchiſmatibus & retinenda concordia, unione ac communione cum Eccleſia. Sed de hac aliàs actum.

2. Quæritur quare in Judaico templo fuerint congregati? Templum erat ceremonia Judaica, cujus finis erat, ut in eo fierent ſacrificia, & ut in eo vel verſus illud fierent preces ſanctorum ad repræſentationem ſacrificii & interceſſionis ac totius mediationis Chriſti. Cur igitur Chriſtiani poſt abrogationem ceremoniarum in templo congregantur, & cur ſæpe legimus Chriſtianos communicâſſe cum cæremoniis Judaicis, Act. 15. v. 20. & 16. 3. & 21. 24. An rectum & imitandum? *Reſp.* Rectum, ſed non imitandum, quod patebit ſi conſideres rationes propter quas fecerunt. Non fecerunt eo fine quo Judæi. Id enim foret negatio adventûs Chriſti & impletionis factæ, ſed fecerunt:

1. Propter homines ſcil. Judæos, idque dupliciter. Ut confluentes ad templum Judæos concionibus ſuis lucrifacerent. Ut infirmis Judæis ſcandalum adimerent.

2. Propter ceremonias ipſas, ut non turbulenter ejicerentur, ſed honeſtè ſepelirentur. Fecerunt, inquam:

1. Propter alios homines, videl. ne ſcandalum acciperent alii Judæi. Erat cum Chriſtianis ejus temporis ſicut hodie cum Pontificiis. Clamabant quod novam religionem introducerent, & Moſen ac legem ejus ejicerent, & hoc argumento multi erant à Chriſtianiſmo alieni. Itaque ne hoc ſcandalum alios averteret, ſenſim egit Spiritus S. in abrogandis ceremoniis, donec melius inſtituti ipſimet agnoſcerent neceſſitatem mutandi. Hic finis ampliter declaratur Act. 15. v. 24. &c. & 21. verſ. 21. &c. Non fecerunt eo fine quo Judæi. Hoc enim fuiſſet negare adventum Domini, ſed ex caritate ad vitandum ſcandalum.

2. Propter ipſas ceremonias, ne illæ ignominioſè tractarentur. Erant ceremoniæ Divinitus inſtitutæ, & tam diu ſervierant Eccleſiæ inſtituendæ & regendæ. Non erant igitur turbulenter ejiciendæ, ac ſi fuiſſent ceremoniæ Ethnicæ ac Papiſticæ. Abrogatio earum non erat talis reformatio, qualis cum Ethniciſmus aut Papiſmus inſtrumenta idololatriæ & ſuperſtitionis ex Eccleſia ejiciuntur, ſed erat mutatio ab ipſo Deo mandata, quâ pro uno Divino aliud Divinum ſuſcipiebatur. Hoc faciendum ita, ut reverenter tractarentur quæ hactenus Divina fuerant. Hinc Patres: Synagoga non occidenda, ſed ſponte mortua eſt & reverenter ſepelienda. Ecce

hæ

hæ rationes, quare illi ceremoniis indulgebant. Jam illæ rationes ceſſant. Non ſunt infirmi Judæi, ſed convicti. Ceremoniæ ſunt ſepultæ, non igitur refodiendæ.

Uſus: Diſcamus hinc prudentiam & caritatem, ut accommodemus nos infirmis, quantum bona conſcientiâ licet, nec intempeſtivo uſu noſtræ libertatis perdamus fratrem noſtrum. Sæpe aliquid in ſe facere liberum & licitum eſt. Sed ſi infirmus frater inde patiatur ſcandalum, neceſſe eſt nos accommodemus, & libertate non utamur, e. g. Hi potuiſſent omittere ceremonias, &c. Sic Paulus 1. Cor. 8. potuiſſet carnem edere, ſic idem Paulus paſſim teſtatur ſibi licitum eſſe ſtipendium accipere pro prædicatione Euangelii, ſed maluiſſe manibus laborare, ne offenderentur, ne premerentur fratres, aut cæteris daretur anſa calumniandi. Sic ſæpe poteſt contingere, ut jure aliquid poſſim facere, vel ab altero exigere, quod tamen ut faciam, vel exigam non decet, nec utile eſt, propter aliorum infirmitatem.

De Quarto.

Videl. de Chriſtianiſmo privato, quem inter ſe coluerunt in domibus ſuis.

Hic conſiſtit in ſequentibus:

I. In communione bonorum, de qua dicitur: *Habebant omnia communia.* Et additur declaratio quomodo intelligendum: *Vendiderunt bona & agros & diſtribuerunt prout quiſque opus habebat.* Quare vendiderint, duplex videtur cauſa:.

α. Ut haberent quo ſubvenirent neceſſitati pauperum. Hic enim uſus hujus venditionis deſcribitur, cum dicitur: & diſtribuerunt, &c.

β. Videtur ipſis jam tum revelata fuiſſe futura deſtructio terræ & urbis Judaicæ & neceſſitas exulandi. Uſi igitur ſunt prudentiâ, maluerunt bonis ſuis Eccleſiæ conſulere, quàm omnia perdere. Hic autem jam locus ille, ex quo Spiritus anabaptiſticus ſua deprompſit. Quæritur igitur, an communio illa anabaptiſtica hic fundamentum habeat? *Reſp.* Negatur. Rationes: 1. Non dicuntur vendidiſſe omnia, adeoque liberos & uxores, &c. & ea quoque habuiſſe communia. 2. Non dicuntur ea, quæ vendiderant, æqualiter inter omnes diviſiſſe, ſed ex iis pauperibus dediſſe, quantum opus quiſque habebat. Erat ordinata charitas. 3. Quod fecerunt non fecerunt ex præcepto, ſed liberè, & vendita quoque manebant in eorum manu, Actor. 5. 4.

4. Si inter Chriſtianos nullæ privatæ poſſeſſiones licitæ, ſed omnia deberent eſſe communia, non foret locus præceptis contra furtum, quæ tam multa ſunt. Quid eſt, non furaberis: i. e. non auferes quod alterius eſt, in quo tu nullum jus habes. Nec locus præceptis de eleemoſynis. Nam quo fine jubemur de noſtris dare pauperibus, ſi nihil noſtrum eſt, ſed omnia communia? Interim quamvis quod quiſque in hoc mundo poſſidet, non habet alium dominum nec eſt commune quantum ad poſſeſſorem, hoc tamen hinc diſcimus, nos noſtris bonis non tantùm debere uti ad noſtram recreationem, ſed debere uſum eorum aliis quoque concedere cum opus eſt, & quantum opus eſt.

Rationes movendi.

1. Mandatum Dei: Luc. 12. 33. Rom. 12. 14. Eſa. 58. 7.

2. Excellentia operis. Sic facientes ſumus Inſtrumenta divinæ providentiæ & conſervationis. Præſertim hoc tempore, ubi tot ſunt miſeri qui non niſi noſtrâ liberalitate poſſunt ſervari. Servate ſemen Eccleſiæ. Sumus aliis hominibus Patres & Matres. Sumus exemplo & imago Divinæ bonitatis.

3. Fructus operis, videl. 1. Diſcimus hinc ſinceritatem noſtri amoris. Si quis fratrem videt egentem & claudit fores, ubi charitas, 1. Ioh. 3. 3. Recompenſationem. Deus viciſſim diligit. Sicut Pater ſervum, qui liberos ejus diligit, viciſſim diligit, ſic, Deus diligit eos qui benefaciunt ejus liberis. Erit ſemen in terram frugiferam conjectum.

4. Æquitas operis. Deus omnia dedit ipſum filium, hæc ipſa bona, & eo fine dedit ut diſpenſemus in pauperes.

Sed ſicut ſtudendum huic communioni & charitati, ita non negligendus ille ordo charitatis, qui hic exprimitur, videl. ut demus cuique ſecundum neceſſitatem. Hæc debet eſſe regula. Non ſecundum affectus, ſed ſecundum neceſſitatem dandum eſt. Si neceſſitas eſt ordinaria, demus modo ordinario, videl. ex abundantia noſtra, ut loquitur Paulus 2. Cor. 8. 13. i. e. quantum requiritur ad neceſſitatem vitæ & ſtatûs noſtri. Sed ſi neceſſitas eſt extraordinaria, etiam dandum prout opus habent, etiamſi vendenda κτήματα, & ſubtrahendum ordinario ſtatui, ſicut Chriſtus de vidua illa prædicat, Marc. 12. 41.

II. In mutua converſatione, quæ hæc habebat.

1. Domi frangebant panem, & unà cibum capiebant. Hic

α. An in una domo fuerint ſemper congregati, non

non eſt certum. Probabile eſt, quod non fuerint admodum diſperſi, ſed plerumque congregati *ἐπὶ τὸ αὐτό*, idque propter periculum perſecutionis & ſeductionis.

β. Cum dicuntur hæc duo ſimul feciſſe, videl. fregiſſe panem, & unà cepiſſe cibum, idque domatim, hoc indicatur, quod ſacrum illud epulum unà celebraverint, quod Chriſtus in memoriam ſuæ mortis inſtituerat (hoc enim ſupra vocatur fractio panis) & quod tamen quoque ſimul comederint epulum illud dilectionis, quod divites & pro ſe & pro pauperibus inſtruebant. Si quis jam quærat, an hoc rectè factum, quod iſtud ſacrum epulum, quod nos certis temporibus in publico templo celebramus, illi celebraverint quotidie & in privata domo tempore communis cibi? *Reſp.* Non malè. Nam 1. non habebant locum publicum. Templum non erat patiens novorum rituum. Ergo in privato. Nunc cum crevit Eccleſiæ libertas, non decet fieri privatim quod fieri poteſt publicè. 2. Non eſt præſcriptum quoties debeamus uti ſacra cœna, ſed tantùm quod ſæpe debeamus uti. Quod illi quotidie uſi ſunt ſignum eſt fervoris & zeli erga res divinas. Noſtris temporibus, in quibus tantopere refrixit fervor pietatis, & in quibus plurimi non vendidimus noſtra bona, ſed verſamur in occupationibus mundanis, utpote viventes in libertate, nec parati ad exilium ut illi, ut non facile ſimus armati futuri contra profanationis periculum, diſtantiam aliquam ſervat Eccleſia, ut meliori & ſolenniori cum præparatione ad verum uſum hujus ſacri venire queamus. 3. Quod ſtatim conjunxerunt convictum ordinarium, fecerunt ad teſtandam mutuam charitatem, (unde & *ἀγάπας* nomen ſacra cœna apud veteres habuit) nec non ut in hoc communi convictu ſe mutuo melius erudirent, & occaſionem haberent diſcendi. Noſtro tempore, cum aut caritas non eſt tanta, aut pauperum numerus & ſtatus alium ordinem requirit, aut etiam periculum eſt illius abuſus quem taxat Paulus 1. Cor. 11. v. 21. 22. videl. ne occaſione epuli homines ruant in ebrietatem & profanationem Sacramenti, factum eſt, ut Eccleſia hoc poſtmodum aliter ordinaverit, immò Paulus videtur ordinâſſe, cum dicit: nonne habetis domos, &c. 1. Cor. 11. 22. Quod ad circumſtantias ſacrarum actionum attinet, illæ multum pendent à diverſitate ſtatuum, quibus Eccleſia eſt obnoxia, adeoque mutationem patiuntur, ſed quod ad doctrinam Eccleſiæ, aut etiam quod ad ceremonias, in quibus externa ſacra conſiſtunt, in iis verba & exempla Scripturæ debent eſſe pro regula à qua ne latum quidem unguem diſcedatur.

2. Sed præcipue attendendum ad internas qualitates cordis, cum quibus hæc externa converſatio & convictus ille erat conjunctus. Eæ ſunt tres. 1. *In gaudio.* Non carnali, quod oriebatur ex ſuperfluo uſu cibi & potûs, ſicut nos in noſtris conviviis ſolemus eſſe læti. Si ſic eſſet, noſtra diverſoria publica forent optima hujus congregationis imago. Sed ſpirituali, quod oriebatur ex eo, quod periculum animæ detectum & juſto conſilio averſum erat. Si quis in periculo verſatus ſano conſilio & monitu extrahatur, quam lætus eſt. Sic, hi fideles ſacro memoraculo mortis Chriſti de liberatione animæ ex periculo condemnationis certiores facti gaudebant. Et quamvis ſcirent novas imminere calamitates, tamen gaudebant ſcientes quòd, poſtquam æterna condemnatio averſa, nil jam periculi aut mali poſſit obvenire, quod gaudium meritò impediat Rom. 5. 3. 2. in *ἁπλότητι καρδίας* Converſabantur inter ſe ſincerè, fideliter, ſine fraude, non habentes cor & cor, non odio habentes alter alterum, non coram adulantes, à tergo calumniantes. O neceſſarium requiſitum Chriſtianæ converſationis! Si noſtræ converſationis modus conferatur, quis eſt quin obſervet quantum abſit ab hac ſimplicitate & fraterna ac ſerena ſinceritate, quantum permixtus falſitate! Coram verba damus & ficta humanitate ac gratiâ tantùm non angelos mentimur, ſed à tergo omnia plena calumniis. Coram explorant, ut abſentes garriant. 3. Cum laudatione Dei. Magnum, requiſitum conviviorum, ut cum unà donis Dei ſumus fruiti, unà Deum laudemus, & per preces cibum noſtrum ſanctificemus. 1. Tim. v. 4. Nam

1. Maledictio eſt ſuper omnes creaturas. Precemur igitur. 1. Ut juſtificati per ſanguinem Chriſti, & reconciliati Deo non accipiamus ex cibo maledictionem, ſed benedictionem. 2. Ut ſanctè & temperanter cibo utamur. 3. Ut cedat in robur & ſanitatem. 4. Ut impendamus robur ad Dei gloriam.

2. Cum edimus, non ſimus ut porci, qui non reſpiciunt arborem, unde decidere glandes. Omnia beneficia operentur in animas, & ſemper elevent animam ad agendas gratias donorum auctori. Sicut cibus generatione ſpirituum vitalium exhilarat corpus ad exultationem & lætitiam, ita præcipuè exhilaret animum ad exultandum coram Deo.

Cogi-

Cogitemus cujus convivæ ſimus. Non edimus panem proprium, ſed panem Dei. Ecce hæc converſatio, quam inter ſe habebant primi Chriſtiani. Nec ſolum in precibus conſiſtit Chriſtianiſmus privatus, ſed in lectione, inſtitutione familiæ, &c.

DE QUINTO.

Videl. de augmentatione Eccleſiæ.

1. *Deus addebat.* Nemo ad Eccleſiam venit, niſi Deus trahat & addat. Converſio & fides ex Deo eſt. Tria hic traduntur:

1 Eccleſia non manſit in eodem ſtatu, ſed quotidie crevit & aucta eſt. Eccleſia eſt ſicut corpus anima præditum quod perpetuò creſcit & augeſcit. Spiritus S anima Eccleſiæ, qui habitat in ea tanquam in ſuo corpore. Jeſus Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, qui influentiam Spiritûs largitur, ex quo totum corpus compactum, &c. Eph. 4. 15. 16. Verum quidem eſt, quod non omni tempore & omni loco æque multum creſcit, ſed ſæpe decreſcit, & quaſi contabeſcit, interim tamen ex quo primùm plantata fuit, ſemper fuit corpus vivum, nec unquam Spiritu S. penitus privabitur, ſed tandem ita perficietur, ut Chriſto ſiſtatur Sponſa ἄμωμος, Eph. 5. 16. 17. Eccleſia eſt ſicut fœcunda mater, cujus matrix nunquam eſt ſterilis, Pſal. 110. 3.

2. *Dominus addidit.* Non ſuo arbitrio acceſſerunt, ſed Dominus addidit, attraxit Johan. 6. & ſupra v. 39. Vocantur quidem multi per externam vocem Euangelii, & qui non veniunt, ſuâ culpâ non veniunt, & ſeipſos excludunt, ſed nemo venit, niſi quem Deus adducit. Deus eſt qui plantat, Deus eſt qui incrementum dat. *Object.* Atqui Paulus eſt qui plantat 1. Cor. 3. 6. *Reſp.* Paulus & Apollo ſunt qui & plantationis & incrementi media adminiſtrant, videl. ſemen & pluviam verbi. Deus autem eſt qui verbum in cor inſerit, & corda noſtra in fundum cordis Chriſti infigit. Obſervandum hoc 1. Ut habeat gloriam totius operis ſolus Deus. 2. Ut ſciamus quàm firma ſit noſtra in Eccleſiam inſitio. Non facta eſt mutabili vinculo noſtri arbitrii, ſed manu Dei. Sumus planta quam Pater plantavit, Joh. 15.

3. *Addidit ſalvandos*, i. e. quotquot ordinati erant ad ſalutem, ut explicatur Act. 13. Quos enim elegit, hos vocat, juſtificat, glorificat Rom. 8. Eccleſia eſt arca Noë, in qua ſalus. Quotquot beneplacito Dei ad ſalutem electi ſunt, adduntur tandem Eccleſiæ, ut in ea deſtinatam ſaltem adipiſcantur.

Act. 3. v. 1.

CONCIO XXXIII.

HActenus primum teſtimonium, quod Apoſtoli Chriſto exhibuerunt, idque in urbe Hieruſalem. Sequitur aliud in eadem urbe exhibitum, idque duos habens gradus, vel duas partes videl. 1 Miraculum. 2. Concionem miraculo adjunctam cap. 3 unà cum effectu hujus miraculi, qui capite [illegible] deſcribitur.

I. Primo omnium deſcribuntur auctores hujus miraculi, vel potius cauſæ miniſtræ, per quarum manus hoc miraculum factum eſt. Petrus & Johannes. Pontificii hic denuò quærunt argumentum probandi, quod Papa ſit Epiſcopus Oecumenicus, caput ac fundamentum Eccleſiæ. Videamus quale illud ſit.

1 *Petrus fecit primum miraculum. Ergo fuit Apoſtolorum caput ac princeps?*

Reſp. Negatur fuiſſe primum. Nam præceſſerat donum linguarum & præterea alia multa per manus omnium Apoſtolorum, Act. 2. 43.

2. Poſito, quod ſit primum, quid tum? Non enim eſt ſolius Petri, ſed & Johannis. Etſi enim Petrus dicit: non habeo, & quod habeo, do, v. 6. tamen hoc miraculum Petrus non ſibi ſolum, ſed & Johanni tribuit, v. 12.

2. Poſito quod ſolus Petrus fecerit primum miraculum, quid tum? quid ſequitur? Immò, inquiunt, hoc fine Petrus ſanavit pedes, qui ſunt fundamentum & ſuſtentaculum corporis, ut oſtenderet ſe eſſe fundamentum Eccleſiæ.

Reſp. Vereor, ne hoc argumentum vos omnes faciat Pontificios, præſertim ſi ſine demonſtratione dicatur quod Ambroſius hujus argumentationis auctor ſit! Sed tamen Petrus non hoc fine fecit, ut ſe oſtentaret quis eſſet, ſed ut Reſurrectionem Chriſti per illud confirmaret, verſ. 12. 2. Paulus etiam ſa-

navit pedes, & idem miraculum fecit. Ergo etiam eſt Oecumenicus, Act.14.8.9.10. 3. Immò quod plus eſt, Paulus in capite miraculum fecit, Actor.13.11. An putatis credibile eſſe S. Ambroſium adeò blaſphemum fuiſſe, ut Petro tribueret, quod ſolius Chriſti eſt, videl. eſſe caput, fulcrum & fundamentum Eccleſiæ! Demonſtrant docti nonnullis argumentis, librum in quo hæc verba leguntur, Ambroſii non eſſe. 4. Poſito, quod Petrus fuerit Oecumenicus, quid tum? quid hoc ad Papam, qui non poteſt ſanare pedes? Nonne meritò huc poſſumus applicare hiſtoriam quæ refertur de Gregorio X. qui cum Neapoli multi auri ac argenti hæreditate donatus eſſet, nunc non poſſum, inquit cuidam, qui adſtabat, dicere ſicut Petrus, aurum ac argentum non habeo. Sed heus, inquit alter, nec dicere potes, ſurge & ambula; pungens hoc pacto Papam, & indicans, Papam Petro in tam multis rebus eſſe inferiorem, ut parum cauſæ habeat jactandi ſe ſucceſſorem Petri. Quæſo, vos, cum domum veneritis, narrate veſtris amicis, qui Papæ ſunt addicti, quàm firmum & ſolidum fundamentum Pôtificiæ authoritatis audiveritis, ſi fortè Deus det, ut inanitates & blaſphemias hujus dogmatis animadvertentes fidem ſuam abſtrahant ab iſto Romano monacho, ſcortatore & idololatrâ, illamque ponant in Jeſu Chriſto, & in auctoritate divini verbi. Nam certè hoc eſt fidem ſuam in Papam ponere, ſi credam ac recipiam ſine probatione omnia, quæ Papa dicit & ordinat, etiam ſine verbo Dei, & ſi in Papa imaginor poteſtatem remittendi peccata, & faciendi quæ Chriſto ſoli competunt.

II. Petrus & Johannes adſcendebant ſimul. Sæpius de his duobus Apoſtolis legitur, quod unà iverint & aliquid fecerint. Vide Joh.20.2. 3. 4. Johan. 21. 7. 20. 21. Act. 8. 14. Unde quidam etiam putant illum diſcipulum, de quo Joh. 18. 15. fuiſſe Johannem. Docet hoc exemplum

1. Concordiam eſſe colendam inter omnes, præſertim inter collegas.

2. Amicitiam non niſi cum quibuſdam eſſe colendam. Concordia colenda eſt cum omnibus bonis, ſed amicitia cum quibuſdam. Petrus habuit undecim collegas. Cum omnibus coluit concordiam, ſed non legimus, quod cum ullo tantam coluerit amicitiam, atque cum Johanne. Rationem hujus delectus Scriptura non exprimit. Videntur tamen duæ ſatis commodæ aſſignari poſſe: 1. Voluit peculiariter diligere illum, quem Jeſus peculiariter dilexit, quo nomine ſeipſum Johannes ſæpe exprimit Joh.20. 2. & 2. 1. 7. ac 20. Non eſt mirum Chriſtianos peculiarem amicitiam quærere cum iis, ſuper quos animadvertunt divinum amorem peculiariter ſe effundere ſingularibus donis, & ſingulari menſurâ Spiritus S. Gaudent enim cum talibus habere ſocietatem & communionem affectuum & precum, ut & benedictionis communionem habeant. Gen.26.28. 1.Sam.18.1.2.3. Mundus quærit amicitiam cum divitibus & liberalibus, Prov. 14. 20. & 19. 4. & 6. Sed pii quærunt amicitiam eorum, cum quibus Dominus eſt. Gen. 21. 22. 2. Voluit Petrus peculiariter diligere illum, quem ſciebat eminere contrariâ ſuis vitiis virtute. Scimus ex tota Euangelica hiſtoria. Petrum fuiſſe temperamenti calidi, adeoque pronum ad iram, promptum ad verbera & ad vindictam. E contra Johannes verum eſt exemplum longanimitatis & amoris, quem ſcripta ejus præcipuè ſpirant. Petrus igitur morbum ſuum ſciens, talem ſibi elegit amicum, à quo aliquam morbi medicinam poſſet ſperare. In mundo ſimilis ſimili gaudet. Ebrioſus ebrioſum, ſcortator ſcortatorem, avarus avarum, fraudulentus fraudulentum, &c. amicum ſibi eligit, & qui non vult iiſdem viis incedere, odio habetur à talibus, 1.Pet.4.4. Sed pii gaudent amicitiâ eorum, qui ſibi in vitiis ſunt diſſimiles, & habent ſuis vitiis contrariam virtutem. Sicut infantes ſcabioſi maximè, amant eos qui habent acutos ungues, quibus ſcalpere & ſcabere poſſunt, ita pii, ſuorum vitiorum gnari, amant eos maximè, qui ſunt hoſtes & inimici vitiorum ipſorum, Pſalm.141.5. Diſcamus igitur à Petro prudentiam in eligendis amicis. Amor quem proximo debemus habet tres gradus diſtinctos.

1. Primus eſt Manſuetudo, longanimitas, lenitas, placabilitas & ſtudium pacis. Hunc gradum amoris debemus omnibus hominibus, etiam ipſis impiis, ſi modò poſſibile ſit, & ab adverſariis non impediatur, Rom. 12. 17. 18. 19. 20. Debemus quidem malis & hoſtibus Dei præcipuè nos opponere, ſed tamen tali irâ & oppoſitione, quæ regatur amore proximi, & ſtudio pacis, quantum poſſibile eſt.

2. Secundus eſt Concordia, quâ non tantùm cavemus ne mutuis rixis & odiis ac hoſtilitatibus nos invicem non lædamus, ſed etiam eam colamus communionem, quæ ad communia officia exſequenda neceſſaria eſt. Hinc ille gradus amoris, proprius iis, quos Deus conjunxit in ſocietate alicujus officii. Aliud eſt conſpiratio, quâ homines ſe colligant

gant ad unum malum ſcopum obtinendum, aliud verò concordia, quâ nitimur unà obtinere ſcopum bonum, in quo Deus nos conjunxit. Sic collegia Magiſtratuum, miniſtrorum, conjugum, membrorum ejuſdem familiæ. Hos omnes Deus in communi aliquo ſcopo conjunxit. Etſi autem in eadem ſocietate ſunt conjuncti, tamen ſæpe ſunt temperamenti & conſuetudinis diverſiſſimæ. Sæpe maritus profuſus, uxor avara, ſæpe maritus pius, uxor impia. Hinc diſcordiæ & retardatio communis ſcopi. Horum igitur officium eſt, ſeipſos rectè combinare, animos conglutinare, ut coire poſſint in ſocietatem ejuſdem operis: ſicut ſcriniarius combinaturus duos aſſeres, alterum excavat, alterum exaſciat, & prominentiâ quadam exacuit, ut detur coitus, ita conjuges & alii a Deo ſociati debent ſibi invicem cedere, ut quadrent & coëant in officio.

3. Tertius eſt amicitia, qua extra ſocietatem divinitus factam, liberè nobis eligimus ex cœtu bonorum tales converſationes, quibus peculiari dilectione adhæremus, ut mutuum bonum noſtrum promoveamus. Amicitia non niſi inter bonos habet locum, Pſalm. 50. 18. Et vera amicitia non fit per naturam, ſed per prudentem electionem. Hinc amici plerunque meliores ſunt quàm agnati. Prov. 18.24. & 27.9. 10. Finis amicitiæ eſt ut mutuò nobis ſimus auxilio & ædificationi. Finis concordiæ præcipue eſt, ut obtineamus finem, quem Deus præfixit, communem. Finis autem amicitiæ proprie eſt, ut mutuum bonum promoveamus, tum ſpirituale, tum temporale. Et propterea electio amicorum debet fieri prudenter ſecundùm exemplum Petri, ut ſcilicet eligamus tales. 1. quibuſcum Deus eſt, 2. qui nobis in vitiis noſtris ſunt diſſimiles. Amicorum debet eſſe libera electio, in qua nemini præſcribere poſſumus. Queruntur ſæpe homines de proximo, quod nolit ſecum colere amicitiam. Sed non tenetur. Modò tecum colat pacem & concordiam. In amicis eligendis debet eſſe liber, nec debet ſibi eligere amicos plures, quàm vocatio à Deo impoſita ſinit, nec amicos tales, quorum amicitia obeſſe magis, quàm prodeſſe poſſit. Vide Eccleſiaſt. 6. v. 7. &c.

III. Adſcenderunt in Templum circa horam precationis, quæ erat hora nona.

1. Templum erat in monte ut adſcenſus requireretur intraturis. Hoc non ſine cauſa factum, ut ſcil. doceamur eſſe memoraculum iſtius ſpiritualis adſcenſionis, quæ duplex eſt.

α. Cordis, quâ quærimus quæ ſunt ſupra, converſationem noſtram habemus in cœlis, præſertim in precibus mentem habemus in cœlum ſublevatam. Pſalm. 121. 1.

β. Corporis, quam exſpectamus in ultimo die 1.Theſſ.4.v.17. Et fideles habitant in terra, tamen cor eorum non eſt in terra, non agglutinatum terræ, non radicatum in terra, ſed verſatur in cœlis, exſpectans ipſam corporis ac animæ tranſlationem è terra in cœlos. Quoties igitur hodie quoque templum frequentamus, etſi templum ſæpe non eſt in monte ædificatum, tamen cogitemus nos adſcendere. Eamus in templum cum præparatione & elevatione animi ad Deum. Si precum cauſa non adſcendimus εἰς τὸ ὑπερῷον, ut Petrus Act. 10. 9. tamen elevemus mentem.

2. Adſcenderunt in templum horâ precationis; Judæi habebant conſuetudinem precandi in templo vel verſus templum. Qui poterant, templum ipſum ingrediebantur & ibi precabantur, qui non poterant, ſaltem verſus templum faciem ſuam precantes convertebant, ſecundùm Legem Deut. 12. 5. 2.Chron.7. 12. 13. &c. & ſecundùm promiſſionem 1. Reg.8.46.47. & exemplum Danielis 6.v.11. Ratio hujus rei erat, ut docerentur nullas preces placere Deo, niſi quæ in nomine Chriſti funderentur. Templum enim erat typus Chriſti. Etſi autem typus jam abrogatus eſt, tamen res ipſa ſignificata nobis quoque debet eſſe quàm commendatiſſima, ſcil. ut omnes preces & quicquid Deo offerimus, offeramus in nomine Jeſu & per eum. Sumus enim peccatores abominabiles in nobis ipſis, & omnes noſtræ juſtitiæ pannus inquinatus. Ne procumbamus igitur coram Deo in noſtra juſtitia, ſed in nomine Jeſu, cum fiducia in ejus merita. Sed quæritur hic, cur Apoſtoli precum cauſâ adſcenderint in templum, cum tamen Chriſtianis abrogati ſint iſti typi? *Reſp.* Non ideò precibus templi interfuerunt, ut præcepto hujus ceremoniæ eſſent obedientes, ſed 1. ut infirmioribus ſcandalum non darent intempeſtivâ ſeparatione, antequam ſatis eſſent inſtructi. Vide ſupra c. 2. in v. 46. 2. Ut captarent occaſionem docendi, cum Judæi erant congregati. Non enim Judæi tum veniebant ad Apoſtolos. Ergò Apoſtoli debebant venire ad Judæos cum erant congregati. Bonum quidem eſt, homines confluere ad templa audiendorum concionatorum gratiâ. Sed cum hoc non fit, concionatorum eſt, quærere homines, ubi invenire eos poſſunt, ut ita in templo

& domatim doceatur Euangelium Act.5.42. quantum quidem poſſibile eſt. Nam quod Miniſtris poſſibile non eſt, id debent ſupplere patres-familias: in ſua quiſque familiâ, & vicini erga vicinos in quotidiana converſatione,ſecundùm occaſiones, quæ ſe offerunt, & ſecundum menſuram donorum, quam quiſque accepit.

3. Sed quæ illa hora nona, quâ adſcenderunt? *Reſp.* Intelligitur hora tertia pomeridiana. Iudæis dies ſemper erat duodecim horarum, ſicut & nox. Et prima hora diei ipſis erat, quæ nobis ſexta matutina, tertia, quæ nobis nona matutina, ſexta quæ nobis duodecima meridiana, nona quæ nobis tertia pomeridiana, duodecima, quæ nobis ſexta veſpertina. Partem autem diei antemeridianam appellabant mane, pomeridianam appellabant veſperam, & utramque dividebant in duos gradus, ſcilicet mane prius, mane poſterius, veſperam priorem, veſperam poſteriorem, unde tertia pomeridiana ipſis erat tempus inter duas veſperas, quo mactabatur ſacrificium quotidianum veſpertinum, ſicut matutinum circa nonam noſtram antemeridianam. Exod. 29. 31.39. Num.28.3. Sicut & agnus Paſchalis Exod. 12.6. Erat autem Iudæis, Hieroſolymis habitantibus mos ter de die ingrediendi templum & precandi, ſcil. tertiâ matutina, ſexta meridiana, & nona pomeridiana, ut videre eſt Pſal. 55. 18. Dan. 6. 11. quod & Iſaac jam tum obſervâſſe videtur. Gen. 24. 66. & Petrus quoque ſecutus eſt, Act. 10. 3. 9. 30. Rationes cur has horas Judæi precibus deſtinaverunt, procul dubio non fuere, quod putarent aliquid diſcriminis eſſe in tempore, & has horas aliis eſſe ſanctiores, ſed

α. Vt præces jungerent cum quotidianis ſacrificiis, quæ fiebant circa nonam matutinam, & tertiam pomeridianam, Num.28.3. quas circumſtantias Deus determinaverat in vaticinium ac typum mortis Chriſti, cujus crucifixio nona matutina cœpit, & tertia pomeridiana finita eſt, Matth. 27.45. 46. Marc. 15. 25.

β. Quia iſtæ horæ maximè ſunt convenientes. Manè antequam egredimur ad negotia mundana, tempus eſt laudandi Deum pro cuſtodia noctis. Circa meridiem, cum à negotiis reverſi nos accingimus paſtui vel à paſtu reſurgimus, tempus eſt laudandi Deum pro refectione, ſicut & Ioſeph fecit, Gen 43.16. Et ingruente veſperâ, negotiis omnibus finitis, & quiete appropinquante, & decorum, & commodum eſt maximè fieri preces.

Pontificii hinc Patrocinium quærunt pro ſuis horis Canonicis, quas vocant (Paerte mette / noen ende veſper) & putant Chriſtianos quoque obligatos eſſe ad horas has obſervandas, idque

α. Quia in Eccleſia Iudaica ſic fuerit. Quaſi neſciamus Chriſtum horâ tertia crucifixum, horâ ſexta ingruentibus tenebris, à Deo deſertum, & hora nonâ mortuum eſſe, atque ita & impleviſſe & abrogâſſe ceremonias Iudaicas.

β. Quia horâ tertiâ Spiritus S. ſit effuſus, & horâ ſexta Chriſtus crucifixus, & hora nona aqua effluxerit ex ejus latere. Sed præterquam, quod fallunt in hiſtoria, quis credat hæc accidentia has horas feciſſe aliis ſanctiores, aut præcationes his horis alligâſſe aliqua neceſſitate, & preces his horis factas meritorias feciſſe? Nos depoſita ſuperſtitione hoc inde diſcamus, neceſſarium eſſe Chriſtianis ſæpe precari, & utile eſſe, ut certas diei horas eligamus, quibus preces noſtras quaſi alligemus. Neceſſitas ſæpe precandi ſæpiſſime inculcatur ex dictis Scripturæ 1. Theſſ. 5. 17. Luc. 18.1. Rom. 12.12. Eph. 6. 18. Coloſſ. 4. 2. Dicam jam aliquid de utilitate precandi certis horis. Quatuor ſunt precum genera.

1. Preces abruptæ. Herts-ghebeden / cum inter occupationes & negotia cor crebris ſuſpiriis ad Deum tollimus. Hoc præcipuè illud 1. Theſſ. 5. v. 17.

2. Preces ſecretæ. Camer-ghebeden / cum quilibet ſolus ſe proſternit in genua, & ſinum ſuum coram Deo exonerat. Matth.6.v.6. Actor.10.4.

3. Preces privatæ. Huys-ghebeden / cum Pater-familiâs, convocata familia cum illa precatur, vel illam precari facit.

4. Preces publicæ. Kerck-gebeden / cum precibus publicæ congregationis interſumus, cujus rei multa habemus in actis exempla.

Preces primi generis,ſemper debent fieri quacunque occaſione oblata. Precibus publicis Deus ipſe certa deſtinavit tempora, tum ordinaria, tum extraordinaria, & Eccleſia præter hæc ſæpe præbet conventus publicos,pro iis qui vacare poſſunt ut interſint. Sed nos jam loquimur de precibus privatis ac ſecretis. Solent noſtri homines datis occaſionibus aliquando ſuſpiria ad Deum emittere, ſolent etiam diebus Dominicis mediocri frequentia intereſſe precibus publicis in templo. Sed quotidianum illud ſacrificium quotidianarum precum domeſticarum nimis rarum inter nos eſt. Multa hoc tempore dicuntur

-antur de neceſſitate reformationis, ſed certè hæc valde neceſſaria reformatio eſt, ut hæc exercitia increbreſcant Nolumus quenquam certis alligare horis, ſed tamen neceſſarium eſt, ut fiat quotidie, & utile, præſertim infirmioribus & minus aſſuetis, ut ſibi ipſis certas eligant horas, ſeque iis firmiter alligent. Rationes.

1 Sublevat infirmitatem. Animus ad preces valde tardus eſt, & opus habet, ut aliquâ neceſſitate aſſuefiat.

2. Servit temperantiæ. Qui certas horas precibus deſtinat, & in iis obſervandis conſtans eſt, eadem operâ cæteras omnes horas ita coërcet, ut ſe non effundat in intemperantiam, per quam ineptus fiat ad horas cultûs.

3. Servit ſervandæ concordiæ. Fieri non poteſt, quin inter occupationes multiplex ſubinde ſubnaſcatur animorum in familia abalienatio. Debemus igitur habere certas horas, quibus nobis incumbat neceſſitas comparendi coram Deo, erit hoc medium reſtinguendi incendium iræ, ne ſol occidat ſuper ira noſtra. Si hoc fieret inter conjuges, ſæpe tam diuturnæ rixæ non eſſent.

4. Æquum eſt, Deum pro ſingularum noctium cuſtodia, item pro ſingulorum dierum protectione, item pro ſingulis paſtibus recipere ſuas gratias. Si hoc non facimus, quid intereſt inter nos & beſtias?

5 Eſt ſecuritas contra ſubitam mortem. Dum in negotiis verſamur, animus peregrinatur à Domino, & non eſt occupatus in divinis. Quod ſi nos in tali ſtatu mors ſubita obruit, quàm miſerum eſt! Quod ſi autem ſingulis diebus aliquoties procumbimus ad pedes Dei, cor noſtrum ad ipſum effundimus, fœdus renovamus, ſalutem noſtram ſtabilimus, & ſic diſcedimus ad negotia, quicquid tum obruit, nil obeſt ſolatio nec noſtro, nec eorum qui nobis cari ſunt. Diſcamus igitur eſſe frequentiores & ordinarii in hoc exercitio.

Actor. 3. v. 2. 3.

CONCIO XXXIV.

Habemus de perſonis quæ miraculum fecêre. Sequitur miraculi ſubjectum, ſeu perſona, in qua factum, quod deſcribitur v. 2. 3.

In genere videmus fuiſſe perſonam miſerabilem, & miraculum hoc fuiſſe non tantum miraculum, ſeu divinæ potentiæ in Chriſto argumentum, ſed & beneficium erga perſonam miſerabilem, qualia ſunt pleraque Novi Teſt. miracula. Prophetæ V.T. qui legem magis quàm Euangelium prædicaverunt, plura terribilia & vindicativa fecerunt miracula, quàm benefica. Ignem ex cœlo fecerunt deſcendere, impiorum manus fecerunt exareſcere, leprâ afflixerunt, tenebris, grandine, ranis, occiſione primigenitorum, inundatione aquarum, &c. puniverunt. Sed in N. T. pauca habetis miracula vindicativa, ſed pleraque omnia benefica. Præſertim de Chriſto notandum, quod quantumvis plurima fecerit miracula, tamen nullum fecerit vindicativum ac terribile in vita ſua, ſed omnia benefica, ut verè de illo dicatur, quod eſt, Act. 10. 38. Voluit enim ipſe ſuis miraculis confirmare quod dicit, Joh. 3. 17. Hinc & diſcipulos vindicativum miraculum edere volentes coërcet, Luc. 9. 54. Unum miraculum vindicativum de Chriſto legimus, verum non in hominibus, ſed in ficu exercitum, Matt. 21. 18. 19. &c. ut oſtenderet ſe quidem veniſſe ad ſalvandum & ſervandum, ſed tamen ſi quis ſalutem oblatam velit adſpernari, illum tandem Chriſtum etiam experturum judicem. Non fuit miraculum vindicans, ſed vindictam comminans. Munus Chriſti eſt ſervare peccatores. Ideò peccatoribus benefacit, gratiam eis annunciat, invitat, rogat ut ſerventur, extendit manus ſuas toto die, gratiam Spiritus S. offert: Sed ſi quis conſtanti impœnitentiâ contemnit, ex ſervatore fit judex, & peccata ejus tum contra legem, tum contra Euangelium commiſſa æternis vindicat pœnis Apoſtoli quidem aliqua ediderunt miracula vindicativa, ut authoritatem ſibi conciliarent, & impiis in Eccleſia hypocritis, præſertim tum, cum Eccleſia deſtituebatur patrocinio Chriſtiani Magiſtratûs, terrorem incuterent, ſicut e. g. Petrus Ananiam occidit, Actor 5. Paulus Elymam cœcitate percuſſit, Act. 13. ſed tamen pleraque eorum miracula fuerunt, ſecundùm exemplum Chriſti, benefica, conſiſtentia in ſanandis ægrotis, &c. qua redocemur, quanta clementia Deus nos regat ſub Euangelio. Non regit nos virga ferrea, ſed manu benefica. Gubernatio ejus ſuper nos comparatur cum paſtore, qui oves ſuas paſcit, Pſalm. 23. cum patre-familiâs ſuper liberos Pſal. 103. 13. Habet quidem Paſtor ſuum pedum, habet Pater ſuas virgas, ſed non utuntur ut gladio exitii, & ſepties cibum porrigunt, antequam ſemel virgam adhibent, & quidem plus quam in V. T. ubi durior erat diſciplina, & parcior ſpiritualis cibus

Patiamur nos duci funibus amoris Oſe. 11. 4. patiamur nos duci per pedum jucunditatis, ne Deus hoc frangens adhibeat pedum conſtrictionis, Zach. 11. v. 14. Iminò, ne tandem hoc quoque fracto ſumat in manus ferreum ſceptrum & gladium perditionis, Pſalm. 2. In hiſce oris Deus nos nunc paſcit beneficiis. Agnoſcamus diem viſitationis.

II. In ſpecie de hoc miſerabili homine duo dicuntur in textu:

1. Qua in re poſita fuerit ejus miſeria.

2. Quo remedio uſus fuerit ad miſeriam ſuam ſublevandam.

I. Miſeria ejus in duobus fuit poſita.

1. Quod fuit claudus ab utero.

2. Quod fuit tam pauper ut eleëmoſynis viveret. Non poteſt eſſe miſerior conjunctio, quàm eſt horum duorum malorum, ſcilicet impotentia corporalis, & mendicalis paupertas, & tantò miſerior, quod ab utero utrumque. Sunt qui cum ſanitate nati, & ſanitatis beneficio ad tempus uſi poſtea privantur. Sunt qui ſanitatem à parentibus non habentes, ſaltem habent media unde ſe alere poſſint. Sed hic ab utero & claudus & pauper. Videamus hic:

1. Quantis miſeriis ipſa natura noſtra ſubjecta ſit. Cicero pro Jugurtha ridet ac deteſtatur eos homines qui querantur de miſeria ac inſufficientia naturæ, dicitque, naturam ſatis pollentem potentemque eſſe, ut abundè ſibi homo poſſit proſpicere, ſi modò virtuti applicet animum. Sed quid ait de his, qui cœci, claudi, &c. nati ſunt? an in his quoque natura abundè pollens potenſque eſt? Miſeri homines, ſtatim atque aliquid naturalium virium in nobis deprehendimus, ſurgit animus in altum, putamuſque nos abundè potentes. Sed talibus exemplis debebamus inſtrui de ipſius naturæ miſeriâ, ut vel inde confirmemur quod ſimus natura filii iræ ac maledictionis, ne de nobis altius judicemus, quàm par eſt, ſed verâ humilitate quæramus medicum à quo ſanemur. Præcipuè autem hoc exemplum corporalis impotentiæ ac paupertatis nobis debet eſſe ſpeculum ſpiritualis impotentiæ ac paupertatis animæ, quam habemus ab utero, Nam ſi ab utero ſumus iſtis miſeriis corporis ſubjecti, concludere debemus, quod etiam ab utero tranſgreſſores ſumus, Eſa. 48. His duobus malis corporis ſolet Scriptura depingere miſeriam animæ. Paupertas eſt ſpeculum injuſtitiæ & indignitatis. Sicut homines pauperes ſunt viles & abjecti ac contempti in mundo, nec promoventur ad honores, ita nos coram Deo ſumus indigni ac contemptibiles. Hinc dicimur eſſe pauperes & nudi & indigere auro ac veſtibus, quibus induamur, Apoc. 3. 17. 18. Morbi autem & membrorum corporalium defectus ſunt ſpeculum corruptionis & impotentiæ ſpiritualis. Hinc comparamur cum claudis, Hebr. 12. 13. & appellamur corrupti ac cœci, Apoc. 3. 17. à vertice ad calcem ſaucii, Eſa. 1. 6. Pſalm. 38. 3. 4. David non erat pauper paupertate corporali, & tamen pauperem ſe dicit Pſalm. 86. 1. Tales itaque nos agnoſcamus. Nam ſicut Chriſtus non niſi claudos, mancos & cœcos ſanavit, ita non niſi eos, qui ſe ſpiritualiter pauperes, nudos, cœcos, claudoſve, imò mortuos & ad omne bonum impotentes, & peccatis ſuis onuſtos agnoſcunt, ſanare vult. Vide Matth. 5. 3. & 11. 5. Luc. 14. 21. Eſa. 61. 1. Matth. 11. ult. Non illi ſunt beati, qui pauperes ſunt, (omnes enim homines ſunt pauperes) ſed illi qui ſe pauperes ſentiunt, & divitias ſpirituales ac medicinam ſpiritualem quærunt, ſitiunt, Eſa. 41. 17. Obſervent hoc duplices homines: 1. Noſtri pauperes, mendici & manci, qui ſe putant hoc ipſo beatos, quod pauperes ſunt & manci, nec opus habere curare pietatem. Medicina & miſericordia Dei parata eſt non pauperibus & claudis, ſed paupertatem ac impotentiam ſuam, tum corporalem, tum præcipuè ſpiritualem ſentientibus ac deplorantibus, & medicinam quærentibus ac ſitientibus. 2. Noſtri divites & ſani corpore, qui in abundantia & ſanitate conſtituti tam facile obliviſcuntur, ſe quoque ab utero tales eſſe, quales aliquos vident ſecundum corpus. Intueamur iſta ſpecula diligenter. Plurimos hominum Deus facit ſanos & neceſſariis inſtructos bonis. Paucos tamen inter nos conſtituit mancos & mendicos, ut his in ſpeculis omnes ſe intueantur, quales ſimus naturâ ac merito.

2. Videmus etiam quam gratioſus ſit Deus erga pleroſque homines in hoc mundo degentes. Impotentia corporis & paupertas, eſt malum quod hominibus adhæret ab utero, ſeu cui ab utero obnoxii ſunt, & tamen non omnibus infligitur. Quod hic homo ab utero pauper & claudus fuit, unde hoc fit? An ex peculiari peccato, quo ſibi attraxit? Non: ſed è culpa, cui omnes naturâ ſubſumus. Quod ſi iſta impotentia ex natura eſt, & ab utero humanæ naturæ adhæret, cuinam debent gratias, qui ab ea præſervantur? Cum itaque mancos, cœcos, mendicos videmus, ne dicamus ſicut diſcipuli, Joh. 9. 2.

Joh.9.2. ſeu agnoſcamus eſſe hoc meritum totius humanæ naturæ, & quod nos præſervati ſumus, ſpeciali & impromeritæ gratiæ eſſe tribuendum, quâ obligemur ad ſpecialem gratitudinem.

3. Agnoſcimus hinc, Chriſtum eſſe Dominum naturæ. Nam ab eo, & ejus nomine dari poteſt, quod natura negavit. Naturâ mancum facere ambulantem, non minus eſt quàm creatio. Fidamus igitur Chriſto, nec deſperemus ob gravitatem mali. Qui ſanavit hunc, qui per naturam fuit claudus plus quàm 40. annis cap. 4. 22. is noſtrum quoque malum poterit ſanare.

II. Remedium quod adhibuit, in eo poſitum eſt, quod ab aliis portatus & quotidie poſitus eſt ante januam templi, quæ vocatur pulchra, ut eleëmoſynam peteret ab intrantibus, & ſic etiam petiit à Petro & Johanne.

1. M[illegible]m in ſeipſo non eſt illicitum mendicare & ſtipem petere, talibus nimirum pauperibus, quos Deus ipſe juſto judicio fecit inopes & impotentes quærendi victum. Nam quod ad eos, qui præ ſegnitie pauperes ſunt, iis non licet mendicare ſed laborare. In Papatu omnes monachi vovent paupertatem, & tamen ſunt ditiſſimi, & aliqui monachi præ ſuperſtitione abjiciunt etiam quæ habent, & religionem ducunt, etiam opus meritorium, mendicando vivere. Alii præ ignavia pauperes ſunt, qui amant otium. Talibus non eſt licitum mendicare. Tales enim non ſequuntur ordinem à Deo inſtitutum, Geneſ. 2. 15. & 3. 19. 1. Theſſ. 4. 11. Cæteris autem qui judicio Dei pauperes ſunt & impotentes, licitum eſt. Nam ſi eleëmoſynas dare eſt opus pium, etiam petere ac recipere erit licitum. At illud eſt, ut paſſim Scriptura teſtatur. Modo dignam Chriſtianis vitam agant, ut ſint pauperes Spiritu, modeſti, contenti, Prov. c. 18. v. 23.

2. Etſi mendicare in ſe impium non eſt, Judæis [illegible] erat prohibitum, pauperibus mendicationem permittere, Deut. 14. 4. Hæc lex violata, ſicut [illegible] & Johan 9. 8. unde patet non ſolum in Eccleſiaſticis ſed & politicis fuiſſe corruptam Judæam, unde & deſtructio paulo pòſt ſecuta eſt. Pauperum curam debet gerere Magiſtratus & populus. Præſertim Eccleſia domeſticos fidei debet alere E[illegible]nate ſerium illud mandatum Dei Deut. 15. [illegible] 8 & 28. 12. Eſtis certe benedicti à Domino. N[illegible] ſumite in deliciis, ſed juvate pauperes.

3. Ad pulchram Templi portam collegit ſtipem. Erat Porta primaria ubi introitus ex præcipua urbis parte, nimirum ab aula Regis, ubi melior erat occaſio. Eſt ars mendicorum abuti affectibus hominum. Tum adoriuntur cum ſciunt maximè pronos ad miſericordiam, vel minus ferre poſſe importunitatem, quod fit ad portas templi cum ad cultum Dei ſeparant, vel ubi à multis conſpiciuntur, ut præ pudore cogantur dare. Nos ſicut miſeriam hujus miſeri docuimus uſurpandam ad ſpiritualem noſtram impotentiam agnoſcendam, ita etiam dicimus ex hoc paupertatis remedio diſcendum eſſe quo remedio homo naturalis uti plerunque ſoleat adverſus ſpiritualem ſuam miſeriam, videl. ſolet confugere ad ſpecioſam portam templi, i. e. ad externas ceremonias, & ſic ſe putat adjutum. Sic Pharisæus ad templum ibat Luc. 18. Judæi clamabant, Hic templum Domini, Jer. 6. nitebantur circumciſione, ſacrificiis, ablutionibus. Sic Pontificii habent ſuam confeſſionem, ſuas ceremonias, ſuam ſatisfactionem. Sic noſtri hypocritæ nituntur baptiſmô, auditione verbi, &c. Non ſunt hæc quæ juvant. Ceremoniæ externæ ſunt quidem à Deo inſtitutæ, ſed non niſi ſigna & media, in quibus non eſt ſubſiſtendum, ſed per quæ animus elevandus eſt ad conſiderandam & appetendam ſpiritualem gratiam meritorum Chriſti & Spiritus S. quâ veſtimur contra nuditatem injuſtitiæ & liberamur à corruptione peccati.

4. Quod Apoſtolis hîc contigit, id miniſtris verbi etiam contingit hodie. Non poterat hic claudus ignorare quis eſſet Petrus & Johannes, ſcilicet non homines divites, ſed Euangelii præcones. Interim ab ipſis petit non informationem ex verbo, ſed ſtipem ex marſupio. Sic & hodie ſunt qui Eccleſiæ adhærent propter panem, & religionem prætexunt, ut leëmoſynis Eccleſiæ fruantur, inq; privilegiis, quibus homines de Eccleſia gaudent in hac republica. Quiſque ſeipſum probet, ne ſe decipiat. Templum frequentare propter panem eſt profanatio & hypocriſis. Johan. 6. 26.

5. Denique in iis, qui mendicum portârunt, habemus exemplum iſtius officioſitatis, de quâ Gal. 5. 13. 1. Pet. 4. 10. Qui ſani ſunt, debent portare ægrotos, i. e. omni auxilio & ſolatio & officio juvare, Pſal. 41. 2. & 36. 13. Eccleſiaſt. c. 7. 37. Jac. 1. ult. Matth. 25. 36. Præſertim autem precibus noſtris eos portemus ante januam templi, ut à Deo ſanationem accipiant. Sic quoque agendum cum ſpiritualiter ægrotis, ut ſcil. in infidelitate & corruptione jacentes portemus ad portam templi, i. e. addu-

adducamus ad Chriſtum, lucrifaciamus Chriſto: 2. Infirmiorum infirmitates patienter toleremus, Rom. 15. 1. Gal. 6. v. 7. 3. Denique precibus noſtris & interceſſionibus eos apportemus & ponamus coram pedibus Jeſu. O quàm neceſſarium eſt hodie, ut ſemper portemus ad Deum precibus noſtris tot Eccleſias afflictas.

Actor. 3. *v.* 4. 5. 6. 7.

CONCIO XXXV.

HActenus occaſio miraculi & ſubjectum miraculi. Sequitur ejus modus efficiendi. Hujus particularia ex ipſo textu videbimus.

I. Petrus & Johannes hunc claudum intuiti ſunt. Non dicit quod viderint. Omnes enim aut plerique prætereuntium eum viderunt. Sed dicit quod oculos in eum tenuerunt, ſpeculati ſunt eum. Non fecerunt ſicut illi, Luc. 10. 31. 32. ſed ſubſtiterunt & curioſè intuiti ſunt & ſpeculati. Quid autem ſpeculati? An ſicut chirurgi cum veniunt curatum, prius exactè ſpeculantur vulnus, ut malum rectè intelligant & quibus remediis opus ſit? Non. Petrus non fuit medicus, nec per modum medici ſanavit. Quid igitur? Theologicè ſpeculatus eſt, cum commiſeratione, ſicut Chriſtus, Luc. 19. 41. nec non cum admiratione ſicut diſcipuli, Joh. 9. 1. 2. non quidem planè tali modo ſicut diſcipuli, ſuſpicans aliquam ſingularem hujus hominis malitiam, ſed ſibi in mentem revocans, unde tot hominibus tanta veniat miſeria, & quare hic potius quàm alii huic miſeriæ obnoxius ſit. Docet hoc, quod quoties in oculos noſtros incurrunt homines, quos Deus & natura ſingulari miſeriâ & calamitate notavit, non debeamus eos præterire ſine intuitu & attentâ conſideratione. Tales enim ſunt ſpecula divinæ juſtitiæ, ſunt facta εἰς τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν, Rom. 15. 4. ſunt exempla iis qui impii vivunt 2. Petr. 2. 6. Deus enim aliquibus talia infligit, ut omnes in iis legant quid ſint meriti. Legamus igitur hos libros, & cum commiſeratione eorum nobis ipſis applicemus, dicentes: O Domine, quid hic homo plus peccavit, quàm ego? Nonne ego quoque peccator ſum grandis? Quid igitur in me invenis, quod mihi pepercisti, cum huic non peperceris? Nonne hæc ſingularis tua in me miſericordia? O, quàm miſerum eſt homines adeò ſtupidos eſſe, ut talia exempla videant, & non adſpiciant nec conſiderent Videmus ægrotos, videmus mortuos quotidie, & non conſideramus. Pſalm. 90. 11 12. Beſtiæ plus moventur, cum aliquam ſuæ ſpeciei vident ante oculos ſuos mactari, quàm nos. Præſertim hoc tempore culpandi ſumus, quo Deus tot exempla iræ ſuæ contra peccata in diverſis Eccleſiis nobis ob oculos ponit, & nos οὐκ ἀτενίζομεν. Rectè nobis hoc tempore applicari poſſint querelæ quæ ſunt Eſa. 57. 1. Eſa. 5. 11. 12. Cum Amos 6. 6. Amos 4. à v. 6. ad v. 12. Hoc verè eſt illud ἀτενίζειν, de quo vernaculum proverbium: Hemſelven aen een ander ſpiegelen. Speculari vel contemplari ſeipſum in alio. Teneamus oculos noſtros in terribilia illa exempla divinorum judiciorum, quæ noſtro tempore tanto numero, & tam conſpicua ſunt, ut vix ullum ſeculum habuerit paria.

II. Sicut ipſi claudum intuiti ſunt, ita viciſſim jubent ut & ipſe eos intueatur. Reſpice in nos, i. e. æſtima & agnoſce nos tales, qui te ſanare poſſunt, ſicuti Matth. 9. 28. & Marc. 9. 23. Quærat aliquis quomodo hoc conveniat cum v. 12. τί ἀτενίζετε ἡμῖν? Quod ibi jubet, hîc improbat. *Reſp.* Cum prohibet ne reſpiciant in Apoſtolos, non prohibet ſimpliciter, ſed hoc ſenſu, ne viſum terminent in Apoſtolis, ſed ut in Apoſtolis reſpiciant Chriſtum. Jubet in ſe reſpicere. Etſi enim miniſtri nō ſunt cauſa principalis, in qua fides ponenda, tamen ad eos oculus eſt dirigendus, tanquam ad media, per quæ Deus largitur ea quibus opus habemus, Corinth. 3. 5. 1. Cor. 4. 1. Sunt ſicut culter & organon in manu Dei per quod facit ſuum opus. Reſpiciendi igitur ſunt, opera ipſorum uſurpanda, nec contemnendi. Opus creationis Deus peregit ſine miniſterio ullius creaturæ, ſed opus reſtaurationis & reconciliationis perficit mediante miniſterio hominum. Ad iſtos igitur homines, quos Deus ad hoc opus vocavit, recurrendum, & tanquam ad inſtrumenta divinæ benedictionis, ex quorum manu & ore recipienda bona. Ne dedignemur itaque eos reſpicere propter tenuitatem perſonarum. Si quis voluiſſet contemnere intuitum iſtum, quem ordinavit Deus, Num. 21. 8. non fuiſſet ſanatus. Sic 2. Reg. 5. 11. 12 Sic homines dicunt, nonne poſſum ipſemet Scripturam legere, & Deo ſervire, etiamſi non frequentem templum, annon poſſum pius eſſe etiamſi non uſurpem cœnam? O contemptores, ſi vos non reſpicere dignamini media quæ Deus ordinavit, Deus quoque vos non reſpiciet. Sicut grave peccatum eſt ſibi ipſi fabricare media, quæ Deus non inſtituit, item hærere in mediis, nec reſpicere ulterius ad

causam

cauſam principalem & mediis dare honorem, qui cauſæ principali competit, ita & grave peccatum eſt, media nolle reſpicere nec uſurpare.

III. Juſſus reſpicere reſpicit, ſed alio fine ac animo, quàm jubebatur. Reſpicit enim putans ſe acceptururn eleëmoſynam. Intentio Petri erat ipſum corpore & animo ſanare, ſed ipſe non habet tam altas cogitationes, ſed ſolummodò eleëmoſynam exſpectat. Tria hinc diſcimus:

1. Homines abjectæ fortunæ, plerunque ſunt homines abjecti & vilis animi. Non habent animos ad ſidera erectos, nec quærunt cœleſtia, ſed talparum inſtar terram fodiunt & operantur cibum qui perit. Victum ſibi & ſuis acquirere unica ipſis cura. Experientia hoc probat. Videte mendicos, aurigas, nautas & alios duro manuum labore victitantes, nonne animos habent adeò terrenos, ut prædicatio de divinis in animos eorum incidens non plus motuum operetur, quàm ſi in pavimentum incidat, ſi vaccæ fiat, vel equo. Si aurum & argentum dividerent concionatores in templo, avidiſſimè venirent, ſed terminis de gratia & reconciliatione nihil moventur. Nec valdè mirum. Naturâ temperamentum generoſum non habent. Educatio talium plerunque eſt negligens, deſunt ipſis exempla domeſticæ virtutis, laboribus manuum omne tempus impendunt, tamen vix acquirunt quod ventri ſufficit, & totius diei onere fatigati quomodo poſſunt alacres eſſe ad preces & officia ſpiritualia, quæ totum hominem requirunt? Et tamen ne deſperemini. Deus à talibus æquè requirit animum à terrenis avulſum, cœlo addictum, cœleſtia quærentem, myſteria intelligentem, atque ab aliis, & ſi ſpiritum ſuum in talibus non inveniet, talibus gloriam ſuam non dabit. Nam ubi in ſcripturis expreſſa ſunt talibus privilegia & immunitates à lege communi? Nonne vobis æquè dictum quod peccaveritis & deſtituemini gloria Dei, quod ſitis natura filii iræ, quod non poſſitis ingredi regnum Dei, niſi regeneremini, quod ſine ſanctimonia non poſſitis videre Deum? Quod ſi natura tales, quis vos liberabit? Chriſtum non agnoſcitis, media ſalutis non intelligitis, quod intelligitis, negligitis, & non niſi terrena ſectamini; Quid igitur ſpei vobis poteſt eſſe? Et quod ad prætextus veſtros attinet, nonne is qui vobis ſex dies ad laborem dedit, etiam ſeptimum dedit ad requiem? nonne is qui injunxit ut in ſudore vultûs comedatis panem veſtrum, etiam injunxit ut operemini cibum qui non perit, ut credatis in Filium, ut abnegetis vos ipſos, ut quæratis regnum Dei, &c. & nonne promiſit, ſi ſic faciatis, ſe non velle vos deſtituere? Laborate igitur, quantum Deus conceſſit, & quantum cum exercitio officiorum ſpiritualium conſiſtere poteſt, & tùm confidite Deo, & ſitis contenti eo, quod per licitum laborem acquirere poteſtis, & invenietis quod Deus vos non deſeret. *Object.* At enim mihi ampla familia, ſi non laboro, non habeo. Satis difficile eſt alere familiam, dum die nocteque laboro, quid igitur futurum ſi tantum temporis impenderem cultui? *Reſp.* 1. Poſito, quod fame pereundum, ſi non niſi licito labore victum quæreres, nonne ſatius erat, corpus perdere, ut animam ſerves, quàm animam perdere ut corpus ſerves. Vide Matth. 16. 25. &c. 2. Sed vana eſt iſta argumentatio. Non ideò difficilis eſt victus, quia tu multum temporis cultui tribuis, ſed ideò, quia juſtum tempus cultui ſubtrahis, & te in ſpiritualibus non exerces. Vide Pſalm. 127. Verè huc quadrat illud Chriſti Matth. 16. 25.

2. Exemplum eſt hîc libertatis divinæ in diſpenſanda gratia. Hic homo accepit quod non quærebat. Ipſe non niſi eleëmoſynam captabat, & accipit ſpiritualem & corporalem ſanitatem, ſicut Saul quærens aſinas invenit regnum. Confirmat hoc illud Paulinum Rom. 9. Non eſt currentis neque volentis. Si Deus non citius ſpiritualia daret, quàm nos ea quærimus, nemo acciperet. Omnes enim addicti ſumus terrenis. Niſi nos Deus prior quærat, quàm nos eum, perimus. Quiſquis igitur invenit gratiam Dei, glorietur ſe inventum eſſe à Domino, nec aliquis arbitrii ſui virtuti aut ſingularitati adſcribat. O homo quis es qui gloriaris, quid habes, quod non accepiſti?

3. Videmus quid fieri ſoleat de precibus noſtris. Sæpe non accipimus, quod precamur, & tamen non fruſtra precamur. Hic homo petit eleemoſynam, quam non accipit, accipit autem quod melius eſt. Verum igitur illud Chriſti, quicquid petieritis, accipietis, i. e. nullas preces veras fruſtra fundetis & ſine fructu, ſed ſemper erunt impetratoriæ.

IV. Petrus primò omnium claudum abducit ab iſta exſpectatione, qua ferebatur, cum dicit: aurum & argentum non habeo. q. d. fruſtra aurum & argentum à me exſpectas. Hæc res non tãtum ad hanc occaſionem, ſed ad totum miniſterium pertinet. Miniſtri enim dèbent auditores ſuos abducere ab exſpectatione temporalis fœlicitatis ex Euangelio.

O Sicut

Sicut enim diſcipuli Chriſti à Chriſto exſpectabant temporale regnum, in quo unus à dextris, alter à ſiniſtris ſederet, ita etiamnum homines putant ſe per receptionem Euangelii fore feliciores aliis in his terris,& cum contrarium experiuntur, ſcandalizantur & retrocedunt. Id ne fiat, miniſtrorum eſt præmonere, ne à ſe terrenam fœlicitatem exſpectent. Nos miniſtri non novimus artem,nec habemus vires & poteſtatem eos, qui prædicationi noſtræ obediunt, reddendi ditiores & celſiores, quàm ſunt alii, vel eos eximendi iſtis calamitatibus, quibus obnoxii ſunt alii in hac vita, ſed potius prædicimus à talibus inceptum iri judicium Domini, 1.Pet. 4. tales neceſſe habere perſecutionem pati. 2.Tim.3. Nam ſi vos tradideritis in vitam Deo gratam, mundo eritis exoſi, & ſi Deum Patrem receperitis, is filios ſuos caſtigabit ne cum mundo pereant. Ne ſectamini itaque Eccleſiam propter panem,nec ſcandalizamini, ſi non inveneritis temporalem fœlicitatem in profeſſione Chriſtianiſmi. Habet Deus ſapientes rationes, quare eos, qui Euangelio obediunt, non vult alere melle ac lacte in his terris, ſed potius acerbitate crucis. Vult Deus talibus quoque adjicere panem & neceſſaria uſque ad horam mortis. Vult crucem temperare ad vires, vult miſcere ſolatio & ſublevatione, hoc promittimus, ſed non eſt quod putetis vos, ſi Euangelium receperitis, ſingulari fœlicitate in terris impios antegreſſuros eſſe. Nequaquam. Sæpe videndum vobis erit impios florere inſtar lauri, cum vobis eſuriendum & patiendum. Atque hoc arguit Romanam Eccleſiam neutiquam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, nec Romanum Clerum veros Chriſti miniſtros. Ajunt fœlicitatem temporalem eſſe ſignum veræ Eccleſiæ, & antequam Dominus cœpit ſua contra eam exercere judicia,ſedit tanquam Regina, dominans omnibus gentibus. Divitias ejus quis etiamnum numeret? Non poſſunt certè dicere; aurum & argentum non habeo. Immò auro & argento omnia conſtant. Reges & Principes non habent parem iſtis clericis ſplendorem. Si quem nos volumus ad noſtras Eccleſias pellicere, certè nil auri & argenti habemus, quo pellicere poſſimus. Si vi veritatis non perſuademus, ut relicto auro & argento Papatus ad nos veniat, nulla eſt permovendi via. In Papatu aliter. Ibi ſunt dignitates, bona, &c. Diſcamus etiam exemplo Petri æquo animo ferre paupertatem. Ille propter Chriſtum deſeruerat omnia Matth. 19. 27. Marc. 10. 28. Luc. 18. 28. neque tamen dives erat factus, neque centies receperat,quæ deſeruerat. Et tamen adhuc Chriſtum ſequitur, ſciens ſe in ſpiritualibus centies plus recepiſſe, quàm in corporalibus deſeruerat.

5. Neque tamen vacuum dimittit. Poterat dicere claudus, cur igitur jubes ut vos reſpiciam, ſi non habes quod dare poſſis? Reſpondet Petrus: Etſi nec aurum nec argentum habeo quod dare poſſim, dabo tamen quod habeo. Etſi miniſtri non poſſunt vobis majorem fœlicitatem terrenam dare, quàm habent alii, non tamen fruſtra eos ſequemini, nec fruſtra Euangelium eorum recipietis. Quid igitur dat ipſi? In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Senſus eſt: per virtutem & potentiam Jeſu Chriſti, quâ eum credo mihi aſſiſtere, opto & do tibi ut ſurgas & ambules. Per nomen Jeſu intelligitur virtus Jeſu, ſecundùm promiſſionem Marc. 16. 17. Sciendum autem, quod non tantùm dederit ipſi illam corporalem potentiam ſurgendi & ambulandi ſecundùm corpus, ſed etiam ſpiritualem ſurgendi ex morte peccati,& ambulandi in bonis operibus. Hoc enim patet ex v.8. ubi anima ejus dicitur exultâſſe laudibus Dei. Et hoc eſt quod cum Petro commune habent omnes miniſtri Euangelii. Poſſetis objicere, ſi non poteſtis nos feliciores facere in mundo, quàm ſunt impii, quid eſt cur vos ſequamur? Magnum omninò. Etſi enim non poſſumus facere divites, tamen per vim Jeſu Chriſti quæ miniſterio noſtro per promiſſiones alligata eſt, poſſumus vobis dare poteſtatem & potentiam egrediendi ex carcere Diaboli & peccati, & ambulandi in via bonorum operum ad ſalutem æternam, poſſumus inquam, vobis dare Poteſtatem ſurgendi & ambulandi. Habemus enim poteſtatem dicendi: Peccata tua remiſſa ſunt, ſententia condemnationis abs te ablata. Licet tibi ſurgere,& liberè redire ad Deum. Potentiam ſurgendi. Etſi enim habemus jus & poteſtatem redeundi ad Deum, quid juvat, ſi non habemus vires & potentiam? Nos igitur per potentiam Jeſu Chriſti, & in ejus nomine damus vobis vitam novam, regeneramus vos ad vitam ſpiritualem. Vide hanc noſtram commiſſionem Matth. 18. 18. Joh. 20. 23. Actor. 26.16.17.18. Habuit quidem Petrus hoc præ cæteris eximium, quod potuit dare corporalem ſanitatem, ſed quod præcipuum eſt, omnibus miniſtris commune eſt.Eo enim fine etiamnum miniſterium in Eccleſia eſt, ut populus Dei ædificetur Eph. 4. Dignum igitur eſt, uti operâ miniſterii. Si medicos quæ-

quæritis ut corpus ſanetur, ſi Advocatos ut panem retineatis, ſi opifices, ut commoditates hujus vitæ accipiatis, quidni miniſtros, qui poſſunt dare, ut laqueis Diaboli erepti ambuletis in juſtitia & ſanctitate, & veniatis ad ſalutem. Agamus Deo gratias, quod inter nos quoque dat illa dona Spiritus, & illam potentiam Chriſti, quâ quotidie per miniſtros animæ claudæ ſanantur, immò mortuæ vivificantur.

VI. Solent Remonſtrantes valdè exagitare, quod homines naturales credimus mortuos in peccatis, ad omne bonum ineptos, & tamen eos hortemur, ut ſurgant & ambulent in bonis operibus. Verùm ſi hoc abſurdum, cur Petrus fecit, cur claudo mandavit ut ſurgat & ambulet, cur Ananias cœcum jubet ut videat Act. 9. 17. Cur Chriſtus in ultimo die mortuos jubebit ut ſurgant, Joh. 5. 25. Scilicet non ſine ratione textus addit, quod ſurgere jubens, ſimul dextram ejus apprehendens eum erexit. Sic ſciendum quod nos per verba Dei, quia loquimur, animam electorum apprehendimus & per potentiam Chriſti erigimus. Nam cum jubemus, in nomine Jeſu Chriſti jubemus, i.e. juſſio noſtra conjuncta eſt cum potentia Chriſti, quæ efficit, quod jubetur. Eſt enim Euangelii annunciatio potentia Dei ad ſalutem, Rom. 1. 16. Euangelium noſtrum non eſt in verbis, ſed in potentia 1. Cor. 2. 4. ideò etiam ad eos qui mortui ſunt in peccatis, citra abſurditatem dicimus, ut ſurgant ex peccatis & ambulent in nova obedientiâ.

VII. Hinc ſequitur in textu, quod Petro ſic jubente & dextram ejus apprehendente, ſtatim confirmatæ fuerint ejus baſes & plantæ. In eo propriè poſitum miraculum, non quod ambulavit ſine pedibus, ſed quod pedes ejus, naturâ ad ambulationem inepti, idonei fuerint facti. Et ſic eſt quoque in ſanatione animæ. Deus in negotio ſpiritualis ſanationis nos non tractat ut lapides & ſtipites, ut ad credendum & obediendum trahat invitos & contra voluntatem, ut volentes nolentes cogamur ſequi, ſed naturales noſtras facultates, ad ſpiritualia officia ineptas, & ab iis averſas, ita rectificat, ut curvitas & perverſitas ac pollutio earum tollatur, & inſita quadam vi impoſterum ſe moveant ad bonum. Hinc dicitur cor noſtrum circumcidere, purgare, vivificare, & cum dicitur nobis novum cor dare, intelligitur cor noſtrum vetus renovare, & ad ſpiritualia omnia idoneum reddere. Et hactenus quidem de methodo miraculi. Sequitur effectus miraculi, de quo poſtea. Hanc interea concionem concludimus hac admonitione, ut magnifaciamus SS. Miniſterium verbi & doctrinam Apoſtolicam inter nos. Novimus quod naturâ omnes ſimus ſpirituali animæ morbo correpti. Sumus impuri, ſurdi, cœci, claudi, mortui, curvi, perverſi, & quid non talium malorum in Scriptura nobis tribuitur? Verbum Dei & ſacroſanctum miniſterium eſt illa medicina unica, quâ ſanamur. Hinc appellatur balneum regenerationis, Tit. 3. 5. Sicut thermæ ſunt balneum ſanationis corporalis, ſicut piſcina illa, Joh. 5. erat balneum, quo ſanabantur ægroti, ita verbum Dei & ejus prædicatio eſt balneum quo regenerantur & reſtituuntur animæ in peccatis mortuæ. Itaque magnifaciamus, non putemus perinde eſſe, quamcunque religionem habeamus. Omnis doctrina non ſanat animas, ſed ea tantum, quæ integrum fœdus gratiæ nobis proponit ſecundùm Scripturam. Rogamus Deum, ut conſervet quod habemus. Et dum habemus, diligenter utamur. Eſt cum miniſterio, ſicut cum piſcina illa, Joh. 5. ſemper cubandum erat ad piſcinam, & exſpectandus Angeli deſcenſus. Sic ſemper audiendum donec tandem deſcendat Spiritus & ſanet. Si verbum tollatur, ſol tollitur. Si verbum tollitur, erimus quidem bona Reſpublica, ſicut Venetorum, Athenienſium, ſed amiſerimus magnum illud ornamentum Reipubl. quo cæteris præſtamus. Quomodo foret reſpublica bene conſtituta, in qua nulli medici, nulli Advocati, &c. Et quantò minus, in qua nulli concionatores, nullum Euangelium, quod animas poteſt ſanare.

Actor. 3. v. 8. 9. 10. 11.

Concio XXXVI.

Effectus miraculi duplex eſt, alius in claudo ſanato, alius in populo ſpectante.

Prior effectus deſcribitur v. 8. eſtque duplex: 1. Phyſicus: Sanatus exſiliit, ſtetit & ambulavit. 2. Moralis: Intravit cum iis in templum, ambulans & exultans & laudans Deum.

Confirmatis plantis exiliit, ſtetit & ambulavit, atque ita ſe perfectè ſanatum ſenſit. Diximus autem ſæpe hoc miraculum in corpore cōſiderandum eſſe ut ſpeculum ſpiritualis reſtitutionis animæ, immò hoc miraculum non tantùm in eo conſiſtere, quod corporalis claudicatio fuit ſanata, ſed conjunctum etiam fuiſſe cum ſpirituali ſanatione animæ. Docet

igitur nos hæc particula Textûs, quod homo ſemel regenitus poteſt ſeipſum movere ad bonum, poteſt obedire Deo, & facere quod Deo gratum eſt. Cum enim homo regenitus eſt, vitam habet ſpiritualem, vita autem dat & ſecum fert vires operandi & ſe movendi. Vita ſenſum & motum adfert Regeniti Chriſtum & Spiritum ejus habemus habitantes in nobis. Ubi autem Chriſtus habitat cum Spiritu ſuo, ibi regit, ducit, nec ſinit eſſe inutiles & infrugiferos. Hanc rem Chriſtus, Joh. 15. 1. 2. 3. 4. &c. declarat per ſimile de vite & palmite. Adde Phil. 4. 13. Col. 1. 9. 10. 11. 12. & paſſim Scriptura teſtatur nos ideò eſſe regenitos, ut in novitate vitæ & via bonorum operum ambulare poſſemus, Rom. 6. & Eph. 2. &c. Objiciunt quidem naſutuli, quod credamus decreto Dei omnes hominum motus, & actiones ita eſſe determinatas, ut fiant neceſſariò & infallibiliter, ex qua reputant ſequi, quod etiam homo regenitus non habeat ullas vires vel ullam arbitrii libertatem faciendi quicquam boni, vel omittendi quicquam mali. Sicut avis, inquiunt, manu hominis conſtricta, non poteſt volare, quantumvis habeat vitam & alas, ita homo, quantumvis regenitus, quicquam boni agere non poteſt, ſi immutabili conſilio Dei omnes ejus actiones ſint ita determinatæ, ut neceſſariò fiant. *Reſp.* Certior eſt ex Scripturis tùm doctrina de efficaci regeneratione hominis, tum doctrina de immutabili & firmo conſilio Dei ſuper omnium hominum actiones, quàm ut propter talem naſutulam conſequentiunculam humanæ rationis alterutra ſit dimittenda. Neceſſitatem tamen & immutabilitatem, quam divinum conſilium hominum actionibus infert, non credimus eſſe talem, qualem homo infert aviculæ quam manu conſtringit, quippe quæ eſt coactiva neceſſitas, ſed credimus eſſe determinationem divinam, ſapientem & imperſcrutabilem, quâ & homini ſervatur decens & verè humana libertas, & Deo ſua in hominem illibata & verè divina conſtat authoritas. Hoc ſufficit iis qui ad ſobrietatem ſapere cupiunt.

Interim tamen, cum docemus hominem regenitum poſſe ſua ſponte ſeipſum movere ad bonum, & gratam Deo ducere vitam, tres cautiones probè obſervandæ ſunt:

1. Non poteſt ſine continuatione gratiæ, & aſſiſtentia ejuſdem Spiritus. Sicut palmes non poteſt ferre fructus, niſi continuè maneat in vite Joh. 15. ſicut membrum ſe non poteſt movere, niſi in unione cum anima, ita niſi idem Spiritus Dei, qui nos ſemel regenuit, perpetuò nobis aſſiſtat, non poſſumus facere bonum. Hinc etiam regeniti cuſtodimur in fide per potentiam Dei, 1. Petr. 1. Dum in hac vita ſumus, ſumus ſicut fœtus in utero, qui per ſe nondum poteſt vivere & moveri, ſed geſtatur & movetur à matre: ita nos ſemper debemus à Deo geſtari in matrice SS Miniſterii, Gal. 4. 19. Ad minimum ſumus ſicut pueruli, qui non ambulant niſi ſuſtentati & ducti. Hinc Spiritus S. nobis datus, ut pellat & ducat, Rom. 8. v. 14. Joh. 16. v. 13. & notabilia ſunt verba Dei, Eſa. 46. 3. 4. 5. Hoc obſervandum, ne in nobis ipſis ſimus confidentes, ſed dum ſtamus, videamus ne cadamus, ut ſciamus nos eſſe puerulos recens natos, qui lacte opus habent, ut adhæreamus mediis & quotidie novas vires quæramus. & ſtudeamus Deum ſemper habere à dextris, ne moveamur.

2. Non poteſt perfectè. Poſſumus facere bonum, ſed non perfectè, Rom. 7. Non ita perfectè confirmantur articuli & plantæ animarum noſtrarum, ſicut hujus claudi, ſed incipimus convaleſcere. Hic claudus in momento perfectè fuit ſanatus ſecundùm corpus, ſed non nos ita ſecundùm animam. Studeamus igitur creſcere. 2. Petr. 3. ad majorem ſtaturam venire, Eph. 4. Roborari in fide & converſione & homine interno, donec ad perfectam ſtaturam venerimus.

3. Non poteſt ſine macula. Poſſumus facere bona opera, ſed non quæ ſunt in ſe ipſis tam bona, ut Deo ex ſe ipſis placeant. Sunt enim inſtar panni menſtruati. Veniunt ex corde, cui adhuc inhabitat corpus peccati. Sicut aqua quæ ſalit ex impuro fonte, ſemper habet aliquid impuritatis, ita propter imperfectam ſanctificationem cordis non eſt in terris qui bonum faciat & non peccet, Eccleſ. 7. Cum itaque dicitur, quod regeniti poſſint ducere vitam Deo gratam, hoc intelligitur, propter Chriſtum. Chriſtus purgat & Deo reconciliat non tantùm noſtras perſonas, ſed etiam noſtra opera. Cum itaque quicquam boni facimus, ne ſimus in nobis confidentes, quod ſimus ut ille, Luc 18. 1. ſed lavemus albas noſtras veſtes in ſanguine Agni, Apoc. 7. v. 14.

Quoniam igitur regeniti poſſumus ſervire Deo, faciamus quoque; Ne gratiam Dei fruſtra accepiritis, 2. Cor. 6. 1. Si cum Chriſto excitati ſumus, vivamus & ambulemus in novitate vitæ, Rom. 6. Ne abſcondamus talenta quæ accepimus. Qui itaque infir-

infirmitatis & impotentiæ prætextu peccata ſua tam ſecurè excuſant, eo ipſo arguunt, ſe eſſe expertes regenerationis. Nam ſi ſunt regeniti, poſſunt. Poſſunt conari, laborare, &c. Hactenus effectus Phyſicus.

Moralis effectus fuit, quod

1. Cum Apoſtolis introiit in templum, & ut v 11. dicitur, Petrum & Johannem tenuit, i.e. ipſis adhæſit, nec ab eis receſſit. Cur hoc fecerit, quæritur. *Reſp.* 1. ne amitteret eos à quibus beneficium acceperat, ſed continuationem quoque ab eis haberet. 2. Ut populo notum faceret, qui eſſent à quibus accepiſſet. Eſt hoc inſitum omnibus honeſtis, ut auctores beneficiorum aliis celebrent.

2. Saltat & ambulat, 1. Ut omnes certò ſcirent verè ſanatum eſſe, 2. Ut exprimeret ſuum de ſanatione gaudium.

3. Laudat Deum, agnoſcitque non ab hominibus, ſed à Deo hoc beneficium ſibi acceſſiſſe Ex qua re patet, non tantum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter ſanatum eſſe.

Ex hac circumſtantia docemur, quod qui à Deo accipiunt beneficia, præſertim ſpiritualia, debeant de iis lætari & pro iis grati eſſe Deo: Lætari. Si hic homo de corporali ſanitate fuit lætus, quantò magis nos de ſpirituali? Quàm miſerum eſt nos adeò inſenſibiles, ἀναισθήτους eſſe beneficiorum Dei, ut exigua calamitas omnem lætitiam de tanta ſalute nobis adimere queat. Moneamus animam noſtram verbis Prophetæ, Pſalm. 32. & 33. & 42. & 43. v. ult. Si ſolis jubar poteſt nebulas diſpellere & aſtra obſcurare; annon tantæ ſalutes animæ poſſunt obſcurare exiguas calamitates hujus mundi? Signum eſt quod non rectè ſentimus, quanta ſit miſeria à qua liberati ſumus: Si hoc ſentiremus, minima quæque mentio liberationis nos exhilararet. Aut ſi miſeriam ſentimus, ſignum eſt quod parum firmiter credamus, quod Chriſtus ſuis meritis tantum pondus gloriæ nobis acquiſiverit. Nam ſi crederemus firmiter, non poſſemus non lætari. Et tamen ſi non lætamur de ſalute, ſalutem Dei à nobis repellimus. Sicut enim nemo ſuum vinum apponet iis, qui nullam ex vino delectationem capere poſſunt, ita Deus ſua beneficia non dabit illis qui non ſentiunt. *Obj.* Quomodo poſſum lætari, qui tam plenus ſum peccatis. *Reſp.* Tantò lætior debebas eſſe, quod in mediis peccatis nihilominus tanta gratia tibi affulget. Plus gaudii in cœlo ſuper uno peccatore converſo, quam ſuper 99. juſtis. Sic quoque debet eſſe in terra. Gratum eſſe. Nihil magis à nobis poſtulat Deus, quàm gratitudinem. Hilaſtica & euchariſtica ſacrificia erant duæ ſacrificiorum ſpecies V. T. Et in N. T ſacrificia ſpiritualia, videl. preces, rectè diſtinguuntur in petitiones & gratiarum actiones. Philip. 4. 6. Et dies me deficeret, ſi vellem enumerare omnes hortationes Scripturæ ad gratitudinem, omniaque exempla illius. Et nemo eſt, qui non intelligat, quàm æquum ſit gratum eſſe Deo, qui liberavit & tantam dedit ſalutem. Sed qua in re conſiſtit vera gratitudo? Docet hoc hic claudus ſanatus, dum

1. Intrat templum Domini, & adhæret Apoſtolis ipſius. Vide Pſal. 100, 4. Quid æquius, quàm ut te Domino ſervum ſiſtas in domum ejus, & mundo ſubtrahas? Æſtimat hoc Deus, ſi quis ſe à mundo ſeparet, cum Eccleſia conjungat, ejuſque œconomiæ ſe ſubjiciat.

2. Utitur viribus receptis ad ſaliendum & virtutem Domini manifeſtandam. Sic nos debemus viribus receptis uti tùm ſpiritualibus, tùm corporalibus ad promovendam gloriam Dei. Debemus libenter ambulare in viis, ad quæ vocavit, exantlare laborem, quem injunxit, portare onus quod impoſuit.

3. Aperit os & annunciat aliis, quid fecerit Dominus. Sono ſuarum laudum delectatur Dominus & ſervit ille quoque propagandæ agnitioni Domini ad alios.

Hactenus effectus miraculi in ipſo claudo ſanato: ſequitur effectus in auditoribus, iſque duplex:

1. Expaveſcunt. Quia enim hominem nôrant, & convicti erant de miraculo, ut dubitare non poſſent, expaveſcunt ſuper eo quod factum. Non erat in ſeipſo objectum terribile, ſed potius lætum, quod homo claudus ambulabat. Cur igitur expaveſcunt? *Reſp.* Mala conſcientia in cauſa erat. Nôrant enim eos, qui miraculum fecerant, eſſe diſcipulos Chriſti Nazareni, quem nuper crucifixerant. Dum igitur hic agnoſcunt ejus potentiam & exaltationem, non immeritò expaveſcunt. Hic enim finis miraculorum, quæ Apoſtoli fecerunt, ut homines exaltationem Chriſti ex iis agnoſcerent, & peccata ſua in crucifixione Chriſti commiſſa viderent. Hinc Joh. 16. Spiritus S. per Apoſtolos dicitur mundum convicturus de peccato, juſtitiâ & judicio. Hujus rei hîc habetis complementum. Sine dubio tamen hic terror & ſtupor in omnibus ſpectatoribus, non fuit ejuſdem naturæ. Eſt enim duplex terror ex

peccati conſcientiâ ortus: Alius Legalis & ſervilis, per quem homo à Deo aufugit, & ſe abſcondit ſicut Adam; alius Euangelicus & filialis, per quem homo impellitur ut verâ fiduciâ ad Deum accedat, & ſalutem ſuam operetur, Phil. 2. 12. unde poſtea ſequetur, quod multi occaſione hujus miraculi ſe converterint. Verus itaque miraculorum fructus hic eſt, ut gloriam & potentiam Dei in iis ſpectantes, ob noſtram tenuitatem & indignitatem expaveſcamus, & diſcamus Dominum timere filialiter. Hoc ſancti ſemper fecerunt, quoties miraculorum ſpectatores fuerunt. Vide Exod. 15.v.1.2.&c. & paſſim. Moneo hoc, ut ſpecialiter hoc tempore id faciamus,quo Deus tam mirabilia facit. Videmus enim tam mirabiles & inſperatas mutationes in mundo, quibus fideles & caſtigantur & liberantur, & puniuntur hoſtes de quibus omnibus meritò dicimus, *Hic eſt digitus Dei*. Expaveſcamus igitur filialiter.

2. Sequuntur Apoſtolos in porticum Salomonis. Ille commodus erat & ſpacioſus ad concionem habendam locus. Et hic verus miraculorum uſus, ut ſcilicet ſint campanæ, per quas homines convocentur in porticum Salomonis ad auditum verbi. Ideò jam, poſtquam convocati ſunt ceſſant.

Act. 3. *v.* 12.13.

CONCIO XXXVII.

Effectus miraculi prior alium peperit effectum, videl. egregiam concionem Petri, quam occaſione iſtius concurſus populi in porticu Salomonis habuit. Partes hujus concionis ſunt tres, Reprehenſio, Informatio, Adhortatio. Reprehenſio eſt v. 12. & fit ob craſſam ignorantiam auditorum, quâ virtutem à Deo factam per Apoſtolos ita tribuebant Apoſtolis, ut Dei obliviſcerentur.

I. A reprehenſione orditur Apoſtolus concionem. Eccleſia vocatur agricultura Dei, 1. Cor. 3. miniſtri agricolæ. Sicut agricultura corporalis incipit à ſciſſione terræ per aratrum, & ab exſtirpatione veprium, ita & ſpiritualis. Non poteſt inſeri veritas niſi exſtirpetur error. Etſi aliquando triticum & zizania ſimul creſcant, tamen in agro Domini veritas & error non debent tolerari ſimul. Vide Ierem. 1. v. 10. Non igitur reprehendendi concionatores, quod reprehenſionibus & refutationibus ſuis, iiſque acribus turbas dent in Eccleſia & in animis hominum. Fecerunt ita Apoſtoli & ita requirit ſalus populi.

II. Ob quam cauſam reprehenduntur? Quod ita intuentur Apoſtolos, eoſque admirantur, non ſecus ac ſi illi propriâ potentiâ ac pietate hoc miraculum feciſſent, Duo reprehendit.

1. Quod admirantur. Annon licet admirari miracula? *Reſp.* 1. Duplex eſt admiratio: Fidelis & Infidelis. Fidelis admiratio eſt cum admirabilem Dei bonitatem, potentiam ac ſapientiam in operibus ejus ita apprehendimus, & cordi admovemus: ut in laudes Dei erumpamus. Sic David Pſal. 8. 1. Paulus Rom. 11.33.&c. Chriſtus Matth. 8.10. turba Matth. 9. 33. Sic quoque Marc. 6, 6. miratus eſt infidelitatem, i. e. miratus eſt in homines cadere tantam infidelitatem, & in Deum tantam longanimitatem. Admiratio infidelis eſt cœcus quidam ſtupor & terror ob opera mirabilia, ortus ex ignoratione cauſæ unde veniant, 2.Reg. 7. 2. Luc. 1. 18. Ioh. 3.4. Ioh. 7. 15. Marc. 15. 44. Habac. 1. 5. In Iudæis non erat admiratio prior, ſed poſterior. Hanc itaque reprehendit. Et admiratio, qualis vaccarum novam portam ſtabuli ſui intuentium. Non ſimpliciter reprehendit quod mirentur, ſed quod plus mirantur miraculum unum Apoſtolorum, quàm omnia Chriſti, q. d. Tot miracula inter vos facta ſunt nuper quæ tamen omnia non curâſtis, & auctorem ipſorum in tantum non reſpexiſtis, ut & occideritis, an jam in nobis hæretis ob hoc unum, &c. Sic fieri ſolet ut homines Chriſtum ſe manifeſtantem nolentes recipere, facilè recipiant alios loco Chriſti. Qui ſunt infideles erga Deum, fiunt creduli erga homines, Ioh.5.43. 2.Theſſ.2.11.

2. Quod hærent in Apoſtolis, ac ſi propriâ virtute ac pietate hoc præſtiterunt. Eſt hoc valdè commune peccatum, quod cum Deus per creaturas aliquid magnum facit, animi hominum hærent in creaturis, illiſque operis laudem tribuunt. Sic Ethnici cum intuerentur per Solem, Lunam, aſtra, tanta beneficia præſtari hominibus, itemque heroas quoſdam tam præclaras res gerere in mundo, ſtatim retulêre inter Deos & adoraverunt. In ipſa Eccleſia cum viderent per ſacros ritus Deum operari ſalutem noſtram, ſtatim ritibus ipſis remiſſio & expiatio peccatorum, &c. tributa. Sic perſonis à Deo vocatis ad diſpenſationem gratiæ, ipſa vis gratiæ tributa. Saltem ſi potentiam eorum non ſunt reveriti, tamen pietatem eorum ſuperſtitioſè adorârunt, & in eorum merita confiſi ſunt, ac ſi Deo

ita

ingrati eſſent ut non ſolùm ſibi, ſed & aliis ſalutem mereri ac procurare poſſent. Ethniciſmus & Papiſmus plenus eſt hujus ſuperſtitionis & ignorantiæ, quæ nobis omni ope exſtirpanda, ut conſtet quid Deo, quid item mediis tribuendum ſit in negotio ſalutis. Nuper hortati ſumus media omninò eſſe reſpicienda, ſed jam etiam diſcimus non eſſe hærendum in mediis, ſed etiam benè diſcernendum inter id, quod Dei eſt, & quod mediorum eſt. Non tantùm ſciendum eſt, quænam res ad ſalutem noſtram concurrant, ſed etiam, quænam ſit ſingulorum virtus & operatio. Deus Pater, Filius, & Spiritus S. nos ſalvos facit. Idem etiam tribuitur noſtræ fidei, bonis operibus, verbo, ſacramentis. Probè igitur ſciendum, & diſcendum Chriſtianis quæ ſit operatio Patris in negotio ſalutis, quæ Filii, quæ Spiritus S. item, quæ fidei, quæ operum, quæ verbi, quæ miniſtrorum, quæ ſacramentorum, ne hoc ignorantes in mediis, quæramus ſolis quod à Deo eſt, aut mediis demus honorem, qui Deo competit, aut uni medio virtutem, quæ alteri competit. Nam per tales errores impeditur juſtificatio, ſanctificatio, conſolatio. Sicut in medicina, ſi quidvis pro quovis adhibeas, impeditur curatio; ita, ſi vim cauſarum ſalutis inter ſe confundas, nec cujuſque cauſæ mediivè propriam virtutem diſtinctè cognoſcas, impeditur contritio, fides, gratitudo, conſolatio. Vſurpanda quidem media, ſed non ſubſiſtendum in mediis, verum invocandus Deus, ut mediis benedicat, & per media operetur, quod operari media non poſſunt. Sicut in vita corporali non vivitur ex ſolo pane Matt. 4. ita vita ſpiritualis non eſt ex ſolis mediis, ſed per media à Spiritu Sancto. Præcipuè autem curandum miniſtris, ne ſibi ullo pacto patiantur honorem, qui non competit, deferri. Miniſtri facilè poſſunt fieri idola. Eſt quidem res bona à Deo adhiberi inſtrumentum magnæ efficaciæ, ſed ſi quis gloriam ejus rei ullo modo ſibi ipſi tribuit, vel ſibi dari ab aliis patitur, is ſe facit idolum, & iram Dei in ſe concitat, unde & angeli & homines ſancti illum honorem ſemper à ſe amoliti ſunt quàm longiſſime, ſcientes illud Eſa. 42. 8, Sic 1 Cor. 15. 10. 2 Cor. 3. 5. 6 Ioh. 4. 20. & 3. 28. Act. 14. 14. Apoc. 19. 10. Et contrà quàm periculoſum ſit, divinos honores admittere, patet ex exemplo Herodis, Act. 12. Multis igitur nominibus hìc reprehendendi Pontificii, qui non modò ſanctis in cœlo divinos honores exhibent, ſed etiam monachis & ſacrificulis tribuunt quod habeant poteſtatem remittendi peccata, quod pietate ſuâ mereri poſſint omnem opem neceſſariam ad ſalutem. Utrumque hìc refutatur, & potentia & meritum ſanctorum. Dicunt enim expreſsè Apoſtoli, quod nec ſuâ potentiâ fecerint, nec ſuâ pietate, i. e. ſuæ pietatis merito impetraverint hoc miraculum. Non eſt dubium, quin per fidem & preces hoc miraculum effecerint, negant tamen ſuâ pietate effeciſſe, i. e. ſuæ pietatis ſingulari merito. Reprehendendi etiam noſtrates, qui nimis admirantur & intuentur miniſtros, per quos ædificationem aliquam recipiunt, præſertim qui unum ita admirantur, ut cæteros contemnant, & ſchiſmata faciant, dicentes, Ego ſum Apollo, ego Cephæ, &c. 1. Cor. 3. Nolite idola facere ex miniſtris veſtris. Si quid ædificationis ſentitis, agite gratias Deo, & per vitam piam ſecundùm eorum doctrinam & exemplum date eis occaſionem gaudendi ut poſſint dicere, ſicut eſt, 2. Cor. 2. 2, 3. Debetis miniſtris honorem, ſed non divinum. Hactenus reprehenſio: Sequitur informatio, qua veram cauſam hujus miraculi oſtendit, eamque tum principalem, tum finalem, tum inſtrumentalem.

Principalis eſt Dominus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Deus Patrum noſtrorum. Reges mundani titulos ſuos ſumunt à gentibus, quos vicerunt, vel quibus dominantur, unde amant vocari Numidici, Africanici, Gothici, Alemannici, Parthici, ſed Deus titulum ſibi ſumit non à præclaris rebus geſtis, & potentiæ ſuæ monumentis, quæ tamen ſunt ſatis multa, ſed ab opere miſericordiæ, videlicet à fœdere gratiæ, quod fecit cum Abrahamo, &c. q. d. Ille Deus qui Patribus noſtris revelavit viam, quâ peccatores poſſunt ad æternam ſalutem venire. Hic verè ille titulus, qui Deum magnificat, & quo differt ab omnibus Regibus terræ. In N. T. loco hujus tituli plerunque uſurpat hunc, quod ſe vocat Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti; Res eodem recidit, quia utroque nomine Deus ſe glorificat per mentionem fœderis gratiæ. Ratio mutationis in eo tantùm ſita eſt, quod poſt peractum mediationis opus, mediator clarius debuit proprio ſuo nomine innoteſcere, & quod fœdus gratiæ latius debuit extendi quàm ad carnales poſteros Abrahæ. Ratio autem quare Petrus hoc loco hac demonſtratione voluit uti, eſt hæc, ut amoliretur à ſe ſuſpicionem innovationis. Periſq; enim ſuſpecti erant Apoſtoli, quaſi novum Deum, novam fidem, novam religionem vellent introducere. Proteſtatur igitur, ſe nullum alium Deum agno-

agnoſcere, quàm qui ſe olim Partibus manifeſtaverat. Non provocat ad Patres illos recentiores, quorum traditiones Iudæi tantopere recommandabant & obſervabant. Matth. 5. & 15. & 23. ſed ad primos, de quorum fide & integritate nullum erat dubium, atque ita nos docet, quænam antiquitas ſit nota veræ Eccleſiæ, ſcilicet ea, quæ ſe refert ad Patres indubitatæ fidei. Applica ad Pontificios, qui ſemper ad antiquitatem provocant, ſed non ad veram antiquitatem ſed ad paterculos paucorum ſeculorum. Qui retinet doctrinam ejuſdem fœderis gratiæ, quod cum Abrahamo factum eſt, is tenet doctrinam Eccleſiæ verè antiquæ.

Actor. 3. *v.* 13. 14. 15. 16.

CONCIO XXXVIII.

Finalis cauſa hujus miraculi eſt, ut glorificetur Filius Dei, Dominus gloriæ. Finis eſt glorificare Ieſum. *Object.* At erat jam tum glorificatus, in cœlum tranſlatus, ad dextram Dei conſtitutus. *Reſp.* Habebat gloriam apud Patrem, Ioh. 17. 5. ſed non apud mundum. Glorificare Ieſum, eſt gloriam ejus, ad quam exaltatus erat, mundo & hominibus pateſacere, ut eam agnoſcerent, ut Filio ſuo gloriam & laudem pararet ex ore hominum. Erat in ſe glorioſus, ſed gloria ejus non erat nota hominibus. Hoc igitur fine per diſcipulos Jeſu hoc miraculum Deus operatus eſt, ut homines exinde diſcerent, Jeſum non eſſe amplius in morte aut ſepulchro, non eſſe à diſcipulis furto abreptum & clanculum alicubi ſepultum, ſed ſedere vivum in cœlis. Qui enim per ſervos ſuos, nomen ſuum profitentes, talia poteſt operari, is certè non eſt mortuus. Deus eſſet glorioſus etiamſi mundum non creâſſet. Chriſtus foret glorioſus, etiamſi nemo gloriam ejus agnoſceret. Sed tamen hoc Deus quærit ex creatione & redemptione, ut ſint qui gloriam ejus agnoſcant ac celebrent. Hic finis & creationis & redemptionis. Hunc finem laboremus aſſequi. De hac autem porrò glorificatione duo deſcribuntur.

1. Perſona glorificanda.
2. Modus glorificationis.

Perſona glorificanda tribus titulis proponitur. 1. Vocatur enim puer Dei. 2. Sanctus & juſtus. 3. Princeps vitæ.

I. Vocatur puer Dei, ſicut etiam Act. 3. 26. & Act. 4. 27. Quare hoc? Vtique Chriſtus non eſt puer? Fuerat olim, ſed non erat tempore hujus miraculi. Væ terræ cujus Rex Puer eſt, an noſter Rex etiam puer eſt? *Reſp.* Sic vocatur

1. Ad exprimendum tenerum amorem quo Deus illum complectitur. Eſt filius in ſinu Ioh. 1. v. 18. Filius beneplaciti, Matth. 3. 17. Non poteſt mater filiolum quem lactat, amare tenerius, quàm amat Deus hunc. Et hoc utile conſideratu. Hoc enim recommendat τὴν φιλανθρωπίαν Dei, quod filium tam charum ac pretioſum pro nobis in mortem dedit, non ſecus ac ſi mater filiolum ab uberibus abreptum projiceret in ignem. O æſtimemus rectè amorem Dei. Id enim pariet in nobis amorem erga Deum & filialem στοργὴν. Amor enim Dei erga nos, à nobis rectè creditus, conſideratus, æſtimatus eſt ſemen ex quo generatur noſter amor erga Deum. 1. Ioh. 4. amamus quia ipſe amavit. Idem quoque nos admodum ſolabitur. Si enim filium unigenitum tam tenerè amat, amat & nos. Amat enim nos propter filium, & amor in filium ſe extendit ad nos, qui ſumus filii ſponſa, caro, os. Vide Ierem. 31. 20.

2. Ad exprimendum officium Chriſti. παῖς ſæpè ſumitur pro ſervo, Luc. 12. 45. & ſæpe de Chriſto dicitur, quod ſit ſervus Dei, Eſa. 42. 1. & 52. 13. & 53. 11. Hæretici hinc arguunt, Chriſtum eſſe minorem Deo, & inæqualem Deo, quippe qui eſt ſervus Dei. Sed quare appellatur ſervus? *Reſp.* non ratione inæqualitatis, quæ eſt in natura, ſed ratione liberæ ſubmiſſionis & obedientiæ, quâ ſe paſſus eſt à Patre mitti ad opus ejus expediendum, ad voluntatem ejus faciendam. Vide Phil. 2. 6. 7. Hoc igitur non arguit inæqualitatem Chriſti cum Deo; ſed demonſtrat amorem Chriſti erga nos, qui rectè conſideratus acuit noſtrum amorem erga Deum & proximum, Matth. 20. 28. Phil. 2. 5.

II. Vocatur ὁ ἅγιος καὶ δίκαιος. Expreſſè additur articulus, ut aliqua ſingularitas intelligatur. Angeli etiam ſunt ſancti & juſti, fideles homines etiam, ſed Chriſtus appellatur ille ſanctus, idque propter duas cauſas. 1. Quia eſt ipſe ſanctitas & juſtitia eſſentialis. 2. Quia eſt auctor ſanctitatis & juſtitiæ quæ eſt in aliis. Nam præter eſſentialem juſtitiam Deitatis, & puritatem ac innocentiam humanitatis, eſt plenus meritis quibus juſtificantur homines, & plenus Spiritus S. quo ſanctificantur homines, adeò, ut ſit τὸ ἱλαστήριον, pelvis plenus aquæ reconciliatiouis, Rom. 3. 25. & puteus, ex cujus plenitudine ſumimus nos, Zach. 13. 1. Ioh. 1. Hæc duo enim ſunt in Chriſto, ſcilicet ſanctitas,

ſeu Spiritus ſanctificans nos, & juſtitia, i.e. meritum juſtificans nos, & ſicut utrumque eſt in Chriſto, ita utrumque debet eſſe in nobis, nec facienda ſeparatio. Sicut in corpore humano venæ & nervi unà currunt; ſicut ex Chriſti latere aqua & ſanguis unà fluxit: ita qui Chriſtum per fidem ſibi applicant, debent ex eo trahere ſanguinem juſtificantem & Spiritum ſanctificantem, 1. Ioh. 5. 6.

III. Vocatur ὁ ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς: Confer Act. 5. v. 31 i.e. qui vitæ imperat. Princeps alicujus populi eſt qui alicui populo imperat. Sic Princeps vitæ qui vitæ imperat, die over 't leven te ghebieden heeft. Nam per mortem victor mortis factus eſt, Hebr. 2. 14 1. Cor. 15. 54. & jam ad dextram Dei conſtitutus judex vivorum & mortuorum, morti imperans, ut abſumat infideles, & vitam dans ſpiritualem electis, vitam æternam fidelibus. Eſt is, qui clavem habet, quâ aperit & nemo claudit. Facit hic titulus ad terrorem. Pilatus voluit Ieſum hoc titulo terrere, Ioh. 19. 10. Sed Ieſus verè ita dicere poteſt quod Pilatus non poterat. Servit quoque ad ſolatium, Rom. 14. 7. 8. Non poſſumus mori, niſi Chriſto imperante.

Hactenus perſona glorificanda. Modus glorificationis illuſtratur per comparationem ignominiæ, quâ Iudæi filium Dei affecerant, q. d. Deus hoc miraculum per nos fecit, ut filium ſuum glorificaret, & liberaret ab ignominia, quâ vos eum affeciſtis. Quænam illa ignominia? 1. Tradiderunt eum. 2. Pilato judicante, quod eſſet abſolvendus, eum abnegarunt. 3. Maluerunt homicidam ſibi donari, quam hunc. 4. Occiderant eum. Huic ignominiæ opponitur glorificatio: quem Deus reſuſcitavit ex mortuis, cujus rei nos ſumus teſtes, q. d. Sicut vos autoritatem & gloriam Ieſu Chriſti coram facie Pilati negâſtis, nec voluiſtis eum agnoſcere pro Meſſiâ à Deo miſſo, ſed ignominioſâ morte eum affeciſtis tanquam malefactorem, ita Deus hoc miraculo nos fecit teſtari & manifeſtum facere, coram facie veſtra, in homine vobis noto, ut contradicere non poſſitis, quod eum ex mortuis ſuſcitaverit, & quod vere ſit filius Dei, ſanctus ille & juſtus Dei ſervus, Dux & Imperator vitæ. Quod ſi horum verborum explicationi vellem inſiſtere, agendum mihi foret de hiſtoria paſſionis & reſurrectionis. Sed quia hæc nimis ſæpe recurrunt, prœteribo. Non poſſum omnia explicare quæ in Actis ex univerſis Bibliis citantur. Prolixum foret hoc. Finem modò hujus illuſtrationis & comparationis reſpicite, qui eſt, Iudæos adigere ad agnitionem peccatorum, ac eos reddere Chriſti cupidos. Fruſtra enim Chriſtum annunciamus, niſi & hominibus ſua peccata annunciemus, ut loquitur Scriptura, Eſa. 58. 1. Qui Chriſtum annunciat ſine annunciatione peccatorum, is ſanctum canibus objicit, & cibum iis, qui non eſuriunt. Annunciatio peccati dejicit ſuperbiam, quæ Chriſtum expellit, & excitat deſiderium Chriſti, ut adventus ejus gratus ſit. Agnoſcant igitur Paſtores ſuum officium, quod injungitur, Eſa. 58. 1. nec auditores parrheſiâ eorum offendantur. Hactenus cauſa efficiens & finis miraculi; Sequitur Inſtrumentum, videl. Fides in nomen ejus. Pontificii hoc loco abutentes, ajunt duplicem cauſam Inſtrumentalem hic indicari, videl. nomen Chriſti & fidem. Quia enim dicitur, nomen ejus hunc firmavit, putant, quod Apoſtoli pronunciatione nominis Ieſu uſi ſint, & quod pronunciatio ſolius hujus nominis habeat vim Dæmonas expellendi, vel alia miracula faciendi. Sed nugæ ſunt vocabulo tribuere efficientiam miraculi. Nomen Chriſti hic eſt ipſe Chriſtus vel potentia Chriſti, q. d. potentia ſeu poteſtas ad quam Chriſtus evectus & exaltatus eſt, hunc erexit, & fides in nomen Chriſti, ſeu in ipſum Chriſtum, & in doctrinam, quæ de eo revelata eſt, dedit ei hanc integritatem. Quæritur autem de cujus fide hic agatur, an de Apoſtolorum fide, an de fide ejus, qui ſanatus eſt? Miracula fiunt quandoque fide facientium ea; quandoque fide eorum quibus fiunt, inquit Dionyſius Carthuſianus in commentario ſuo ſuper hunc locum. Et verè. Nam utriuſque exemplum habes Marc. 16. 17. & Matth. 9. 22. De quorum igitur fide hic agitur? *Reſp.* Mihi non fit veriſimile quod agatur de fide ſanati. Is enim juſſus quidem erat fideli corde in Apoſtolos reſpicere, ſed dicitur v. 5. quod ſimpliciter eos aſpexerit cum exſpectatione eleemoſynæ. Non nego ipſum per miraculum vel in miraculo & anima & corpore ſanatum eſſe, ſed ante miraculum fidelem fuiſſe & fide ſuâ miraculum impetrâſſe non video. De Apoſtolorum igitur fide agitur, q. d. per fidem, quâ nos nitebamur potentiâ & verbo Chriſti, cum diceremus: in nomine Ieſu ſurge & ambula, impetravimus hoc miraculum. Id enim omne eſt quod Apoſtoli ad miracula contulêre, quod ſcil. per fidem & invocationem nominis Chriſti ea impetrârunt. Non ſunt veræ cauſæ Inſtrumentales, ſed morales & impetrantes miraculorum. Et hoc nobis obſervandum: ſi quid à Chriſto cupimus,

ſive corporale, ſive ſpirituale id fide ab ipſo impetrandum. Requiruntur quidem preces & pietas, ſed hæc ſine fide nihil impetrant. Credenti omnia poſſibilia, Marc. 9. 23. *Object.* Iis quidem omnia poſſibilia qui credunt fide miraculorum. Illi poſſunt per fidem ſuam Dæmonas ejicere Marc. 16. & montes transferre Matt. 17. Sed hoc nihil ad nos qui tantùm habemus fidem communem. *Reſp.* Si fides noſtra poteſt animas ſalvare, annon poſſet miracula facere? Ad miracula facienda non opus eſt aliâ fide, quam eſt communis omnium fidelium fides, ſed tantùm aliâ promiſſione. Si Deus nos omnes vocâſſet ad miniſterium Apoſtolatûs, & nobis promiſiſſet ſe noſtrum miniſterium confirmaturum eſſe per miracula, tum poſſemus per eandem fidem, quam jam habemus, miracula facere. Sed Deus ad hoc non vocavit, neque hoc promiſit. Vocavit autem ad ſalutem, & promiſit omnia dare quibus ad ſalutem conſequendam opus habemus. Poſſumus igitur exercitio noſtræ fidei impetrare omnia hæc. Quod ſi montes obſtant noſtræ ſaluti, poſſumus eos per fidem noſtram fugare. Exerceamus igitur fidem in omni difficultate, & experiemur vim ejus. Fructus fidei eſt ὁλοκληρία tum corporis, tum animæ, non quidem ὁλοκληρία graduum, ut nulla crux, nullum peccatum locum amplius habeat, ſed tamen ὁλοκληρία partium, ut nulla oppreſſio ſit ſine ſolatio, nullum officium ſine conatu. Habemus ὁλόκληρον πνεῦμα 1. Theſſ. 5. v. 23. Jacob. 1. 4.

Act. 3. *v.* 17. 18.

Concio XXXIX.

Partes hujus Concionis fecimus tres: Reprehenſionem, Informationem & Adhortationem. Abſolutis prioribus ſequitur tertia, Adhortatio, in qua iterum tres partes conſiderabimus:

1. Dat rationes, quare Informationi ſubjuncturus ſit hanc Adhortationem, v. 17. 18.
2. Proponit adhortationem ipſam v. 19. p. pr.
3. Confirmat ſuam adhortationem argumentis moventibus v. 19. ad finem capitis.

Hac vice agendum, de primo. Scopus adhortationis eſt Judæos excitare, ut per emendationem & converſionem ſibi acquirant remiſſionem hujus graviſſimi, & omnium aliorum peccatorum, ut ita fierent participes refrigerationis in adventu Domini. Hic ſcopus poterat videri abſurdus. Nec enim probabile videbatur, eos homines unquam receptum iri in gratiam Dei, qui tam horrenda malitiâ Principem vitæ è medio ſuſtulerant, nec videtur verus amor eſſe de talibus bene ſperare, & ſalutem eorum quærere. ſed potius peccatum contra illud Chriſti Matth. 7. Sanctum canibus ne objicite. Sed Apoſtolus hac objectione nihil motus peccatum Judæorum, quod antea tantopere exaggeraverat, iterum mitigat & extenuat aliquo modo, dicens: Novi fratres, &c. q. d. Etſi peccatum veſtrum contra Chriſtum eſt graviſſimum, & tam horribile ut meritò omnes, in quibus eſt ullus amor Dei, vos propter illud deteſtentur & execrentur, tamen quia novi, vos veſtroſque Principes feciſſe hoc ex ignorantia, & Deum per hanc veſtram ignorantiam, & per veſtrum peccatum impleviſſe ſuas promiſſiones, ideò non deſinam hunc fraternum vobis amorem exhibere, quo vos moneam, ut per converſionem vobis acquiratis remiſſionem, &c. Sunt hîc quædam declaranda:

I. Petrus Judæos appellat fratres. Atqui non erant converſi, Chriſtum non noverant, nec Chriſto erant inſiti, quo jure igitur fratres? *Reſp.* 1. Erant fratres Petri ſecundum carnem. 2. Erant fratres propter externam communionem fœderis. Erant enim Eccleſia & populus peculii, ſeu ille populus, cui Deus tabulas fœderis commiſerat, & ex quo ſibi Eccleſiam hactenus collegerat, & etiamnum colligebat. Si Petro res fuiſſet cum Ethnicis inconverſis, & à fœdere planè alienis, non appellaſſet eos fratres. Sed Judæos meritò appellat fratres. Etſi enim nondum erant converſi, tamen judicium charitatis in eo poſitum eſt, ut omnes externè confœderatos tanquam fratres amplectamur & ſalutem eorum promoveamus cum ſpe & bona fiducia, tanquam populi Dei, etſi in præſentiarum gravi peccato ſe indignos fecerint gratiâ. Licet & decet etiam eos, qui à fœdere Dei alieni ſunt, data occaſione ad ſalutem hortari, ſed peculiarem amoris affectum debemus iis, qui ſunt in fœdere, etiam tum, cum gravibus peccatis ſe videntur excluſiſſe ab omni gratia. Quod gravius poteſt eſſe peccatum quàm quod Judæi contra Chriſtum commiſerant. Et tamen, quia erant extrinſecus in fœdere, Apoſtoli eos ſemper appellarunt viros fratres, & iis primò omnium & principaliter Euangelium annunciârunt, donec finali impœnitentia prorſus doctrinam fœderis gratiæ abjecerunt & perſecuti ſunt. Hûc facit quoque illud notabile Pauli 2. Theſſ. 3. 14. 15.

Etſi

Etſi tantopere peccaverit, ut etiam ex Eccleſia per diſciplinæ claves ejectus ſit, tamen non planè tanquam cum hoſte agite, ſed adhuc aliquid fraternum in illo agnoſcite. Moveo hoc propterea, ut alloquar illos inter nos, qui propter ſua ſcandala à cœna Domini per conſiſtorium ſuſpenſi, jam ita à nobis abalienantur, ac ſi nobis & ipſis nihil amplius foret commune. Scitote quæſo, quòd vos à ſacramento arceamus, non ex odio, tanquam noſtros hoſtes, quos impoſterum fugiamus, ſed ex amore, tanquam fratres, ut hoc acerbo remedio, quia amicitiâ non poteramus, ſalutem veſtram promoveremus. Ne itaque nos ita repellite à vobis, dicentes, quid tibi mecum, utique ſum à vobis excommunicatus. Nos non fugimus vos ut hoſtes, ſed quærimus & exſpectamus cum deſiderio ut fratres. Non poſſumus quidem ea humanitate vos nunc tractare, quâ ante excommunicationem, neque adhuc ita vobis occurrere ut Corinthii excommunicato reverſo, 2. Cor. 2. 6. 7. Sed tamen non hoſtili odio adverſum vos flagramus, ſed fraterno amore veſtram ſalutem quærimus, tanquam eorum qui ad domum Dei noſtri pertinetis, & hoc pergemus facere, niſi nimis diuturna pertinacia vos declarâritis planè refractarios & rebelles. Moveo quoque hoc dogma, ut fervidis [illegible] ſpiritibu. occurram, qui ſtatim ſchiſma faciunt, ſi vident in Eccleſia non ſummo cum rigore exerceri gladium diſciplinæ & excommunicationis. Cogitate quæſo, diſciplinam Eccleſiaſticam non eſſe bellum hoſtium contra hoſtes, ſed eſſe officium & pharmacum fratrum erga fratres. Vide 2 Tim. 2. 24. 25.

2. Petrus dicit ſe ſcire, quod fecerint ignorantes. Unde hoc ſciebat & quomodo? Utique non erat καρδιογνώστης? *Reſp.* 1. Poterat ſcire ex revelatione Dei, Apoſtolus enim cum eſſet, revelationibus Dei non fuit deſtitutus, nec obſcurè didicit hoc ipſum ex ipſo ore Chriſti. Luc. 23. 34. Ne fidite [illegible] clandeſtinis. Deus poteſt revelare ſervis ſuis hoc vel alio modo. 2. Potuit ſcire per conjecturam. Quia enim ſciebat populum paſſim hærere in traditionibus Patrum, & ſuſq; deque habere [illegible]m myſteriorum Euangelii in Scriptura revelatorum, inde facilè conjiciebat, eos ex ignorantia hoc feciſſe. Ex qualitate perſonæ facilè licet conjicere de qualitate actionis. Si mihi res eſt cum ſubdolo Jeſuita, facile poſſum dicere, quod faciat ex malitia, ſi cum ſimplici Idiota, dicere, quod faciat ex ignorantia. 3. Sed præcipuè dicimus, quod ſciverit per judicium charitatis. Ubi enim vera charitas eſt, ibi expelluntur ſiniſtræ ſuſpiciones de proximo, & inclinantur homines ut de proximo bene ſperent, bene confidant, & quæ minus recta videntur, in meliorem partem interpretentur. Vide 1. Cor. 13. 7. O utinam hic amor eſſet in noſtris hominibus, ut aliquid à proximo patientes, dicerent: Vicine, novi & confido te ignorantem feciſſe, nolo igitur renunciare fraternitati. Sed noſtri homines aliter affecti ſunt, ut penè τὴν καρδιογνωσίαν ſibi arrogent, & quæcunque in contrarium ſint teſtimonia & proteſtationes, tamen dicant, ſcio quod hæc & hæc fuerit ejus intentio.

Object. At ſi tam facilè de proximo bene ſperamus & confidimus, facilè decipimur. *Reſp.* Cum requirimus, ut bonam ſpem & fiduciam de proximo alatis, non requirimus ut talem fiduciam in proximo collocetis, qualem in Deum debetis. De Dei ſinceritate, veritate & juſtitia debetis ita confidere, ut ne quidem de ulla cautione debeatis eſſe ſolliciti, quâ præveniatis, ſi forte fallat, ſed debetis confidere impoſſibile eſſe, ut fallamini. Miſerandum eſt homines tam difficulter credere Deo, & tot cautiones adhibere, non ſecus, ac ſi fieri poſſet, ut fallantur. Sed de hominibus ita debemus bene confidere, ut obſervemus Proverbium vetus: *Fide, ſed cui vide.* Nam.

1. Non diutius bene ſperare debes de aliquo, quàm donec dubium eſt, utrum ſit bonus vel malus. Sed poſtquam ſe ita prodidit, ut à nemine de malitia dubitari poſſit tum bene de eo ſperare non eſt prudentiæ Chriſtianæ. Jerem. 9. 4. e. g. poſtquam Antichriſtus Romanus & ejus Inſtrumenta incorrigibilem ſuam malitiam prodidêre, velle tamen bene de eo ſperare, & emiſſarios ejus in ſinu tolerare, amentiæ eſt, non virtutis. Et quamvis ſpecioſis & blandiloquis prætextibus ſe nobis inſinuent, & ſibi fidi poſtulent, non debetis tamen fidere. Qui de Antichriſto bene ſperat, idem eſt ac ſi de Diabolo bene ſperet. Novimus nos concionatores, quod nos hanc ipſam ob cauſam odio habeatis, quod vos dehortamur ab amicitia & bona fiducia in tales, & quod gaudeatis & triumphetis de nobis, ſi quando eorum ſucceſſus videtis contra noſtra vota eſſe. Novimus, quod hac re nos exponamus odio eorum, & concitemus in nos etiam vitæ pericula. Sed nos novimus vobiſcum agi ſicut cum paſtoribus in fabula, quibus lupi amicitiam offerebant, ſi vellent dimittere canes. Fatemur igitur nos

eſſe tubas, quæ vos incendunt ad pugnam contra Papatum, idque non tantùm tum cum ſucceſſus nobis aliquid boni promittunt, ſed etiam cum ſecus. Etiam Ethnici nôrunt dicere: *Careat ſucceſſibus opto, Quiſquis ab eventu facta notanda putet.* Si toties vultis deponere inimicitiam hoſtium & fiduciam in bona cauſa, quoties ſucceſſus variant, parum eſtis radicati in veritatis amore. Tantum abeſt, ut vos animare queamus ad bonam ſpem de Papatu, ut potius prædicemus, exſpectanda vobis quotidiana ab illis mala. Miſerabilis eſt ſtatus Eccleſiarum Euangelicarum hoc tempore. Inter ſe invicem alunt diffidentiam, æmulationes & ſuſpiciones, & contra cum Papatu vivunt & converſantur confidenter, nihil mali ſuſpicantes, obliti omnium injuriarum, quæ olim paſſæ ſunt, non ſecus ac ſi iſti eſſent homines omnium optimi.

2. Neque etiam Judicium charitatis debet excludere circumſpectam & prudentem cautionem, quâ præveniamus fallaciam poſſibilem. Poſſibile enim eſt homines fallere, poſſibile etiam eſt profeſſores religionis, ſæpe in opinione hominum maximè probos, fallere & ſe oſtendere hypocritas, immò poſſibile eſt, pios & regenitos ex infirmitate labi. Debemus igitur ita ſperare & fidere de proximo ut cautè ambulemus. Dum malitia hominum incognita aut dubia eſt, debemus cum illis converſari, ac ſi boni eſſent, & tamen ita nobis attendere ac ſi malè de iis ſuſpicaremur, Matth. 10. 16. 17. Eph. 5. 15. 16.

3. Dicit ſe ſcire quod ignorantes fecerint, idque non ſolùm dicit de populo, ſed etiam de Principibus. Confirmat idem Chriſtus, Luc. 23. 34. & Paulus 1. Cor. 2. 8. Quæritur quomodo hoc conveniat cum Matth. 2. ubi Chriſtus Phariſæos & Principes arguit peccati in Spiritum S. quod ſcilicet ſcientes Chriſtum à Deo veniſſe, tamen eum perſecuti ſint, & Nicodemus Joh. 3. 2. de omnibus dicit: Novimus te veniſſe à Deo. Et ipſe Pilatus ſciebat, quod ex invidia traderent Chriſtum. *Reſp.* Hoc Chriſtus dicit de quibuſdam, qui eum ita blaſphemabant. Nam quod omnes, qui manum habuerunt in crucifixione Chriſti, peccatum in Spiritum S. commiſerint, dicere non licet. Potius dicendum eſt, eos invidia & malitia ita excœcatos fuiſſe, ut non potuerint agnoſcere impletionem Scripturæ in Chriſto lucentem. Neque tamen etiam dici poteſt, quod omnes, præſertim Principes & Phariſæi in Scripturis experti, fecerint ex ignorantia. Tam efficax enim fuit prædicatio Chriſti in animos multorum, ut penetraverit omnes oppoſitiones & convicerit conſcientias multorum, ut nihil dubitationis ſupereſſet, quin Chriſtus eſſet à Deo miſſus, & tamen tam incorrigibilis erat eorum malitia, ut perſequerentur quem ſciebant à Deo miſſum. Omnes erant per invidiam & pravos affectus ita excæcati, ut non poſſent agnoſcere Chriſtum à Deo eſſe. Sed Spiritus S. quorundam cœcitatem ita penetravit, ut agnoſcerent, & tamen agnitum perſecuti ſunt. Et hoc erat peccatum in Spiritum S. Diſcant noſtri homines, quid ſit peccare in Spiritum S. ne ſe decipiant. Cadit ſæpe in homines bonos metus, ne hoc peccatum commiſerint. Dicunt enim. Ego ſcivi hoc vel illud eſſe peccatum, & tamen feci, Ergo commiſi peccatum in Spiritum S. Diſcite quæſo, quid ſit peccare in Spiritum. Non eſt facere quod ſcimus malum eſſe, ſed eſt ideò aliquid facere, quia ſcimus malum eſſe, vel ideò aliquid perſequi, quia ſcimus bonum eſſe. Multi erant inter Phariſæos, qui ſe ita vendiderant ſub malitiam, ut, ſi ſciviſſent Chriſtum veniſſe à Diabolo, ideò amâſſent quia à Diabolo veniſſet. Sed quia ſciebant à Deo veniſſe, quia ſciebant eſſe Meſſiam à Deo miſſum, perſequebantur eum ideò, quia à Deo venerat. Tanto odio Dei & omnis juſtitiæ erant occupati. Examina an hoc in te quadret. Facis multa mala: ſed an ideò facis, quia à Spiritu S. edoctus & convictus es, quod ſint mala, non facturus, ſi non ſcires mala eſſe & à Deo prohibita? Si hoc non potes dicere, ne metuas tibi ab hoc peccato. Petrus etiam crucifixores Chriſti pleroſque ab hoc peccato eximit & dicit eos ex ignorantia Chriſtum crucifixiſſe, quia non erant convicti, quod Chriſtus eſſet ille ipſe Meſſias, qui à Deo miſſus erat, nec erant tali occupati odio, juſtitiæ, ut ideò malum facerent, quia ſciebant eſſe malum.

4. Sed an hoc excuſat peccatum, quod ex ignorantia factum eſt? an ideo ſunt incondemnabiles? *Reſp.* Petri ſcopus non eſt Judæorum peccatum excuſare, ſed tantum eis oſtendere, quod non commiſerint illud peccatum, quod non habet ſpem veniæ, & pro quo non eſt ſacrificium, Hebr. 10. Ignorantia non excuſat peccatum. Qualecunque ſit peccatum, peccatum tamen eſt, & meretur condemnationem. Homo ideò conditus eſt, ut Deum creatorem ſuum rectè cognoſceret, & ſecundùm agnitionem coleret. Si ab hoc aberrat, condemnabilis eſt. Præſertim non excuſat ignorantia, ſi eſt contra uberrima

media

media ſcientiæ. Habebant Judæi Scripturas, ex quibus poterant ſcire, ſi ſcrutati eſſent. Perverſa eſt opinio, Papiſtas & alios ſine periculo peccare contra veritatem, quia per ignorantiam faciant. Habent ſcripturam unde cognoſcere queant. Ignorantia non excuſat. Hoc tamen habent peccata per ignorantiam facta, quod non ſunt peccata ad mortem nec ſine ſpe veniæ, ſi per Euangelium reconcilientur. Eſt aliqua ſpecies peccati, quæ nunquam ſanabitur, quia fit ſcienter, & ideò quia ſcitur peccatum eſſe, Matth. 12. 31. Sed cætera omnia ſunt ſanabilia, quia fiunt per ignorantiam. Sic Paulus 1.Tim.1. miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci. Quis ſenſus hujus ratiocinationis? An ignorantia Pauli, fuit cauſa procatarctica miſericordiæ divinæ? Non certè. Ignorantia enim peccatum eſt. E. non potuit eſſe cauſa miſericordiæ. Et ſi cauſa eſſet, tum omnibus qui ex ignorantia peccant, contingeret venia. At hoc non fit. Quid igitur? Eſt q.d. ſi ſciens volenſque Eccleſiam eſſem perſecutus, ideo quia ſcirem eſſe Eccleſiam Dei, peccatum meum eſſet extra veniam, ſed quia ignorans feci, ideò non eſt ſine venia. Et ideò de multis Papiſtis bene ſperamus, & de aliis magnis peccatoribus. Et hoc quoque debent docere boni concionatores. Debent quidem exaggerare peccata, ſed tamen etiam annunciare quod nullum peccatum præterquam in Spiritum S. ſit tantum, quin poſſit habere veniam. Vide Eſa.1.28.1.Tim. 1. 15. 16. Ignorantia peccatis non eſt quidem cauſa veniæ, ſed tamen eſt ſignum, quod peccatum aliquod non ſit ſine ſpe veniæ.

5. Altera ratio, propter quam ſibi ducit licitum eſſe ad quærendam veniam adhortari, petita eſt à providentia Dei: quia ſcilicet Deus per eorum ignorantiā impleverit, quod de filio prædixerat. Eſt hæc quoque difficilis argumentatio. Videtur enim peccatum ideò extenuare, quia Deus per providentiam ſuam illud ita rexerit, ut per illud impleret ſuum propoſitum, & Chriſtum ad deſtinatam paſſionem perduceret. Sed *Reſp.* Petri ſcopus non eſt extenuare peccatum Judæorum, ſed potiùs graviter exaggerat. Hoc tantùm vult, ne ideò deſperent, & ſe putent eſſe extra veniam. Rationem hujus petit à *providentia* Dei in hoc peccato, & q. d. ne deſperate ob *hoc peccatum*, quia Deus ideò permiſit, ut hoc *pacto pararetur* remedium contra omnia peccata. *Vos quidem malè egiſtis*, ſed Deus direxit in *bonum finem*, & veſtro peccato quaſi abuſus eſt ad veſtrum bonum. Vide ſimilem argumentationem Geneſ. 50. 19. 20. Erat hîc locus diſſerendi de providentia Dei etiam ſuper mala & peccata hominum. Sed prolixa eſt hæc materia, & habet magis propriam ſedem in Act. 4. verſ. 28. Tantum ſolatium hinc hauriant omnes pii contra reliquias peccatorum ſuorum. Non fit ſine providentia, quod peccatis & labimini. Potuiſſet Deus corpus peccati totum eximere ex veſtro corde, & vos perfectè ſanctificare, ſed juſto conſilio permittit, ut cadatis, & in veſtrum bonum dirigit, Rom.8.28.

Actor. 3. v. 19.

CONCIO XL.

HActenus rationes propter quas Apoſtolus informationi ſubjungit Adhortationem. Sequitur adhortatio ipſa: μετανοήσατε οὖν καὶ μεταςρέψατε. Si hunc textum volumus ſecundùm naturā vocum transferre, ita erit transferendus: Debt nadencken ende keert omme. Poſt cogitate & vertite vos. Duæ enim actiones hîc requiruntur quarum altera interna, altera externa eſt.

Prima actio vocatur μετάνοια ſeu conſideratio poſt factum. πρόνοια eſt conſideratio ante factum, μετάνοια poſt factum conſideratio. Fuerat officium Judæorum ante crucifixionem Chriſti conſiderare quid facturi eſſent. Chriſtus dicebat ſe eſſe Meſſiam in V. T. promiſſum. Ipſorum erat promiſſiones V. T. de Meſſia inſpicere, eaque cum doctrina & miraculis Chriſti attentè in timore Domini conſiderare. Si hoc feciſſent, non crucifixiſſent Dominum gloriæ. Qui igitur hanc πρόνοιαν neglexerant & ideo tantum peccatum commiſerant, Petrus requirit, ut ad minimum veram μετάνοιαν exerceant, & jam conſiderent quàm indignum factum commiſerint, ut ita verè corripiantur pœnitentiā facti. Sicut fuit cum hoc Judæorum peccato, ita eſt cum omnibus omnium hominum peccatis. Adam neglexit τὴν πρόνοιαν & hoc etiamnum nobis omnibus adhæret, quod ſumus incogitantes, nec attendimus nobis ipſis & noſtris actionibus, ut ſint ſecundum voluntatem Dei. Pſalm. 14. 2 Impellimur deſideriis carnis, & currimus ſine ductu viæ ſicut equus furens, Jer. 8. 6. Requiritur igitur à nobis ut ſaltem poſt factum ſapiamus, conſiderantes, quàm indignè fecerimus, & quod ſit officium à quo declinavimus. Vocatur alioquin μεταμέλεια

μέλεια nac ſorge. Cura & pœnitentia poſt factum. Vocatur reditus in ſe ipſum, Luc. 15.17. Per cuſſio cordis, 2. Sam. 24. 10. Deteſtatio ſui, Iob. 42. 6. Nam hæc omnia debent eſſe in hac actione. Debet eſſe attenta conſideratio facti, quod commiſimus, debet eſſe terror cordis, debet eſſe nauſea & pudor & deteſtatio ſui ipſius. Et hoc primum illud, quod ad veram pœnitentiam & converſionem requiritur, ſcilicet interna cordis atque mentis erga peccatum mutatio, quâ factum, quod antea cum delectatione committebamus, nunc odimus, deteſtamur cum pœnitentia, dolore, pudore, &c. Antea incogitanter in peccatum ruebamus, nunc conſideramus quid fecerimus, antea approbabamus factum, nunc improbamus; antea amabamus, & delectabamur peccato, nunc odio & nauſeâ ejus corripimur, nec non pudore & dolore, Ierem.8.6. Vbi hæc interna mutatio ipſius mentis & cordis non eſt, ibi fruſtranea eſt & falſa omnis externa mutatio vitæ. Satanas eſt ſicut illi qui falſam cudunt monetam per imitationem veræ. Poteſt pœnitentiam pingere extrinſecus tam egregiam, ut à vera vix diſtinguas. Pharao pœnitebat Exod. 9. 27. Achab 1.Reg.21.19. Iudas Matth.27.2.3.4. Simon Magus Actor. 8. 13. Sed hæc vocatur falſa pœnitentia, Ierem.3.10. Quare falſa, quid deeſt? Interna mutatio mentis. Per formidinem pœnæ & divinorum judicorum peccata deponebantur ad tempus & omittebantur, ſed mens tamen non erat mutata. Hinc tales comparantur cum canibus, qui cum cibus deglutitus onerat & doloret facit, eum evomunt, ſed ubi dolor ceſſat, iterum deglutiunt, 2. Petr. 2. Sicut adulter domi alens pellicem metu judicis eam cogitur domo expellere, ſed interim dum domi habere non licet, in alienis ædibus eam ſuſtentat, ut ſubinde detur acceſſus. Sic hypocritæ metu judiciorum Dei peccatum aliquando omittunt & à ſe arcent, ſed non ceſſant amare intus & exſpectare occaſionem revocandi. Ne igitur nos decipiamus externa aliqua pœnitentiæ ſpecie, ſed quæramus veram internam mutationem cordis, ut habeamus novum cor, novam mentem, nec ſimus iidem qui fuimus, ut de nobis poſſimus dicere, ſicut ille Ioh. 9. 25. Vnum ſcio me fuiſſe cœcum, & nunc videre. Et quod Paulus de Corinthiis. 1.Cor. 6. 11.

Object. At hæc mutatio potius eſt paſſio quàm actio. Eſt quod Deus facit, non quod nos facimus. Cur igitur à nobis requiritur? *Reſp.* Deus operatur, ſed non ſine nobis verùm in nobis. Creavit nos ſine nobis, ſed non convertit nos ſine nobis. Requirit à nobis, ut poſtulando operetur in nobis. Non igitur debemus otioſe expectare à Deo, ſed quærere apud Deum per ſeriam meditationem noſtrorum peccatorum, perque comparationem eorum cum lege Dei. Hæc enim illud ſpeculum, per quod turpitudo & periculum noſtrorum peccatorum nobis ob oculos poſita generant in nobis ſenſum indignitatis, terrores conſcientiæ, nauſeam peccati, famem ac ſitim redemptoris. Vide Deut. 30.1.2.6. Ezech. 20. 43. Altera actio, quæ à Iudæis requiritur, vocatur μεταστροφὴ ſeu converſio, reverſio. Hæc ſæpiſſime in ſcripturis requiruntur. Ier.4.1. Hoſ.14.1.2. Ioel 2.13. Actor.26.20. Eſt ſimile petitum à viatoribus errantibus, qui errorem agnoſcentes revertuntur in veram viam, vel ab uxore quæ maritum deſeruit & mœchos ſequitur, ſed poſtea revertitur ad maritum. Oſeæ 6.2. vel ut clarius dicam, à ſilio prodigo, qui patrem per petulantiam deſeruerat & ſcorta ſecutus erat, donec ad ſeipſum veniens ad patrem revertitur, Luc. 15. Exprimuntur ergo per hanc vocem externæ actiones veræ pœnitentiæ, per quas ſeſe interna mutatio cordis manifeſtat. Non enim ſatis eſt dicere cor meum bonum eſt, ſed debes oſtendere per opera quale ſit tuum cor Iacob. 2. Si cor eſt mutatum, non faciet eadem opera, & externa quoque converſatio tua mutabitur. Si factum eſt arbor bona, non amplius feret malos fructus.

Omnis autem vera converſio ex duobus actibus quaſi compoſita eſt. Habet enim primò averſionem à termino malo, ad quem per errorem & incogitantiam ſeceſſeras & 2. reverſionem ad terminum bonum à quo per incogitantiam deflexeras. Vterque actus hic requiritur.

I. Vt ſe avertant à peccato, cui hactenus fuerant dediti, ſimulque ab omnibus aliis peccatis. Nec enim ſufficit ab uno & altero te avertas ſed ab omni malo. Deſiſtendum à curſu prioris vitæ, nec pergendum in praxi peccatorum. 1.Theſſ. 1.9. converſi ab idolis, 1.Sam.7.3. Act.2.37.38. Ion.3.8. Eſa.1.16. 2.Tim.2.19. Et quidem perfecta requiritur converſio, quâ plenè tergum obvertas peccato, non autem qua ex obliquo partim Deum, partim peccata reſpicias. Nemo poteſt ſervire duobus Dominis, Matth. 6. Multi ſunt qui vellent Chriſto adhærere, ſi liceret partim Chriſto, partim peccato ſervire, ſi liceret partim probum, partim improbum

bum eſſe, ſi liceret in juſtitiæ & injuſtitiæ via ſimul ambulare & oblique virtuti ſimul ac libidinibus velificari. Sed non licet, Ergo revertendum. *Objeß.* At non poſſumus eſſe perfecti, nec vivere ſine peccato, non poſſumus ita planè deſerere curſum peccati. *Reſp.* Immò tam perfectus eſſe debes, tam perfectè recedere à malo, ut ne reſpicere quidem liceat. Alioquin incurres pœnam uxoris Lothi, Luc. 19. & quadrabit in te dictum Chriſti, Luc. 9. 62. & illud Petri, 2. Petr. 2. 20. 21. 22. Aliud eſt relabi in peccatum, aliud reverti ad peccata. Relabimur ſæpe per infirmitatem, & repellimur per procellas tentationum, ut faciamus quæ nolumus, ſicut nauta per ventos contrarios ſæpe rejicitur ad locum unde ſolverat, ſed tamen non deſiſtimus ab itinere ſed renitimur & conamur donec penetraverimus in portum.

2. Ut ſe convertat ad Deum, quem deſeruerat. Non magis neceſſarium eſt ut recedamus à malo, quàm ut redeamus ad praxin boni, Pſalm. 34. 14. & Apoc. 2. 5. Pſalm. 37. 27. Eſa. 1. 16. Eph. 4. 22. 24. Actor. 26. 18. Plane decipiunt ſeſe qui putant ſufficere, ſi non facias malum. Conſidera parabolam de talentis, Matth 25. 25. etiamſi poſſes dicere, en Domine recipe quod tuum eſt, non perdidi; tamen ſi non lucratus ſis, in tenebras conjicieris. Unum autem hic obſervandum, quod ſcil. ſi redire vis ad Deum, prius tibi veniendum ſit ad Chriſtum. Nam niſi per hunc veneris, non recipieris. Vide Hebr. 7. 25. En hæc illa adhortatio, quæ totius hujus concionis Petrinæ ſcopus eſt. Sit nobis quoque dicta hæc adhortatio. Alloquor

1. Eos, qui nondum converſi ſunt. O quot ſunt inter nos, qui etiamnum errant in via peccati, ſcortationis, ebrietatis, injuſtitiæ, ſuperſtitionis & vitæ plane diſſolutæ. Quæſo, conſiderate quid feceritis, & revertimini, nec procraſtinate.

2. Eos qui converſi ſunt, & quotidie relabuntur per infirmitatem. Non tantùm ſemel debemus nos convertere, ſed debet eſſe quotidiana praxis, Pſalm. 59. Finis hujus converſionis eſt purgatio animæ; ſi non quotidie revertimur, longè à Deo recedimus. Sicut ſol quotidie declinat ab æquatore; ita nos quotidie à Deo. Quantum itaque quotidie recedimus, tantum quotidie retrahere pedem debemus.

3. Eos qui converſi ſunt, verum non ex corde, ſed illi qui extrinſecus honeſte vivunt coram hominibus, ſed intus cor habent agglutinatum uni aut alteri peccato. Talis converſio non tantùm non prodeſt, ſed punitur, Jer. 42. 20. Oſe. 7. 13. 14.

Actor. 3. *v.* 19.

CONCIO XLI.

Sequuntur cauſæ moventes, quibus Adhortationem ſuam ſuadet Apoſtolus. Eæ duæ ſunt. Prima eſt petita à magno bono magnaque felicitate, quam poſſunt exſpectare, ſi ſe convertant, v. 19. 20. 21. Altera petita eſt ab authoritate Prophetarum, qui hanc converſionem ad Chriſtum Judæis ſpecialiter injungunt uno ore omnes, idque tum cum comminationibus, tum cum promiſſionibus.

Prima cauſa movens proponitur, v. 19. & 20. & confirmatur v. 21. Cauſa, ut proponitur, habet tria membra: Reſipiſcite & convertimini 1. ut deleantur peccata veſtra, 2. utque peccatis deletis veniant tempora refrigerii, & 3. Deus mittat Jeſum Chriſtum, qui vobis antea prædicatus eſt. Confirmatio hujus motivæ hæc eſt: Nam non poteſt mitti Jeſus Chriſtus, verùm cœlo teneri debet, donec omnia fuerint reſtituta, quæ Deus prædixit per os ſanctorum ſuorum Prophetarum. Primum itaq; bonum, quod promittit pœnitentibus, eſt deletio peccatorum, ſeu remiſſio peccatorum, ſicut Act. 2. 38. Modum loquendi mutuatus eſt Apoſtolus ex V. T. locis quàm plurimis, ubi remiſſio peccatorum appellatur deletio peccatorum. Vide Pſalm. 51. 3. 11. Pſal. 109. 13. Eſa. 43. 25. & 44. 22. Dan. 9. 24. Nemo eſt quin intelligat quid ſit delere, ſcil. aliquid quod ſcriptum eſt, vel abſtergere vel obliterare. Quod cretâ ſcriptum eſt abſtergitur, quod atramento, obliteratur. Vide Num. 5. 23. Duo igitur ſunt, quæ Apoſtolus hac phraſi docet.

I. Omnia omnium hominum peccata, cum committuntur, ſcribi & in librum referri. Non ſunt actiones adeò tranſeuntes, ut earum nulla maneat memoria. Peccata hominum ſunt debita, Matth. 6. & 18. de quibus olim ratio erit reddenda in ultimo die Luc. 12. Debent igitur ſcribi & in adverſaria referri. Vide Eſa. 65. 6. Jer. 17. 1. Quonam autem referuntur peccata, & ubi ſcribuntur? *Reſp.* 1. in corde Dei. Vide Pſalm. 90. 8. Eſa. 65. 6. coram Me ſcriptum eſt.

2. Præcipuè autem in proprio hominum corde & conſcientia, quæ ſeipſam accuſat & excuſat. Sicut in cubiculo pleno ſpeculis nihil fit quod non reſplen-

reſplendeat in ſpeculo, ita in toto homine nulla prava cogitatio, nullus pravus motus, nullum verbum, factumve contingit, quin ſcribatur in conſcientia, & ea ita tenax eſt ſpecierum, ut non pereant ſicut in ſpeculo, ſed maneant etiam peracto peccato. Vide Apoc. 20. 12. Quinam illi libri? Conſcientiæ hominum. Etſi Deus novit, tamen convictionis causâ in nobis ipſis ſcripta ſunt peccata noſtra. Voluit nos ipſos eſſe contra-rollatores ut vocant, *Controlleurs*. Sed quare hi libri opus habent aperiri? Quia ſunt obvoluti duricie affectuum, ut ſæpe neſciamus, ſaltem non conſideremus & ob oculos habeamus, quod in ipſis noſtris conſcientiis ſcriptum eſt, & quanta ſint noſtra debita. Tum autem aperientur conſcientiæ, & ob oculos noſtros ponetur, quicquid in iis ſcriptum eſt, & convincemur, Pſal. 50. 21. Cum ſcil. judicio Dei ſiſtemur. Conſideremus hoc omnes, nec parvi æſtimemus peccâſſe, præſertim peccâſſe olim. Non periit memoria peccatorum, ſed ſcripta ſunt coram Deo, & in omnibus noſtris conſcientiis. Neque putemus nos poſſe tegere aut negare. Eſt enim ſcriptum in nobis. Demus igitur operam, ne clauſi maneant libri noſtrarum conſcientiarum; uſque in diem ultimum, ſed hîc aperiantur, ut peccatis noſtris inducamus lituram juſtificationis. Nam ſi in illo die conſcientiæ noſtræ erunt libri indeleti, nunquam delebuntur. Lex eſt clavis, quâ poſſumus aperire corda noſtra.

II. Docet etiam hæc phraſis, Reſipiſcentiam & converſionem eſſe unicum medium delendi peccata, Pſal. 51. 3. 4. 5. Dele, nam agnoſco. Pœnitentia cauſa deletionis. Sicut propter impœnitentiam Scriptura paſſim ita loquitur, quod Deus deleat homines ex facie terræ, ex libro vitæ, ita pœnitentia eſt, id per quod peccata delentur, ex libro divinæ juſtitiæ & noſtræ conſcientiæ. Hic quæſtiones tres ſunt excutiendæ: 1. Quomodo tribuitur hæc deletio pœnitentiæ, cùm tamen ſit gratiæ & miſericordiæ Dei, Eſa. 43. à 22. ad 26. Pſalm. 51. 3. *Reſp.* Miſericordia & gratia Dei eſt cauſa ſuprema & proëgumene hujus remiſſionis, ſicut Merita Chriſti ſunt cauſa meritoria & procatarctica. Sed hæ cauſæ non excludunt noſtra officia, ne illis locus ſit inter cauſas ſalutis. Etſi ſit ex mera gratia & propter ſolius Chriſti merita, ac minimè propter noſtra merita, tamen non ſit ſine noſtra pœnitentia, ſed eâ interveniente, & per noſtram pœnitentiam. Non enim ſequitur: ex mera gratia. Ergo otioſè & ſine nobis. Sed hoc tantùm ſequitur: ex mera gratia: ergò ſine noſtro merito, neque propter dignitatem noſtræ pœnitentiæ, neque ſic, ut nos priores Deo dederimus, quod nobis reddat.

2. Sed cur dicitur, quod per pœnitentiam ſeu converſionem conſequamur remiſſionem peccatorum, cùm tamen ſola fides ſit Inſtrumentum per quod juſtificamur & remiſſionem peccatorum accipimus? *Reſp.* In fide vis juſtificandi, & remiſſionem peccatorum impetrandi propriè ſita eſt, ſed debet eſſe fides talis, quæ non ſit ſine cæteris partibus converſionis. Contritio non juſtificat, ſed fides, ſed tamen nulla fides juſtificat, niſi quæ ex contritione proficiſcitur. Sicut enim manducatio ſine fame neque fit, neque nutrit, ita fides ſine contritione neque exercetur, neque Chriſtum verè applicat. Sicut natatio non poteſt fieri in ſolido, ſed in liquido & fluido, ita fides non exercetur in corde integro ſed fracto ac liquefacto. Fides enim eſt ſuſtentatio & enatatio animi fluctuantis & mergi incipientis. Viciſſim amor & obedientia non juſtificat ſed fides. Veruntamen nulla fides juſtificat, niſi quæ per amorem efficax eſt ad novam obedientiam legis. Fides enim cor ſeparat à mundo, purgat à peccatis, cogit ad amandum Deum. Quod itaque Deus conjunxit, nos ne ſeparemus, ſed conjunctim exerceamus.

3. Quonam autem ſenſu deletio peccatorum tribuitur converſioni? An converſio delet peccata, & qua in re conſiſtit illa peccatorum deletio? An delentur ex memoria Dei, an delentur ex memoria noſtra? Et cum deletio fiat vel per abſterſionem, vel per obliterationem, utronam modo fit hæc deletio? *Reſp.* Memorabile eſt quod Apoſtolus non dicit: Delete vos veſtra peccata per converſionem, ſed: convertite vos, ut peccata deleantur. Oſtendit enim non eſſe noſtrum opus, quaſi nos per merita noſtra poſſumus expiare & expungere peccata, ſed eſſe opus Dei, quod ipſe facit, ſi nos noſmet convertimus. Deletio & expunctio chirographi, non eſt debitoris, ſed creditoris opus. Et quomodo Deus delet peccata noſtra? *Reſp.* α. Ex libro ſuæ juſtitiæ, & ex ſua memoria delet ea per obliterationem & inductionem ſanguinis Chriſti. Sicut cum debitor apographum cancellis & lineis inducit, perit vis tota chirographi, ita cum Deus peccatis noſtris inducit lituram ſanguinis Chriſti, perit vis peccati. Vide Coloſſ. 2. 14. Quod illud chiro-

chirographum, quod Christus annihilavit? Verum non quod intelligitur lex ceremonialis, ſed debitum quod hoc chirographo confitebamur, ſunt nostra peccata. Hoc debitum annihilatur obliteratur, i.e. adſperſione & imputatione ſanguinis Christi. Hinc dicitur Deus peccata noſtra tegere, & in profundum maris conjicere, quia debita noſtra obliterat, ut non velit recordari eorum Eſa. 43. 25.

β Ex libro noſtræ conſcientiæ delet per Spiritum Sanctum. Vide Hebr. 10. 22. Cordibus purgati à mala conſcientia. Quomodo purgantur corda à mala conſcientia? Cum Spiritus S. expungit conſcientiam peccatorum per ſolatium Euangelii. Conſcientiæ omnium hominum refertæ ſunt conſignatione peccatorum. Sed dum libri conſcientiarum clauſi ſunt per ſecuritatem carnalem, peccatum in conſcientiis quaſi mortuum jacet, nec ſe movet nec irritatur. Ubi verò per adventum legis liber conſcientiæ aperitur, peccatum reviviſcit. Rom. 7. 8 9 i.e. incipit ſentiri, & rodit cor inſtar vermis, & urit inſtar ignis. Poſtquam autem per fidem Chriſto inſerti ſumus, & Deus lituram ſanguinis Chriſti peccatorum noſtrorum debito induxit, Spiritus S. vermem illum mortificat, & vim ejus ſenſim ex cordibus expungit, & contrà in nos inſcribit novum illud nomen de quo Apoc. 2. 17. per quod nomen deinceps intrepidi conſiſtimus coram tribunali Dei. Et hæc eſt vera illa peccatorum deletio. Sit nobis itaque hoc efficax calcar ad converſionem. Nam 1. Si retinentur peccata, retinentur quoque pœnæ. Si non delentur peccata, non delebuntur hoſtes noſtri ex terra, nō delebuntur nec abſtergentur lachrymæ ab oculis. 2. Ira quoque Dei ſuper nos manet & terribile judicium in ultimo die, ubi ratio reddenda erit de omni inutili verbo. 3. Ideo textus ait, non prius ventura eſſe tempora refrigerii, donec deleta fuerint peccata.

Actor. 3. v. 19. 20. 21.

CONCIO XLII.

Sequitur primæ Motivæ membrum ſecundum & totum ſecundum eſt: *ut veniant tempora refrigerii à facie Domini*. Hîc primò omnium de conſtructione verborum lis eſt apud interpretes, & de ratione particulæ ὅπως ἄν. Sunt enim qui vertunt per cum, quaſi ſit ὡς ἄν ut 1. Cor. 11. 34. cum venero, &c. Nos facimus cum iis qui vertunt per *Ut*. ut veniant tempora, ut mittat. Rationes noſtræ ſunt duæ: 1. Quia particulæ uſus ita requirit. Aliud eſt ὡς, aliud ὅπως, & deſideratur exemplum, ubi ὅπως uſurpatur pro ὡς. 2. Quia ſenſus textus ita requirit. Nullus enim ſenſus eſt, ſi dicam: ut deleantur peccata, cum venerint tempora refrigerii. Peccata enim debentur non in altera vita, ſed in hac, ante mortem. Ultimo quidem die fiet quædam peccatorum abſolutio, ſed neque hic de ultimo die ſermo eſt, neque abſolutio juſtorum, quæ fiet die ultimo, eſt vera peccatorum deletio & remiſſio, ſed remiſſionis ac deletionis in hac vita factæ, publica pronunciatio coram toto mundo. Contrà verò planiſſimus eſt ſenſus, ſi ita legas: Convertite vos, ut deleantur peccata veſtra, vel, ad deletionem peccatorum veſtrorum (ſicut Actor. 2. 38.) ut veniant tempora refrigerii, & ut mittat, &c. Non poteſt enim ullum refrigerium à facie Domini venire ſuper peccatores, antequam peccata eorum fuerint deleta, & ideò electis ſuis tanto pretio, ſcil. morte unigeniti filii remiſſionem ac deletionem peccatorum peperit, ut ſuper eos elevare poſſet faciem gratiæ ao refrigerii. Juſtitia & veritas Dei non permittunt, ut peccatoribus non reconciliatis vel mica gratiæ aut guttula refrigerii contingat, ſed requirunt ut extorres omnis ſolatii ſeveriſſimè puniantur. Rom. 1. v. ult. Joh. 9. 31. Ut tamen electis ſuis poſſit communicare ſuam gratiam, bonitatem & gloriam, delet prius & expiat ipſorum peccata per veram converſionem ad Chriſtum. Non igitur abs re hortatur nos ad procurandam per veram converſionem deletionem peccatorum noſtrorum, ut venire poſſint tempora refrigerii à facie Dei. Quandiu enim peccata noſtra ſcripta manent & non delentur, manet quoque ſuper nos æſtus iræ divinæ, nec ullum refrigerium à facie Dei ſuper nos venire poteſt. Ubi enim per voluntariam impotentiam rejicitur expiatio peccatorū, ibi nil aliud exſpectandum, quàm terribilis æſtus ignis conſumentis, Hebr. 10. 26. 27. Et ſi quis Moſen & Prophetas non audit ad operandam ſuam cum Deo reconciliationem, is deinde ne guttulam quidem aquæ frigidæ impetrabit, ad refrigerandam linguam ſuam, Luc. 16. 24. 25. Quandiu ignis & flamma alitur appoſitione ligni & ſtipulæ, non poteſt eſſe refrigerium, quandiu terra cœlum verſus emittit fumum combuſtilem, non poteſt venire ex cœlo refrigerium. Sic manentibus peccatis non procedit à facie Dei niſi fumus & terror, Pſal. 18. 8. 9. Expiatis autem per converſionem peccatis, illicò venient tempora refrigerii à facie

Q Domi-

Domini, & mittetur Jeſus Chriſtus qui nobis prædicatus eſt. Eſt in his verbis deſcriptio vitæ æternæ.

1. Non loquitur de uno aliquo die ſed de temporibus. Non enim propriè deſcribit diem illum unum, videl. ultimum, ſed tempora eum ſecutura. Atqui Apoc. 10.6. Angelus jurat, per Deum, quod poſt illum diem nulla amplius ſint futura tempora? *Reſp.* i. e. non erit talis menſuratio temporis per dies & noctes, & menſes & annos. Tum enim nec ſol erit nec luna, quarum viciſſitudinibus iſta dimenſio fieri poſſit, ſed erit tamen tempus ſeu duratio omnis menſuræ expers & infinita. Non erit ſicut in hoc mundo, ubi annus habet ſuas viciſſitudines. (ſijne ſapſoenen) ſed erit non interrupta jucunditas ſine fine & menſura, Zach. 14.7.

2. Illa tempora erunt tempora refrigerii, *ἀναψύξεως*, alioquin *ἀποκαταστάσεως*, Matth. 11. Jer. 16. tempora humectationis & irrigationis, Pſal. 66. 12. quibus nec frigus nec æſtus torquet, Eſai. 49. 10. Nemo non videt, quod ſimilitudo ſit in verbo, petita à mercenariis & jumentis, quæ poſtquam totius diei onus & æſtum tulerunt, educuntur in prata irrigua, vel ad menſam ſtratam cibo ac potu, itemque ad tectum ubi dormiant. Eſt & ſimile à tempeſtatibus anni, poſtquam enim homines & pecora ad tempus afflicta ſunt torrenti frigore vel æſtu, veniunt quædam refrigeria & irrigationes per placidam pluviam & moderatum calorem. Præſentis vitæ ſtatum comparat cum æſtuoſo tempore caniculæ atque brumæ, quo homines non ſolùm laborare coguntur maximè, ſed & æſtum ac frigus pati. Vitam autem æternam comparat cum dulci vere vel autumno, quo in moderata jucunditate tempeſtatis labore manuum fruuntur agricolæ. Eadem ſimilitudo reperitur apud Jobum cap. 7. v. 1. 2. 3. & Chriſtus ipſe hoc ſimili utitur, Matth. 20. 8. &c. Et ſi hujus vitæ is ſtatus eſt, quis erit ſtatus inferni? Hic quidem æſtus magnus, præſertim tempore perſecutionis, cum piis eſt, ſicut Pſal. 66. 10. 11. 12. cum impii triumphant, & precibus negatur auditus, & illi triumphant ac dominantur, qui pietatem vident ac contemnunt. Hic verus æſtus ut vocatur, 1. Pet. 4. v. 12. Sed tamen aliqua *ἀνάψυξις* tum ſpiritualis tum corporalis. Subinde aliquid recreationis conceditur, ſubinde ſpirant eteſiæ Spiritus S. & conſolatio dulcis. Subinde poſſumus dicere ut David Pſal 23. 2 3. ut Paulus 2. Tim. 1. 16. ut populus Judaicus Eſa. 24. 45. Sed in inferno, in quem venient athei, idololatræ, hypocritæ, qui Deū non nôrunt & Euangelio non obediunt, qui pietatem contemnunt, qui gaudent de calamitate Joſephi, qualis ibi, quæſo, erit tempeſtas? Erunt dies caniculares, in quibus nulli ſoles, meræ caniculæ, immò rabidiſſimi canes, nil niſi procellæ, fulgura & tonitrua, ignis flammans 2. Theſſ. 1. ſtagnum ardens & perpetuò fumigans Apoc. 20. 14. & 19. 20. inexſtinguibilis ignis Eſa. 66. & quidem ſine gutta refrigerii. Luc. 16. Utinam cogitarent hoc iſti impii. Si unus æſtuoſus dies, ſi unus æſtus febrilis vos ita torquet, quid futurum cum in gehennam veneritis? At, inquiunt, hoc in diem eſt. *Reſp.* Non eſt. Nam fieri poteſt, ut cras eò venias. Quum primùm moreris, venit anima in infernum. Et ſi omninò differatur, tamen veniet. At, inquiunt, incertum eſt, fabulæ ſunt, qui moriuntur, mortui ſunt, nec quiſquam eorum tale quid refert. *Reſp.* Si terrores & angores inferni fabulæ ſunt, tum vos ſtulti eſtis qui religionem profitemini, templum frequentatis, precamini, &c. Cur non vivitis ſecundùm libidinem, & fruimini genio? Nos non diſputamus contra negantem principia. Profiteamini palam, quod ſitis athei, tum videbimus quî vos convincamus. At fœliciores, inquiunt, ſunt ſucceſſus eorum, qui ſunt athei. *Reſp.* Non ideo falſa eſt noſtra Theologia. Ponuntur in lubrico, ut lapſu graviore ruant. Pſalm. 73. 18.

3. Quàre autem vocatur refrigerium veniens à facie Domini? An erit flatus ex naribus Dei, ſicut homo ex naribus & ex eodem ore flat calidum & frigidum? *Reſp.* Indicat quod non ſit talis corporalis refrigeratio, qualis à ſole, ſtellis & cœlo proficiſcitur, ſed ſpiritualis, quæ immediatè à Deo venit. In paradiſo erat jucundiſſima & dulciſſima tempeſtas, & perpetuum refrigerium, nec torquebantur immoderato frigore vel æſtu, vel tonitruis vel procellis. Sed unde veniebat iſta jucundiſſima tempeſtas? à facie ſolis & ſtellarum & aëris, quæ omnia nondum erant corruptioni ac vanitati ſubjecta, nec parturiebant & gemebant ut nunc. Sed jucunditas illa quæ erit ad dextram Dei in cœlis, an etiam veniet à facie cœli, an ſol & cœlum facient tempeſtatem quæ erit in cœlis. Non certè, ſed immediatè erit à facie Dei. Vide Apoc. 21. 23. Eſa. 60. 19. 20. Plura hac de re dicere non poſſum, quia eſt res *ἀκατάληπτος καὶ ἄῤῥητος*. Erunt jucunditates Pſ. 16. v. ult. quales autem jucunditates, non licet dicere. Nondum enim apparet quales ſimus futuri, niſi quod ſcimus futuros ſimiles ipſi. 1. Joh. 3. Erit gaudium Spiritus Sancti Rom. 14. 17. quem Pater & Filius

[illegible] ſpirant, qui à Patris & Filii facie procedit.

4 Sed an in eo tota erit poſita vitæ æternæ fœlicitas, quod tale refrigerium à facie Dei ſuper nos [illegible] mo & alterum accedit, idque primarium, [illegible] t tum nobis *mittetur Ieſus Chriſtus, qui* [illegible] *annunciatus eſt.* Alii pro τὸν προκεκηρυγμένον legunt τὸν προκεχειρισμένον, i. e. repræſentatum, ob oculos poſitum. Sed res eôdem redit. Jeſus Chriſtus eſt tota fœlicitas Eccleſiæ, & [illegible] u Eccleſia hunc non habet, nihil ſe habere [illegible]. Quid eſt quod ſponſa æſtimat, dum ſponſum [illegible] non habet, quid eſt quod uxorem delectet, dum maritum ſuum non habet? & quæ poteſt eſſe fœlicitas Eccleſiæ, dum caret præſentiâ Chriſti ſponſi & mariti ſui, cui adhæret cor ipſius? Et tamen dum Eccleſia in terris eſt, hæc eſt ipſius ſors, quod [illegible] audiat de Chriſto, prædicatur, annunciatur [illegible] verbo & ſacramentis tanquam in obſcuro ſpeculo depingitur & ob oculos ponitur, ſed nunquam de facie ad faciem videtur, nec fruitur Eccleſia ipſius præſentia & complexu. Sed Eccleſia relinquitur in terris, Chriſtus autem recipitur in cœlos ad patrem ſuum. Et in tanta diſtantia ſponſi & ſponſæ, quæ poteſt eſſe ſponſæ fœlicitas, cum parum differat à vidua? Quid Evæ profuiſſet Paradiſus, ſi Adamum non habuiſſet ſecum? Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, ne in Paradiſo quidem: ſi anima à corpore ſeparata tantoperè deſiderat unionem cum corpore Apoc. 6. 9. 10. 11. quid non deſiderat Chriſtum, quem utique plus amat, quàm proprium corpus, & propriam vitam? Cum autem omnia electorum peccata fuerint deleta, & omnia [illegible] a & reſtituta, ut Deus per os prophetarum [illegible] prædixit, tum Deus non ſolum nobis aperiet [illegible] ſum æterni refrigerii, ſed etiam mittet noſtrum ſponſum, ut videatur à nobis de facie ad faciem, & nos transferat in domum Patris, & nobiſcum maneat in æternum, & celebret perpetuas nuptias agni. Hinc vota piorum ſunt: cupio cum Chriſto eſſe. En hæc eſt illa deſcriptio vitæ æternæ [illegible] in duabus partibus 1. quod æternum ſuper [illegible] veniet refrigerium a facie Domini. 2. quod [illegible] conſpectu & complexu noſtri ſponſi & mariti, & æternas cum ipſo celebrabimus nuptias. [illegible] prior motiva, qua ſuadetur hortatio Apoſtoli. Moveat nos hæc cauſa movens, ut deletionem peccatorum noſtrorum per veram ac ſinceram converſionem, qualem ſuperioribus concionibus deſcripſimus, quæramus. Nam niſi à peccatis nos converterimus, non delebuntur peccata, & ſi non deleantur peccata, non veniet refrigerium nec Chriſtus ſponſus noſter. Convertite igitur vos quiſque è viis pravis ad Deum per Chriſtum, & decurrite ſtrenuè curriculum novæ obedientiæ.

1. Vos ebrioſi, qui in frigido potu quæritis veſtrum refrigerium. Convertimini, ne vinum vos incendat.

2. Vos ſegnes, qui ſine labore in vocatione & Chriſtianiſmo vitam agitis, & quietem ac refrigerium in hoc mundo quæritis. Videte, ne deſtituamini æternâ quiete. Vultis hîc refrigerium quærere, poſtea hyemem invenietis.

3. Vos injuſti, qui per fraudem & violentiam corraditis palatia & alia delectamenta hujus mundi, in quibus putatis vos cœlum in terris habituros. Videte ne locus ille æterni refrigerii vobis negetur.

4. Vos hypocritæ, qui veram religionem diſſimulatis, aut abnegatis, ut æſtum perſecutionis effugiatis, videte, ne vos obruat æternus ille æſtus. Nota eſt hiſtoria nobilis illius Græci, qui in bello ſitis reſtinguendi cauſâ ſe captivum dederat, & extinctâ ſiti admodum pœnitebat, quod pro uno hauſto libertatem vendidiſſet.

5. Vos libidinoſi, qui in ſcortatione & adulteriis quæritis veſtram delectationem, ubi vos invenietis veſtrum refrigerium? Sodoma & Gomorrha hoc æſtu in æſtum devenit.

6. Vos iracundi, maledictores, convitiatores, vindictæ cupidi, qui per vindictam ſtudetis explere animum (**uwen moet te koelen**) quid proderit hoc leve refrigerium, ſi in æterno æſtu ſudandum.

Judicate quæſo, utrum melius ſit, an in hoc mundo per ebrietatem, injuſtitiam, ſimulationem, libidinem, ignaviam, vindictæ cupiditatem, animum ſuum explere & refrigerare brevi aliqua, incerta & imperfectâ delectatione, & deinde æterno gehennæ æſtu torqueri, an verò in hoc mundo affectus ſuos cogere in obedientiam Dei, ferreque patienter quæ in hac vita mala obtingunt, & deinde in æterno refrigerio cum Deo & Chriſto eſſe? Nonne verum illud Pſalm. 84. 11. Nonne ſufficit aliquam in hac vita à Deo habere quietem & recreationem? Poſſet hîc negare omnem, & totam reſervare in vitam alteram. Dum autem dat aliquid, hoc ideò facit, ut tantò fidelius plenitudinem exſpectemus. Ne itaque contenti ſitis qualicunque converſione, ſed veram quærite; quæ habeat omnes partes.

Addamus nunc aliquod verbulum de ratione ſeu

Q 2 argu-

argumento, quo prima hæc motiva confirmatur, quod eſt v. 21. Senſus eſt: Chriſtus non poteſt nobis mitti, ſed debet manere in cœlo, donec omnia fuerint reparata, quæ Scriptura prædixit.

1. Foret hic campus diſputandi contra Lutheranos, idque ex verbis: *Chriſtum oportet cœlos capere*: Sed remittamus hoc ad conciones catecheticas. Conſtructio eſt ambigua, non minus quàm illa: *Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe*. Nam verbum Dei habet ambiguas conſtructiones, non ad fallendum, ſed ad exercendum pios. Utrovis modo ſumas, nulla inde poteſt concludi, ſed potius refutatur Ubiquitas.

2. *Donec omnia fuerint reſtituta, quæ Prophetæ prædixerunt*. Atqui omnia illa erant facta. Conſummatum eſt, inquit Chriſtus. Joh. 19. & Act. 13. *poſtquam omnia conſummata eſſent, quæ Scriptura prædixit*. Præcipuè prædictiones Prophetarum ſunt de Chriſti nativitate, paſſione, reſurrectione, adſcenſione, effuſione Spiritûs S. Atqui hæc omnia facta erant, cum Petrus hoc loqueretur. Quid igitur reſtabat? *Reſp*. Converſio, purgatio, juſtificatio Eccleſiæ electæ. Tam diu manebit Chriſtus in cœlo, donec Eccleſia electa, ſicut à Deo per peccatum defecit, ita per Spiritum S. fuerit converſa, & divinæ gratiæ reſtituta, idque ex omnibus gentibus & nationibus, ſicut Prophetæ prædixerunt. Eſt enim vocatio Eccleſiæ ex gentibus ab omnibus Prophetis omni ævo prædicta, ut aliàs probatur. Atque hæc cauſa eſt, cur adventus Chriſti differtur. Sponſus non venit ad Sponſam introducendam in domum Patris ſui, donec Sponſa ſeſe paraverit, i. e. depoſitis ſordibus ornaverit. Apoc. 19. 7. Ne igitur ægrè feramus dilationem hujus adventus, ſed nos paremus. Non veniet Spiritus, donec plenitudo gentium introiverit, & Eccleſia ſe paraverit.

Act. 3. à v. 22. ad fin. cap.

CONCIO XLIII.

HActenus prima motiva, petita à felicitate quam habebunt, ſi hortationi obtemperaverint. Sequitur altera, petita à teſtimonio & authoritate Prophetarum, & externo Judæorum privilegio in rebus ſpiritualibus. Series argumenti hæc eſt: Moſes & omnes Prophetæ, quotquot locuti ſunt, hos dies annunciârunt, & Chriſto teſtimonium dederunt, volueruntque ut eum audireris, & vos ad eum converteretis. Vos autem eſtis filii prophetarum, ideoque obligati ad eos audiendos, & filii iſtius fœderis, quod Deus cum Abrahamo pepigit, & quo totius mundi ſalutem in hoc Chriſto promiſit, unde etiam Deus filium ſuum excitatum primò omnium ad vos miſit, ut vobis benediceret, convertendo unumquemque veſtrûm à malitia ſua. Concluſio ſubintelligitur: Ergo veſtrum præcipuè officium eſt, hunc prophetam audire, & vos ad illum convertere. Non eſt nobis, ut nôſtis, propoſitum, ſingulis libri partibus æquè latè inſiſtere, ſed præcipuè premere prægnantiores illas rerum ſpiritualium expreſſiones quæ hinc inde occurrunt. Itaque quod nunc prælegimus, curſoriè tantùm explicabimus per aliquot quæſtiones & obſervationes.

I. Quomodo Petrus hunc locum ex Deut. 18. v. 15. &c. applicat ad Chriſtum, cùm tamen connexio textûs videatur oſtendere, quod locutus Moſes de omnibus communibus prophetis & doctoribus, per quos Deus populum Iſraeliticum inſtruxit? Dicit enim Deus ibi: ſi veneris in terram promiſſam, non facies ſicut fecerunt illi populi quos ejicies. Illi habuerunt ſuos divinatores, aruſpices, augures, incantatores, quos ſibi ipſis elegerunt. Tibi autem Deus tuus hoc non permittet, non ſinet te ire tuis viis, ſicut cæteros, ut tibi ipſi eligas doctores quos velis, ſed dabit tibi prophetam ex fratribus tuis ſimilem mihi. Hunc debes audire. Hic palam eſt, quod Moſes loquatur de ordinario Miniſterio prophetarum, & doctorum, quod Deus in Iſraële erat erecturus & continuaturus. Quomodo igitur quod de ordinario miniſterio dicitur, ad Chriſtũ applicat Apoſtolus? *Reſp*. Loquitur quidem Moſes de ordinario miniſterio Eccleſiæ, ſed tamen ideo non de multis, ſed uno loquitur, eumq; tam ſingularibus notis deſcribit, ut ſciamus ordinarium miniſterium Eccleſiæ dependere ab uno paſtore & doctore, cujus nomine & authoritate ordinarii doctores omnes Eccleſiam docent. q. d. Deus Eccleſiæ ſuæ dedit Prophetam unum magnum ſicut me, qui per ordinarios ſuos Miniſtros vos de voluntate Dei docebit. Hunc auditis, Sicut cum Deus in Sina loqui vobiſcum vellet, petiiſtis ut per me vobis loqueretur: ita Deus ordinarium vobis & perpetuum dabit Doctorem, per quem vobis loquetur, videl. Chriſtum. Etſi igitur Moſis ſcopus eſt ad ordinarii Miniſterii obſervantiam Iſraëlitas remittere & obligare, tamen hoc ita facit, ut præcipuè remittat ad Chriſtum, in ordinariis Miniſtris docentem. Et ſic etiamnum reſpiciendum eſt miniſterium Eccleſiæ.

Vide

... 1 Cor 4 1 Eccleſ 12 11 1.Pet.5.2.3.4. Ordinarium Eccleſiæ veræ Miniſterium vocatur unus Propheta divinus, ſicut totus clerus Eccleſiæ apoſtaticæ vocatur unus Antichriſtus, falſus Propheta, ... quia ſcil omnes ſub uno capite uniti. Et ... conſiderandum, ut ſciatis quod ordinarium Eccleſiæ Miniſterium audientes vel contemnentes, Chriſtum audiatis vel contemnatis. Qui vos audit, me audit, Luc.10,16.

II. Quomodo Chriſtus dicitur Prophetæ Moſi ſimilis, cum tamen ſit Moſe longè major Heb. 3.3. Moſes homo, Chriſtus Deus; Moſes ſervus in Eccleſia, Chriſtus Dominus Eccleſiæ; Moſes Miniſter literæ & legis, Chriſtus Miniſter melioris Teſtamenti & Spiritus 2.Cor.3. Hebr.8.v.6. *Reſp.* Etſi Chriſtus major eſt Moſe, tamen quibuſdam reſpectibus meritò cum Moſe comparatur, & ei ſimilis dicitur. Nam 1 Sicut Moſes fuit mediator in Synagoga Judaica, per quem Deus populo, & populus Deo loquebatur, cum ferre non poſſet populus præſentiam Dei, Exod 19. Deuter.5.5. 1.Tim. 2. 5. ita Chriſtus ſolus noſter Mediator in Eccleſia Chriſtiana, per quem nos precamur, & per quem Deus voluntatem ſuam nobis revelat. Ideò ex fratribus noſtris excitatus verus homo factus, cum præſentiam Dei ... fulmentis ferre non poſſemus. 2.Sicut de Moſe dicitur Deut.34 10.11.12. Num. 12. 6.7.8. quod nunquam in Iſraele ſurrexerit Propheta, qui Dominum noverit de facie ad faciem in omnibus ſignis & miraculis, ſicut Moſes, ita Chriſtus Moſi in hoc ſimilis immò major fuit. Sicut Moſes omnes ordinarios Doctores V.T ſuperavit familiaritate cum Deo & efficacia miraculorum, ita Chriſtus. Vide Luc 24.v 19. Act.2.22. Johan. 15. 24. Luc.7.16.

III. Notate phraſin. *Hunc audies in omnibus quæ tibi loquetur.* Audire idem eſt, quod obedire. Auditio quidem requiritur, ut ſcias quid faciendum, ſed poſtquam didiciſti, praxis requiritur. Et quidem praxis univerſalis: *in omnibus quæ tibi loquitur.* Non tantum in quibuſdam obedire. Poſſunt tamen cum hoc conſiſtere lapſus & infirmitates.

IV. Ex comminatione illa acri diſcite, quàm abſolutè neceſſarium ſit Chriſtum in SS. Miniſterio nobis loquentem audire. Nam ſi non, eradicabimur ex populo v. 23. In Deuteronomio eſt, ab eo requiram, i.e. eum puniam. Petrus ſenſum recitat. Non igitur notat corporale ſupplicium, ſed id quod Joh.3. *Ira manet ſuper ipſum*, Marc.17. *Condemnabitur*, & 1. Cor. 6. *Non hæreditarie poſſidebit regnum Dei.* Et meritò. Vide enim Hebr. 10. 28. 29. Vide etiam & applica Luc.16.29. Vident igitur quid faciant, qui rem levem æſtimant miniſterium negligere vel contemnere. 1. Turpe eſt, tantum Prophetam contemnere. 2. Periculoſum quoque eſt.

V. An hoc verum, quod omnes quotquot locuti ſunt Prophetæ, de Chriſto locuti ſint? Vix ex ſingulis Prophetis aliquid de Chriſto proferat? *Reſp.* Loquitur de iis qui ſcripſerunt. Nec difficile foret inductionem facere, & aliquid de Chriſto ex ſcriptis ſingulorum Prophetarum oſtendere.

1. De Samuele, vide 2.Sam.7.13.14.
2. De Davide, vide Pſal.2. & 16. & 22.
3. De Jobo, vide cap.19.
4. De Salomone, vide Canticum Canticor. & Proverb 8.
5. De Eſaia, vide paſſim, præſertim c. 53.
6. De Jeremia, vide quod habet de germine juſto Davidis c.23. & 33.
7. De Ezechiele, vide 34.23. de paſtore excitando qui paſcat, & novem ultima capita de novo templo.
8. De Daniele, c.9.
9. De Hoſea, vide caput 2.18. & cap.3.
10. De Joële, c.2.
11. Amos cap.9. à v. 8. ad finem de reſtituendo tentorio Davidis.
12. Obadias à v.17. ad finem.
13. Jonam typum Chriſti Chriſtus ipſe facit Matth. 12.
14. De Micha c. 5.1.
15. Nahum ex cap.1. v.15. allegatur Rom. 10. 15. quod de Euangelizatione per Chriſtum ſit locutus.
16. Habacuc paſſim in N.T. allegatur, quod doctrinam de juſtificatione per fidem docuerit Rom.1.17. Gal.3. Hebr.10.38.
17. Zephaniæ teſtimonium clariſſimum de vocatione gentium & adventu Meſſiæ cap. 3. à v. 9. ad finem.
18. Haggæus de perſonali adventu Meſſiæ in templum ſecundum c.2. v. 7. 10.
19. De Zacharia, vide c.9.9.
20. De Malachia c. 3.1.

Nihil nunc dico de Moſe, qui in pentateucho ſuo ut vaticiniis & typis omnes fidei articulos de Chriſto repræſentat Joh.5.46. Deut.18.18.19. Geneſ. 3. & 12. Joſua gerit nomen Chriſti & deſtruendo hoſtes inducendoque populum in terram Canaan ty-

pus Chriſti eſt. Omnes judices Typi Chriſti; liber Ruth & Chronicorum familiam & genealogiam Chriſti oſtendunt. Eſdras, Nehemias, Eſther per liberationem ex Babel, perque ædificationem ſecundi templi Chriſtum docent.

Summa, ſi Prophetas perlegeris, invenies eos ita de Chriſto vaticinari, ut vix ullus ſit apex aut ulla circumſtantia in hiſtoria Chriſti, quin à Prophetis fuerit prædicta. Conſideremus hinc certitudinem & antiquitatem doctrinæ Euangelicæ. Clamant Pontificii nos novam habere religionem, cum idem doceamus cum Prophetis.

VI. *Vos eſtis filii Prophetarum & filii fœderis*, quod Deus cum Abrahamo pepigit. Quis ſenſus, & quare hoc allegatur? *Reſp.* i. e. vos eſtis ille populus ad quem primò & præcipuè Deus Prophetas ſuos miſit, immò vos eſtis ille populus, quem Deus propriè hæredem ſcripſit in Teſtamento, quod cum Abrahamo fecit, quo hunc Ieſum omnibus gentibus Salvatorem promiſit, ac proinde hic Ieſus ante omnes ad vos venit, & vobis offert benedictionem ſuam, volens unumquemlibet veſtrûm convertere à peccatis, & proinde vos præcipuè ac ante omnes obligati eſtis ad hunc Prophetam audiendum ac recipiendum. Nihil hic valdè obſcurum.

1. Vos filii Prophetarum, i. e. vos illi, quibus Prophetæ propriè miſſi ac deſtinati ſunt, & quos Prophetæ præcipuè conati ſunt inſtruere & ad Chriſtum adducere, ſicut Pater ſuum filium. Non enim ad Ethnicos miſſi ſunt Prophetæ, ſed ad Iudæos. Horum ſunt fœdera, lex &c. Rom. 9. 4. Horum privilegium erat, quod mitteret Deus verbum Pſal. 147. 19. Non quod doctrina Prophetarum nullo modo pertineret ad gentes, nec illas ullo modo obligaret, ſed quod Iudæis præcipuè, & quaſi in ſinum mitteretur.

2. Vos filii fœderis. Vos confœderati Dei, populus fœderis, ſcripti hæredes, populus peculiaris & ſeparatus, & quidem ejus fœderis, quo Jeſus Chriſtus, quem nos concionamur, promiſſus eſt Salvator omnium gentium, q. d. Nihil novi vobis annunciamus, ſed illum ipſum, quem Deus per Abrahamum Patribus veſtris promiſit, & quem hactenus exſpectâſtis.

3. Formula fœderis: *In tuo ſemine benedicentur omnes tribus terræ.* Brevibus verbis ſumma Euangelii continetur: 1. Benedictio eſt bonum, quod ex Teſtamento & fœdere Dei reſultat, ſcilic. benedictio temporalis quidem aliqua, quantum prodeſt & ad honorem Dei conducit, ſed præcipuè ſpiritualis; ſcilicet reconciliatio cum Deo & vita æterna. 2. Hæc benedictio non contingit niſi per mediatorem, ex ſemine Abrahæ, q. d. Eſtis quidem filii Abrahæ ſecundùm carnem, ſed hoc non prodeſt, niſi habeatis illud ſemen Abrahæ, quod tam peculiariter in confirmationem fœderis promiſſum eſt. Non datur benedictio niſi per hunc. 3. Hoc fœdus pertinet ad omnes tribus terræ. Converſio gentium includitur in prima formula fœderis, etſi Petrus ipſe tum temporis nondum ita intellexit, Actor. 10.

4. Hunc itaque Ieſum *excitatem primò ad vos miſit*. Sicut vobis propriè promiſſus, ita ad vos primò venit. Indicant interpretes, hîc non agi de excitatione ex mortuis, ſed ſimpliciter de miſſione ejus in mundum, ſicut Act. 13. 22. 23.

5. *Vt vobis benediceret convertens.* &c. v. 26. Formula fœderis habet, quo mediatoris promiſſi munus ſit benedicere omnibus tribubus terræ. Venit igitur, ut in vobis primò omnium ſe mediatorem oſtenderet, & vobis benediceret. Et qua in re conſiſtit hæc benedictio mediatoris? Non in eo, ut vobis honores & divitias mundanas conferret præ aliis, ſed ut ab iniquitatibus veſtris unumquemque veſtrûm averteret. Hæc enim duo conjunctiſſima, Act. 5. 31. At ſi finis Chriſti eſt unumquemque Iudæorum à peccatis ſuis convertere, tum aut omnes ſunt converſi, aut Chriſtus fine ſuo excidit. Atqui neutrum verum eſt. *Reſp.* Aliud eſt conferre, aliud offerre converſionem. Venit ut omnibus offerret, non ut omnibus conferret. Omnibus offert, ſed qui contemnunt, non accipiunt. At omnes contemnunt. *Reſp.* Omnes contemnerent, niſi ſpeciali gratiæ efficaciâ quorundum contemtum Deus præveniret. Qui igitur contemnunt, juſtè prætereuntur; qui recipiunt, gratiæ debent, non ſibi. Non conſtitui hæc omnia prolixiùs explicare, ſed concluſionis loco vobis inculco ſcopum Apoſtoli, quem habet in his omnibus propoſitum, qui hic eſt: Filii Prophetarum ſpecialiter obligantur ad audiendos Prophetas. At vos. E. Conſiderate hoc & vos. Vos hodiè adoptati in hoc teſtamentum loco Iudæorum Rom. 11. Mittit paſſim Prophetis, ſed vos præcipuè quærit magna curâ, multis Prophetis & egregiis donis. Vos præ aliis eſtis filii prophetarum, quia plures & inſtructiores habetis Prophetas & doctores quàm multæ Eccleſiæ, quæ gemunt ſub perſecutione. Videte igitur ut tantæ obligationi ſatisfaciatis præ aliis, & Prophetiâ de Chriſto verè recipiatis, vos ad illum convertendo.

*Act.*4.*v.* 1. 2. 3. 4.

Concio XLIV.

NOndum finivimus ſecundum teſtimonium quod Apoſtoli Chriſto dederunt in ipſa urbe. Nam quæ c.4 narrantur, etiam ſunt pars illius. Occaſio hujus teſtimonii fuit miraculum ab Apoſtolis factum. Teſtimonium ipſum eſt in illuſtri illa concione Petri quam expoſuimus. Sequuntur nunc effecta hujus teſtimonii, quæ duo ſunt.

I. Paſſio ſeu perſecutio, in quam Apoſtoli per hoc teſtimonium inciderunt.

II. Ædificatio Eccleſiæ, quam hoc teſtimonio effecerunt. Sunt enim hæc duo inſeparabilia effecta miniſterii Evangelici, ſcil. perſecutio,& in perſecutione ædificatio, teſte Apoſtolo, Rom.8.36.37. *Occidimur toto die, ſed in his plus quàm victores ſumus.* Paſſio Apoſtolorum in eo conſiſtit, quod propter publicam doctrinam & reſurrectionis in Chriſto confeſſionem à Sacerdotibus, Sadducæis & præfecto templi apprehenſi, incarcerati, à ſynedrio examinati, & poſt ingenuam apologiam ac parrheſiam dimiſſi ſunt. Succeſſus ædificationis in eo conſiſtit, quod non obſtante Apoſtolorum captivitate aliquot millia auditorum per concionem Petri ad Chriſtum converſi ſunt, & quod poſt Apoſtolorum dimiſſionem Eccleſia lætabunda Deo gratias egit, & Apoſtoli, accepto exauditionis ſigno tanto majore cum parrheſia verbum Dei annunciaverunt, & in vera charitate ac lætitia una vixerunt.

Auditores qui Apoſtolis hanc paſſionem excitârunt, fuerunt Sacerdotes,Sadducæi & Præfectus templi. Sacerdotes erant illi, qui munus publicè docendi & Eccleſiam gubernandi, ſibi arrogabant ſolis. Sadducæi erant ſecta quædam inter Judæos, quæ negabat immortalitatem animæ & reſurrectionem carnis. Præfectus templi fuit officiarius ſeu capitaneus quidam Romanus, qui cum militibus ſuis cuſtodiebat munimenta templi, ne in illis Judæi quotidie confluentes, ſeditionem facilè excitarent. Sicut enim in tota urbe præſidium Romanum erat, ita etiam in templo. Alii volunt ipſos Judæos in templo eſſe aliquem præfectum cum miniſtris ad cuſtodiam templi. Quicquid ſit, fuit certè officiarius *politicus, qui habuit poteſtatem non Eccleſiaſticam & ſpiritualem,* ſed politicam & coactivam.

Cauſæ, propter quas hanc paſſionem Apoſtolis inflixerunt, erant, quia indignabantur eos publicè docere, & quidem reſurrectionem annunciare in nomine Jeſu. Confeſſio futuræ reſurrectionis offendebat Sadducæos. Libertas publicè docendi populum offendebat Sacerdotes, qui ſibi ſolis hoc competere dicebant. Annunciatio Jeſu crucifixi offendebat omnes, quippe qui nolebant redargui injuſtitię in crucifixione ejus commiſſæ.Omnes igitur offenſi inducunt præfectum templi, ut eos apprehendat, & propter inſtantem noctem alicubi cuſtodiat, donec poſtero die ſynedrio ſiſterentur.

Vides hic miram conſpirationem hominum diverſorum in idem facinus. Nam

1. Sacerdotes & Sadducæos religione diverſiſſimos vides unà perſequi Apoſtolos. Etſi enim illi, qui à veritate alieni ſunt, diverſiſſimis erroribus & odiis quoque inter ſe ſciſſi ſunt, tamen cum veritas oppugnanda eſt, facilè conſpirant & conveniunt. Hoc neque novum, neque mirum eſt. Non novum. Vide 2.Chron. 20. 1. 2. Pſal.2.1.Pſ.38.4.10. Comparatur hæretici cum vulpibus Samſonis quæ capitibus disjunctæ, caudis colligatæ ſunt ad nocendum. Non mirum. Etſi enim mendacia & errores inter ſe ſunt diverſiſſimi, tamen omnes ſunt ab eodem autore & tendunt in eundem finem, ſcilic. ad oppugnandum Deum, adeoque facilè miſceri poſſunt. Sed veritas & mendacium habent diverſiſſimos auctores & contrarios fines, non igitur tam facile coëunt, & veritas alias defenſiones ignorat quas à ſe ipſa habere non poteſt.

2. Hos Pſeudeccleſiaſticos inter ſe conſpirantes vides in auxilium ſuum perſuadere præfectum politicum, idque prætextu ſeditionis orituræ, ſi non reprimantur Apoſtoli. Hoc etiam neque novum neque mirum eſt. Scimus enim quo modo Judæi Pilatum voluerunt cogere ad occidendum Chriſtum. Joh. 18. 30. & paſſim præfectos Romanos in perſecutione Apoſtolorum, Act. 17. 5. Act. 18.12. Nec mirum. Nam tam indignè ferunt prædicationem Evangelii, ut non poſſint ſibi ſatisfacere cenſuris Eccleſiaſticis, ſed etiam petunt gladium politicum ad effundendum ſanguinem. Ideò etiam ipſe Chriſtus duplex tribunal debuit ſuſtinere, videlicet

Eccle-

Eccleſiaſticum & Poiliticum. Vide etiam Matth. 10. v. 17. 18 Erant διαπονούμενοι, inquit textus, i. e. irâ & dolore erant accenſi, & hoc incendium pariebat ardorem ac deſiderium vindictæ. Id quod tum temporis contigit, ſæpè contingit in Eccleſia, & præcipuè Romanis Sacerdotibus in more fuit poſitum. Hi enim ſunt illi qui ſibi ſolis vendicant poteſtatem docendi populum, & qui non ſunt ex eorum ordine, quomodocunque doceant, illis ſunt lupi & pſeudopaſtores. Et cùm tamen viri docti ductu Spiritus S. utuntur parrheſiâ & purum Euangelium cum ſucceſſu annunciant, nugaſque & ſuperſtitiones Romanorum redarguunt, tum ſunt διαπονούμενοι, iraſcentes, dolentes. Hoc enim proprium eſt draconis, qui horum ſacerdotum autor eſt. Apoc. 12. v. 17, & eorum qui Regnum Antichriſti Romam ſequuntur Apoc. 16. v. 9. 10. 11. 21. Qui characterem beſtiæ habent, ſunt homines iracundi, malitioſi, διαπονούμενοι, (woelende / machinerende / ſchade bedenckende/) Hæc enim vis vocis διαπονεῖν. Et ut inflammato animo ſatisfaciant per vindictam, ſemper fuit ipſorum doctrina, quod magiſtratus politicus obligatus ſit ad gladium ſuum iis commodandum, & ad exſequendas ſententias quaſcunque ipſi tulerint contra eos, qui Euangelium docent. Et præter hoc eam quoque artem egregiè ſemper exercuêre, ut ſibi Sadducæos adjungant, i. e. ſectariòs omnes & atheos, qui reverâ reſurrectionem carnis & immortalitatem animæ non credunt, ſed tantùm terrenum bonum in religione quærunt. Horum errores negligunt, hos melius tractant, his pacem offerunt, ut ab iis in oppreſſione Eccleſiæ juventur. Neque tantùm olim hi fuêre mores Antichriſti Romani, ſed etiamnum, & in hac ipſa Patria. Roma antiquum obtinet. Sicut enim Ethnica recipiebat omnium gentium Deos, quos vicerat, præter Chriſtum, quia is alios ſecum Deos non pateretur, ita hodie omnium hæreticorum doctrinæ valent Romæ, & ipſi publicani ac ſcorta recipiuntur, ſed Euangelicum aliquem Romæ non videris. Nos miniſtri vobis concionamur Euangelium purum ſecundùm Scripturas, urgemus ſanctitatem vitæ, & admonemus ut ſtetis in libertate, quâ vos Chriſtus liberavit. Hanc noſtram parrheſiam & libertatem admodùm indignè ferunt Sacerdotes Romani, qui proinde ſpargunt nos eſſe indignos, qui populum doceamus, & clandeſtinis conſiliis officia noſtra inter ſe diſtribuunt, & hierarchiam Romanâ in ſinu noſtro erigunt. Sed quia propter multitudinem Eccleſiæ, quam Deus largitus eſt, conſilia ſua difficulter poſſunt exſequi, prima ipſorum cura eſt, ut Sadducæos noſtros ſibi adjungant. Et quinam illi? Non dicam varios illos ſectarios & ſchiſmaticos, qui inter nos habitant eſſe tam crudeles, ut cum ſacrificulis ſint conſpiraturi in noſtram necem, quamvis ipſorum ductores in apologia ſua hoc tympanum ſeditionis non obſcurè pulsârint, dum omnibus ſectis pacem offerunt, & ſolos *Reformatos*, tanquam peſſimos omnium excludunt. Sufficit inter nos ipſos eſſe multos Sadducæos, i. e. homines qui immortalitatem animæ, reſurrectionem carnis & ultimum judicium, toto corde non credentes, tantùm mundanæ utilitatis causâ Eccleſiæ reformatæ adhærent, quique proinde omnes religiones perinde æſtimantes, ei ſe facile adjuncturi ſunt, à qua plurimùm mundanæ utilitatis ac celſitudinis ſperare poſſunt. Hos Sadducæos ut ſibi adjungant Sacerdotes, ſedulò jam laborant, offerentes ſpecioſam Pacem in negotio religionis, & diffamantes eos, qui zelo veritatis, ſanctitatis ac libertatis de fraudulenta hac Pace quicquam ſuſpicantur. Ubi Sadducæos ſibi conciliaverint, proximum erit, ut Præfectum templi, i. e. unum atque alterum ex politico magiſtratu iiſdem prætextibus ſibi adjungant, quod ubi ſucceſſerit, quid reſtat, quin nobis contingat, quod nunc piis contingit vicinis in Regnis, ubi clariſſimè videmus, quod Sacerdotes Romani, ægerrimè ferentes libertatem Euangelii, conciliatis ſibi ſenſim Sadducæis, ſectariis, impiis & atheis, nunc in eo toti ſunt, ut præfectum templi ſibi adjungant & tum omnibus manus inferant, qui pro veritate, pietate & libertate fortes ac conſtantes ſunt. Nolo hæc particularius applicare, quia ſiniſtra interpretatio ea poteſt reddere odioſa. Quæ dixi, non alium in finem dixi, quàm ut illi, qui inter nos habent voluntatem ac propoſitum reformatæ religioni, exactæ pietatis praxi, & Patriæ libertati conſtanter ſeſe addicendi, ſibi non imaginentur, periculum captivitatis & aliarum miſeriarum ſuper hoc facto & voto procul à ſe abeſſe. Dum enim illud putamus, ſecuri ſumus, nec ita excitati ad pietatem nec præparamus nos ad patientiam, ſed imaginamur eam felicitatem ac pacem quâ nunc fruimur, fore æternam. Quæſo, ne hoc imaginemini. Etſi enim ſunt vobis valla & mœnia, quibus hoſtis externus poſſit arceri, annon ſunt inter nos ἱερεῖς διαπονούμενοι ob libertatem Euangelii? nonne ſunt Sadducæi qui ſe facile patientur illis adjungi? an omnes noſtri præfecti Poli-

tici

tis adeò ſunt addicti Reformatæ religioni toto corde ut à nemine quicquam metuendum? Immò de conſenſu plerorumque dico, nos ſedere tanquam oves in medio luporum, & jam dudum venditos eſſe ſi modò eſſemus traditi, ut habet vulgatum proverbium. A tenui dependet filo noſtra felicitas. Nos nosmet obligatos judicamus ad vos de veſtro periculo præmonendos, ut vos paretis ad perſecutionem. Si vult Deus nobis parcere, erit quo lætemur. Sed parum eſt probabile. Nam 1. Non eſt conſuetudo Dei in perpetua pace alere ſuos. 2. Non eſt natura ſeculi. Peccata maturuerunt, alii puniuntur, E. & nos habemus quod metuamus. 3. Iidem hoſtes inter nos. Cuniculi jam tum foſſi ſunt. Pulvis pyrius ſubditus eſt. Tantùm deeſt occaſio quâ accendatur. Demus itaque operam ut paſtorem noſtrum Chriſtum precibus, jejuniis, piâ vita, conſtanti fide, forti patientiâ, teneamus vigilantem, ne forte obdormiſcat. Demus operam, ut inter nos ſimus concordes, & nos mutuò amantes, ut etiam Sadducæos, qui ſunt extra nos, ſcandaloſâ vitâ magis magiſque à nobis non alienemus, & præcipue etiam ut caveamus, omnem irreverentiam & inſulſam audaciam erga magiſtratus, ſed humili obedientia in omni re licita nos præſtemus [illegible]os amabiles, & Deum pro illis perpetuò precemur. Si ſic facimus, paſtor noſter nos cuſtodiet à lupis. & quod probationis causâ cum Apoſtolis ferendum erit, poterimus ferre ac pati cum gaudio, dicentes cum Paulo: εἰ καὶ σπένδομαι, &c. Phil. 2. 17. 18. Applica etiam Phil. 1. v. 20 21. 27. 28. &c. Vivimus [illegible] talibus temporibus, quibus Diabolus & Draco [illegible] ἔχων θυμὸν μέγαν Apoc. 12. 12. ὠργίσθη ὁ δράκων. Apoc. 12. 17. & aſſeclæ ejus ſunt διαπονούμενοι [illegible] veritatem Euangelii, quæ inter nos eſt. Ne [illegible] nos eos nobis conciliaturos & placaturos [illegible] aut inſerviendo & colludendo. Potius [illegible]us nos ad pugnam & patientiam, ut hac [illegible] nobis aliquando accinatur iſtud carmen [illegible] Apoc. 12. v. 10. 11. 12.

Antequam autem hinc diſcedam, ſcrupulus unus [illegible]endus eſt. Dicetis: Quid, an igitur male [illegible], qui indignati ſunt Apoſtolos tam publice [illegible]? an male fecerunt, quod auxilium Magiſtratus implorârunt? An non vos concionatores [illegible] facitis? Nonne eſtis vos quoque διαπονούμενοι, cum videtis Sacerdotes Pontificios tam libere & publice & impunè inter nos docere, & populum concurrere ad eos audiendos? Nonne vos quoque quotidie fatigatis Magiſtratum veſtrum, ut manus eis injiciat & ſupprimat, & cum non facit, reprehenditis Magiſtratum? Si apud vos hoc juſtum, cur apud illos eſſet injuſtum? Mera eſt invidia, & vultis ſoli dominari. Hæc eſt objectio, quam quotidie audimus ab iis, qui non ſunt religione ſtabiles. Sed *Reſp.* Differentiam attende, quæ eſt

1. In cauſa ſeu materia. Nos non indignamur ob impunem prædicationem veritatis, ſed ob impunem & licentioſam graſſationem Antichriſtianæ abominationis. Paulus erat διαπονηθεὶς Actor. 16. v. 18. ſed ob audaciam veneficæ. Cauſæ igitur diſſimilitudo facit differentiam.

2. In fine. Nos non urgemus Magiſtratum ut pravam doctrinam vindicet lanienis & cædibus, ſed tantùm ut impediat prudentibus mediis, ne mali ac ſeditioſi homines nos occidant, vel idololatricis ſuis abominationibus terram noſtram inquinent, ac Dei iram contra nos provocent impuni licentia mali. Non petimus ut occidantur homines, ſed ut impediantur pravæ actiones.

3. In modo. Nos non urgemus magiſtratum noſtrum noſtra auctoritate, ſed authoritate ſcripturæ. Nihil ab illo cupimus, niſi quod ex Scriptura poſſumus demonſtrare eſſe juſtum, neceſſarium vel utile Eccleſiæ. Sic non faciunt illi, ſed docent Magiſtratum Politicum obligatum eſſe ad exſequendum, quicquid Clerus judicaverit ſine examine cauſæ, planè ut Judæi Johan. 18. 29. 30. Nos non ſic. Modi igitur diſſimilitudo facit differentiam. Non quærimus magiſtratum noſtrum meris prætextibus ſeducere, nec deſideria noſtra ac petitiones ſubtrahimus ejus examini ac judicio, ſed coram oculis ejus agimus omnia noſtra, cum demonſtratione æquitatis ac juſtitiæ, dicentes ut Actor. 4. 19. Judicate vos ipſi, æquum ſit nec ne quod petimus. Nec nosmet à civili juriſdictione magiſtratus eximimus, ſed ſubditos eorum nos agnoſcimus, legibus juſtis obligatos; cenſuris & pœnis, ſi in Rempub. peccamus, obnoxios. Immò ipſam noſtram doctrinam non cœco impetu & nuda auctoritatis jactitatione Magiſtratui & toti Eccleſiæ obtrudimus, ſed eam cum demonſtratione veritatis proponimus, & omnium judicio ac examini exponimus, dicentes ut 1. Cor. 10. 15. Ut cum intelligentibus loquimur, judicate vos quæ dicimus & docemus. An idem à ſacerdotibus Pontificiis exſpectatis? Certè non obtinebitis, ſed laicos vos pronunciabunt, qui non ſint apti ad judicandum de rebus ad Eccleſiam

R

ſiam pertinentibus, ſed tantùm obligati ad exſequendum & credendum quod illi judicaverint. Nos nil aliud requirimus, quàm ut Eccleſiæ relinquatis libertatem & authoritatem neceſſariam in functionibus neceſſariis, utque eam defendatis & nutriatis. Si hoc fit, non eſt quod reprehendamus. Sed quia ſæpe non fit, nec veſter ordo ſua caret negligentiâ, ſcitis quod etiam ſubinde opus habeat ſale noſtræ parrheſiæ, & probè nôſtis diſtinguere inter neceſſariam parrheſiam, & inter audacem inſolentiam.

Hactenus authores atque cauſæ perſecutionis. Perſecutio ipſa non eſt gravis. Nam non niſi apprehenduntur, cuſtodiuntur, audiuntur, dimittuntur, cum minis, unde obſervamus non niſi unam hanc doctrinam: quod Deus ſenſim adſuefacit ſuos ad ferendam crucem, ut creſcant cum cruce vires.

Sed in eo totus effectus concionis Petrinæ poſitus eſt, quod Apoſtoli per eam deveniunt in captivitatem? Non, nam non obſtante hac captivitate tot convertuntur, ut numerus virorum, virorum inquam, præter mulieres, factus ſit quaſi 5000. Prior concio convertebat 3000. Nunc accedunt 5000. aut ſaltem tot, ut utriuſque concionis effectus conjunctim producat 5000. Notabile eſt illud Pauli 2.Tim.2.9. *Ego propter verbum Dei vincior, ſed verbum Dei non vincitur.* q.d. etſi ergo vincior propter Euangelium, tamen propterea vis Euangelii non ſiſtitur, ne quem convertat. Immò, inquit, Phil.1.12. *Scire vos volo, quod quæ mihi contingunt, magis in promotionem Euangelii cedunt,* &c. Id clariſſimè hac hiſtoria confirmatur. Et aliunde quoque patet. Captivitas Babylonica fuit religionis ſalvificæ promotio inter omnes gentes, & ipſos Reges Perſarum fecit veri Dei cultores. Sub Imperatoribus quantò plures fuerunt perſecutiones, tantò plures inventi ſunt, qui Chriſtum confiteri pulchrum duxerunt, adeò ut ſemper ſanguis martyrum fuerit fœcundum ſemen, ex quo Eccleſia crevit. Et inde à tempore Reformationis nonne ſævitum eſt in veritatem Euangelicam carceribus, gladio, igne, quantum fieri potuit? Et tamen quantò plus ſævitum eſt, tanto magis ſe erexit veritas. Ratio rei in aprico eſt. Nam tum ſe Spiritus Dei, qui in Euangelio eſt, maximè manifeſtat, cum Euangelium præſidiis humanis maximè deſtituitur, ut gloria ſit Dei & non hominum. Quanto magis Satan contra Euangelium ſævit, tanto efficacius Spiritus in Euangelio operatur, ut Satanam confundat, & potentiam Dei in infirmitate & ſtulta prædicatione demonſtret. Pudeat igitur nos ab Euangelio deficere propter perſecutiones. Vidiſtis in Germania, videtis etiamnum in Anglia, quanto agmine propter perſecutionem ab Euangelii profeſſione vel defenſione deficiant qui antea videbantur columnæ eſſe. Audiviſtis nunc rem in noſtra patria ita conſtitutam eſſe, ut in ſimilia pericula ſenſim implicemur. Quid faciemus? Aut cedendum aut patiendum. Ne cedamus, ſed credamus ad ſalvandam animam. Hebr.10.v.ult. Nam

1. Apoſtaſia turpis eſt, & patiens perſeverantia pars gratitudinis quam Deo juravimus.
2. Quid juvat lucrari animam & perdere mundum?
3. Eo fine Deus nobis concedit tempora otii, ut doctrinam Euangelii bene diſcamus, & poſtquam didicimus, bene exerceamus & conſtantes confiteamur, etiam ſanguine noſtro, ſi opus eſt, obſignemus.
4. Non deſeret Deus pugnantes, & de propria impotentia ſollicitos, cum invocatione auxilii divini.

Actor. 4. v. 5. 6. 7. 8.

Concio XLV.

Paſſio, in quam Apoſtoli, Petrus & Johannes, occaſione ſui miraculi ſuæque concionis devenêre, habet has partes 1. Apprehenſionem 2. Abductionem in plenum conſeſſum omnium Rectorum populi Judaici. 3. Examinationem. 4. Apoſtolorum apologiam. 5. Effectum hujus apologiæ duplicem. 1. Confeſſionem judicum 2. Dimiſſionem captivorum. De apprehenſione nuper aliquid dictum. Sequitur abductio ad plenum conſeſſum. Hic conſeſſus conſtitit ex Principibus, Senioribus, Scribis & iis, qui erant de familia Sacerdotali. Contingit ut poſtero die congregaretur hic cœtus in urbe Jeruſalem. Videtur itaque fuiſſe cœtus ex omnibus totius regni ordinibus congregatus, & non ſolùm ex iis qui Hieroſolymæ habitabant & ordinarii ſenatus membra erant, idque forte fortuna contigiſſe ob alias cauſas, non autem Apoſtolorum cauſâ congregatum eſſe hunc conſeſſum. Videtur autem planè talis fuiſſe conventus, qualis Jerem. 26. deſcribitur, ubi etiam deſcribitur conventus conſtans ex Sacerdotibus, Senioribus, Prophetis ſeu Scribis & Principibus. Principes ſine dubio fuerunt nobiles & generoſi ex Regio ſanguine ſuperſtites, vel alioquin

ex antiquioribus familiarum tribus Judæ Patriarchæ prognati. Nobiles regni, De Ridderſchap. Seniores idem quod Senatores & conſules urbium ac præ[illegible]rum. Scribæ, qui apud Jeremiam Pro[illegible] judices Juriſconſulti, qui in medio cõſeſſus reſ[illegible] dabant de jure, quibus conſeſſus opus habe[illegible] Communis ſententia eſt, quod ſcribæ fuerint Interpretes legis, idque in Synagogis. Vix poteſt ho[illegible] intelligi, quod officium eorum fuerit articu[illegible]ei populo explicare, & ſtudium pietatis inculcare, quod nunc eſt officium paſtorum. Hoc enim Sacer[illegible]um erat. Malach. 2. 7. Ut ut ſit, certum eſt, quoſdam ſcribarum præcipuè fuiſſe interpretes legis forenſis, adeoque Judæorum Juriſperitos, & potius politicæ vocationis quàm Eccleſiaſticæ. In medio hujus auguſtiſſimi conſeſſus conſtituti ſunt hi duo Apoſtoli. Quærat aliquis, quare Spiritus S. hun[illegible] con[illegible]ſſum tam accuratè deſcribat? *Reſp.* Ut intelligamus quàm illuſtris conventus per hos duos plebeios viros confuſus ac pudefactus ſit, atque inde quæ ſit vis veritatis, agnoſcamus. Erat hic congregata tota ſapientia & prudentia totius Re[illegible] Judaici. Scopus erat, authoritate ſua hos duos pi[illegible]ores terrere, vel aſtutia ſuâ eos ſeducere, ut deſi[illegible]ent Chriſtum prædicare, ſed Deus Spiritu ſuo e[illegible] roboravit, ut à duobus piſcatoribus confun[illegible]tur tam auguſtus conſeſſus, & non haberet [illegible] illis reſponderet, ut dicitur v. 14. Tanta eſt vis v[illegible] Euangelicæ, ut nulla humana auctoritas & [illegible]a, quantacunque ſit, quicquam contra eam va[illegible]. Vide 3. Eſdr. 3. 41. Premi poteſt veritas, ſed n[illegible]mi. Vide 1. Cor. 18. 19. 20. 21. &c. Ra[illegible]o eſt. Euangelium enim eſt conſilium Dei [illegible] 30. propoſitum Domini, Eſa. 53. v. 10. Et [illegible]pientia voluntati ejus ac conſilio reſiſtat? N[illegible]m tempore Apoſtolorum contra Ju[illegible] Synagogæ auctoritatem ita prævaluit Euan[illegible]ed & deinde & contra gentilium philoſo[illegible] a[illegible]men Athenis & per totam Græciam, A[illegible] & paſſim, itidemque patrum noſtrorum [illegible]ntra Papatum & Prælatos, tot Principi[illegible]oribus armatos, vide Hiſtoriam *Lu[illegible]atiam* citati. Hiſtoriam Concilii Tridenti[illegible]s hinc veritati adhærere tum, cum o[illegible] & auctoritas mundi contrarium ſentit. [illegible] noſtri cùm inciperent adhærere veri[illegible] conflictati ſunt cum objectione pru[illegible]oritatis humanæ. Totus mundus aliter [illegible], tot ſunt ſapientes, docti, prudentes, potentes, Reges, Principes, ſeniores, juriſconſulti, ſacerdotes etiam in Synodo congregati, qui omnes aliter ſentiunt, aliter decidunt, an vos ſoli diverſum quid vultis ſentire? Et ſi Apoſtoli Chriſtiani priſci, noſtri majores, tam parum auctoritatibus humanis territi aut commoti ſunt, cum Prælatorum vis & auctoritas eſſet integra, quid nos adeò conſternamur exemplis mundanis, poſtquam auctoritas Papæ & Prælatorum tota confuſa & tantopere fracta eſt? Cogitate, quod doctrina in qua ſtatis, ſit veritas. Nonne eſt doctrina verbo Dei conſona? Nonne eſt doctrina & myſterium rationi humanæ incomprehenſibile, multo minus à ratione humana confictum, ſed divinitus revelatum, & meram ſapientiam ac juſtitiam & bonitatem & potentiam divinam redolens? Nonne eſt doctrina quæ homini firmum ſolatium ſuppeditat in vita & in morte, quæ efficax eſt ad frangendum & emendandum cor corruptum, quæ Deo omnem gloriam in ſolidum adſcribit, præter quam nihil requirit conſcientia tua ad ſalutem? Si ita eſt, ne moveat te auctoritas hominum, ſed ſis obediens veritati.

Sequitur Examinatio. Solus conſpectus tam auguſti conſeſſus potuiſſet dejicere conſtantiam Apoſtolorum. Accedit tamen ſubtilis & captioſa quæſtio, facta ad intricandum Apoſtolos, ne ſe poſſint expedire. Ἐν ποίᾳ δυνάμει. &c. q. d. Audivimus vos feciſſe tantum miraculum, itidem vos publicè præſumſiſſe docere populum. Nemo hominum poteſt tantum opus facere, niſi alicundè vires ei ſuppeditentur. Nemo debet publicè docere, niſi qui vocatus eſt. A quo igitur vos accepiſtis vires faciendi hoc miraculum, & à quo vocati eſtis ad publicè docendum populum? Confer Matth. 21. 23. Non erat ſanè quæſtio neceſſaria, ſciebant enim antea quid Apoſtoli & reſpondiſſent olim, & reſponſuri eſſent nunc. Proponunt tamen, ut ex reſponſione captent aliquam anſam eos intricandi & aliquem prætextum perſecutionis. Stabat ſententia eos perſequendi, nec veritatis diſcendæ causâ interrogant, quippe interrogant quod ſciebant. Quia autem metuendus erat populus, ſi perſecutioni non poſſit aliqua ſpecies prætexi, ideò interrogant, ut prætextum inveniant. Ingenium omnium eorum qui moliuntur aliquid mali contra bonos, & contra juſtitiam vel religiónem. Sicut, ſi ita nudè & juſtitiam & veritatem perſequantur, ſe facilè totum populum habituros adverſum. Itaque captant prætextus. Putabant eſſe homines indoctos,

ctos, facile poſſe capi & intricari. Vide Matth. 22. v.15. Luc.20.19 20. Jerem.9.8. Pſalm.92.12. & 27. Pſal.37.12. Pſal.56. v.6. & 7. Præſertim hoc Sacerdotibus & Prælatis familiare eſt. Oſeæ 6.9. & nôrunt noſtri quoque Prælati Pontificii: Infirmitates & lapſus piorum obſervant, eoſque tum exaggerant. Scandala quæ in Eccleſia contingunt, obſervant, & inde faciunt prætextus ſæviendi contra totam Eccleſiam. Itaque nos nobis tantò magis attendamus, vitemus omnia ſcandala, geramus nos ut Chriſtianos decet, & precemur à Deo prudentiam, quâ aſtutiam & prudentiam politicam filiorum hujus mundi ſuperemus. Præcipuè obſerva in hac quæſtione quàm ſimilis ſit noſter & Apoſtolorum caſus. Sicut Apoſtoli interrogabantur de vocatione ſua, ita perpetua quæſtio, quâ nos exagitamur à Pontificiis, eſt hæc: unde habent miniſtri veſtri ſuam vocationem, quo nomine docent? Non ſunt ordinati ab Epiſcopis. Quaſi verò ea demum ſit vera vocatio, quæ à Romanis fit Epiſcopis, & non potius ab Eccleſia, cujus quis paſtor eſt. Calvinus, Lutherus, &c. erant, ſi non electi, ſaltem approbati & recepti à ſuis Eccleſiis, & quaſi non unusquiſque Chriſtianus, qui à Deo cognitione veritatis illuminatus eſt, & dona accepit, ipſius Scripturæ auctoritate obligatus ſit, ut pro fide quæ Sanctis ſemel tradita eſt, contendat. Poſito igitur, quod Lutherus, Calvinus, &c. non habuerint aliquam vocationem ab hominibus, ſed fuerint merè privati, tamen obligati fuiſſent ad monendum de Reformatione, ſi ordinarii vocati tacuiſſent. Et quaſi non ea quoque vocatio, quæ interventu Romani alicujus Epiſcopi facta eſt, obliget vocatum ad Euangelium purè docendum, & ad redarguendos errores etiam illius ipſius Epiſcopi, per quem ad docendum Euangelium vocatus eſt. Lutherus, Calvinus, &c. ab Epiſcopis Romanis vocati ſunt ad docendum Euangelium in Eccleſia; Ergo vi iſtius vocationis obligati & auctoriſati ſunt, ut ita loquar, ad redarguendos errores, qui contra Euangelium pugnant. Sequitur Apoſtolorum apologia & defenſio, in qua habes:

1. Apologiæ auctorem. Petrus πλησθεὶς πνεύματος ἁγίου.

2. Ἀπολογίαν ipſam, in qua quatuor ſunt: Præfatio, ſeu Compellatio auditorum: ἄρχοντες τοῦ λαοῦ καὶ πρεσβύτεροι τοῦ Ἰσραήλ. Redargutio quædã obliqua propoſitæ à conſeſſu quæſtionis: *Si in Iudicium hodie trahimur ob beneficium præſtitum homini infirmo.* Directa ad quæſtionem reſponſio: *Notum ſit omnibus vobis & omni populo Iſrael, quod in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, & Deus excitavit ex mortuis, hic homo ſtat ſanus coram vobis omnibus.* Reſponſionis iſtius quædam amplificatio & extenſio verſ. 11. 12. q. d. Et non tantùm ſciendum vobis eſt, quod particulare iſtud beneficium, quod huic claudo contigit, eſt à Jeſu Chriſto Nazareno, ſed etiam quod Jeſus Chriſtus Nazarenus eſt lapis ille, qui à vobis architectis reprobatus, factus eſt caput anguli, quod totum portat Eccleſiæ ædificium, & extra quem nulla ſalus eſt uſquam, &c.

Petrus iterum orationem ſuſcipit, & Johannes quaſi mutus eſt in tota hac actione. Egregium exemplum ordinis in Eccleſiaſticis negotiis obſervandi, ut omnia fiant ſine confuſione, ſicut & Paulus ordinavit 1. Cor. 14. à v. 26. ad 33. Non eſt hîc fundamentum Hierarchiæ, quo alius in alium dominatur, ſed tantùm fundamentum ordinis, quo actiones & functiones Eccleſiaſticæ præſervantur à confuſione. Præcipuè autem notandum, quod Petrus in medio hoc conſeſſu conſtitutus, & ad reſpondendum paratus, illicò experitur aſſiſtentiam Spiritus S. *Plenus Spiritu S.* Hoc eſt complementum iſtius promiſſionis quod habetur Luc. 21. 14. 15. Matth. 10. 19. Hoc probè obſervent, quicunque aliquam habent à Deo vocationem, cujus difficultate terrentur, ne ideò detrectent ſequi Deum vocantem, ſed ſolentur ſe hoc exemplo. Novimus reprehenſionem Moſis & Jeremiæ & Jonæ, quod à Deo vocati prætextu infirmitatis & periculi vocationi ſe voluerunt ſubducere, & quantopere iram Dei incurrerint. Conſideremus illud 1. Theſſ. 5. 24. 1. Cor. 1. 8. 9. 1. Cor. 10. 13. 2. Theſ. 3. 3. Si vocatus es à Deo ad aliquod onus ferendum, ad aliquod opus faciendum, ad aliquod periculum ſubeundum, cogita hanc fidelitatem Dei. Deus non ſicut Pharao, Exod. 5. 7. Sed eſt ſicut Pater erga Filios, qui filium non onerat præter vires. Et quamvis ſæpe magnum imponit onus humeris infirmis, vide tamen quid promittat Rom. 8. 26. 2. Cor. 12. 9. Ex præfatione Apologiæ diſcenda nobis eſt Petri modeſtia. Etſi parrheſiam habet magnam, tamen eam cum modeſtia magna conjungit, & nos quoque ita docet 1. Pet. 3. 15. Debemus oſtendere in defenſione bonæ cauſæ, cujus ſpiritus filii ſimus Luc. 9. Non ſufficit habere bonam cauſam, ſed etiam requiritur bonus modus agendi. Sic debemus tacere

in

in omni judicio, quo cum proximo litigamus. Præſertim, cùm contra magiſtratus nobis res eſt, non debemus obliviſci honorem, quo à Deo honorati ſunt. In magiſtratu probè diſtinguendum eſt inter malum quod eſt ab ipſo, & inter bonum quod eſt à Deo. Eſt enim is, per cujus manum nos Deus vult regere. Itaque privatorum eſt, magiſtratûs vitia & defectus ferre Chriſtiana modeſtiâ & patientiâ, Deum orando ut eos emendet. Miniſtrorum quoque eſt vitia & peccata magiſtratûs ita redarguere, ut diſcrimen poſſit apparere inter Chriſtianam & neceſſariam parrheſiam, & inter petulantem ac petulcam linguam. Provide admodum conſervanda eſt correſpondentia inter magiſtratum & miniſterium. Debent illi duo ſe invicem complecti, ſicut duo aſſeres in ædificio quorum alter hiſcit, alter imminutionem patitur. (d'Eene gaept/d'ander krimpt.) Miniſtrorum eſt, omni modeſtiâ, quæ neceſſariam parrheſiam & falſedinem officii non impedit, ſe & Eccleſiam favori magiſtratûs inſinuare, & Magiſtratûs quoque eſt miniſtros & Eccleſiam ita ſe inſinuantem lætè recipere. Nam ſi pulſando & per violentiam procuranda eſt hæc unio, utrinque dolor ex[illegible]r. Curia & templum ſe invicem habent ſicut dentes & lingua, quæ duo ſi ſe invicem lædunt, ſe invicem non cautè tractant, toti corpori magnum creant dolorem & impediunt nutritionem corporis. Habent dentes ſuum opus, habet lingua ſuum opus. Sed neutrum horum poteſt agere quod ſuum eſt, [illegible] alterius auxilio. Hæc vera fraternitas Moſis & [illegible]onis, multum differens à collateralitate iſta, q[illegible] nobis affingunt calumniatores. Dat Deus ma[illegible] qui ſapiunt quod ſuum eſt, & miniſtros, qui int[illegible]nt, quod ſuarum eſt partium. Sic conſtabit pax Eccleſiæ.

Actor. 4. *v.* 8. 9. 10. 11.

Concio XLVI.

P[illegible]um membrum paſſionis, in quam Apoſtoli [illegible]e miraculi & concionis ſuæ devenerunt, & eorum apprehenſio, ſecundum eſt eorum ad [illegible] auguſtum & illuſtre deductio, tertium eſt eoru[m] coram hoc concilio examinatio, quartum eſt eorum apologia & defenſio, quintum eſt hujus apologiæ duplex effectus. Devenimus ad membrum quartum, ſcil. ad apologiam Apoſtolorum, cujus videndi ſunt auctor & partes. De auctore nuper aliquid dictum. Partes ſunt quatuor 1. Præfatio. 2. reprehenſio. 3. reſponſio ad quæſtionem. 4. reſponſionis amplificatio. De præfatione actum ſuperius. Sequitur reprehenſio, v. 9. *Si nos hodie in judicium vocamur ob beneficium*, &c. q. d. Scimus quod Magiſtratûs ſit punire malefacientes ſeu ob maleficia. Miramur igitur quod nos hodie in judicium vocamur ob beneficiũ quod exhibuimus homini infirmo, dum eum ſanavimus. An omnes malefactores ita eradicâſtis ex veſtro regno, ut jam vobis nil aliud ſit negotii, quàm ut eos in judicium trahatis, qui hominibus benefaciunt? Quod Apoſtoli hic pro ſe ipſis allegant, idem allegant pro Chriſto. Act. 10. 38. 39. *Ieſus circumiit & cuilibet benefecit in tota terra, & illi eum ſuſpenderunt à ligno.* Et Chriſtus pro ſe ipſo Joh. 10. 32. Obſerva. 1. Etſi Petrus magiſtratum ſuum honorat, tamen peccatis eorum non parcit, ſed in faciem exprobrat ſicut poſtea crucifixionem Chriſti, unde textus eum laudat de parrheſia verſ. 13. Parrheſia prudens eſt neceſſarium requiſitum boni miniſtri. Miniſtri enim non tantùm ſunt lux terræ, ſed etiam ſal terræ, & miniſter ſine parrheſia eſt ſicut ſal ſine ſalſedine, & comparatur cum cane qui latrare non poteſt. Matth. 5. 13. Eſa. 56. 10. 11. Non debet quidem lingua dentes petulanter laceſſere; ſed tamen eos intrinſecus abſtergere, purgare, &c. ſic miniſtri non debent quidque magiſtratum petulantes laceſſere, ſed tamen, cum res exigit, vitiis eorum non parcere. Dentes ſepes linguæ. Lingua dentium ſpongia. Sed de hac materia ſæpe dictum. 2. Aliud eſt quod hinc obſervamus: Ne peregrinum nobis ſit ſi quando beneficia noſtra malefactis compenſantur. Sic Chriſto contigit, ſic Apoſtolis. Sic Davidi Pſalm. 109. 5. Jerem. 18. 20. Et habet Deus juſtam cauſam, cur ſinit fidelibus hoc ſubinde contingere, ut ſcil. intelligant, quàm ægrè nos Deo faciamus, cum tot beneficia tot malefactis compenſamus. Sæpe enim Deus de nobis conquerendi cauſam habet, ut Deut. 32. 6. Cum autem querimonias ejus non curamus, ſinit ſubinde alios nobis facere, quod nos facimus illi. Obſervent hoc, qui ideò proximo ſuo irreconciliabiles ſunt, quia proximus beneficium peccatulo aliquo compenſavit. Si Deus ideò nobis foret irreconciliabilis, quàm miſeri eſſemus! Etiam modus reprehendendi non eſt negligendus. Reprehendit etiam obliquè: *Si nos judicamur*, &c q. dicat. Si hodie ita moris eſt, ut homines ob beneficia in judicium vocentur, non detrectabimus judicium, ſed reſpondebimus. Acuit ille modus re-

dargutionem,ut tantò acrius feriat. Dura enim corda acuto indigent mucrone, quo pungantur. Volebat eos compunctos reddere corde, ut Act. 2. v. 37. Acuit igitur mucronem gladii. Et certe Petrus idiota tam perfectè agit partes oratoris, ac ſi per multos annos in Academia Rhetoricam & Oratoriam ſtuduiſſet. Tanta eſt vis Spiritûs S.

Sequitur igitur directa & libera reſponſio ad propoſitam reſponſionem v. 10. q. d. Vos nos hic in conclavi examinatis, cujus virtute & auctoritate hoc fecerimus, nos verò tantum abeſt ut hoc vos velimus celare, ut cupiamus hoc non tantùm vobis ſed univerſo populo notum eſſe. Non eſt quod putetis, nos nobis adſcripturos honorem hujus miraculi, non eſt quod putetis nos ſine mandato, ſine auctoritate & vocatione populum docuiſſe. Confitemur enim & conteſtamur, quod quicquid fecimus, fecimus per nomen Jeſu Chriſti Nazareni, illius, inquam, Jeſu, quem vos crucifixiſtis & Deus excitavit. Nihil eſt in tota hac reſponſione, quod explicatione indigeat. Eſt enim illud ipſum, quod ſuperiùs quoque dixit c. 3. v. 14. 15. Præteribimus igitur hanc reſponſionem, & ſolummodò eam vobis recommendabimus tanquam exemplum ingenuæ confeſſionis. Scitis enim non eſſe poſtremam partem Chriſtianiſmi, fidem & ſpem quâ habemus de Chriſto, ore ſuo liberè confiteri. Matth. 10. 32. Rom. 10. 9. 10. Hebr. 10. 35. 1. Pet. 3. 15. Scitis etiam difficile eſſe carni, Chriſtum & veritatem publice fateri, cum confeſſio pariat periculum & ignominiam, & multos putare ſe ſatisfacere officio, ſi intrinſecus Chriſtum colant, extrinſecus negent ad fugienda pericula mundi. Hoc omninò a nobis debet abeſſe, & ſecundum exemplum Petri ingenuè confitendum quoties opus eſt. Peccaverat Petrus hoc peccatum aliquando, ſed ecce quantò timidius antea negaverat, tantò lætius nunc confitetur. Animet nos hoc exemplum, & illud Chriſti 1. Tim. 6. verſ. 13. & illud Davidis Pſalm. 119. v. 46. Sequitur amplificatio ſeu extenſio hujus reſponſionis, quâ ex particulari hoc beneficio Jeſu Chriſti in claudum hunc collato occaſionem ſumit annunciandi & exponendi generalem vim, quæ eſt in Chriſto ad ſalvandum totum genus humanum v. 11. 12. q. d. non tantùm vobis annuncio hoc particulare beneficium eſſe à Chriſto, ſed etiam in Chriſto & in ſolo Chriſto reperiri eam vim, quæ unicuique ad ſalutem opus eſt. Et hoc explicat duabus propoſitionibus:

1. Prior eſt affirmativa, quâ Chriſto tribuit omnem vim ſalutis, v. 11.

2. Poſterior eſt negativa, qua ab omnibus aliis creaturis removet omnem vim ſalvandi, v. 12. quibus duabus propoſitionibus Petrus nos verè informat, quomodo Euangelium ſit docendum, videl. non ſolùm docendum eſſe, quòd in Chriſto ſalus ſit, ſed etiam quod ſalus in ſolo Chriſto ſit, & in nullo alio, & refutandos eſſe eos, qui ſalutem partim in Chriſto, partim in aliis quærunt. In priori propoſitione eſt metaphorica deſcriptio Chriſti, petita ex V. T. ſcilicet Pſal. 118. 22. Eſa. 28. 16. & Chriſto applicata, q. d. Nôſtis in Scriptura veſtra ſermonem & promiſſionem eſſe de lapide quodam in Zione ponendo, qui ſit fundamentum futurum totius Eccleſiæ, & quamvis ab architectis ſit reprobandus, tamen à Deo in lapidem angularem totius ædificii Eccleſiæ ſit conſtituendus Et ego jam vobis annuncio, Jeſum Chriſtum Nazarenum eſſe hunc lapidē, quem vos quidem reprobâſtis, dum noluiſtis eum agnoſcere ac recipere, ſed coram Pontio Pilato eum abnegâſtis, Deus autem eum conſtituit in lapidem angularem, id. in fundamentum, cui inpoſterum tota Eccleſia ſuperſtruetur. Hic videtis in egregia ſimilitudine, petita à reparatione collapſæ domûs & ædificii, univerſum modum humanæ ſalutis nobis ob oculos poni, quæ ſimilitudo adeò placuit Spiritui S. & piis Dei ſervis, ut non ſolum in V. T. ſed etiam in N. T. quàm ſæpiſſimè uſurpetur, ut videre eſt Matth. 21. 42. & Matth. 16. 18. Marc. 12. 10. Luc. 20. 17. 1. Cor. 3. v. 11. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 4. 7. Eph. 2. 19. & audacter dico, vix eſſe ullam ſimilitudinem, quæ toties in Scriptura uſurpetur, ad modum ſalutis per illam explicandum, atque hæc de ædificatione deſumpta, ut patet ex omnibus locis, ubi jubemur alter alterum ædificare, & nil facere niſi quod ædificet. Et eſt revera commodiſſimum ſimile. Deus humanum genus condidit tanquam ædificium pulcherrimum. Fundamentum, cui ædificium hoc inſiſtebat, erat imago Dei, quam ei Deus impreſſerat. Quoniam enim erat opus à Deo factum ad ſimilitudinem Dei, purum, ſapiens, juſtum, ſanctum, ideò Deus illud amabat, & beneplacitum ſuum in eo habebat, & quandiu erat tale, quandiu inhærebat huic fundamento, non poterat ruere, ſed erat ædificium immortale. Diabolus Dei hoſtis, humano generi invidens hanc gloriam, per ſeductionem primorum hominū ſubtraxit fundamentum cui nitebatur humani generis immortalitas

tis & conſervatio, ſcil. juſtitiam & puritatem, effecitque, ut ſeipſum pollueret graviſſimo reatu peccati ac transgreſſionis, & à ſe averteret amorem Dei, & incurreret ejus indignationem & odium. Subtracto hoc fundamento cecidimus & lapſi ſumus omnes. Anima noſtra facta eſt habitatio impurarum avium, corpus noſtrum factum eſt tabernaculum ruinoſum, quod magis magiſque corruit, donec tandem in cineres & pulverem dilabitur, & conjicitur in gehennam, ut ſit pabulum ignis infernalis. Et tale eſt humanum genus, ædificium ſcil. è fundamento ſubverſum, & ita collapſum ac deformatum, ut planè ineptum ſit ad habitationem aliquam Deo & Spiritui ejus præbendam, ſed ſit potius ſpelunca latronum & impurorum ſpirituum, ut Chriſtus innuit in parabola, Matth. 12. 43. 44. 45. Ex ruderibus tamen hujus collapſi & deformati ædificii Deus ſibi conſtituit reædificare domum & templum, in quo habitet æternum, & urbem illuſtrem in qua totam ſuam gloriam manifeſtet 1. Cor. 3. 16. 1. Tim. 3. 15. Apoc. 21. 10. Et quomodo quæſo, hoc efficit? Ipſe enim eſt architectus hujus domûs, & hujus civitatis, 2. Cor. 5. 1. Hebr. 11. 10. Modus tamen hujus ædificationis externus eſt, & digniſſimus conſideratu, conſiſtitque in ſequentibus.

1 Ponit novum fundamentum, quod antea poſitum non fuit, idque in locum ejus fundamenti, cui antea humani generis ædificium inſiſtebat, ſed fundamentum longè firmius & planè immobile, quod nunquam ſubvertetur, ne per portas quidem inferni.

2 Dat architectos quoſdam certos, qui ex ruderibus collapſi humani generis colligunt lapides, quos Deus, ſummus architectus, pro beneplacito ſuo ad hoc ædificium elegit, eoſque huic fundamento ſuperſtruunt.

3 [illegible] pides, huic fundamento ſuperſtructi, ex fundamento hoc accipiunt vitam, & fiunt lapides [illegible] beneficio hujus vitæ ſe ipſos non ſolum magis [illegible] huic fundamento agglutinant, ſed etiam [illegible] per omnes compages nutrimento ſe ipſos [illegible] magiſque attollunt; ut ædificium creſcat [illegible] ad perfectionem.

Ut [illegible] hanc ſimilitudinem, toties in Scriptura uſurpatam, bene intelligamus, hos tres gradus ſpiritualis ædificationis ſuper illum angularem lapidem, quem hic Petrus annunciat, preſſius & latius explicabimus inpoſterum. Inpræſentiarum concludamus conſideratione noſtri naturalis ſtatûs, quod ſcil. nil aliud ſimus quàm rudera collapſi ædificii, vaſa impura & abjecta, ligna carioſa, rudera ad cloacam abjecta, titiones Inferni, &c. ut ſtatum hunc intelligentea intelligamus neceſſitatem noſtræ ædificationis ſuper Chriſtum, eamque appetamus. Sumus ita occupati circa ædificia mundana, præſentim hoc loco, ut ædificemus palatia ſplendidiſſima, quæ tamen diu poterimus inhabitare. Cur non circa cœleſte palatium reparandum potius nos occupamus? Qui malè habitat, malè vivit. Scitis quod in V. T. parietes domorum ſubinde maculabantur leprâ, ut doceremur nos eſſe domum impuram. Quis non optet, cum ſit habitatio Diaboli, fieri domus Dei.

Actor. 4. *v.* 11.

Concio XLVII.

De tribus itaque rebus nunc dicendum eſt 1. de fundamento. 2. de ædificatoribus. 3. de ædificio ipſo. Singula concionis unius materiam facilè præbebunt. Inpræſentiarum de fundamento dicemus. Fundamentum eſt id, cui ædificium aliquod innititur, & à quo quaſi portatur: Sic Eccleſia opus habet fundamento, cui inſiſtat, cui innitatur, à quo ſuſtentetur, & à quo quaſi portetur. Quoniam enim ex peccatoribus conſtat Eccleſia, qui omnes mole atque onere graviſſimorum peccatorum premuntur, & violentiâ externarum tentationum graviſſimè ſæpe concutiuntur, maximopere opus habet fundamento cui innitatur, & à quo ſuſtentetur. Sed an fundamentum & lapis angularis idem ſunt? Paulus videtur diſtinguere Eph. 2. 20. ubi dicit, Chriſtum eſſe lapidem angularem in fundamento Apoſtolorum. *Reſp.* Duplex eſt cujuſlibet ædificii fundamentum. 1. Externum & naturale, quod non manufactum, ſed à Deo ipſo poſitum eſt, videl. fundus ſeu terra apta. Non enim aqua, neque arena, neque terra quævis apta eſt ad recipienda & ſuſtentanda ædificia, ſed terra ſolida atque firma Matth. 7. 26. 27. 2. Internum & artificiale, quod ab architectis ponitur, & eſt pars ædificii. Solent enim periti architecti loco fundamenti ponere lapides quadratos, vel petras, vel figere palos. Sic etiam Eccleſia Chriſtiana habet duplex fundamentum. 1. Externum, videl. revelationem Dei per Prophetas & Apoſtolos in Scripturis Sacris. Hæc eſt principium & fundamentum cui innitur fides Eccleſiæ,

&

& propter quod Eccleſia credit quæ credit. Non enim teſtimonium aliquod humanum, non auctoritas Papæ & Eccleſiæ, neque rationis humanæ ſcientifica demonſtratio eſt illud fundamentum & principium, propter quod credimus quæ credimus, ſed ſacra Scriptura, Joh. 5. *Illa ſunt quæ teſtificantur de me*. In hujus auctoritate fundamus noſtram fidem. Et hîc ſtatim ſe prodit diſcrimen inter Eccleſiã Euangelicam & Romanam atque hæreticam. Euangelici ſuam fidem & dogmata ſua fundant in auctoritate Prophetarum & Apoſtolorum, quæ eſt ipſius Dei auctoritas, cæteri autem vel in auctoritate Papæ vel in dictamine humanæ rationis fidem ſuam fundant, id ſolum pro vero habentes, quod Eccleſia Romana docet, vel quod cum ratione convenit, & damnantes omne id quod ratio non capit, quantumvis millies in Scriptura dicatur. Hi igitur non ſunt ædificati ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum. Nam qui huic fundamento ſuperſtructus eſt, ille credit quicquid Prophetæ & Apoſtoli dicunt, etiamſi ab omnibus hominibus damnetur, & à ratione humana non comprehendatur. 2. Habet etiam Eccleſia Chriſtiana fundamentum internum, quod eſt pars ædificii. Sicut enim architecti in ipſa terra ponere ſolent lapidem quadratum vel petram aliquam in angulis ædificii, qui muros ſuſtineat, vel etiam integrum fundamentum ſeu inferiorem partem murorum ex quadratis lapidibus exſtruunt: ita in ædificio Eccleſiæ primò omnium ponitur lapis ille angularis & petra, quæ cum ſit ipſa pars ædificii, cæteras ædificii partes ſuſtinet atque portat. Et quiſnam ille lapis, quænam illa petra? Pontificii ajunt, Papam Romanum eſſe unum, & Chriſtum alterum. Sed nos non niſi unum novimus lapidem angularem, videl. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Hic lapis ille, inquit noſter textus, hæc petra Matth. 16. Hoc fundamentum quod poſitum eſt, præter quod nullum poni poteſt. 1.Cor. 3. Quare autem Chriſtus comparatur lapidi angulari? Quia Chriſtus cum ſuis meritis eſt id cui innititur fides noſtra, & quod nos ſuſtentat, ne mergamur in deſperationem quoties onere peccatorum premimur & procellis tentationum concutimur. Sicut fides habet duas quaſi partes. 1. aſſenſum mentis. 2. fiduciam cordis: ita habet duo fundamenta. Scripturæ authoritas fundamentum aſſenſus: Chriſti merita fundamenta fiduciæ. Homo ſuâ naturâ talis eſt, ut indigeat aliquo fulcro, in quo quieſcat, cui confidat. Solus Deus αὐτοπίστατος, non indigens ullo à quo dedenpeat; cui innitatur, in quo acquieſcat, cui confidat. Sed anima hominis, ſicut non potuit eſſe, niſi ab alio creata, ita non poteſt ſubſiſtere, niſi ab alio ſuſtentata, ſed mergitur in deſperationem, cum non habet in quo confidat. Quid eſt quæſo, deſperatio? Non poteſt melius depingi, quàm in exemplo Caini Gen. 4. 12. item in exemplo corvi & columbæ Gen. 8. v. 7.8.9. Eſt nimirum plena ac perfecta inquietudo & turbatio animæ, omni carens remedio. In hanc inquietudinem incidit omnis anima humana; niſi habeat aliquod fundamentum cui ſuperædificetur, i.e. cui confidat, cui acquieſcat, à quo portetur, contineatur, ſuſtentetur. Quodnam autem illud fundamentum, in quo anima hominis poteſt acquieſcere, tutò confidere, & ita poteſt inniti, ut non confundatur, nec fruſtretur in ſua fiducia? *Reſp*. Hic diſcrimen faciendum inter hominem juſtum & peccatorem. Nam

1. Homo juſtus & integer immediatè ſuperſtructus erat ipſi Deo creatori, in hoc requieſcebat, & confidebat ſecurè, nec fruſtrabatur. Cur enim creatura pura & peccati expers non inniteretur ſuo creatori, cur non diceret: ſi mihi dedit eſſentiam & vitam, cur non daret quæ ad vitæ ac eſſentiæ conſervationem pertinent? Si ad imaginem ſuam me creavit, cur me non amet, quandiu ſum ipſius imago? Quid mali poterat homo juſtus & bonus metuere à juſto & bono Deo?

2. Sed ſi homo peccator velit niti hoc fundamento & immediatè ad Deum confugere, fiduciam ſuam in eo reponere, ac in eo acquieſcere, is certò fruſtrabitur & confundetur in ſua fiducia. Deus enim eſt ignis conſumens, qui non patitur ſibi conjungi peccatores, ſed eos deſtruit. Legimus quod terra evomat impuros inhabitatores Lev. 18. 25. 28. & 20. 22. an igitur Deus non evomeret tales, ſicut mons Ætna evomit quæcunque materia flammis & viſceribus ventris ipſius audet appropinquare? Quæ communio luci cum tenebris, &c. *Object*. At Deus eſt ſummè miſericors, i.e. inclinatus ad compaſſionem erga miſeros. Cur non confugeret miſer peccator ad ejus miſericordiam & in eam confideret? Cur non cum Deo faceremus, ſicut Rex Syriæ faciebat cum Rege Iſraëlis 1.Reg. 20. 31. *Reſp*. Miſericordia Dei non eſt injuſta miſericordia, ſicut erat miſericordia Achabi, ſed ſicut Deus eſt ſummè miſericors, ita etiam eſt ſummè juſtus, nec plus exſpectandum ab ejus miſericordia,

ricordia, quàm fieri poteſt per ejus juſtitiam,ſeu ſalvâ juſtitiâ & veritate. Severitas divinæ juſtitiæ & veritas divinę comminationis requirunt,ut,qui peccata fecerunt,puniantur morte Rom.1. v. ult. Contra hanc juſtitiam ac veritatem miſericordia Dei non pugnat, nec quemquam qui ad eam confugit, contra juſtitiam defendet. Fruſtra eſt peccatorem à [illegible] Dei provocare & appellare ad miſericor[illegible] Dei. Non recipietur hæc appellatio, ſed reſpondebitur: *Fiat juſtitia & pereat mundus.* Miſericordia Dei nihil poteſt contra juſtitiam. Si quis igitur [illegible] peccata ſua à juſtitia Dei citatur ad tribunal, & n[illegible] aliud agit contra hoc judicium, quàm quod confidat in miſericordiam Dei, is in confidentia ſuâ fruſtrabitur & confundetur. Bonitas quidem & miſericordia Dei creaturis eſt tutum aſylum & tutum fundamentum,cui ſecurè poſſunt inniti,ſi juſtitiam pro fundamento habent, ſed ſi per juſtitiam Dei, miſericordia Dei occluditur ut eſt Pſal.77.19. tum fruſtra eſt niti miſericordiâ, niſi prius placetur juſtitia. Cum itaque humanum genus eſſet in hoc ſtatu, ut à Deo, fundamento & fulcro ſuo, per amiſſionem juſtitiæ originalis, quæ erat lapis angularis, quo homo cum Deo conjungebatur,ſeparatum nutaret, & ſine quiete, fluctuum inſtar, jactaretur, ut [illegible] Eſaias c 48. 22. & 57.21. ecce manus miſericordiæ divinæ ſe extendit, & in Sione poſuit hunc lapidem pretioſum,in quo anima noſtra inveniret requiem, & in quo tutò poſſit acquieſcere ac confidere, & per quem denuò homo cum Deo conjungeretur. Hoc unum erat,quod miſericordia Dei poterat præſtare contra noſtram miſeriam, non ut in præjudicium juſtitiæ nos defenderet, ſed ut præpararet & oſtenderet fundamentum aliud & lapidem angularem, cui tutò poſſemus inniti & confidere. Miſericordia Dei de ſe poteſt dicere, quod de ſe dicit Baptiſta Joh. 1. 8. *Ego non ſum lux, ſed teſtor de eo qui eſt vera lux.* Sic dicere poteſt miſericordia Dei: [illegible] non ſum illud fundamentum, cui tutò poſſis inniti, ſed ego do & oſtendo vobis verum fundamentum. Vi enim miſericordiæ ſuæ Deus poſuit angularem lapidem in Sione, i.e. dedit & [illegible] Eccleſiæ ſuæ, illud fundamentum in [illegible] poteſt confidere & acquieſcere. Et quomodo Deus hunc lapidem poſuit in Zione?

R. 1. Æterno ſuo conſilio. Antequam mundi fundamenta jacta ſunt, poſitum eſt hoc fundamentum Eccleſiæ Eph. 1.4. 1 Petr.1.20. Huc pertinet [illegible] 2 19.

2. Miſſione in carnem. Nam niſi carne fuiſſet veſtitus, non potuiſſet eſſe lapis angularis.

3. Traditione in mortem. Nam vi mortis, in carne toleratæ, ſuſtinet Eccleſiam.

Jeſus Chriſtus igitur, filius Dei unigenitus, ex virgine Maria per operationem Spiritus S. incarnatus, & morte crucis in ſacrificium pro peccatis noſtris mactatus, eſt fundamentum illud lapis angularis,qui portat ac ſuſtinet Eccleſiam,& cui Eccleſia innititur, cui confidit, & in quo acquieſcit. Et quiſquis ſuper hunc lapidem ædificatus non eſt, non ſubſiſtet,cum in judicium venerit. Non habet quietem,ſed eſt ſicuti Cain,quærens requiem & non inveniens. Verum quidem,quod qui in Chriſtum non credunt, & ſuper hunc lapidem ædificati non ſunt, ſæpe in hac vita ſunt valde quieti, & contra multas difficultates, etiam contra vim & terrorem mortis quietè perdurant, ſed hoc eſt tantùm ad tempus, quandiu animæ eorum ſunt extra judicium, & per longanimitatem Dei ducuntur ad pœnitentiam, & per peccatum ſunt induratæ ac ἀναίσθητοι factæ. Sed cum venerint in judicium, & libri conſcientiarum aperientur, tum diſpergentur ut paleæ.

Non debemus autem hic præterire duas illas proprietates hujus lapidis angularis, quæ ipſi in Scriptura tribuuntur, quæ ſunt:

1. *Electus.*

1. Quod eſt lapis pretioſus, electus, probatus, Eſa. 28. 1. Petr. 2. 6. Ab ædificatoribus eſt reprobatus, ſed à Deo electus. Vocatur autem pretioſus & firmus aut probatus, ſimilitudine à gemmis petitâ, ob duas cauſas:

α. Ratione eſſentiæ & naturæ. Non enim eſt ex numero lapidum communium, neque gemmarum optimarum, ſed eſt lapis eſſentiæ planè divinæ. Eſt enim ipſe Filius Dei naturalis & unigenitus, homo factus per Spiritum S. ex virgine Maria, peccati expers, juſtus & ſanctus ſine macula. Meritò igitur vocatur pretioſus.

β. Ratione virtutis & efficaciæ. Eſt enim lapis probatus & expertæ firmitatis. Eſt enim probatus æſtu iræ Divinæ: Deus fecit in ipſum incurrere omnia noſtra peccata, i. e. pœnas univerſi generis humani, Eſa.53. nec tamen dimotus eſt aut contritus. Eſt etiam probatus contra ſeductiones Satanæ. Nam portæ inferni contra ipſum inſurrexerunt,eumque tentârunt,cribrârunt, ſed non ſuperârunt. Prius fundamentum,cui humanum genus ſuperſtructum requieſcebat, videl. juſtitiam originalem, Satanas ten-

tentatione ſuâ ſubvertit, poſterius etiam tentavit, ſed ſubvertere non potuit. Ecce venit Princeps hujus mundi & non habet in me quicquam. Joh. 14. v. 30. Eſt igitur lapis probatiſſimæ virtutis,id quod cum in finem nobis exponitur, ut ſciamus nos habere fundamentum immobile ſi Chriſto ſuperſtruamur. Hæc etiam differentia eſt inter ſtatum Adami ante lapſum,& ſtatum Chriſtiani Chriſto ſuperſtructi. Nitebatur Adam fundamento ſatis bono, ſed mutabili & ſuperabili,ſed qui ſibi Dominum Jeſum Chriſtum ad dextram ponit, non movebitur in æternum, Pſal. 16. ſed habet regnum immobile Heb. 12. v. 28.

2. Quod eſt lapis periculoſus. Sicut eſt pretioſus & utilis iis, qui ſuper ipſum ædificantur, ita eſt periculoſus iis qui ſe contra eum indurant,qui in eum illiduntur & offendunt. Talibus enim eſt lapis offenſionis & petra ſcandali 1. Petr. 2. 7. Vide etiam Matth. 21. 44. *Qui cadet ſuper hunc lapidem*, i.e.qui cum hoc lapide contendere ſatagit. Comparantur infideles qui ſe Euangelio opponunt, vervecibus, qui cum Chriſto arietare ſatagunt. Chriſtus in Euangelii prædicatione irruit in hominum animos inſtar gravis lapidis cœlo delapſi, eoſque terret notitiâ & annunciatione miſeriæ, ut ſe ipſos abnegantes ſe committant Salvatori. Sed plerique contra hunc lapidem ſe indurant, nec poſſunt adigi ad abnegationem ſui ipſius, quâ ſe convertant à ſuis viis, & ſe committant Chriſto ſalvandos,ſed potius in viis ſuis pertinaciter perſiſtunt, terrores Chriſti per indurationem & ſecuritatem repellunt, & ſuis ſe viribus tutari ſatagunt. Talibus his lapis eſt periculoſus. Irruet enim in eos & conteret, i. e. tantò gravioribus plagis afficiet. Compara Act. 9. 5.

APPLICATIO.

Ex his quæ dicta ſunt, duo nobis diſcenda:

I. Quæ ſit propria vis & virtus Chriſti in negotio noſtræ ſalutis, ſcil. quod nos portat & ſuſtentat, ne ruamus, nec mergamur,nec opprimamur ab oneribus, quæ nos premunt, & quod ejus virtute conjungimur cum Deo, in quo ſolo animus noſtra poteſt acquieſcere. Eſt fundamentum ſalutis noſtræ, eſt lapis angularis, cui ſumus ſuperſtructi, i. e. cui innitimur,cui confidimus,ad quem confugimus & nos recipimus, uno verbo: Eſt illa juſtitia, quæ nos tutos præſtat contra iram & ſeveritatem Dei. Ab ira & ſevera juſtitia Dei omnia noſtra onera. Ab hac enim premimur & planè mergeremur in deſperatione, niſi Chriſtus, in cruce mactatus nobis ſupponeretur loco fundamenti, cui inniteremur, & à quo ſuſtentaremur. Hinc vocatur noſtra petra 1. Cor. 10. 4. & de Chriſto intelligenda omnia ea quæ dicuntur Pſalm. 18. 3. adeò ut omnis noſtra ſecuritas & pax ac quies ſit in Chriſtô pro peccatis noſtris mactato.

Object. At Chriſtus portat omnes creaturas eaſque ſuſtentat Hebr. 1. 3. Eſt igitur lapis angularis non ſolum Tzionis & Eccleſiæ, ſed univerſi mundi. *Reſp.* Fatemur. Eſt enim mundus fundatus & habet ſua fundamenta Pſal. 102. 26. 1. Petr 1. 20. Et quodnam illud fundamentum per quod mundus ſubſiſtit? Chriſtus. Per quem enim mundus factus eſt, per eundem conſervatur & ſuſtentatur ne pereat. Immò ipſe infernus, ipſi Diaboli & impii conſervantur à Chriſto. Nam niſi conſervarentur,annihilarentur, præcipuè in tantis plagis. Sed alio modo mundum portat Chriſtus, alio modo Eccleſiam. Mundum portat verbo potentiæ ſuæ Hebr. 1 3. Sed Eccleſiam portat meritis & dignitate juſtitiæ ſuæ. Prior conſervatio, quæ fit per meram potentiam, non parit felicitatem. Suſtentantur enim impii in inferno, non ut ſint beati, ſed ut plagas æternum ſentiant,nec per annihilationem eſſentiæ liberentur à ſenſu pœnarum. Sed ſuſtentatio quæ fit per merita juſtitiæ, affert felicitatem æternam. Cum enim juſtitiæ divinæ ſeveritas perſequitur nos, qui Chriſto, pro peccatis noſtris mactato, ſumus per fidem ſuperſtructi, tum ſanctitas & juſtitia Chriſti virtute ſuorum meritorum non ſolum ſatisfacit divinæ juſtitiæ, ut iram Dei ſiſtat atque placet, ſed etiam obligat divinam juſtitiam ad dandum nobis Spiritum S. & ad dandam vitam æternam. Chriſtus enim is eſt qui paſſione & obedientiâ ſua non ſolùm pro peccatis noſtris ſatisfecit, & maledictionem à nobis abſtulit, ſed etiam juſtitiam, vitam, & æternam benedictionem nobis meritus eſt & peperit. Hebr. 5. 9. 1. Petr. 3. 18. ut nos ad Deum adduceret, & 1. Petr. 2. 24. paſſus eſt ut viveremus juſtitiæ. Hinc non tantùm vocatur fundamentum Eccleſiæ ſed lapis angularis. Sicut enim ille ædificium ſuſtentat non virtute extrinſeca, ſed intrinſeca, cum ſit pars ipſius ædificii ingrediens, cujus beneficio ædificium cum fundamento externo,ſcil. tellure, conjungitur. Ita Chriſtus Eccleſiam ſuſtentat non tantum externa potentiâ, ſed ingrediente juſtitiâ quâ Eccleſiam complectitur & cum Deo unit. Chriſtus enim pars eſt Eccleſiæ, totam Eccleſiam juſtitiâ ſua defendens,

ſens,ſicut caput vel cor totum corpus ſuſtentat ſua vitâ. Percipiamus rectè hanc vim & virtutem Chriſti, ut ſciamus quid in eo quærere debeamus & invenire poſſimus.

II. Diſcendum deinde hinc: Quod ſit proprium officium Eccleſiæ, per quod hanc virtutem atque vim, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ſibi debet applicare, & in [illegible]um uſum, ſuamque defenſionem convertere, videlicet debet Chriſto inniti tanquam tuto fundamento contra omnes tentationes quibus premitur, & contra ſenſum oneris peccatorum & iræ Dei. Fundamenti eſt, ſuſtentare, ne quod ſuperſtruitur, corruat. ædificii eſt ſuperſtrui & inniti fundamento ac lapidi angulari. Sic Chriſti vis eſt portare, ſuſtentare,ne Eccleſia mergatur in deſperationem: Eccleſiæ autem officium eſt, Chriſto inniti, confidere, in eo acquieſcere, Chriſto adhærere, apprehendere & tenere Chriſtum,ac fiduciam cordis in eo collocare. Qui Chriſto ſic innititur,à Chriſto ſuſtentatur. Mirè ſe Papatus & omnes hæretici opponunt huic officio Eccleſiæ, negantes neceſſarium vel licitum eſſe cuiquam Chriſto & meritis ejus firmâ fiducia inniti, atque ita Chriſtum ſibi particulariter applicare, & ſe credere in Chriſto ſalvatum. Sed quantò magis ſe homines opponunt, tantò fortius Scriptura hoc ipſum urget. Quid enim crebrius tum in V.T. tum [illegible] N. T. quàm quod fiducia firma in Dominum à [illegible] requiritur, & ei ſalus ac juſtificatio peccatoris [illegible]ur? Nolo probare quod omnibus notum eſt, qui [illegible]bent ſenſus in Scriptura exercitatos. Vide [illegible] Pſalmos Davidis & Epiſtolas Paul. Quid crebri[illegible] requirunt quàm fidem & fiduciam in Domino? [illegible] vide præcipuè ſedem hujus noſtri textûs, Eſai 28 16. *Ecce pono lapidem qui ſuſtentet*; veſtrum eſt huic lapidi per fidem & fiduciam inniti. Sci[illegible]us quæ ſit differentia inter fœdus legis & Euangel[illegible] Qui ſub lege ſunt, propriam juſtitiam e[illegible], i e ſibi ſupponunt, eaque nituntur. Rom. 10. [illegible] qui ſub Euangelio ſunt, propriam juſtitiam ab[illegible], & fiduciam in Chriſto collocant. Applica di[illegible] inter columbam & corvum Noæ, quoru[illegible] repræſentat eos, qui per Euangelium, hic eos, q[illegible] legem juſtificari quærunt Geneſ.8.6.7.8.9 Ind[illegible]tur quidam homines nos tantùm conc[illegible] de Prædeſtinatione,de perſeverantia, de fide & firm[illegible],&c. Sed niſi hoc faciamus, non docem[illegible] hoc fundamentalem praxin Chriſtianiſmi [illegible] in eo conſiſtit, ut credatis & confidatis [illegible]o certò iri ſalvatum, quod credere ac confidere non poteſtis, niſi dictas & ſimiles doctrinas teneatis. Accedite omnes contriti corde, qui quietem pro animabus veſtris invenitis nuſpiam, & pedem animæ figite in Chriſto lapide angulari, firmâ fiduciâ cordis eum amplectimini tanquam Salvatorem veſtrum, dicentes, ut David Pſal. 18.3. Pſal.31.2.Pſal.25.2.ut Paulus Galat.2.20.Si ſic facitis,non eſt quod metuatis ne fiatis ſecuri & impii, ut cavillantur adverſarii. Si enim toto corde Chriſto adhæretis, impoſſibile eſt vos non ferre fructus gratitudinis. Non eſt fides in Chriſtum mera imaginatio ſalutis, ſed eſt fiducialis amplexus Chriſti, repoſitio cordis Chriſtum, quâ ei adhæremus cum ſenſu miſeriæ noſtræ premimur, quæ non poteſt nos ſinere ſecuros ac diſſolutos, ut latius patebit, cum modum ædificandi in ſecunda parte declaraverimus. Qui aliter ſalutem ſuam operantur,quàm per fidem in Chriſtum, ſunt ſicut illi, qui caſtella in aëre ædificant, ſicut araneæ, quæ magno conamine moliuntur opus ſine fundamento,ſicut illi de quibus Matth. 7.26.

Actor, 4. *v.* 11.

CONCIO XLVIII.

QUærit Catechiſmus noſter quæſtione 67. an & verbum & Sacramenta eo fine ſint ordinata ac celebrentur, ut fidem noſtram deducant ad ſacrificium Chriſti in cruce peractum; tanquam ad unicum fundamentum noſtræ ſalutis? Et reſpondet quod ſic. Quod ſi igitur eo fine celebrantur ſacramenta, ut fidem noſtram & nos ſuperædificent ſuper fundamentum ſalutis noſtræ,ſcilic. Chriſtum in cruce mactatum, non video cauſam, cur in hac præparatione ad Sacramentum cœnæ Dominicæ deſerere debeam meum ordinarium textum,in quo hæc tria vobis ediſſerere nuper cœpi: I. Quodnam ſit verbum & unicum fundamentum ſalutis noſtræ. II. Quinam architecti hujus ædificii & quæ ipſorum munia. III. Quodnam ipſius ædificii officium. Nuper de fundamento dictum, nunc dicendum de architectis. Architectus hujus ædificii propriè nemo eſt alius, niſi Deus Hebr.11. verſ.10. τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, cujus nos ſumus δημιούργημα καὶ οἰκοδομὴ 1.Cor.3.9. Et Chriſtus; qui fundamentum eſt, eſt idem architectus Hebr. 3. 3. Spiritus S. quoque eſt architectus hujus ædificii. Vide Act. 13 v. 2. Interim tamen idem nomen Deus tribuit iſtis hominibus,per quorum miniſterium hæc ædificatio

promovetur. Vide juxta hunc locum 1.Cor.3.9.10. Eph.2.20. & 4.14.12. Act.13.2

De his igitur architectis miniſterialibus hic textus duo nobis proponit.

1. Ipſorum officium: *Sunt architecti.*

2. Ipſorum vitium: *Reprobârunt lapidem angularem quem Deus poſuit.* Nos, ut breves ſimus, ſequentia de his architectis tractabimus, videlicet, 1. De eorum perſonis, 2. De eorum Inſtrumentis, 3. De eorum methodo ædificandi, 4. De eorum vitiis.

I. De perſonis. Quinam ſunt illi qui hic vocantur *οἱ οἰκοδομοῦντες* pro quo Paulus 1.Cor. 3. v. 10. utitur voce architectorum? Duplex difficultas hic moveri poteſt.

1. *οἰκοδομοῦντες καὶ ἀρχιτέκτονες* idem ſunt, an per architectos intelligat omnes miniſtros, an verò hic locus ſit fundamentum *τῆς ἱεραρχίας*, adeò ut quidam ſint Eccleſiaſtici, qui cæteris dominentur & imperent, & non ipſi ædificent, ſed ſint ædificantium inſpectores, Epiſcopi, Superintendentes? *Reſp.* Uno verbo: Omnes qui ad exſtructionem hujus officii vocati ſunt, ſunt miniſtri, vocati non ad dominandum, ſed ad laborandum. Miniſter dominans eſt contradictio in adjecto. Architectus non plus dicit hoc loco quàm ſimplex *οἰκοδομῶν.*

2. Quandoquidem Apoſtolus hic alloquitur Ordines & Senatores regni, inter quos non tantùm erant Prælati Eccleſiaſtici, ſed præcipua pars erat Magiſtratus Politicus (etſi ſummum politicæ auctoritatis faſtigium ipſis per Romanos eſſet ademptum) & tamen ad hos omnes dicit: *Vos architecti,* quæritur, an Magiſtratus Politicus æquè ſit architectus Eccleſiæ, atque ipſi Miniſtri Eccleſiaſtici? *Reſp.* 1. Nullus eſt Chriſtianus, ſive publicus, ſive privatus, ſive magiſtratus, ſive civis, ſive opifex, ſive ludimagiſter, ſive herus vel hera, &c. quin habeant mandatum aliquid conferendi ad promotionem hujus ædificii. Crebræ enim ſunt adhortationes: *Ædificate vos invicem.* 1.Theſſ.5.1.& paſſim. Immo ipſi angeli ſunt *πνεύματα λειτουργικά*, operarii, Opperlieden/ Hebr.1. v. ult.

3. Interim tamen hoc opus ædificationis peculiare eſt officium eorum, quos Spiritus S. per Eccleſiam ſibi ſeparat, & vocat ad hoc opus atque mittit. Actor. 13. 2. 4. His data eſt poteſtas ædificandi, 2.Cor.10.8. Hi ſunt architecti ædificii Dei, 1. Cor. 3. 9. Hi ſunt & architecti & œconomi Dei, 1.Cor. 4. 1. vocati ad hoc, ut per Spiritum S. Eccleſiam ædificent Epheſ. 2. 19. i.e. ſpirituali modo & ſpiritualibus mediis. Atque hujus ſpiritualis & Eccleſiaſtici officii partes nemo debet ad ſe rapere, ſive privatus, ſive magiſtratus. Nemo enim debet præſumere per Spiritum Dei ædificare, niſi quem Spiritus S. ſibi in inſtrumentum ad hoc opus ſeparavit & vocavit, ne incidat in pœnas quas Deus in Uzam & Uziam effudit 2 Sam. 6: 2. Chron. 26. v. 20.3. Interim tamen magiſtratus hoc loco rectè numeratur inter architectos Eccleſiæ. Is enim à Deo accepit poteſtatem verè architectonicam, ſeu imperialem, ſeu totum hoc ædificium. Sicut Cyrus Rex Perſæ ſuis in Judæa vicariis dedit mandatum, quod eſt Eſdræ 6. 3. &c. ita eandem auctoritatem & poteſtatem idemque mandatum magiſtratibus dedit Deus, quæ in eo conſiſtit, ut aperiat portas ſuas, & permittat Chriſto Regi introitum, eique largiatur libertatem & locum & media corporalia ad ædificationem neceſſaria, nec non defenſionem corporalem contra eos, qui ædificium hoc impedire ſatagant & dejicere, immò habent poteſtatem urgendi ipſos architectos, cum ſunt negligentes in officio, ut ab ordine Chriſti declinantes, in ſumma omnia agendi, quæ corporali modo fieri poſſunt, ut ædificium proſperè ſuccedat ſecundum eum ordinem, quem ipſe Chriſtus in verbo ſuo præſcripſit ut inter alia patet exemplo Joſiæ 2. Reg. 22. & 23. Qui itaque ad hæc officia vocati ſunt, ſe probent in hac præparatione ad cœnam, an iis ſatisfecerint.

II. De eorum apparatu & Inſtrumentis. Sicut Deus habet peculiares ſuos architectos, ita hi habent peculiaria ſua inſtrumenta, quibus & agnoſcuntur. Habent *τὰ ὅπλα ἐν ἑτοίμῳ* 2. Cor. 10. 4. 6. apparatum & inſtrumenta ſalutis, quibus dejiciunt & ædificant. Quænam illa? Non inventiones humani cerebri, ſicut ſunt inſtrumenta fabrorum corporalium, ſed divina dona & inſtituta. Qui cum inventionibus humanis incedunt, e.g. cum ſale, ſputo, oleo, aqua luſtrali, exorciſmo, crucifixo, &c. ſunt Antichriſti architecti, qui homines ſuperſtruût fundamento, non Prophetarum & Apoſtolorum, ſed Antichriſti & beſtiæ ac falſi Prophetæ, ubi lapis angularis eſt Draco rufus, i.e. Diabolus. Chriſti architecti duplicia habent inſtrumenta: 1. Interna, ſcil. *χαρίσματα* illa ſpiritualia, donum ſcil. linguarum, ſcientiarum, prudentiæ, &c. de quibus 1.Cor. 12.& 13. & 14. 2. Externa Chriſti inſtituta, ſcilic. ſacram Scripturam, quæ ſuppeditat malleum legis, gladium

gladium ſeu cultrum Euangelii & clavos illos acutos, de quibus Eccleſ. 12. 11. Sacramenta, preces; d... nam Eccleſiaſticam. Hæc ſunt inſtrumenta hujus ...ficationis, & non alia, & ubi alia invenitis, ab iis vobis cavete.

III. De methodo & modo ædificandi. Hanc nos tantùm nos miniſtri probè debemus intelligere ... & vos auditores. Non enim nos ædificamus ſine vobis, ſed quo ordine vos præcedimus, eodem vos debetis ſequi, & vos ipſos ædificare, 1.Petr. 2. v. 5. Attendite igitur ad hanc methodum, quia cognitio ejus vobis neceſſaria. Conſiſtit autem in ſequentibus.

1. Diruunt & dejiciunt fundamenta vetera, quibus hominum genus poſt peccatum ſuperſtructum eſt. Miniſtri non tantùm ſunt conſtituti ad ædificandum ſed etiam ad diruendum. Vide Jerem. 1. 10. 2.Cor. 10.4. Et quid quæſo diruendum? Fundamenta qu...us hominum genus inſiſtit poſtquam per peccatum a Deo ſeparatum eſt. Homines cum naſcuntur & vivunt in terris, ſunt revera ſine Deo. Sunt quidem aliqui qui poſſunt dicere ex Pſal. 22. *In te conjectus ſeu ædificatus ſum ab utero matris*, ii ſ...*ices* qui ex piis parentibus nati ab ineunte ætate Deum colunt & in Deum confidunt. Sed maxima p... hominum diu vivit à Deo ſeparata, immò multi n...nquam ad Deum reducuntur. Et tamen quan... in terris ſunt, habent aliquod fundamtntum, cui innituntur, & in quo acquieſcunt, & per quod red... tranquilli ac quieti, ut non turbentur metu ...di, immò ſæpe longè ſint tranquilliores & ...entiores, quàm ii qui per veram fidem Chri... ſuperſtructi ſunt. Stant adeò firmiter, ut nec be... nec peſtis, nec mortis metu dejiciantur. Cui, q...o, rei iſti homines innituntur, quod fundamen... ...iſtunt, quis lapis angularis, qui eos por... & ...entat? Inſiſtunt nimirum ſanitati ac robo... ...ris, divitiis & potentiæ mundanæ, vel ... confidunt miſericordiæ & longanimitati Dei, ... propriæ, innocentiæ, conſiderantes ſe non eſſe ... alii fures, raptores, &c. Vel etiam inſiſtun... ...ni propriorum meritorum & operum, quæ ... religionis causâ, vel etiam inſiſtunt experientiæ quâ cognoverunt mundum ſatis eſſe firmum ... facile periturum, ut 2.Pet.3.1. His rebus adeo f...ter inſiſtunt, ut etiam contra Deum ſe ... Deum irritare ſatagant, & quaſi arietare con... *lapidem* angularem, quem Deus poſuit, ut ... 2.Cor. 10. 4. 1.Cor. 10.22 1.Pet.2.8. Hoc fundamentum nos debemus diruere & demoliri, convincendo conſcientias hominum de inanitate & vanitate earum rerum, in quibus ponunt fiduciam, ut ita de periculo convicti deſinant eſſe quieti in via lubrica, & incipiant nutare, vacillare, tremere, concuti & fundamentum tutum quærere, cui poſſint inniti ſine confuſione. Sicut architecti non ponunt lapidem angularem, niſi prius removerint omnem terram minùs ſolidam, & foderint uſque ad arenam ſolidiſſimam (op het wel-ſant) ita removenda omnia, ut nudæ conſcientiæ imponatur lapis angularis Chriſtus: & qui Chriſtum prædicant, antequam hoc fundamentum diruerint per malleum legis, illi in arenoſa ſuperficie, aut pulvereâ, ædificium minimè ſtabile ædificant.

2. Poſtquam conſcientiam ita nudârunt omnibus vanis præſidiis, quibus antea nitebatur, vel intricabatur, tum nudæ conſcientiæ imponunt lapidem angularem Jeſum Chriſtum. *Object.* Atqui fundamentum poſitum eſt à Deo, 1. Cor. 3. *Deus poſuit lapidem in Zione* Eſa. 28. *Reſp.* Deus præparavit hunc lapidem eligendo, mittendo in carnem, tradendo in mortem ut fieret probatus, & manifeſtavit eum per Euangelium. Sed architectorum eſt hunc lapidem ponere ſub intellectum & conſcientiam cujuſlibet, qui ipſi ſuperædificandus eſt. Intellectus & conſcientia electorum ſunt locus in quo ædificium hoc exſtruitur. Sed quomodo ponitur hoc fundamentum? Cum fundamentalis ſeu principalis doctrina de Chriſto cordi implantatur. Doctrina enim de Chriſto, ſeu notitia Chriſti eſt cœmentum illud, quo Chriſtus intellectui noſtro agglutinatur. Prædicatio de Chriſti perſona, officio, exinanitione, exaltatione, de bonis quæ nobis peperit, &c. eſt fundamenti poſitio, ut appellatur Hebr. 6. 1. 1. Cor. 3. 10. Hæc methodus omninò obſervanda & bonis architectis, ut ſeparent fundamentalia & ſubſtantialia illa dogmata, quibus Chriſtus conſcientiis primò innoteſcit, ab iis, quibus ſuperſtructi deinde confirmantur, utque illa prius, hæc poſterius adminiſtrent, adeò ut potius confundant & deſtruant quàm ædificent, qui quæſtionibus ſublimibus & minus neceſſariis conſcientias hominum turbant, quibus abſolute neceſſaria de Chriſto dogmata nondum ſunt implantata.

2 Poſtquam fundamentum per revelationem Chriſti cordi impoſuerunt, tum cor huic fundamento ſuperſtruunt. Non tantum fundamentum ipſum cordi debet imponi per revelationem & doctri-

nam, ſed etiam cor debet huic fundamento agglutinari, debet ei adhærere, inniti. Eo enim fine datus eſt hic lapis angularis, ut cor ei innitatur & adhæreat, atque ita ab eo ſuſtentetur, & firmitatem ab eo accipiat. Hoc eſt ſuperſtrui ſuper hoc fundamentum, ſuper hunc lapidem, Epheſ.2.20. 1.Petr.2.3. Quomodo autem architecti Eccleſiaſtici ſuperſtruunt hominem ſuper Chriſtum?

Reſp. α. Dum eos movent ad fiduciam in Chriſtum. Hoc neceſſarium eſt officium architectorum, & qui hoc non faciunt, non ſunt architecti nomine digni. Cur enim hic lapis datus eſt in caput & fundamentum anguli, ſi non debet inniti ædificium? Non docemus vos, quod mera imaginatione cerebri vobis ſalutem debeatis perſuadere, ſed quod verâ fiduciâ cordis debeatis inniti Chriſto, & confidere vos in Chriſto habere omnia, quæ ad ſalutem veſtram ſunt neceſſaria. Hic igitur officium noſtrum eſt, probatum illud robur Chriſti, & ſufficientiam illam Chriſti vobis ob oculos ponere, ut fiducia vobis ingeneretur, itidemque objectiunculas carnis à veſtra indignitate & aliunde petitas, quibus Satan fiduciam veſtram ſatagit impedire, & vos tardos ad credendum facere, convellere & evertere, ut ita ſine impedimento figatis pedem fiduciæ in Chriſtum, nec cedatis cum onera ingraveſcunt Hebr.10.39.

β. Dum eos movent ad amorem Chriſti. Cor noſtrum non tantùm per conſtantem fiduciam debet Chriſto inniti, ſed etiam per inextingubilem amorem debet Chriſto adhærere & agglutinari. Sicut per fidem Chriſto unimur, Chriſtum apprehēdimus ac tenemus, & ex Chriſto trahimus plenitudinem juſtitiæ & Spiritûs, ita per amorem in Chriſto radicamur, & magis magiſque fundamur Eph. 3. 17. Immò per amorem non tantùm Chriſto fundamēto magis agglutinamur, ſed etiam cæteris lapidibus, qui nobiſcum eidem fundamento ſuperſtruuntur, conjungimur, ut ita totum officium habeat ſuam veram unionem & conjunctionem & compactionem Eph.4.16.& 2.21. Hic igitur officium noſtrum non tantùm eſt oſtendere vobis probatum robur Chriſti, ut ſine tremore confidatis, ſed etiam pretioſitatem hujus lapidis angularis, ut amore ejus capiamini. Oſtendimus vobis quàm pretioſus ſit in ſe, & quàm pretioſus ac utilis ſit vobis, quod cum verè intelligitis atque creditis, non poteſtis non amare Chriſtum.

4. Poſtquam lapides fundamento & angulari ſuperſtruxerunt, tum demum eos purgant & poliunt. Scitis lapides, quos Chriſto ſuperſtruimus, eſſe ex ædificio veteri collapſo, adeoque eſſe impuros. Sunt ex domo leproſa, quales deſcribuntur Levit.13.& 14. Jam autem in ordinaria ædificatione res ita ſe habet, ut cum ex ruderibus veteris ædificii quidam lapides adhibendi ſint ad ędificium novum, iſti lapides primò radantur & purgentur, & poſtquam purgati ſunt, tum demum novo fundamento ſuperædificentur. Verùm hîc res aliter ſe habet. Si hos lapides velles ſanctificare, i. e. purgare à peccatorum maculis, & expolire ſanctitate vitæ, antequam Chriſto ſint ſuperſtructi, hoc foret lavare laterem, ſeu oleum & operam perdere. Lepra enim peccati his lapidibus ita adhæret, ut nullâ arte, nullis admonitionibus ſeparari poſſint, niſi lapides ſuperſtruantur prius huic vivo lapidi Chriſto, ut ex illo vitam nacti, beneficio iſtius vitæ lepram agnatam interna operatione Spiritus Chriſti ſenſim excernant & expellant. Sicut parietes ædificiorum humores, quos imbiberunt, tempore hyemali, recedente gelu, internâ quadam virtute ſolent exſudare & excernere, ita hi lapides vivi, Chriſto ſuperſtructi per fidem & amorem, virtute hujus fidei & amoris ſenſim excernunt hanc lepram, eamque mortificant, quam excretionem adjuvant architecti bonis admonitionibus, quibus interna fidei & amoris operatio excitatur & acuitur. Qui eò adactus eſt, ut toto corde Chriſto innitatur, & vero amore ipſi adhæreat, is tam variis argumentis & rationibus facile movetur, ut excernat turpitudinem peccati, & ſe purum ac immaculatum Deo ſervet, feratque fructus gratitudinis ac juſtitiæ. Sed qui Chriſto non eſt inſitus, ex eo non facilius adhortationibus tuis excuderis peccatum ac opera gratitudinis, quàm poma vel pyra ex trunco arido exſculpſeris. Jeſus Chriſtus eſt petra illa, quæ habet & largitur aquas vivas omnibus qui ex illa bibunt 1. Cor. 10. 4. Qui huic petræ ſuperſtructus eſt, is virtutem ex illa trahit, quâ & ipſe fit lapis vivus, & ſe ipſum magis magiſque ædificat, ut ſit ſancta & ſpiritualis domus, Deo grata per Chriſtum 1.Pet.2.5.

5. Poſtquam hi architecti lapides ſuos ita Chriſto ſuperſtruxerunt, eôſque ſanctificârunt & expolire cœperunt, ſimul etiam illos firmant, atque fulciunt, ne relabantur. In aliis ædificiis, poſtquam domus ſemel exſtructa eſt, architectus eam relinquit ſolam & manum ſubtrahit. Sed in hoc ædificio architectorum eſt quotidie fulcire & confirmare ne ruat. Sicut enim lapides per adhærentem lepram

ſunt

ſunt carioſi, & ad corruptionem poni, ita per externas tentationum procellas vehementiſſimè ſæpe concutiuntur. Itaque perpetuo ſolatio roboranda ac fulcienda fides, ne cedat. Fundamentum eſt immobile nec poteſt concuti. Sed fides & amor, quibus huic fundamento adhæremus, ſunt debiles ac infirmæ. Hinc ſæpe tremor & concuſſio in nobis. Itaque architectis ſæpe renovanda ſunt argumenta, quibus fidem & amorem in Chriſtum primo generarunt, ut ita perennet ædificium, nec cedat concuſſionibus calamitatum, ut patet exemplo Pauli & Barnabæ, Act. 11.23. & 14.21.22. Atque hic proprius finis eſt ſacramentorum. Hoc, inquam, fine ſacramentum cœnæ vobis hac vice adminiſtrabimus, ut vos confirmemus in hac unione & conjunctione cum Chriſto, ad quam per verbum adducti eſtis. Nemini nos ſacram cœnam adminiſtramus, niſi iis, qui oſtendunt ſe Chriſto jam tum ſuperſtructos & conjunctos eſſe. Et qui tales ſunt, iis hoc ſacramentum cœnæ hoc fine adminiſtramus, ut quaſi de novo ſuperſtruamus, ut in fide & amore Chriſti radicati & confirmati ſtare poſſint & perſiſtere, cum procellis vitæ ac mortis concutientur. Hoc enim pane & hoc vino viſibiliter vobis ob oculos ponetur tum iſtud probatum robur Jeſu Chriſti, quo veſtra in ipſum fiducia confirmetur, tum pretioſa iſta jucunditas Chriſti ac amœnitas, quâ amor veſter in Chriſtum accenditur. Sicut panis hic frangitur, ita hic lapis per æſtum divinæ iræ adverſus noſtra peccata redditus eſt probatus lapis angularis, qui eſt ſcipio & baculus roborans noſtras animas. Sicut hoc vinum lætificat cor; ita Chriſtus eſt dulcis & amœnus omnibus, qui ei ſuperſtruuntur. Modò probetis vos; an ſitis rectè ſuperſtructi.

IV. Hactenus de methodo ædificandi. Sequitur ut agamus de vitiis, quæ ab his architectis in ædificatione ſubinde ſolent committi. Quæ tria ſunt:

1. Quod ſæpe verum lapidem angularem reprobant, & aliud fundamentum ponere ſatagunt præter id quod poſitum eſt.

2. *Aut* quod vero fundamento ſuperædificant fœnum, ſtipulas & inania ac infrugifera dogmata 1. Cor. 3.

3. Quod unâ manu ſæpe diruunt, quod altera ædificârunt, vel unâ reædificant, quod altera diruerunt, ſcilicet cum pravâ vitâ propriæ doctrinæ ponunt offendiculum. Galat. 2. verſ. 18. Vide etiam Ezech. 13. 10. Verùm non ſtat ſententia hæc vitia in præſentiarum latius elaborare. Sufficit digito ea monſtraſſe, ut ab iis ſibi caveant qui ad architecturam vocati ſunt.

Actor. 4. *v.* 11.

Concio XLIX.

HActenus de virtute & officio Fundamenti & Architectorum. Sequitur jam ut agamus de virtute & officio ipſius ædificii. Hanc partem omnium optimè nobis explicat Apoſtolus Petrus, 1. Pet. 2. 5. ſecundùm cujus dicti filum hanc materiam breviter deducemus. Complectitur hoc dictum argumentationem, quâ ex prioribus partibus duabus; quas ſuperioribus concionibus explicuimus, deducitur & concluditur officium ipſius ædificii. Vos acceſſiſtis ad Chriſtum lapidem vivum, &, ei ſuperſtructi, facti eſtis lapides vivi. Ergo ædificamini domus Dei, in qua, tanquam ſanctum Sacerdotium, offeratis Sacrificia Deo grata per Chriſtum. Non alligabimus nos verbis textûs, ſed tantùm, quæ ad ſcopum noſtrum proſequendum faciunt, inde excerpemus. Duo autem, quæ ad hoc faciunt:

I. Natura ædificii, quæ explicatur materiâ: *lapides*. Formâ: *lapides vivi*. Fine, *ut ſint domus in qua fiant ſacrificia.*

II. Officium hujus domûs, ſeu horum lapidum: *ædificamini.*

De Primo.

I. FActi eſtis lapides vivi, poſtquam ad Chriſtum acceſſiſtis. Fideles vocantur lapides,

1. Non reſpectu ſuæ naturæ, quod ſunt duri & contra Deum indurati, ſicut Ezech. 36. 26. Matth. 3. verſ. 9. Dum enim tales ſumus, ſumus lapides non vivi.

2. Sed reſpectu relationis ſuæ quam acceperunt, per quam factæ ſunt partes domûs, quam Deus ſibi ædificat ſuper Chriſto, membra videl. Eccleſiæ. Singula membra Eccleſiæ vocantur domus & templum Dei 1. Cor. 13. 16. 1. Cor. 6. 19. Sed hoc fit quia ſunt pars & lapis magnæ iſtius domûs, quam Deus ſibi ædificat. Fideles igitur ſunt vivi lapides quatenus ſunt membra Eccleſiæ & Chriſto ſuperſtructi.

II. Vocantur autem lapides vivi, ratione iſtius novæ formæ, vitæ ac virtutis, quam acceperunt ex unione cū Chriſto lapide angulari. Chriſtus 1. Cor. 10. comparatur cum illa petra, quæ Iſraëlitis aquam

dabat

dabat in deſerto Exod. 17. 16. Num. 20. v. 11. Talem lapidem Deus fecit angularem ſuæ domus, qui plenus vitæ, juſtitiæ & ſanctitatis, omnes partes ædificii ſuâ vitâ vivificaret, ſuo ſanguine juſtificaret, ſuo Spiritu ſanctificaret. Diſcrimen enim inter templum Hieroſolymitanum & inter Eccleſiam non in eo ſolùm poſitum eſt, quod illud templum erat ex lapidibus, hoc verò ex carne & oſſibus humanis, ſed præcipuè etiam in eo, quod illud ex mera materia corporali & inanimata, hoc verò partibus & membris ſpirituali vitâ præditis.

Videmus hinc, quænam ſint vera membra Eccleſiæ, ſcilicet qui vitam ſpiritualem hauſerunt ex lapide angulari. Non omnes qui profeſſione oris huic lapidi adhærent, ſed qui vitam traxerunt ex illo. Cum nos miniſtri ędificamus, ſuperſtruimus omnes qui ſe profitentur lapides ad hoc ædificium aptos. Sed non eſt quod putetis omnes, quos hodie in diſtributione cœnæ ſuperſtruximus eſſe veras partes hujus ædificii. Nam niſi vitam träxeritis, non manebitis, ſed excernemini & dejiciemini, & fietis materiale inferni. Non externa ſuperſtructio & adhæſio, ſed interna unio vivifica vos facit partes Eccleſiæ. Vita conſiſtit in ſenſu & motu. Illi igitur ſunt lapides vivi qui 1. ſentiunt ſe ſeparatos à Deo & proinde miſeros. 2. moventur appetitu, deſiderio & conatu redeundi ad Deum. Qui tales ſunt, ad eos pertinet hæc Apoſtoli concluſio.

III. Finis hujus ædificii, propter quem Deus illud ædificat, eſt: ut fiat domus ſpiritualis, in qua ſanctum Sacerdotium Deo offerat ſacrificia ſpiritualia quæ ſint accepta Deo per Chriſtum. In V. T. habebat Deus domum materialem, ſcilicet tabernaculum & templum Hieroſolymitanum, in quo corporalia ſacrificia offerebantur à Sacerdotibus Leviticis. Sed jam ſibi ædificat talem domum, cujus ſinguli lapides, ſingulæ partes ſint Sacerdotes, qui offerunt ſacrificia ſpiritualia. Deus enim non tantùm in V. T. requiſivit ſacrificia à populo ſuo, ſed etiamnum. Ceſſârunt ſacrificia hilaſtica & corporalia, ſed euchariſtica & ſpiritualia in æternum debent durare. Videte, quæſo, naturam & conditionem hujus ædificii atque templi:

1. Cum alterum illud eſſet ex lapidibus, hoc ex hominibus conditum eſt. Ex carne humana & oſſibus humanis, ſpiritualibus ligamentis fidei & amoris inter ſe compactis. Eſt templum corporale æquè ac illud Hieroſolymitanum. *Objeſt.* At vocatur Domus ſpiritualis? *Reſp.* Spirituale & corporale non opponuntur. Datur enim corpus ſpirituale 1. Cor. 15. Naturale & ſpirituale opponuntur. Hoc templum ratione ſuæ materiæ eſt corporale, ratione formæ eſt ſpirituale. Homines collecti ex Judæis & gentium variis nationibus ſunt lapides ex quibus conſtat hæc domus. In vetus templum non licebat gentibus intrare, ſed hoc ex gentibus præcipuè conditum.

2. In illo unum altare, in hoc tot altaria quot lapides. Cor & anima cujuſlibet lapidis eſt altare in quo fit ſacrificium.

3. In illo introducebantur Sacerdotes externi, hic ipſe Spiritus S. eſt Sacerdos, per quem noſmet offerimur Deo ſicut Chriſtus, Hebr. 9. 14.

4. In illius altari ignis erat corporalis perpetuus, in hoc dona Spiritûs S. ſunt ignis ille qui ſacrificia accendit.

5. In illud inferebantur beſtiæ quæ ſacrificabantur, hic ipſum altare immò ipſum totum templum igni Spiritûs accenditur in ſacrificium Deo. Ipſa ſubſtantia templi & altaris accenditur, corpus & anima noſtra, Rom. 12. 1.

6. Sacrificia illius dabant odorem pinguedinis carnis aſſatæ. Sed odor ſacrificiorum, qui ex hoc templo adſcendit in cœlum, ſunt motus ſpirituales fidei, amoris, precum, laudis, &c. Non vides hic fumum corporalem ſed ſpiritualem illum, de quo Apoc. 4. 10. 11. & paſſim.

7. In illis ſacrificiis addebantur thymiamata & aromata, quæ odorem ſacrificiorum reddebant gratum. In hoc lapis angularis ſacrificiis noſtris addit odorem ſacrificii ſui, ut per eum grata ſint Deo, ut indicat Apoſtolus hoc loco, & Johannes Apoc. 8. v. 3. 4.

8. Illud exuſtum eſt, hoc in æternum non exuretur nec diruetur. Sinit quidem Deus aliquando ignem caſtigationis & probationis injici, ut purgetur à reliquiis ſordium, ſed in medio illo igne eſt ſicut dumus ille Moſis Exod. 3. 2. uritur & non comburitur. Nam vis & vita illa quæ ex lapide angulari eſt in hoc ædificio, ſuperat & extinguit hunc ignem, ne conſumere poſſit. Liquefaciet quidem totum hoc templum per mortem temporalem, ſed inſtaurabit tamen.

9. Et poſtquam erit perfectè exſtructum & purgatum, tum transferetur hoc templum in aulam Regis. Cœlum cœlorum etiam vocatur domus Dei, Joh. 14. & paſſim. Eſt enim aula & palatium Regis magni, Hieroſolymæ quidem templum erat juxta

juxta aulam Regis, ſed tamen extra aulam. Dum templum hoc ſpirituale ædificatur, eſt in terra extra aulam Regis. Nam dum durat ædificatio, ſordes, quiſquiliæ, excrementa quoque durant, ſed ubi plene purgatum ac perfectum erit, tum transferetur in aulam Regis magni, i. e. in cœlum, ut ibi perpetua præbeat ſacrificia laudis in conſpectu Domini. Cum mundus cum omnibus ædificiis peribit, hoc ædificium transferetur in cœlum, & ibi æternum manebit. Non ceſſabit in cœlo unio & conjunctio fidelium cum Chriſto inter ſe. Quàm parum ceſſabit perſonalis unio duarum naturarum in Chriſto, tam parum etiam hoc ædificium ceſſabit.

10. Denique ſicut templum Salomonicum ſæpè implevit gloria Domini per formam fumi Exod. 40. v. 34. 35. 1 Reg. 8. 11. ita tum demum gloria Domini implebit hoc ædificium, & nunquam ab eo recedet, ut totum ſit conforme glorioſo lapidi angulari, Phil. 3. 21. O beati & iterum beati, quibus contingit huic lapidi ſuperſtrui, & fieri pars hujus æterni & glorioſi ædificii. Et quantum hoc largitur gaudium iis, qui verè hodiè per cœnam obſignati ſunt, & de ſua ſuper Chriſtum exſtructione certiores redditi.

De Secundo.

Officium hujus ædificii ſic deſcribitur: ædificamini ædificium ſpirituale, ad offerendum ſacrificia, &c. Et quod Petrus hic dicit οἰκοδομεῖσθε paſſivè, id Iudas v. 20. dicit active: ἐποικοδομοῦντες ἑαυτοὺς. Sed quomodo hoc requiritur à lapidibus, quod architectorum eſt? Quia jam tum ſumus ſuperſtructi lapidi angulari, & lapides vivi facti, cur porrò requiratur, ut nos ſuperſtruamus?

Reſp. 1. Architectorum eſt vos ſuperſtruere, ſed veſtrum eſt architectis non reſiſtere, eoſque non rejicere, operam eorum non negligere, ſed eorum manibus vos committere. Lapides in hoc ædificio ſpirituali ſe non habent merè paſſivè inſtar trunci & lapidis, ſed cum ædificantur, ædificant ſe, cum moventur, movent ſe. Hic enim eſt modus, quem magnus ille architectus Spiritus S. cum per inſtrumenta ſua ædificet, obſervat, ut moveat quidem lapides; verùm eo modo, ut eos faciat ſe ipſos movere. Eſt igitur ædificatio motus, qui non ſoltim ab architectis ſed etiam à lapidibus requiritur. Itaque cum architecti laborant fundamentum vetus, cui naturaliter inſiſtitis, evertere, ne pertinaciter illud retinete, ſed abſtrahite fiduciam ab eo: cum per inſtitutionem, ſeu docendo doctrinam de Chriſto, fundamentum ponunt, vos illam doctrinam libenter audite, diſcite, recipite: cum ſufficientiam Chriſti probatam vobis ob oculos ponunt, & ad fiduciam vos conantur movere, ponite fiduciam in eum: cum vobis ob oculos ponunt excellentiam Chriſti, & per eam conantur vos movere, ad amandum Chriſtum, amate eum: cum conantur bonis exhortationibus defricare veſtram malitiam, deponite eam: cum conantur animum veſtrum dejectum per ſolatium erigere, vos eum erigite & ſolatium admittite. Non debetis otioſè ſedere, dum eſtis in templo, ſed laborare & conari efficere illud opus, quod architecti veſtri in vobis efficere laborant & conantur.

2. Non tantum debetis vos ædificare, dum ædificamini à Paſtoribus veſtris, ſed etiam poſtquam ſuperſtructi eſtis, & ab architectis veſtris methodum & modum ædificandi didiciſtis, debetis vos privatim in hoc ædificio magis magiſque confirmare. Miſerum eſt, ſi nunquam digitum admovetis huic operi, quàm dum eſtis in concionibus, domi autem nihil agitis, ſed potius per exercitia levitatis & mundanarum deliciarum deſtruitis, quicquid veſtri paſtores concionibus ſuis in veſtris animabus ædificârunt, & iterum erigitis quod illi deſtruxerunt. Habet diabolus ſuos emiſſarios, non tantùm falſos doctores, ſed etiam in quotidiana converſatione profanos corruptores, qui ſuam operam diabolo locârunt, ut adulationibus & ſeductionibus ſuis ſe opponant labori piorum ædificatorum, & dejiciant quantum illi ædificant. Ab his cavere debetis, & è contrario precibus vos commendare Deo, qui potens eſt ad vos ædificandos, Actor. 20. 32. itidemque ſacris lectionibus ac meditationibus & ruminationibus, piiſque converſationibus opus ædificationis, in publico cœptum, privatim die noctuque proſequi & pertendere Eph. 2. 29. Dicite & facite quicquid utile eſt ad neceſſariam ædificationem.

3. Vos non tantùm conſtituti eſtis ad hanc domum ædificandam, ſed etiam ad colendam, vel incolendam & inhabitandam, id quod etiam vocatur ædificatio, Gen. 2. 15. Poſtquam exſtructum eſt hoc templum, mittitur veſtræ curæ & inſpectioni, ut illud cuſtodiatis purum, & accommodetis ad uſus Domini. Facti eſtis caſtellani & œconomi hujus ædificii. Veſtri igitur officii eſt obſervare quod dicitur, 1 Theſſ. 4. 4. & illud grave quod eſt 1 Cor. 3. v. 16.

hendere & pedibus manibuſvè eam tenere neceſſe eſt; ſicut nemo ſervabatur niſi qui erat in arca Noë: ita nemo ſalvatur niſi qui eſt in Chriſto. Vide Rom. 8.1. Joh. 15.4. Phil. 3. 9. *Object.* Atqui Iſraëlitæ ſalvabantur, ſi modò adſpicerent ſerpentem æneum. *Reſp.* Per hoc adſpicere ſerpentis non repræſentatur nuda contemplatio Chriſti, ſed verum confugium ad Chriſtum, vera apprehenſio Chriſti. Talis enim adſpectus, quo quis æger reſpicit ad medicum, includit confugium & deſiderium opis cum fiducia, per quam Chriſto inſerimur.

DE SECUNDO.

Sicut in ſolo Chriſto eſt vis, & potentia ſalvandi, ita ſolus Chriſtus habet poteſtatem & authoritatem ſalvandi. *Neque enim aliud eſt nomen datum,* &c. Poteſt hoc quoque accipi tanquam ratio prioris. Non eſt in alio ſalus. Ratio: quia nulli alii data eſt poteſtas & authoritas ſalvandi. Quem Deus non dedit & nominavit ac conſtituit hominibus in ſalvatorem, is non poteſt ſalvare. At neminem niſi Chriſtum. E. Nemo poteſt ſalvare peccatores, niſi quem pater unxerit, ordinaverit, nominaverit, obſignaverit, quemque fecerit ſalvatorem ac principem ad dandam Iſraëli converſionem. Habet enim Deus Pater poteſtatem peccata noſtra in nobis ipſis puniendi, nec poſſibile eſt nos poſſe evadere pœnam peccatorum noſtrorum, niſi ipſe Deus, quem peccatis læſimus, noſtri miſereatur, & cogitationes ſalutis erga nos induat, & aliquem nobis largiatur mediatorem, cujus vi & juſtitiâ ſalvemur. Johan. 3. 16. Jam autem neminem Deus conſtituit, nemini dedit hoc nomen, neminem unxit, nemini hanc poteſtatem conceſſit niſi ſoli Chriſto Actor. 5. 31. & 10. 13. Johan. 6. 27. Hic ille vir quem Deus conſtituit Actor. 13. v. 38, 39. Act. 17. v. 31. Hic ille ſervus electus, cujus manu propoſitum Domini ſuccedit, Eſa. 53. Hinc dicitur ſe non ingeſſiſſe, ſed vocatus eſſe ſicut Aaron Hebr. 5. 3. Ergo extra hunc nulla ſalus eſt. Chriſtus ſolus eſt, inquit Apoſtolus, *Per quem oportet ſalvari.* An igitur omnes homines oportet ſalvari, an incumbit ipſis neceſſitas ſalutis? *Reſp.* Senſus eſt:

1. Quicunque vult ſalvari, illum oportet per Chriſtum ſalvari. Eſt neceſſitas conditionalis. Sicut: Si quis vult in Angliam proficiſci, illum oportet navem conſcendere, nec datur alius modus eundi. Sic ſi quis vult ſervari, illum oportet per Chriſtum ſalvari. Si quis volebat ſervari à diluvio, illum oportebat intrare arcam. Sic, &c.

2. Chriſtus eſt illud nomen, i. e. Vir ille conſtitutus ad ſalvandum, qui omnibus proponitur & annunciatur cum mandato, ut in illo ſalutem quærant, Actor. 17. 30. & qui nolunt, iis novam comminatur pœnam Deus. Non eſt liberum hominibus in Chriſto ſalutem quærere vel non, verùm neceſſarium officium eſt, ad quod obligati ſunt per legem fidei. Euangelium nova lex. Per violationem legis perimus. Sed ſi etiam Euangelium & Chriſtum rejicimus, non tantùm non liberabimur ab ira, ſed duplicamus iram, & Gomorrhæ ac Sodomæ tolerabilius erit in die judicii, quàm nobis.

APPLICATIO.

Diſcamus in ſolo Chriſto ſalutem quærere. Nam extra hunc ſalus non eſt. Quid opus fuiſſet Chriſtum mori, quid opus Apoſtolos tantopere laboraſſe ad convertendos homines ad Chriſtum, ſi ſine Chriſto potuiſſent ſalvari. Non igitur ſalus Turcis, Ethnicis; Judæis, Philoſophis quantumcunque honeſtis. Sunt enim in diluvio & carent arcâ quâ ſalventur. Unus mediator inter Deum & hominem Eph. 4. 4. 5. 1 Tim. 2. An igitur omnes Chriſtiani ſalvantur? Illi enim omnes ſalutem in Chriſto quærunt? *Reſp.* Utinam hoc verum eſſet! Sed, proh dolor! nimis verum eſt, quod Catechiſmus noſter dicit quæſt. 30. quod ſcilicet facto Chriſtum abnegent, quamvis ore de Chriſto glorientur. Vide Matth. 7. *Non omnes qui dicunt Domine, Domine,* &c. Ii, contra quos Paulus diſputat in epiſt. ad Romanos & Galatas, erant utique Chriſtiani, & tamen de iis rotundè dicit, quod Chriſto & gratiâ exciderant, Gal. 5. 4. Sicut non omnes erant Iſraël, qui ſecundum carnem Iſraël, Rom. 9. ita non omnes veri Chriſtiani qui Chriſtum profitentur. Sed multi ſub Chriſtiano nomine doctrinam & vitam gerunt minimè Chriſtianam. Nam

1. Qui negat Chriſtum vivum & eſſentialem Dei Filium, qui in carnem venerit & caro factus ſit, is expreſsè damnatur, quod ſit Antichriſtus, 1 Joh. 2. Et quomodo is poteſt in Chriſto omnem ſalutem quærere, qui negat Chriſtum eſſe verum Deum & hominem, qui ſe Patri in ſacrificium pro peccatis noſtris obtulerit: Hinc tales expreſsè dicunt ſe non opus habere tali mediatore qui pro peccatis ſatisfaciat & cum Deo reconciliet, cum nuda Dei miſericordia ſufficiat. Habent Chriſtum pro nudo

homine,

homine, qui nil aliud ad ſalutem noſtram contulerit, quàm communis quiſpiam doctor aut martyr.

2. Qui negant Chriſti juſtitiam & merita eſſe perfectam ſatisfactionem, quâ ſolâ peccata noſtra ſint expiata & vita nobis procurata, ſed propriis ſatisfactionibus peccata expiare & propriis meritis vitam acquirere ſatagunt, multoſque alios mediatores & intereeſſores ſibi eligunt. Nonne hi ſunt tales de quibus dicitur, quod juſtitiam Dei quæſiverint & non attigerint, Rom. 9. 31. 32. quod Chriſto & gratiâ exciderint, Gal. 5 4. Sunt ſicut qui in naufragio conſtituti repudiant oblatum auxilium eorum, qui in navi ſunt, volentes propriis enatare viribus. Et non tantùm in ſe ipſis, ſed in ſanctis & aliis ſalutem quærunt. Hoc eſt reverâ ponere aliud fundamentum, quàm poſitum eſt.

3. Qui nolunt exercere talem fidem, per quam Chriſtum ſibi applicent, ei inſerantur & ſuperſtruantur. Diximus & probavimus ſupra, quod ſalus dicatur eſſe in Chriſto, quod nemo ſervetur niſi qui ſit in Chriſto, Chriſto verè unitus ac inſitus atque ita habens & tenens juſtitiam Chriſti. Jam autem nullum aliud eſt medium, quo Chriſto inſerimur, quàm per fidem talem, quæ, intimo miſeriæ ſenſu accenſa, firmâ fiduciâ Chriſtum amplectitur, & per ſtudium veræ gratitudinis ſe manifeſtam reddit, & per verum amorem hominem Deo agglutinat, aſſerente Paulo Gal. 5. 6. In Chriſto nihil valet, i. e. nihil valet ad nos in Chriſtum inſerendum niſi fides. Per fidem habitat Chriſtus in nobis Eph. 3. v. 17. per fidem ædificamur ſuper fundamentum Prophetarum, Eph. 2. 20. Sicut Judæi per infidelitatem decerpti ſunt, ita gentes per fidem inſeruntur, Rom. 11. 20. Quandoquidem itaque non niſi per talem fidem poſſumus eſſe in Chriſto, clariſſimè inde ſequitur.

1. Eos non quærere ſalutem in Chriſto, qui veram fiduciam cordis in Chriſtum repoſitam damnant ac improbant, vel reponere recuſant. Negant Chriſtum eſſe noſtram juſtitiam, ajuntque eſſe tantum cauſam noſtræ juſtitiæ, ſcilicet noſtræ fidei, noſtrorumque operum, negant firma fiduciâ cordis recumbendum eſſe in alienam juſtitiam, immò talem fiduciam damnant tanquam inanem præſumptionem.

2. Sequitur etiam eos non verè ſalutem in Chriſto quærere, qui loco talis juſtitiæ contenti ſunt carnali imaginatione, quæ non proficiſcitur ex corde verè contrito, & proinde conſiſtit cum vita licentioſa & immorigera præceptis Dei. Qui tales ſunt, ſalutem ſuam non quærunt in ſolo Chriſto, quantumvis Chriſtum ore profiteantur. Caveamus igitur hos errores, & dicamus quod Apoſtolus dicit, Phil. 3. 8. 9. Nihil æquè æſtimemus, nulla de re æquè gaudeamus, atque quod Chriſtum habeamus. Si hunc habes, nihil eſt ſi cæteris omnibus careas. Si non habes, nihil eſt ſi cætera omnia habeas. Ne putemus in omnibus religionibus ſalutem dari, quæ modò aliquid Chriſti profitentur. Nam ſub & cum externa profeſſione Chriſtianiſmi juncti eſſe poſſunt mortiferi errores, qui Chriſtum nobis reddunt inutilem, Gal. 5. 2.

Actor. 4. à v. 12. ad 21.

CONCIO LI.

Repetantur quæ dicta ſunt de Connexione ſupra Conc. III. hujus capitis ſub initium. Abſolvimus Apoſtolorum Apologiam: Sequitur hujus Apologiæ effectum duplex. Habuit enim hæc Apologia & totum illud, quod Apoſtolis ſuper hoc miraculo contigit, ſuum effectum. 1. In illis qui erant de concilio. 2. In illis qui erant extra concilium. Quid hæc Apologia in ipſum Concilium, coram quo Apoſtoli ſtabant, operata ſit, deſcribitur verſibus prælectis, & reſolvitur in hæc quatuor membra.

1. Primum eſt ipſorum commotio, quam ex hac apologia hauſerunt. Fuerunt enim hac apologiâ mirum in modum alterati, ut loquimur, ſeu commoti: v. 13. 14.

2. Secundum eſt Conſultatio, quam poſt auditam hanc apologiam inter ſe ceperunt, v. 15. 16.

3. Tertium eſt Decretum, quod ſuper hac cauſa formarunt, v. 17.

4. Quartum eſt executio hujus decreti, & quomodo illa ab Apoſtolis recepta ſit, vel potius rejecta & oppugnata, & quid hanc rejectionem ſecutum ſit, ſeu quis tandem fuerit totius rei eventus, v. 18. 19. 20. 21.

A. Effectus apologiæ conſiſtit in eo, quod vehemens alteratio ſeu commotio corripuit eos, qui erant de concilio. De hac alteratione duo habet textus:

1. Qualis fuerit illa alteratio ſeu commotio: Fuit admiratio & confuſio vel obſtupefactio tanta, ut non haberent, quod contradicerent vel reſponderent Apoſtolis v. 13. & 14.

2. Ex quibuſnam cauſis iſta alteratio fuerit orta? Tres cauſæ allegantur; Videbant in hominibus

bus indoctis & idiotis tantam libertatem dicendi, v. 13. Agnoſcebant eos quod eſſent è diſcipulis Ieſu, quem nuper crucifixerant, *ibid.* Miraculum adeò certum, & indubium erat, ut negari non poſſet. Videbant hominem qui fuerat claudus, ipſis adſtantem perfectè ſanum.

Ad explicationem hujus membri ſequentia notanda:

I. *Ἐθαύμαζον καὶ οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν.* Fuit tanta admiratio, quæ os ipſis occluſit. Admiratio non eſt mera actio intellectus. ſed potius affectus. Vide Conc. 5. cap. 3. Erant homines docti, exercitati, & fortè non minus arguti & ſagaces ac quiſquam Ieſuitarum, & tamen ita confunduntur, ut nil habeant quod reſpondeant. Recta prædicatio verbi non tantùm regenerat & ſanctificat humiles & contritos corde, ſed etiam præfractos & pervicaces commovet & concutit. Exempla habes in Herode, Marc. 6. 20. Felice Actor. 24. 25. Feſto & Agrippa, Actor. 26. 24 & 28. Rationes hujus doctrinæ ipſe textus noſter indicat tres.

1. Prima ratio eſt parrheſia miniſterii. Etſi ſunt homines pravi & perverſi, tamen ſunt homines rationales & rationis capaces, ideoque neceſſariò afficiuntur oratione, quæ ſapit rationem & ſapientiam. Hæc enim propria differentia eſt inter animal rationale & irrationale, quod illud afficitur & movetur oratione rationali, hoc verò non movetur. Quamdiu igitur homines ſunt, nec planè obbrutuerunt, nec humanitatem omnem depoſuerunt, nec omnem ſenſum & rationem exuerunt per ſenſuales libidines, neceſſariò afficiuntur & moventur per parrheſiam, i. e. orationem plenam ſapientiæ & libertatis. Duplex eſt parrheſia: 1. Communis Eccleſiæ, & 2. peculiaris Miniſterii. Prior eſt firma fiducia, quæ homines fideles reddit intrepidos erga Deum & homines. Erga Deum, ut non reformident ingenuâ & filiali libertate & familiaritate uti erga Deum, cumque accedere ut patrem. Talis eſt illa Hebr. 14. 16. Eph. 3. 12. quæ alioquin appellatur *πληροφορία* Hoc illud Prov. 28. 1. Erga homines, ut non reformident palam profiteri coram hominibus ſuum erga Deum affectum, & intrepidè ſubire perſecutiones, quæ iſtam confeſſionem ſequuntur. Talis eſt illa de qua Hebr. 10. 35. Pſal. 116. *Credidi, ideò locutus ſum.* Dico eſſe firmam fiduciam. Non enim eſt omnium fidelium, ſed eorum qui habent fidem firmam. Omnes fideles tenentur eam quærere, & peccatum eſt non habere, ſed tamen omnes non habent. Poſterior parrheſia quæ miniſtris peculiaris eſt, eſt ſapiens zelus in prædicanda lege & Euangelio ad reprehenſionem mali & commendationem boni & veri, quod quidem ex verbo Dei *πεπληροφορημένων*, Luc. 1. v. 1. Hæc illa parrheſia, de qua Actor. 28. 31. Eph. 6. v. 19. Deſcribo quod ſit zelus ſapiens. Duo enim hæc ſunt in omni vera parrheſia: 1. Claritas, perſpicuitas ac prudentia. Sic ſumitur illa vox. 2 Cor. 3. 12. non tam obſcurè loqui ut Moſes. 2. Libertas & ingenuitas, ne per adulationem vel per metum reticeamus veritatem neceſſariam Eſa. 58. 1. Ubi igitur miniſterium hac parrheſia præditum, neceſſe eſt commoveatur quicunque illud audit, ſi non planè omnem humanitatem exuit, Præcipuè hæc parrheſia ideò tantopere movebat ad admirationem, & ſtuporem, quod eſſet in hominibus idiotis & indoctis. Idiotæ i. e. ſine auctoritate & nobilitate generis, Et præterea indocti. Homines mundani & ſecundum mundum ſapientes delectantur ſtudiis & eloquentiâ eruditâ, & hominum in auctoritate conſtitutorum orationibus facilè moventur, Actor. 12. 21. 22. Et hoc nil mirum, quia talem habent palatum cui hæc fercula bene ſapiunt. Eruditionem & magnam auctoritatem homines mundani æſtimant, & quia hæc in Apoſtolis non erant, nihil ab ipſis exſpectabant, quod movere poſſet. Cum autem inopinatò in Apoſtolis tantam deprehendunt parrheſiam, magis per illam moventur, quàm ſi fuiſſet in hominibus doctis ac magnis. Ratio: Quia hoc arguebat peculiarem aſſiſtentiam Dei, & impletionem illius, quod Chriſtus Apoſtolis promiſerat, Luc. 21. 15. Divina ſimplicitas in ſtylo Theologorum eſt tam efficax ad movendum. Non oratoria eloquentia, ſed Spiritus S. ſimplicitas. Quantumvis mundani ſapientes ſcandalizentur tenuitate miniſtrorum, & ſimplicem eorum ſtylum faſtidiant, tamen eo ipſo fortius moventur. Eſt enim ſtylus Spiritus S. qui etiam cum faſtidio auditus tamen operatur in corda auditorum, etiam nolentium. Sicut infantes pultem ſæpe recipiunt cum nauſea, & multa recuſatione, & tamen puls recepta ſapit & nutrit, ita mundani verbum ſæpe audiunt cum contemptu ac faſtidio, & tamen auditum movet & operatur. Sicut animoſo equo injicitur frænum & capiſtrum tenue, quod præ contemptu mandit & mordet atque ita linguam vulnerat & domatur; ita Deus tenues homines vocavit ad miniſterium, qui ſimplici & tenui ſtylo magna libertate verita-

tem & peccata denunciant hominibus turgidis & humana ſapientia repletis, 1 Cor. 1. 13. Hunc contemptibilem prædicandi modum homines, ſecundum mundum ſapientes, mandunt & mordent, ſed mandendo & mordendo ſeipſos vulnerant. Sicut piſcis hamo tactus multa obluctatione hamum tanto profundius ſibi ipſi injicit & infigit; ita iſti homines ſimplex Dei verbum in ore volvendo ut contemptim traducant, hoc ipſo vulnerantur, & domantur. Etſi enim multi per verbum non regenerantur, ut Euangelium ament, tamen domantur ut feroces equi, ne Euangelium perſequantur.

2. Secunda ratio, unde venit, quod prædicatio verbi etiam in impiis habet aliquam operationem, eſt hæc: quia verbo prædicato cooperatur mala impiorum conſcientia. Sicut impii habent rationem, ita habent conſcientiam, niſi planè ſint ex numero eorum, qui conſcientiam habent cauterio reſectam. Cum autem prædicatio verbi rationem movet & rapit in admirationem magnalium Dei, quæ in verbo prædicantur, tum illicò conſcientia cooperatur, & reducit in memoriam quæ commiſſa ſunt, & quibus Deus offenſus eſt. Cum autem Majeſtas & magnalia Dei in verbo prædicata, & magnitudo peccatorum per conſcientiam repræſentata concurrunt, inde neceſſariò exiſtit magna commotio cordis. Sicut in corpore, ſi verberes membrum aliquod ſanum, non tantopere commoves; ſed ſi fuſtis verberans incidat in partem læſam, tum vulnus partis cooperatur verberanti fuſti, & fit dolor vehemens: ita cum verbum incidit in malam conſcientiam, facilè movet. Sic erat cum his hominibus. Cum Petrum audiunt tam liberè diſſerentem, illicò conſcientia ſuggerit: En hi diſcipuli ſunt, qui fuerunt cum Ieſu, quem vos crucifixiſtis. Conſcientia facit ut agnoſcant quod eſſent diſcipuli Ieſu, qui hoc fecerant. Sicut de Herode legimus, Matth. 14. 1. 2. quod, cum audiret famam Ieſu, i. e. doctrinam & miraculum Ieſu, dixerit ſervis ſuis: Eheu hic ille Baptiſta Iohannes, quem ego occidi, reſurrexit, & ideò hæ virtutes operantur in illo: Sic hi, cum eos, qui ita loquebantur, agnoſcerent eſſe diſcipulos Ieſu, illicò ſuſpicantur Ieſum ſurrexiſſe ex mortuis, & ideò has virtutes operari in illis. Metuant igitur ſibi, qui ut pietatis ſpeciem habeant coram hominibus, verbum audiunt, & tamen contra admonitiones verbi in peccatis pergere decernunt. Si propter pervicaciam veſtram verbum vos non ſanctificavit, certè tamen turbabit, & hæc turbatio conſcientiæ veſtræ non deſinet, ſed ſaliet uſque in infernum, ibique evadet in vermem rodentem & in ignem inextinguibilem.

3. Tertia cauſa erat claritas facti. Videbant adſtantem eum, quem ſciebant fuiſſe claudum, & jam videbant perfectè ſanatum. Optimum κηροφύγειν, quo impii ſolent vim verbi elidere, eſt negare factum, negare vel excuſare quod exprobratur. At hic res tam clara erat, ut negari non poſſet. Senſibus enim diſcernebatur. Qui factum fuerit, ut hic ſanatus Apoſtolis in Iudicio adſtaret, dubitant interpretes: Alii putant quod citatus ſit à Iudicibus, qui non Apoſtolis modò indignabantur, qui miraculum fecerant, ſed etiam illi in quo factum erat. Sicut Lazarum volebant occidere, propterea quod à Chriſto ſuſcitatus eſſet, Iohan. 12. 10. adeò ut hic exemplum foret hujus doctrinæ, quod qui beneficium à Chriſto volunt accipere, propter Chriſtum debeant perſecutionem ſubire. Alii putant ſponte ſecutum eſſe Apoſtolos, ut eos ſuo teſtimonio in hoc periculo adjuvaret, atque ita nobis exemplum dediſſe veræ gratitudinis, quam debemus iis à quibus beneficia accepimus, in tantum, ut etiam periculum non debeamus detrectare, ut ipſis prodeſſe poſſimus. Sed nos inſiſtimus ſcopo. Docere vult Euangeliſta, Iudices iſtos evidentia rei, ob quam accuſabantur & reprehendebantur ab Apoſtolis, ita fuiſſe obſeſſos, ut nec negationi, nec exceptioni, nec excuſationi ullus locus eſſet. Homines natura admodum proni ſunt ad excuſanda quæ exprobrantur, & quamdiu illi excuſationi, negationi vel exceptioni locus eſt, non tacent. At hic evidentiâ facti ita erant conſtricti, ut planè non haberent quod reponerent, id quod neceſſariò maximopere illos commovit & confudit. Tertium itaque & ultimum, quod auditores verbi tantopere movet, eſt evidentia & claritas rei quæ prædicatur. Non prædicamus fabulas, nec Legendas, nec hiſtoriolas dubias, ſed myſteria & officia in quibus Dei ſapientia, bonitas, miſericordia, juſtitia, potentia, &c. ita lucet & ſplendet, ut qui rectè audit, non poſſit non fateri, divina eſſe quæ prædicamus, & talia quæ hominum cerebrum excogitare non potuiſſent. Scio quid hîc nobis obmurmurent noſtri homines: Si veſtra parrheſia, quâ in myſterio veſtro utimini, ſubnixa eſſet tali evidentiâ, ut homines non haberent quod contradicerent, bene haberet, ſed hoc non eſt, neque quantum ad dogmata veſtra, neque quantum ad reprehenſiones veſtras. Profertis quidem multa dogmata

gmata, quæ videmini ex Scripturis confirmare. Sed veſtri adverſarii nôrunt tot probabiles exceptiones vobis objicere, ut cauſa veſtra non ſit adeò evidens. Querimini quidem de graſſantibus peccatis, & auditores accuſatis ac reprehenditis, ſed quod nos, quos reprehenditis, in templo tacemus, non eſt inde, quod non habemus, quod reſpondeamus. Si quem noſtrûm particulariter adoriamini, habebimus, quod reſpondebimus, & quo nos ita purgabimus, ut vobis os ſimus occluſuri, nec facilè quenquam hujus vel illius peccato, contra quod adeò debacchamini, ſitis convicturi. Adeoque, quia evidentia vobis illa deeſt, quam in hoc caſu habebant Apoſtoli, veſtrâ parrheſiâ nil aliud efficitis, quam quod turbas datis, & homines bonos aliis redditis ſuſpectos, ut ſanus foret vos tacere. Sed heus boni viri, quandoquidem hæretici & vos à Diabolo didiciſtis artem errores & maleficia veſtra ita tegendi, palliandi & excuſandi, ut malitia veſtra coram hominibus non ſit ſemper ſatis evidens, an ideo nos veritatem, juſtitiam & ſanctitatem debemus deſtituere omni patrocinio? Immò tantò acriores & vehementiores debemus eſſe in malis veſtris accuſandis & reprehendendis, quantò vos aſtutiores in illis occultandis. Injuſtitia, ſuperbia, luxuria, oppreſſiones, rapinæ, negligentia boni publici, particularis commodi ſtudium, corrupta gubernatio, vindictæ cupiditas, avaritia, adulteria, &c. graſſantur publicè, omnibus videntibus, omnibus fatentibus, ſed unuſquiſque ſua vitia ita palliat, & tot excuſationibus ſe munit, ut neminem poſſis ita convincere, quin habeat quod contradicat. An ideò nos tacere debemus? Si eſſes verus oſor peccati, non tam ægrè ferres reprehenſiones peccati, ſed gauderes ſpeculum verbi tibi indies ob oculos poni, ut examinare te poſſis. An vos dicitis, quod nos vos ſuſpectos reddamus apud populum? Nos dicimus, quod populus vos reddat ſuſpectos apud nos. Veſtri collegæ, veſtri concives, veſtri confratres, veſtri contribules queruntur de vobis, & *referunt* de vobis tam horribilia facta, ut aures *noſtræ tinniant*, ut non habeamus quicquam quo *ullo pacto* excuſemus, etiamſi velimus, non habemus, quod contradicamus. An igitur tacendum nobis, non reprehendenda peccata, non admonendæ omnes perſonæ, cum ex familia Chloës ad nos deferuntur, 1 Cor. 1. v. 11. *Object.* Noſtri collegæ, concives, &c. ſunt ſæpe homines paſſionibus ſuis ſervientes, ſuſpicaces indulgentes odio, nimis præciſi queruli, rem exaggerantes præter meritum, &c. *Reſp.* Noſtrum non eſt, vel vos vel illos juſtificare ab his quæ dicitis, ſed finis hujus diſceptationis ſit hic: 1. Miniſtris vitio verti non debet, ſi plus credunt iis, quorum pietatem & zelum pro gloria Dei habent perſpectam, quàm iis, quorum diſſoluta vita omnibus nota eſt. Fatemur hunc eſſe morem miniſtrorum piorum, ut piorum querelis multum credant, quamvis non ſic, ut neceſſariam prudentiam locum habere non ſinant ac cautionem. Paulus iis qui erant de familia Chloës, tantum detulit, ut eorum delationi ac querelæ acrem reprehenſionem ſuperſtrueret. 1 Cor. 1. 11. 2. Quantumcunque mali ſunt qui hæc ad nos deferunt, facilè tamen ad hoc ſatis boni ſunt, ut eorum querelæ atque gemitus de vobis non ſolùm nobis debeant eſſe occaſio reprehendendi & monendi, ſed etiam reprehenſiones noſtræ, talibus querelis ſuperſtructæ, vobis debeant eſſe occaſio & calcar faciendi quod ſequitur:

1. Ut vos ipſos in examen vocetis, an verum ſit nec ne, de quo aliis eſtis ſuſpecti. Unuſquiſque Chriſtianorum debet conſiderare, quod hæc ſit, communis noſtra depravatio, ut facilè in alterius oculo videamus feſtucam, cum trabem in noſtro non animadvertimus, Matth. 6. Quandoquidem itaque tam cœci ſumus in propriis defectibus, tanto plus amare debeamus aliorum reprehenſiones, ut habeamus ſpeculum, quo nos contemplari poſſumus, præſertim ſi ſit homo juſtus, quem ſcimus nos monere bonâ intentione. Etſi fieri poſſit, ut fallatur, dignus tamen eſt cujus admonitio ad examen nos impellat, Pſal. 141. 5.

2. Ut vos apud Deum excuſetis. Si homines injuria vos reprehendunt & accuſant, quid conſilii? an ut jurgemini cum illis? nil prodeſt. Ite ad Deum & vos excuſate. Facite ut David, Pſal. 7. 4. 5. 6. An ita audetis dicere ut David eo loco? Si audetis, & ſine hypocriſi facitis, ego vobis promitto, Deum veſtram innocentiam non minus ſuo tempore per omnigenam benedictionem ſuper vos & poſteros veſtros eſſe manifeſtaturum, quàm fecit Davidi & promiſit omnibus piis, Pſal. 37. 6.

3. Si per reprehenſiones tales an examen veſtri ipſorum adacti non convincimini, quod tale quid feceritis, convincamini ſaltem, quod tale quid facere poſſitis, quod poſſitis in illud peccatum incidere. Cum igitur auditis reprehenſiones hujus vel illius peccati, & nos ipſos agnoſcitis innocentes,

etiam

etiam poſtquam vos probâſtis, ne mordete reprehendentes, ſed abjicite vos ad pedes Dei, agnoſcite & confitemini veſtram imbecillitatem, dicite: O Domine, hæ quidem reprehenſiones, quas à miniſtris tuis audivi, me non convincunt, quod hæc peccata commiſerim, ſed tamen quod incidere in ea poſſim, niſi tu me cuſtodias. Itaque te precor, præveni me tua gratia, ne induc in tentationem, ſed fac ut iſtæ reprehenſiones me præmuniant, ne incidam in id, de quo hominibus injuria ſuſpectus ſum. Reprehenſiones noſtræ non tantùm fiunt ad corrigendum, ſed etiam ad præſervandum. Si hunc in modum parrheſiam miniſtrorum uſurpaveris, longè ſatius erit, quàm ſi eam cupias ſublatam & occluſam, ut ita Eccleſia privetur ſuo ſale, quo à corruptione præſervatur.

Atque ita videtis confirmatam hanc doctrinam, quod verbum ritè prædicatum non tantùm operetur in animis piorum veram ſanctitatem, ſed etiam animos impiorum, qui impii ſunt & manent, vehementer poſſit concutere ac commovere. Utilitates hujus doctrinæ ſunt ſequentes:

1. Ne acquieſcas in omni commotione animi, quam ſentis ex prædicatione verbi, nec eam habeas pro ſigno cordis boni. Nam & malorum corda moventur per verbum. Ea demum commotio animi, per verbum facta, vera eſt & ſancta ac ſalvifica, quæ animum ita mutat, ut fiat cor novum, & pariat peccati confeſſionem, & ſollicitam vitæ emendationem, id quod hæc commotio horum judicum non peperit, ut poſtea patebit.

2. Qui per verbum vocati ſunt, & illud audiunt, intelligunt, quàm parùm ſint excuſabiles, quod manent in malitia & non convertuntur. Deus certè ſtat ante oſtium & pulſat, non tantùm externo ſonitu, ſed etiam interno motu, & interna concuſſione cordis, informans intellectum, convincens conſcientiam, rapiens affectus in ſtuporem & admirationem ſuper cœleſti veritate adeò, ut nihil deſit quin fiant Chriſtiani verè converſi, niſi quod mera malitia & pertinacia claudit januam, ne Chriſtus pulſans intromittatur. *Object.* At etiam hæc interna commotio & concuſſio cordis ſecundum Reformatos, non eſt gratia ſufficiens ad converſionem, ſed requiritur gratia efficax & irreſiſtibilis, ut ſe convertere poſſint. *Reſp.* Sepoſitis omnibus diſtinctionibus, quibus hæc quæſtio expediri ſolet, breviter ita dico: Etſi non eſt ſufficiens, ut ſe ſine ulteriori gratia Dei convertant, tamen eſt ſufficiens ad hoc, ut Deus illos propter converſionis neglectum juſtè accuſet atque condemnet. Hæc enim pulſatio & commotio ſignum eſt ac demonſtratio evidens, quod non in Deo, ſed in ipſis cauſa ſit, propter quam non ſalvantur.

3. Miniſtri commendatam ſibi habeant parrheſiam. Hæc enim ſal terræ. Si non omnes convertunt; tamen illos etiam confundunt, quos non convertunt, eoſque eo uſque commovent, ut multa omittant, & multa faciant ſicut Herodes, & præſertim ne verbum & Eccleſiam ita intrepidè perſequantur, & ut ultimo die gloria divinæ juſtitiæ in ipſorum condemnatione tanto ſit illuſtrior & evidentior. Sit quoque omnibus fidelibus commendatum ſtudium illius parrheſiæ de qua ſupra ex Hebr. 4. & 10. Sit quoque Magiſtratibus commendatum ut in libera Republica locum habeat vox libera, per hanc enim Deus tales Reſpublicas vult regere. Hactenus commotio judicum: ſequitur conſultatio, quam hac admiratione turbati inter ſe ceperunt de remedio. Cum non poſſent Apoſtolis in faciem aliquid regerere, juſſerunt eos ſecedere. Illis digreſſis Præſes Synedrio propoſuit quæſtionem, quid faciendum, cum factum ſit adeò clarum, ut negari non poſſit, v. 15.16. q.d. aut aliquid ipſis faciendum, aut nihil. Si nihil facimus, & ita ſimpliciter dimittimus, juſtificamus totam illam cauſam Ieſu, quem crucifiximus, exponimus nos ludibrio populi, quod homines innocentes captivos duxerimus, & tota plebs deficiet ad ipſorum dogmata. Si eos punimus, periculum eſt à populo, quia ſignum & ſupernaturale miraculum ab ipſis factum eſſe, tam manifeſtum eſt, ut negari non poſſit? Stulta profectò & impia quæſtio. Confitentur manifeſtum eſſe quod aliquid divinum per hos homines factum ſit. Et tamen quærunt quid jam faciendum? An dubium eſſe debet, utrum homines à Deo miſſi ſint recipiendi & honorandi, an verò opprimendi & puniendi? Sed morbus horum hominum ſciendum eſt. Torquet ipſos non metus Dei, ſed metus populi. Parùm curant ut Deo placeant. Hoc unicum eſt quod quærunt, ut ſe aliquo pacto extricent, ne apud populum incurrant in indignationem & infamiam. Ideo cum carne & ſanguine conſultant. Nam qui gloriam & favorem quærunt apud homines, non poſſunt credere in Deum, nec ſe erga Deum rectè gerere. Ne imitemur, ſed ſi ex Deo eſt cauſa quæ nobis aut noſtris affectibus adverſatur, ſubmittamus nos, & potius apud homines pudefiamus quàm apud

apud Deum, ſi aliter fieri non poteſt. O quàm multi ſunt qui hoc morbo moriuntur. Convicti ſunt, cauſam, quam defendunt, non valere, & tamen ne apud homines pudefiant, omni ope eam proſequuntur.

Hæc conſultatio. Quid tandem concludunt, & quid remedii adhibent? Negari non poteſt, & tamen opprimi debet. Quid igitur remedii? Vt oblivione mergatur. Hoc fine ſeverè interdicemus, ne amplius prædicent in nomine Ieſu v. 17. Si non amplius fiat, facile in oblivionem veniet quod factum eſt. Hæc propria ars Diaboli. Non poteſt efficere ne Chriſtus ſit, ne ſe manifeſtaverit. Sed hoc tamen curat, ut quod factum eſt, ſepeliatur calumniis, traditionibus falſis, oppreſſionibus & perſecutionibus Scripturæ & miniſtrorum. Hoc dat operam, ut modò non prædicetur Chriſtus, vel falsò & corruptè prædicetur. Quid vanius hoc conſilio? Pſal. 2. 1. Et tamen hoc remedio ita ſibi placent, ut ſtatim in executionem deducant, & Apoſtolis ſuum decretum annuncient. Conſilia impiorum, quantumvis vana & abſurda, tamen mirum in modum ipſis placent. Sunt enim ſuperbi, quibus omnia propria placent. Itaque properant ea reddere manifeſta, ſperantes ſe ſapientiſſimos audituros in mundo.

Actor. 4. *à v.* 19, 20, 21, 22.

CONCIO LII.

VIdeamus jam, quomodo hoc Decretum Apoſtolis annunciatum ab Apoſtolis ſit receptum. Apoſtoli recuſant obedire decreto annunciato, & recuſationem ſuam excuſant duobus graviſſimis argumentis:

1. Non poſſumus vobis plus obedire quàm Deo. Deus mandat prædicare Chriſtum, Matth. 28. v, 19. Iohan. 15. v. 15. Actor. 1. v. 8. Obſerva: Qui Apoſtolis injunxit prædicationem Euangelii, eſt Deus. Chriſtus injunxit. E. Chriſtus eſt Deus. Hoc argumentum ſumma cum modeſtia proponit, ut dignum magiſtratibus honorem non detrectet.

2. Quod vidimus & audivimus, non poſſumus tacere. Cur non? annon licet ſubinde tacere, quod vidimus & audivimus? *Reſp.* Licet, cum charitas erga proximum ita poſtulat, & gloria Dei ſermonem noſtrum non requirit. Charitas ſæpe poſtulat, ut tacendo tegamus infirmitates proximi, & gloria Dei non impedit, Proverb. 10. v. 12. 1 Petr. 4. v. 8. Matth. 1. v. 19. præſertim infirmitates ſuperiorum non ſunt traducendæ, ne pariant ſcandalum, Gen. 9. v. 22. Sed hîc

1. Charitas non requirebat ſilentium, ſed potius poſtulabat manifeſtationem. Nam quæ charitas foret, reticere media ſalutis? Si quem videam in lethali morbo, & ſciam certum remedium ſanandi, illudque non revelem, quæ charitas? Sic Apoſtoli videntes Judæos in morbo & morte jacentes, non poterant ſalvâ caritate reticere remedium Euangelii.

2. Gloria Dei poſtulabat, ut loquerentur. Omni fructu & omni honore caruiſſet Chriſtus crucifixus, ſi non eſſet hominibus manifeſtatus. Loquendum igitur erat, ut manifeſtaretur. Si hîc tacebunt miniſtri, lapides clamabunt, Matth. 21. Ut hæc verba nobis applicemus, vim eorum ſequentibus doctrinis comprehendemus:

I. Euangelium liberè prædicari neceſſarium eſt Vide Amos 3. 8. 1. Cor. 9. 16. 17. Rom. 1. 14. Vides quid factum Ionæ, cum vellet effugere officium prædicandi. Nec ſolùm mandatum Dei hanc neceſſitatem facit, ſed etiam ſalus Eccleſiæ. Quàm neceſſarium ad fœcunditatem terræ pluviam cadere & ſolem ſplendere; tam neceſſarium eſt ad converſionem, Eccleſiæ verbum prædicari. Et quid hoc nos docet? 1. Redarguuntur miniſtri ſegnes & timidi in concionando, qui opus Domini faciant negligenter, & periculis ac moleſtiis abſterreantur. *Cum deſinit prophetia, ſylveſcit populus.* 2. Apparet magiſtratûs Chriſtiani officium eſſe neceſſarium, concedere libertatem purè prædicandi verbum Dei, concionatores defendere & ſuſtentare. Si non faciunt, non ſolùm mandato Dei ſunt inobedientes, ſed ſubditis ſuis ſubtrahunt panem vitæ & neceſſaria ſalutis media. 3. Si neceſſarium eſt nos eſſe ſedulos in concionando, neceſſarium quoque eſt vos eſſe ſedulos in audiendo. Nam ideò tenemur prædicare, ut vos poſſitis audire. *Object.* Quid opus eſt toties prædicare & audire? Una concione tantum poſſumus diſcere, quantum pro longo tempore ſufficit. *Reſp.* 1. Finis concionum non ſolùm eſt, ut aliquid diſcatis, quod antea neſciviſtis, ſed præcipuè ut perpetuò ob oculos habeatis & conſideretis res ſpirituales. Multa ſæpe ſcimus, quæ non conſideramus, penſitamus. 2. Finis concionum non tantùm eſt vos docere & inſtruere, ſed etiam corda veſtra emollire, emendare, vivificare, ornare, purgare. At hoc non efficitur actionibus raris, ſed actionibus frequentibus & continuis. Sicut deſtillatio pluviæ excavat lapidem, non ſi rarò fiat, ſed ſi cre-

brò & continuò, ita &c. 3. Concionari eſt tantùm medium, quod non operatur ſine cooperatione Spiritus S. At ille medii uſum injunxit, & cooperationem ſibi reſervavit liberam. Noſtrum igitur eſt audire perpetuò, donec tandem Spiritus S. cum libuerit, per auditum in nobis operetur. Sicut ægroti ad piſcinam illam, Ioh. 5. perpetuò præſtolabantur deſcenſum angeli, ita &c. Sicut in piſcina illa, Iohan. 5.

II. Apoſtoli non improbant magiſtratuum auctoritatem in ſuditos, & ſubditorum ſubjectionem, ſed eam potius exemplo ſuo & mandato approbant. Etſi enim Petrus & Iohannes hoc loco magiſtratui non ſunt obedientes, tamen ſunt illis ſubjecti. Non negant ſe hominibus in magiſtratu conſtitutis debere eſſe obedientes, ſed tantùm negant ſe debere talibus eſſe plus obedientes quàm Deo. Ideò ad ſubjectionem ſuam teſtandam illicitam obedientiam recuſant reverenter & modeſtè: Judicate vos: q. d. Non detrectamus vos agnoſcere judices & magiſtratus noſtros: ſed ſi tales eſtis, judicate quæſo, utrum poſſimus, &c. Eſt igitur Magiſtratûs politici actoritas etiam in N. T. approbata. De veteri non eſt dubium Deuter. 16. 18. Prov. 8. 15. Dan. 2. 21. Sed in N. T. res etiam certa, Matth. 22. 21. Rom. 13. 1. 2. 1 Petr. 2. 13. 1 Tim. 2. 2. Uſus: 1. Refutantur Anabaptiſtæ, qui judicant hoc pugnare cum libertate quam Chriſtus peperit. Non ſecus ac ſi libertas ſpiritualis tolleret ordinem à Deo conſtitutum in mundo. 2. Monentur omnes ſubditi, ut Divinam ordinationem in Magiſtratu agnoſcant, & proinde ei ſint obedientes. Et quidem Chriſtiani diſcant obedientes eſſe non ſolùm ex metu pœnæ, ſed ex conſcientia, Rom. 13. propter Dominum, 1 Pet. 2. 13.

III. Etiamſi magiſtratus politicus habet poteſtatem condendi leges, quæ conſcientiam ſubditorum obligant, tamen non omnes leges, quas magiſtratus condit, obligant ſubditorum conſcientiam. Vides enim quod Apoſtoli non tantum recuſant obedire huic legi ſui magiſtratûs, ſed etiam declarant ſe teneri ad non obediendum. Hoc ſæpe fecerunt ſancti. Vide Dan. 3. 18. & 6. 11. Exod. 1. 17. Actor. 5. 40. 42. Ratio hujus rei eſt, quia magiſtratus politicus non eſt αὐθέντης, ſeu poteſtatem quam habet, non habet à ſe ipſo, ſed accepit eam à Deo, & à Republ. ſua cui præeſt. Dico 1. Quod à Deo accepit. Eſt enim miniſter Dei. Poteſtas autem miniſtri non obligat contra Dominum. Quod ſi itaque magiſtratus aliquid vetat, quod Deus mandavit, vel aliquid mandat, quod Deus vetuit, ea lex non obligat conſcientias ſubditorum. 2. Quod ab hominibus acceperit. Sicut enim vocatur miniſter Dei Rom. 13. ita vocatur ἀνθρωπίνη κτίσις, 1 Pet. 2. v. 13. In communi, quod debeant eſſe magiſtratus & publici rectores, hoc eſt ab inſtitutione Dei. Sed in ſpecie, quales debeant eſſe rectores, & quouſque ſe debeat extendere vel non extendere eorum poteſtas, hoc eſt à Republ. quæ magiſtratum conſtituit, eique hanc poteſtatem dedit idque hoc fine, ut ſalus populi conſervetur, unde & Deus ipſe non niſi ſubditorum bono magiſtratum inſtituit, Rom. 13. Non igitur obligant leges magiſtratûs ad ea quæ Deus in verbo ſuo declaravit illicita, & quod in legibus Reipublicæ declaratum eſt injuſtum atque iniquum. Hæc doctrina debet ſonare in Eccleſia. 1. Ne magiſtratus poteſtate ſua abutantur ad tyrannidem & perſecutionem religionis, ac oppreſſionem juſtitiæ, imaginantes ſibi iſtud impium, quod Neroni mater inculcabat: *Imperator es, quod libet, licet.* 2. Ne ſubditi putent ſuam impietatem excuſatam eſſe coram Deo, ſi magiſtratus illam in jungat, aut ſaltem ad eam conniveat. Putant, quod magiſtratus non prohibet nec punit, licitum eſſe. Non ſic. Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, ſed etiam Deo, quæ ſunt Dei. 3. Sic jurant Papiſtæ in cæcam obedientiam ſuorum Epiſcoporum, & ſic putant excuſatam eſſe omnem ſuam ſuperſtitionem, quia ſcilic. Eccleſia injunxit. 4. Sic liberi parentibus, uxores viris ſæpe obediunt in rebus malis. Dicendum talibus ut Chriſtus Luc. 2. 49. O quàm grave, & tamen quàm crebrum peccatum eſt, homines plus audire quàm Deum, & metu vel gratiâ hominum peccare contra Deum!

IV. Cum tamen Magiſtratui mala præcipienti obedientiam recuſamus, non debemus ei recuſare ſubjectionem, ſed omni opere oſtendere, quod eminentiam ejus agnoſcamus & reſpiciamus Deum in illis. Subditi poſſunt recuſare obedientiam illegitimi mandati, & tamen eſſe boni ſubditi atque ſubjecti, nec violare ſubjectionis leges. Sic Apoſtoli, etſi detrectant obedire, tamen agunt reverenter & modeſtè. Exempla: Vide quomodo ſe geſſerit Ionathan erga Saulem, 1 Sam. 19. & 20. Sic David erga eundem. Sic Paulus Actor. 23. 2. 3. 4. Ratio: Quia unctio Domini eſt ſuper illos, & gerunt imaginem Dei, etiamſi in actionibus ſuis ſubinde aberrent ab officio boni magiſtratûs. *Object.* Quid ſi Magiſtratus

tus non ſolum mala præcipiat, ſed etiam ad mala cogat per vim & tyranni:dem? *Reſp.* Tum ſemper ob oculos habenda regula noſtri Catechiſmi quæſt. 94. Præſtat abnegare omnes creaturas, quàm vel in minimo contra voluntatem Domini facere. Vide Matth. 10. 37. 38. 39. Conſidera exemplum juvenum Daniel. 3. 17. 18. Inſtant. At enim an nunquam licet Magiſtratui in Tyrannum degeneranti reſiſtere, & vim ejus per vim repellere, ſed omnia patienda ſunt, quæcunque illi libet infligere? *Reſp.* Privatis non licet. Quid autem toti liceat Reipublicæ, de eo non diſputabo. Agamus Deo gratias quod nobis in præſentiarum nulla incumbit neceſſitas in his oris hanc quæſtionem diſputandi. Faciat magiſtratus noſter quod ſuum eſt, & faciamus ſubditi, quod noſtrum eſt, atque oremus Deum, ut magiſtratum noſtrum regat Spiritu ſuo S. ad bonum & pacem Reipublicæ. Diſcamus vicinorum exemplis, quantum commodi afferat, ſi ita ſe vel magiſtratus vel ſubditi gerant, ut ad tales diſputationes deveniendum ſit. Sive juſtum ſit, ſive injuſtum, tamen fiet, ſi vel ſubditi vel magiſtratus ſuum negligant officium.

Sequitur eventus totius negotii. Quis ille? Dimiſſi ſunt Apoſtoli cum minis. Et quæ ratio? An quia convicti erant Apoſtolorum excuſatione & rationibus eorum dabant locum? Non certè. Tum enim non cum minis dimiſiſſent. Dimittunt quidem, ſed minantur tamen, in ſignum, quod rationibus eorum nequicquam cederent, ſed manerent obſtinati in malitia.

Doctrina: Impii, quantumvis confuſi, ut nil habeant quod contradicant, tamen non cedunt, ſed ſeſe contra omnem convictionem indurant, & ſe ipſos in malitia ſua juſtificant. Hoc præſertim faciunt ſapientes mundi. Quò quis eſt ſcientior, tantò minùs cedit rationibus, ſi non habet cor contritum, Pſal. 4. v. 7. Pſal. 12. 5. Johan. 9. 34. Demus rationi locum, admittamus inſtitutionem Pſal. 2. 10. Judicemus quæ audimus & examinemus 1 Cor. 10. v. 15. Ne ſimus ſicut Papicolæ, qui vel nolunt audire, vel quæ audiunt, nolunt judicare & examinare, ſed præconceptæ opinioni ita hærent, ut præter hanc omnia condemnent etiam non judicata. Omnia judicate, quod bonum eſt, retinete, 1 Theſſ. 5. 21. Si majores noſtri ita feciſſent, quo pacto ab Ethniciſmo ad Chriſtianiſmum converſi eſſent? Non debemus quidem leves eſſe, & quolibet vento doctrinæ, circumagi. Sed tamen antequam nos fortmanus ad conſtantiam, debemus prius judicare & examinare.

Quæ igitur cauſa propter quam dimittunt? *Reſp.* Terror populi. Nunciabatur ipſis totum populum tumultuari & agnoſcere quod ſit miraculum à Deo, nullis naturæ viribus factum, quippe cum homo jam eſſet quadragenarius. Cum igitur nullum prætextum poſſent invenire, quo aliquam pœnam ipſis infligerent, dimittunt, ſed cum minis, ut appareret, ſe non emendatos, ſed tantùm coactos eſſe ad hoc faciendum.

Doctrina:

1. Magiſtratûs tyrannidem plerumque ſequitur tumultus & ſeditio populi. Non dico quod juſtum ſit apud homines tyrannidi Magiſtratuum per tumultus reſiſtere, ſed dico quod juſto Dei judicio plerunque ita fiat. Et quidem ſpecioſis prætextibus, ut hic. Examinate hiſtorias. Et caveant magiſtratus.

2. Etſi homines athei, & impii contra Deum valdè ſunt audaces, tamen ideò non ſunt fortes. Quantò minus metuunt Deum, tantò plus timent populum.

3. Interim Deus Tyrannos tali terrore coërcet, ut Eccleſia liberetur & evadat. Sicut mari furioſiſſimo opponitur arena, quæ coërceat, ſic ignobile vulgus nobilibus tyrannis. Sic ſæpe Deus immiſit terrorem, ut compeſceret tyrannos, Gen. 35. v. 5. Pſal. 105. 14.

Actor. 4. *v.* 23. 24. *&c.*

CONCIO LIII.

HActenus Apoſtolorum dimiſſio. Sequitur alter effectus, nimirum, quid totum illud negotium Apoſtolorum & Synedrii, à dimiſſis Apoſtolis evulgatum, operatum ſit in animis Eccleſiæ Chriſtianæ, ſcilicet quod totam illam rem intelligentes elevârunt vocem ſuam ad Deum, & inſignes preces ad ipſum fuderunt. De his precibus tria habes in textu uſque ad finem capitis: 1. Occaſionem precum v. 23. 2. Preces ipſas v. 24. ad 31. 3. Effectum & eventum harum precum à v. 31. ad finem.

Occaſio fuit narratio eorum, quæ ab Apoſtolis in Synedrio geſta erant. Apoſtoli enim dimiſſi *venerunt ad ſuos.* i.e. ad cæteros Apoſtolos, & eos qui erant de Eccleſia Chriſtiana. Tam arcta enim communio eſt inter domeſticos fidei, ut omnes homines

à fide Chriſtiana alienos habeant pro peregrinis, etiamſi eſſent pater, mater, frater, ſoror, eos autem, qui ſecum eandem fidem Chriſtianam ſincerè profitentur, habeant prò ſuis, pro ἰδίοις, ſeu pro condomeſticis & ſpeciali vinculo junctis. Vide Matth. 12. 47. 48. 49. 50. Nec ſine ratione. Sunt enim filii ejuſdem patris, fratres ejuſdem primogeniti, filii ejuſdem matris ſcilicet Eccleſiæ, ſervi ejuſdem familiæ, hæredes ejuſdem patrimonii. Videmus hinc quod Eccleſia à Synagoga jam tum diſceſſerat, non amplius agnoſcens pro ſuis eos qui erant de Synagoga, & proinde quod nón omnis ſeparatio ſui ipſius ab aliis ſit ſchiſma, & proinde quod ſeceſſio Reformatorum à Synagoga Satanæ & Antichriſti Romani nos non faciat reos ſchiſmatis. Videmus etiam quantum vinculum ſit inter eos, qui ſunt ejuſdem fidei & religionis, ut alius alium agnoſcat pro ſuo, & proinde quantopere ſint obligati ut ſe mutuo juvent precibus & aliis officiis charitatis. Omnibus quidem ſumus obligati ad benefaciendum, ſed præcipuè domeſticis fidei. Gal. 6. 10. Opus nobis eſt hæc doctrina hoc tempore, quo tot domeſtici fidei patiuntur. Ne nos ſeparemus à propriis, ſed vel votis, vel re juvemus peregrinos à fide. Multi pro ſuis habent illos, non qui eadem fide ſibi juncti ſunt, ſed qui ſe modò juvare volunt in temporali aliquo ſcopo, ſive ſint pii, ſive impii. 1 Pet. 4. 4.

II. Venientes ad ſuos narrârunt quæcunque ad eos dixerant Summi Sacerdotes & Presbyteri. Revocat hîc ad duo capita membra Concilii, ut conſtet partim ex Politicis, partim ex Eccleſiaſticis conſtitiſſe. Erſi ſine dubio narrârunt omnia quæ utrinque dicta ac facta erant, dicuntur tamen ſpecialiter narrâſſe quæ dixerant Sacerdotes & Seniores ſcilic. interdictum illud de non amplius loquendo in nomine Jeſu, cum addita comminatione. Hoc narrârunt Eccleſiæ, non ad ridendos judices, ſed ad commonefaciendam Eccleſiam de imminente periculo, q. d. Videtis, fratres, in nobis facta eſſe initia iſtius perſecutionis, qnam nobis Salvator prædixit, Matth. cap. 10. & alibi, nec eſt quod putemus hîc ſubſtituros, ſed ſicut minati ſunt, ita ſine dubio porrò quoque nos impedient & perſequentur cum faciemus officium. Neceſſe igitur habetis hoc initium trahere in exemplum, & vos armare eâdem parrheſia, quâ nos uſi ſumus, & vos parare in omnem eventum. Officium itaque paſtorum eſt pericula Eccleſiæ imminentia prævidere ac præconjicere, & de iis Eccleſiam commonefacere tempeſtivè. Hoc enim fine Paſtores vocantur Eccleſiæ vigiles & ſpeculatores, Ezech. 3. 17. & 33. 2. Eſa. 21. 11. O quantopere nobis conquerendum de vobis, ut Ezech. 33. 3. 4. 5. Videmus certè gladium venientem. Dum enim videmus peccata populi adeò creſcere, dum videmus judicia Dei ita ſerpere de populo in populum, dum videmus communes Eccleſiæ hoſtes adeò furere, ſpirare & comminari & conſpirare in noſtrum interitum, tum extra, tum intra Patriam, clamamus quidem & commonefacimus, ſed quis movetur noſtro clamore? Nonne omnes putant metum noſtrum eſſe ſupervacaneum, nos eſſe nimis timidos, periculum non eſſe tantum, Deum non eſſe adeò ſeverum, hoſtes noſtros non adeò ſanguinolentos & crudeles, ſed tantùm quærere pacem, immò eò res devenit, ut infirmitates eorum, qui ſunt intra muros Eccleſiæ, plus metuamus, quàm crudelitatem Antichriſti, & quantumvis clamamus nos videre gladium venientem, tamen, quia toties clamavimus, & non venit, ideò commonefactiones noſtræ contemnuntur & habentur pro nugis, nec eſt qui ſe per eas patiatur excitari ad præparationem. Sed quanto ſatius erat, vos ſemper eſſe paratos in armis, quàm ex improviſo ab hoſte obrui. Noſtis exemplum: Tacendo perierunt Amyclæ. Potius vobis optetis tales excubitores, quales deſcribuntur, Eſa. 62. 6. quàm quales, Eſa. 56. 10.

III. Et quid operata eſt hæc Apoſtolorum commonefactio: Ad Deum ſe receperunt per preces. Cum ſentimus periculum, prima cura eſto confugere ad Deum. Cum bellum ingruit, non prius arma paremus, ſed favorem Dei. Sic cum morbus, non prius pharmaca, quam reconciliationem cum Deo. Fruſtra enim paratur equus ad prælium ſine Deo, Pſal. 33. 16. 17. Fruſtra vigil cuſtodit urbem ſine Deo, Pſal. 127. 1. O utinam hoc conſideremus, ne ſolis mediis humanis nos armemus contra pericula vitæ, ſed ad Deum confugiamus. Deus ſine mediis omnia poteſt, media ſine Deo nihil poſſunt.

In his precibus conſideranda veniunt:

I. Accidentia externa harum precum, quæ ſunt quatuor:

1. Ἦραν φωνὴν precati ſunt alta voce.

2. Præcati ſunt θυμαδὸν animitus, toto corde.

3. Precati ſunt ὁμοθυμαδὸν unanimiter, quaſi uno corde.

4. Precati ſunt ad Deum.

II. Interna ſubſtantia harum precum. Habent hæ preces.

1. Com-

1. Compellationem: Δέσποτα Pater-familiâs.

2. Argumentationem: eſt enim hæc tota precatio nil aliud quàm talis argumentatio, quâ ex duobus fundamentis, ad præſentem Eccleſiæ ſtatum applicatis, format concluſionem, quâ Deum moveat ad danda illa, quibus opus haberet Eccleſia. In hac argumentatione habemus, ſicut in omni argumentatione, tres propoſitiones:

α. Majorem, quâ ponit fundamenta ſuæ precationis. Hæc ſunt duo. Prius fundamentum petitur à potentia Dei: Tu es ille Deus, qui creavit cœlum, terram, mare & omnia quæ in illis ſunt, v. 24. Poſterius fundamentum petitur à promiſſione Dei: qui es locutus per os Davidis ſervi tui, dicens: quare fremuerunt gentes, &c. v. 25. 26. q. d. Non ſolum habes potentiam ſuper omnes creaturas ut poſſis reprimere eos, qui ſe efferunt contra tuam Eccleſiam, ſed etiam promiſiſti per os Davidis, te velle reprimere gentes, cum fremunt contra tuam Eccleſiam.

β. Minorem, quâ fundamenta, in majore propoſitione poſita, præſenti Eccleſiæ ſtatui applicat & dicit, jam eſſe tempus, quo Eccleſia opus habeat, ut Deus hanc ſuam potentiam & hanc ſuam promiſſionem ad ejus defenſionem adhibeat & impleat. Iam enim, inquit, furunt gentes, jam reverâ congregati ſunt contra Filium tuum ſanctum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, &c. v. 27. 28.

γ. Concluſionem, quam ex antecedenti infert, ut Deum moveat ad facienda Eccleſiæ hæc tria. Ad reſpiciendas hoſtium minas. Ad roborandam Apoſtolorum parrheſiam in prædicando verbo. Ad confirmandam Apoſtolorum prædicationem per concomitantia ſigna & miracula v. 29. 30. En hic eſt totus complexus hujus precationis, quæ ad ſyllogiſticam formam redacta ſic habet:

O Deus, qui habes potentiam ad reprimendas & coërcendas omnes creaturas, & qui etiam Eccleſiæ tuæ dediſti promiſſionem de coërcendo fremitu & furore gentium contra eam, te decet Eccleſiæ tuæ ſuccurrere præcipuè tum, cum gentes maximè fremunt ac furunt contra eam.

Atqui jam eſt illud tempus, quo maximè fremunt & *furunt* gentes contra tuam Eccleſiam.

Ergo nunc maximè & præcipuè rogamus ei ſuccurratur.

Eſt profectò precatio, cujus ſenſum merito nos diſcimus intelligere, ut queamus imitari. Nam revera hoc quoque tempore, quo nos vivimus, maximè furunt & fremunt gentes contra Eccleſiam. Incipiemus itaque hac vice particularitates hujus precationis, ſuperiori analyſi recenſitas, breviter explicare, & primò quidem externa accidentia illius:

I. Precati ſunt ſublatâ voce. Mira res! an igitur omnes ſuſtulerunt vocem, & ſimul omnes altâ voce precati ſunt. Qui hoc poſſibile? *Reſp.* Eccleſia eſt domus ordinis, non debes itaque tibi hic imaginari confuſionem. Unus precatus eſt, cæteri dixerunt Amen, 1 Cor. 14. 16. i. e. affectibus & devotione cordis vocem præeuntis ſecuti ſunt: Sunt tamen qui miraculum hîc factum putant, ita ut omnes ſimiliter à Spiritu S. fuerint inſpirati, ut nemo eorum alios ad proferenda hæc verba induxerit primitus incipiendo, aut alio modo, ſed omnes pariter inceperint. Vide *Dionyſ. Carthuſianum.* Sed ad vox alta & elata eſt neceſſarium requiſitum bonæ precationis? *Reſp.* Talis eſt neceſſitas in hoc, qualis in omnibus corporalibus geſtibus inter precandum adhibitis, e. g. in ſtando, ſedendo, genibus flectendis, procumbendo, oculis tollendis vel deprimendis, manibus complicandis vel efferendis, &c. In his omnibus ſanctorum exempla, in Scripturis propoſita, variant, ut appareat, quod in talibus Chriſtianis relicta ſit ſua libertas; ſed tamen ea nobis incumbit neceſſitas, ut, cum nulla juſta causâ impedimur, ſemper eligamus eos geſtus, qui maximè ſapiant humilitatem & reverentiam, arguantque, quod non ſimus ad precandum tardi ac ignavi. Sed in hac electione, non opus eſt inſtitutione. Valet enim hîc illud Chriſti, Matth. 12. 34. Qualis eſt affectus cordis, talem ſe ſponte dabit motus corporis, niſi regatur à lege charitatis, à lege ædificationis, à lege decori, & à lege impoſſibilitatis, quod ſæpe fit in cœtibus publicis.

II. Precati ſunt θυμαδὸν, animitus. Etiam pſittacum poſſis docere preces, etiam pueruli precantur, ſed preces eorum plerumqne ſunt merus motus labiorum, non profecti ex amore & voluptate precandi, ſed ex mandato & coactione parentum, & ſunt verba vacua affectibus. Sic non debent eſſe preces noſtræ, non debemus labiis accedere ad Deum & cor longè habere remotum, Matth. 15. Sed debemus in Spiritu & veritate precari, Ioh. 4. Non verba ſunt quæ placent Deo, ſed fervor mentis ac Spiritûs. Da mihi cor tuum, fili Prov. 23. Verum quidem, quod verba quoque requirit, & linguam quoque ad laudes ſuas condidit, ſed tamen lingua ſine corde eandem apud Deum habet gratiam, quam

apud nos fiſtula habet ſine ſono. Diſcamus igitur precari.

1. Non coactè propter externam neceſſitatem. Sicut pueri non precantur niſi coacti à parentibus, ita multi non precantur, niſi cum gravis aliqua calamitas iis incumbit. Nos debemus habere cor precaturiens, animum qui gaudet & geſtit precari ſicut Maria Luc. 1. 47. Sicut ſtomachus non eſt ſanus cum deſtituitur appetitu comedendi; ita cor non eſt ſanum, cum deſtituitur appetitu & delectatione precandi.

2. Non frigidè ſed fervidè. O quoties ad Deum loquimur verba in quibus parum fervoris & Spiritus! Aliter Chriſtus Joh. 11. 38. Preces debent eſſe effuſio cordis 1 Sam. 1. 15. Preces quæ non veniunt ex noſtro corde, non ſunt Deo cordi, ſed ſunt fruſtraneæ Matt. 15. Devotio & fervor animi ſunt pinguedo & odor noſtri ſacrificii. Inculcate, quæſo, hanc lectionem & vobis ipſis, & præcipuè liberis veſtris. Verum hic audio auditores objicientes & querentes, ſe non poſſe precari cum fervore, preces ſuas ſemper eſſe adeò frigidas, & cor adeò aridum ad precandum, ut citius aquam ex pumice, quàm fervorem & devotionem ex corde hoc exprimas. *Reſp.* Oſtendam vobis cauſas unde hoc provenit, ut iis ſublatis emendemini. Unde igitur venit hæc tarditas precandi.

1. Tardè cœpiſti, nec in juventute aſſuetus es. Cor tuum nimis radicatum in terrenis, nec cœleſtia ſapuit in juventute, os non niſi vana hactenus locutum eſt. Sicut volucres quod non diſcunt in juventute, ægrè diſcunt, ita &c. Emenda igitur hoc in tuis liberis.

2. Non habes animum ſcientiâ verbi repletum. Hæc enim mater & ſcaturigo & radix & ſemen precum eſt, & ubi hęc non eſt, aridum eſt cor ad precandum. Tu itaque contemnis frequentem auditum verbi ejuſque lectionem, quid mirum, ſi aridus ſis ad precandum.

3. Cares firmâ fide in Deum? Quomodo igitur eris alacris in invocando, ſi non es firmus in credendo, Rom. 10. 14. Ex fide naſcitur parrheſia precandi, timor autem & metus abſterret à precibus, Eph. 3. 12. Non audemus loqui ad Deum, niſi credamus in Deum.

4. Qui non eſt ſedulus & continuus in precando, non poteſt eſſe fervidus in precando. Multi homines, cum vident preces ſuas non eſſe verè fervidas, planè deſinunt precari, & ſunt rari in precibus. Sis modò continuus, & cum tempore eris fervidus. Sicut currus novus non facilè volvit rotas, ſed currus multum uſurpatus; ita cor rarò precans non precatur facilè. Sicut ſera quæ rarò aperitur, difficulter aperitur, ita cor quod rarò precatur difficulter precatur.

5. Non laboras eſſe fervidus. Cum vides preces tuas eſſe frigidas, excita te, & labora ac conare fervorem exprimas. Cor non ſpontè ſtillat preces, nec preces ſpontè effluunt ſine labore, ſed cor debet effundi; preces debent eſſe ἐνεργουμένη Jacob. 5. 16. i. e. violenter expreſſæ. Cogitationes noſtræ facile diſſiliunt in objecta terrena, niſi vi & labore contineantur & figantur. Preces ſunt labor.

6. Cor tuum nimis intricas & ſaginas curis & voluptatibus mundi. Alacritas precum multum pendet à diſpoſitione corporis. Sis itaque temperans in curis & voluptatibus corporalibus, ne te ſomnus, cibus & curæ reddant gravem ac tardum ad precandum. Vide Mat. 26. 43. Debes itaque ad precandum ſeparare tempora curis vacua & laboribus corporalibus.

7. Non precaris præmeditatus. Ante preces debet eſſe meditatio, conſiſtens in conſideratione divinæ Majeſtatis, & in probatione tuæ indignitatis. Si hæc tibi poſuetis ante oculos, antequam ad precandum acceſſeris, hæc elevabunt tuum cor ad devotionem.

Si has omnes cauſas frigiditatis in precibus depoſueris, fervidus eris, quantum ſufficit. Non quidem poſſibile eſt, ut quis in hac vita obtineat eum in precando fervorem, ut nihil habeat quod de precibus ſuis queratur. Sed tamen ſtudiis hiſce eò perveniet, ut habeat juſtam cauſam pacandi conſcientiam ſuam. Cum enim hoc fecit, fecit quod poteſt & habet juſtam cauſam acquieſcendi, & credendi imperfectiones, quas his ſtudiis ſuperare non poteſt, interceſſione & meritis Chriſti fore tectas, & preces ſuas nihilominus Deo fore gratas.

III. Precari ſunt ὁμοθυμαδὸν, unanimiter. Preces unius juſti multum valent, ut Jacobus probat exemplo Eliæ c. 5. v. 17. Sed ſi multi juſti conſentiunt & conveniunt ad aliquid precandum, hoc tantò efficacius. Vide Matt. 18. v. 19. & exempla Eſther 4. v. 16. 2 Chron. 20. 4. Diſcamus hinc. 1. Non tantùm privatim precandum eſſe, ſed etiam ad preces publicas conveniendum. 2. Cum Eccleſia aliquid cupit impetrare à Domino, debent membra Eccleſiæ deponere omne odium, omnes diſcordias, & inter ſe convenire & conſentire ad hoc vel illud peten-

tendum, hoc efficax eſt. 3. Foret mihi hic occaſio differendi quantum ſit peccatum in noſtris magiſtratibus, quod non convocant populum ad unanimes preces pro Eccleſiis perſecutionem patientibus, ſed dicunt ſatis eſſe, ſi unuſquiſque pro illis precetur ſeparatim. Quaſi verò unanimitas nihil conferat ad vim precum.

IV. Precati ſunt ad Deum. Habes hîc exemplum, quod licitum ſit Chriſtianis immediatè ad Deum preces ſuas dirigere, nec opus habeant ut ſanctos adorent, & eorum interceſſionem impetrent. Multa ſunt in Scripturis exempla immediatæ invocationis Dei, & ne unum quidem invocationis Sanctorum. Sed hæc materia Catechetica. Vide Epheſ. 3. 12. Hebr. 4. 14. 15. 16.

Actor. 4. *v.* 24. 25. 26.

CONCIO LIV.

HActenus externa accidentia hujus precationis ſequitur interna ſubſtantia illius, quæ habet duas partes, videl. Compellationem & Argumentationem.

Compellatio eſt in voce δέσποτα, Here vel Paterfamiliâs. Non tribuunt ei nomen Iehovæ, vel Domini, ſed nomen heri vel patris-familiâs. Illud enim eſt nomen gloriæ, ſeu potentiæ illius, quâ Deus ſuper omnes creaturas eminet & dominatur: hoc verò eſt nomen gratiæ ſeu gratuiti illius fœderis, quod Deus fecit cum Eccleſia. Etſi enim Deus toti mundo dominatur atque imperat, tamen ſuper Eccleſiam habet dominium ſingulare, nimirum non politicum conſiſtens in mero exercitio poteſtatis, quale eſt regnum in ſubditos, ſed deſpoticum, œconomicum, herile ac paternum, conſiſtens in exercitio potentiæ, gratiæ ac ſingularis amoris, quale eſt patris in familiam, adeò ut hac voce Eccleſia comparetur cum familia, & Deus Pater cum iſtius familiæ capite, hero atque patre, ſicut eadem comparatio habetur, Luc. 2. 29. Sic Iudæ v. 4. Sic. 2 Petr. 2. 1. Qui locus non intelligendus de redemptione per Chriſtum ſed de adoptione & externa vocatione in familiam Dei Patris. i. e. Eccleſiam. Dico hunc titulum *Deo Patri* propriè competere, vel ſaltem Deo quatenus eſt Deus. Etſi enim Chriſtus quoque vocatur filius ſuper domum ſuam eamque κατασκευάσας Hebr. 3. 3. Illud tamen diſcrimen eſt inter patrem & filium, quod Pater vel Deus, quatenus Deus, eſt poſſeſſor ac dominus hujus familiæ, ſed Chriſtus quatenus mediator eſt ille ſervus & œconomus Dei, per quem Deus familiam hanc condit, erigit ac gubernat, qui nos Deo emit in populum peculii, & qui iſtius quoque peculii hæres exiſtit, Apoc. 5. 9. Et meritò dominium Dei Patris ſuper Eccleſiam comparatur cum regimine herili ſeu paterno ſuper familiam. Sicut enim terrenus Paterfamiliâs familiam ſuam, ita etiam Deus Eccleſiam ſuam regit modis ſequentibus:

1. Dat victum & amictum. Duplex tamen diſcrimen:

α. Terrenus Pater non dat niſi victum & amictum corporis, ſed hic præterea dat victum & amictum animæ. Veſtit nos tunicâ juſtitiæ proprii filii, paſcit verbo & ſacramentis, per quæ Spiritus S. nobis adminiſtrat robur ſanctitatis & ſolatii. Vide Pſal. 23. 5.

β. Terrenus non dat niſi panem & externa media, ſed hic media illa dat, eaque etiam ſanctificat & benedicit, ut ſint efficacia, nec cedant in maledictionem. Deus alioquin dat eſcam omni carni, ſed non dat eſcam ſpiritualem, nec quam dat ſanctificat & à maledictione liberat, cui propter peccatum ſubjectæ ſunt omnes creaturæ, niſi illis qui ſunt de familia ipſius.

2. Diſtribuit operas. Bonus Paterfamiliâs non ſinit ſuos otioſos, ſic nec Deus, ſed cuilibet aſſignavit ſuum opus. Et quod illud? 1. Opus communis Chriſtianiſmi. Omnibus enim injunxit ſerutationem Scripturæ, mortificationem carnis, preces, ſtudium omnium virtutum. 2. Opus peculiaris vocationis, quâ alii hoc, alii aliud quid agendum commiſit. Vide Epheſ. 2. 10.

3. Regit diſciplinâ & medicinâ. Bonus Paterfamiliâs medetur familiæ vitiis atque morbis, non quidem gladio imperatorio, ſed tamen caſtigatione & diſciplina herili atque medicâ. Sic Deus noſtris vitiis & morbis ſpiritualibus medetur non ſolùm per crucem & caſtigationes corporeas, ſed præcipuè per diſciplinam ſpiritualem, quæ peragitur duabus clavibus regni cœlorum, in catechiſmo notis. Non quidem punit judicialiter, ſed tamen paternè caſtigat ad emendationem. Vide 1 Sam. 7. 12. 13. 14. 15. Hebr. 12. v. 6. 7. &c.

Uſus: 1. Qui Deum cum fructu volunt invocare, debent eſſe de Eccleſia & de familia Dei, ut eum poſſint invocare tanquam Patrem. Non enim Deus panem filiorum ſumit & porrigit canibus, porcis & peregrinis, Matth. 15. v. 26. Deus novit ſuos.

ſuos 2 Tim. 2. Curemus igitur ut ſimus vera ac viva membra domus Dei, quæ Eccleſia 1 Tim. 3. Ut Deum poſſimus invocare, & dicere, ô Domine, Tu non tantùm nos creâſti tibi in ſubditos, & in nos habes poteſtatem dominandi, ſed & gratiosè nos adoptaſti in Eccleſiam & ſam liam tuam, nobiſque promiſiſti gratioſam communionem cum unigenito tuo Filio. Si ſic precari poſſumus, efficaciter precamur. 2. Qui ſunt vera membra Eccleſiæ, à Deo poſſunt exſpectare, quod filius vel ſervus à Patre & hero. Sicut ſervus non habet neceſſe de victu, amictu & defenſione eſſe ſollicitus, ſed tantùm de officio. Modò faciat quod injunctum eſt, cura victûs recumbit in Dominum, ita nos modò agamus quod noſtrum eſt, de cæteris curam omnem rejiciamus in Dominum. Dominus providebit. Gen. 22. 8. Phil. 4. 6. 1 Petr. 5. v. 7. Faciamus quod noſtrum eſt, & tum ſimus contenti eo quod Deus dat, nec murmuremus. 1. Tim. 6. v. 8.

Sequitur nunc Argumentatio, quam nuper in tres propoſitiones diviſimus. Prima propoſitio eſt Major, in qua diſponuntur duo fundamenta, quæ habent vim argumenti tertii, ſeu medii termini, quo concluſio probatur. Prius fundamentum petitur à potentia Dei: Tu ille Deus, qui creavit cœlum, &c. Duo hîc nota.

1. Creaturæ omnes hîc egregiè & populariter diſtinguuntur in continentes & contentas. Continentes ſunt Cœlum, primum, ſecundum, tertium; Terra, Mare. Contentæ, ſeu eæ quæ in illis ſunt: 1. In cœlo tertio angeli & beatæ animæ. 2. In cœlo ſecundo planetæ & ſtellæ fixæ. 3. In cœlo primo ſeu imo meteora & volucres. 4. In mari piſces. 5. In terra liquores, metalla, lapides, plantæ, arbores, inſecta, beſtiæ & homines. Adeò ut hæc verba habeant ſummam & ſint mappa quædam totius mundi.

2. Vox facere vel creare hic non ſumitur ſtrictè, ſed latè, & comprehendit. 1. omnium rerum productionem. 2. earundem conſervationem. 3. earundem gubernationem, ut ſit q. d. Tu ille Deus à quo omnia, quæ ſunt, habent eſſentiam & vitam, in quo moventur & ſunt, à quo diriguntur & ita reguntur, ut ſine nutu & voluntate tua ſeſe movere non poſſint. In eo enim vis argumenti ſita eſt, ex qua concluſionem ducit, quod ſcilicet omnes creaturæ ita ſint in Dei manu, ut ſine ejus nutu ac voluntate non poſſint nocere, quantumvis fremant ac furant. Hoc argumentum ſæpe debemus adhibere in precibus, ſicut & Chriſtus in formula ſua docuit, Matth. 6. Pater noſter qui es in cœlis, &c. Tua eſt potentia & regnum & gloria. Stringit enim & movet Deum efficaciter, cum à creaturis appellamus ad Deum, tanquam ad ſuperiorem omnibus, q. d. furunt contra nos homines. Sed nos te agnoſcimus ſuperiorem omnibus creaturis, & ſcimus illas non poſſe nocere, niſi tu velis. Itaque ad te appellamus. Eſt etiam argumentum ſolatii, quo nos roboremus contra metum creaturarum. Quantopere ſæpe metuimus à peſte, à morbis, ab hoſtibus! Sed heus, vanus ille metus. Creaturæ enim ſunt, quæ ſunt in manu creatoris, ſine quo non poſſunt ſe movere. Non igitur ab illis quicquam opus eſt metuas, niſi quantum opus eſt, ut à Deo metuas. Si cum Deo adeò reconciliatus es, ut non habeas quod ab illo metuas, non eſt, quod quicquam à creaturis metuas. Tum enim potes dicere, ut eſt, Pſal. 27. 1. Rom. 8. v. 39. Pſal. 118. 6. Sicut non metuis gladium, cum non opus habes metuere hominem aliquem, qui te gladio feriat, ita non eſt quod ullam metuas creaturam, niſi opus habeas metuere Deum. Cura igitur, ut Deum modò habeas propitium, ut ſis verum membrum familiæ ipſius; tum poteris dicere ut Pſal. 73. 25. 26. O utinam ſemper conſideraremus hanc dependentiam omnium creaturarum à voluntate Dei! Certè minus ipſis fideremus, & minus ab ipſis metueremus, & minus eas appeteremus.

Poſterius fundamentum petitur à promiſſione ex Pſal. 2. v. 1. Etſi enim hæc verba concipiuntur per interrogationem; tamen reverà ſunt affirmativa declaratio & promiſſio, q. d. Fruſtra eſt quod gentes ita fremunt &c. Ego ridebo eos & in conſiliis eorum eos pudefaciam. Eſt, inquit textus, promiſſio, quam dediſti per os Davidis noſtri Patris & tui ſervi. Fuerunt ſine dubio inter illos, qui cum Chriſto ſecundum carnem ex lumbis Davidis deſcenderant, & proinde eum pro patre ſuo meritò agnoſcebant. Sed tamen non omnes ſecundùm carnem ex Davide erant nati, & tamen omnes eum vocant ſuum patrem, i. e. ſuum ſpiritualem Patriarcham, cujus veſtigiis inſiſtunt in fide & religione. Hoc ſenſu omnes ſumus filii Abraham & Davidis. Hæc enim vera antiqua religio, non quam diu habuimus, ſed quam ab Abrahamo, Davide & Patriarchis ac Apoſtolis accepimus. Tum ſumus filii Patriarcharum, ut eſt v. 25. c. 3. Commendat autem egregiè Scripturam, cum dicit, Deum per os Davidis locutum eſſe. Convenit illud Petri

2. Petr. 1.

1 Petr. 1. 21. Idem intelligendum de verbis concionatorum, quæ ipſis in legitima vocatione loquuntur ſecundùm Scripturam ex Scriptura. Denique obſerva, Reges eſſe Dei pueros ſive ſervos. Sic Rom. 13. 3. Sciamus igitur eorum auctoritatem non obligare, niſi cum eſt pro Domino. Sicut mandata lictoris non obligant ultra voluntatem Magiſtratûs, à quo mittitur; ita mandata magiſtratus non obligant ultra vel contra voluntatem Dei. Non eſt rebellio in ſubditis negare obedientiam magiſtratibus, qui præcipiunt quod eſt contra Deum. Notanda autem præcipuè eſt deſcriptio hoſtium Eccleſiæ. Habet Chriſtus ſuos hoſtes in omni genere hominum, in plebe, inter Reges & Principes; & plerunque quantò quis potentior, tantò Chriſto & Eccleſiæ infenſior, quantò quis ſecundùm mundum ſapientior, tantò à Chriſto alienior 1 Cor. 1. v. 26. Johan. 7. 48. Proprietates autem hoſtium Chriſti ſunt hæ ſequentes:

1. Inſolentia & furor. Vox φρυάζειν de equis propriè dicitur in prælium euntibus. Scimus quis ſit habitus equi præliaturi Job. 39. 22. 23. &c. Tales ſunt hoſtes, Actor. 9. 1. Sicut enim contritio cordis & vera humilitas ac manſuetudo eſt ſignum eorum, qui Chriſto ſubſunt Matth. 11. v. ult. Ita ferocia & inſolentia eſt ſignum hoſtium Chriſti. Et ratio eſt, quia aut ſunt athei qui Deum nullum timent, aut ſunt confidentes in propriis meritis, & ἀναίσθητοι ſuæ miſeriæ. Videmus hinc quàm parùm nobis poſſimus polliceri ab ipſorum humanitate.

2. Induſtria & ſubtilitas. Meditantur vana. Sunt ſeduli in fabricandis conſiliis noxiis. Admodùm fœcundi ſunt in machinationibus, Pſal. 7. 15. Pſal. 52. 4. Sic Diabolus 1 Petr. 5. 8.

3. Concordia. Etſi enim moribus valdè ſunt diſpares, tamen nimis bene conveniunt adverſus Chriſtum, ſicut Pontius & Herodes, Luc. 23. Didicerunt hoc quoque à Diabolo Matth. 12. 26.

4. Omnes eorum intentiones ſunt contra Deum & Chriſtum ejus.

Object. At pauci tales ſunt, ſed omnes ſunt pro *Deo & Chriſto.*

Reſp. At dum ſe ſimulant eſſe pro Chriſto, nituntur oppugnare voluntatem Chriſti, & conculcare eos, qui Chriſto & Deo ſecundùm verbum ipſius ſerviunt.

Uſus: Tales igitur hoſtes debes exſpectare, qui Chriſto vis fideliter ſervire. Arma te virtute Chriſti. Vigilate.

Actor. 4. *v.* 27. 28.
CONCIO LV.

HActenus propoſitio Major: ſequitur Minor ſeu Aſſumptio, quâ fundamenta in Majori propoſita applicantur ad præſentem Eccleſiæ ſtatum, q. d. Atqui jam illud tempus, quo maximè tumultuantur gentes contra Dominum & Chriſtum ejus. Jam enim reverà congregati ſunt Pilatus, Herodes, &c. In hac Minori propoſitione duo habemus conſideranda:

1. Aſſumptionem ipſam, quâ Deo proponunt hoc ipſum eſſe tempus illud, quo hoſtes contra Deum & Chriſtum ejus ita tumultuentur, ut David Pſal. 2. prædixerit v. 27.

2. Amplificationem quandam antitheticam iſtius Aſſumptionis, quam adhibent, ad ſeipſos contra hos tumultus hoſtium conſolandos conſideratione voluntatis ac providentiæ divinæ, q. d. quamvis nos interea ſcimus & credimus, illos omnibus ſuis tumultibus nil aliud eſſe effecturos, quàm quod manus & conſilium tuum determinavit ut fiat v. 28.

Aſſumptione ipſâ oſtendunt Deo, hoc ſuo tempore planè talem eſſe tumultum hoſtium contra Deum & Chriſtum, de quali David ſuo tempore fuerit conqueſtus. Hoc fine hoſtes Chriſti & Eccleſiæ ſigillatim enumerant, & de conjuratione ac confœderatione eorum contra Chriſtum queruntur. Hoſtes ſunt Pilatus & Herodes, gentes & populi Iſraël, q. d. & Ethnicus & Judaicus Magiſtratus, & Ethnicus & Judaicus populus. Nam dicitur, populi Iſraël, pro populus Iſraël, ad multitudinem denotandam. Mala actio horum hoſtium de qua queruntur, eſt ipſorum conjuratio & confœderatio. Et contra quemnam ita conjurârunt? Contra ſanctum filium Dei Jeſum, quem Deus unxit. Hoc confirmant adhibitâ formulâ aſſeverationis, ἐπ' ἀληθείας.

Doctrinas hîc obſervamus ſequentes:

I. Eccleſia in precibus ſuis Deo quaſi digito oſtendere debet hoſtes de quibus queritur, & à quibus ſibi metuit. Sicut Eſther fecit Ahaſvero, Eſth. 7. v. 6. Sic Eccleſia Deo debet dicere: En Domine, hi ſunt noſtri hoſtes. Sic fecit Hiskias Eſa. 37. 17. 20. Sic David ſuum Schiggagon ſcripſit contra Chus Pſal. 7. Sic Pſal. 52. expreſsè contra Doëgum precatus eſt. Sic Paulus ſpecialiter precatur contra

Alexandrum 2. Tim. 4. 14. & paſſim habes exempla precum, in quibus ſancti catalogum texuerunt ſuorum hoſtium, contra quos precantur. Ratio hujus rei non eſt, quaſi Deus indigeat aliqua detectione noſtrorum hoſtium, ſicut Ahaſverus indigebat, ſed ut nos publicè confiteamur & manifeſtemus, nos abhorrere à conſilio impiorum, & eos habere pro noſtris hoſtibus, ut publicè nota ſit averſio animi noſtri ab hominibus impiis. Hodie noſtri homines nolunt nos ita facere. Ajunt ſatis eſſe, ſi Deum generaliter precemur ut opprimat omnes hoſtes Chriſti & Eccleſiæ; cum autem ſpecialiter precamur contra Antichriſtum Romanum, contra ſerpentinam generationem Jeſuitarum, contra tyrannicum Hiſpanum, contra clandeſtinas conjurationes Pontificiorum inter nos, contra oppreſſores Eccleſiarum in Germania, contra truculentos rebelles in Hybernia, contra ſanguinolentos Achitopheles in Anglia, id verò ajunt ſuperfluum eſſe, & ad nil aliud conducere, quàm ad creandas inimicitias & exacerbationes, & ſatis eſſe, ſi in genere precemur contra hoſtes Eccleſiæ. An igitur Spiritus S. ſine cauſa annotavit, quod Apoſtoli adeò nominatim ſuos hoſtes apud Deum detulerint? Non debemus quærere favorem eorum, qui contra Chriſtum inſurgunt, nec debemus diſſimulare quos habeamus pro hoſtibus Eccleſiæ nec ne, ſed eos apertè confiteri, & apud Deum accuſare, ne in precibus noſtris inveniatur aliqua ſpecies hypocriſeos aut colluſio quædam cum impiis. Nam ſi dico me odiſſe omnes falſos & ſanguinolentos, & interim neminem volo pro ſanguinolento agnoſcere, quantumcunque faciat mali, hypocriſis eſt.

II. Chriſtus & à Judæis & ab Ethnicis paſſus eſt. Vides enim hic & magiſtratus & populum utriuſque generis. Herodes Magiſtratus Judaicus, Pilatus Ethnicus: Milites Romani populus Ethnicus, plebs Iſraëlitica, Judaicus populus. Veritas hujus doctrinæ ex hiſtoria paſſionis ſatis manifeſta eſt. Uſus ejus eſt ſolatium pro nobis gentilibus. Sapientiſſimè Deus eo tempore voluit pati Chriſtum, quo Hieroſolymæ Ethnici dominabantur Judæis, ut ab utriſque pro utriſque Chriſtus mactaretur ſacrificium. Ideò ab utriſque mactatus, ut pro utriſque mactatus intelligeretur. Sicut Judæi non ſalvantur ſine Chriſto, ita ſalus eadem quæ Judæis, Ethnicis quoque parata eſt. Lavimus manus in ejus ſanguine, ut ſanguine ejus lavaretur noſtra anima. Sic etiamnum Eccleſiæ non tantùm lucta eſt contra hoſtes externos, ſed etiam contra internos & domeſticos, ut non ſit mirum, eum qui Chriſtianus eſt, nihilominus eſſe Antichriſtum, nec mirum Chriſtianos contra Chriſtianos precari, ſicut hic Judæi contra Judæos precati ſunt.

III. Non loquitur tamen Eccleſia hoc loco de illa propriè inſurrectione Ethnicorum & Judæorum contra Chriſtum, quâ ipſum Chriſtum in diebus carnis illius occiderunt, ſed de illa, quæ fiebat poſt exaltationem Chriſti contra Eccleſiam. Unde hæc doctrina: Quando homines inſurgunt contra Eccleſiam, inſurgunt contra Chriſtum ipſum. Hoc patet etiam ex Pſal. 2. Ubi dicuntur contra Chriſtum inſurgere, cum contra Eccleſiam inſurgerent. Vide etiam Actor. 9. 5. Servit hoc ſolatio. Non enim noſtra pugna eſt, ſed Chriſti. Sponſam ejus ſatagunt violare, immò corpus & carnem ejus. Ipſe vindicabit. Vide 1 Iohan. 4. v. 4. Cum Chriſtus ex una parte pugnat, & Diabolus ex altera, quis dubitet de victoria? Ad tempus quidem Diabolo cedit & ſinit Eccleſiam affici clade ſed non ſinet vinci in æternum. Pugnemus fideliter ſub hoc capitaneo.

IV. Qui contra Chriſtum & Eccleſiam ejus inſurgunt contra Deum inſurgunt. Contra Dominum & Chriſtum ejus v. 26. Ratio duplex redditur in textu: 1. Quia Ieſus eſt filius Dei. Si quis inſurgat contra Regis hæredem, inſurgit contra regem ipſum. Sic &c. 2. Quia Deus eum unxit & omnibus præfecit cum mandato obſequendi Pſ. 2. Quod ſi quis inſurgat contra eum quem rex præfecit, inſurgit contra ipſum regem. Sic &c. Refutantur igitur, qui Chriſtum & Eccleſiam ejus perſequentes, putant ſe ideò non eſſe hoſtes Dei, quia colunt Deum unum creatorem cœli & terræ. Sed qui filium Dei oppugnant, Deum ipſum non honorant, Vide Ioh. 3. 18 & 35. 36 Iohan. 5. 22. 23.

V. Hoſtes Chriſti antiquum obtinent. Quales fuerant tempore Davidis, tales erant tempore Chriſti. Hic enim eſt ſcopus hujus aſſumptionis, ut oſtendant hoc tempore ita fremere hoſtes contra Ieſum, ut olim fecerunt Davidis tempore. 1. Sicut Diabolus non mutatur, ſed manet antiquus Draco, ita nec inſtrumenta ejus mutantur, ſed retinent ſuas proprietates, ſcilicet quod ſunt inſolentes ſicut equus in pugnam irruens. 2. Sunt vigilantes & fabricantes perniciem. 3. Sunt concordes in malo, & 4. Omnes ſuas intentiones dirigunt contra veram Chriſti Eccleſiam. Ne igitur ſperemus emendationem. Noſtri homines ſperant, Pontificios

hodiè

hodiè non eſſe adeò crudeles atque fuerunt olim, ſed factos humaniores ac mitiores, ut tam barbaras lanienas non opus habeamus ab ipſis metuere. Sed fruſtra. Serpens pellem ſæpe deponit, ſed nunquam venenum. Ita hoſtes Eccleſiæ ſubinde variant extrinſecam ſpeciem propter neceſſitatem temporis, ſed cor retinent idem.

VI. Jeſus eſt puer ſanctus. Quare autem vocetur puer, & quare ſanctus, explicatum eſt v. 13. 14. cap. 3.

VII. Jeſus à Patre ſuo unctus eſt. Non tantùm ex Patre genitus ut eſſet filius, ſed etiam à Patre unctus, ut eſſet ſervus ac legatus Dei, cujus manu conſilium Domini ſuccederet Eſa. 53. Hinc paſſim hoc affirmatur Pſal. 2. 6. Pſal. 45. 8. Eſa. 61. 1. Luc. 2. 26. Dan. 9. & paſſim vocatur Meſſias. Hinc paſſim dicitur miſſus à Deo, & Johan. 6. dicitur obſignatus à Patre ſuo. Sicut qui legatus mittitur, debet habere literas fiduciales, **credentz-brieben** / obſignatas ab eo, à quo mittitur; ita Chriſtus plenipotentiam accepit ſub ſigillo, quo Pater obſignavit ſe ratum habiturum quicquid ſuo nomine fecerit. Quanam autem in re conſiſtit illa Unctio? *Reſp.* Non propriè intelligendum, ſed tropicè, per metonymiam ſigni pro ſignato. Conſiſtit autem in duobus. 1. In datione poteſtatis & auctoritatis. Sicut nemo ſibi honorem ſumit, niſi vocatus Hebr. 5. 1. Ita Chriſtus non ſumſit ſibi honorem Mediatoris, ſed à Patre accepit. Deus non opus habebat mediatorem admittere, ſed peccata noſtra in nobis potuiſſet punire. Et ſi ſe quis ſine vocatione Dei ingereret mediator, non valuiſſet ejus mediatio, ſed reſponſum ei fuiſſet quod Moſi Exod. 32. v. 32. 33. Et quis potuiſſet, aut ubi inveniſſemus nos mediatorem, niſi Deus de ſuo dediſſet? Hanc ipſam ob cauſam mediatio Chriſti, apud Deum tam efficax eſt, quia de voluntate ejus facta eſt. Ipſe Pater juſſit, ut Chriſtus ſacrificium pro nobis præſtaret. Ergo non poteſt ſacrificium illud contemnere, ſi per fidem offeratur. 2. In datione Spiritus S. qui humanam naturam ad hoc faceret aptam. Nam 1. Per hanc unctionem præſervata humana natura Chriſti à pollutione peccati. Non enim ex peccatrice ſine peccato naſci potuiſſet, niſi hac unctione præſervatus eſſet. 2. Hac unctione Chriſtus factus eſt perfectè juſtus, & legi Dei conformis. Nam ſi ipſe lapſus eſſet in peccatum, pro aliis ſatisfacere non potuiſſet, nec fuiſſet agnus immaculatus. 3. Hac unctione roboratus eſt ad perficiendam omnem juſtitiam, quæ à nobis requirebatur, præſertim ad offerendum ſeſe Deo in ſacrificium, nam per Spiritum S. ſe Deo obtulit Hebr. 10. & ad ſuſtinendas ac vincendas omnes tentationes. Grave erat negotium, iram Dei contra totum mundum portare, & tamen naufragium fidei non pati. Opus igitur Spiritu S. Unctus eſt Spiritu S. ut ex ejus plenitudine Eccleſia ſumeret & hauriret ſua dona. Sicut membra corporis omnes ſuos ſpiritus hauriunt ex capite, ita nos cum carne Chriſti unimur, ut ex ea tanquam ex capite & ciſterna hauriamus dona Spiritûs quibus indigemus, ſicut hoc adumbratum eſt in unctione Aaronis; Pſal. 133. Ad quid autem unctus eſt? Ad officium mediatorium. Unctio notat commiſſionem officii & adaptationem ad illud. Hoc autem officium Chriſti triplex eſt.

1. Propheticum conſiſtens in doctrina, ſive mediata ſive immediata. Miraculis ad confirmationem doctrinæ facientibus.

2. Sacerdotale, conſiſtens in oblatione ſacrificii, Interceſſione. Sicut enim Sacerdos Aaronis ſacrificavit & interceſſit; ita Chriſtus. Huc pertinet benedictio, quâ impetratur benedictio populi.

3. Regium, conſiſtens in rectione. Per Spiritum efficaciter movet, trahit ac cuſtodit, ac tandem abſolvet in die judicii & dabit mercedem vitæ. In defenſione contra hoſtes. Quod ſi Chriſtus nobis à Deo ita præfectus eſt, nos eum talem agnoſcamus ac recipiamus. Unctio Chriſti eſt talis commiſſio, quâ Chriſtus nobis præficitur cum auctoritate. Eſt nobis datus.

1. In Prophetam. Ergo nos ſimus ejus diſcipuli. Agnoſcamus nos cæcos, abnegemus propriam rationem, & ſubjiciamus nos ejus revelationi. Nemo Deum vidit unquam, Joh. 1. Ab ipſo ſoli diſcamus voluntatem Dei & media ſalutis.

2. In Sacerdotem. Ergò nos ſimus ejus clientes. Sacerdos eſt coram tribunali Dei, id, quod Advocatus, ſive Sponſor coram foro civili, qui clientes habet. Quæramus igitur in ejus patrocinio omnem noſtram juſtitiam. Ne ſuſcipiamus propriam ſatisfactionem pro peccatis, nec imaginemur propria merita cœli. Hoc enim eſt negare totum Chriſti ſacerdotium, videl. ſatisfactionem illius & interceſſionem illius.

3. In Regem. Ergo nos ſimus ſubditi, non rebellantes ejus gubernationi, nec diffidentes ejus defenſioni. Qui gubernationi Chriſti rebellant, item qui negant ſe opus habere efficaci tractione

 Chriſti,

Chriſti, cum poſſint proprii arbitrii viribus facere officium, illi negant Chriſtum verum eſſe regem. Hoc enim eſt negare regiam potentiam Chriſti. Si tales nos geſſerimus, non ſolùm Jeſus erit Chriſtus, ſed etiam nos erimus veri Chriſtiani, & unctionis ipſius participes. Erimus 1. Prophetæ, qui annunriabimus myſteria, opera & laudes Dei. 2. Sacerdotes, qui offeremus Deo ſacrificium gratum euchariſticum. 3. Reges, qui dominabimur corruptioni noſtræ, & tandem poſt pugnam ſuperabimus Diabolum atque mundum, eoſque in ultimo judicio, judicabimus ac condemnabimus cum Chriſto, & tum cum Chriſto in æterna gloria triumphabimus. Sicut Regina unà coronatur & honoratur cum ſuo Rege, ita Eccleſia cum Chriſto.

Actor. 4. *v.* 28. 29. 30. 31.

Concio LVI.

HActenus Aſſumptio ipſa. Sequitur Aſſumptionis Amplificatio Antithetica, ut ſupra appellavimus in analyſi. Congregati ſunt ut faciant quod tu decreviſti. Particula *ut* latens in conſtructione græca, hic non eſt nota intentionis, ſed nota eventus. Non indicat quod hoſtes ſibi propoſuerint facere voluntatem Dei. Convenerant enim ut facerent voluntatem ſuam, ut explerent ſuum odium contra Chriſtum, &c. Prætendebant quidem ſe conveniſſe ut facerent quod Deus ipſis injunxiſſet, ſcil. ut tollerent è medio eum, qui populum ſeduceret, & legem Moſaicam impeteret, & ſeditiones excitaret. Sed hi prætextus erant. Verus finis ac vera intentio erat explere ſuam invidiam contra Chriſtum conceptam Matth. 27. 18. Unde etiam dicuntur contra Deum & contra Chriſtum ejus conveniſſe v. 26. Cur igitur dicuntur conveniſſe ut facerent quod Deus decrevit? *Reſp.* Notatur eventus hujus conventus, quod ſcilicet contra Deum & Chriſtum inſurgentes nihil alind effecerint, quàm quod Deus ipſe determinavit ut fieret, adeò ut his verbis deſcribatur providentia & gubernatio Dei ſuper hanc rebellionem & inſurrectionem impiorum contra Dominum & Chriſtum ejus. Etſi enim Deus non eſt auctor malorum operum, quæ faciunt homines, tamen non minus eſt gubernator malorum operum quàm bonorum. Immò magis propriè appellatur gubernator malorum, quàm gubernator bonorum noſtrorum operum. Bonorum enim effector & auctor magis eſt quàm gubernator. Propriè autem & ſtrictè loquendo id demum dicimur gubernare, quod ipſi non facimus, ſed quod faciunt alii. Jam autem Deus ipſemet operatur & efficit quod nos facimus bonum. Poteſt tamen dici etiam bona noſtra opera gubernare, quia ea ita operatur & efficit, ut non fiant ſine nobis, verùm in nobis & à nobis, & ita ſint effecta Dei; ut etiam ſunt actiones noſtræ, quas Deus gubernat præcipiendo & remunerando. Sed de malis noſtris operibus magis propriè dicitur, quod Deus ſit eorum gubernator, quia ea non niſi gubernat & nullo modo efficit. Quibus autem in rebus conſiſtebat gubernatio Dei ſuper hanc inſurrectionem contra Chriſtum? In duabus:

I. Quod manus ejus determinavit ut fierent quæ impii fecerunt.

II. Quod conſilium ejus determinavit ut fierent, quæ impii fecerunt. Per manum Dei duo poſſunt hoc loco intelligi:

1. Manus ſcribens. Præſcripſit & prænunciavit in V. T. omnia illa futura eſſe Chriſto quæ facta ſunt.

2. Manus operans. Habuit enim manum Deus concurrentem & cooperantem in peccatis Judæorum, & in tota illa paſſione, quam hoſtes Chriſti impiè inflixerunt, quâ malitiam hoſtium direxit, ut ita fieret quod factum eſt. Per conſilium Dei intelligitur æternum & immutabile ejus decretum & conſtans voluntas ipſius. Deus ab æterno decrevit & conſtanter voluit, ut hoſtes Chriſti facerent omne illud malum quod Chriſto fecerunt. Scio homines carnales, qui res divinas non niſi ſuo judicio metiri cupiunt & locutionibus Scripturæ ſe ſubmittere recuſant, his modis loquendi offenſum iri, ſed vos qui Scripturam habetis pro regula ſentiendi & loquendi de rebus divinis, cohibere carnalem veſtram rationem, & in timore Domini ſublimem hanc materiam mecum perpendite. Quatuor actiones diximus Deo tribui in gubernatione hujus mali, quas in ordinem redactas ſic repetimus.

1. Quod ab æterno immutabili conſilio decreverit ut ita fieret, ut Chriſtus à malitia Judæorum & gentium ita malè tractaretur. Nam ſi Deus non ita decreviſſet, tum factum eſſet caſu, præter & citra conſilium Dei. At quis hoc de Deo auſit affirmare? Multa quidem fiunt præter conſilium & intentionem hominum, ſed hoc ab imperfectione eſt, quam Deo adſcribere velle, eſt negare Deum eſſe verum Deum. Si ſine Dei conſilio ne pilus quidem

de

de noſtro capite decidit Matth. 10. an credibile eſt Chriſtum ſine Dei præfinito conſilio hæc omnia paſſum eſſe à Judæorum malitia? præſertim cùm Scriptura tam expreſsè contrarium affirmet, & hîc & Actor. 2. 23.

2. Quod fuerit conſtans Dei voluntas, ut Chriſtus à malitioſis Iudæis ita malè tractaretur. Id expreſsè Chriſtus affirmat Matth. 26. v. 39. & 42. Si Deus non voluiſſet fieri, illi non potuiſſent facere. Nam voluntati Dei quis reſiſtat? *Object.* At fuit à Deo prohibitum. An Deus vult aliquid fieri, quod prohibet non fieri? *Reſp.* Ita eſt. Voluntas Dei & interdictum Dei non pugnant, nec ſunt duo contraria. Deus enim ſæpe prohibet quod vult fieri. Sed diſtinctione hîc opus eſt. Alia eſt voluntas eligens, alia voluntas approbans. Deus non vult quod prohibet, i. e. non approbat, ſed odit ac deteſtatur. Deus tamen etiam vult quod prohibet, i. e. eligit ſibi in medium, quo ad bonum aliquem finem perveniat. Sicut multa approbat quæ non eligit neque decernit ut fiant, 1 Tim. 2. 4. Ita multa eligit atque decernit, quæ tamen non approbat, ſed odit, deteſtatur ac prohibet. Nam quod eſt prohibitum, malum ac deteſtabile opus, idem poteſt eſſe bonum medium, quod Dominus ſibi eligere poteſt ad bonum finem aſſequendum. Hinc Eſa. 53. 10. dicitur, quod contritio Chriſti placuit Domino. Non quatenus contritio Chriſti erat peccatum Iudæorum contra prohibitionem Dei, ſed quatenus erat inſigne medium liberandi humanum genus. Etſi itaque inſurrectionem Iudæorum contra Chriſtum prohibuit, propterea quod eſſet malitioſum opus contra juſtitiam, tamen illud ipſum malitioſum opus voluit, quatenus erat inſigne medium redemptionis.

3. Quod Deus propria ſua manu antea ſcripſit, & firmâ ac infallibili prophetiâ prænunciavit, Chriſtum a Iudæis ita occiſum iri. Vide Actor. 13. 29. Matt. 16. 21. Oſtendebat ſcilicet ex Scriptura, quod oportebat eum tradi Ethnicis ac Scribis, & ab illis pati. Sic etiam Luc. 24. 7. præſertim Luc. 18. v. 31. 32. Oportebat fieri. Nam Deus propria manu ita ſcripſerat futurum. Nulla eſt circumſtantia paſſionis, quam non Deus in verbo ſuo præfiniverit.

4. Quod Deus propriâ manu & proprio concurſu ſuæ cooperationis rem hanc ita direxit, ut ita fieret & non aliter. Nam certè non debemus ita ſentire, quod illa traditio, & illuſio & flagellatio & occiſio Chriſti ſit opus ſolius Herodis, Pilati & Iudæorum, in quo Deus nullam manum habuerit. Immò expreſsè dicendum eſt, quod Deus ſit prima & primaria infligens cauſa omnium illorum malorum quæ Chriſto inflicta ſunt, & quod malitioſi homines fuerint inſtrumentum per quod Deus filium ſuum ita afflixit. Non dico quod ſit principalis cauſa malitiæ, ſed quod ſit cauſa quæ hanc malitiam ſuper Chriſtum induxit. Vide Eſa. 53. 10. Placuit Deo ipſum conterere, Deus eum afflixit. Hinc tota paſſio Chriſti dicitur Poculum, quod Pater ipſius ei dedit Johan. 18. v. 11. Et reverâ ita eſt. Nam tota paſſio Chriſti conſideranda eſt ut pœna, quam Deus Iudex Chriſto, tanquam ſponſori noſtro, inflixit, ut peccata noſtra in ipſum incurrere faceret, eaque in carne ejus condemnaret. Eſa. 53. 6. Rom. 8. 3. Chriſtus in hac paſſione non conſiderandus eſt, ut martyr, qui à malitia hominum perſecutionem paſſus eſt, ſed ut ſponſor, qui à Deo punitus eſt ad ſatisfactionem pro noſtris peccatis. Nulla nobis conſolatio foret ex tota paſſione Domini, niſi crederemus omnia illa mala, quæ malitioſi Judæi per malitiam ſuam ipſi inflixerunt, conſilio & manu Dei fuiſſe ita directa ac gubernata, & Chriſto inflicta in expiationem peccatorum noſtrorum.

Exceptio: Hinc non ſequitur, Deum efficaciter gubernâſſe peccata Judæorum & Pilati, voluiſſe, decreviſſe & ordinâſſe, vel direxiſſe ut Judæi Chriſtum ita proderent, flagellarent, occiderent, illuderent, ſed tantùm voluiſſe, decreviſſe & ordinâſſe, ut Chriſtus proderetur, illuderetur, flagellaretur & occideretur. Paſſionem Chriſti voluit, ſed non actionem Judæorum.

Reſp. 1. Paſſio & actio non differunt niſi reſpectibus. Illud ipſum quod Judæi fecerunt, Chriſtus paſſus eſt.

2. Textus dicit: Judæi id ipſum faciunt, quod tua vis fieri. Factum igitur & actio ipſorum eſt objectum divinæ manus & divini conſilii. Non dicit, Deum decreviſſe, quod Chriſtus paſſus eſt, quamvis hoc quoque verum, ſed dicit, Deum decreviſſe, quod Judæi fecerunt.

3. Non potuit Deus velle & definire certò, ut Chriſtus moreretur & mundum redimeret, niſi ſimul definiret, ut hujus vel illius manu moreretur. Nam qui vult finem, vult etiam media, ſine quibus obtineri finis non poteſt.

Sed ut minus mira tibi videatur hæc Dei gubernatio ſuper peccata Judæorum contra Chriſtum com-

commiſſa, ſciendum, quod Scriptura Deo talem gubernationem tribuat non ſolùm ſuper hæc peccata, quæ Judæi contra Chriſtum commiſerunt, ſed etjàm ſuper omnia peccata, quæ homines faciunt, & quibus ſibi invicem injurii ſunt. Vide

1. Hiſtoriam Joſephi, Geneſ. 45. v. 7. 8. & 50. v. 19. 20.

2. Hiſtoriam Pharaonis, ubi paſſim vides, quod Deo ſuper duriciem, quâ Pharao uſus eſt contra Deum & Moſem, tribuitur efficax providentia & gubernatio, Exod. 4. 21. & 9. 12. & 14. 17. & Pſal. 105. v. 25.

3. Hiſtoriam Sion Deut. 2. 30. & Cananitarum, Joſ. 11. 20.

4. Filiorum Eli, 1 Sam. 2. 25.

5. Peccata Abſalomi, 2 Sam. 12. 11. 12.

6. Simei, 2 Sam. 16. 10.

7. Davidis, 2 Sam. 24. 1.

8. Rehabeami, 1 Reg. 12. 15. 24. & 2 Chron. 11. v. 4.

9. Achabi, 1 Reg. 22. v. 20. 22. 23.

10. Amaziæ, 2 Chron. 25. 20.

11. Chaldæorum contra Jobum, Job. 1. 21.

12. Regis Aſſyriæ, Eſa. 10. 5. 6. 15.

13. Sapientum Ægypti, Ezech. 19. 13. 14.

14. Confer, Thren. 3. 36. 37. 38. Amos 3. v. 6. Rom. 1. 28. 2 Theſſ. 2. 10. 11. 12. Apoc 17. 17.

Omnibus hiſce locis Deo ſuper peccata hominum tribuitur talis & tam efficax gubernatio, atque hoc in textu ſuper peccata Judæorum, ubi tamen ſemper recordanda monita ſuperius tradita, videl. quod in nullo horum locorum Deo tribuitur effectio peccati, ſed tantùm gubernatio peccati.

Quânam autem in re conſiſtit ille concurſus divinæ manus cum peccatis hominum? ſeu ille περιορισμὸς τῆς ἁμαρτίας? i. e. quod Deus circa peccata hominum facit, ut ea efficaciter gubernet, & tamen non ſit auctor eorum? *Reſp.* Solet vulgo in ſequentibus conſtitui:

1. Permittit. Non ethicè, quaſi non prohibeat, ſed phyſicè quia non impedit, ſed ſinit ire ſuis viis, relinquit eos ſuis libidinibus, nec coërcet Satanam, nec prohibet ab illis tentationes illius, ſed poteſtati ejus eos tradit propter diuturnum contemptum gratiæ.

2. Suſtentat creaturam peccantem. Sine Deo nemo poteſt peccare, quia ſine Deo nemo ſe poteſt movere, Actor. 17. 28. Jerem. 10. 23. Prov. 20. 24. Etſi ἀταξία operis non eſt à Deo, tamen actio ipſa eſt à Deo. Solet declarari per ſimile equitis, qui equum claudum movet, & magiſtri, qui manum diſcipuli in ſcribendo movet.

3. Dirigit malitiam creaturæ in talia objecta & in tales fines, in quos vult, eamque limitat, ne agat pro menſura malitiæ, ſed ad menſuram divinæ ſapientiæ, & ad bonum fidelium. Rom. 8. 28. & 9. 17. 1 Cor. 11. 19. Phil. 1. 12. 13. 14. Gen. 50. v. 20.

Object. Si itaque Deus manu & conſilio ſuo omnia hominum peccata adeò firmiter determinavit & definivit, tum oportet ea fieri, tum neceſſarium eſt ut homines peccent, tum impoſſibile eſt, ut peccatum ullum, quod faciunt omittant. Et ſi ſic, tum homo peccans eſt excuſabilis, nec jure poteſt puniri, tùm omnes dehortationes à peccatis ſunt vanæ & inutiles. Nôſtis quantopere homines inquieti in hac objectione urgenda ſibi indulgeant, ut verè auſim dicere, hanc eſſe totum & unicum illud propter quod tantæ turbæ datæ ſunt in Eccleſia noſtra. Quid igitur reſpondebimus?

Reſp. Nihil aliud quàm quod Paulus reſpondit ad eandem. Non enim eſt nova ſed vetus objectio, quæ Paulo quoque objecta eſt Rom. 9. 19. Allegaverat Paulus v. 17. Providentiam Dei ſuper peccatum Pharaonis, & v. 18. ex ea concluſerat indurationem & malitiam hominum non eſſe ſine voluntate Dei, aut contra eam, ſed planè omnia etiam peccata, fieri ſecundùm voluntatem & conſilium Dei. Hinc itaque v. 19. præoccupat hanc objectionem: Si peccata omnia fiunt ſecundùm voluntatem & conſilium Dei, tum peccatores ſunt inculpabiles. Impoſſibile enim eſt eos voluntati Dei potuiſſe reſiſtere. Vides quod ſit eadem planè objectio, quam hodiè turbatores noſtri movent. Quid igitur ad illam reſpondet Apoſtolus? Vide v. 20. 21. q. d. Non decet creaturam ſibi indulgere in tam iniquis & impiis conſequentiis contra providentiam Dei formandis, ſed potius captivam ducere ſuam rationem, & cogitare, judicia Dei eſſe ἀνεξιχνίαστα καὶ ἀνεξερεύνητα, & creaturam non poſſe mentem & conſilium Dei cognoſcere aut perſcrutari, quippe cujus viæ non ſunt ſicut viæ noſtræ, nec cogitationes ejus ſicut noſtræ Rom. 11. Eſa. 55. Cum creatura contra creatoris ſui providentiam talibus naſutulis conſequentiis murmurat, & cum Deo expoſtulat, perinde facit, ac ſi olla contra figulum, ſeſe efferret. Creaturam itaque de Creatoris providentia debere ita ſentire & loqui, ſicut Deus ſe in verbo

verbo ſuo tevelavit, & debere credere & confidere creatorem eſſe adeò ſapientem, bonum & juſtum, ut in gubernatione ſua poſſit prævenire omnes iſtas actiones & omnes agendi ac operandi modos, quæ juſtitiæ ejus ſint contrariæ, & officia hominum impediant. Non habemus opus turbatoribus noſtris ad hanc objectionem quicquam aliud reſpondere, quam hoc.

At enim an hæc doctrina de efficaci illa gubernatione Dei ſuper peccata hominum habet aliquam [illegible] tatem, propter quam neceſſarium ac utile ſit eam in cœtibus fidelium ſonare & proponi? *Reſp.* Certè habet. Nam

1. Conducit ad gloriam Dei. Si non confitemur Deum ita efficaciter dominari ſuper malitiam & omnia peccata hominum, tum homines malos efficimus ſupra Deum, qui arbitrio ſuo dominentur ſupra providentiam Dei, ut peccata eorum reſpectu Dei caſu fiant, præter Dei conſilium. Sicut Deus corda; ita & malitiam malorum habet in manu, & flectit *ſicut* aquas ad ſuam gloriam, ad ſalutem piorum & ad certam confuſionem impiorum qui ea faciunt, niſi reſipiſcant. Ne itaque impii in ſua impietate ſuperbiant, ſed nôrint ſe eſſe inſtar feræ, quæ [illegible]eo annulo à Deo ducitur in omni feritate ſua E[illegible] 37 29. Ne putent ſe Deo ægrè facere cum contra ipſum inſurgunt, ſed ſciant ſe omni ſua malitia, quam exercent, nil aliud facere, quam quod Dei [illegible] & conſilium prædefinivit ut fiat, & proinde Deum in cœlo ridere & illudere ipſorum conatus omnes. Pſal. 2.

2. Conducit ad ſolatium fidelium, & patien[illegible] eorum. Si peccata & injurias hominum eximus efficaci providentiæ Dei, quid ſolatii relinquis fi[illegible] contra eas? Si quid immediatè à Deo patiuntur fideles, id ſolent ferre patienter, ſed ſi à manu [illegible]orum aliquid patiuntur, hoc valdè urit & accen[illegible] illam invidiam, de qua Pſal. 37. 1. & Pſal. 73. 3. &c. Quis noſtrûm eſt qui non ſentit motum hujus invidiæ in corde ſuo, quoties audit de nova clade Eccleſiæ & victoriâ hoſtium impiorum? Sed heus! conſidera quod hoſtes nil aliud faciant, quàm quod manus & conſilium Dei decreverunt ut fiat. Habet Deus quoque manum in hoc, & ſapiens ac utile tibi conſilium. Dicas igitur ut Iob 1. 21. ut David 2 Sam. 15. 25. 26. & 16. 10. ut Ioſeph Gen. 50. 20. ut Michas Mich. 7. 5. 6. 7. 8. 9. ut Chriſtus Luc. 22. 51. Iohan. 18. 11. Ne ſimus ſicut canes, qui lapidem, quo petuntur, admordent, jactorem verò non curant. Quis non metueret homines malos, ſi malitia eorum non eſſet ſub dominio Dei? Quis non metueret ſibi à propria intemperantia & imprudentia, & à ſeductione Satanæ ac mundi, ſi non ſciret hæc omnia eſſe ſub dominio Dei?

Hactenus aſſumptio ſyllogiſmi, ad quem reduximus has preces Eccleſiæ. Sequitur tertia ejus propoſitio, videl. Concluſio, quæ habet ipſas preces, ſeu ipſam petitionem, quam præmiſſis hujus ſyllogiſmi ſuperſtruunt. Fundamentum, quod in præmiſſis poſuerant, erat hoc, quod Deus omnes hoſtium motus haberet in ſua manu, eoſque certo & præfinito conſilio ita determinaverit, ut nil aliud poſſint agere, quàm quod ipſe decreverit futurum, quod etiam promiſerit ſe omnes iſtos conatus riſurum & illuſurum, ut ſint vani. Huic fundamento ſuperſtruunt hanc petitionem, ut Deus igitur reſpiciat minas illorum hoſtium, à quibus tunc patiebantur. Ubi claro videmus exemplo, quàm falſa ſit iſta turbonum opinio, iſteque importunus clamor, quod ſupervacaneæ ſint preces & petitiones earum rerum, quas Deus conſilio ſuo certò præfinivit, & in verbo infallibiliter promiſit. Non opus, inquiunt, eſt vos petere perſeverantiam in fide & remiſſionem peccatorum, quia Deus vos ad ſalutem infallibiliter prædeſtinavit, & quia creditis vos habere infallibiles promiſſiones harum rerum. Sed vides quid hic faciat Eccleſia, quæ etiam confitebatur hoſtium malitiam conſilio Dei eſſe immutabiliter præfinitam, & liberationem Eccleſiæ promiſſam, & nihilominus confuſionem hoſtium ac liberationem Eccleſiæ precatur. Nimirum certitudo finis, à Deo promiſſa, non excludit uſum mediorum, quæ Deus ordinavit, ut patet ex hiſtoria Pauli Act. 28, 22. 24. 26. & 31. Certitudo accipiendi non eſt impedimentum precum, ſed potius cauſa impellens. Tria autem ſunt, quæ ex hoc fundamento à Deo petunt: 1. Reſpice minas eorum. 2. Da ſervis tuis parrheſiam loquendi verbum. 3. Extende manum ad ſanationes, ut fiant ſigna per nomen Jeſu. In his tribus reverà conſiſtit tota proſperitas Eccleſiæ in his terris.

1. Ut Deus cohibeat hoſtes & tyrannos, & det Dominis ac rectoribus hujus mundi in mentem, ut Eccleſiam ſinant ſub ſuis alis ducere tranquillam ac honeſtam vitam, ut non tantùm non ſint perſecutores, ſed etiam nutritii ac defenſores. Hoc autem impetrabimus, ſi minas & blaſphemias hoſtium Deo conſpiciendas & vindicandas offeramus,

ramus, ut fecit Hiskias Eſa. 37. verſ. 14. & 17.

2. Ut Deus det miniſterium neceſſariis donis, & præſertim in Chriſtiana parrheſia ornatum, quod ſit inſtar boni ſalis, inſtar alacris vigilis, inſtar boni paſtoris. Tantum enim boni à tali miniſterio exſpectandum eſt, quantum mali ab eo quod corruptum in doctrina & vita, ſchiſmaticum, profanum, ignavum. Rationes cur ita ſit, verſu 13. audivimus. Tantum abeſt ut Eccleſia ſibi cupiat miniſtros tepidos, ut pro parrheſia eorum Deum invocet, ſecus quàm faciunt noſtri, qui nullam docendi rationem probant, niſi quæ etiam placeat impiis, & deſtituta ſit omni parrheſia reprehendendi quod malum eſt.

3. Ut Deus confirmet prædicationem miniſterii. Quantumvis enim liberè & efficaciter prædicent miniſtri, nihil tamen efficiunt, niſi Deus ſermonem eorum confirmet. Verum quidem, quod nobis non licet petere confirmationem Euangelii per ſigna & miracula, ſicut hîc petit Eccleſia, quia horum promiſſionem non habemus, ſicut habebat Eccleſia primitiva Marc. 16. 17. 18. nec indigemus his ſignis ad confirmationem Euangelii, poſtquam ita confirmatio facta eſt ſufficienter. Sed aliâ confirmatione prædicationis Euangelii opus habemus, ſcilicet eâ, quâ Euangelium prædicatum reddatur efficax ad regenerationem & ſanctificationem, conſolationem & conſervationem multorum, quæ confirmatio promiſſa nobis eſt Eſa. 55. v. 10. 11. Hanc itaque confirmationem verbi quotidianis precibus ſuper Eccleſiam impetremus. Cætera quæ in hac concluſione notabilia ſunt, ſuperius ſunt explicata. Imitemur has preces hoc tempore, quo reverà Herodes, Pilatus & omnes hoſtes inſurgunt contra Dominum & Chriſtum ejus. Hactenus precatio Apoſtolorum. Diximus Concion. 10. de hac precatione tria eſſe conſideranda. 1. Occaſionem precationis. 2. Precationem ipſam. 3. Effectum hujus precationis. Abſoluto igitur ſecundo, addamus verbulum de tertio, videl. de effectu harum precum. Commotus eſt locus ubi erant, quia ſigno aliquo præſentiam ſuam Deus voluit ſignificare. Sæpe Deus non juvat, ſed tamen ſignum dat ſe juturum. Terræ motus alioquin ſunt ſigna iræ, ſed hic eſt ſignum gratiæ. Sic etiamnum concuſſiones illæ & motus ac turbæ, quibus jam ſcinditur Eccleſia, piis & precantibus debet eſſe ſignum, quod Deus veniat ad purgandum horreum ſuum. Inſiſtamus modò precibus, & impetrabimus concuſſionem throni Antichriſti. Repleti etiam ſunt Spiritu S. i. e. augmentum donorum acceperunt, ſicut die Pentecoſtes receperant bonum initium. Hoc ipſum illud quod petiverant. Exemplum hoc eſt, quantum valeant preces, & quàm certa ſit exauditio. Sed ſtatim atque incrementum donorum acceperunt, loquuntur verbum cum fiducia tantò majori. Quantò plus roboramur à Domino, tantò diligentius laborare debemus in opere Domini, & dona noſtra ad gloriam ejus impendere.

Actor. 4. *v.* 32. 33. 34. 35.
CONCIO LVII.

HÆreo mecum, utrum quod in hoc capite reſtat, referendum ſit ad ſecundum teſtimonium, quod Apoſtoli Chriſto in urbe Hieroſolyma dederunt, an verò ad tertium.

Ad utrumque commode poteſt reduci. Nam

I. Poſſum dicere, quod in his verbis deſcribatur alterum medium, quod Eccleſia ad ſui defenſionem arripuit contra minas Apoſtolis factas in concilio. Poſtquam ex minis Senatorum, per Apoſtolos enarratis, intellexerant magnum ſibi imminere periculum perſecutionis, duplici medio ſibi contra illam voluerunt conſulere:

1. Precibus, quas hactenus explicuimus:

2. Strictâ inter ſe unione, dilectione & concordiâ, quæ reliquis hujus capitis verſibus deſcribitur, & ſingulari exemplo Joſis illuſtratur.

II. Sed ſicut commodè refertur ad ſecundum teſtimonium, ita etiam aptam habet relationem ad tertium. Eſt enim occaſio remota, ex qua tertium teſtimonium natum eſt. Cùm enim fideles mutuis charitatis officiis ſeſe juvarent, & quidam ex illis bona ſua venderent, & ad Apoſtolorum pedes deponerent pretium, ut diſtribueretur inter pauperes, quæ res magnam illis in Eccleſia pariebat laudem & benedictionem, Ananias cum Sapphira occaſionem inde cœperunt eandem laudem ſibi quærendi per liberalitatem hypocryticam & mendacem, quæ res Apoſtolo Petro occaſio fuit majeſtatem & gloriam ac potentiam Jeſu Chriſti teſtandi per miraculoſam occiſionem horum duorum hypocritarum, ut nomen Chriſti Jeſu metueretur à prophanis. Utramque relationem in explicatione conſiderabimus, quantùm opus eſt.

Eccleſia igitur minis hoſtium perterrita in remedium contra has minas eligit non tantùm preces ad Deum, quas hactenus explicuimus, ſed etiam mutuam

mutuam unionem, charitatem & concordiam. Rectè profectò. Eſt enim unio & concordia Eccleſiæ inſigne medium eam defendendi contra hoſtium minas. Sicut in republica verum eſt, quod concordia res parvæ creſcant, ita etiam in Eccleſia. Ratio duplex:

1. Concordia eſt res grata Deo, quæ præſentiam ejus & auxilium affert. Vide Pſal. 133. v. 1. Hinc Deus Pater cognoſcit nos eſſe veros diſcipulos filii ſui Johan. 23. v. 35. quos in protectionem ſuam recipere debet Sicut ſchiſmata, factiones, diſcordiæ ſunt res carnis, quæ Deo diſplicent 1 Cor. 3. 3. Gal. 5. 10. Ita concordia eſt opus & fructus Spiritûs. Gratum eſt Deo, ſi, qui unum in cœlis patrem agnoſcunt, ex una matre eccleſia nati ſunt, unum habent fratrem primogenitum Chriſtum, per quem adoptati ſunt, uno ſpiritu omnes animantur, unum ſperant patrimonium, &c. unitatem quoque animorum inter ſe colant. Vide Epheſ. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 1 Cor. 12. 12. 13. 14. &c. Hinc Iſraëlitæ volentes ſibi acquirere auxilium Dei contra hoſtes, Jud. 20. v. 1. venerunt ut vir unus.

2. Concordia eſt res noxia hoſtibus. Noſtis antiquum illud: *Divide & impera*. Id hoſtes hodieque factitant ſedulo, ideòque noſtrum erat tanto ſtrictius nos unire quanto illi magis quærant dividere, ne nobis contingat illud Gal. 5. 15. O quam eſt dolendum his temporibus quibus adeò contra Euange[illegible] doctrinam conſpirant Antichriſtus Romanus & omnes ejus vaſalli, eos, qui ſe Euangelicos profitentur, & à Papatu diſceſſerunt, non ſtrictius ſeſe unire, ſed diſtractionibus, diſcordiis, ſuſpicionibus m[illegible] à ſe invicem ſejungi, atque ita hoſti comm[illegible] omnes ſe exponere. Unde quæſo, hodierna Euang[illegible]corum oppreſſio, niſi ex neglecto ſtudio conc[illegible]æ, & ex inutilibus ſuſpicionibus?

Object. Sed quis in culpa eſt? Nonne vos æquè ab a[illegible] ſeceditis atque illi à vobis? nonne vos æquè alios [illegible] & ſcriptis ac vocibus acerbis proſequimini, atque [illegible]li vos? nonne vos æquè pacem cum illis rejicitis, [illegible]tque illi rejiciunt pacem vobiſcum? Quid igitur eſt, cur Reformati plus ſint pacifici quàm al[illegible]? *Reſp.* Non excuſabo praxin omnium, qui reformatam Religionem profitentur, ſed tamen reformata Eccleſia in genere duo habet, cur aliis magis eſt pacifica dicenda:

1. Retinet ſenſum Scripturæ. Cum de diſtractionibus querimur eorum, qui ſe Euangelicos profitentur, non tantùm querimur de diſtractionibus animorum & effectuum, ſed præcipuè etiam de diſtractionibus mentium & ſenſuum, quod ſcilicet non idem ſentiunt nobiſcum, vel potius cum Scriptura 1 Cor. 1. 10. Rom. 15. 5. Phil. 2. 2. Hoc eſt quod querimur, quod multi inter eos, qui ſe Euangelicos profitentur, adeò pertinaciter errant contra Scripturam & fœdus gratiæ, ut ea, quæ clariſſimis Scripturæ teſtimoniis nituntur, non rejiciant ſolùm, ſed etiam blaſphement & furioſè perſequantur, & alia, quæ in Scripturis nullum habent teſtimonium, tam importunè urgent, tanquam articulos fidei, ac diſſentientes, acerbè perſequuntur. e. g. qui doctrinam de Trinitate, de providentia Dei, de ſatisfactione mediatoris, de efficaci gratia regenerationis & conſervationis ſuper omnes contritos corde & electos, quæ omnia adeò clarè in Scripturis fundata, & ad ſalutem ac conſolationem piorum abſolutè neceſſaria ſunt, tam odioſè traducunt ac repudiant, & è contra ſterile illud dogma *de univerſali gratia* & quæ huic ſimilia ſunt, quæ nec ullum fundamentum habent in Scriptura, nec ullum in Eccleſia, tam importunè urgent, hi inquam, omnes, nonne tales ſunt, de quibus meritò conquerimur, & quibus tribuimus culpam diſtractionum. Quandiu enim tales ſunt, non licet nobis perfectam cum ipſis pacem colere, etiamſi angeli ex cœlo eſſent, quippe qui habemus mandatum, hominem hæreticum poſt primam vel ſecundam adhortationem rejiciendi Tit. 3. 10. 2 Tim. 2. 16. 17. 18. Rom. 16. v. 17. 2 Johan. 10. Non igitur penes nos culpa diſſidiorum, etſi ab iis, qui ita errant diſcedimus, ſed penes eos, qui ab his erroribus diſcedere nolunt: Quod itaque ad Pacem cum talibus conferre poſſumus, id omne in eo conſiſtit, ut eos convincamus ex Scriptura de ipſorum erroribus, eoſque hortemur, ut ſecundùm eandem regulam nobiſcum incedant. Inſtant. Idem alii de ſe dicunt? *Reſp.* Dicunt, ſed non præſtant. Id vobis oſtendimus in quotidianis noſtris concionibus. Conſcientiæ veſtræ noſtri teſtes, quod nihil docemus, niſi quod ad ſalutem & ſolatium prodeſt.

2. Offert pacem etiam errantibus. Nos non hoc tantùm ad pacem conferimus, quod idem ſentimus cum Scriptura, ſed etiam docemus non eſſe fovendam diſcordiam propter quæſtiones inutiles, neque ob dogmata, quæ ſaluti & ſolatio non admodum obſunt, iiſque, qui in talibus à nobis diſſentiunt, quamvis opinionibus ipſorum ſervire non poſſimus, tamen offerimus converſationem pacificam,

cam, quâ, ſepoſitis convitiis, ſcommatibus, obtrectationibus, &c. quæſtiones controverſas ventilemus eo ordine & animo, qui ſapiat Chriſtianam lenitatem. Hæc eſt Reformatorum doctrina. Si non eſt omnium praxis, reprehendendi ſunt. Quod ſi ita vobiſcum, vellent facere, non tam atrocia eſſent noſtra diſſidia, quæ hoſtibus communibus tantum commodi contra nos præberent, & major ſpes foret ulterioris conſolidationis. Sed quia de iſtis hominibus meritò poſſumus conqueri ex Pſal. 120. 7. quod nobis de Pace loquentibus bellum meditentur, & omnes noſtras oblationes pacis rideant & exagitent faciantque occaſiones tantò majorum turbarum, quid aliud poſſumus agere, quàm, ut his hominibus miſſis, nos invicem, qui eandem veritatem profitemur, hortemur ad pacem & arctam unionem, ut quaſi vir unus ſtemus contra hoſtem communem, & contra omnes infidos vicinos ac falſos fratres, qui cum hoſte communi colludunt, & de calamitate noſtra gaudent, nec ob res leves & temporales tam animosè inter nos contendamus, ſed diſſenſiones noſtras circa quæſtiones parvi momenti, vel circa illud odioſum Meum ac Tuum ita componamus, ut odium & invidia inter nos exulet, & tali ſimus conjuncti concordiâ, quæ hoſtibus noſtris ſit terribilis, & toti Eccleſiæ ſtatui ſalutifera. Conferant ad pacem quicquid poſſunt 1. qui Eccleſiam gubernant. 2. qui rempub. regunt. 3. qui ullas privatas controverſias inter ſe habent.

Sed quotnam in rebus conſiſtebat illa concordia Eccleſiæ primitivæ? *Reſp.* In tribus.

I. In conglutinatione animarum. Habebant cor unum, & animam unam. Quomodo hoc? An quinque millia hominum tantùm unam habebant animam, & unum cor? *Reſp.* non unam ſubſtantiâ & numero, ſed unam.

1. Affectibus, quia verâ charitate ſibi invicem erant quaſi agglutinati, ut dicitur de Ionathane & Davide 1 Sam. 18. 1. & de Iacobo & Benjamine Gen. 44. 30. Hæc conglutinatio animorum per charitatem eſt fundamentum & cauſa omnis concordiæ, & ubi illud gluten deficit, facile oriuntur iræ, ſuſpiciones ac diſtractiones. Ubi ἡ φιλαυτία dominatur, & vera charitas proximi negligitur, ibi non poteſt habere locum concordia, nec Eccleſiaſtica, nec politica. Vides hoc inter matrem & liberos, ubi ſubinde quidem aliquid ebullit iræ, ſed facilè ceſſat, quia magnus amor utrinque dominatur. Agglutinemus igitur animas noſtras per veram charitatem omni proximo, qui eandem veritatem nobiſcum profitetur, & notoriâ impœnitentiâ vitæ contrarium non oſtendit, cogitantes, quod ſint ejuſdem patris filii, noſtri cohæredes, membra ejuſdem corporis, eodem ſanguine empti, &c.

2. Intentione. Hoc illud ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτό Act. 2. v. 44. Unum communem ſcopum habebant, nimirum abnegationem ſui ipſorum, & promotionem regni Chriſti. Ubi hic ſcopus dominatur apud omnes ut omnes non quærant quæ ſua ſunt ſed omnes quærant ſalutem patriæ & promotionem veritatis ac ſanctitatis, ibi pax obtinet & concordia. Sed cum unus ſibi pro ſummo ſcopo habet ſuum honorem, ſuum commodum, favorem Magnatum, promotionem liberorum, alter verò ſeipſo abnegato quærit promotionem regni Dei & Iuſtitiæ, ibi non poſſunt non eſſe diſſidia. Conſideremus igitur illud Ioh. 5. 44. Phil. 2. 4. 1 Cor. 10. 24.

II. Specialiter concordia Eccleſiæ in eo conſiſtebat, quòd illi, qui ad docendam Eccleſiam vocati erant, videlicet Apoſtoli, *magnâ concordiâ*, arcto conſenſu & animorum conjunctione, adeoque *magnâ potentiâ* & efficaciâ teſtimonium perhibebant reſurrectioni Chriſti. 1. Concordia & conjunctum ſtudium miniſtrorum in prædicando Euangelio, in urgendo hoc vel illo officio, in reprehendendo hoc vel illo peccato, efficax & potens eſt medium ad pacem Eccleſiæ. Unde ſchiſmata illa in Eccleſia Corinthiaca 1 Cor. 1. quàm ex æmulatione miniſtrorum inter ſe, quo alius alium cupiebat ſuperare eloquentiâ & favore apud populum, & Paulum atque alios, qui ſimplicitatem Euangelii ſectabantur, præ ſe contemnere? O miſerum eſt, cum miniſtri Euangelii tali inter ſe ardent invidiâ & æmulatione, qualem Paulus deſcribit Phil. 1. 15. 16. Carpunt alter alterius dona, quod alius reprehendit, alius approbat vel indulget, alter alterius commodis & honoribus officit, alius in reprehenſione mali conſtanter perſeverat, alius cedit minis vel promiſſis. Ob res leviculas animosè & ſervatis in annum iris contendunt, &c. Prohibeat Deus ab omnibus Eccleſiis & eorum miniſtris hunc ſpiritum æmulationis, & det ipſis conjunctum ſtudium atque zelum Euangelium prædicandi, peccata oppugnandi, gloriam Dei propugnandi, mutuas infirmitates tolerandi. &c. 2. Dicitur a. quod Apoſtoli ſpecialiter in hoc conſenſerint, ut articulum de reſurrectione Chriſti efficaciter urgerent. Sine dubio etjam alios articulos fidei urſerunt, ſed hunc urſerunt ſpecia-

ſpeciali vi. Ratio 1. Quia principaliter ſcitu & creditu neceſſarius erat. Ex hoc enim propriè convincebantur homines, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, qui ſacrificium pro peccatis præſtiterit. Rom. 1. 4. Et in eo verum ſolatium quod poſſumus dicere, ſcio quod redemptor meus vivit. Iob. 19. 2. Quia principaliter oppugnabatur. Sadducæi non poterant ferre hanc doctrinam, quia non credebant immortalitatem animarum nec reſurrectionem corporum. Cæteri non poterant ferre, quia dolebant eum vivum prædicari, quem ut maleficum nuper occiderant. Summa: Hæc erat tum temporis præcipua quæſtio, an Jeſus, à Sacerdotibus occiſus, verè reſurrexiſſet? Si hoc poterant oſtendere, facile crediturus erat populus, Jeſum injuſtè eſſe occiſum. De hoc igitur articulo maximè teſtantur. Et quomodo?

1. Ex vaticiniis Scripturæ demonſtrabant, verum Meſſiam debuiſſe reſurgere.

2. Potentiâ ſuæ doctrinæ ſuorumque operum miraculoſorum, quæ in nomine Jeſu faciebant, convincebant homines, Jeſum eos roborare, & proinde non mortuum eſſe, ſed vivere.

Docentur hinc omnes miniſtri, quod, cum doctrina aliqua neceſſaria eſt ad ſalutem & ſolatium auditorum, non debent eam metu perſecutionis tacere. Hoc enim non eſt boni Paſtoris, ob periculum ſuum oves Chriſti deſtituere neceſſario pabulo. Cum peccatum aliquod eſt periculoſum Reipublicæ & Eccleſiæ, cujus tamen reprehenſionem homines non libenter audiunt, non debent ideò eam intermittere. Hoc enim foret opus infidi vigilis non præmonere de periculo. Mundus veritatem odit Johan. 3. & nos tamen ideò in mundum venimus, ut veritatem dicamus. Non debemus igitur reticere eos articulos, quibus hoſtes offenduntur, ſed ea parte conſtantiſſimè urgere, ubi veritas hoſtium artibus maximè reprimitur. Non debemus ceſſare ſanam doctrinam proponere, donec homines illam capiant. Scimus enim nunquam defore qui agant, quod ſcribitur 2 Tim. 4. 3. 4. Eſa. 30. 9. 10. 11. Conſideremus igitur adhortationem, quæ eſt 2 Tim. 4. 1. 2. 5.

Act. 4. *v.* 32. 33. 34. 35. 36. 37.

CONCIO LVIII.

III. TErtium, in quo conſiſtebat Eccleſiæ concordia, fuit communio temporalium bonorum, quam inter ſe coluerunt. Spiritualium bonorum communionem inter ſe acceperant. Erat enim ipſis ἰσότιμος πίστις & merita Chriſti, remiſſio peccatorum, gratia Dei Spiritûs S. vita æterna omnibus, ex æquo contigerat. Vnum tantùm reſtabat, quo ſibi invicem erant impares, videlicet quod alii erant divites & habebant proprias poſſeſſiones, alii verò nihil poſſidebant. Hic itaque charitas ſeſe exſeruit, ut illi qui aliquid poſſidebant, ſuas poſſeſſiones etiam communicarent iis qui nihil poſſidebant. Hæc communio:

1. In genere nobis deſcribitur.

2. Particulari exemplo Joſis illuſtratur.

De communione in genere duo tradit textus:

1. Hujus communionis cauſam: Magna gratia erat ſuper ipſos. Sunt qui ita exponunt, quod gratioſa fuerit Eccleſia in oculis infidelium, propterea quod tam egregium ordinem obſervarent in ſuſtentandis pauperibus, quod Iudæi non faciebant. Sed præſtat exponere de cauſa liberalitatis. Sicut Exod. 12. 36. Deus dicitur gratiam dediſſe Iſraëlitis in oculis Ægyptiorum ut libenter commodarent, ita hic pauperibus dedit magnam gratiam in oculis divitum, ut libenter communicarent temporalia bona. Fecit pauperes gratioſos in oculis divitum, & per hoc donum liberalitatis in iis accendit. Liberalitas pia vocatur gratia 1. quia eſt virtus gratioſa, jucunda & amabilis. 2 Cor. 8. 7. Eſt virtus hilaris 2 Cor. 9. 7. 2. præcipuè quia eſt gratuitum Dei donum. *Beatius eſt dare, quàm accipere* Act. 20. v. 35. Eſt beatitudo quam Deus dat. Eſt donum Dei 2 Cor. 9. 8. Deus dat in cor divitum, ut largiantur. Hoc ideò monemus, ut pauperes ſciant, ſibi non tantùm eſſe mendicandum apud homines, ſed etiam precandum diligenter apud Deum, ut ille largiatur divitibus donum liberalitatis. Ubi pauperes ſunt impii & negligentes in precando, ibi mirum non eſt divites eſſe parcos: Pauperes putant non opus eſſe, ut illi rogent Deum de pluviâ & fertilitate agrorum, propterea quod non habent agros, ſed falsò. Debet enim Deus divitibus dare quod tibi poſſint dare, & te gratioſum facere in ipſorum oculis, quod non faciet, niſi ſis gratioſus in oculis ejus. Diſcant etiam hinc divites ob tenuem ſtatum pauperes non contemnere, & quaſi nauſeabundè eos reſpuere. Sunt in oculis Dei æquè cari ac gratioſi, ut divites.

2. Hujus communionis naturam: Nemo quicquam eorum quæ poſſidebant, dicebat ſua eſſe, ſed erant ipſis omnia communia. Et ne quis hoc malè intelligat, additur clara illius interpretatio, verſ.

34. 35. quod ſcilicet non paſſi ſunt quenquam egere, ſed qui habebant poſſeſſiones, vendiderint eas, & pretium ad Apoſtolorum pedes depoſuerunt, ut inde ſublevarentur pauperes, quiſque pro menſura ſuæ indigentiæ. Verùm non obſtante quod tam clara additur interpretatio; tamen Anabaptiſtæ noſtri temporis hîc volunt figere pedem fanaticæ illius communionis, quaſi Chriſtianis non liceat habere quicquam proprium. Quæritur an rectè? Negatur. Ratio

1. Non dicitur in textu, quod omnes omnia vendiderunt, quæ habuerunt, ſed tantùm quod vendiderant poſſeſſiones. Sine dubio aliqua vendiderunt, aliqua retinuerunt. Nam ſi omnes ita feciſſent, tum nulli divites fuiſſent inter Chriſtianos, nec quiſquam, qui habuiſſet domum propriam. At hoc falſum, quia Paulus divitibus Chriſtianis præſcribit ſua officia 1 Tim. 6. 17. 18. Sic jubet ut quiſque domeſticis ſuis proſpiciat 1 Tim. 5. v. 5. Sic de divite Joſepho, de Cornelio, de Simone coriario, &c. non legitur, quod divitias ſuas abjecerunt, Actor. c. 10.

2. Qui vendiderunt, non fecerunt hoc ex præcepto quod omnes obliget, ſed ex libera voluntate. Poterant enim retinuiſſe, Actor. 5. v. 4. Except. Fuit igitur ἐθελοθρησκεία, vel opus ſupererogationis. *Reſp.* Neutrum fuit. Nam 1. ἐθελοθρησκεία, non habet locum in ſecunda tabula legis, ſeu in amore circa proximum, ſed tantùm in prima ſeu in cultu Dei. 2. Opus ſupererogationis deſcribitur quod quis facit ultra obligationem legis ad promerendum majorem gloriæ gradum. At illud hic locum non habet. Nam 1. non fecerunt opinione merendi. 2. nihil fecerunt præter obligationem legis, ſi ſpectes ſubſtantiam rei. Erant enim per legem Dei obligati ad ſublevandos egentes fratres, etiamſi modus & gradus iſtius ſublevationis non erat præſcriptus in lege, ſed prudentiæ ac caritati eorum relictus. Virtutem beneficentiæ lex nobis præſcripſit, ſed modum & gradum beneficentiæ lex non definivit, ſed reliquit noſtræ diſcretioni ſecundum menſuram indigentiæ & charitatis definiendum. Non igitur poſſunt dici opus ſupererogationis facere, qui in modo & gradu beneficentiæ libertatem ſuam ſequuntur. Lex non omnia præcepit, nec omnia prohibuit, ſed multa nobis reliquit libera, quæ cum facimus, non poſſumus dici facere opera ſupererogationis. *Object.* 2. Atqui Matth. c. 19. 21. præcipitur, ut omnia vendamus, & pauperibus demus. *Reſp.* Non eſt præceptum commune omnes obligans, ſed ſpecialiter datum ad probandum illum juvenem.

3. Poſtquam vendiderunt, non commiſerunt pretium poſſeſſioni cujuſvis ut quiſque illud pro libitu poſſideret & uſurparet, ſed depoſuerunt ad pedes Apoſtolorum, ut inde daretur cuilibet quantum opus haberet. Hæc ſanè non fuit communio illa Platonica vel Anabaptiſtica. Nam ubi illa obtinet, ibi locum non habet ulla diſtributio, ſed quiſque promiſcuè jus habet uſurpandi quidvis tanquam proprium.

4. Si Chriſtiani obligati eſſent ad iſtam Platonicam communionem bonorum, tum inter Chriſtianos, nec furta nec eleëmoſynæ haberent locum, adeoque fruſtranea forent illa præcepta, Epheſ. 4. 28. 2 Theſſ. 3. 12. Nam nemo poteſt furari niſi quod eſt alterius & non ſuum, & nemo poteſt donare, niſi quod eſt ſuum, & non alterius. Virtus liberalitatis locum habere non poteſt, ubi locum non habet jus proprietatis.

Quod ſi autem natura hujus communionis in poſſeſſionibus terrenis non conſiſtit in eo, in quo eam conſiſtere docent Anabaptiſtæ, quâ igitur in re conſiſtit, & quis eſt ſenſus verborum; *quod nemo quicquam proprium habuerit, ſed omnia communia fuerint?* &c. *Reſp.* Vulgò dicunt, quod fuerunt communia non κτήσει ſed tantùm χρήσει. i. e. quod de iis, quæ poſſidebant, non ſibi ſolùm proſpexerunt, ſed & eorum egeſtatem expleverint, qui nihil poſſidebant. Si ſpecialius vis conſiderare, duo ſunt in hac communione bonorum:

1. Non ſibi ipſis parârunt cibum ſolum, ſed & pauperibus. Siverunt rivulos ſuos effluere foras, ſed ipſi tamen manſerunt Domini eorum.

2. Partem bonorum ſuorum planè abdicârunt, & in proprietatem ac peculium Eccleſiæ dederunt, ut Eccleſia haberet perpetuum fontem & theſaurum, unde & pauperibus proſpiceret, & alias ſuas neceſſitates expleret. Deſcribitur enim hîc vera origo bonorum Eccleſiaſticorum, quod ſcilicet originem trahant à liberalitate piorum, quæ proficiſcebatur ex caritate & compaſſione erga proximum, & totum ſtatum Eccleſiæ. Prima origo bonorum Eccleſiaſticorum, non eſt ex ſtudio merendi vitam æternam, ſatisfaciendi pro peccatis, redimendi animas ex purgatorio, vel ex intentione ditandi Eccleſiaſticas perſonas, ut haberent unde magnificè luxuriarent in ædificiis & victu, ſed ex compaſſione erga pauperes, & ex ſtudio conſervandi cultum publicum.

blicum. Etſi autem hunc theſaurum Eccleſiæ depoſuerunt ad pedes Apoſtolorum, hoc tamen ad tempus tantùm fuit, nec obligat doctores verbi ad curam pauperum, quæ poſtea Diaconis commiſſa eſt, Actor. 6. Hoc itaque illud eſt, quod primitiva Eccleſia fecit, & quod nobis ad imitandum reliquit exemplum, ſcilicet ut de poſſeſſionibus noſtris terrenis aliquid ſeponamus & erogemus, unde pauperes domeſtici fidei poſſint ſuſtentari, nec non neceſſarii ſumptus fieri ad officia & ædificia Scholaſtica & Eccleſiaſtica. Utrumque nobis injunctum eſt in N. T. Non corradam nunc multas probationes hujus dogmatis, ſed tantùm vos remitto. 1. Ad 2 Cor. 8. & 9. capita, ubi prolixe agitur de ſublevatione pauperum. 2. Ad 1 Cor. 9. caput, ubi de ſuſtentatione Miniſterii Scholaſtici & Eccleſiaſtici fit adhortatio.

Quapropter reprehendendi ſunt.

1. Qui bonis ſuis utuntur tantùm ad ſe ipſos ſaginandos in pompa & luxuria, & nec contritione Joſephi afficiuntur, nec curant promotionem Eccleſiaſtici Miniſterii. Meditentur illi ſæpe exemplum Helluonis divitis Luc 16. v. 19. 20. 21. & eorum de quibus Deus quæritur Haggæi 1. 2. 3. 4. &c.

2. Qui bona Eccleſiaſtica, olim in pios uſus data, convertunt in uſus alios, e. g. otioſi monachi, epiſcopi, canonici, &c. qui ad luxuriam & ſuperbum dominatum convertunt, & multi magiſtratus, qui ab Eccleſia planè abalienant. Conſiderent hi dictum Prov. 20. 25. Prov. 22. 16. & 28. Geneſ. 47. v. 22. Nos aliter agamus. Vide rationes Actor. 2. Concion. 19.

Non tantùm autem in genere dicitur, quod quidam hoc fecerint, ſed etiam ſingulare unius exemplum additur, idque in eum finem, ut per hoc ſibi tranſitum paret Euangeliſta ad ſequentem hiſtoriam. Ex hoc enim facto Joſis, tantopere in Eccleſia laudato, occaſionem ſumit Ananias eandem ſibi laudem parandi per liberalitatem hypocriticam.

Habes in hoc exemplo.

1. Viri nomen & cognomen. In Judaiſmo vocabatur Joſes, converſus autem Chriſtianus ab Apoſtolis vocatus eſt Barnabas. Hic 1. Diſputatio Grammatica obtinet de nominis hujus derivatione vel compoſitione. Vide *de Dieu* in Act. 2. Eſt ille idem Barnabas comes Pauli in itinere, cujus toties mentio fit in Actis. 3. Cauſa cur hoc nomen impoſitum ipſi ab Apoſtolis, non tantopere inde eſt, quod ad conſolandum efficax fuit concionibus ſuis, quàm quod liberalitate ſua pauperes refecit. Hinc diſcimus, memoriam benefactorum debere vigere in Eccleſia. Non quidem ad ſuperſtitionem, ut in Papatu, ſed tamen ad imitationem. Vide Matth. 26. 13.

2. Patria illius: Ex Cypro. Quomodo igitur Hieroſolymæ habuit bona quæ vendidit? Vide Aretium.

3. Genus illius. Etſi ex Cypro, tamen Judæus erat, qui eò commigraverat, vel ex tranſportatis in captivitate Babylonica parentibus & majoribus ibi natus. Levita autem fuit. Ex illo igitur hominum genere, qui Chriſto maximè offenſi, & tamen ex his quoque Deus aliquos convertit. Vide benignitatem Chriſti, quòd etiam ex acerbiſſimis hoſtibus, qui eum maximè læſerant, aliquos ſibi elegit. Sic nos quoque recipiamus monachos & ſacrificulos Pontificios, qui ad nos tranſeunt, etſi rarò ſunt ſinceri.

4. Factum illius. Cum haberet poſſeſſionem, vendidit, &c. v. 37. Natura & intentio hujus facti ſuperius explicata eſt.

Actor. 5. *v.* 1. 2. 3. 4.

Concio LIX.

Vetus eſt proverbium, quod *ubicunque Deus incipit ædificare ſuum templum, ibi Satanas adſtruat ſuum ſacellum*, i.e. cum primùm Deus in Republica aliqua incipit ſemen verbi ſui ſerere, & ſibi colligere Eccleſiam, ſtatim Satan interſerit ſemina errorum, mendaciorum, & pravarum ſuggeſtionum, ut formet hypocritas, qui ſimilitudinem aliquam referant piorum, & interim pietatis & piorum veri hoſtes ſint. Neque hoc mirum. Sicut enim in bello, cum quis bellator pedem ponit in hoſtili ſolo, & urbem aliquam occupat, ſtatim hoſtis proximè illam urbem excitat propugnacula & fortilitia, quibus progreſſum hoſtis ſui ſiſtat, & ex quibus hoſtilem poſſeſſionem infeſtet: Sic fit in bello, quod eſt inter Chriſtum, & Satanam ac Antichriſtum. Et hoc Deus permit-

permittit fieri ſapientem ob rationem, ut ſcilicet pii habeant quod metuant, & cujus metu excitentur ad vigilantiam in omnibus officiis, ſpecialiter in precibus. Sicut enim in terra Canaan reliquos fecit quoſdam hoſtiles populos, quibus Iſraëlitæ perpetuò exercerentur, ne ſegneſcerent Judic. 1. 27. &c. & 2. 2. 3. (Etſi enim manſerint vitio Iſraëlitarum, tamen etiam gubernatione Dei:) Sic etiam in ſpirituali Canaan ſinit eſſe hypocritas in terrorem & exercitium piorum. Vide 1 Cor. 11. 19. Matt. 18. 9. Luc. 17. 1. Exemplum hujus rei habemus in textu, ubi videmus, quod vix erecta Eccleſiâ duos hypocritas excitavit Satan, qui hypocriſi ſuâ anſam dederunt tertio teſtimonio, ſcilicet miraculoſæ ſeveritati quâ Petrus majeſtatem & exaltationem Chriſti in urbe Hieroſolyma teſtatam reddidit. Antehac eam teſtatus erat per miraculum beneficentiæ in homine claudo, nunc per miraculum ſeveritatis in homine hyprocrita. In hac hiſtoria ſequentia conſideranda veniunt:

1. Peccantes.
2. Peccatum.
3. Peccati reprehenſio & pœna, primum in Anania, deinde in Sapphira.

DE PRIMO.

Perſonæ peccantes ſunt Ananias & Sapphira conjuges. Ex hoc non niſi unicam obſervo doctrinam: Quod homines ejuſdem thori plerumque ſunt ſocii ejuſdem peccati. Quia enim tantum poſſunt in mutuos affectus, quid mirum, quod alter in alterius peccatum facilè pertrahatur. Patet hoc ſatis exemplo primorum parentum Gen. 3. primi mundi Gen. 6. 4. Eſavi Gen. 26. 35. Salomonis 1 Reg. 11. v. 3. Iorami 2 Chron. 21. Hinc videmus, quomodo ab hoc ſibi caverint ſancti, e. g. Abraham Gen. 24. 3. Nehemias cap. 13. 23. 24. Deus ipſe Deuter. 7. 3. 1 Cor. 7. 39. 2 Cor. 6. 14. Ratio. 1. Cum Chriſto facere fœdus & iterum cum impiis pugnat. 2. Tale conjugium non eſt ſimilitudo conjunctionis inter Chriſtum & fideles, ut debet. Eph. 5. 3. Separat à fœdere cum Deo. 4 Turbas dat in familia. 5. Periculum liberorum creat.

Object. 1. Cum Ethnicis quidem & Paganis non licet, ſed licet tamen cum Chriſtianis. *Reſp.* 1. Multi Chriſtiani non minus ſunt infideles, quàm Ethnici. Sic Paulus ſeipſum dicit infidelem fuiſſe quandiu erat Iudæus, etiamſi non eſſet Idololatra. 1. Tim. 1. v. 13. Quicunque fœdus gratiæ nec habent nec credunt, ſunt infideles, etiamſi de fide in Chriſtum glorientur. 2. Multi Chriſtiani non minus ſunt Idololatræ ac Ethnici. *Object.* 2. Sæpe fit ut per talia matrimonia pars infidelis Chriſto lucrifiat. *Reſp.* 1. Sæpius fit, ut fidelis pervertatur. 2. Cum Deus ex malo bonum, ex tenebris lucem producit, hoc non excuſat noſtra peccata. Nos non debemus facere malum, ut eveniat bonum. Caveamus igitur. Si priſca exempla non terrent, terreat quotidiana & recens experientia.

DE SECUNDO.

Vendidit agrum, & conſciâ uxore partem pretii reſervavit, partem verò, ad pedes Apoſtolorum depoſuit. Quæritur, quid hic peccati ſit? Vendidit quod ſuum erat, nec de aliquâ fraude in venditione fit mentio. Pretium quoque venditi agri ejus erat, ut Petrus ipſe poſtea fatetur, nec debebatur ulli, cur ergò non potuit facere de ſuo, quod voluit, cur non potuit juſtè partem aliquam retinere, præſertim cum ſit prudentiæ, non totum quod poſſides, largiri, ſed etiam tibi & tuis neceſſitatibus proſpicere. Vide 1 Cor. 8. 13. Quid igitur peccati in hoc facto?

Reſp. 1. Sunt, qui putant furtum & ſacrilegium eſſe, quo Ananias ſurripuerit id, quod Eccleſiæ & pauperibus voto ejus erat datum, unde etiam volunt concludere, quod ſacrilegium pœnam mortis mereatur. Sed putamus nunquam votum feciſſe integrum donandi, & deinde furto ſurripuiſſe, quod voto dederat. Nam ſi votum feciſſet dandi pretium integrum, non fuiſſet amplius in libertate ejus venditi pretium dare vel non dare, quod tamen Petrus dicit v. 4. Votum enim perficere non eſt liberum ſed neceſſarium. Itaque nihil hîc neque de ſacrilegio, neque de pœna illius.

2. Peccatum eſt hypocriſis. Volebat videri æquè pius ac liberalis ut Barnabas, ſed interim reipsâ non erat, ſed partem tantùm dabat, ut videretur totum dediſſe. Eſt enim hæc actio inſigne & illuſtre hypocriſeos exemplum, & omnium hypocritarum typus. Quid eſt hypocriſis? Hypocriſis, inquam, in cultu Dei, (nam non loquimur hic de hypocriſi erga homines:) eſt ſtudium obtinendi ſpeciem pietatis per partem pietatis. Sic deſcribitur 2 Tim. 3. 5. Sic paſſim in Euangelio Phariſæorum hypocriſis deſcribitur, quod faciant bonum ut ab hominibus videantur, quod externum purgent, & intus ſint pleni rapinarum, &c. Matt. 23. Deus paſſim requirit,

ut

ut toto corde ipſi ſerviamus, ut omnes facultates ipſi conſecremus, ut omnia peccata vitemus, ut omnia præcepta conemur obſervare. Et hæc quoque natura verè piorum ut ita faciant Luc. 1. 6. Multi autem ſunt homines, qui cupiunt videri tum apud Deum, tum apud homines idem facere, ſed interim idem facere nec intendunt, nec conantur, ſed facientes quod ſine difficultate & incommoditate carnis poſſunt, in eo acquieſcunt, & ſibi ipſis tribuunt jus verè piorum. Multis modis committitur hoc peccatum: 1. externa faciunt, interna omittunt. 2. quandiu poſſunt ſine perſecutione & damno, faciunt, cum non, omittunt. 3. cum imminentibus terroribus & pœnis divinis excitantur, faciunt, ceſſantibus illis, deſinunt. 4. Coram hominibus faciunt, illis remotis ceſſant, &c. Hinc vocantur homines δίψυχοι, falſi, quorum cor non eſt rectum coram Domino. Act. 8. Iac. 3. Pſal. 5. claudicantes in utramque partem, duobus Dominis ſervientes, adulteri, curvi, οὐκ ὀρθοποδοῦντες. Eſt peccatum valde commune, & tamen adeò grave, ut non tantùm abominatio Domini vocetur Pſal. 5. 7. ſed etiam hoc loco corporali morte puniatur. Aperta profanitas, impietas, injuſtitia, blaſphemia ſunt gravia peccata; ſed non eſt putandum minus eſſe peccatum illam hypocriſin, cum quis pietatem ſimulans toto corde ei non dat operam. Vide tonitrua Petri contra illam Actor. 1. 20. 21. 22. 23. Videtur carnali rationi peccatum Ananiæ exilius eſſe quàm ut morte puniri mereatur: Et tamen non tantum punitur morte corporali, ſed etiam tali morte, cum qua æterna mors fuit conjuncta. Cum quis Magiſtratus ſupplicium exſequitur in malefactores, ſolet eos præparare per miniſtros ad converſionem animæ. Sed hic ſupplicium infligitur adeò ſubitum, ut ſpacium non ſit pœnitentiæ. Statim atque audiit, concidit. Timeatis igitur hypocritæ & tepidi in negotio religionis, & ſi vultis Deo ſervire, ſervite toto corde in ſinceritate. Deus vult ſanctificari in iis, qui ad ipſum accedunt Levit. 10.

DE TERTIO.

Rationes, cur hoc peccatum adeò grave ut tantopere puniatur, habemus in parte tertia, in qua hoc peccatum

I. Reprehenditur.

II. Punitur. Utrumque horum fit

1. In Anania.
2. In Sapphira.

In Reprehenſione Ananiæ habes

I. Particularem compellationem: Anania. Non eſt reprehenſio generalis ex ſuggeſto, quo non tam peccatores quàm peccata reprehenduntur, & particularis applicatio auditoribus relinquitur: Sed eſt reprehenſio particularis ex tabula, ſeu in Synedrio, qua peccator nominatim compellatur. Tales enim particulares compellationes, reprehenſiones & convictiones in Eccleſiâ ſua etiam inſtituit Deus, ut patet in exemplo Nathanis 2 Sam. 12. 7. Sine hac enim fieri non poteſt diſciplina Eccleſiaſtica, quam Deus tot locis inſtituit. Etſi autem ordinarii miniſtri non facile aliquem poſſunt hypocriſeos arguere, cùm non habeant revelationem Spiritus S. ut Petrus; ſciant tamen hypocritæ, aliquando Deum ipſum eos nominatim compellaturum, & in judicium citaturum ad reddendam rationem, ut hic fit Ananiæ, & Adamo Gen. 3. 9. Vide Pſal. 50. 21.

II. Argumenta reprehenſionis, quibus peccatum evincit & exaggerat, quæ ſunt,

1. Eſt opus Satanæ. Quomodo te ita regi & impelli paſſus es à Satana? Nemo ſua ſponte poteſt eſſe hypocrita, niſi à Satana formetur, & qui ſunt hypocritæ, ſunt mancipia Satanæ. Eſt enim audacia plus quàm humana & planè Diabolica, velle Deum decipere. Hinc appellatur repletio cordis, quæ phraſis ſummam audaciam ſignificat Eſther 7. 5. Eccleſiaſt. 8. v. 11. Eſt enim hæc admirabilis & planè incomprehenſibilis audacia Diaboli, quod cum nôrit Deum eſſe omnipotentem & omniſcium, tamen audet bellum cum Deo & Eccleſia ejus ſuſcipere, eamq; partim vi, partim aſtu aggreditur. Talis quoque eſt audacia in hypocriſi. Nôrunt illi hypocritæ, Deum eſſe omnipotentem & omniſcium, & tamen potius, quàm ut ſe velint ſubmittere voluntati Domini & ſalutem conſequi modis ab ipſo ordinatis, nituntur decipere Deum, atque ita præſumunt ſua ſapientiâ & ſuo aſtu ſalutem ei quaſi extorquere & ſurripere. Sunt hi homines ſicut fures in mercatibus qui quod alii honeſto modo emunt, ſubtilibus technis venditoribus eripiunt, vel ſaltem aſtuto modo licitandi & emendi ſubducunt. Eſt enim Eccleſia ſicut mercatus, in quo non ſolum emptores, ſed & fures confluunt. In corde certè humano non naſcitur tanta audacia, niſi à Diabolo infundatur. Sic cum Iudas molitetur Chriſtum prodere per oſculum, id eſt, ita prodere ut tamen non videretur proditor, dicitur Satan in cor ejus quaſi totus intrâſſe. Sic à Satana fuit, quod primi parentes

tentes auſi ſunt Deo ſimiles fieri per dolum, Gen. 3.

2. Eſt mendacium contra Spiritum S. Mentiri hic eſt fallere, decipere. Saltem eſt fallendi causâ mentiri. Hæc enim fuit intentio Ananiæ, ut mentiendo depoſitum totius pretii à Spiritu S. haberetur pro æquè pio & liberali ac Barnabas. Mentiri in ſe adeò grave peccatum eſt, ut cœlo excludat, Apoc. 21. 27. quantò magis igitur Spiritui S. mentiri? Sed cur magis Spiritui S. quàm Patri vel Filio dicitur mentitus? *Reſp.* Qui Miniſterio Eccleſiaſtico mentitur, dicitur mentiri Spiritui S. Quia Spiritus S. eſt Præſes Eccleſiaſtici regiminis, cujus inſtinctu contributio illa bonorum in uſum Eccleſiæ erat inſtituta. Non ſui lubitu Apoſtoli liberalitatem piorum pro pauperibus imploraverant, ſed Spiritus S. inſtinctu. Sicut Spiritus S. eos conſtituerat Epiſcopos ſuper Eccleſiam Actor. 20. ita etiam erat Præſes, qui ipſorum ἐπισκοπὴν regebat, & proinde qui Apoſtolos nitebatur decipere, ipſum Spiritum S. nitebatur fallere. Notent hoc omnes hypocritæ, qui fallaces edunt confeſſiones, & peccata ſua tegunt atque excuſant coram ordinario Miniſterio, ut ad participationem S. Cœnæ admittantur & cenſuras Eccleſiaſticas effugiant. Non homines decipiunt, ſed nituntur Spiritum S. decipere, qui Præſes eſt Miniſterii Eccleſiaſtici, ut videre eſt hoc loco, & Actor. 15. 28. Quæritur hic; An igitur peccatum Ananiæ fuerit peccatum in Spiritum S. illud irremiſſibile de quo Matth. 12. *Reſp.* Quod non. Ratio. 1. Peccatum in Spiritum S. eſt, quando quis peccat contra illuminationem Spiritûs S. quæ eſt in ipſo. At Ananias peccabat contra autoritatem & dona Spiritus S. quæ erant in Apoſtolis. 2. Peccatum in Spiritum S. eſt deſertio & perſecutio agnitæ veritatis, ſeu Salvificæ religionis & Jeſu Chriſti. At Ananias Jeſum Chriſtum nec abnegat, nec deſerit, nec perſequitur, nec blaſphemat, ſed tantum oſtendit ſe in profeſſione religionis non eſſe ſincerum. Peccatum in Spiritum S. non eſt hypocriſis in profeſſione veritatis, ſed eſt ipſius veritatis agnitæ abnegatio & perſecutio.

3. Tertium argumentum, quo iſta hypocriſis exaggeratur, eſt, quia eſt peccatum nullius neceſſitatis quod facillimè potuiſſet omittere verſ. 4. non opus habebas quicquam dare, ſed potuiſſes totum retinere. Quid igitur opus erat ſimulare, quod totum dares, & interim partem ſubtrahere? Quid opus, mendacio tibi & fraude proſpiceres, cum ſine eo potuiſſes? Noſtri homines cum neceſſitatem aliquam poſſunt prætendere ſuis peccatis, cum poſſunt dicere, non potui ſine magna difficultate, ſine magno incommodo omittere, valde ſe ſentiunt levatos, quamvis malè. At quid prætendent peccatis, quæ tam facile poſſunt omittere? Jugulant ſe propriis verbis qui peccata excuſant, quod ſunt parva. At ſi parva, tantò minus neceſſarium erat facere, & proindè tantò ſunt graviora, quantò facilius poterant omitti. Interim ex his verbis videmus, quod vendere bona, & dare omnia pauperibus non fuerit res neceſſitatis in primitiva Eccleſia, ſed libertatis. Sed de hoc concione antecedente.

4. Non eſt peccatum infirmitatis, ſed propoſiti v. 4. Cur poſuit in corde hanc rem? Hoc præter modum aggravat peccatum, Pſal. 66. 18.

5. Eſt peccatum contra ipſum Deum. Non hominibus, i. e. non ſolùm hominibus, ſed præcipuè Deo mentitus es. Hoc addidit ad inculcandam Ananiæ dignitatem & Majeſtatem Spiritûs S. cujus oblivione peccatum hoc fallendi ſibi propoſuerat. Eſt igitur inſigne argumentum ad demonſtrandum Deitatem Spiritus S. Nam 1. Arguit eſſe perſonam. Quem quis nititur mendacio fallere, eſt perſona. 2. Is quem Ananias quæſivit fallere, expreſsè appellatur Deus. At Spiritum S. quæſivit fallere v. 3. Ergò is Deus eſt. Hactenus reprehenſio Ananiæ, quod hac vice ſufficiat. Nos hinc diſcamus cavere hypocriſin in cultu Dei. Conſidera argumenta, quibus exaggeratur: 1. Eſt audacia Diabolica velle Deum decipere. 2. Non contra miniſterium fit, ſed contra Spiritum S. & proinde contra ipſum Deum. 3. Non eſt peccatum ad quod ullâ neceſſitatum impelleris. Nam ſi non vis ſervire Deo ſecundum voluntatem ejus, ne accedas ad eum, ſed maneas in ſtatu, in quo es. Aut ſi ſtatum illum metuis, ingredere viam, quam Deus tibi oſtendit. 4. Non poteſt eſſe ex infirmitate, ſed eſt pura malitia. Cave igitur, & ſi vis colere Deum, cole toto corde, extus & intus, tempore commodo & incommodo, omnibus facultatibus, per totam vitam, in omnibus præceptis, contra omnes hoſtes, in Spiritu & Veritate. Fac ut Iſraëlitæ Exod. 10. 26. Satis peccabis & indigebis reconciliatione & gratia, etjamſi habeas ſincerum conatum & propoſitum. Caveamus ne quis Ananias hodiè ad cœnam Domini acceſſerit, qui partem cordis dederit Deo, partem reſervaverit peccato.

Actor. 5. *v.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Concio LX.

Sequitur pœna Ananiæ. Non enim tantum reprehenſus, ſed etiam punitus eſt, idque ſubitâ morte. De hac morte Ananiæ habes. I. Cauſam mortis. II. Modum mortis. III. Conſequens mortis. Cauſa mortis: Cum hæc verba audiret. Sonitu verborum Petri occiſus eſt. Mira res. Vix auditum unquam quenquam extinctum eſſe ſolo fragore tonitrui. Si quis bellator omnia ſua tormenta ſimul exploderet, & tantum excitaret clangorem, ut tellus videretur concuti, tamen omni iſto fragore ne unum quidem occideret hoſtem, & hic Apoſtolus ſolo ſtrepitu verborum occidit homines duos. Sed ne miremur. Non eſt hic maximus & ultimus effectus verbi divini, occidere hominem morte corporali. Non eſt quod dicamus Petrum magicâ arte occidiſſe, nec opus eſt interveniſſe aliquem angelum interfectorem, qualis in exercitu Sennacharibi & in occiſione primogenitorum Ægypti, nec immediatâ plaga à manu Dei, ut in morte Uzæ 2 Sam. 6. 7. Sed eſt mors Ananiæ verus effectus reprehenſionis Petri. Verbo Petri occiſus eſt Ananias, nimirum verbo exprobrationis & reprehenſionis, quo peccata ejus ei fuerunt ob oculos poſita, & tantus in conſcientia illius excitatus eſt terror, & ſenſus iræ divinæ, ut præ terrore animam exhalaverit. Interpretes vulgò hunc actum comparant cum facto Pauli, Act. 13. 9. 10. 11. ubi Paulus Elymam cœcitate percuſſit, & cum facto Eliæ 2 Reg. 1. 9. 10. &c. ubi igne cœleſti conſumit bis quinquaginta milites cum capitaneis. Non contradico, ſed puto tamen aliquid differentiæ eſſe inter iſta exempla & hoc. Iſta fuerunt miracula per potentiam Dei ad votum & preces Prophetæ ac Apoſtoli effecta in corporibus hominum, Hoc verò non tam eſt miraculum in corpore, quàm extraordinarius effectus verbi prædicati per vim Spiritûs S. in conſcientiam. Fuit tam vehemens & ſubita perterrefactio conſcientiæ, quæ mortem peperit. Sicut iſta Balthaſaris Dan. 5. 5. 6. Fuit quædam viſibilis initiatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, non in extraneum, ſed in fratrem hypocritam. Carebat tum temporis Eccleſia protectione Magiſtratus, & propriis armis ſpiritualibus ſe defendebat, quæ cum ordinariè ſint inviſibilia, tum viſibilia fuerunt ad majorem terrorem impiorum tum intra, tum extra Eccleſiam. Si ſic accipimus, fruſtra movetur quæſtio, annon Apoſtolus falcem immiſerit in alienam meſſem, & uſurpaverit jus gladii ad infligendum corporale ſupplicium, quod non eſt Eccleſiaſticorum, ſed Politicorum? Non enim hîc exemplum eſt corporalis ſupplicii, quale Magiſtratus infligit, ſed eſt pœna ſpiritualis facta ſpiritualibus armis, non conſiſtens propriè in deſtructione corporalis vitæ, ſed in terrefactione conſcientiæ, quam corporalis vitæ deſtructio ſuâ ſponte ſecuta eſt. Si enim Phyſicis & Hiſtoricis credimus, ſubito gaudio & ſubito terrore, ab externis objectis inflicto, ſæpe repentè extinctos eſſe homines: quidni credamus verbo Apoſtolico tantum potuiſſe incuti terrorem conſcientiæ, unde mors corporalis ſequeretur? Fruſtraneæ igitur hîc ſunt omnes illæ quæſtiones, an hypocriſis mereatur ſupplicio puniri à Magiſtratu; an blaſphemia hæreticorum punienda ſit ſupplicio corporali? Nihil enim hic de corporali ſupplicio, ſed de ſpirituali terrefactione conſcientiæ per prædicationem verbi & diſciplinam Eccleſiaſticam. Fruſtra enim hic quæritur, annon nimius ſit rigor & nimia ſeveritas diſciplinæ Eccleſiaſticæ, hominem hypocritam tam ſubitò exanimare, ut pœnitentiæ ſpatium non concedatur, an hoc conveniat cum illo, quod legimus Luc. 9. 54. 55. 56. 2 Cor. 10. 8. & 13. 10. Quid enim aliud Petrus hîc agit, quàm quod ignem ex cœlo facit cadere, & poteſtate ſibi conceſsâ utitur ad perdendas duas animas, & minimè ad eas ædificandas? Reſpondeo: Petrus nil aliud facit, quàm quod ſibi erat datum in mandatis divinitus, nimirum annunciat Ananiæ ſua peccata & promeritam condemnationem. Petri intentio non fuit iracundo animo & ſtudio vindictæ animam Ananiæ & Sapphiræ perdere, ut cupiebant Jonas & diſcipuli Chriſti, Jon. 4. 1. Luc. 9. 54. Sed Petri intentio fuit officium facere, & hypocritæ ſuum peccatum oſtendere. Quod autem hæc fidelitas Petri in officio Ananiæ ceſſit in perditionem, id non vitio Petri tribuendum eſt, ſed duritiei Ananiæ, quâ fuit inemendabilis. Etſi enim miniſtri prædicatione & diſciplina ſuâ non intendunt homines perdere, ſed ædificare; tamen prædicatio & diſciplina eorum hominibus inemendabilibus cedit in perditionem. 2 Cor. 2. 15. 16. Euangelium propriè à nobis prædicatur, ut homines mortuos vivificet, ſed ſuo vitio inemendabili multi, qui Euangelium audiunt, Euangelio moriuntur, i. e. indurantur, & extra omnem ſpem vitæ accipiendæ conſtituuntur. Diſcamus

igitur metuere nobis à ſpiritualibus armis, & à ſpirituali potentiâ, quâ Deus Eccleſiam ſuam & miniſterium Euangelii in ea armavit. Eccleſia hoc tempore non habebat nutritios & defenſores Magiſtratus corporali gladio armatos, ſed eos omnes experiebatur hoſtes, & vide tamen, quantam ſibi ſpirituali ſua potentiâ defenſionem paraverit, ut omnes territi non auderent Eccleſiam adoriri. Dicunt vulgò contemptores, diſciplinam Eccleſiæ eſſe *gladium ligneum*, qui verberet, ſed non vulneret; & fateor diſciplinam Eccleſiaſticam malè & impiè uſurpatam, non eſſe niſi *brutum fulmen*. Sed interim de diſciplina Eccleſiæ ritè ſecundùm verbum Dei adminiſtrata rectè dixeris illud Chriſti Matt. 10. v. 28. quod corpus & animam perdat in inferno. Magiſtratus gladio ſuo poteſt corporalem tollere vitam, ſed hîc habes Apoſtolum, qui gladio ſuo ſpirituali & corpus occidit, & animam in gehennam præcipitat. Vide dicta Hebr. 4. 12. 2 Cor. 10. 4. 5. 6. Verum quidem eſt, quod ordinarii miniſtri non poſſunt ad lubitum ita viſibiliter ſumere vindictam de hypocritis in Eccleſia, immò quòd ne intendere quidem debent ullam animam perdere; tamen certo certius eſt, ſi diſciplina eorum, quam ex officio exercent, incidit in animam inemendabilem & contraluctantem, ei ceſſura ſit in temporale & ſpirituale exitium, & in aggravationem condemnationis ac maledictionis. Vide dicta Matth. 18. 18. Hebr. 6. 7. 8. Ne itaque reluctemur miniſterio verbi, affectus noſtros pravos & vitam corruptam ſpiritualibus ſuis armis oppugnanti, ſed cedamus, & noſmet ſubmittamus. Ventus acer & validus prodeſt nautis, ſi ſecundo utantur, pellit enim & accelerat iter; ſed ſi adverſus procellam velint navigare, frangit navem & perdit nautas. Sic miniſterium Euangelii efficax eſt ad ſalutem in iis qui ictibus illius cedunt & ſe ſubmittunt, ſed qui ſe pertinaciter opponunt, eos perdit.

Sequitur modus mortis, qui exprimitur per vocem πεσὼν ἐξέψυξε. Exanimatus eſt. Propriè: exſpiravit, efflavit, exhalavit, ſcilicet animam. Vides qua in re conſiſtat mors hominis: Corpus cadit, immò ſolvitur, & diſſolvitur in pulverem, & anima ex corpore egreditur, ſicut halitus. Sicut cum homo primus formaretur ex terra, corpus jacebat in terra immobile, & tum anima per nares inſpirabatur, ut fieret animal vivens, Gen. 2. Sic in morte hominis corpus cadit, & anima inſtar halitus, per nares exit. Duo hinc diſcimus memorabilia:

1. Vitam hominis eſſe inſtar halitûs evaporantis Jacob. 4. 14. Eccleſ. 3. 11.

2. In morte hominis animam non cadere, vel perire, ſed ſolum corpus cadere, & animam exire. Non perit, ſed exit & manet. Ubi autem manet, cum exiit? Aſcendit ſurſum Eccleſ. 3. 21. redit ad Deum, qui dedit, Eccleſ. 12. 7. Scilicet ut ab eo vel puniatur vel coronetur, prout merita eſt. His duabus doctrinis poſſem latè inhabitare, & oſtendere, quomodo prior debeat in nobis imminuere ſuperbiam, & confidentiam in vires & dona naturæ, ac curam & ſollicitudinem immodicam in curandis hujus vitæ mediis, poſterior verò debeat accendere curam & piam ſollicitudinem proſpiciendi animæ de tabernaculo alio, poſtquam ex hoc exierit, nimirum de tabernaculo cœleſti. Sed propero ad finem hiſtoriæ.

Conſequens mortis duplex eſt:

1. Magnus metus venit ſuper omnes qui hoc audiverunt. Hic erat finis hujus terribilis judicii, quem Deus intendebat. Deus ſæpe in uno aut paucis edit exemplum ſuæ ſeveritatis, ut omnes alii metuant & caveant. Non debemus de judiciis Dei hanc opinionem habere, quam ille Luc. 13. 2. quaſi ſcilicet præ aliis peccatores ſint, qui præ aliis puniuntur; ſed ſciendum eſt, Deum ex æqualibus peccatoribus unum punire, ut omnes alii metuant. Utinam nos metueremus nobis à judiciis Dei, quæ quotidie videmus in aliis. Vivimus certè iis temporibus, quibus Deus talia peccata, qualia nos facimus quotidie, non ſolùm exemplariter punit in ſingularibus quibuſdam perſonis inter nos, ſed in integris Eccleſiis, quæ ſubitò ante oculos noſtros conſidunt & exſpirant, cum viderentur ſtare quàm firmiſſimè, & tamen nos nihil nobis metuimus, ſed ſumus ſicut capones, quorum alii, aliis ex corte ſublatis ad mortem, æquè læti ſunt. Quàm meritò in nos quadrat illa querela Domini, Jerem. 3. 6. 7. 8. Ezech. 23. 1. 2. 3. &c.

2. Juvenes acceſſerunt & cadaver mortui colligentes ſepeliverunt. Juvenes hoc fecerunt. Illi enim debent eſſe prompti & parati ad onera, & parcere ſenioribus. Quantumvis Ananias mortuus eſſet, ut impius hypocrita, tamen non tantùm ſepultus, ſed etiam honeſtè ſepultus eſt. Hoc enim vult verbum συνέστειλαν, i. e. pollinxerunt, linteis involverunt & ad honeſtam ſepulturam præparârunt. Mirum in modum hoc arguit crudelitatem Papiſtarum & acerborum fratrum, qui Reformatis morienti-

tientibus etiam honeſtum locum ſepulturæ negant. Non ſatis eſt hiſce feris vivos mordere, ſed etiam mortuis quietem negant. Poſito quod aliquibus eſſemus implicati erroribus in negotio religionis, quod tamen in æternum non probabunt, quid opus habent moroſiores erga nos eſſe, quàm fuit prima Eccleſia contra hunc hypocritam, cui honeſtam ſepulturam non negavit, relinquens eum judicio divino. Sed volunt hi homines oſtendere quod ſint ex eorum numero, de quibus Pſal. 79. v. 2. 3. Pereant beſtiæ cum ſuis cœmeteriis. Si ſepelire cadavera noſtra nolunt, licet comedant. *Facilis jactura ſepulchri.* Scimus eſſe inter ſigna, quibus agnoſci debet magna Sodoma & Antichriſtiana Ægyptus, quod ſcilicet cadavera teſtium Dei ſinit jacere inſepulta in ſuis plateis, Apoc. 11. v. 8. Hactenus reprehenſio & pœna Ananiæ. Eadem autem reprehenſio & pœna quæ Ananiæ contigit, recenſetur etiam de Sapphira, niſi quod pauca quædam ſingularia in reprehenſione Sapphiræ fuerunt, quæ non erant in reprehenſione Ananiæ. Nam

1. Expectavit Petrus per tres horas antequam eam adortus eſt. Quod ſine dubio factum ad concedendum ſpatium pœnitentiæ. Quia enim Ananias fuerat ſeductor & ipſa ſeducta, non eſt mirum ſpatium pœnitentiæ huic conceſſum, quod illi erat negatum.

2. Etſi autem ſpatium ad pœnitentiam ei datur, tamen non revelatur nec annunciatur ei, quod in marito geſtum erat, ſed ignara rei intrat, ſine dubio ſperans ſe audituram magnas laudes pro liberalitate ſua & mariti erga pauperes. Quandiu homines pœnam non nôrunt, de peccato quoque non cogitant, quantumvis ſat habeant cogitandi temporis. Vide Eccleſiaſt. 8. 11. Nos aliter agamus. Judicemus nos ipſos antequam Deus nos judicet, 1 Cor. 11. 27.

3. Ingredientem Petrus aggreditur quæſtione, an fecerit? Ananiam interrogabat, quare feciſſet, ſed hanc interrogat, an fecerit? Dic mihi, an tanti vendidiſtis, an verum eſt, quod non pluris vendideritis? Inemendabilem eſſe ſine dubio Petro erat revelatum. Quærit igitur non emendationis causâ, ſed Eccleſiæ cauſa, ut hoc pacto manifeſtam faceret ſummam audaciam hujus hypocritæ, ne forte atrocitatem pœnæ mirantes murmurarent, ſicut Iſraëlitæ contra Moſen, Num. 16. 41. Curant enim Antiſtites Eccleſiæ diſciplinam ſuam, ſuumque tegimen Eccleſiaſticum ita inſtituere, ut, cum opus eſt, poſſint rationem reddere Eccleſiæ, à qua conſtituti ſunt.

4. Sapphira interrogata oſtendit ſe egregium verum eſſe hypocritam, & habere illam audaciam, quæ hypocritarum propria eſt. Hæc enim audacia hypocritarum, ut etiam citati & accuſati à Deo audeant facinus in faciem negare & tegere, & ſe puros dicere ac juſtificare. Sic fecit Cain Geneſ. 4. 9. Sic hypocritæ illi, de quibus Eſa. 58. 2. 3. Sic Judas Matth. 26. 25. Nec mirum. Nam quia non vim, ſed ſpeciem pietatis hypocritæ quærunt, ideò tam tenaciter ſpeciem pietatis defendunt.

5. In reprehenſione hujus audaciæ hypocriticæ Petrus duobus novis argumentis exaggerationis utitur. Antea dixerat, quod hypocriſis eorum eſſet audacia à Diabolo inſpirata, quod eſſet conatus decipiendi Spiritum S. quod eſſet peccatum nullius neceſſitatis, ſed meræ petulantiæ, quod non eſſet infirmitatis, ſed voluntarii propoſiti, quod non eſſet contra homines, ſed directè contra ipſum Deum. Jam addit duo alia argumenta, quibus hoc peccatum exaggerat, videl.

1. Quod inter ſe pactum inierunt, mentiendi & malè faciendi. τί ὅτι συνεφωνήθη ὑμῖν? Maledictionem meretur, quod naturâ ita proni ſumus ad peccandum, multò magis igitur quod pacto nos ad peccandum obſtringimus. Punitur Sapphira, quod marito in malo conſenſit. Non igitur excuſantur inferiores, ſi ſuperioribus in malo obediunt & conſentiunt, nec excuſat, ſi prætendere poſſis, te ab aliis ſeductum eſſe. Non enim debebas conſentire.

2. Quod fraus eorum eſt tentatio Spiritûs S. Deum tentare, eſt omnipotentiam, omniſcientiam, juſtitiam & alia attributa Dei nolle credere, ſed experimentum eorum captare. Hoc damnatur Deuter. 6. 16. Et hujus peccati rei ſunt omnes hypocritæ. Etſi enim negant ſe hoc intendere, tamen Deus ita de eorum hypocriſi judicat. Cætera quæ de pœna Sapphiræ ejus conſequentibus adduntur, eadem ſunt quæ Ananiæ contigerunt, & ſupra explicata ſunt.

Actor. 5. *v.* 12. 13. 14. 15. 16.

CONCIO LXI.

PRimum teſtimonium, quod Apoſtoli Chriſto exhibuerunt in urbe Jeruſalem, fuit concio illa inſignis Petri, quàm nomine cæterorum Apoſtolorum

lorum habuit occaſione effuſi Spiritûs S. in die Pentecoſtes. Secundum fuerunt diverſæ illæ conciones Petrl & Johannis habitæ occaſione ſanati claudi cap. 3 & 4. Tertium fuit diſciplina exercita contra Ananiam & Sapphiram hypocritas. Sequitur teſtimonium quartum exhibitum ab omnibus Apoſtolis, occaſione variorum miraculorum, & præcipuè multorum ægrorum ſanatorum ab Apoſtolis. De hoc teſtimonio habemus.

I. Occaſionem teſtimonii.

α. Remotam, varia ſcilicet miracula ab Apoſtolis edita, præcipuè in reſtitutione ægrorum v. 12. ad 17.

β. Proximam, Apoſtolorum videlicet captivitas ob facta miracula, eorundemque liberatio, reductio & examinatio v. 18. ad 29.

II. Teſtimonium ipſum v. 29. 30. 31. 32.

III. Teſtimonii effectum à v. 33. ad fin. Occaſio remota hujus teſtimonii fuit plurimorum miraculorum patratio per manus Apoſtolorum, per quæ factum eſt ut ipſis, in porticu Salomonis concorditer congregatis, cæterorum nemo ſe auderet adjungere, ſed magnificerent à populo, ut numerus piorum creſceret, & undique apportarentur ægri ex urbe & circumjacentibus regionibus, ut vel per umbram Petri ſanarentur. Habet hæc periocha plurima particularia, quæ breviter excutiemus.

1. Per manus Apoſtolorum fiebant plurima prodigia & ſigna, & qui de Eccleſia erant, erant concorditer congregati in porticu Salomonis. Hæc eadem leguntur cap. 2. v. 43. & 46. ubi explicuimus: 1. quid differentiæ ſit inter *τέρατα ϗ σημεῖα*. 2. quare miracula dicantur facta per manus Apoſtolorum. 3. quæ ratio, quod Spiritus S. ſub initium tot miracula adhibuit in ædificanda Eccleſia. 4. an Eccleſia etiamnum habeat poteſtatem faciendi miracula, & an miracula ſint ſignum Diacriticum veræ Eccleſiæ. 5. quare Chriſtiani congregationes ſuas habuerint in templo Judaico. His igitur ſuperius excuſſis, nunc non immanebimus.

II. Cæterorum nemo audebat ſe iis adjungere. Quia hîc aliqua oppoſitio eſt inter Eccleſiam, populum & cæteros, per *τοὺς λοιποὺς* non poſſumus intelligere omnes ab Eccleſia alienos, ſed ſpecialiter indigitantur illi, qui non tantùm alieni erant ab Eccleſia, ſed etiam hoſtes Eccleſiæ. *τῶν λοιπῶν*. Articulus eſt emphaticus q. d. ex illis cæteris, de quibus ſcilicet antea erat locutus, qui vel malitiosè Eccleſiam infeſtabant, ſicut Scribæ & Sacerdotes, vel hypocriticè Eccleſiæ ſeſe miſcebant, ſicut Ananias & Sapphira. Populus non volebat ſe admiſcere Eccleſiæ, hoſtes volebant, ſed non audebant. Talis diſtinctio eorum qui ab Eccleſia alieni ſint, non eſt negligenda. Alii ſunt, qui ab Eccleſia ſimpliciter alieni ſunt, ut eſt communiter populus, qui in veritatem non inquirit, alii qui ita alieni ſunt, ut etiam ſint hoſtes, ut Prælati Eccleſiaſtici & alii. Cum invehimur in Papiſtas, & dicimus eſſe crudeles & quærere noſtram vitam, novimus non omnes eſſe tales. Scimus enim populum ſponte talia non patraturum, niſi à cæteris illis inflentur & urgeantur, quod cum fit, novimus omnes, qui Eccleſiæ non ſunt agglutinati, eſſe variabiles, ut qui hodiè clamârunt *Hoſanna*, cras clamaturi ſint, *Crucifige*. Cæterorum igitur illorum, ſcilicet perſequutorum & hypocritarum, de quibus antè actum fuerat, nemo ſe audebat adjungere Eccleſiæ. Vox *κολλᾶσθαι* duplicem habet ſenſum.

1. Si referatur ad perſequutores, ſignificat aggredi, adoriri. Nemo perſequutorum audebat eos aggredi, metuebant enim ne ſibi accideret, quod Ananiæ acciderat, & quod recordabantur in capiendo Chriſto accidiſſe militibus ad capiendum emiſſis, Johan. 18. 6. Etſi enim docti objiciunt, vocem *κολλᾶσθαι* nuſquam hoc ſenſu uſurpari, nec verum eſſe quod perſequutores non auſi ſint Eccleſiam aggredi, cùm v. 17. contrarium dicatur, tamen non eſt dubium, quin vis diſciplinæ in Anania patrata, ad tempus etiam ipſos amariſſimos Judæorum Prælatos terruerit, ut non auſi ſint tam citò Eccleſiam aggredi, dum recens eſſet pœna Ananiæ. Et quamvis *κολλᾶσθαι* non poteſt notare aggreſſionem hoſtium, quæ fit per vim, poteſt tamen notare talem, quæ fit per fraudem, qualis illa de qua Eſdr. 4. v. 2. Nehem. 6. 2. Matth. 12. 15. quales aggreſſiones ſine dubio contra Apoſtolos tentârunt perſecutores.

2. Si ad hypocritas referatur, ſignificat miſcere ſe aliis. Nemo ſe audebat miſcere Eccleſiæ. Plures erant tales, quales Ananias, qui ſcilicet veritatem Chriſtianæ religionis videbant, & proinde ſe Eccleſiæ Chriſtianæ facilè adjunxiſſent, niſi ſciviſſent ſe æquè addictos carnalibus cupiditatibus ac Ananias erat, & proinde metuiſſent eandem ſeveritatem diſciplinæ. Severitas diſciplinæ Eccleſiaſticæ abſterret hypocritas, ne ſe audeant facilè Eccleſiæ adjungere. Ubi non exercetur diſciplina, ubi facilè creſcit numerus Eccleſiæ. Sed ubi diſciplina exercetur,

tur, non ita facilè. Ratio eſt: Claritas enim Chriſtianæ doctrinæ tanta eſt, & tam grata, ut unuſquiſque facilè perſuadeatur, ad eam profitendam, cui non excœcavit oculos Princeps hujus mundi. Sed cum profeſſio veritatis non poteſt fieri ſine animadverſione in licentiam vitæ, tum multi homines libidinibus vitæ adeò ſunt addicti, ut malint carere veritate ſalvifica, quàm ſubire diſciplinam coërcentem libidines. Non audent venire in lucem, verentes, ne mala ipſorum opera à luce reprehendantur, Johan. 3. 20. 21. Quot ſunt inter nos, qui ideò non audent venire in templum, qui metuunt, ne ibi reprehenſionibus peccatorum conſcientia eorum turbetur? Multi Papiſtæ vellent venire ad audiendas noſtras conciones, ſed non audent, quia metuunt ne per reprehenſiones idololatriæ & ſuperſtitionis in praxi turbentur. Multi vellent venire ad cœnam, ſed non audent, quia metuunt diſciplinam & aggravationem condemnationis 1 Corinth. 11. v. 29. Etſi diſciplina Eccleſiaſtica inter nos eſt valdè laxa, tamen multi ideò ſe non adjungunt Eccleſiæ, quia verentur diſciplinam.

Object. Annon hæc eſt juſta ratio, quæ vos debebat movere ad omittendam vel remittendam diſciplinæ ſeveritatem, ut ita acriter non reprehendatis errores & vitia hominum. Multos enim hoc pacto arcetis ab Eccleſia, ut non audeant ſe illi adjungere, quod facturi eſſent, ſi ſine tali acrimonia verbum Dei doceretis.

Reſp. Remiſſio diſciplinæ plures quidem adigeret in templum, ſed non plures in cœlum. Confirmaret enim eos in ſua ἀναισθησίᾳ ut ſibi ipſis adulantes perirent in peccatis. Si eſſent humiles & dociles auderent venire, & nil magis quærerent, quàm tales reprehenſiones, quibus poſſent doceri & emendari, & per reprehenſiones moverentur ad ſeriò examinandum, juxta verbum Dei, id quod in iis reprehenditur. Sed quia non ſunt humiles nec dociles & ſinceri, aut per diſciplinam emendandi ſunt, aut ſatius eſt eos arceri ab Eccleſia, ne condemnationem ſuam augeant, & iram Dei in Eccleſiam provocent.

III. Populus eos magnifaciebat, vel magnificabat. Non tantùm enim magni æſtimabant, ſed etiam deprædicabant. Audiebant ab ipſis ſtupenda myſteria divinæ ſapientiæ, inſignem interpretationem veteris Scripturæ, eminentem charitatem & juſtitiam ac ſanctitatem vitæ, præſentiam Dei admirabilem, dona Dei præternaturalia. His omnibus non movebantur quidem, ut ſe adjungerent, verentes interitum Ananiæ ſimilem, niſi, quod facere nolebant, libidinibus mundanis renunciarent, ſed tamen movebantur ad eos, qui talia habebant, magnifaciendos & deprædicandos. Etſi veritatis profeſſio & prædicatio, vitæque ſanctitas & diſciplinæ adminiſtratio in Eccleſia non poteſt omnes, qui ab Eccleſia alieni ſunt, ad Eccleſiam convertere, tamen poteſt in iis de Eccleſia honorabile æſtimium excitare. Sicut profana vita & laxa diſciplina in Eccleſia eos, qui extra ſunt, facit blaſphemare nomen Dei & contemnere Eccleſiam, 2 Sam. 12. 14. ita è contrario ſancta vita & prudens diſciplinæ exercitium Eccleſiam reddit venerabilem in oculis eorum, qui ab ea alieni ſunt. Vide Deut. 4. 6. 7. 8. & hiſtoriam Bileami, Num. 22. 23. & 24. Et cum hoc fit, non eſt exigui uſus. Nam 1. Servit ad gloriam Dei, Matth. 5. 16. 1 Cor. 14. 23. 24. 25. 2. Servit ad gloriam Eccleſiæ ejuſque ſecuritatem. Nam hoſtes hunc in modum convicti ceſſant à crudelitate, & Eccleſiæ concedunt halcyonia, ut patet ex hiſtoria Perſarum. Eſdr. 5. & 6. & ex hiſtoria Plinii, qui pietate Chriſtianorum motus remiſſionem perſecutionis impetravit à Trajano. Quiſquis igitur vult eſſe membrum Eccleſiæ, conſideret illud, 1 Petr. 2. 12. 1 Petr. 3. 16. Tit. 2. 8. Membra Eccleſiæ, quæ hoc non faciunt, Eccleſiam contemptui & perſequutioni exponunt.

IV. Magis verò addebantur credentium multitudines tum virorum, tum mulierum. Etſi ſeveritas diſciplinæ arcebat hypocritas, tamen non impediebat incrementum Eccleſiæ. Notetur hoc ad roborandam refutationem objectionis, quæ ſuprà contra ſeveritatem diſciplinæ mota eſt. Pergant igitur & miniſtri faciant officium. Notanda vocula μᾶλλον. Quantò magis hypocritæ arcebantur, tantò magis accedebant ſinceri & ædificabatur Eccleſia. Quantò magis horreum Domini purgatur per ſeveram diſciplinam, tantò magis accreſcit. Sicut in agro quantò magis expurgantur Zizania, tantò magis creſcunt fruges. Diſciplina vannus Domini, quo purgat horreum ſuum, Matth. 3. Habetis in his Eccleſiis duo exempla domeſtica. Poſtquam per diſciplinam ejecti ſunt ſacrificuli cum ſuis nundinationibus; & turbatores cum ſuis innovatis hæreſibus, mirum in modum crevit Eccleſia in his oris. Quod ſi jam ejicere poſſemus adulteros, ſcortatores, fœneratores, defraudatores, corruptos gubernatores, nihil minueretur Eccleſia. De incremento

mento porrò Eccleſiæ actum eſt, cap. 2. verſ. ult. Det Deus, ut aliquando redeant illa tempora, cum videmus multitudines accedere ad Eccleſiam, ſicut tempore Patrum noſtrorum, cum Eccleſia à Papatu reformaretur, ubi totæ civitates & regiones ſimul venerunt ad Eccleſiam è Synagoga Satanæ, cum nunc vix ſinguli quidam accedant. Quæ cauſa ſit, non facilè licet dicere. Sine dubio non eſt inter minimas cauſas, quod noſter zelus pro veritate deferbuit, quod noſtra amicitia & concluſio cum idololatris renovata eſt, & quod vita noſtra non amplius reſpondet doctrinæ.

V. Inter cætera miracula, quæ per Apoſtolorum manus facta ſunt, duo ſpecialiter exprimuntur, videlicet quod multos ægros ſanaverint, & quod multos Spiritus impuros ejecerint. De hac parte textûs primò omnium circa connexionem laborant interpretes. Non enim videtur apta connexio: magis magiſque multitudines credentium addebantur, in tantum (ὥστε) ut ægros exponerent per plateas. Quæ hæc cohæſio aut cur ita connectuntur Eccleſiæ augmentatio & ægrorum expoſitio? *Reſp.* Eſt quædam gradatio ſeu exaggeratio ejus, quod verſu 13. & 14. dixerat, q. d. Populus valdè magnifaciebat Apoſtolos & eos qui erant de Eccleſia, & multi addebantur numero credentium, immò tantum erat Apoſtolorum apud populum æſtimium, ut etiam illi, qui non perſuadebantur, ut eorum doctrinam reciperent, tamen euſque eos agnoſcerent, ut ægros ſuos catervatim iis ſanandos committerent, & vel ex ſola umbra Petri ſanitatem ægrorum ſperarent ac etiam impetrarent. Etſi ſalutem animarum non quærebant in Chriſto & ejus Apoſtolis, tamen etiam infideles euſque credebant, ut ſalutem corporum in Chriſto & ejus Apoſtolis quærerent. Annoto hoc, ut confundantur illi, qui ſe gloriantur Chriſtum recipere pro Salvatore animarum, & tamen ne tantum quidem ipſi confidunt; ut corporalium malorum ſublevationem inturbatâ fide ab ipſo expectent, ſed eam illegitimis mediis quærant alibi. Hi homines non habebant eum pro Salvatore animarum, & tamen corporalia ei concedebant. Tu gloriaris, quod magnam illam ſpiritualem ſalutem animæ firmâ fide ab eo exſpectes, & tamen tantùm ei non confidis, quod corporalia tua mala ſanaturus ſit! Nonne teipſum hoc pacto redarguis? Conſidera illud Matth. 9. v. 5. Si infideles tantum fidei repoſuerunt in Chriſtum & ejus Apoſtolos, ut morbos ſuos ac mala corporalia ei ſananda concrederent, an tu minus facies, qui te fidelem gloriaris?

Deinde quæritur, quæ ſit ratio, quod Chriſtus Apoſtolis ſuis inter cætera ſigna & prodigia præcipuè conceſſit poteſtatem ejiciendi Dæmonas & ſanandi morbos, ſicut etiam inter ipſius Chriſti miracula hæc fuerunt maximè communia, Matth. 4. 24. *Reſp.* Ut hoc pacto adumbraret, quo demum fine in mundum venerit, & quid potiſſimum præſtiturus ſit illis, qui in nomen ejus credituri eſſent. Præcipua mala, quibus homines naturâ obnoxii ſunt, ſunt hæc duo: 1. quod tanquam rei malefactores captivi erant ſub poteſtate Diaboli, tanquam lictoris & carnificis, in cujus manum traditi erant à Deo judice. 2. Quod eſſent impotentes ad bonum, lethalibus peccatorum morbis, pœniſque inde promanantibus onuſti. Chriſtus igitur inter omnia miracula ſua ſe præcipuè voluit oſtendere expulſorem Satanæ & medicum morborum, ut per hoc duplicem ſuæ mediationis vim nobis oſtenderet, vid. 1. quod nos ſacrificio ſuo propitiatorio cum Deo reconcilians à poteſtate Diaboli liberet. 2. quod per Spiritum S. ſanet noſtram impotentiam & infirmitatem, reſtituatque nobis ſanitatem vitæ ſpiritualis. Sic deſcribitur officium Chriſti, Hebr. 2. 14. 15. Eſa. 53. 4. 51. Eſa. 61. 1. 1 Petr. 2. 24.

Object. Sed cur Chriſtus hodiernis miniſtris eadem dona non concedit? Si noſtri concionatores haberent dona ſanandi morbos, tum libenter vocaremus eos cum ſumus ægroti?

Reſp. 1. Chriſtus & Apoſtoli ſanabant morbos, non quaſi ſanatio morborum eſſet præcipuum illud artificium & beneficium, cujus cauſâ in mundum venerant (ad hoc enim non opus erat Chriſto & Apoſtolis, poterat hoc aliquis empiricus vel medicus) ſed tantùm ut hoc pacto principale ſuum beneficium, videlicet ſpiritualem ſanationem peccatorum, hominibus ob oculos ponerent. Etſi igitur ordinarii miniſtri non ſunt ſimiles Apoſtolis in iſto ſecundario, tamen ſunt iis ſimiles in primario. Etſi non poſſunt ſanare morbos, tamen poſſunt ſanare peccata per verbum reconciliationis. Et annon hoc ſatis cauſæ eſt ad eos quærendos?

2. Ordinarii miniſtri etiam poſſunt aliquid conferre ad ſanationem morborum, propter quod digni ſunt, ut eorum conſilium contra morbos veſtros adhibeatis. Nam

a. Poſſunt vos præſervare à morbis. Utaris medicorum præſervativis quantum velis, tamen non

arcebis

arcebis morbos. Si vis verum præſervativum contra morbos, diſce ab Apoſtolo 1 Cor. 11. 30. 31. videlicet judicare teipſum. Et quomodo hoc præſervativum paretur, ſeu quæ ſit vera judicatio ſui ipſius, non te docebunt medici, ſed concionatores.

β. Poſſunt ſanctificare veſtros morbos. Etſi medicus aliquis non poteſt ita curare febrim ut ceſſet, gratiam tamen meretur, ſi ita poſſit curare, ut tollat malignitatem, ne ſit lethalis: Sic etſi miniſtri ſæpe non poſſunt tollere morbos, tamen poſſunt ab iis removere ſpiculum mortis, & eam malignitatem, quam nemo medicus tollere poteſt, videl. ne æternam inferant mortem, ſed tandem convaleſcant ad æternam vitam. Et hoc eſt quod præcipuè indicat Jacobus cap. 5. v. 14. 15. poſſunt aliquando miniſtrorum preces impetrare etiam corporalem ſanationem morbi, ſed hoc eſt neque præcipuum neque perpetuum. Hoc tamen poſſunt, ut remittantur peccata, & erigatur æger à mortalitate æterna.

γ. Poſſunt vos roborare in morbis ut ferre poſſitis. Cum Chriſtus in agone eſſet, non medicus ex pharmacopæo, ſed angelus ex cœlo roborabat eum. Sic cum in angore morbi es, non à medicis, ſed à miniſtris verum confortativum cordis tibi adminiſtratur, qui dum te erudiunt de cauſis, fine & fructibus morborum, ſolatio firmant animam contra deliquium ſpirituale. Corpus non poteſt portare animam, ſed anima debet portare corpus, Prov. 18. 14. Non tantùm itaque corpus roborandum in morbis, ſed præcipuè anima.

Denique quæritur de umbra Petri quomodo illa morbos potuerit ſanare? Pontificii mirum in modum in hac umbra triumphant, & ſuper hanc umbram ædificant ſuperſtitionem ſuam circa reliquias ſanctorum. Si ſola, inquiunt, umbra Petri tot morbos potuit ſanare, quid non poſſint reliquiæ veſtimentorum vel corporis? Si Pauli ſudoriola, Actor. 19. Si Chriſti fimbria Matth. 9. ſanârunt morbos, ſi oſſa Eliſæ mortuos excitârunt 2 Reg. 13. quid non poterunt lignum crucis, ſepulchrum Chriſti, tunica Chriſti, lac & crines Mariæ, caligæ Joſephi, &c. An talia non poſſent juvare, annon eſſent honoranda & adoranda? *Reſp.* An poſſibile eſt, tantam in homines cadere dementiam? Non dicam nunc incertum eſſe, quod ullæ earum reliquiarum, quas hinc inde oſtentant, ſint veræ reliquiæ ſanctorum, cum tot palpabiles fraudes committant, ut unam eandemque rem toties & tot locis oſtentent. Pone eſſe veras reliquias. At verò

1. Si Deus per tales homines, dum viverent, ſive per eorum ſputum, veſtes, umbram, &c. tantas virtutes operatus eſt, modò hic modò illic pro beneplacito, an inde ſequitur, illis rebus ineſſe hanc virtutem perpetuò, etiam poſtquam mortui ſunt homines, qui ea poſſederunt? Annon hanc ipſam ob cauſam per tam vilia & non proportionata media tantas virtutes operatus eſt Deus, ut non hæreremus in mediis, ſed aſſurgeremus ad Deum, & ei ſoli has virtutes adſcriberemus?

2. Poſito, quod adhuc poſſint, an ideò adoranda? Verbum & ſacramenta ſunt media, quæ animam convertunt, & tamen non adoranda. Cur igitur adoremus media corporalis ſanationis? Inſtant. At quas res Deus tanto honore dignatus eſt, ut per eas tantas virtutes operaretur, an eæ à nobis non debent adorari & honorari? *Reſp.* Non debent. Si creaturæ creatori ſuo ſerviunt, an ideò merentur adorari ab hominibus? Deus etiam per Diabolum & peccata ſæpe efficit res magnas, an ideò hæc vis adorare? Vide quid Chriſtus reſpondeat mulieri Mariam matrem Domini prædicanti, Luc. 11. 27. 28. Si quid ex hac umbra diſcere vis, diſce hoc:

1. Ne diffidas Deo cum deſunt media. Vel per umbram juvare poteſt. Loquere modo verbum, extende modò umbram tuam ſuper nos, & ſat eſt. Pſal. 91. 1. & paſſim.

2. Ne propter tenuitatem contemnas media, quæ Deus ſibi eligit. Qui per umbram potuit ſanare, poterit etiam per prædicationem verbi, per aquam baptiſmi, per panem & vinum cœnæ operari.

Actor. 5. *v.* 17. 18. 19. 20. 21.

CONCIO LXII.

Sequitur occaſio proxima hujus quarti teſtimonii, videlicet captivitas & examinatio Apoſtolorum propter editionem iſtorum miraculorum, facta à Sacerdote & Sadducæis qui erant cum ipſo. Captivitas Apoſtolorum duplex eſt, prima & ſecunda. Semel capiebantur & includebantur carceri, ſed ab angelo Domini liberati redibant ad templum & liberè docebant populum. Sed altero die denuò capiuntur & ducuntur ad ſynedrium, atque ibi examinantur. Sequamur veſtigia hiſtoriæ ut ſunt in textu.

I. Ἀναστὰς ὁ ἀρχιερεύς. Surgere hic non eſt ex ſede

ſede ſeſe erigere corporaliter, ſed eſt excitare ſeipſum ad aliquid audendum. Terror & ſplendor miraculorum in Anania & aliis, ab Apoſtolis editorum, ita dejecerant ipſorum animos, ut non auderent adoriri Apoſtolos & Eccleſiam v. 13. Sed ubi memoria horum miraculorum paululum decrevit, & invidia denuo ſtimulare cœpit intus, excitârunt ſeſe ad audendum quod antea non audebant. Non tantùm naturâ erant ad tyrannidem inclinati, non tantùm habituali odio & invidiâ contra Chriſtum & Apoſtolos ejus urgebantur, ſed etiam, cum per divina judicia naturalis & habitualis eorum malitia nonnihil terreretur, & reprimeretur, data operâ ſe ipſos iterum excitabant ad pergendum in tyrannide. Hic mos tyrannorum. Quanto plus divinis judiciis reprimuntur & abſterrentur à malis propoſitis, tanto fortiùs ſe excitant ad mala facinora, uſque dum penitus opprimuntur, ne amplius poſſint. Sic Pharao quanto pluribus judiciis reprimeretur, tanto plus ſe indurabat: Sic de Uzia dicitur 2 Chronic. c. 26. v. 16. quod cor ejus ſe elevaverit contra Dominum uſque ad interitum. Sic Antiochus, Sic Pſal. 2. 2. 3. Sic etiam dicitur Eſa. 1. v. 5. Quod Judæi quanto plus paſſi ſint, tanto magis ſe ad malefaciendum excitaverint. Calcaria ſibi ipſis addunt, & faciunt ſicut Bileam, Numer. 22. v. 23. 24. &c. Sic hi homines, cum poſt primam captivitatem Apoſtoli liberarentur, & ipſi mirè obſtupefierent v. 24. tum denuo ſe excitabant. Caveamus nos hic præcipuè, ne contra judicia Dei nos terrentia noſmet excitemus ad audaciam malefaciendi. Sumus naturâ ſatis audaces ad malum. Cum igitur Deus per judicia ſua audaciam noſtram frangit, ne nos eam redintegremus. Hoc eſt quaſi irritare Dominum, & quaſi tentare an ſimus robuſtiores illo, 1 Cor. 10. 22. Eſt proprium Diaboli. Is enim tremit, quoties de Deo cogitat, & tamen ſe excitat, ut audeat oppugnare Deum. Excitemus nos ad bonum, Eſa. 64. ne excitemus nos ut Deum prehendamus peccatis, ſed precibus & fide.

II. Quis autem ſe ita excitavit contra Apoſtolos? Summus Sacerdos, & qui cum eo erant; inter quos præcipuè erat ſecta Sadducæorum. Nota

1. Summus Sacerdos ſummus Eccleſiæ perſequutor. Erat Sacerdos, i. e. miniſter ceremoniarum & umbrarum Euangelii, quales divinitus erant inſtituti, ſed quorum functio abrogata eſt per adventum Chriſti. Erat ſummus Sacerdos. Deus unum inſtituit Sacerdotem ſummum, qui eſſet typus Chriſti. Legimus tamen de multis ſummis Sacerdotibus paſſim in Euangelio, præſertim hoc cap. v. 24. quia cum tempore invaluit, poſtquam Sacerdotum familia in 24 Claſſes fuit diviſa 1 Chron. 24. ut ſingularum præfectus nomen ſummi Sacerdotis obtineret. Hic autem intelligitur unus ille ſummus Sacerdos, qui ſecundùm Dei inſtitutionem erat vocatus ad cæteros regendos. Unde videmus, quod Eccleſia poſt adventum Chriſti non habeat acriores hoſtes quàm Sacerdotes & Prælatos Eccleſiaſticos, i. e. homines, qui per ceremonias & umbras ſalutem volunt operari, & qui dominatum affectant in Eccleſia. Dico poſt adventum Chriſti. Nam ante adventum Chriſti hi erant divinitus inſtituti & ſoli legitimi Eccleſiæ miniſtri, ſed poſt adventum Chriſti qui tales eſſe volunt, plerunque ſunt acerrimi hoſtes Eccleſiæ. Principes & politici perſequuntur quidem, ſed non niſi ab his ſeducti. Quod hoc verum ſit, docet experientia. Si vis ſcire quare communiter ita ſit, en ratio hæc eſt, quia ipſa eorum functio, quam ſibi arrogant, eſt inimicitia contra Chriſtum. Nam qui poſt Chriſti adventum vult ſacrificare pro peccatis, & dominum gerere in Eccleſiam, ille negat Chriſtum veniſſe & præſtitiſſe unum perfectum ſacrificium, ſibique attribuit, quod Chriſti proprium eſt. Antequam Chriſtus veniſſet, Sacerdotes ſacrificabant & dominabantur in Eccleſia tanquam typi Chriſti ſuo tempore ſeipſum ſacrificaturi, & tum ſuper Eccleſiam, tanquam peculium ſuum, dominaturi. Sed qui poſt Chriſti adventum hoc ſibi arrogat, is jam non eſt typus Chriſti, ſed hoſtis Chriſti, negans ejus ſacrificium, & ſibi rapiens ejus honorem. Si quis Vice-Rex, qui ad tempus in ſolio Regis ſedit, & Regem repræſentavit, & de Regis voluntate fecit quod Regis eſt, adventante ipſo Rege nolit cedere ſolio, nec deponere officium quod geſſit antea legitimè, is jam non eſt vicarius, ſed hoſtis Regis. Sic &c. Videmus hinc 1. quàm parum faciant Chriſtianè, qui pro titulo Prælatorum & Sacerdotum retinendo tantopere pugnant, ut etiam ſanguinem fundere non recuſent. 2. Quid nobis exſpectandum à Romanis Prælatis & Sacerdotibus, qui ſacrificium faciunt pro peccatis & dominantur in clerum Domini, & dicunt ſe hoc facere ſecundùm exemplum Sacerdotum in V. T. quod ſcilicet ipsâ naturâ officii hujus, quod ſibi ſine vocatione arrogant, ſunt hoſtes Chriſti & Eccleſiæ. Nam hominum ſacrificia & dominatus in Eccleſia ante Chriſtum erant adum-

adumbratio Chriſti venturi, poſt Chriſtum ſunt nil aliud quàm abnegatio Chriſti exhibiti, & proinde vera inimicitia contra Chriſtum. Videamus igitur à quibus hominibus nobis exſpectanda ſit maxima hoſtilitas, non à Rege Hiſpaniæ, ſed à Romano Prælatico Sacerdotio, ſeu Hierarchia Romana, ſive illa Hiſpanica, ſive Gallica, ſive Belgica ſit.

2. Sed peſſimum omnium eſt, quod hic Prælatus non ſolùm ipſe contra Eccleſiam inſurrexit cum iis quos de ſuo genere habuit, & ad tale quid audendum movere potuit, ſed præcipuè quod ſocietatem iniit perſecutionis cum peſſimis hæreticis, qui tum erant in Eccleſia, ſcilicet Sadducæis, quorum hæreſis tam erat impia, ut negarent articulos de immortalitate animæ & reſurrectione carnis, cum quibus neceſſariò omnis religio negatur. Hæc ſocietas hominum vocatur hic *αἵρεσις*, quæ vox etiam uſurpatur, Actor. 26. 5. & 28. 22. & ſignificat electionem religionis ſeu religionem electam judicio humano. Nos modum illum colendi Deum non debemus noſtro judicio eligere, ſed debemus invenire & recipere in Scriptura revelatum & præſcriptum. Cum quis igitur deſerit media ſalutis & cultûs in Scripturis præſcripta, & ſibi ipſi nova eligit, adhæretque illis qui ab hominibus electa ſunt, is eſt hæreticus, peccans directè contra ſecundum præceptum. Et teſtatur Scriptura, quòd ejuſmodi media ſalutis & cultûs, ab hominibus contra Scripturam electa, ſpeciali maledictione Dei adeò noxia ſunt, ut non ſolùm ſint venenum quo necatur anima, quæ iſtam doctrinam tenet, ſed etiam ſit inſtar cancri, & peſtis inficientis alios, 2 Tim. 2. 17. adeò ut illi, qui hac electitiâ doctrinâ infecti ſunt, omnibus ſint fugiendi & vitandi cane pejus & angue, Tit. 3. 10, 11. Diſcimus,

1. Quo jure Pontificii nos vocent *hæreticos*, qui tamen omnia media cultûs & reconciliationis noſtræ cum Deo, quæ in Eccleſia noſtra uſurpamus, non noſtro judicio elegimus ſed in Scriptura invenimus. Ipſi hæretici, quia omnia ipſorum electitia ſunt.

2. Quàm iniquum ſit Eccleſiam velle urgere ad faciendam pacem cum omnibus hæreticis. Noſtis qualia hactenus fuerint tempora, quod homines litium Eccleſiaſticarum adeò pertæſi fuerint, ut Indifferentiam quandam religionum cupiverint in tantum, ut vel ideo Reformata Eccleſia ab Arminianis ſit habita omnium peſſima ſecta, quod nolit cum hæreticis in pacem deſcendere. Et quid dicendum de iis, apud quos differentia religionum tam parum curatur, ut non reformident ſocietatem inire cum quibuſvis ſectis ad oppugnandam veram Eccleſiam & vera Chriſti membra? Conſiderent hi homines hunc locum, ubi Spiritus S. ad æternam infamiam Prælatorum Judaicorum voluit annotatum, quod cum hæreticis ſocietatem inierint ad perſequendam Eccleſiam.

III. Sed quid movit hos homines ad inſurgendum contra Eccleſiam? *ἐπλήσθησαν ζήλου*. Quis implevit igitur eos? i. e. Invidia & Zelus, qui in ipſis erat, & terrore miraculorum Apoſtolicorum hactenus compreſſus erat, ceſſante terrore iterum ſeſe exſeruit. Peccata in corde latentia ſunt ſicut fermentum & ſicut febris, etſi ſubinde depreſſa ſunt, tamen nacta occaſionem & pabulum ſe iterum dilatant & cor totum implent, ut ad pravas actiones impellant. Præſertim cum accedit opera Diaboli. Diabolus dicitur implere homines, non tantùm cum infundit mala deſideria, ſed præcipuè cum concupiſcentias in corde latentes inflat. Qui ſentit in corde ſuo eſſe pravas concupiſcentias, quantumvis ſint parvæ & ſedatæ, debet tamen probè tegere inſtar ignis. Si ignis in foco, quamvis ſub cinere, non benè tegitur, ventus inflat, ut totam domum repleat, ita ſi cupiditatibus cordis noſtri non bene attendamus, Diabolus eas inflat, ut totum cor impleant malitiâ. Quanam autem re impleti ſunt? *Ζήλου*. Dupliciter poteſt ſumi hæc vox:

1. Pro zelo (קנאה) qui eſt ita orta ex amore Dei & Divini cultûs à malitia hominum læſi ac violati, qui motus in ſeipſo indifferens eſt, & bonus fit, ſi eſt pro bono & ſecundùm ſcientiam, Rom. 10. fit verò malus, ſi fit pro eo, quod in ſe malum eſt, etſi à nobis pro bono habeatur. Poteſt fieri, ut hi Prælati patriam legem ita amaverint, ut indignè tulerint ejus abrogationem. Sed hoc eos non excuſat. Debebant enim ſcire ex Scriptura, quod tempus abrogationis veniſſet, & proinde non debebant ita amare quod Deus volebat abrogatum. Perſequi Eccleſiam ex zelo patriæ ſuperſtitionis non excuſat. Judæi id fecerunt, Rom. 10. & tamen damnati. Paulus id fecit, Actor. 9. & tamen graviſſimus omnium peccatorum, 1 Tim. 1. Non igitur excuſati ſimplices Papiſtæ, quod zelo aguntur ſuperſtitionis antiquæ. Debent examinare Scripturas, & ſe non pati duci auctoritate ſacrificulorum ſine proprio judicio.

2. Pro invidia. Non enim tam probabile quod

hi homines tanto zelo religionis fuerint ducti, ſed potius invidiâ, quod is quem crucifixerant, tantopere honoraretur ab Apoſtolis. Sicut enim ex invidia Chriſtum tradiderant, Matth.27. ita etiamnum eodem Spiritu contra eum agebantur. Prætendebant quidem zelum, ſed revera erat invidia. Non deſcribitur hoc in honorem horum hominum, ſed in ignominiam. Ergo non imitemur, ſed vitemus. Vide Jacob. 3. 14. Invidere eſt iraſci, quod Deus erga aliquem bonus eſt.

IV. Ad quid autem tandem hi homines ſe excitarunt? Ad injiciendum manus Apoſtolis, & ponendum eos in carcerem publicum. Non adoriuntur eos argumentis, ut oportebat miniſtros verbi, ſed vi & carceribus. Hæc arma Sacerdotum & Prælatorum. Videtis hic omnes ſimul duodecim Apoſtolos in carcerem conjectos. Obſervemus hoc ad noſtrum ſolatium, ſi cui forte carcer contingat propter Euangelium. Sic Micha 1 Reg. 22. Sic Jeremias Jerem. 20. 1. Sic Joannes Baptiſta Matth. 14. Præſertim nota, quod in carcerem publicum conjecti ſunt, ut furibus & latronibus haberentur ſimiles, ne diſcipulus eſſet ſupra Magiſtrum.

Quomodo iis ſucceſſit hæc incarceratio Apoſtolorum? Deus non reliquit eos in carcere, ſed miſit angelum, qui aperuit carcerem, & eduxit captivos. Voluit quaſi ludificari hoſtes & oſtendere, quàm ſtulti ſint, quod vim injiciunt iis, qui ſerviunt Deo. Obſervemus hinc, quod ſervis Dei non ſint defutura media liberationis. Serviamus modò Deo. Deus cum ſervis ſuis ſolet agere, ſicut Simſon cum ſuis hoſtibus, Judic. 16. v. 7. uſque ad 16.

Sed ut ſcirent Apoſtoli quod eſſet angelus Domini qui eos ſolverat, jubet, ut irent in templum, & prædicarent verba hujus vitæ. Si interdixiſſet prædicationem Euangelii, intellexiſſent non eſſe eum à Deo, ſed cum jubet quod Diabolus & hoſtes conabantur impedire, inde intelligebant à Deo eſſe.

Vocat autem Euangelium verbum vitæ hujus, non hujus terrenæ, ſed q. d. hujus vitæ, propter cujus ſpem captivi eſtis. Omnes homines mortui. Apoſtoli miſſi ad prædicandum verbum vitæ quod à Chriſto acceperunt, Johan. 6. Quare Euangelium verbum vitæ? 1. Quia omnibus oſtendit viam ad vitam. 2. Quia contritis & metu mortis onuſtis fidelibus annunciat ſententiam vitæ, Ezech. 16. v. 6. 3. Quia ſemen per quod regeneramur in novam vitam. Apoſtoli liberati obediunt mandato angeli, abeuntque in templum ad docendum, & exemplo ſuo oſtendunt, non ideo ceſſandum ab officio, cum experti ſumus, quod periculum ſit in fideli functione officii.

Actor. 5. *à v.* 21. *ad* 29.

CONCIO LXIII.

SEquitur ſecunda apprehenſio Apoſtolorum, quæ huic quarto teſtimonio occaſionem dedit. Cum enim captivitatem priorem auxilio Angeli evaſiſſent, & ejus juſſu in templo populum docerent, Pontifex evaſionis illius ignarus, congregavit concilium & Senatum, ut eos de vita tolleret. Poſtquam concilium conſediſſet, miſerunt lictores, qui captivos Apoſtolos adducerent. Hi nunciaverunt evaſiſſe Apoſtolos, quod dum mirabantur qui in conſilio ſedebant, aliunde nunciatur eos in templo populum docere. Mittitur igitur Præfectus templi, qui eos denuo apprehendit, & propter metum populi ſine vi ad Synedrium adducit, ubi gravium facinorum à Pontifice accuſantur. In explicatione hujus Paragraphi ſequemur veſtigia textûs.

I. Poſtquam in carcerem eſſent conjecti Apoſtoli, Pontifex in ſequentem diem convocat Synedrium, & totum Senatum Iſraëlis, eo ſcilicet fine, ut deliberaretur, quo pacto omnium optimè poſſent reprimi & coërceri, ne pergerent docere Euangelium Chriſti. Conſilium, quod ad hunc finem congregatum erat, compoſitum erat ex ſummo Pontifice & iis, qui cum ipſo erant, nec non ex toto Senatu filiorum Iſraël. Synedrium & Senatus fuerunt congregati. Iſta congregatio facta eſt à ſummo Sacerdote & iis, qui cum ipſo erant, i. e. ſecta Sadducæorum, ut expoſitum eſt v. 17. Pontifex & Sadducæi præcipuè flagrabant odio Apoſtolorum, & eorum excidium quærebant ac urgebant, ideoque convocant Synedrium & Senatum. Pontifex ſine dubio habuit auctoritatem & poteſtatem convocandi; ſed Sadducæi, quibuſcum conſpiraverat, juvarunt rem urgere, ut tantò facilius ſuccederet. Non enim leviter & ſine cauſa tantum potuiſſet convocare conſeſſum, niſi potuiſſet prætendere deſiderium multorum, qui ſibi ſatisfieri cuperent in gravaminibus ſuis. Sed quid differentiæ inter Synedrium & Senatum filiorum Iſraël? *Reſp.* Duplex erat Magiſtratus in Iſraël, particularis & generalis. Particularis, qui ſingulis civitatibus erant præfecti, Deuter. 16. 18. de quibus ex Rabbinis obſervatur, quod in qualibet urbe, quæ habebat 120. familias vel

vel plures, fuerit Senatus viginti trium judicum; quæ verò minus quàm 120. in iis erat Senatus trium judicum. Generalis Magiſtratus erat iis, qui Hieroſolymis reſidens judicabat cauſas totius Iſraëlis, quæ ex particularibus civitatibus per formam appellationis eò deferebantur, vel adminiſtrationem totius Reipublicæ concernebant: Hic inſtituitur Num. 11. 16, 17. & præcipuè Deut. 17. 8, 9, 10. & 2 Chron. 19. 8, 11. Apparet autem ex his textibus, quod generalis Magiſtratus, qui erat Hieroſolymæ, præter Magiſtratum Urbicum, fuerit duplex, Eccleſiaſticus, qui conſtabat ex Sacerdotibus, & Levitis & Scribis ſeu Juriſconſultis, ac judicabat cauſas Domini, i. e. res ad religionem & juſtitiam pertinentes; & Politicus, qui gubernabat cauſas Regis, i. e. res Politicas & merè civiles, 2 Chron. 19. 11. Sicut ex eodem loco probabile eſt, etiam in ſingulis civitatibus quoddam Conſiſtorium ex Levitis & judicibus fuiſſe, juxta Senatum Politicorum. Collegium Eccleſiaſticum, quod erat Hieroſolymis, conſtabat ex Sacerdotibus & Levitis ac Jure-Conſultis, habebatque Pontificem pro capite: Collegium verò Politicum conſtabat ex Principibus & rectoribus ſeu Ordinibus Regni, cui unum caput loco Moſis erat additum, ut patet 2 Chron. 19. v. 11. Quanquam Rabbini docent præter hoc grande Conc. 71. judicum Hieroſolymæ fuiſſe duo collegia inferiora, quorum quodlibet habebat judices 23. per quæ omnes cauſæ, per modum appellationis Hieroſolymam [illegible], debebant tranſire, antequam ad magnum i[illegible] onſilium veniebant.

Hæc duo Collegia ſuper hac ſuppreſſione Apoſtolorum erant congregata, quia mutatio religionis erat res, quæ non ſolum Eccleſiam, ſed & Rempublicam tangebat. In forma congregationis nihil facile deſideres, ne hoc quidem, quod unà cum Concilio Eccleſiaſtico Magiſtratus civilis fuit congregatus. Non enim contra æquitatem eſt, in talibus Conciliis Eccleſiaſticis, in quibus de religionis diſſidiis tractatio habenda, adeſſe auctoritatem magiſtratûs, quæ proſpiciat, ut omnia gerantur ordine ſecundùm verbum Dei, & ſupprimatur omnis confuſio & petulantia. Sed in fine hujus congregationis vitium eſt. Non enim convenerant, ut doctrinam Apoſtolorum ad amuſſim verbi examinarent, an ex Deo eſſet, necne; ſed tantùm ut de mediis diſpicerent, quibus Apoſtoli tollerentur è medio, & ſupprimeretur prædicatio Euangelii. Ex hac te judicare poſſumus quid ſentiendum ac ſperandum de conciliis generalibus circa diſſidia religionis. Sæpe per talia concilia diſſidia religionis ſunt compoſita, & ex quo tempore Proteſtantes à Papatu ſeceſſionem fecerunt, multorum votum fuit, ut generale concilium convocaretur, in quo controverſiæ religionis componerentur. Pontificii quoque multum gloriantur de ſuo Concilio Tridentino; quod ajunt fuiſſe tam auguſtum, tot conſtans Epiſcopis, & Imperatorum ac Regum Legatis, à Pontifice Maximo convocatum, cujus proinde deciſioni ſine omni ſcrupulo ſit obediendum. Sed 1. ut nihil dicam de externa forma Concilii Tridentini, an Papa Romanus idem jus habeat convocandi concilia, quod habuit Pontifex Judaicus: an Prælati Chriſtianorum, qui ſoli ad Concilium Tridentinum fuerunt convocati, ſint æque legitimi judices Controverſiarum religionis, ac fuerunt illi, qui ad hoc Judaicum Concilium fuerunt convocati. 2. Sufficit in fine omnia Concilia, quæ à Romanis ſperari poſſunt, huic Judaico fuiſſe & fore ſimilia. Non enim Romanis Præſulibus is eſt animus, quod unquam velint doctrinam ſuam, quæ à Proteſtantibus oppugnatur, in examen vocare & cum Scriptura conferre, & in ea emendare, ſi quid vitioſum deprehenderetur, ſed is eſt finis, ut errores ſuos conſenſu multorum pallient, & de mediis delibeterent, quomodo ſupprimi poſſint, qui contradicunt. Tantopere capti ſunt amore ſuorum errorum, vel potius commodorum, emolumentorum & honorum, quos hi errores pariunt, ut ne parati quidem ſint cedere, ſi vel tota Scriptura contradicat; ſed potius tam ſint impudentes, ut audeant ita decernere: *Etſi Ieſus Chriſtus ita docuit, nobis tamen aliud videtur.* Etſi igitur optandum foret, poſſe convocari legitimum aliquod Concilium œcumenicum, quod controverſias noſtri temporis componat; tamen quia hoc vix ſperari poteſt, ſaltem quia certo certius eſt, paucos venturos eſſe ad Concilium animo examinandi ſuos ſenſus, & emendandi, ſi judicabuntur falſi, tutius eſt, ut quilibet fidelium ſuos ſenſus in Scriptura exerceat, & judicet an Spiritus, qui ipſis media ſalutis annunciant, ex Deo ſint, & an res ita habeant, quemadmodum à nobis prædicantur, ſicut fecerunt Beroënſes, Actor. 17. 11. & ſicut Apoſtoli jubent, 1 Cor. 10. 15. & 1 Johan. 4. 1. Perfecta eſt Scriptura & utilis, ut hominem Dei reddat ſapientem ad ſalutem, 2 Tim. 3. etiamſi Concilii generalis opera non accedat.

Triplex eſt in Eccleſia Judicium, per quod poſſumus

mus ad agnitionem veritatis venire in controverſiis Theologicis:

1. Judicium definitionis ſeu deciſionis, quod Spiritus S. in clariſſimis Scripturæ verbis & indubitatis fidei articulis depoſuit, quod planè infallibile judicium eſt.

2. Judicium demonſtrationis, quod miniſtri Euangelii legitimè ad functionem ſuam vocati, & ad compoſitionem controverſiarum legitimè convocati pronunciant, & teſtimoniis Scripturæ confirmant. Hoc judicium non eſt infallibile, ſed ſæpe fallit, dum aut in vocatione & convocatione miniſtrorum vitium eſt, vel qui legitimè convocati & vocati ſunt, non attendunt ad Scripturas, ſed præconceptas opiniones pronunciant, & Scripturas ad eas palliandas detorquent.

3. Requiritur igitur judicium tertium, ſcilicet judicium diſcretionis vel probationis, quod omnes pii fideles inſtituunt, quoque illam doctrinam quæ à miniſtris, ſive extra Concilium ſive in Concilio profertur & pronunciatur, examinant an conveniat cum natura & gloria Dei, cum clariſſimis Scripturæ teſtimoniis, cum indubitatis fidei articulis, & an ſit doctrina utilis ad pietatem. Hoc judicium, ſi rectè inſtituatur, & cum ſeria invocatione divinæ illuminationis, cum vera abnegatione propriæ rationis, cum ſincera humilitate cordis, nec non cum firmo propoſito uſurpandi veritatem ad pietatem conjungatur, eſt infallibile judicium: non quidem in ſe ipſo, (ſumus enim nimis proni ad errandum) ſed vi divinæ promiſſionis. Talibus enim promiſit Deus, quod velit eos docere ſuas vias, Pſal. 25. quod debeant ſcire an Doctrina ex Deo ſit, Johan. 7. quod velit dare Spiritum qui ducat in omnem veritatem, Johan. 16. Fieri poteſt ut tales abripiantur in aliquos particulares errores, eoſque ſatis graves, ſicut fideles & regeniti habent ſuas multiplices infirmitates, non ſolùm in voluntate & affectibus, ſed etiam in intellectu & judicio, ſed tamen ſi in examine diſcretionis, quale nunc deſcripſimus, ſint ſeduli, fieri non poteſt, quin veritatem ſalvificam tandem eonſque agnoſcant, quantum ad ſalutem eorum abſolutè neceſſarium eſt. Quod ſi quis verò judicio proprio ad examinandas res religionis non vult uti, ſed omnibus informationibus obturare aures, & perverſo doctorum ſuorum amore ſeipſum vendere ſub cœcum obſequium, vel ſi quis velit in ſcrutatione Sciptuiæ verſari ſine modeſtia & vera humiliatione, cum audaci præſumptione de propriæ rationis in judicandis rebus religionis ſufficientia, & cum ſchiſmatica ſuperbia & acerbitate, tales à veritate quàm longiſſimè aberrare mirum non eſt. Ne itaque confidamus auctoritati humanæ in rebus religionis, quamtumvis magnæ, ſed proprium adhibeamus judicium idque eo modo, ut ſupra diximus. Bonum quidem eſt, ſi poſſumus habere adminicula Conciliorum, & magnam adferunt lucem, ſi rectè inſtituantur. Sunt enim ſicut ſpecillum oculatium pro oculo infirmô; ſed tamen ſi haberi legitima non poſſunt, non ideò hæreamus erroribus & præconceptis opinionibus, ſed adhibeamus proprium judicium, ne ſeducamur à veris mediis ſalutis & reconciliationis cum Deo.

Object. Si Concilia & Synodi ſunt adeò fallibiles, tum non eſt quod noſtris quoque Synodis, ſpecialiter Dordracenæ, multum auctoritatis tribuamus. *Reſp.* Ne tribuite illis plus auctoritatis, quàm quatenus verbo Dei decreta earum nituntur. Sed ſi videtis niti clariſſimis verbi teſtimoniis, non poteſtis contemnere, niſi velitis verbum Dei contemnere.

II. Cum conſediſſet Senatus, miſſi ſunt lictores, qui Apoſtolos ex carcere adducerent. Quo fine eos voluerint adductos, patebit poſtea, ubi ad Concilium Apoſtoli venerint. Lictores autem abeuntes reverſi ſunt, & retulerunt quid invenerint, ſcilicet carcerem quidem clauſum, ac bene munitum, ſed vacuum. Legimus v. 19. quod Angelus januas carceris aperuerit, & ſic eduxerit Apoſtolos. Hic verò legimus, quod janua fuerit clauſa. Si non expreſsè diceretur de angelo quod aperuerit fores, ſine dubio Lutherani & Pontificii concluderent, penetraſſe per fores clauſas. At obſtant verba Euangeliſtæ, v. 19. nec habuerunt Apoſtoli corpora glorificata, quibus ſolis tribuere volunt Privilegium penetrationis. Quid igitur dicemus? Angelum qui aperuit, iterum clauſiſſe? Sed, inquiunt, ſi aperuit, cur iterum clauſit? *Reſp.* Ut tanto plus cauſæ haberent cogitandi, quod res non eſſet naturaliter acta, ſed per divinam manum. Januas tot ſeris munitas aperire ac iterum claudere, & præſentibus ac vigilantibus tot cuſtodibus Apoſtolos ita educere, ut nec videantur Apoſtolorum corpora, nec audiatur januarum & ſerarum ſtrepitus, non certè humanæ opus eſt, nec angelicæ quidem, ſed divinæ. Serviat hoc,

1. Refutandæ calumniæ vigilum quam legimus, Matth. 28. 12, 13, 14. Sepulchrum erat apertum, lapis revolutus, potuit igitur Judæus calumniari diſci-

diſcipulos furatos eſſe corpus magiſtri. Sed cujus fuſſu jam credis ſublatos Apoſtolos? Januæ intus & extus clauſæ ſunt, cuſtodes præſentes & vigilantes ſunt, quis igitur abſtulit?

2. Videmus quid reſpondendum ad objectionem Lutheranorum ex Johan. 20. 19. Apoſtoli etiam exiverunt januis clauſis. An igitur per clauſas januas? Non, ſed ἄγγελος ἤνοιξε. Si Angelus Apoſtolis aperuit, cur Chriſto non aperuiſſet? Sed, ſi quis vult eſſe pertinax, quid prodeſt claritas argumentorum?

3. Videmus exemplum impletæ comminationis, quæ eſt Pſal 2. v. 4. *Ridebit & ſubſannabit.* Erat revera res admodum ridicula. Hi homines furore ſuo contra Apoſtolos congregant totam majeſtatem Iſraëlis ad miſellos piſcatores opprimendos, quos videbant cœlitus roborari virtute ſpirituali. Conjiciunt in carcerem, muniunt firmiſſimè, conveniunt ad exſequendum furorem. Sed ecce cum conſident in auguſtiſſima majeſtate, elapſi ſunt Apoſtoli, & neſciunt quomodo? Hoc eſt ridere & ſubſannare hoſtes. Deus non illudit homines petulanti animo, ſicut homines ſolent ſe invicem, ſed tamen dicitur ridere & ſubſannare hoſtes ſuos, cum eos pudefacit & inanitates pravorum conatuum notabili exemplo eis ob oculos ponit. Dei ridere non eſt opus proterviæ & petulantiæ, ſed opus longanimitatis & patientiæ. Poſſet Deus hoſtes in furioſis ſuis conatibus irâ & excandeſcentiâ obterere, ſed mavult eos in patientia ſua facetè pudefacere, ut inanitatem ſuam tantò magis agnoſcere queant. Utinam nos à Deo diſcere poſſemus eodem modo procedere cum hoſtibus noſtris, furioſè contra nos inſultantibus. Verùm nos plerunque ſumus ſicut hortulani, qui cum vident plantas ſuas à felibus furioſè everſas, furioſè felibus & catulis iraſcuntur, cùm tamen potius ſit materia ridendi beſtiolarum ineptas, & inanitatem humani laboris. Sic cum à furioſis hoſtibus innocentes lædimur, ſimus longanimes, & potius rideamus *vanam ſine viribus iram*, eamque intueamur cum patientia.

III. Ex hoc nuncio totus conſeſſus obſtupeſcit, & dubitarunt quid tandem futurum ſit de his hominibus. Hinc obſervanda nobis doctrina, quod judicia & miracula Dei etiam impiorum animos ſæpe graviſſimè concutiunt, commovent & alterant. Verùm hanc doctrinam nuper in cap. 4. v. 14. 15. prolixè explicuimus, indeque oſtendimus, non ſtatim pro vera pietate habendum, ſi quem motum, & alterationem animi aliquam ſentis vel ex bona concione, vel ex aliqua mirabili re, quæ contingit.

IV. Ita dubitantibus Sacerdotibus advenit aliquis qui nunciat in templo eſſe Apoſtolos & docere populum. Habetis hîc exemplum delatoris & proditoris, qualis fuit Doëg, 1 Sam. 22. 9. 10. contra quem David compoſuit Pſal. 52. quales etiam fuerunt Ziphitæ, 1 Sam. 23. v. 19. & 26. 1. contra quos David compoſuit Pſal. 54. Longè aliter egit Rachab, Joſ. 2. 6. & Jonathan 1 Sam. 19. & 20. & mulier Bahurimenſis, 2 Sam. 17. 19. & Obadia, 1 Reg. 18. 3, 4. Non tantùm non debemus eſſe perſecutores, ſed etiam non debemus eſſe perſecutionis adjutores. Poſſet hæc doctrina pluribus applicari caſibus, ſed res odioſa eſt. Applicet quilibet ſibi ipſi. Vide Actor. 8. 1. Malefactores à judicio abſcondere non docemus, ſed tyrannorum manus roborare contra innocentes, graviſſimum peccatum eſt.

V. Abierunt igitur & denuo apprehenderunt Apoſtolos. Etſi impii judiciis & miraculis Dei valde commoventur, tamen nullo modo emendantur. Videbant hi homines multas res planè ſupernaturales in Apoſtolis, ut dubitarent quid tandem futurum, & tamen odium in eos nihil minuitur, ſed pergunt exequi quod cœperant. Nimirum nec verbum, nec miracula, nec judicia, nec beneficia emendant homines, niſi accedat omnipotens operatio Spiritûs S. quæ cor circumcidat, ex lapideo carneum faciat, det aures ad audiendum, oculos ad videndum, cor renovet, ex mortuis excitet, veterem hominem crucifigat, novum vivificet, &c. Si hoc non fit, auribus audiunt, & non intelligunt; videntes vident & non cernunt. Cur igitur fiunt prædicationes, miracula, judicia, ſi emendare non poſſunt? *Reſp.* Sunt media & adminicula per quæ Deus emendat ſuos electos, & contemptoribus omnem adimit excuſationem. Præſertim hinc quoque obſerva, quod piis in hac vita nulla conſtans fœlicitas. Vix liberati denuo capiuntur Apoſtoli. Sic vix ex uno morbo convaleſcentes incidimus ſæpe in alium. Non habemus hîc nec locum nec ſtatum firmum, ſed futurum quærimus, Hebr. 13. 4. Status piorum in hoc mundo talis eſt, qualis tempeſtas cœli, quod modò ſerenum, modò turbulentum eſt; immò proprius finis cur in his terris vivimus, eſt, ut cum Chriſto patiamur, & ei in paſſionibus conformemur. Intervenit aliquando aliqua reſpiratio, quod ſufficiat.

VI. Non tamen Apoſtoli in hac ſecunda captivitate

vitate abducuntur vi lictorum, ſicut in prima, ſed ſine vi, idque propter metum populi, verentibus lictoribus ne lapidarentur. Deum non timebant, ſed populum metuebant. Nunquam Eccleſia ita patitur à mundo, quin in ipſo mundo inveniat ſuos fautores, à quibus aliquid defenſionis & ſolatii fruatur. Cum Eccleſia pateretur in Ægypto, obſtetrices habuit fautores & ipſam filiam Pharaonis, quæ Moſen educavit. Cum in Babylone, reges ipſos habuit ſibi faventes; cum ſub idololatrico Achabo, Obadias extitit Prophetarum nutricius: Chriſtus ipſe cum pateretur, Pilati favore diu fruitus eſt. Sic in hodiernis bellis mirabiles narrant caſus qui ſub perſecutione deſudarunt, quomodo ſubinde experti ſint barbatiſſimorum favores. Sæpe Deus inter ipſos perſecutores mittit ſpiritum diſſidii, cujus beneficio pii elabuntur, ut Act. 2. 3.

VII. Adductis tandem ad Synedrium, duplex crimen objectum eſt;

1. Crimen contumaciæ: *Vetando vetuimus, ne amplius in nomine Ieſu prædicaretis, & tamen totam urbem hac doctrina repleviſtis.*

2. Crimen ſeditionis: *Vultis inducere ſuper nos ſanguinem hujus hominis*, i.e. laboratis concitare populum, ut in nobis ulciſcantur mortem Jeſu, perſuadentes eis, quod injuſtè eum occiderimus. Quod mala conſcientia jubebat metuere, id Apoſtolis exprobrant. Nota 1. Ne miremur, cum videmus impios bonam piorum cauſam eleganti oratione poſſe ita denigrare, ut videantur iniquiſſimi. 2. Mali Magiſtratus metuunt parrheſiam concionatorum, ne forte per eam ſuper ipſos inducatur pœna mali & injuſtitiæ, ab ipſis commiſſæ, vel in aliis impunè toleratæ. Fieri poteſt, ut ſine intentione concionatorum libera talium peccatorum reprehenſio eò cedat; fieri quoque poteſt, ut aliquando imprudentes & ſuperbi ac iracundi concionatores officio ſuo & favore apud plebem ad talem finem abutantur, ſed ideo tamen non eſt reprehendenda aut impedienda concionatorum parrheſia. Mirum eſt nos quoque hanc vocem Pontificis ſæpe audire à noſtris Magnatibus, cum reprehendimus vitia in republ. noſtra graſſantia, e. g. teporem in impedienda idololatria, in puniendis homicidis, oppreſſoribus, ſcortatoribus & adulteris, quod ſcilicet populum excitemus, & magiſtratum inducamus in periculum. Noſtra certè hæc non eſt intentio, qui tales nos gerimus in concionibus, ut non minus reprehendamus ſubditorum contumaciam, quàm magiſtratûs injuſtitiam; nec magis popularem auram quæramus, quàm Magnatum indignationem metuimus. Si vultis ab hoc periculo immunes eſſe, facite officium in omni parte officii, ne Deus juſtam habeat cauſam vobis aliquando mittendi tales concionatores, qui ſanguinem & pœnam peccatorum, dudum impunè inter nos graſſantium, ſuper vos inducant. Nam ſi hac re delectantur concionatores, poſſunt aliquando effectam dare. Dum res integra eſt, clamatis cum Judæis: *Nihil periculi; Sanguis ejus ſit ſuper nos & liberos noſtros.* Sed ubi periculum ingruit, culpam conjicitis in concionatores. Det Deus vobis ſapientiam præcavendi.

Actor. 5. à *v.* 29. *ad* 30.

CONCIO LXIV.

Sequitur teſtimonium ipſum, quod Apoſtoli Chriſto perhibent, per modum apologiæ contra criminationem Pontificis. Licitum enim eſt contra injuſtas criminationes ſeipſum defendere. Decet enim ita ambulare & ſe gerere, ut poſſimus unicuique reſpondere Coloſſ. 4. 5. & plura talis defenſionis exempla habemus in Jobo, Davide, aliis, & ipſo Chriſto: quamvis hoc quoque ſciendum quod non nimis accurati & præciſi debemus eſſe in criminationibus refutandis, præſertim iis, quæ non habent aliquam inſigniter ſcandaloſam ſpeciem. Ut enim ſe Chriſtus ſæpe defendit, ita ſæpe tacuit. Vide Prov. 26. 4, 5. Hinc etiam Apoſtoli, cum duo crimina ipſis fuerint objecta, ſcilicet crimen contumaciæ, inobedientiæ & crimen ſeditionis, ad prius tantùm crimen reſpondent. Nihil enim aliud agunt in hac tota apologia, quàm quod rationem reddunt, cur interdicto magiſtratûs ſui non fuerint obedientes. Quod attinet ad crimen ſeditionis, ad excitandum populum in ultionem ſanguinis Chriſti, id ſilentio prætereunt, ut certè eſt criminatio abſurda & inſulſa, vix digna reſponſione, quamvis uſitatiſſima ſit criminatio, quod ſcil. miniſtri Euangelii reprehendendo peccata magiſtratûs populum excitent, & magiſtratum in periculum inducant, unde quibuſdam profanis ſemper in ore proverbium: *Quod malint cum Diabolo commercium habere, quàm cum Miniſtro.* Vide 1 Reg. 18. 17. & 2. 20. & 22. 8. Amos 7. 10. Jerem. 38. 4. Hinc etiam fuit inter accuſationes Chriſti, quod eſſet ſeditioſus & pacem populi turbaret, Johan. 11. 48. Sed quid reſpondeas ad has criminationes? Deteſtanda potius eſt criminatio,

natio, quàm ſolvenda. Ad prius autem crimen Apoſtoli latè reſpondent. Criminatio enim inobedientiæ erga magiſtratum habet aliquam ſcandaloſam ſpeciem, quæ removenda erat. Cum enim magiſtratus ſit ordinatio Dei, & Apoſtoli teneantur illis obedire, certè non poterant interdicto ipſorum recuſare obedientiam, niſi iſtius inobedientiæ rationem redderent. Reſpondent igitur ad hoc crimen: Oportet *Deo plus* obediamus, *quam hominibus.* q. d. Verum quidem eſt quod ſumus ſub auctoritate magiſtratûs, & tenemur illis obedire. Sed magiſtratus debet ſcire, quod nobis non quidvis poſſit præcipere & interdicere pro lubitu, ſed debet conſiderare, quod Deus celſior ſit ipſis, & quod ſua præcepta vel interdicta non debet ita formare, ut pugnent cum præceptis vel interdictis Dei. Nam cum hoc fit, tum ſubditi ſunt obligati ad obediendum Deo, & non magiſtratui. Hanc doctrinam latius explicuimus & applicuimus cap. 4. v. 19. Et eſt certè digna doctrina, quam ſæpe meditemur. In eo corruptio noſtra maximè poſita eſt, quod hominum mandatis ac deſideriis ſæpe plus obedimus, quàm mandatis Dei. Non ſanctificamus Deum in cordibus noſtris, i. e. non ſatis metuimus, nec ſatis majeſtatem ejus ſentimus. Nos ipſos plus amamus, quàm proximum, & proximum plus quàm Deum. Cogitemus quæſo, 1. Quod nemini ſimus tantopere obligati atque Deo. 2. Quod nemo obedientiam noſtram tam certò & largiter poſſit remunerari ac Deus. 3. Quod nemo inobedientiam noſtram tam vehementer poſſit punire ac Deus. Cogitent hoc qui ſuper alios ſunt conſtituti, magiſtratus, paſtores, parentes, heri, ne abutantur ſua poteſtate, ſed ſe cogitent ſervos Dei, etiam cum regunt, dominantur, præſunt ac præcipiunt. Cogitent ſe etiam habere Dominum, Eph. 6. 9. Cogitent etiam qui ſub aliis ſunt conſtituti, quod peccata contra præcepta Dei non ſint excuſabilia, etiamſi præceptis hominum non ſint contraria. Cogitemus hoc dictum omnes, cum tentamur ſeductionibus aliorum ad malum, ſive fiat minis, ſive precibus, ſive quocunque modo, ne plus vereamur, nec plus ſequamur homines quàm Deum.

Verùm id quidem extra dubium eſt, quod deceat Deo plus obedire quàm hominibus. Sed unde probatis Deum vobis præcepiſſe, quod nos interdiximus? Nos interdiximus, ne in hoc nomine, i. e. in nomine Jeſu & de nomine ejus prædicaretis. Quid cauſæ habetis, cur huic mandato eſtis inobedientes? *Reſp.* Quia Deus Patrum noſtrorum, illum Jeſum, quem vos ſuſtuliſtis, & de quo nos concionari prohibetis, excitavit, & non tantùm excitavit, ut iterum vivat, ſed etiam exaltavit ad dexteram ſuam, ibique conſtituit Principem ac ſalvatorem, qui Iſraëli det converſionem & remiſſionem peccatorum. Neque tantùm eum exaltavit, ſed & nos teſtes ejus conſtituit, qui de hac illius ſuſcitatione & exaltatione teſtemur. Neque nos tantùm teſtari juſſit, ſed & teſtimonium noſtrum confirmat dando viſibiliter Spiritum S. illis qui teſtimonio noſtro perſuadentur, ut in illum credant, ſeu illi obediant. Scopus Apoſtolorum eſt probare neceſſitatem prædicandi de nomine Jeſu, non obſtante interdicto magiſtratus. Argumentum probationis petunt à comparatione ejus, quod magiſtratus circa Jeſum fecerat, & ejus quod Deus circa illum fecerat, q. d. vos quidem Jeſum habuiſtis pro ſeductore & impoſtore, eumque ut talem occidiſtis, ac in ligno ſuſpendiſtis, & prohibetis nobis de illo loqui: Sed Deus è contrario illum ex mortuis ſuſcitavit, & ad dexteram ſuam exaltavit ac Principem conſtituit, &c. & nos hoc de illo loqui & teſtari juſſit, & teſtimonium noſtrum miraculoſa datione Spiritus S. confirmat. Quod ſi certum eſt Deo plus eſſe obediendum, quàm hominibus, non poſſumus parêre veſtro interdicto. In hac demonſtratione vel comparatione ſequentia ſunt notabilia:

1. Deſcriptio Dei, ad cujus mandatum referunt illud factum, propter quod in judicium erant pertracti: *Deus Patrum noſtrorum.*

2. Ingenua exprobratio peccati, quod judices, qui Apoſtolos judicare volebant, circa Chriſtum commiſerant, v. 30.

3. Deſcriptio reſuſcitationis & exaltationis Chriſti, v. 31.

4. Officium Apoſtolis à Deo mandatum.

5. Hujus officii demonſtratio. Multa ſunt in iis antehac explicata; percurremus igitur breviter.

I. Cur Deum vocant Deum Patrum, & non potius Deum ſuum? Hoc faciunt ad retundendam calumniam de novitate doctrinæ de Jeſu Chriſto, quam objecerant v. 28. cum dicunt: *Hac veſtra doctrina* repleviſtis Hieroſolymam; & paſſim ſuſpecti habebantur Apoſtoli, quod Deum Patrum vellent deſerere, & novos Deos prædicarent, Actor. 17. Dicunt igitur ſe vocationem ſuam habere ab illo ipſo Deo, quem patres coluerint, & nihil aliud annunciare, quàm quod Deus Patribus jam olim promiſerit

miſerit & annunciaverit. Expreſsè igitur hâc voce teſtantur Apoſtoli, ſe non recedere à religione antiqua, ſed annunciare eundem Deum, & eandem religionem, & idem fœdus quod Abraham, Iſaac & Jacob habuerunt. Et revera ita eſt, quod Chriſtianiſmus non eſt alia religio, quàm fuit religio Patrum in V. T. ſcilicet quantum ad ſubſtantiam. Qui enim exercitatos habet in V. T. ſenſus, evidenter diſcernet, quod religio piorum nulla alia in re fuerit poſita, quàm 1. in humili confeſſione propriæ indignitatis, condemnationis & corruptionis ac impotentiæ. 2. in confugio fiduciali ad miſericordiam Dei, in ſacrificio & ſatisfactione promiſſi Mediatoris fundatam: & 3. in ſincero ſtudio emendationis & gratitudinis, ac in patientia crucis ac ſpe reſurrectionis & vitæ æternæ. Verum quidem eſt quod habuerint aliquas externas ceremonias ſibi mandatas, quæ erant veræ religionis quædam adminicula eo tempore, cum ſacrificium Mediatoris nondum eſſet peractum, & Spiritus S. nondum eſſet eâ menſurâ effuſus atque nunc, quibus adminiculis Eccleſia nunc non indiget, quæque per adventum Chriſti uſum ſuum amiſerunt, ſed interim eadem eſt religionis ſubſtantia, nec quicquam in ea mutatum: unde Petrus expreſsè teſtatur, Patres non alio pacto ſalvos factos atque Apoſtolos, Actor. 15, 11. Mirum igitur eſt, Pontificios nobis perpetuò objicere novitatem religionis, cùm tamen eandem habeamus religionis ſubſtantiam, non tantùm cum Patribus poſt Chriſtum & Apoſtolos, non tantùm eandem cum Apoſtolis, ſed eandem cum Patribus V. T. Poſito, quod tamen falſiſſimum eſt, jugum illud ceremoniarum & corruptionum, quod per reformationem ejecimus, eſſe antiquum, & jam tum fuiſſe tempore Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, &c. Poſito quod malè fecimus illud ejicientes, non tamen ideo arguere nos poſſunt, nos habere novam religionem. Retinuimus enim ad minimum ſubſtantiam antiquæ religionis. Cupimus enim ſalvari per humilem agnitionem ac confeſſionem noſtræ condemnationis & corruptionis, per fiducialem apprehenſionem meritorum & juſtitiæ Chriſti, per ſtudium emendandi vitam, & gratè coram Deo vivendi ſecundùm legem & verbum, per patientiam crucis & per ſpem reſurrectionis ex mortuis ac vitæ æternæ. Econtra Pontificiis meritò objiciamus novitatem religionis. Etſi enim multas antiquas ceremonias Judaicas, per Apoſtolos abrogatas, & multas antiquas Ethnicorum opiniones & conſuetudines cum Euangelio pugnantes retinent, tamen ſubſtantiam antiquæ religionis non habent. Nam,

1. Quod ad confeſſionem miſeriæ, negant ſuam impotentiam & corruptionem, dicentes, ſibi ſatis virium relictum & arbitrium liberum ad cooperandum gratiæ Dei, & ſe adeò perfectos & peccati expertes, ut poſſint perfectè legem Dei implere, & etiam opera ſupererogationis facere. Hæc certè non fuit religio Abrahami, Iſaaci, Jacobi & Prophetarum, qui paſſim queruntur de hominis mali corruptione & impotentia, Geneſ. 6. & 8. Jerem. 13. Pſal. 51. nec non de ipſorum piorum imperfectione & quotidianis lapſibus, ut patet ex Pſal. 38. Pſ. 130. &c. nec non ex quotidianis ſacrificiis, quæ nihil aliud erant, quàm quotidianorum peccatorum confeſſio. Sacrificia enim piorum in V. T. non erant peccatorum expiatio, ſed tantùm peccatorum confeſſio, & confeſſio quod ſatisfactionem opus haberent, & ex futuri Redemptoris ſacrificio eam fideliter exſpectarent: unde vocantur Chirographum noſtrum, Coloſſ. 2. 14.

2. Quod ad fidem in Chriſtum, non obtinent Pontificii antiquum. Nam I. negant ſacrificium Mediatoris ſufficere ad expiationem peccatorum, ſed propriis ſatisfactionibus peccata eſſe expianda & vitam promerendam, &, ſi illæ deſint, ſanctorum merita imploranda. II. Negant ad ſacrificium Mediatoris verâ fiduciâ cordis eſſe accedendum, ſed talem fiduciam traducunt tanquam carnalem præſumptionem. III. Immò per hunc unum Mediatorem homines non poſſe ſalvari niſi etiam mediatores & patronos ſibi accerſant homines ſanctos, &c. Hæc certè non fuit religio Patriarcharum, nec Prophetarum, nec Apoſtolorum, qui omnem benedictionem & vitam nullibi quæſiverunt, niſi in ſemine mulieris, in ſemine Abrahæ, in unico illo ſervo Domini, per cujus manum opus Domini ſuccederet, in Chriſto crucifixo, & juſtitias quoque ſuas condemnando nil niſi fidem ſpirant, & non niſi in fide ſua gloriati ſunt, ut palam fit ex Eſa. 53. Pſ. 116. & paſſim.

3. Quod ad emendationem vitæ, Pontificii non retinent antiquam religionem. Nam non docent vitam inſtituere ſecundùm legem Dei per Moſen datam, per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos explicatam, ſed ſecundum traditiones Patrum & verbum non ſcriptum. Hæc certè non fuit praxis antiquorum, Pſal. 119. v. 103, 105. & paſſim. Nec urgent internam illam obedientiam & mortificationem carnis,

carnis, & emendationem cordis, ſed externâ operum obedientiâ contenti internos motus pravos ponunt extra meritum pœnæ, & habent pro venialibus. Caveamus nos hanc novam religionem, & retineamus religionem & Deum Patrum noſtrorum, retineamus antiquam religionem.

4. Quod denique attinet ad patientiam & ſpem, quid patientiæ & ſpei poteſt eſſe, ubi fides non eſt, & ubi non eſt fiducia cordis in promiſſiones? Ibi certè nec patientia nec ſpes eſt, quippe quæ ſunt iſtius matris filiæ. Non poſſunt igitur verè triumphare cum Jobo cap. 19. *Scio quod Redemptor meus vivat*, &c.

II. Id quod Judæi Chriſto fecerant, Apoſtoli ita eis exprobrant, ut non obſcurè appellent homicidas: διαχειρίσασθε, inquiunt, quod verbum non ſolet uſurpari de exſequutione juſtitiæ, ſed de homicidis propriâ manu interficientibus. Nam hoc intelligere de perfoſſione Chriſti mortui Joh. 19. 34. non poſſumus, quippe quod magiſtratui objici non poſſet, cum privata militis libidine actum ſit. Exprimit igitur injuſtam tyrannidem magiſtratus in innocentem, quæ non differt à privatorum latrociniis. Nam cum magiſtratus aliquem injuſto afficit ſupplicio, ſupplicium ejus nihil differt à latrocinio. Hoc magis exaggeratur, cum additur, quod crudeliſſimo mortis genere eum occiderint, ſuſpendentes à ligno ſcilicet crucis. Duo hinc diſcimus:

1. Exemplum ingenuæ reprehenſionis. Sic decet agere cum profeſſis Chriſtianæ religionis hoſtibus. Probat enim experientia, quod quantò mitius cum talibus egeris, tantò magis ferociant. Novimus, quàm durè mitiſſimus Chriſtus tractaverit Phariſæos & Scribas. Ne itaque putemus miniſtros peccare contra charitatem, cum ſimiles ſimiliter tractant.

2. Conſideremus naturam mortis Chriſti: In ligno ſuſpenſus eſt & crudeliſſimè tractatus. Quare in ligno ſuſpenſus? propter duas cauſas. 1. ut eſſet mors maledicta, Deuter. 21. 23. Galat. 3. v. 13. 2. Ut eſſet mors medicinalis. Sicut ſerpens æneus ſuſpendebatur in ligno, ut aſpectus à vulneratis ſanaret; ita Chriſtus mortuus eſt & ex alto ligno ſuſpenſus, ut omnes mortuum oculo fidei intuerentur & ſanarentur, Johan 3. v. 14, 15. Numer. 21. v. 9. Applica Johan 12. v. 32. Arguit hoc ſufficientiam mortis Chriſti ad noſtram liberationem.

Actor. 5. *à v.* 31. *ad* 33.

CONCIO LXV.

III. SEquitur deſcriptio exaltationis Chriſti: Hunc Deus dextrâ ſuâ exaltavit, &c. Chriſtus officio ſuo mediatorio fungitur per duplicem ſtatum, exinanitionis & exaltationis. Prior conſiſtit in incarnatione, paſſione, crucifixione, morte, ſepulturâ ac deſcenſu ad inferos: poſterior conſiſtit in reſurrectione ex mortuis, adſcenſione in cœlos, ſeſſione ad dextram Dei, reditu ad judicandum. Statum exinanitionis debuit ſubire ſatisfactionis causâ. Quidquid enim ad illum ſtatum pertinet, pœnale eſt, & expiationis causâ, vel pœnæ ſuſtinendæ causâ ſuſceptum. Statum exaltationis debuit ſubire ſanctificationis & glorificationis causâ. Hoc illud Rom. 4. 25. Traditus eſt in ſtatum humiliationis, ut peccata noſtra ſatisfaciendo expiaret, & legem violatam pro nobis impleret: Reſuſcitatus eſt ad ſtatum exaltationis, ut eos, quorum peccata exinanitione ſuâ expiaverat, per fidem in ſanguinem ſuum juſtificaret, juſtificatos ſanctificaret & glorificaret. Non igitur hîc per exaltationem Chriſti intelligenda eſt ſola adſcenſio ſeu evectio corporis in altiora loca; ſed vox accipitur generaliter, pro tota glorificatione Chriſti, quæ exinanitionem ſecuta eſt, conſiſtens in reſurrectione, adſcenſione, ſeſſione ad dextram, & poteſtate redeundi ad judicium, & expreſsè alluditur ad exaltationem Joſephi ex carcere, Gen. 41. 40. &c. Hæc exaltatio Chriſti dicitur facta per dextram Dei, vel ad dextram Dei. Sic enim etiam poteſt transferri. Exaltatus eſt *per dextram*, i.e. per virtutem & potentiam Dei. Hoc non tantùm intelligendum de Deo Patre, ſed etiam de Deitate Filii. Deus Pater ipſi poſt acceptum exinanitionis lytrum dedit poteſtatem & auctoritatem reſurgendi ex mortuis, adſcendendi ad cœlos, dominandi & judicandi; ſed potentiam, quâ reſurrexit, adſcendit, dominatur & judicat, habet à propria ſua Deitate. Ideoque commodius vertitur: Exaltavit ad dextram. Tum enim cum ſequentibus magis convenit, & eſt ſimilitudo à Regibus, qui cum aliquem volunt honorare, ſtatuunt eum à dextra, 1 Reg. 2. 19. Sic Deus Pater dicitur Chriſtum exaltaſſe ad dextram ſuam, i.e. dediſſe ei poteſtatem & auctoritatem ſecum, vel ſub ſe, dominandi in cœlum & terram, Matth. 28. 18. Itaque quod ſequitur habemus pro interpretatione antecedentis,

q. d. i. e. fecit eum Principem & Salvatorem. Exaltavit Principem & Salvatorem, i. e. in Principem, ſicut eadem conſtructio reperitur Jacob. 2. v. 5. Actor. 7. v. 35. An igitur Chriſtus ante exaltationem non fuit Princeps & Rex & Salvator, ſed per exaltationem demum factus eſt? *Reſp.* 1. Quatenus Chriſtus eſt Deus, eſt ſanè Princeps, Rex & Servator ſeu conſervator totius mundi & omnium hominum, 1 Tim. 4. 10. Sed de hoc Principatu & de hac ſalvatione textus non loquitur. Hoc enim ſenſu factus eſt Princeps & Salvator, non per exaltationem ſuam, ſed per æternam ſuam generationem ex Patre, & per opus creationis & providentiæ: Hic textus loquitur de eo Principatu, qui pertinet ad officium mediatorium, adeoque ad utramque naturam. Nam ſecundum utramque naturam eſt noſter Mediator, Propheta, Sacerdos & Rex. 2. Jam quidem verum eſt, quod etiam ante exaltationem Chriſtus fuerit noſter Mediator, nec tantum noſter Propheta & Sacerdos, ſed etiam noſter Rex, ut de ſe fatetur in media ſua exinanitione, Johan. 18. 37. Erat enim unctus in Regem. Sed tamen durante exinanitione non ita evidenter functus eſt officio Regio ac poſt exaltationem, per quam è judicio tranſlatus, in poſterum non patitur, ſed dominatur in amicos & inimicos: Sicut David erat Rex ab ipſo unctionis momento, 1 Sam. 16. 13. ſed tamen diu in exilio paſſus eſt antequam regium ſolium conſcendit; ita Chriſtus &c. Quanam autem in re conſiſtit ille Principatus & illud officium Salvatoris, ad cujus functionem per exaltationem ſuam pervenit? *Reſp.* In eo, ut det Iſraëli pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Ante exaltationem erat Salvator, quia ſalutem pro nobis merebatur: poſt exaltationem eſt Salvator, quia ſalutem in nobis operatur. Hæc operatio ſalutis in nobis habet duas partes:

1. Converſionem. Vox *converſionis* hic non ſumitur æquivocè, pro pœnitentia hypocritica & coacta, qualis erat Pharaonis, Caini, Eſavi, Achabi, Judæ; ſed univocè, pro vera & ſincera pœnitentia, qualis per regenerationem & ſanctificationem à Spiritu S. efficitur in electis & ſanguine Chriſti redemptis. Nec ſumitur ſpecialiter, pro contritione & emendatione, ut fidei opponatur, ſicut Matt. 1. v. 15. ſed ſumitur generaliter, pro omni opere bono quod Spiritus S. in nobis operatur, & vulgò dividitur in tres partes, videlicet contritionem, fidem & emendationem. Hoc igitur primum eſt, quod Chriſtus poſt exaltationem ſuam nobis præſtat, ſcilicet quod per operationem ſui Spiritûs, cujus effundendi poteſtatem per exaltationem ſuam accepit, Actor. 2. 33. corda noſtra conterit & ad ſenſum verum miſeriæ adigit, quod eadem per fidem Chriſto inſerit, & quod inſerta à peccatis ad imaginem Dei reformat, & ad omne bonum opus adaptat atque excitat.

2. Remiſſionem peccatorum. Hæc vox Synecdochicè hîc accipitur. Non enim tantùm complectitur opus juſtificationis, ſed etiam opus adoptionis & glorificationis. Non enim ideo tantùm exaltatus Chriſtus, ut nos converteret & peccata nobis remitteret, ſed etiam ut credentibus daret jus, ut ſint filii Dei, Johan. 1. 12. utque neminem ſinat perire, ſed omnes excitet & iis vitam æternam det, Johan. 6. 39, 40. Vides itaque duplicem fructum, qui ex exaltatione Chriſti ad nos, qui ſumus ejus, redundat. Ex humiliatione Chriſti habemus peccatorum expiationem & meritum juſtitiæ. Sed ex exaltatione habemus applicationem hujus expiationis & meriti, quæ in duabus quaſi partibus conſiſtit: 1. Quod nos reddit pios. Convertens enim dat contritionem, fidem & emendationem. 2. Quod nos reddit felices. Remittit enim peccata, defendit, conſolatur, reſuſcitat, glorificat. Vide quàm perfectus Salvator ſit Chriſtus 2 Petr. 1. 3. Rejiciamus omnes alios Salvatores, & hunc unum quæramus. Ne etiam in nobis ipſis vel juſtitiam vel converſionem quæramus. Sicut enim qui propria merita & propriam juſtitiam ſomniant, abnegant vim exinanitionis Chriſti; ita qui vires liberi arbitrii ſomniant, & efficacem gratiam in electos oppugnant, abnegant exaltationem Chriſti & regium ejus officium. Diſcamus quoque ex hac exaltatione Chriſtum tantò plus venerari eique confidere. Si enim diſcipuli & mulieres Chriſto fuerunt fidi per omnia, cum in humillima ſpecie ſervi verſaretur in terris, contemptus & abjectus, multò magis nos debemus, poſtquam exaltatus eſt ad tantam gloriam & poteſtatem. Quid eſt quod jam non poſſit dare petentibus & credentibus? quos hoſtes non poteſt vincere?

IV. Sequitur officium Apoſtolorum, ipſis à Deo mandatum, quod eſt, ut *ſint teſtes Chriſti de his verbis*, i. e. de his rebus, ſcilicet de reſuſcitatione & exaltatione ipſius. Videtur hoc non convenire cum Johan. 5. 34. ubi ait Chriſtus ſe non accipere teſtimonium ab homine. *Reſp.* Vult dicere quod non

opus habeat teſtimonio hominum. Etſi autem non opus habet, tamen liberè utitur. Etſi ipſe non opus habet, tamen nos opus habemus. Noſtrâ cauſâ utitur, ut nos ſciamus Chriſtum exaltatum eſſe. Nam niſi nobis hoc nuncietur & teſtatum reddatur, non poſſumus in ipſum credere, nec ipſum invocare, Rom. 10. 14. Quot autem modis Euangelii miniſtri ſint teſtes Chriſti, ſupra expoſuimus in explicatione cap. 1. v. 9. itaque plura non addo. Non ſolùm autem Apoſtoli ſunt teſtes Chriſti, ſed etiam miniſtri ordinarii, etſi hoc diſcriminis eſt, quod illi ſunt teſtes αὐτόπται, 1 Iohan. 1. 1. nos verò ſumus teſtes Chriſti, quia ex Scripturis demonſtramus Ieſum eſſe Meſſiam ſeu Chriſtum, quo modo Apollo erat teſtis Chriſti Actor. 18. 28. Sint miniſtri memores officii, ut explicatur Actor. 9. 15. unde per figuram magni Chriſtophori olim ſolebant adumbrari.

V. Sequitur denique confirmatio teſtimonii Apoſtolici. Non ſolùm Apoſtoli de Chriſto teſtantur, ſed & Spiritus S. cum ipſis. Spiritus S. ideo miſſus eſt, ut de Chriſto teſtaretur Johan. 15. 26. & 16. 13, 14. unde etiam ſtatim ſub initium miniſterii Chriſti in baptiſmo illius apparuit per formam columbæ, ad dandum ipſi teſtimonium quod eſſet verus Meſſias, Matth. 3. 16. Johan. 1. 32. Sciendum autem quod Spiritus S. duplici modo de Chriſto teſtetur;

1. Inartificialiter, per modum teſtis, cum ita operatur in animos fidelium, ut eis perſuadeat de veritate verbi divini, vel ut ipſos faciat intelligere quod ſint filii Dei, Rom. 8. 16. teſtimonium alioquin vocatur obſignatio per modum arrhabonis, 2 Cor. 1. 22. Vide etiam 1 Johan. 5. v. 6. Spiritus eſt, qui teſtatur Spiritum eſſe veritatem, i. e. verbum illud, quod ipſe Spiritus revelavit, eſſe veritatem. Spiritus S. non tantùm eſt auctor verbi, ſed & teſtis verbi, ſine cujus teſtimonio nemo unquam ſalvificè & ex animo toto crederet verbum eſſe divinum. Veruntamen hoc teſtimonium eſt internum, quo non poſſunt uti fideles ad convincendos alios, & quod non potuiſſent allegare Apoſtoli ad convincendos hos judices.

2. Artificialiter, per modum argumenti, cum ſcilicet iis, qui Chriſto obediunt, largitur tam mirabilia dona, ex quibus, tanquam certiſſimo argumento, poſſint omnes homines concludere Chriſtum non eſſe mortuum, ſed vivum & exaltatum. Hoc teſtimonium hoc loco allegant Apoſtoli, ad convincendos impios, q. d. Si noſtrum teſtimonium, quod Chriſto damus, eſſet vanum ac falſum, utique non confirmaretur ex cœlo tam mirabilibus ſignis ac donis Spiritûs S. in iis qui illud recipiunt. At confirmatur. Ergo. Vide Marc. 16. 17, 18.

Object. Sed hodie non amplius ita de Chriſto teſtatur Spiritus S.

Reſp. 1. Nec opus eſt. Eſt enim veritas Euangelii ſatis confirmata. Sufficit nunc teſtimonium Scripturæ. 2. Immò etiamnum ita teſtatur, reddens verbum Euangelii tam efficax, ut nulla vi poſſit opprimi.

Actor. 5. v. 33, 34. &c.

CONCIO LXVI.

HActenus occaſio teſtimonii quarti, & teſtimonium ipſum: Sequitur effectus illius, de quo tria poriò hoc capite deſcribuntur: 1. Exacerbatio quæ per hoc teſtimonium excitata eſt in animis judicum, v. 33. 2. Mitigatio hujus exacerbationis per conſilium Gamalielis, v. 34 ad 40. 3. Eventus hanc mitigationem ſequutus. v. 41. ad finem. Exacerbatio judicum tanta fuit, ut diſſecarentur & conſultarent de Apoſtolis è medio tollendis. Vocem διεπρίοντο quidam transferunt frendere vel ſtridere, & intelligunt de fragore dentium, quem ſolent edere irati & indignabundi. Sicut enim territorum & anxiorum dentes quaſi frigore concutiuntur: (**tanden klapperen**) ita qui indignantur, dentes mordendo crepant (**tanden t'ſamen bijten/ met de tanden knarſſen**) Pſal. 112. 10. Sed ſi conferas Actor 7. 54. vides quod Lucas hoc verbo non intelligat fragorem dentium, ſed motum & ægritudinem ac indignationem cordis (**ſpijten ende verdrieten**) quam concipiebant ex hoc teſtimonio Apoſtolorum. Dicit enim quod διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, & ſtridorem dentium expreſſis verbis ab hoc motu cordis ſejungit. Senſus igitur eſt, quod hoc teſtimonium Apoſtolorum, quo gloriam Jeſu crucifixi tam conſtanter confitebantur, & judicibus ſua peccata tam liberè exprobrabant, eos momorderit, & ad iram ac indignationem excitaverit, quæ tanta fuit, ut deliberarent tollere Apoſtolos. Non de formato decreto loquitur, ſed de iracundo clamore, quo clamabant, *Tolle, tolle.* Erat autem ira ex invidia proveniens, quæ ſicut contra Chriſtum, ita nunc contra Apoſtolos maximopere in his hominibus graſſabatur,

& cujus proprium eſt diſſecare cor, ſicut dicit Poëta: *Rumpantur ut ilia Codro.*

Dupliciter hi homines hoc motu peccant:

1. Quatenus judices in judiciali conſeſſu. Non decet certè judices in judicio ſedentes iraſci. Poſito quod Apoſtoli fuerint rei, & apologia ipſorum crimina objecta non diluiſſet, tamen non debuiſſent judices in judicio ſedentes ipſis iraſci. Judicum eſt damnare & punire, ſed non iraſci. Iratus judex iniquus judex, Prov. 27. 4. Impedit enim ira animum ne poſſit cernere verum & æquum. Et judicis non eſt ulciſci & animum explere, ac paſſionibus ſatisfacere, ſed Deo judicium exercere, 2 Chron. 19. 6. Ira malus conſiliarius, ira mentem præcipitat, quò pertinet illud Iacobi: Ira hominis non operatur juſtitiam Dei. Hoc eſt quod Paulus exprobrat Pontifici, Actot. 23. 1, 2, 3. Auguſto ſuadebatur, ne quid executioni mandaret iratus, ſed prius 24. literas Alphabeti recitaret; & Ambroſius Theodoſio ſuaſit, ne impoſterum ullum ſtatutum exſequendum curaret, antequam 30. dies poſt factum decretum effluxiſſent. Multum debet intereſſe inter carnalem vindictam & vindicativam juſtitiam. Etſi magiſtratus vocatur poteſtas ultrix Rom. 13. inde non ſequitur quod debeat iraſci malefactoribus, & ex cupiditate vindictæ quenquam punire. Quare igitur vocatur ultrix? *Reſp.* Quia nomine Dei punit. Non proprio affectu ulciſcitur, ſed ultionem Dei exſequitur. Non tantùm dictum hoc eſto iis, qui ſedent in judiciis politicis, ſed etiam iis, qui ſedent in Synedrio Eccleſiaſtico ad exercendam diſciplinam Eccleſiaſticam, ne paſſionibus indulgeant in dandis ſuffragiis, ne præ ira tabulas legis frangant, i. e. aliquid, quod eſt contra legem & æquitatem faciant, ſicut Moſes Exod. 32. 19, 20. Dictum quoque parentibus, qui debent caſtigare filios, ſed ſine acerbitate, Epheſ. 6. 4. Quod nobis à Deo fieri petimus Pſal. 6. 1, 2. id aliis quoque præſtemus.

2. Quatenus homines & auditores verbi divini. Non ſuſtinent verbum exhortationis, ſed exacerbantur, Hebr. 13. 22. Jacob. 1. 21. Meritò hunc verſum comparemus cum Actor. 2. v. 37. Sicut enim hic dicitur quod his auditis diſſecabantur, ita ibi dicitur, quod his auditis compungebantur. Ejuſdem concionis diverſiſſima effecta. Eadem, quantum ad ſubſtantiam, erat concio Petri Actor. 2. atque illa illa quæ hîc deſcribitur. Et tamen longè alius effectus erat illius ac hujus. Illam audientes κατενύγησαν compungebantur, hanc audientes διεπρίοντο diſſecabantur. Quid intereſt inter illam compunctionem & hanc diſſectionem? Plurimum intereſt. **Doorſteeckinge / doorſnijdinge:** In verbis exigua eſt differentia, ſed in re ipſa tam magna [illegible], illa erat ſancta cordis contritio, quâ, peccata ſua ex reprehenſione verbi agnoſcentes, terrefiebant, & remedium contra illa cum deſiderio quærebant. Διάπρισις verò hæc eſt exacerbatio cordis, quâ ſeſe contra reprehenſiones & admonitiones verbi obfirmabant & indurabant, non ſolùm non recipientes verbum Dei, ſed & perſequentes. Illa diſparitas in effectu verbi perpetua eſt, quod una eademque concio alios auditores emollit, alios indurat. Sicut ſol eodem calore iiſdemque radiis ceram emollit & lutum indurat; ita una eademque concio alios auditores conterit, emollit, convertit, alios exacerbat, indurat & pejores reddit. Vide Actor. 2. 12, 13. & 28. 24. Unde quæſo hæc differentia? An ex diverſitate naturalis malitiæ? Quod ſol lutum indurat & ceram liquefacit, id fluit ex differentia materiæ & naturarum. An igitur etiam hæc differentia inde eſt, quod aliqui homines naturâ ſunt meliores, probiores, flexibiliores & ad converſionem magis diſpoſiti quàm alii? Nequaquam. Non enim eſt differentia, ſed omnes peccatores ſunt & deſtituuntur gloriâ Dei. Lege Rom. 3. v. 9, 10, 11. ad 20. item v. 22, 23. Etſi enim ſunt gradus corruptionis, ut alius alio temperamentum habeat perverſius & magis corruptum, unde Terentius novit dicere: *Homo homini quid præſtat?* tamen illa differentia nequaquam eſt cauſa propter quam verbum habet tam diverſos in auditoribus effectus. Sæpe enim qui temperamento ſunt peſſimi, in acceptatione gratiæ ſunt primi, adeò ut primi ſæpe ſint ultimi, & ultimi primi, Matth. 20. Unde igitur eſt illa differentia?

Reſp. 1. Ex conſilio Dei, quo ſecundùm beneplacitum quoſdam aliis naturâ non meliores à reliquis diſcernit, eoſque efficaci ſuâ gratiâ ad obedientiam verbi flectit ac pertrahit, cæteros prætериens & in naturali ſua corruptione reliquit. Hinc fit quod dicitur Rom. 11. 7.

2. Ex arbitrio & libera ac petulanti malitia hominum, quâ Euangelium, naturalis & communis corruptionis commune remedium, rejiciunt ac repudiant. Illi enim quos Deus ſpeciali gratiâ non emendat, oculos ad Euangelium claudunt, & animum obfirmant, & media reconciliationis rejiciunt, & ſanguinem Filii Dei pedibus conculcant, propter

propter quam cauſam Deus tradit in ſenſum reprobum, ut fiat quod ſcriptum eſt Act. 28. 25, 26, 27. & ubi hoc factum, tum verum eſt illud Joh. 14. 17. Mundus non poteſt accipere Spiritum S. ſeu non poteſt per prædicationem & operationem Spiritûs S. emendari. Quare non? quia nec novit nec videt eum, i. e. quia ita excœcatus & in ſenſum reprobum traditus eſt, ut non amplius ſit capax emendationis. Ante iſtam obſirmationem contra Euangelium homines cenſentur eſſe capaces converſionis, quia ſunt curabiles, & habent gratiæ januam apertam, durat ſuper ipſos dies ſalutis, dies viſitationis, extenſæ ſunt erga ipſos manus Dei, vocantur & invitantur ad ſalutem. Sed ſi hoc tempus ſinunt præterire, & hanc gratioſam vocationem & ſalutis oblationem contemnunt, eâque abutuntur ad laſciviam, tum penitus à Deo deſeruntur, & traduntur ſuis libidinibus ac poteſtati Satanæ, & tum non poſſunt accipere Spiritum S. non ſunt amplius capaces emendationis, ſed prædicatio verbi ipſis eſt odor mortis ad mortem, & nil aliud in iis operatur quàm majorem indurationem, tum ſunt incurabiles, 2 Chron. 36. v. 16. *Object.* Sed quomodo poſſunt dici curabiles & gratiæ januam habere apertam, ſi Deus eos in electione prætereiit, & immutabili conſilio decrevit gratiam converſionis iis per verbum non dare? *Reſp.* Hæc objectio eſt nodus qui non poteſt ſolvi, debet ſcindi. Pelagiani, & qui hos ſequuntur, tentarunt hunc nodum ſolvere, ſed tam infeliciter eis ſucceſſit, ut coacti ſint totam Theologiam mutare, clariſſima Scripturæ dicta pervertere, Deum ſubjicere arbitrio hominis, articulum fidei de providentia Dei, atque ita ſolatium fidelium in vita & in morte funditus labefactare, & tamen non poſſunt ita ſolvere, ut vel humanæ rationi ſatisfacere queant, ſed in multis ignorantiam ſuam fateri cogantur. Ne igitur tentemus hunc nodum ſolvere. Gordius eſt, ſcindi debet. Scindamus igitur per confeſſionem noſtræ ignorantiæ, quod ſcilicet neſciamus firmitatem arbitrii & conſilii divini, & libertatem arbitrii humani tam perfectè conciliare, ut nil ſcrupuli pro humana ratione ſuperſit. Linquamus hanc reconciliationem Deo, firmiter credentes, Deum nos ita poſſe regere, ut conſilium ejus firmum, & tamen culpa exitii ſit à libero hominis arbitrio.

Object. 2. Quod ſi hanc rem non poſſumus ſatis intelligere, cur non penitus de ea tacemus? Quid opus eſt multum diſputare, ex qua cauſa veniat hominum converſio vel induratio? *Reſp.* Non licet hac de re tacere in Eccleſia. Nam 1. Illi, qui per prædicationem Euangelii convertuntur, debent ſcire cuinam debeant laudem & honorem ſuæ converſionis adſcribere, ne glorientur in ſeipſis, & honorem Dei dent alteri, quæ gloriatio adeò noxia eſt ſaluti, ut illos, qui totius diei onus & æſtum in vinea Domini tulerunt, poſſit deſtituere præmio vitæ æternæ, Matth. 20. v. 1. ad 17. 2. Illi qui per verbi prædicationem indurantur, debent ſcire in quem debeant transferre culpam, ne ſcilicet exemplum Adami ſecuti culpam inobedientiæ transferant in Deum, vel in occaſiones peccati à Deo ſubminiſtratas, ſed diſcant accuſare ſeipſos & juſtificare Deum in judiciis ejus.

Hactenus exacerbatio judicum per prædicationem Apoſtolorum recitata: Sequitur hujus exacerbationis mitigatio, per conſilium Gamalielis facta. Phariſæus quidam, nomine Gamaliel, Doctor Legis, in pretio habitus à toto populo, ſurrexit in Senatu, & remotis Apoſtolis conſilium dedit, ne Apoſtolos occiderent, ſed totam rem tempori decidendam traderent. Non ſuadet ut recipiant Apoſtolorum doctrinam, ſed tamen ſuadet, ut etiam non perſequantur, ſed conniveant ad prædicationem Apoſtolorum, donec eventus doceat, an doctrina ipſorum ex Deo ſit, an verò à ſe ipſis loquantur. Hoc conſilium ſuum confirmat hoc dilemmate: Si Apoſtolorum doctrina non eſt ex Deo, facile cum ſua doctrina peribunt, ſicut Theudas & Judas Galilæus; ſi vero eſt ex Deo, non poteſtis perſequi Apoſtolos, niſi velitis θεομαχεῖν. Hoc conſilium ita mitigavit Senatum, ut deſiſterent à conſilio occidendi, & Apoſtolos cum verberibus & minis dimitterent.

Dicamus diſtinctè 1. de perſona, quæ hoc conſilium dedit. 2. de conſilio ipſo, an ſit bonum nec ne. 3. de ratione & exemplis conſilium confirmantibus. 4. Denique de mitigatione judicum hoc conſilium ſequuta.

Perſona conſulens deſcribitur,

I. A ſecta, cui in religione fuit addictus. Erat Phariſæus. Non explicabo qualis fuerit Phariſæorum ſecta, unde ſic dicti, quæ ipſorum Inſtituta, &c. Unum ex Euangelica hiſtoria certiſſimum eſt, quod fuerint infenſiſſimi hoſtes Chriſti. Johan. 12. v. 42. Unde tantò magis mirum, ex hoc hominum genere Apoſtolis Chriſti patronum excitatum eſſe. Sic novit Deus ab ipſis hoſtibus Eccleſiæ patronos

& defenſores ipſi excitare. Sicut extra Senatum gratiam invenerant in oculis populi, ut propter metum populi non auderet Prætor eos vincire; ita in ipſo Senatu ex peſſimo genere hoſtium Patronum & Advocatum invenerunt. Non applicabo hanc doctrinam latè. Qui intelligens eſt, rimetur hiſtorias Eccleſiæ Reformatæ inde à tempore Reformationis, & dubitabit utrum Euangelici ſuam pacem, quam habuerunt, plus debeant tribuere propriis armis, an verò favori & tutelæ multorum veritatis hoſtium, quam Deus ipſis tam mirabiliter ſæpe procuravit. Non eſt quod hinc concludamus, licitum eſſe, opem hoſtium quovis modo implorare, & fœdera ipſorum, etiam cum diſpendio religionis, quærere; ſed hoc potius inde concludamus, quod Deo non deſint media juvandi eos, qui conſtanter pergunt in officio. Certè nunc quoque talis hoſtium Eccleſiæ diviſio eſt, qualis erat Actor. 23. 7. quæ ut partim facta eſt ad Eccleſiam purgandam & exercendam, ita ſine dubio facta eſt ad Eccleſiam defendendam, quæ ſine hac diviſione dudum foret oppreſſa.

II. A nomine, Gamaliel. Veteres infantibus talia imponere ſolebant nomina, quæ eſſent notæ fidei & officii, ad quæ volebant infantes excitare & hortari: Gamaliel ſignificat, *Deus eſt retributio mea, vel merces mea.* Quod Deus Abrahamo promiſit Gen. 15. 1. id parentes hujus viri optarunt, & hoc ſuum votum impoſitione hujus nominis teſtati ſunt. Eſt reverâ inſigne nomen, quod utinam omnibus nobis reverâ imponi poſſet! Eſt enim in hoc nomine,

1. Profeſſio fidei. q. d. Credo & confido, Deum propter meritia Ieſu Chriſti fidelitatem & ſinceritatem meam non eſſe aſpernaturum, ſed juſtitiam meam & innocentiam gratioſè reſpecturum, futurumque mihi Deum retributionis, ut ſe appellat Jerem. 57. 56. qui hoſtibus meis in ſinum ſit recompenſaturus malum quod mihi fecerunt, & mihi tandem coronam gloriæ impoſiturus. Si hanc fiduciam habemus, competit nobis hoc nomen Gamaliel.

2. Profeſſio intentionis, q. d. nullâ aliâ mercede acquieſco, quàm in ipſo Deo. Ille demum Chriſtianus eſt, qui ipſum Deum in cultûs ſui mercedem quærit. Omnes qui in Eccleſia ſunt gloriantur, quod ſint ſervi Dei. Sed non omnes habent eandem in ſuo ſervitio intentionem. Alii enim ideo ſerviunt Deo, ut lucrentur poſſeſſionem creaturarum, divitiarum, honoris, ſanitatis, &c. alii verò ſerviunt, ut ipſum Deum lucrentur, & veram cum ipſo communionem & unionem. Sicut Iacob ſerviebat Labani, non ſtipendii ſed filiarum cauſâ, ita Chriſtianus vetus in cultu ſuo non habet hanc intentionem ut nanciſcatur bona creata, ſed ut cum ipſo creatore uniatur. Cætera ſcit ſibi adjectum iri, Matth. 6. v. 33. tantùm hoc intendit, ut Deum habeat, Pſal. 73. 25. Eſt vera merces fidelis Chriſtianiſmi, quod Deus eum remuneratur non poſſeſſione cœli, terræ aut quæ in eis ſunt, ſed communicatione ſui ipſius, Pſal. 16. 5. Thren. 3. 24 Dat nobis Spiritum in arrham ſalutis, qui Filio uniat ut capiti & Sponſo, & per Filium ſe ipſum cum gloria ſua nobis communicat. Falſi Chriſtiani contenti forent, ſi terreſtria bona aut continuationem vitæ haberent, etiamſi Deus maneret hoſtis eorum; ſed verus Chriſtianus eſt Gamaliel, qui in nulla mercede acquieſcit, quàm in ipſo Deo. Hoc eſt adagium, & ſymbolum veri Chriſtiani (ſijn Motto/ ſijn adbijs) *Deus meum Summum Bonum, ſumma mea & unica merces.* Quis autem ille labor & ſervitus, quem Deus vult remunerari communicatione ſui ipſius?

Reſp. 1. Abnegatio ſui ipſius & omnium creaturarum. Nam qui ſibi ipſi aut creaturis confidit, & adhæreſcit, non eſt ſervus Dei.

2. Firma retentio Chriſti & promiſſionum Euangelicarum contra omnes tentationes. Nam qui Chriſto negat cultum fiduciæ, & manus extendit ad illegitima media ſeipſum juvandi, non eſt ſervus Dei.

3. Lucta & pugna continua contra carnem. Nam qui peccati & Diaboli ſervus eſt, non eſt ſervus Dei.

4. Abſoluta ſubmiſſio noſtri ipſorum ſub voluntatem Domini eaque conſtanter uſque ad finem. Nam qui ſine ſubmiſſione ſuam voluntatem cupit fieri, non eſt ſervus Dei. Qui hæc quatuor non præſtat, non eſt ſervus Dei, cujus cultum Deus remunerabitur communicatione ſui ipſius.

III. Advocatione. Erat νομοδιδάσκαλος, i. e. interpres Scripturæ, Profeſſor Theologiæ, ad cujus pedes erudiebantur ſtudioſi juniores, Actor. 22. 3. Quia autem Sacra Theologia conſtat duabus partibus, Lege & Euangelio, notatur hic dicitur *Legis* Doctor, quia legem quidem docebat, ſed Euangelium ignorabat. Noverat docere, quid homo jure creationis & providentiæ Deo ſuo deberet, & ad quæ officia eſſet obligatus: ſed quibus mediis homo pecca-

peccator, officium ſuum tranſgreſſus, & merito condemnationis implicitus, eum Deo poſſit reconciliari,& vitam æternam adipiſci, hoc verò ipſemet ignorabat. Putant quidem aliqui interpretes, hunc Gamalielem habuiſſe jam tum aliquam cognitionem Euangelii,& fuiſſe diſcipulum Jeſu, ſed ſecretò præ metu Judæorum, ſicut Nicodemus & illi, de quibus Johan. 12. 42. Immò quod de conſilio Apoſtolorum manſerit inter Judæos, & ſe cœtui Eccleſiæ ideo non adjunxerit, ut ſcilicet in ſenatu haberent, qui ſententias mitigaret. Sed quamvis facilè conſenſerim, poſtea factum eſſe diſcipulum Ieſu, tamen hoc tempore fuiſſe nullis ſignis apparet, ſed potius contrarium videtur poſſe colligi ex naturâ conſilii. & ex eo quod noluit præſentibus Apoſtolis exponere, & videtur ipſemet auctor fuiſſe, ut cum minis & verberibus dimitterentur. Nos inde diſcamus, quales nobis doctores ſint neceſſarii. Non ſufficit habere doctores Legis, qui nos exhortentur patheticè ad fugienda peccata,& ad obedientiam præceptorum. Si vel ipſum Gamalielem magnum haberemus, nihil hic poſſet ad ſalutem. Doctoribus Euangelii opus habemus, qui nos doceant quo pacto poſſimus liberari à peccatorum meritis, & à peccatorum dominio, & unde accipiendæ vires, quibus poſſimus redire ad obedientiam legis, qui nobis rectè poſſint exponere myſteria revelata de natura Dei, de incarnatione Filii Dei, de officio mediatoris, de conſilio & providentia Dei, de operatione & efficacia Spiritûs S. in Eccleſia, de natura fidei juſtificantis, de vi ac virtute bonorum operum, item de natura & uſu Sacramentorum,&c. Qui hæc non novit explicare, & virtutem ac operationes ſingulorum ritè à ſe invicem diſtinguere, is non rectè docet viam Dei. Non ſunt doctores ad juſtitiam, Joël. 2. 23. Sicut templum in monte Garizin erat ſine arca fœderis, ita templa ſectarum reſonant quidem murmure verborum, ſed deeſt doctrina fœderis. Refutantur igitur, qui audientes concionatores Papiſtarum aut hæreticorum & ſchiſmaticorum, judicium ferunt,quod bene concionentur. Etſi enim habent bona dona concionandi, tamen ſunt ad ſummum nil aliud, quàm doctores Legis, qui myſteria Euangelii ignorant vel pervertunt, &c. aliud Euangelium prædicant, de quibus uſurpari poteſt illud Pauli Gal. 1. v. 7, 8.

IV. Ab auctoritate. Erat τίμιος παντὶ τῷ λαῷ. Populo pretioſus. Amorem & honorem populi erga ſuum doctorem hæc vox denotat, & vos informat, quid debeatis veſtris doctoribus. Nil novi eſt bonos doctores apud populum eſſe in pretio. Nec à Chriſtiana religione alienum eſt, 1Theſſ. 5. 12, 13. 1 Tim. 5. 17. Hebr. 13. 17. Si in magno pretio habetis prudentes magiſtratus, expertos medicos, inſignes artifices, qui ad pacem reipubl. ad ſanitatem & commoda corporis aliquod conferunt; quid non debetis iis, qui viam ſalutis vobis monſtrant, & animas veſtras ad juſtitiam veſtram adducunt. Si Judæi doctorem legis ita honorarunt, qui tamen non poteſt ſalvare; quid vos debetis doctoribus Euangelii, de quibus Eſa. 52. v. 7. Agite Deo gratias, quod in vobis impletur promiſſio Dei, Eſa. 30. 20, 21. & Epheſ. 4. 11,12. Exigimus hoc à vobis non ex ambitione. Hortamur enim ſimul ne nimius ſit in vobis amor & admiratio miniſtrorum, ne idola ex iis faciatis (id enim obeſt honori Dei, & parit ſchiſmata in Eccleſia) ſed potius ut cogitetis illud Pauli 1 Cor. 3. 3, 4, 5, 6. Interim tamen *debitum noſtrum honorem* à vobis debemus exigere,ne in noſtris perſonis contemnatur noſtrum miniſterium, & beneficium Dei, & theſaurus pretioſus, quem in vaſis noſtris terreis vobis offert.

Actor. 5. *v.* 35, 36, 37, 38.

CONCIO LXVII.

HActenus perſona conſulens,ſequitur conſilium ipſum, unà cum ratione & exemplis, quibus illud ſuadetur & confirmatur. Conſilium ipſum in eo conſiſtit, ne violenter opprimant & perſequantur Apoſtolos, eorumque doctrinam, ſed rem totam Deo & tempori committant decidendam, ſimpliciter exſpectantes rei exitum à Deo & tempore. Etſi enim hoc conſilium non eſt expreſſis verbis in textu, tamen quilibet videt hunc eſſe ſenſum conſilii. Ratio quâ conſilium hoc ſuadetur, eſt hæc: quia totum negotium Apoſtolorum aut non opus habebit violenta ſuppreſſione, ſed ſponte corruet, ſi ex hominibus eſt; aut non poterit nec debebit ſupprimi, ſi ex Deo eſt. Huic rationi adjunguntur duo exempla hiſtorica, quibus probatur, innovationes in religione, quæ non ſunt ex Deo ſed ex hominibus, non opus habere violenta ſuppreſſione, ſed ſua ſponte corruere & perire. Utitur autem Gamaliel prudentia oratoria, præmittens exempla conſilium confirmantia ipſi conſilio. Nam ſi ſub initium ſtatim conſilium propoſuiſſet & oſtendiſſet, in quam partem inclinaret, non auditum fuiſſet ejus

ejus conſilium, ſed ſtatim exploſum & ad argumenta ſubſequentia aures obturaſſet. Ad quod docet non alienum eſſe à miniſtris Evangelii, in miniſterio ſuo uti prudentibus ſtratagematis & artibus, quibus cœcos furores & impetus carnalium auditorum declinent & reprimant. Sicut in militia prudens dux non tantùm vim vi repellit, ſed etiam dolo & ſtratagematis utitur; ita miniſterium noſtrum eſt militia contra furentes ſimul & aſtutas carnis oppoſitiones. Arma itaque noſtra debent geri cum prudentia, quâ aſtutia carnis ac Satanæ præveniatur & ſuperetur, ut Chriſtus ipſe præcipit, Matth. 10. 16. & Paulus ſuo exemplo comprobat, Actor. 23. 6. Sed quid obſervandum in his artibus & ſtratagematis, ne ſint fraus illicita? Et quid differentiæ eſt inter prudentiam & aſtutiam? *Reſp.* Proponendus eſt ſcopus bonus & adhibenda media non prohibita. Scopus non debet eſſe alius, quàm gloria Dei & ædificatio proximi. Artes ipſæ, & ſtratagemata ipſa non debent eſſe in genere prohibitorum. Qui vel ſcopum malum intendit, vel ſcopum bonum mendaciis aut factis injuſtis nititur aſſequi, non eſt prudens, ſed callidus. Si ſeſe liceret effundere in meditationem conſiliorum, quantum libet facile eſſet prudentem eſſe. Ea demum vera prudentia eſt, poſſe ex genere licitorum invenire ſtratagemata. Quod ſi itaque ordinem textûs volumus ſequi, dicendum nobis:

1. De præfatione, quam præmittit conſilio ſuo, v. 35.

2. De duobus exemplis in quibus conſilium ſuum fundat, v. 36, 37.

3. De conſilio ipſo, v. 38. p. p.

4. De ratione conſilium confirmante, v. 38. poſtr. & v. 39.

I. Præfatio eſt adhortatio generalis, ut ſint prudentes & cauti in hoc negotio Apoſtolorum, ſibi ipſis attendentes, ne ſibi ipſis perniciem accerſant. Imminebat enim ipſis periculum, ſi ita furioſe procederent contra Apoſtolos, idque aut à populo aut à Deo, aut potius ab utroque. Nam & populi tumultum & Dei pœnam exſpectare debebant, ſi Apoſtolos Dei perſequerentur. Magiſtratus & Miniſtri ſunt conſtituti à Deo, ut aliis attendant & aliorum inſpectores ſint, & tamen ſicut Act. 20. 28. miniſtris præcipitur ut ſibi ipſis attendant, ita hic magiſtratibus. Nimirum abſurdum eſt aliis attendere ut ſint pii & fiant beati, & interim ſeipſum negligere. Vide Paulum 1Cor. 9. v. 27. Non debemus eſſe ſicut fabri qui arcam Noë exſtruxerunt ſervandis aliis, & ipſi ſervati non ſunt. Non eſt in eo aliqua felicitas, quod quis eſt Inſtrumentum divinæ gloriæ, niſi etiam ſit vas miſericordiæ, ut quis ſit bonus Magiſtratus, Miniſter, Juſtitiarius, &c. niſi etiam ſit bonus Chriſtianus. Vide Luc. 10. 20. Patet etiam hinc, non omnia adhibenda & uſurpanda eſſe, quæ in ſe ipſis utilia ſunt Reipubl. Nam ſi non æquè ſunt licita atque apta, perdunt eum qui uſurpat, etiamſi proſint iis, quorum cauſa uſurpantur. Sic fœdera cum impiis per ſe ſæpe ſunt utilia Reipubl. ſed perdunt eos qui faciunt. Neque verò hæc lectio ſolis magiſtratibus & miniſtris data eſt, ſed omnibus Chriſtianis, ut ſcilicet ſibi ipſis attendant. Sicut infantes opus habent, ut aliquis ipſis attendat, alioquin facilè ſe ipſos perdunt, igne, aqua, erroribus, lapſibus, &c. Sicut horologium opus habet aliquo qui attendat & ſæpe reducat ad rectum ſitum, alioquin errat & pervertitur; ita noſter animus opus habet cuſtodia & attentione, alioquin vel extrinſecis tentationibus ſeducitur, vel internis corruptionibus pervertitur à recto tramite. Verum quidem eſt, quod Spiritus S. nobis præfectus eſt, ut corda noſtra cuſtodiat, Phil. 4. 7. & nos ducat atque agat Rom. 8. Verum quoque quod miniſtri nobis præfecti ſunt, ut pro animabus noſtris vigilent, Hebr. 13. Sed tamen etiam quiſque ſuus debet eſſe cuſtos & attendere ſibi ipſi. Hoc injungit Spiritus S. Luc. 17. 3. & 21. 34. quibus locis eadem phraſis uſurpatur, & ſimilis huic 1Tim. 4. 16. item Deut. 4. 9. & 15. Quomodo autem nobis ipſis attendemus? *Reſp.* Multis modis, e. g.

1. Sæpe renovando propoſitum & juramentum rectè vivendi, quod Deo ſemel præſtitimus. Renovatio enim fœderis, eſt ſicut reductio horologii.

2. Crebrò invocando cuſtodiam divinam. Merito enim de nobis ipſis dicamus, quod dicitur de civitate, Pſal. 127. 1.

3. Sæpe examinando vias noſtras, eaſque conferendo cum lege Dei, Pſal. 119. 59. Sicut qui lucernam ſequitur, non facile poteſt errare, ita qui vias ſuas comparat cum lege Dei.

4. Vitando vias lubricas, i. e. occaſiones & conſortia, quæ facilè ſeducunt 1Petr. 5. 8. Attendendo præſertim ſibi à falſis Prophetis, Matth. 7. probando Spiritus an ex Deo ſint, 1 Johan. 4. Summa: faciendo id quod Petrus præcipit, 2Petr. 1. 10. Simus εὐλαβεῖς vel potius εὐλαβηθέντες, Hebr. 11. v. 7.

Hebr.

Hebr. 12. v. 28. quæ vox includit metaphoram ab iis, qui vas fragile cautè prehendunt ne frangant. Demus operam omnes ut ſimus in hoc officio ſeduli. *Object.* At enim quantumvis mihi attendam, quantumvis bono propoſito me armem, cuſtodiam Dei implorem, vias meas examinem, occaſiones vitare coner, tamen non poſſum me immunem ſervare à peccatis. Sæpe quantò diligentius mihi ipſi attendo, tantò violentius ſe offerunt motus iracundiæ, impudicitiæ, intemperantiæ, &c. qui me polluunt illicitis vel verbis vel operibus. *Reſp.* Hæc tum ſunt peccata infirmitatis, ob quæ lugere quidem & nos coram Deo humiliare debemus, ſed ob quæ non licet abjicere certitudinem ſalutis & ſolatium. Hæc ſunt peccata quæ furtim nobis obrepunt, quæ non naſcuntur ex noſtra voluntate & intentione, ſed ſunt in nobis contra voluntatem, & ſunt in nobis ut inimici & exoſi.

II. De exemplis hiſtoricis quæſtio eſt, quomodo conciliandus ſit Joſephus Hiſtoricus cum hoc Euangeliſta. Ille enim etiam mentionem facit & Theudæ & Judæi Galilæi, quorum alterum ſe prophetam venditaſſe, alterum populum ob deſcriptionem & cenſum Romanorum ad defectionem ſollicitaſſe ſcribit, Antiq. lib. 20. cap. 2. & lib. 18. cap. 1. & 2. Verum in eo Joſephus & Lucas ſibi contrariantur, quod ille Judam, hic verò Theudam antiquiorem facit. Sed quid opus eſt alia conciliatione, quam ut dicamus Joſephum erraſſe in ordine hiſtoriæ. Quod ad illud attinet quod ex his exemplis nobis diſcendum eſt ad ædificationem, amplius proponetur infra, ubi conſilium ipſum & ratio illius, quæ his exemplis confirmantur, explicabuntur, niſi quod hoc unicum dogma leviter attingendum eſt, ſcilicet quod non ſolùm exitio digni & ſubjecti ſunt, qui alios ſeducunt, ſed etiam qui ſeductoribus adhærent & ſeduci ſe patiuntur. Rationi humanæ hoc videtur inſolens, quæ ſeductos ſolet pronunciare inſontes, & errores cùm vitare ægrè poſſunt, immunes à pœna, præſertim tam gravi. Sed verbum Dei nos inſtituit, quod, cum homines veritatem non amant nec recipiunt, hujus rei juſta pœna ſit à Deo, ut tales ſeducantur ad errores & cum ſeductoribus ſuis pereant. Vide Johan. 5. 43. 2Theſſ. 2. 10, 11, 12. Neque hoc contra juſtitiam & rationem ſanam eſt. Quandoquidem enim probè novimus omnes, quantum nobis in eo ſitum ſit, ut anima noſtra ſalvetur, non immeritò animæ, & corporis jactura puniuntur, qui ob corporis delicias animæ ſalutem, in Euangelio oblatam, pertinaciter contemnunt nec in media ſalutem adipiſcendi ſedulò inquirunt. Sit hoc nobis admonitioni, quibus etiamnum veritas tam clarè & efficaciter prædicatur, ne eam negligamus vel contemnamus, vel tepidè tractemus, ſed ſerio & ferventi ſtudio ſcrutemur & recipiamus.

III. Pergimus igitur ad conſilium ipſum, quod v. 38. proponitur: *Dico igitur vobis: recedite ab hominibus hiſce & ſinite illos.* Vult ne violenter Apoſtolos è medio tollant, ſed ſinant eos pergere in ſuo opere, donec ſua ſponte opus illud pereat & diſſolvatur. Ut hoc conſilium rectius intelligamus, ſtatim ſubjungamus rationem, qua ſuadetur. Nam, inquit, hoc opus Apoſtolorum aut ex hominibus eſt, aut ex Deo. Si ex hominibus, non opus habetis violenter tollere, & hac violentia furorem populi contra vos excitare. Si ex Deo eſt, tum neque poteſtis illud impedire neque debetis, ne inveniamini contra Deum pugnantes. Hoc conſilium, inquit, & hoc opus. Duo enim erant in Apoſtolis: 1. eorum doctrina, quæ erat conſilium quod hominibus dabant ad ſalutem, ſicut Euangelium etiam appellatur, Luc. 7. 30. 2. Eorum miracula, inter quæ non poſtremum, quod nuper capti tam mirabiliter evaſerant. Quod ſi itaque, inquit, hoc conſilium ſeu hæc doctrina ſalutis, & hæc mirabilia opera, quæ in his hominibus videmus, ex Deo ſunt. Ex Deo eſſe uſitatiſſima V. T. phraſis, e. g. 1 Reg. 12. v. 23. Eſa. 54. 15, 17. Dicitur res aliqua ex Deo eſſe, 1. Quia Deus eam decrevit. Hoc modo etiam ex Deo eſt, quod homines faciunt ſine mandato, immò contra mandatum Dei. 2. Quia Deus ea non ſolùm decrevit, ſed etiam mandavit & ſua virtute operatur. Et hoc modo negotium Apoſtolorum erat ex Deo, quia Deus non ſolùm illud decreverat, ſed quicquid agebant, agebant auctoritate & per potentiam Dei. Cætera non ſunt difficilia intellectu. Quod ad inſtitutionem noſtram ex hoc textu pertinet, una quæſtione & tribus dogmatibus comprehendi poteſt.

Quæſtio eſt, an conſilium Gamalielis ſit juſtum & bonum? Sunt enim rationes dubitandi. Si enim juſtum & bonum eſt hoc conſilium, tum nullus conatus, quantumvis improbus, nullus error, quantumvis impius & blaſphemus, vi deber ſupprimi, ſed ſinendi omnes hæretici donec tempus manifeſtat, quod opus eorum non ſit ex Deo. Certè hoc conſilium hominibus hujus ſeculi apprimè arridet,

quo imprimis hoc urgetur, ut omnes ſectæ habeant ſuam libertatem, & exitus Deo & tempori commendetur, ut ex exitu, quæ fuerit vera religio, nec ne, pateat. Sed ſi hoc verum eſt, quo ergo fine Magiſtratus gladium gerit, & quo fine Miniſtris data eſt poteſtas diſciplinæ Eccleſiaſticæ? Et quid ſit vera religio nec ne, non ex ſucceſſu & eventu, ſed ex verbo Dei ſciendum eſt. Quid igitur dicemus? *Reſp.* 1. Gamaliel vir ſapiens & prudens, ſine dubio hanc intentionem non habuit, ut ſolveret nervos diſciplinæ, ſed videtur tum temporis conſtitutus fuiſſe in dubitatione de religione Chriſtiana, ut aliquem guſtum illius jam tum habuerit, & tamen nondum plenè de veritate illius fuerit perſuaſus. Si fuiſſet convictus & perſuaſus, ſine dubio ſuaſiſſet, ut & ipſi reciperent & publicè protegerent. Sed quia adhuc dubius erat de veritate religionis Chriſtianæ, dubius quoque eſt an permitti, an verò ſupprimi debeat. Prudenter itaque eligit medium hoc dubitanti convenientiſſimum, ſcilicet ut ad minimum non patiatur perſequutionem, præcipuè ſanguinolentam, Chriſtiana religio, donec tempus habeat, ſeipſum meliùs informandi. Non opponit ſe quo minùs exercitium illius interdicatur, ſed tamen ut ſanguinolenta perſequutione ſupprimatur, hoc non permittit ipſius conſcientia. Verùm hoc conſilium non poſſunt imitari illi, quibus veritas Chriſtianæ religionis eſt indubitata, euſque ut eam publicè coram Deo & mundo profiteantur, & qui in conſcientiis ſuis convicti ſunt ſe eſſe vocatos Protectores hujus religionis, & quibus abominationes, falſitates & blaſphemiæ ac ſeditiones Papatûs & aliarum ſectarum non ſolùm ex Scriptura, ſed etiam per multiplicem experientiam ſunt perſpectiſſimæ. Hos ſe velle officio ſuo ſubtrahere, exemplo hujus Gamalielis, abſurdum eſt. 2. Præterea ab illo ſtatu Eccleſiæ velle argumentari ad præſentem ſtatum Eccleſiæ, iniquum eſt. Gamaliel erat quidem pars Magiſtratûs, ſed ſi vel maximè voluiſſet Eccleſiæ Chriſtianæ publicam protectionem, & falſi Judaiſmi abrogationem, tamen efficere eam non potuiſſet, quia ſolus erat & cæteros omnes collegas habebat iſti religioni adverſos. Cum itaq; ſciret ſe non obtinere totũ, laudandus eſt, quod conatus eſt obtinere quod obtineri poterat, ſcilicet ut Eccleſia Chriſtiana ſaltem non pateretur ſanguinolentam perſequutionem. Hoc autem non poſſunt in imitationem trahere illi, qui plenam poteſtatem in manu habent, non tantum veram religionem protegendi, ſed etiam falſos ſupprimendi. Ne igitur abutantur noſtri Magiſtratus hoc exemplo Gamalielis. Etſi enim hoc conſilium in Gamaliele laudari debet, tamen noſtris magiſtratibus non quadrat, 1. quia hi ſunt de vera religione plenè convicti. 2. quia habent plenam poteſtatem in manu faciendi quod volunt & velle debent, quæ duo Gamalieli deerant. O quanto pere culpandi, qui ne tantum quidem faciunt ad protegendam religionem, de qua plenè convicti ſunt, ac Gamaliel fecit ad protegendam illam de qua dubitabat. Videntes enim perſequutionem ſanguinolentam imminere, non conantur eam reprimere. Dogmata ex hoc textu obſervanda ſunt tria, quæ tantùm attingam.

I. Opus quod non eſt ex Deo, ſponte ſua peribit & diſſolvetur à Deo, Matth. 15. 13. Quantumvis providis conſiliis humanis contra varios caſus muniatur, tamen ſi conſilium Dei & mandatum Dei pro radice non habet, conſiſtere & diuturnum vel æternum eſſe non poteſt. Tres partes noſtræ religionis, quæ in Catechiſmo proponuntur, quia ex Deo ſunt, inde ab initio permanſerunt huc uſque, & contrà tot hæreſes & ſectæ fuerunt, quæ omnes perierunt. *Object.* Papatus, Turciſmus, Judaiſmus non ſunt ex Deo, & tamen tam diu ſteterunt? *Reſp.* Attamen collabentur tandem, & omnes qui iis adhærent. Eſt fateor Papatus regnum conſiliis humanis optimè munitum. Sed tamen promiſſa eſt à Deo ruina ipſius, *Cecidit, cecidit Babylon magna* Apoc. 18. & 19. Etſi diu duravit, tamen in flore ſuo non fuit admodum diu. Diu crevit, aliquandiu ἐν ἀκμῇ ſua ſubſtitit, ſed jamdudum decrevit & decreſcit quotidie. Ne igitur metuamus hæreſes & tyrannos quantumvis florentes & felices. Sunt enim arbor ſine radice.

II. Quod ex Deo eſt, ſolvi non poteſt, Eſa. 40. 8. Prov. 21. 30. Eſa. 14 27. 2 Chron. 20. 6. præbet hoc ſolatium;

1. Contra perſequutionem religionis & Eccleſiæ. Si certus es quod religio & Eccleſia ſit ex Deo, ne dejiciaris ob perſequutionem. Premi poteſt, ſed non opprimi.

2. Contra infirmitates cujusque fidelis. Si ſcis te ex Deo eſſe genitum, & à Deo vocatum, portæ inferorum contra te non prævalebunt.

III. Qui verbum & opus Domini conatur diſſolvere, eſt θεομάχος. Sic Actor. 23. 9. Phariſæi declarant, quod ſi quis velit perſequi eum cui Deus per Spiritum aut per Angelum locutus ſit, is θεο-

μάχῃ,

μάχῃ, militat & bellum gerit contra Deum. In fabulis legitur gigantes voluiſſe omnes comportare montes, ut Deum ex cœlo pellerent: ſed hæc fabula eſt, quomodo fieri poteſt ut aliquis homo bellum contra Deum gerat? *Reſp.* Si conatur perſequi & opprimere vel diſſolvere opus quod ex Deo eſt, inquit textus. Si Eccleſiam & verbum Dei quod Deus ædificat, conatur deſtruere. Dupliciter homines bellum gerunt contra Deum:

1. Bellum defenſivum, cum Deo & Spiritui ejus reſiſtunt, ut de Judæis dicitur, Actor. 7. 51. Deus ſpiritualem exercitum miniſtrorum ſuorum emiſit ut dejiciant quicquid ſe effert contra Chriſtum, 2 Cor. 10. 1, 2. &c. Huic militiæ ſe multi homines opponunt, & nolunt ut Chriſtus ſuper ſe regnet, & cor ipſorum occupet, reluctantur ejus mandatis, & cupiunt pergere in naturali ſua corruptione.

2. Bellum offenſivum, cum non tantùm reſiſtunt, ſed etiam perſequuntur verbum & Eccleſiam. Hoc maximum eſt omnium peccatorum, quantumvis fiat ex Zelo & cum intentione faciendi Deo rem gratam, ut de ſe fatetur Paulus 1 Tim. 1. 13, 15. 1 Cor. 15. 9. Caveamus hoc peccatum, & moniti ſtatim nos ſubmittamus Deo, eumque patiamur ſuper nos regnare, Pſal. 2. 12. 1 Cor. 10. 22. Militemus contra Diabolum & peccata, tum coronabimur.

Actor. 5. v. 40, 41, 42.

Concio LXVIII.

SEquitur exitus & eventus finalis teſtimonii hujus quarti, iſque duplex: 1. Ratione perſequentium. 2. Ratione eorum qui perſequutionem paſſi ſunt. De perſequentibus dicitur, quod conſilio Gamalielis paruerint, & Apoſtolos dimiſerint, ita tamen, ut eos prius virgis ceciderint, & primum illud interdictum renovaverint de non concionando ampliùs in nomine Jeſu. Ex hac parte ſequentia nobis obſervanda dogmata:

I. Quod omnis piorum perſequutio habeat lætum exitum. Eſt hæc tertia Apoſtolorum perſequutio, quam jam tum in Actis habuimus, quæ omnes deſiêre in dimiſſionem Apoſtolorum, vel liberationem. Perſequutio piorum eſt comœdia, quæ triſte quidem habet initium, triſteſque proceſſus, ſed ſemper lætam cataſtrophen, ſecundum id quod promiſſum eſt, 1 Cor. 10. 13. ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν. Conſidera illud Pſal. 73. v. 24. Sicut Iſraëlitas in deſerto circumduxit mirabiliter, & tandem tamen in Canaan, ita &c. Pſal 4. 4.

Object. At exitus hujus comœdiæ ſæpe eſt martyrium & amiſſio vitæ.

Reſp. Martyrium & amiſſio vitæ corporalis, non eſt exitus & finis & cataſtrophe hujus fabulæ, ſed coronatio martyrum ſequens. Non finitus eſt luſus cum cæſus eſt martyr, ſed tum demum finitur, cum cæſus coronatur & cædens in ignem conjicitur. Verus exitus totius fabulæ deſcribitur Sapien. 5. 1, 2, 3. &c. Sicut erat in paſſione Chriſti, ita in martyriis ſanctorum. Chriſto cæſo ſequebatur demum hoſtium terror & Eccleſiæ gloria. Quiſquis itaque pius eſt, non terreatur periculis, ſed finem reſpiciat, Pſal. 37. v. 17. proſperitas impiorum & oppreſſio piorum non eſt finis comœdiæ. Cataſtrophe adhuc exſpectanda eſt. Stultus eſt ſpectator, qui exit ex comœdia, antequam viderit cataſtrophen. Sic qui deſerit Chriſtianiſmum. Quiſquis autem impius eſt; nunquàm canat triumphum de piis, quia nondum eſt finis, ne tum quidem cum teſtes Domini cæſi ſunt. Reſurgent enim Apoc. 11. Opponamus hoc dogma omnibus terroribus qui naſcuntur ex cladibus & miſeriis, quæ ſæpe obruunt etiam pios, Hebr. 13. 7. Jacob 5. 10.

II. Videmus quantum poſſint conſilia virorum prudentum, & doctorum ac gravium Senatorum. Furorem enim & rabiem compeſcuit hic Gamaliel. Vide 1 Reg. 3. 12, 28. 1 Reg. 10. v. 24, 25. Job. 29. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. Eſa. 3. 3. Job. 30. 11. Sine talibus reſpublica eſt ſicut navis ſine gubernatore. Gerunt imaginem Dei. Sicut beſtiæ propter reliquias imaginis Dei venerantur hominem; ita alii homines venerantur eos in quibus imago majeſtatis divinæ ſplendet. Itaque 1. Precemur Deum, ut det tales. 2. Scholarum habeatur magna cura ubi tales erudiuntur. 3. Juvenes ſe excitent ad doctrinam & ſapientiam ſibi comparandam. Qui enim honores cupiunt, non per ambitum ſed per ſapientiæ ſtudium eos ſibi comparant. Sed an licet homini Chriſtiano appetere humanam auctoritatem & venerationem? nonne pugnat hoc cum interdicto quod eſt, Rom. 12. 16. & Johan. 5. 44. Gal. 5. 26? *Reſp.* Scopus Chriſti & Apoſtoli non eſt damnare ſtudium & appetitum honoris. Sic enim Chriſtianis adimeret nutricem omnium bonarum artium. Honos alit artes. Immò Scriptura eodem argumento nos ad ſtudium ſapientiæ excitat, Prov. 4. 7, 8, 9.

Nimirum res conciliatur Johan. 12. 43. plus amabat honorem hominum quàm Dei. Ita quærere gloriam & honorem inter homines, ut lædamus honorem Dei, & contrahamus illam ſpiritualem ignominiam, ut fiamus mancipia vilia Satanæ, & carnificinæ ipſius nos ſubjiciamus, ac nos ipſos faciamus matulas omnis imputitatis: hoc verò Chriſtianis non eſt licitum, ſed in hoc conſiſtit vitium ambitionis. Ita ſtudendum eſt honori, ut non detrectemus pati ignominiam, ſi gloria Dei ita requirat. Pugnat etiam cum Chriſtianiſmo honoribus inflari & intumeſcere ac ſuperbum fieri.

III. Etſi conſilium Gamalielis furorem & malitiam horum judicum potuit compeſcere, ne Apoſtolos occiderent, tamen non potuit eam eradicare & mortificare ne amplius eſſet & regnaret. Etſi enim dimiſerunt Apoſtolos, tamen prius cæciderunt virgis, & interdixerunt prædicationi in nomine Ieſu. Nimirum prudentia & auctoritas politica poteſt quidem compeſcere malitiam hominum ſed non mortificare. Neque eo fine dantur homines prudentes & politici, ut hominum corda ſanctificent, ſed tantùm ut malitiam compeſcant ne ſe exſerat ad occidendum & nocendum. Miniſterii Euangelici hoc eſt privilegium, ut mutare poſſit corda hominum, & ex malis bonos facere, & mortificare veterem ac vivificare novum hominem, unire Chriſto, &c. Hoc enim eſt brachium Domini, i. e. inſtrumentum quod per magiſterium Spiritûs S. efficax eſt ad hunc effectum producendum, Rom. 1 Eſa. 53. Ne putemus igitur Remp. eſſe bene conſtitutam, ſi habeat prudentes & conſpicuos conſiliarios & rectores, ſed tum demum beata eſt, ſi habeat ſanum miniſterium verbi. Hæc demum illa ſapientia, hoc illud os, cui nemo poteſt reſiſtere, Luc. 21. 15. Eſt enim gladius anceps, penetrans, & ſeparans, Hebr. 4. Sunt arma dejicientia quicquid ſe effert, 2 Cor. 10. Modum mortificandi malitiam non poteſt docere ulla humanitùs excogitata ars, ſed ſola revelatio Scripturæ.

IV. Loqui ſeu concionari in nomine ſeu de nomine Ieſu, eſt id quod mundus ferre non poteſt, ſed prohibet. Poteſt mundus impius ferre concionatores. Habent enim & ferunt immò honorant concionatores ſuos omnes hæretici, omnes Turcæ, Iudæi, ipſi Ethnici, Papiſtæ, poſſunt hi omnes ferre tales concionatores, qui prædicent legem, reprehendant vitia, hortentur ad virtutem. Illos tamen doctores non poſſunt ferre qui concionantur in nomine Ieſu. Quid eſt concionari in nomine Ieſu? i. e. qui concionantur non eſſe ſalutem in altero ſed tantùm in Ieſu, Actor. 4. 12. poſſunt hodie utcunque ferre impii ut nomen Ieſu quoque annuncietur. Uſurpant enim nomen Ieſu etiam hæretici, Papicolæ, & poſſunt pati ut pars aliqua ſalutis ipſi tribuatur. Sed ſi quis velit docere in ſolo Ieſu eſſe omne id, quod ad ſalutem requiritur, in tantum, ut nemo poſſit ſalvari niſi per juſtitiam Chriſti & per tractionem & converſionem Spiritûs S. ſine omni cooperatione proprii arbitrii & propriorum meritorum, id mundus ferre non poteſt. Et tamen in hoc ſita eſt anima Euangelii. Nam qui in lege juſtitiam quærit, gratiâ excidit. Unde quæſo hoc quod mundus omnia cætera dogmata ferre poteſt, hoc unum non poteſt, ſed perpetuò contra illud tumultuatur? *Reſp.* Ex eodem principio, ex quo primum peccatum, ſcilicet quod mundus non didicit ſubjici Deo, ſed cupit eſſe ſimilis & quaſi collateralis Deo, ſi non ſuperior, Geneſ. 3. Rom. 8. 7. Exuamus nos hanc ſuperbiam, diſcamus nos ipſos abnegare penitus, & ſoli Chriſto ſubjici.

V. Sanctiſſimi quique homines non ſunt immunes ab ignominioſiſſimis & maximè dolorificis mundi cruciatibus. Videtis enim hîc virgas carnificis in tergis 12. Apoſtolorum. Idem contigit Prophetis, Matth. 23. v. 37. idem ipſi Chriſto. Docet hoc varia: 1. Ne Apoſtolos quidem fuiſſe immunes à peccato. Nam alioquin inſontes paſſi eſſent. 2. Neminem ideo habendum pro impio quod multas experitur adverſitates. 3. Si pii non ſunt immunes, quid ſibi promittant impii? 4. Si Apoſtoli non fuerunt immunes, nos quoque nos præparemus. Hoc ſæpe conſiderandum ne peregrinum videatur, ſi nobis quoque contingat, 1 Petr. 4. v. 12. Sed potius faciamus comparationem illam quam facit Chriſtus Johan. 15. 20. Matth. 5. 12. Si illi qui tam fideliter ſerviunt Deo, & tantum fecerunt ac laborarunt pro ejus gloria & ad ædificationem Eccleſiæ ipſius, tamen ita traduntur libidini impiorum, quid nos detrectamus ſimilia pati? Placuit Deo Apoſtolos omnes conjunctim his virgis nobis initiari in exemplum patientiæ. Hactenus eventus hujus teſtimonii, qui fuit reſpectu perſequentium, ſequitur qui fuit reſpectu Apoſtolorum perſequutionem patientium, videlicet quod,

I. Abierunt gaudentes quod digni habiti ſint ignominiam pati pro nomine Ieſu.

1. Quid eſt pati pro nomine Jeſu? Jeſus quidem

dem pro nobis paſſus eſt, i. e. noſtro loco. Quomodo autem nos patimur pro ipſo? *Reſp.* Patimur pro Chriſto, cum homines nos perſequuntur, oderunt, rident propter profeſſionem nominis Chriſti, & propter fidelem operam quam Chriſto præſtamus in ædificanda ejus Eccleſia, in defendenda & obſervanda ejus doctrina, in propaganda ejus gloria. Sicut dicimus communiter: ille accepit hoc vulnus in ſervitio Reipubl. ita rectè dicitur quod quis pro Jeſu patiatur, cum propter fidelitatem ſuam erga Dominum Jeſum patitur. Vide Coloſſ. 1. 24. Phil. 2. 17. pati vel à Deo vel ab hominibus commune quid eſt, & æquè piis ac impiis competit, ſed cum pii ab impiis patiuntur propter pietatem & fidelitatem in cultu Chriſti, hoc eſt pati pro nomine Jeſu. Cum non patiamur ut malefactores ſed ut Chriſtiani, 1 Petr. 4. 16. propter Chriſtianiſmi profeſſionem & praxin. Pleræque paſſiones, etiam piorum, obveniunt propter peccata, propter quæ caſtigantur à Deo, quod etiam quidem gaudio dignum eſt. Eſt enim bonum ita caſtigari ac corripi, ne cum mundo pereamus, ſed diſcamus jura Dei, Pſal. 119. 1 Cor. 11. Sed illud demum honorificum eſt, cum quis patitur ut Chriſtianus, propter conſtantiam in pietate, propter conſcientiam, propter juſtitiam, propter religionem, propter beneficia, 1 Pet. 2. 19, 20. Matth. 5. 10.

2. Sed quid dignitatis in eo, quod ignominiam paſſi ſunt? Quid honoris in eo poſitum quod quis à carnifice virgis cædatur?

Reſp. α. Eſt in ſe res digniſſima & laudatiſſima, ſi quis habet occaſionem manifeſtandi ſuam ſinceritatem & fidelitatem erga ſuum herum, cui quis ſervit. Videmus in bellis, quàm cupiant milites fortes ut ſibi concedatur locus in acie periculoſiſſimus, ubi poſſint oſtendere ſuam fortitudinem, 1 Sam. 17. 32. 2 Sam. 23. 16. præſertim cum ipſe Dux ſubit pericula, quilibet bonus miles cupit ipſi eſſe ſocius periculorum, ut ei fiant conformes in gloria & partem habeant ac communionem cum paſſionibus ipſius; Sic &c. Et quidem Chriſtus non tantum mandat pro ſe pati, & mittit patiendi occaſiones, ſed etiam dignatur dare vires vincendi, Phil. 1. v. 29. id quod maximè hîc reſpiciunt Apoſtoli. Non enim in eo dignitas, quod alicui datur occaſio aliquid patiendi, ſed quod vires & conſtantia, in pugna ſe bene gerendi.

β. Eſt ſervitus quam Chriſtus promiſit magnâ gloriâ, dignitate ac honore compenſare, Matth. 5. v. 10, 11. Luc. 22. v. 28, 29, 30. Sicut milites lætantur, ſi digni habentur tali commiſſione per quam licet acquirere promotionem & ſpolia; ita Chriſtiani gaudent cum Chriſto aut pro Chriſto pati, quia ſciunt ſe hac paſſione ſibi acquiſituros gloriam.

3. Sed quomodo potuerunt gaudere malis? Utique nos omnes malis triſtamur. An illi itaque fuerunt Stoici, ſine ſenſu malorum, ut nil moverentur ſed gauderent? *Reſp.* Non fuerunt ἀπαθεῖς qui dolorem virgarum non ſenſerint in corpore, ſed tamen dolorem naturalem conati ſunt mitigare & extinguere per gaudium ſpirituale. Non pugnant enim hæc duo, quod quis ex perſequutione doleat ſimul ac gaudet, Hebr. 12. 11. Natura dolet, ſed Spiritus cor lætificat & dolorem mitigat conſideratione fructus qui paſſionem ſequetur. Hoc imitantur veri Chriſtiani in omni paſſione. In ipſis paſſionibus piorum multæ ſunt cauſæ lætandi, Nam

1. Guſtamus in illis à quanto malo per Chriſtum ſimus liberati. Si nunquam haberemus afflictiones, non intelligeremus quid ſit ab æternis & infinitis inferni doloribus eſſe liberatum. Sed cum ſentimus temporales dolores, tum ſic argumentamur: Si hos parvos dolores vix fero, quid potuiſſem ferre æternos? O quanta igitur gaudendi materia, quod per Chriſtum redemptus ſum!

2. Cuſtodimur per illas ne cum impio mundo pereamus. Servum & peregrinum non dignatur quis caſtigatione, quantumvis peccet, ſed ejicit domo. Sed filium ſollicitè caſtigat ne corrumpatur & pereat. Sic Deus unumquemque filium, quem amat, caſtigat, Hebr. 12.

3. Manifeſtatur ſinceritas fidei noſtræ. Nemo melius cor ſuum poteſt noſſe, quàm dum conſtitutus eſt in afflictionibus.

4. Confunditur Satan. Sperabat Satan ſe Jobum ſuperaturum per afflictiones. Sed confuſus eſt.

5. Gloria noſtra augetur. Nam ſi patienter ferimus afflictiones, magno gaudio compenſabitur noſtra patientia.

II. Non ceſſarunt docere in templo & domatim ſingulis diebus, & annunciare Jeſum Chriſtum. Non minuuntur ſed animantur in obedientia per paſſiones. Nam 1. id requirebat gratitudo, ut beneficio Dei liberati non deſinerent ſed pergerent ſervire Deo. 2. ea eſt natura veri amoris divini, ut ſit conſtans uſque ad finem. Refutantur homines ignavi, qui, ubi aliquid modò paſſi ſunt,

ſunt; putant ſe toto officio adeò defunctos eſſe, ne amplius vel labores vel pericula ſuſtinere opus habeant, non ſecus ac ſi paſſiones noſtræ eſſent lytrum, quo quis non tantùm prioris culpæ merita luat & expiet, ſed etiam porrò ab omni officio ſe redimere & eximere poſſit.

Actor. 6. v. 1, 2.

CONCIO LXIX.

Hactenus Euangeliſta deſcripſit teſtimonia quæ Chriſto ab Apoſtolis perhibita ſunt in urbe Hieroſolymitana, eaque numero quatuor. Antequam autem tranſit ad ea teſtimonia, quæ Chriſto ab Apoſtolis exhibita ſunt extra urbem Jeruſalem, inſerit aliud teſtimonium, quod Chriſto in eadem urbe datum eſt, ſed non ab Apoſtolis, verùm ab aliquo Diaconorum Eccleſiæ, videl. Stephano, qui Chriſto & verbo & ſanguine ſuo illuſtre teſtimonium in urbe Jeruſalem perhibuit. Ad hoc teſtimonium rectè proponendum deſcribit;

1. Perſonam quæ hoc teſtimonium Chriſto perhibuit, quod fuerit Stephanus, unus ex Diaconis, quâ occaſione præmittit hiſtoriam de origine & Inſtitutione Diaconorum in Eccleſia.

2. Occaſionem hujus teſtimonii.

3. Teſtimonium ipſum tum verbale tum reale, ſeu ſermonem & martyrium. In hoc itaque capite duo habemus: I. Hiſtoriam de origine & Inſtitutione Diaconorum. II. Diſputationem quandam Stephani cum quibuſdam ex Synagogis exoticis, quæ teſtimonio huic quinto occaſionem dedit.

De Inſtitutione Diaconorum habemus 1. Occaſionem iſtius inſtitutionis. 2. Modum illius. 3. Effectum, v. 7.

Occaſio fuit murmuratio viduarum ſuper diſtributione eleëmoſynarum.

I. *In iſtis diebus cum multiplicarentur diſcipuli.* Legimus ſuper cap. 4. v. 34, 35. quod Eccleſia non ſit paſſa quenquam inter ſe egere, ſed quicunque poſſidebant prædia, ea vendidiſſe, & pretium poſuiſſe ad pedes Apoſtolorum, quorum curâ & prudentiâ unicuilibet diſtribuebatur, quantum opus haberet. Cum jam autem numerus diſcipulorum, i. e. membrorum Eccleſiæ multiplicaretur, non ſufficiebat numerus Apoſtolorum hiſce rebus tam accuratè curandis, unde Helleniſtæ qui erant in Eccleſia, cœperunt murmurare & quiritari, quod viduæ ipſorum in diſtributione collectæ negligentius haberentur.

II. Perſonæ quæ ita murmurarunt, fuerunt Helleniſtæ contra Hebræos. Quid Helleniſtæ? *Reſp.* 1. Sunt qui intelligunt Judæos proſelytos, qui, cum naturâ ſint ἕλληνες, Græci ſeu Ethnici, profeſſione facti ſunt Judæi, etiamſi genere non ſint Hebræi. 2. Sed aliud Hellenes, aliud Helleniſtæ. Rectior igitur interpretatio eſt, quod intelligantur illi Judæi, qui inter Græcos erant diſperſi, & Græca lingua utebantur, in qua tamen dialectum quandam habebant peculiarem, Hebraicas phraſes & loquendi modum redolentem. Judæi tempore Chriſti erant triplices; 1. Palæſtini ſeu Hebræi, qui in Judæa ipſa habitantes Hebræâ vel potius Syriacâ linguâ utebantur. 2. Chaldæi ſeu Orientales, qui in diſperſione Babylonica degentes linguam & mores iſtarum gentium ſequebantur in multis. 3. Græci, qui in diſperſione Græca degentes Græcam Bibliorum verſionem legebant & Græcâ linguâ utebantur. Et hi vocabantur Helleniſtæ, ſicut & vox illa uſurpatur Actor. 9. 29. & 11. 20. Cum igitur ex omnibus hiſce Judæis quidam eſſent converſi ad Chriſtianiſmum, ſuſpicio & æmulatio quædam orta eſt inter Judæos, Palæſtinos & Græcienſes, quaſi in negotio Diaconiæ quædam major ratio haberetur Palæſtinorum quàm Græcienſium.

III. Quanam autem ſuper re murmurabant? Quod viduæ eorum prætetirentur in Diaconia quotidiana. Tribus modis hoc ſolet exponi. 1. alii, quod non æquè allegerentur in Diaconiſſas, ſeu ad Miniſterium Diaconiæ. 2. alii quod, ipſorum viduæ tantum non acciperent atque Hebræorum. 3. alii denique, quaſi in eo contemptum quendam poſuerint, quod ipſorum viduæ onerentur quotidiano labore diſtribuendi eleëmoſynas, pluſquam Hebræorum viduæ. Media ſententia omnium convenientiſſima eſt. Diſcamus ex hac parte, quòd

I. Diverſus ſtatus Eccleſiæ aliquam diverſitatem

rem exigit in ordine & adminiſtratione. Cum exiguus eſſet diſcipulorum numerus, Apoſtoli curabant eleëmoſynas, ſed multiplicatis diſcipulis Diaconi conſtituti ſunt. Annotamus hoc verbulo 1. ne quis offendatur cum videt diverſitatem ordinis in diverſis Eccleſiis. Modò doctrinæ unitas ſit, ordinis diverſitas, quæ contra Scripturam non eſt, non tollit unitatem Eccleſiæ. 2. Ut qui Eccleſiæ adminiſtratione funguntur, hanc diverſitatem Eccleſiarum probè attendant, & ſecundùm illam adminiſtrationem ſuam ſapienter inſtituant, ut omnia fiant ordine & decenter, 1 Cor. 14.

II. In vera quoque Eccleſia inter vera Eccleſiæ membra ſæpe oritur γογγυσμὸς. Sicut in familia; etſi vera eſt animorum conjunctio, tamen ſæpe oriuntur γογγυσμοὶ inter maritum & uxorem, parentes & liberos, fratres, ſervos, &c. ita in Eccleſia, etſi animi verorum Chriſtianorum vero & ſincero amore inter ſe invicem ſunt conjuncti, tamen inter illos quoque ſæpe oritur γογγυσμὸς, non tantùm membrorum inter ſe, ſed & populi adverſus Paſtores. Sic inter Lothum & Abrahamum, inter Moſen & Iſraëlitas, inter Moſen, Miriam & Aaron, inter Iſraëlitas, trans Jordanem & cis Jordanem, inter Paulum & Barnabam, inter Paulum & Petrum, inter Petrum & alios Chriſtianos, qui ex circumciſione erant, inter diſcipulos Chriſti, &c. Gen. 13. v. 7, 8. Exod. 16. 2. Num. 12. 1, 2. Joſu. 22. 12. Act. 13. 39. Gal. 2. 11. Act. 11. 2. Matth. 20. 24. σχίσμα & πόλεμος vel inimicitia non facile oritur inter Chriſtianos. Curant enim illi, ne ſol occidat ſuper iram ſuam, Epheſ. 4. ſed γογγυσμὸς ſatis creber eſt. Neque hoc valde mirum, cum nec perfectam quiſquam habeat ſapientiam, ut immunis ſit ab erroribus, nec perfectam ſanctitatem, ut à carne & ſanguine liber ſit. Affectus ſedent in lingua. Et hinc tam difficile eſt frænare linguam, Jacob. 3. 2. Nemo adeò perfectè prudens, ut omnium retum jus ſemper intelligat, & in omnibus non niſi ſecundùm jus & rationem agat. Nemo adeò perfectè ſanctus, ut aliorum actiones contra jus & rationem ſemper plenâ patientiâ ferre poſſit. Obſerva: 1. Non dari Eccleſiam perfectè puram. Nam nec prima quidem fuit. Ne itaque ſecedamus & ſchiſma faciamus ob imperfectiones. 2. Nil facilius eſſe quàm indignationem aliquam oriri inter fratres, ob quam non ſunt condemnandi nec ſerius exagitandi, nec fovendus ille γογγυσμὸς delationibus, γογγυσμοὶ non debent ſolvere fraternitatem.

III. Iſte γογγυσμὸς ſæpiſſime eſt propter panem quotidianum. Quia viduæ in eleëmoſynis prætcribantur, hinc illa murmuratio. Sic illa inter Abrahamum & Lothum erat propter paſcua, illa contra Moſen propter ollas Ægyptiacas. Hinc illa murmuratio plerunque proficiſcitur à viduis & pauperibus, querulo hominum genere. Cum enim ſtomachus latrat, os facilè murmurat. Quiſquis itaque ſe cupit ab hoc vitio purgare, diſcat Promiſſiones Dei de cura ipſius ſupra noſtra corpora rectè intelligere, credere & ob oculos habere. Nam qui immodicâ curâ nutrimenti gravatus eſt, facile erumpit in indignationes contra proximum. Videndum etiam ut ejuſmodi murmurationes non nimis credulè recipiantur.

IV. Præſertim facile oritur γογγυσμὸς inter homines diverſarum nationum. Etſi Judæi omnes ejuſdem eſſent originis, tamen quia jam diverſarum erant nationum, facilè fiunt ſuſpiciones & æmulationes. Vide Num. 12. 1. Videtur Diabolus hoc intendere, ut omnes diverſitates, quas Deus fecit inter homines, convertat in inimicitias, ut alius alium, qui ullo modo à ſe differt, contemnat & averſetur. Deus diviſit homines in diverſas nationes, provincias, linguas, vocationes, conditiones, &c. Diabolus conatur efficere, ut omnes illæ diverſitates ſint tot cauſæ odii & contemptus. Hinc Gallus Anglum contemnit & dedignatur, Anglus Germanum, Germanus alium. Sic ſutor ſartorem, ſartor fabrum, &c. Non decet ita fieri. Etſi enim quod noſtrum non eſt nobis non ſolet placere, debemus tamen conſiderare, quod in omni illa diverſitate maneat magna communio, ob quam nobis invicem debemus amorem. Sumus filii ejuſdem parentis, opus ejuſdem creatoris, gerimus omnes imaginem Dei, &, ſi Chriſtiani ſumus, eodem ſanguine redempti. Ne imitemur igitur mores mundi in hoc caſu.

V. Præſertim crebra eſt murmuratio populi contra Magiſtratus & Paſtores. Si illi non ex aſſe ſatisfaciunt, quantumvis bona præſtiterint, illico oritur murmur. Quid non præſtiterant Apoſtoli his hominibus, propter quorum ædificationem tot pericula ſuſtinuerunt, & tamen cum mole negotiorum obruti non poſſent undique tam accuratè proſpicere, illico oritur murmur. Sic quid non præſtiterat Moſes Iſraëlitis, quos ex Ægypto eduxerat, & tamen cum non poſſet ſtatim proſpicere de pane, illico murmuratio oritur. Sic Samuël quantumvis

rumvis bonum præſtiterat Iſraëli, tamen cum non poſſet filiorum omnes defectus coërcere, illicò & ipſum & filios rejiciunt. Sic etiamnum fit, cum antiſtites aliquâ corripiuntur imperfectione, aut non ex aſſe reſpondent cupidini, quantumvis alioquin præſtent, illicò oritur murmur & contemptus. Nolo applicare particulatius. Cavete in vos quadret querela Samuelis, 1 Sam. 12. 3. & 7. Ne date occaſionem gemendi, quod vobis non eſt bonum, Heb. 13. Eſt ingratitudo deteſtabilis ita murmurare contra illos quibus vel animam debes.

Quid autem oborto hoc murmure faciunt Apoſtoli? Num maledictis inceſſunt quos de iniqua diſtributione contra ſe murmurare vident? num ingratos murmuratores deſerunt, & omnem adminiſtrandæ Eccleſiæ curam indignabundi abjiciunt? Ita quidem Moſes ex parte fecit & ex infirmitate, Num. 11. v. 11. ad 16. Verùm de Apoſtolis nil tale legimus, ſed diſſimulata ingratitudine & murmuratione de remedio cogitant, quo ſubleventur ab iſto defectu, propter quem murmurant: qua re nobis proponitur exemplum,

1. Longanimitatis & patientiæ, in iis præſertim qui aliis præfecti ſunt. Sicut parentes multa liberorum vitia, ſæpe valde petulantia, longanimiter diſſimulant; ita qui Reip. vel Eccleſiæ præfecti ſunt, multa minus bona debent diſſimulare in ſubditis & auditoribus. Debent cogitare quod ſit populus Dei, & proinde Dei causâ eſſe ferendum. Sicut parentum causâ ludimagiſter ſæpe fert petulantiam puerorum, ita noſtrorum diſcipulorum mores patienter debemus ferre ideo, quia filii Dei ſunt. Ideo Paulus ſemper jubet reprehendere cum longanimitate, 2 Tim. 4. 2.

2. Eſt etiam exemplum omnibus Magiſtratibus & antiſtitibus, ut cum juſta eſt cauſa, propter quam ſubditi & membra Eccleſiæ queri poſſint, ſtatim de reformatione cogitent. Sunt enim ad hoc conſtituti, ut tollant gravamina ſubditorum quantum fieri poteſt. Nam alioquin facilè fit exacerbatio, & inde bella & ſeditiones. Si hoc feciſſent Prælati in Eccleſia Romana, multa bella prævenisſent. Utinam etiamnum ita facerent noſtri magiſtratus. Sunt certè murmurationes inter nos, de indomita licentia Papiſtarum, de injuſta adminiſtratione ærarii publici, de impunitis homicidiis, de profanatione Sabbathi, de non ſolutis ſtipendiis militum, &c. Vident hoc cordati & ingemiſcunt, multi emendationem flagitant, multi ſeditioſo murmure indignationem præ ſe ferunt, nec tamen quicquam curatur, ſed omnia contemnuntur. Verendum eſt, ne ſeditiones fiant, quæ expergefaciant, quos nunc expergefacere non poſſunt tot miſerorum querelæ.

Actor. 6. *v.* 2, 3, 4, 5, 6, 7.

CONCIO LXX.

VIdimus occaſionem eligendi Diaconos: Sequitur electionis modus, in quo ſequentia ſe offerunt:

1. Apoſtoli multitudinem diſcipulorum convocant, cauſam, propter quam neceſſaria ſit Diaconorum electio, exponunt, Eccleſiam ad electionem hortantur, v. 2, 3, 4.

2. Eccleſia hortationi obediens electionem inſtituit, v. 5.

3. Apoſtoli electos confirmant, v. 6. Sequemur veſtigia textûs & ſignificantiores phraſes ac expreſſiones, quæ in hoc textu non ſunt paucæ, explicabimus.

I. Eccleſia hîc appellatur multitudo diſcipulorum. Eſt vera & plena definitio Eccleſiæ, in qua habes,

1. Genus ſeu materiam. Eſt enim Eccleſia ens aggregativum, ſeu multitudo hominum inter ſe unita, nec pertinent ad Eccleſiam qui ſine communione aliorum pro ſe Deo ſe ſervire ajunt. Vult Deus ut ſui cultores ſint aggregati in unum, ut ſint inſtar corporis, civitatis, domus, &c.

2. Differentiam ſeu formam. Eſt enim talis multitudo, quæ ſe Chriſto & Apoſtolis ejus in diſciplinam tradidit.

Object. Hanc definitionem Eccleſiæ ſibi applicabunt omnes multitudines, quæ nomen Chriſtianorum gerunt.

Reſp. At non quadrat in omnes. Nam 1. Qui ſe vendiderunt ſub cœcam obedientiam hominum ſine probatione doctrinæ ad ſcripta Apoſtolorum, non tradiderunt ſe in diſciplinam Apoſtolorum. Non ſunt igitur diſcipuli Chriſti, ſed mancipia & ſervi hominum. 2. Qui rationem humanam collocant ſupra Scripturam, nec Scripturam ulterius recipiunt, quàm quatenus cum ratione humana convenit, non tradiderunt ſe in diſciplinam Apoſtolorum, ſed potius Apoſtolos faciunt ſuos diſcipulos, verba ipſorum detorquentes ad conformitatem ſuæ rationis. Quod ſi igitur hanc definitionem Eccleſiæ rectè vis applicare, videbis quod nullis quadret

dret cœtibus & multitudinibus, quàm Eccleſiis Proteſtantibus. Cœteri enim aut ſub cœcam obedientiam ſacrificulorum ſe vendunt, aut rationis ſuæ cœco judicio cupiunt dominari ſuper Scripturas, & negant vel pervertunt omnia myſteria Scripturæ, quæ cum judicio rationis naturalis non congruunt, licet centies in Scriptura manifeſtata ſint, expreſsè dicentes quod non poſſit eſſe verum, quod cum naturali ratione non convenit. Neque etiam veri ſunt diſcipuli Apoſtolorum, qui ſe Apoſtolis tantùm tradunt inſtituendos, non etiam formandos ac mutandos, & in ſimilitudinem doctrinæ Apoſtolicæ transformandos. Apoſtoli non ſunt magiſtri ſimpliciter docentes ſicut communes ludimagiſtri, ſed ſunt magiſtri operantes, quibus tradenda eſt voluntas. Si quis ſe vult tradere in diſciplinam Doctoris Medici, non tantùm debet ſe tradere inſtituendum quo modo morbus ſuus curari poſſit, ſed ſe totum debet committere & ſubmittere ipſius operationi, ut ſanetur. Ita non ſufficit Apoſtolis tradere intellectum ad inſtituendum, ſed voluntatem & affectus ut in illos operentur eoſque transforment atque mutent. Non debemus eſſe diſcipuli Apoſtolorum, ſicut Naaman erat diſcipulus Eliſæi, magiſtro & medico præſcribens quid facere & præcipere debeat, 2 Reg. 5. 11, 12. Sed, ut eſt v. 13. ejuſdem capitis, debemus facere quod præſcribitur. Applica illud Jacobi 1. v. 21, 22. Item illud: Loquere Domine, ſervus tuus audiet, 1 Sam. 3. 9. & illud Auguſtini: Præcipe quod vis, & effice quod jubes. Hoc illud, quod poſtea, v. 7. dicitur: *Fidei obedientem fieri*, i. e. doctrinæ Euangelii ſe ſubmittere, eique imperium in ſe concedere.

II. Hanc multitudinem diſcipulorum, i. e. membra Eccleſiæ, Apoſtoli convocant ad eligendos Diaconos, ſicut & poſtea electio ipſi Eccleſiæ tribuitur, v. 5. ubi dicitur, quod hæc res ipſis placuerit, & elegerint ſeptem viros. Apud Pontificios docetur, quod jus eligendi miniſtros & officiarios Eccleſiæ radicetur in auctoritate Apoſtolorum, & quod ab his derivatum ſit in Papam Romanum Petri ſucceſſorem, qui vicarius Chriſti in terris ſolus habeat abſolutam poteſtatem conſtituendi miniſtros, quam deinde communicet ſuis Epiſcopis, & quod quicunque miniſtri non ſunt electi vocati per auctoritatem aliquam à Papa Romano derivatam; non ſint legitimi miniſtri Eccleſiæ. Hic textus nos aliud quid docet, ſcilicet quod ne Apoſtoli quidem ſibi ſumpſerint abſolutam poteſtatem eligendi miniſtros Eccleſiæ, ſed hanc rem Eccleſiæ commiſerint, ut illa ſibi eligeret officarios quibus indigebat, ſicut etiam ſupra cap. 1. in electione Apoſtoli factum eſt, niſi quod ibi ſors debuit intervenire, ut Apoſtolus haberet vocationem Apoſtolicam, i. e. immediatè à Deo declaratam. Apoſtoli quidem Eccleſiam convocant, actionique præſident, eamque dirigunt, ſed tamen poteſtatem electionis ſibi non ſumunt. Multò minus igitur iſta poteſtas radicatur in Papa, aut Epiſcopis, aut Magiſtratibus, ſed in una quavis Eccleſia, & exercetur ab iis quibus unaquævis Eccleſia hujus poteſtatis exercitium commiſit, idque eo ordine, quem ſibi ipſi ſecundum exempla & inſtructiones divini verbi conſtituit, & illorum demum miniſtrorum vocatio vere eſt legitima, qui per hanc januam intrant.

Object. Atqui Actor. 14. 23. dicitur quod Apoſtoli conſtituerint Presbyteros?

Reſp. Verbum χειροτονεῖν πρεσβυτέρους ibi nil aliud ſignificat, quàm directionem electionis: Electio facta eſt per extenſionem manuum, non Apoſtolorum ſed Eccleſiæ. Apoſtoli autem populum ad hanc χειροτονίαν convocarunt & eam direxerunt, ſicut hoc loco, ut ordinatè fieret. Sic 2 Cor. 8. 19. Itaque verbum χειροτονήσαντες hic accipitur ut in conjugatione Hithpaël, q. d. fecerunt eligere ſeu excitarunt ad eligendum.

III. Convocatæ Eccleſiæ proponunt rationes, propter quas neceſſaria ſit electio: *Non conveniens eſt nos relicto verbo, inſervire menſis, ſed noſtrum eſt,* ut additur v. 4. *Invigilare precibus & adminiſtrationi verbi.*

1. Οὐκ ἀρεστὸν inquit. Non quod perſonæ Apoſtolorum fuerint digniores, quàm quibus tam vile officium imponi debeat. Eſt enim Diaconia menſarum opus, ſanctiſſimum & digniſſimum. Quomodo Apoſtoli à ſe removent curam pauperum, cùm tamen hanc curam ſpecialiter Paulo & Barnabæ tam ſedulò commandaverint, Gal. 2. 10. quod & Paulus Apoſtolus paſſim ſedulò fecit. *Reſp.* Non removent omnem à ſe curam pauperum, ſed eam quæ conſiſtere non poſſit cum proprio ipſorum officio, ſcil. adminiſtratione verbi, urgent Apoſtoli ut fiat pauperum curatio, ſed particularem adminiſtrationem hujus curæ non poſſunt in ſe recipere, ne impediatur digniſſimum illud munus diſpenſandi verbum. Diaconia menſarum pro corporibus eſt, ſed Diaconia verbi pro animabus. Etſi igitur Diaconia menſarum eſt opus ſanctiſſimum, tamen Diaconia

verbi eſt opus longè dignius, quod per prius illud minimè debet impediri. Hinc Chriſtus curam marſupii in indigniſſimum Apoſtolorum, ſcilicet Iudam tranſtulit, Johan. 13. 29. & 12. 6. Hinc etiam Chriſtus auditionem verbi longè præfert omnibus corporalibus officiis quamvis ſibi ipſi exhibitis, Luc. 10. 41, 42. Luc. 11. 27, 28. & Paulus tanti æſtimavit Diaconiam verbi, ut non ſolùm pauperum curam, ſed & ſacramentorum adminiſtrationem à ſe removerit, cum vacare illi unà cum prædicatione verbi non poſſet, 1 Cor. 1. 17. Actor. 10. 48. Certè ſi Apoſtoli hanc curam à ſe removerunt, ut verbo vacare poſſent, qui tamen non opus erat multis ſtudiis, cum haberent extraordinaria dona Spiritûs, nemo hoc vitio vertat nobis, quod ſubinde minus prompti ſumus ad recipiendam curam mendicorum, ad commendandas cauſas viduarum, &c. Sed mendici parum hoc curant. Quid autem demum dicemus de illis Epiſcopis qui non ſolùm hoc, ſed omnia alia ad ſe rapiunt, & plus politica curant quàm ſuum officium? Væ talibus! Ezech. 3. 18. & 33. 6. Eſt certè munus concionatorium tale, ut totum requirat hominem, nec parvi eſt ſtudii particulares hominum morbos obſervare, & remedia digna ubicunque opus eſt, tempeſtivè applicare. Facile eſt concionando horam explere, ſed quid ad hoc requiratur, ut concioneris ſicut oportet, & ex mille rebus, quæ dici poſſunt, eligas quod dictu utile eſt, haud facile cuiquam perſuadetur, ſed eſt inter nomina quæ nemo novit niſi qui habet.

2. Noſtrum eſt, inquiunt, invigilare precibus & adminiſtrationi verbi. An igitur Apoſtolorum & concionatorum eſt plus precari quàm aliorum? *Reſp.* Non tam loquuntur Apoſtoli de precibus privatis, ad quæ non minus alii Chriſtiani quàm Apoſtoli ſunt obligati, quàm de precibus publicis, quibus toti Eccleſiæ præeunt & membra Eccleſiæ ad precandum excitant. Sed an nil aliud requiritur ad paſtorale officium, quàm precari & concionari? *Reſp.* Sunt hæ præcipuæ partes, & potius, quàm hos intermittant, cætera omnia deponant. In Papatu preces & conciones non habentur pro præcipuis miniſterii partibus, ſed Miſſæ & ceremoniæ. Apud Apoſtolos ſecus ſeſe res habet, nec ſine ratione. Nam ſine Sacramentis poſſunt ſalvari homines, ſed non ſine precibus & verbo. Etſi igitur Sacramentorum quoque adminiſtratio deſerenda non eſt, tamen quod præcipuum eſt, maxime debet fieri. His igitur Apoſtoli volunt προσκαρτερεῖν, i. e. ſe totos impendere, ut explicata eſt hæc vox Act. 1. 14. Compara 2 Tim. 4. 2. 1 Tim. 4. 15. Denuò monentur concionatores, ut non tantùm vitent τὴν πολυπραγμοσύνην, ſed etiam in ſuo opere ſint ſeduli, nec propriis commodis & deliciis plus dediti ſint, quàm ædificationi Eccleſiæ, Rom. 12. 8.

IV. Propoſitâ ratione, & demonſtratâ neceſſitate, electionem ipſam requirunt, ejuſque modum præſcribunt: Etſi enim Eccleſiæ hæc electio committitur; tamen modus eligendi ipſi præſcribitur, quem qui non obſervant, & ex affectu vel cœco impetu eligunt, ſatius abſtinerent, ne aliorum peccatis communicent, ut eſt 1 Tim. 5. 21, 22.

1. Poſtulant numero ſeptem. Myſterium in numero quærere non eſt opus, nec ſunt Eccleſiæ ad hunc numerum obligatæ, ſed is numerus tum putabatur Eccleſiæ ſufficere. Nominetenus autem hi ſeptem exprimuntur, non quod poſteritatis interſit noſſe nomina primorum Diaconorum, ſed quod Spiritus S. ipſorum fidelitatem in hoc officio voluit hoc modo honorare, ſicut Matth. 26. 13. Primus horum ſeptem non tantùm nominatur, ſed etiam elogio ornatur, quod fuerit vir plenus fidei & Spiritûs S. (i. e. plenior cæteris) quia propter hunc potiſſimum hiſtoriam de Inſtitutis Diaconis Euangeliſta inſeruit. Ultimus horum ſeptem præter nomen peculiarem quoque habet deſcriptionem, quod ſcilicet fuerit proſelytus Antiochenſis, quæ fortè deſcriptio ideo additur, ut ſignaretur & notaretur is, qui, ut opinio eſt, poſtea factus eſt apoſtata & auctor ſectæ Nicolaiticæ. Quod ſi verum, exemplum eſt, quod nullus cœtus adeò ſanctus, quin ſubinde habeat permixtos hypocritas.

2. Poſtulant viros ex Eccleſia: *ex vobis.* Qui non ſunt membra Eccleſiæ, iis non debet concredi hoc officium. Nam qui à fide alienus aut fidei hoſtis eſt, ab eo nulla poteſt expectari fidelitas in hac cauſâ.

3. Poſtulant viros μεμαρτυρημένους, i. e. teſtatæ probitatis & fidelitatis. Etſi enim inter ipſa membra Eccleſiæ nemo debet admitti, niſi qui bonum habet teſtimonium, tamen aliud teſtimonium requiritur in officiariis Eccleſiæ. Ad Eccleſiam enim admittuntur qui fidei & ſanctitatis profeſſionem edunt, & de quorum vita nihil contrarium conſtat. Sed inter officiarios alligi non debent, niſi qui ſint expertæ & probatæ fidelitatis. Hic enim non tantùm exigitur ut quis ſit extra ſcandalum, ſed etiam ut ſit compertus fidelis: unde Apoſtolus 1 Tim. 3. v. 10.

v. 10. Diaconos vult probari antequam miniſtrent, i. e. de vita ipſorum ſedulò inquiri, quod latius explicatur 1 Tim. 5. 10. Quale autem teſtimonium debent habere Diaconi? Duplex:

α. Quod ſint pleni Spiritûs S. i. e. quod fortiter agantur Spiritu S. Nemo debet inter membra Eccleſiæ recipi niſi de quo judicio caritatis præſumere liceat quod habeat Spiritum S. ſed inter officiarios Eccleſiæ eligi debent qui habent majorem gradum Spiritus S. qui inter cæteros eminent Zelo pietatis & gloriæ Dei, 1 Tim. 3. 9. Nam de perfectione hoc intelligere abſurdum eſt.

β. Præcipuè etiam quod ſint pleni prudentiæ. Perperam enim judicant qui eos habent pro optimis Eccleſiæ officiariis, qui ſunt omnium fervidiſſimi in Zelo pietatis, nec curant prudentiam, quâ omnia fiant ordine, & Zelus non diſtituatur ſuo temperamento, 2 Tim. 4. 2. Hinc Paulus rejicit ab officiis Eccleſiæ τοὺς νεοφύτους, 1 Tim. 3. 6. & rationem reddit, quia tales facilè ſibi ipſis placent, inflantur & alios contemnunt, & tum verum eſt illud: *Homine imperito*, etiamſi pio, *nihil quicquam eſt injuſtius*.

Obſervent hæc requiſita electionis, tum illi qui electionem faciunt, tum illi qui electi ſunt. O utinam miniſterium ſaltem noſtrum ubique reſponderet ſuis obligationibus! Corruptiones quidem populi & politicorum nocent Reipublicæ. Sed ſi modò Miniſterium Eccleſiaſticum integrum eſt, id inſtar muri eſt contra vim divinæ iræ.

V. Exprimunt porrò Apoſtoli quanam in re conſiſtere debeat officium Diaconorum. Debent conſtitui ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης, ſuper hanc indigentiam. Sumitur hæc vox hoc loco ſicut Rom. 12. v. 13. Indigentia pauperum eſt objectum Diaconorum. Non eſt Diaconatus titulus honorarius ſicut inter Pontificios, nec conſtituti ſunt ad regimen Eccleſiæ, quod Presbyterorum eſt, ſed curare indigentiam pauperum eſt officium Diaconorum. Colligere ſcilicet, quæ ab Eccleſia in hunc finem conferuntur, eaque prudenter diſtribuere, prout cuique opus eſt, Actor. 4. 3, 5. Ad hanc enim prudentiam Diaconis commendandam hæc vox à Spiritu S. uſurpatur.

VI. Notabile autem eſt, quod Apoſtoli dicunt: *Circumſpicite vos viros quos nos conſtituamus.* Electionem committunt Eccleſiæ, ſed inſtitutionem ſeu ordinationem reſervant ſibi, quam deinde peregerunt precibus & impoſitione manuum, ut eſt v. 6. Quare hoc? An quia ordinatio miniſtrorum eſt Sacramentum, quæ non poteſt adminiſtrari à Laicis? Negatur. Non enim eſt ſignaculum fœderis gratiæ divinitùs inſtitutum. Quare igitur Apoſtoli eam ſibi reſervant? Quia ordinatio debet fieri nomine Chriſti, ideoque per miniſtros Chriſti. Officiarii Eccleſiæ non ſolùm ſunt miniſtri Eccleſiæ, ſed etiam miniſtri Chriſti in bonum Eccleſiæ. Etſi itaque Eccleſiæ data eſt libertas eligendi, voluit tamen Chriſtus ſuo nomine hanc electionem confirmari per ſuos legatos, ut conſtet electionem, ritè factam, à Chriſto ratam haberi, & benedictum iri. Adhibent autem ad hanc confirmationem preces & impoſitionem manuum. Preces adhiberi mirum non eſt. Nam quicquid ſanctificari debet, ſanctificatur per preces & gratiarum actionem, 1 Tim. 4. Sed quo fine adhibent impoſitionem manuum, & an ea neceſſaria eſt, & retineri debet in hac actione? *Reſp.* Eſt potius ritus conſuetudinis, quàm neceſſitatis. Conjungunt enim Apoſtoli preces & congratulationes & benedictiones. Sicut autem nos ſolemus congratulationes ſeu benedictiones noſtras peragere porrectione manuum; ita Orientales impoſitione manuum, unde in variis congratulationibus & apprecationibus hunc ritum uſurpatum legimus. Debent miniſtri hanc ſuam confirmationem rectè conſiderare. Ex ea enim diſcunt, ſe ita eſſe ſervos Eccleſiæ, ut etiam ſint ſervi Chriſti. Debent igitur ita ſervire Eccleſiæ, ne ſerviant contra Chriſtum ſed pro Chriſto, cogitando illud Gal. 1. v. 10. Si vos nos elegiſtis, Chriſtus nos confirmavit & inſtituit. Non poſſumus igitur vobis concionari ut vos vultis, ſed ut Chriſtus vult. Vidimus itaque quo remedio abuſum, qui in Eccleſiam irrepſerat, reformaverint Apoſtoli, & viduarum juſtis querelis ſubvenerint. Hæc reformatio habuit ſuum egregium fructum, qui deſcribitur v. 7. quâ re docemur, quàm utilis ſit reformatio abuſuum in Eccleſia. Deus enim vult habere ſua inſtituta pura, & corruptelæ impediunt divinam benedictionem ſuper divina inſtituta. Si tot ſcandala & tot abuſus inter Euangelicos non ſupereſſent, felicius ſuccederet Euangelii prædicatio. Quis autem ille fructus? *Verbum Dei crevit.* Quæ hæc locutio? Aliàs: Verbum Dei currit, 2 Theſſ. 3. v. 1. Quomodo autem creſcit verbum Dei? *Reſp.* Tribus modis:

1. Cum à concionatoribus magis magiſque declaratur, myſteria magis dilucidantur, cum puteus ille ſanctus foditur, ut magis magiſque eruantur

fortia argumenta ſolatii & pietatis. Eſt enim Scriptura ager & fons, ex quo per quotidianam meditationem indies plura erui poſſunt quæ ad ædificationem faciunt. Hoc modo creverunt & ipſa Biblia & Bibliorum explicatio.

2. Cum in corda hominum conſitum germinat & fructus fert. Verbum enim in corda plantatum non tantùm hominem regenerat, ſed etiam ſeſe deinde dilatat per totum hominem, omneſque facultates occupat, & in eas operatur, eaſque purgat, ſanat, & tum per fructus bonorum operum ſe exſerit. Huc faciunt varia illa ſimilia de grano ſinapi, de fermento, &c. Matth. 13.

3. Cum ſe propagat ab uno in alium. Sicut enim flos plantatus non tantùm creſcit & floret, ſed etiam ſe ipſum propagat (ſchiet af-ſetſels/ſet voort) ita verbum alicubi conſitum illicò ſe propagat in alios. Non quod ſanctitas parentum neceſſariò & ſemper propagetur in filios, ut filii naſcantur ſancti & regeniti, ſed quod in corde, ubi habitat, excitat ſtudium alios quoque ad obedientiam verbi adigendi. Non poſſunt ſoli miniſtri omnes convertere, ſed cum unum alterumve converterunt, is conatur lucrifacere alios. Luc. 22. 32. Pſal. 51. 14, 15. Hiſce tribus modis crevit verbum Dei.

Et illud quidem incrementum tantum fuit, ut etiam Sacerdotes multi fidei facti ſunt obedientes. Quid ſit fidei obedientem fieri, ſupra explicuimus. Converſio Sacerdotum annotatur tanquam mirum aliquid. Cum enim maximè eſſent pertinaces & odio Chriſti imbuti, & populi ſeductores, callentes mille artes ſeducendi, & obtundendi aciem verbi, annotatione dignum erat, ex his quoque aliquos converſos. Sic Deus poteſt ex lapidibus facere filios Abrahæ Sicut in bellis gaudium majus eſt, ſi unus Dux capiatur, quàm ſi decem milites gregarii: ita; &c.

Actor. 5. v. 8, 9, 10.

CONCIO LXXI.

QUintum teſtimonium, quod Chriſto in urbe Hieroſolyma poſt adſcenſionem ipſius datum eſt, eſt teſtimonium Stephani, qui Chriſto teſtimonium perhibuit, tum verbum Chriſti fortiter prædicando, tum verbi veritatem ſanguine obſignando. Sed quia hoc teſtimonium datum non eſt ab Apoſtolorum uno, vel quibuſdam, vel omnibus, ſicut priora quatuor, verùm ab aliquo Diaconorum, ideo Euangeliſta, antequam hujus Diaconi teſtimonium proponit, de Diaconorum Eccleſiaſticorum origine & prima inſtitutione Hiſtoriam præmiſit prioribus ſeptem verſibus hujus ſexti capitis, quam hactenus explicuimus. Sequitur nunc ipſum teſtimonium, quod Diaconorum unus nomine Stephanus, Chriſto perhibuit. De hoc habemus,

I. Occaſionem hujus teſtimonii, cap. 6. v. 6. ad finem.

II. Teſtimonium ipſum, idque conſiſtens ſprædicatione & martyrio cap. 7. Occaſio fuit fervor & Zelus Stephani, ſuper quo ab hoſtibus quibuſdam primò diſputatione, deinde calumniis & falſo teſtimonio obrutus, & tandem captus ac coram Synedrio conſtitutus, & cauſam dicere coactus fuit. In explicatione hujus occaſionis ſequemur veſtigia textus:

I. Zelus Stephani deſcribitur v. 8. Plenus fidei & virtutis, i. e. fortiter & vehementer actus & pulſus fide & virtute. Eſt enim ſimile ſumptum à velis navium, quæ dicuntur eſſe plena, cum vento fortiter premuntur. Vide 2 Petr. 1. 21. Quid autem ita agebat & pellebat Stephanum? Fides & virtus. Et ad quid pellebant hæc eum? Ad faciendum ſigna & prodigia in populo. Quæ illa fides, an miraculorum an ſalvifica? *Reſp.* Et miraculorum & ſalvifica. Nam eâdem fide, quâ fideles recipiunt promiſſiones Euangelii, recipiunt etiam promiſſiones miraculorum. Fieri poteſt, ut quis habeat fidem talem, quâ recipit promiſſiones miraculorum, atque ita miracula faciat, qui tamen non habet fidem quâ promiſſiones Euangelii recipiat. Sed qui habet fidem ſalvificam, quâ promiſſiones Euangelii poteſt recipere, is non opus habet aliâ fide, quâ promiſſiones miraculorum recipiat, ſi quas modò habeat. Verùm omnes fideles non habent promiſſiones miraculorum, alioquin omnes poſſent facere miracula. Nam ſi quis habet promiſſionem miraculi, & iſti promiſſioni credit, fit miraculum. Quid autem per τὰς δυνάμεις intelligitur? *Reſp.* Incitationes & impulſus Spiritûs S. ex quibus poterant obſervare præſentiam & promptitudinem Spiritûs S. ad perpetrationem miraculorum. Vide phraſin Scripturæ, Judic. 14. 6, 19. & 15. 14. 1 Sam. 10. 10. & paſſim. Cum Spiritus per hos volebat facere miraculum, non ſolebat externo verbo promiſſionem edere, ſed irruebat in eos, i. e. aliquo motu & incitatione aliquâ præſentiam & promptitudinem ſuam

ad miraculum ipſis inſinuabat, & ſic promiſſionem miraculi illis dabat. Cum homines huic promiſſioni credebant, & illis fiduciâ miraculum edebant (blymoedig wierden/ om het werck te aenveerden) fiebat miraculum. Cum autem ejuſmodi incitationes Spiritus non fiunt, etiamſi adſit fides, miracula tamen non fiunt. Tales igitur virtutes, i.e. tales impulſus & incitationes Spiritus crebras fuiſſe ſuper Stephanum dicit Euangeliſta, quibus Stephanus credens & confidens multa in populo fecit miracula, quibus ſcilicet doctrinam ſuam confirmavit. Nam ſine dubio hic Stephanus non tantùm miracula fecit, ſed etiam Euangelium docuit. Etſi enim non erat Apoſtolus ſed Diaconus, tamen à Diaconis quoque alienum non eſt, datâ occaſione verbum Dei loqui pro facultate, præſertim hi primi Diaconi, habentes extraordinaria dona Spiritus, licet circa bonorum Eccleſiæ diſpenſationem præcipuè occuparentur, ſuam tamen operam in reliquis quoque Miniſteriis Eccleſiæ, quoad fieri licuit, impenderunt, ut, hoc pacto bonum gradum ſibi ipſis acquirerent, 1 Tim. 3. 13. Itaque per δυνάμει hic non tantùm intelligitur incitatio Spiritus ad miracula, ut 1 Cor. 12. 28. Sed etiam facultas quædam ſingularis prædicandi verbum Dei. Hoc igitur exemplo Stephani nobis commendatur Chriſtianus Zelus pro gloria Dei & propagatione Euangelii. Etſi enim Deus nobis non dat iſtum gradum fidei & iſtas virtutes extraordinarias, quæ Stephano, tamen dat etiam fidem & vires & varias occaſiones, quibus aliquid poſſimus patrare pro gloria Dei & propagatione Euangelii. Qui igitur poteſt bonum facere & non facit, peccat, Jacob. 4. Habemus talenta, Luc. 19. non ſufficit nil mali agamus, nec ſufficit ut reddamus quæ Dominus nobis dedit & commiſit, i. e. ne amittamus fidem & bonam conſcientiam, ſed etiam debemus aliquid lucrari Deo. Quomodo poſſumus nos aliquid lucrari Deo? *Reſp.* Si laboremus aliis quoque hominibus notam facere gloriam Dei; ſi faciamus, ut lux noſtra luceat coram hominibus, ut noſtra bona opera videntes, Deum in cœlis glorificent, Matth. 5. Si tranſgreſſores doceamus vias Domini, ut peccatores ſe ad eum convertant, Pſal. 51. Si ardeamus Zelo divino, ut eos, qui nobis à Deo commiſſi ſunt, Chriſto ſiſtamus puram virginem, 2 Cor. c. 11. Habet hoc mercedem inſignem, Luc. 19. 17. Geneſ. 18. 17, 19. Sicut miles non tantùm ipſe debet eſſe bonus ſubditus, qui Dominum non lædat, ſed ei obediat, ſed etiam debet lucrari Domino ſuo ſubditos alios, ita nos ſumus milites Chriſti, 2 Tim. cap. 2. Conſiderent hoc parentes, magiſtratus; & omnes quibus aliorum cura commiſſa eſt.

II. Ex hoc itaque fervore Stephani, in prædicando Euangelio & faciendis miraculis, occaſionem quidam ſumsêre Stephanum adoriendi primò diſputatione, deinde calumniis, mox vi. Cum enim Spiritus Dei aliquantò eminentius & fortius ſe exſerit, Diabolus inſanit. Si quando Deus amplioribus donis aliquem ornat, & in animis hominum æſtimatum reddit, quilibet inglorius glorioſum ſibi putat hunc virum adoriri aliquo crocitatione, etiamſi ſit Alexander faber, 2 Tim. 4. 14, 15. Quicunque igitur vult pro gloria Dei & propagatione Euangelii aliquid audere, ſciat ſibi hoſtes futuros. Materia, de qua fuit diſputatum, non indicatur. Ex ſequentibus tamen facile intelligitur, diſputatam fuiſſe hanc quæſtionem, an ceremoniæ Judaicæ, per Moſen inſtitutæ, eo fine ſint inſtitutæ, ut ſemper durent, an verò ut futurum aliquid aliud adumbrarent, & eo impleto ſint abrogandæ? Unde obſervamus quàm facilè corda hominum externis ceremoniis adhæreant in cultu, & quàm ægrè patiantur ſe à ſiniſtro ceremoniarum æſtimio abduci. Si de ſola doctrina lis fuiſſet, minus fuiſſet diſſidium, ſed cum Apoſtoli incipiunt à ceremoniis eos abducere, pugnant pro iis tanquam pro aris & focis. Sic & hodie fit in Papatu, ubi neque in doctrinam neque in vitam hominum valde inquiritur, modò Miſſam & ceremonias frequentent ac obſervent. Et nulla acrior contentio Eccleſiam exercuit, quàm quæ eſt de Sacramentis & externis ceremoniis. Ratio hujus rei non eſt alia, quàm quod homines ad verum internum & ſpiritualem cultum minimè proclives, & tamen ad colendum Deum obligati, in externo ceremoniarum cultu, qui corporalis eſt & animalis adeoque naturali homini poſſibilis ac facilis, acquieſcunt, & in eo fiduciam ponunt. Vitemus nos hunc abuſum, & diſcamus intelligere, quo fine externum ceremoniarum cultus ſit inſtitutus, & ad quid proſit vel non proſit, quod ſcilicet non niſi adminiculum ſpiritualis cultus, & quod non ulterius Deo placeat, quam quatenus ad internum & ſpiritualem promovendum adhibetur. Vide Hoſeæ 6. 6. Matth. 9. 13. & 12. 7. Mich. 6. 8. Ancilla quæ plus paſtum curat quàm laborem, non eſt bonæ notæ: ita qui de externo cultu contendit, & internum ſpiritualem negligit. Hanc diſpu-

diſputationem autem non Stephanus cœpit, ſed hoſtes Euangelii. Ἀνίϛησαν τινες συζητοῦντες. Solent homines quærere, cum ſub initium confeſſiones fidei fuerint tam breves, & tam pauci articuli doctrinæ, unde factum quod jam adeò multi articuli, & confeſſiones tam amplæ. Hinc damnant diſputationes de Religione. *Reſp.* Hoc venit ex oppugnatione doctrinæ ſanctæ. Si non eſſent oppugnatores Euangelii in Scriptura revelati, non opus haberemus diſputationibus. Sed cum ſurgunt qui Euangelio reſiſtunt, & diſputationibus ac altercationibus illud cupiunt reddere odioſum, neceſſe eſt ut ſint qui gloriam Euangelii vindicent, nec patiantur miſceri talibus doctrinis, quibus vis Euangelii labefactatur, ne poſſit eſſe verè efficax ad ſanctitatem & ſolatium. Sicut munimenta urbium fuerunt multò pauciora & ſimpliciora antequam ſubtilitates oppugnantium creviſſent; ita Euangelii doctrina brevis eſt, ſed oppugnationes inimicorum indies pariunt neceſſitatem amplioris explicationis, ne vis veritatis falſis gloſſis pereat. Interim eadem ſemper manent principia doctrinæ. Non debent Chriſtiani authores eſſe diſputationum & quæſtionum, ſed tamen non debent pati ut aliorum oppugnationibus veritas obſcuretur & vim ſuam amittat, ſed debent pugnare pro fide ſanctis tradita, Judæ v. 3. & redarguere contradicentes, Tit. 1. 9. Quinam autem fuêre illi qui Stephanum ita adorti ſunt? Fuerunt homines de Synagogis ſeu Scholis, ſtudioſi ſcilicet qui in Academia Hieroſolymitana vel inſtituebant vel inſtituebantur. Erat Hieroſolymæ Academia conſtans diverſis collegiis, & variarum nationum Judæi hic erexerant collegium aliquod pro ſua quæque juventute. Sed quod illud Libertinorum collegium? *Reſp.* Sic vocantur Judæi habitantes in Italia & Romæ, quippe qui à Pompejo abducti & in ſervitutem venditi à Tiberio manumiſſi erant, iiſque conceſſum partem urbis inhabitare. Videmus ex Scholis & Academiis ortas eſſe primas contentiones contra religionem. Erectæ ſunt Scholæ ad propagandam religionem, & ſæpe cedunt ad ſubvertendam. Quam miſerum eſt homines tot ſumptibus educari ut fiant docti & apti ad propagandam religionem, & poſtquam facti ſunt, abuti ſuâ doctrinâ ad ſubvertenda ſalutis myſteria! Omnes ſeductores ex ſcholis prodiêre. Sic Actor. 17. 18. *Object.* Nonne igitur ſatius eſt, inquiunt Mennonitæ, ſcholas abolere, & eruditionem profligare, nec pati philoſophiam, Coloſſ. 2? *Reſp.* Propter abuſum non debemus tollere uſum. Eſt eruditio donum Dei, multum faciens ad ædificationem Eccleſiæ, ὀρθοτομίαν verbi, ſi ſe ſubmittat magiſterio verbi revelati. Sed ſi adhibeatur ad verbum Dei flectendum ac torquendum ſecundùm principia humanæ Philoſophiæ & rationis naturalis, noxia eſt. Vitemus igitur abuſum, & utamur ſicut oportet.

III. Quis autem fuit ſucceſſus hujus diſputationis? Id deſcribitur v. 10. Sapientiæ & Spiritui, i. e. Sapientia quam Spiritus S. ipſi dabat in loquendo. Vel: Sapientiæ & Zelo ac fervori quo in dicendo utebatur. Sunt enim hæ duæ partes boni oratoris, ut judiciosè ſimul & fervidè vel affectuosè dicat. Sed quomodo non potuerunt reſiſtere? An probabile eſt tot ſtudioſos doctos nil potuiſſe oblatrare uni homini (**tegen-keeckelen?**) Utique videmus hodie quod quantumvis rationabiliter aliquid dicatur, ſemper aliquis inveniatur, qui aliquid obſtrepat? *Reſp.* Aliud eſt obſtrepere, aliud reſiſtere. Tum reſiſtitur verbo, cum vis ejus apud auditores ita obtunditur, ut verbum non amplius currat & lucretur animas. Hoc non potuerunt efficere ſua contradictione. Rogandus eſt Deus ut eundem Spiritum, & eandem Sapientiam largiatur hodie quoque ſuis miniſtris, cum videmus Sophiſtas clariſſimæ veritati tantopere obſtrepere, ut ſophiſmatibus ſuis veritatem non parum obnubilent & animos hominum confundant, ut certè opus ſit ope Spiritûs ad diſcernendam veritatem ab erroribus. Si non haberemus promiſſionem illam Johan. 16. v. 8, 9. Luc. 21. 15. verenda certè eſſet tanta aſtutia. Sed eam habentes triumphemus ut 1 Joh. 4. 4. Modò nos ſimus humiles & contra hos Goliathos in aciem prodeamus eâ armaturâ quâ David, tum dabitur victoria.

Actor. 6. *v.* 11, 12, 13, 14, 15.

CONCIO LXXII.

ARma hoſtium, quibus Eccleſiam oppugnant, ſunt aſtutia, calumnia & violentia. Quoniam enim viſibiles Eccleſiæ hoſtes non ſunt niſi emiſſarii Diaboli, methodum quoque & modum Diaboli in perſequenda Eccleſia obſervant. At in eo conſiſtit Diaboli methodus, ut vel draconem agat & fallat, vel leonem & ſæviat. Hæc illa methodus Diaboli de qua Epheſ. 6. 11. 2 Cor. 2. 11. Applica illud Eſa. 27. 1. Leviathan eſt 1. Serpens curvus ratione

tione aſtutiæ. 2. Serpens tectâ procedens, cum involat & mordet. 3. Draco, cum deglutit & devorat. Hac methodo uſi ſunt quoque hoſtes in perſecutione Stephani. Nam 1. per modum aſtuti ſerpentis ſophiſmatis eum adorti ſunt. 2. Cum hoc non ſuccederet, per modum virulenti draconis malitioſis calumniis eum momorderunt. 3. Cum nec hoc ſuccederet, per modum violenti leonis eum crudeliter è medio ſuſtulerunt. Diſputationem eorum Sophiſticam contra Stephanum, & infelicem ejus ſucceſſum nuper audivimus. Sequitur malitioſa calumnia eorum contra Stephanum, & quomodo is ſe contra illam geſſerit.

Calumnia eſt falſum teſtimonium, ut deſcribitur in lege, ſeu accuſatio mendax. Differt à blaſphemia, quia hæc contra Deum, illa contra homines eſt, & eſt graviſſimum peccatum, Exod. 23.1. Lev. 19.16. Judæ v.8, 9. Matt.26.59,60. De hac autem præſenti calumnia quatuor ſunt in textu:

I. Modus calumniæ: *Τότε ὑπέβαλον ἄνδρας λέγοντας*, v. 11.. & *ἔστησάν τε μάρτυρας ψευδεῖς*, v. 13. Non illi qui diſputaverant calumniati ſunt, ſed alios ſubornarunt, qui falſum teſtimonium contra Stephanum perhibuerunt. Sine dubio magiſtri & præfecti Synagogarum diſputationibus conati ſunt pudefacere Stephanum: ſed cum non ſuccederet, ſubornarunt diſcipulos, qui calumniis eum adorirentur. Neque hoc illos excuſat. Nam ſi non licet falſum teſtimonium recipere, Exod. 23. v. 1. multò minus licet procurare, & qui alium ad calumniam ſubornat, ipſe calumniator eſt, & alium ſimul in peccatum præcipitat, quod tantò atrocius, ſi magiſtri diſcipulos ad calumnias impellant, quos debebant ad omne bonum informare. Væ talibus magiſtris! Etſi enim nec ſubornati à culpa ſunt immunes, tamen gravius ſuſtinebunt judicium, qui ſuam animam peccando condemnant, & ſimul alios ſecum in exitium trahunt, Joh. 19. 11. Matth. 18. v. 6, 7.

II. Effectus atque finis calumniæ: Concitarunt populum, Presbyteros & Scribas, ut inſurgentes Stephanum apprehenderint, & ad Synedrium deduxerint, ibique accuſaverint, v. 12. Duo breviter hic diſcenda:

1. Impii & propriæ gloriæ ſtudioſi doctores, cùm non poſſunt diſputationibus & ſophiſmatis obtinere quod volunt, ad ſeditiones confugiunt. Satis clarum hoc eſt in hiſtoria paſſionis Chriſti, Matth. 27. 20. Cupiunt dominari, & hoc fine abutuntur favore quo pollent apud populum. Vitandum hoc piis Dei miniſtris: Non enim corporali vi, ſed Spirituali efficaciâ pugnare debent ſuam pugnam, 2 Cor. 10. *Obj.* Si impium eſt populum concitare ad ſeditiones, cur Reformati quoque doctores ita faciunt? Nonne veſtra Reformatio tumultu populi fuit invecta, renitentibus magiſtratibus & antiſtitibus Eccleſiæ? *Reſp.* Non ubique. Quod autem alicubi factum eſt, plebs non fuit docta ita facere, ſed coacta vel irritata ita facere. Cùm enim reformatio eſſet neceſſaria, & tamen Prælati & Magiſtratus, quibus & competebat, officium non facerent, non opus erat doctoribus qui populum concitarent, ſed ipſa neceſſitas populum veritate illuminatum ſtimulavit & urſit, & quod præter jus & æquum in ea re factum eſt, non adſcribendum eſt iis qui veritatem docuerunt, ſed iis qui in officio negligentes fuerunt. *Inſtant.* Idem dicunt qui ob falſam doctrinam tumultus concitant. Hi quoque ad neceſſitatem provocant. Oportet, inquiunt, habeamus libertatem conſcientiæ.. At ea à poteſtatibus non conceditur: Ergo vi & tumultibus debemus extorquere? *Reſp.* Aliud eſt libertas conſcientiæ, aliud libertas docendi & agendi quicquid lubet. Illa nemini à Reformatis tollitur, ut tumultibus propter eam opus habeant. Hæc verò nemini eſt adeò neceſſaria, ut eam per tumultus quærere debeat.

2. Videmus quàm inconſtans ſit vulgus atque plebs. Supra cap. 4. 21. & 5.26. omnem favorem Apoſtolis exhibuerant, & contra ſævitiam magiſtratus eos defenderant, nunc tam facilè concitantur ad perſequendum. Sic factum Chriſto, quem modò Regem facere volebant, mox inſanis clamoribus ad ſupplicium depoſcebant. Sic factum Paulo, Actor. 14. 11. cum 19. Tales ſunt omnes qui veritatem intus in conſcientia non agnoverunt. Etſi non ſemper ſunt adverſi veritati, tamen facilè fiunt adverſi cum ab aliis incitantur. Ne nitamur itaque favore hominum.

III. Materia calumniæ. Quidnam eſt criminis cujus inſimulant Stephanum? Id exprimitur,

1. Generaliter: *Quod locutus ſit blaſphema verba contra Moſen & Deum*, v. 11. *quod non ceſſet blaſphema verba loqui contra ſanctum locum & legem*, v. 13. Cùm blaſphemia ſit peccatum contra Deum, quomodo poteſt committi contra Moſen, contra legem & contra templum? *Reſp.* Hoc nihil mirum. Qui ſervos Dei, verbum Dei, inſtituta Dei ludibrio habet,

habet, contemnit vel profanat, is tertii præcepti reus eſt & blaſphemus in Deum ipſum. Qui vos contemnit, me contemnit, Luc. 10. 16. Conſiderent hoc qui bus res eſt cum ſacris,& tamen ſanctum non habent animum, Levit. 10. 2, 3.

2. Particulariter, quod dixerit, *Ieſum Nazarenum fracturum locum ſacrum templi, & mutaturum inſtituta à Moſe tradita.* Vide ſimilem accuſationem Jeremiæ, Jerem. 26. 9, 11. Cum Euangeliſta dicat, falſos teſtes hoc de Stephano dixiſſe, apertum inde eſt, quod nunquam hoc dixerit. Sed tamen aliquid eum dixiſſe neceſſe eſt,unde hoc hauſerint,& quod in hunc ſenſum perverterint. *Reſp.* Duplex videtur occaſio fuiſſe, ex qua hanc accuſationem falſi teſtes hauſerint:

1. Quod Stephanus docuit, templum & cœteras ceremonias Moſaïcas fuiſſe tantùm umbras rerum futurarum, inſtitutas non ut ſemper in Eccleſia manerent, ſed uſque ad tempora ἐπανορθώσεως, nec poſſe dare juſtitiam & vitam, ſed tantùm remittere ad Chriſtum. 2. Quod ſubinde pertinacibus Judæis inculcavit vaticinium illud & comminationem illam Chriſti quæ eſt Matth. 23. 37. Luc. 16. 43, 44.

Sed quare hoc vocatur calumnia & falſum teſtimonium. Non enim fingebant vel mentiebantur Stephanum ita locutum eſſe, ſed verè ita erat locutus? *Reſp.* Non erat ita locutus, quod vellet templum deſtruere & legem Moſaïcam mutare, & aliam religionem aliumque cultum introducere, ſed tantùm, quod Chriſtus veniſſet ad implendum & conſummandum quod per templum & ceremonias externas fuerat adumbratum, & quod poſt impletionem umbræ & ceremoniæ ceſſent, adeoque quod non debeant cordibus ſuis hærere in ceremoniis,ſed in Chriſto quærere juſtitiam & vitam, & niſi hoc facerent, Deum juſtiſſimum judicem eos eſſe puniturum horrendo exitio. Hoc erat quod Stephanus docuerat, ſed hoc illi pervertebant, quaſi dixiſſet, Jeſum Nazarenum veterem religionem eſſe aboliturum, & aliam legem introducturum. Hæc erat calumnia. *Inſtant.* Sed illi putabant hoc neceſſariò conſequi ex eo quod Stephanus dixerat. Putabant non poſſe eandem manere religionem, ſi ceremoniæ abolerentur. Non poteſt igitur pro calumnia haberi. Calumnia enim non tantùm eſt accuſatio falſa, ſed etiam mendax. At hi homines non mentiebantur, ſed falsò putabant Stephani doctrinam eſſe talem. Quomodo igitur poſſunt haberi pro calumniatoribus & falſis teſtibus? Cum noſtri ſectarii ex noſtra doctrina, quâ docemus 1. Chriſtum non eſſe corporaliter in Sacramentis. 2. Hominem juſtificari ſolâ fide ſine operibus. 3. Deum immutabili conſilio gubernare omnia, etiam peccata hominum. 4. Deum efficaciter regenerare corda fidelium. 5. Chriſtum non omnes homines redemiſſe nec vocare ad ſalutem, &c. Cum inquam, ſectarii noſtri temporis ex his doctrinis concludunt, nobiſque imputant ac nos traducunt, quod 1. ſimus evacuatores & profanatores Sacramentorum. 2. Doceamus hominem credentem poſſe ſalvari, etiamſi non faciat bona opera. 3. Deum faciamus auctorem peccati. 4. Verbum Dei ejuſque præcepta faciamus inutilia. 5. Negemus miſericordiam Dei, &c. an ex talibus concludemus & dicemus ſectarios noſtros eſſe calumniatores? Illi enim non mentiuntur,ſed putant hoc inde ſe qui? *Reſp.* Meritò habentur pro mendacibus & calumniatoribus, tum qui olim Stephanum, tum qui hodieque Reformatam Eccleſiam talibus accuſationibus gravant, ſpecialiter illi, qui pollent eruditione & judicio, quo poſſent rem rectiùs diſcernere ſi vellent. Nam ſi quis falſum teſtatur in eis, quæ ſcire & poteſt & tenetur, quamvis verum eſſe putet, ille apud Deum habetur pro mendace, unde Scriptura ejuſmodi doctores dicit mentiri, 2 Theſſ. 2. 11. 1 Joh. 2. 20. 1 Tim. 4. 2. 1 Joh. 4. 22. Apoc. 2. 2. Ne itaque ſeipſos excuſent, qui in Eccleſiam debacchantur,putantes ſe vera dicere. Nam qui Apoſtolos occidunt & putant ſe Deo rem gratam facere, non ſunt immunes à peccato. In rebus religionis non debemus putare ſed ſcire. Habemus enim verbum Dei quod docet & inſtruit ſatis claré. Si omninò aliquos articulos ſublimiores comprehendere & recipere non poteſtis, ſaltem abſtinete à calumniis, & præſtate vos humiles ac dociles.

IV. Quomodo Stephanus fuerit animatus, cum hac calumnia impeteretur. Id dicitur v. 15. Quomodo hoc autem intelligendum? Angeli utique non habent corpora nec faciem? *Reſp.* Etſi non habent corpora, tamen ſæpe aſſumſerunt corpora, & comparuerunt facie fulgente, Matth. 28. 3. Poſſumus etiam intelligere non ſolùm Angelos, ſed ſanctorum corpora in cœlis, qui ſunt ἰσάγγελοι, & quorum facies glorioſa eſt ac præ lætitia ſemper ſereniſſima. Poteſt autem hoc dictum duplicem habere ſenſum: 1. quod Deus cœleſti fulgore & ſplendore faciem ejus induit, ut ita teſtimonium daret, eſſe

eſſe ſuum miniſtrum, utque hoſtes terrerentur, & ſe minimè metui intelligerent. Sicut Moſis faciem fecit ſplendere, Exod.34. 29, 30. & Chriſti faciem in transfiguratione, Matth. 17. ita hîc potuit facere. 2. Probabilior tamen eſt ſenſus, quod animus Stephani incredibili ſolatio intus fuerit adeò repletus, ut nullos terrores aliquo faciei pallore proderet, ſed potius lætitia ipſius in ipſo vultu refulgeret, non ſecus ac ſi omni triſtitiâ exemptus inter angelos cœli in plena gloria fuiſſet conſtitutus. Sic poteſt Deus triſtitiam ex hominibus tollere, cum nondum vult homines ex triſtitia vel miſeria tollere. Docuit Chriſtus nos precari ut fiat voluntas Domini in terris ſicut in cœlo. Id Catechiſmus noſter ita exponit, quaſi petamus, ut quilibet noſtrûm officium ſuum faciat tam promptè ac lætè ſicut angeli in cœlo. Hujus promptitudinis exemplum in Stephano hîc proponitur, quod certè nos decet ob oculos habere, ſi quando officium & vocatio noſtra exerceri non poteſt ſine moleſtia & periculo. Ne tremant membra noſtra, ne palleat facies, ſed excitemus nos ad lætitiam Stephani, precantes Deum, ut nos Spiritu ingenuitatis ſuſtentet, Pſal. 51. conſiderantes, ſalutaria eſſe pericula, quæ nos in vocatione obruunt. Eſt tandem moriendum, & quis novit quàm miſerâ morte? cur igitur non malumus mori mortem adeò honeſtam & pretioſam coram Domino, & glorioſam nobis? Scio equidem, nos non poſſe in gravibus periculis exuere omnem terrorem & pallorem, & pari cum Stephano lætitiâ ſplendere, ſed tamen ſi operam damus, ut ſerenam habeamus conſcientiam, vultus quoque erit ſerenus, & ſi pugnamus contra terrores, animabit nos Deus quantum opus eſt.

Actor. 7. *v.* 1, 2, 3.

Concio LXXIII.

Eximium eſt donum Spiritus Sancti, ſi quis in ſubitis periculis poteſt eſſe animo ita præſenti, ut nec à fidelitate in Deum, nec à prudentia erga homines dejiciatur. Non omnibus hoc datum eſt, & ne omnibus quidem bonis atque piis, ut patet in exemplo Petri, qui ſubitis periculis implicitus adeò fuit per ea turbatus, ut infidelis fieret Domino, eumque abnegaret. Sed in Stephano hæc præſentia animi magis illucet, qui ſubitis periculis implicitus nihil conſternatus eſt, ſed Deo fidelis prudentiſſimâ oratione inſigne teſtimonium Salvatori ſuo in urbe Jeruſalem perhibuit, cujus initium nunc prælegimus. Verum quidem eſt, quod prudentia hujus orationis nonnihil lateat & vulgò non ſit obvia, in tantum ut multi opinentur, orationem hanc adeò eſſe ſine ſenſu, ut putanda ſit abrupta eſſe per furorem Judæorum, Stephanum lapidantium antequam orationem ſuam potuerit ad finem perducere, & exempla hiſtorica ad ſcopum ſuum applicare, propter quem allegabantur, nec ſanè ipſemet dubito, quin prolixiorem & clariorem applicationem fuerit additurus, ſi præcipiti furore hoſtium non fuiſſet interclusus. Sed tamen ſi volumus attendere ſcopo Stephani, & cum eo orationem ejus conferre, ſat ſenſus & magnam in ea animadvertemus prudentiam. Scopus Stephani eſt, reſpondere ad calumnias, quibus accuſabatur coram Synedrio. Accuſationes autem & calumniæ iſtæ erant, quod blaſphemos ſermones loqueretur contra Deum, templum, legem, & inſtituta Moſis, dicens ea per Jeſum eſſe abroganda & deſtruenda, atque adeò tollens totam antiquam religionem Patrum, & novam religionem introducens. Hanc accuſationem diluit allegatione talium hiſtoriarum, ex quibus patet, minimè eſſe contra religionem antiquam, Deo ſervire ſine ceremoniis, & nequaquam Patres in ceremoniis & externo templo quæſiviſſe ſuam ſalutem, ſed per fidem in promiſſionibus Dei & in Jeſu Chriſto, quem ipſe annunciet, & neminem verè fidelium externis ceremoniis adeò adhæſiſſe, & in iis fœlicitatem ſuam quæſiviſſe, ſed hanc fuiſſe praxin perpetuam pertinacium & refractariorum Judæorum, qui internum & ſpiritualem cultum repudiantes externo ſe felices putaverint, clamantes, *Hic templum Domini, hic templum Domini, hic templum Domini*, & furioſè occidentes Prophetas, qui ab hoc perverſo æſtimio ceremoniarum, & ab hac ſiniſtrâ fiduciâ in

externo templo ad verum internum & ſpiritualem cultum in Chriſtum eos voluerint abducere. Hæc ſumma, & hic ſenſus hujus orationis. Quatuor autem ſunt in hac oratione conſideranda: 1. Interrogatio Pontificis, quâ Stephanus ad hanc orationem habendam fuit invitatus. 2. Præfatio Stephani, quâ auditores ſuos compellat. 3. Hiſtorica exempla, quæ Stephanus allegat ad intentatam calumniam refutandum. 4. Harum hiſtoriarum cœpta applicatio. Non inſiſtemus niſi iis, quæ peculiarem habent vim ædificandi.

I. Poſtquam Stephanus ſeditioſè ad Synedrium eſſet pertractus, Pontifex, Synedrii Præſes, ipſum interrogat, an res habeat, quemadmodum accuſatores dixerant, i. e. an reverâ dixiſſet, Jeſum Nazarenum abrogaturum eſſe legem Moſis, & deſtructurum urbem ac templum Hieroſolymitanum? Fraudulenta eſt interrogatio, quæ ideo proponitur, ut Pontifex ſuis proceſſibus conciliet ſpeciem juſtitiæ, non ſecus ac ſi libertatem defenſionis Stephano concederet, & interim nil aliud ſibi habet propoſitum, quàm ut Stephanum illaqueet. Nam ſi affirmaſſet, periiſſet ſua confeſſione. Si negaſſet, periiſſet accuſatorum teſtimonio. Nam judex qui ex præconcepto odio quærit occaſionem occidendi, non conſiderabit quo ſenſu quid dictum ſit, ſed modò dictum ſit, ſatis æſtimabit ad condemnationem. Judicum non eſt quærere prætextus & ſpeciem juſtitiæ, ſed ſollicito animo inquirere in jura & factorum circumſtantias, & potius quærere juſtas cauſas abſolvendi, ſi licitè fieri poſſit, quàm prætextus condemnandi.

II. Orationem inchoat humana compellatione: *Fratres & patres audite.* Fratres appellat populum qui ad Synedrium eum traxerat, idque non tantùm ratione generis & tribus, ſed præcipuè propter communionem fœderis. Quæritur an rectè fratrum nomine dignetur eos, qui hoſtes erant veræ doctrinæ de fœdere Euangelico? *Reſp.* Stephanus non reſpicit mentem quam ipſi induerant, ſed privilegium quod à Deo habebant. Etſi animo erant mali, tamen dignatione Dei erant ille populus, cujus erant tabulæ fœderis, & ex quo Deus ſuam ſibi colligebat Eccleſiam. Quandiu Deus populum aliquem dignatur externa adminiſtratione fœderis & verbi, noſtrum eſt bene ſperare, etiamſi pro tempore ſint in rebellione contra Deum. Sic Paulus Rom. 9. 3. etſi ſciebat Judæos rejicere Euangelium, tamen eos appellat fratres ſuos. Ubi tamen prætereundum non eſt, appellationem fratris aliquando fundatam eſſe in mera ſpe divinæ miſericordiæ, aliquando in ſignis ſinceræ communionis in Chriſto. Cum mihi res eſt cum homine, qui ſub profeſſione Chriſtianiſmi converſatur impiè & minimè Chriſtianè, poſſum appellare fratrem, quia licet ſperare aliquando converſum iri à Deo. Sed ſi mihi res eſt cum eo, qui piè & honeſtè converſatur, eum teneor habere pro fratre, eumque amplecti ut eum, qui mecum habet communionem fœderis in Chriſto. Diſcamus hinc, non coarctare caritatem noſtram, ſed extendere viſcera miſericordiæ in omnes, de quibus ulla ſpes reſtat converſionis. O quàm dolendum eſt, homines adeò pronos eſſe ad mutua odia, ut ob exiguas offenſas etiam ad mutuas procedant condemnationes, & totum caritatis debitum ſublatum eſſe putent. Aliter egit Stephanus, qui etiam hoſtes ſuos & Chriſti hoſtes fratrum nomine dignatus eſt. Aliter Chriſtus, qui etiam pro Crucifixoribus ſuis interceſſit. Chriſtianum erat diſcere hanc diſtinctionem, quod aliud ſit aliquem non prædicare beatum, aliud aliquem condemnare. Si quem video malè credentem & malè viventem, meritò beatum non prædico talem, nec promiſſiones Euangelii ipſi applico, ſed malè ipſi metuo & ob vitia reprehendo. Sed tamen non ideo licet omnem caritatem ita abrumpere, ut nihil humanitatis amplius ipſi præſtem, præſertim ſi, cætera honeſtus, non niſi privatâ injuriâ meipſum læſit. *Object.* Atqui talem doceor habere pro Ethnico & publicano, Matth. 18. 17. *Reſp.* Senſus non eſt, quod talem in animo meo debeam habere pro homine condemnato & rejecto, cui nullam amplius debeam caritatem, ſed quod externam communionem ipſi ad tempus debeam negare, & ipſius conſortium detrectare, non ſecus ac ſi eſſet Ethnicus & publicanus, ut diſcat pudere & pœnitere: interim tamen non omnem caritatem erga ipſum deponere debeo. Sic exponitur hoc 2 Theſſ. 3. v. 14, 15.

Patres verò appellat magiſtratum & Judices coram quibus ſtabat, inter quos etiam erant Prælati Eccleſiaſtici, quibus utriſque Patrum nomen in Scriptura non raro adſcribitur. Magiſtratus appellantur Patres patriæ etiam ab ipſis Ethnicis, & in Scriptura, Eſa. 22. 21. 1 Sam. 24. 12. unde & in Quinto præcepto ſub Patris nomen reducuntur. Nec ſine ratione. Nam magiſtratus datus eſt in bonum ſubdi-

ſubditorum, Rom. 13. ut bonum ipſorum procuret, ut ſcil. in pace habitent & fruantur omnibus bonis. ad tranquillam ac commodam vitam neceſſariis Præſertim conſtitutus eſt nutritius Eccleſiæ, Eſa. 49. 23. Quia conſtitutus eſt ad hoc, ut Eccleſiæ proſpiciat de corporalibus mediis, quibus ad ſpirituale ſuum incrementum opus habet. Sicut Deus Jeſu nutritium dedit Joſephum, Matth. 1. ita Eccleſiæ Magiſtratum, quia eſt agnus carens cornibus, id eſt, poteſtate temporali.

Object. Non igitur debet, inquiunt Anabaptiſtæ, gerere gladium, tollere vitam. Nam hoc non eſt patrium. Virgâ caſtigare patrium eſt, ſed non gladio occidere. *Reſp.* Non gerit gladium contra eos quorum pater eſt, ſcilic. contra ſubditos, ſed contra ſubditorum hoſtes pro ſubditorum pace. Hoc non pugnat contra amorem patrium. Diſcamus hinc, 1. Magiſtraturam non eſſe purum dominium, Magiſtratus causâ inventum, ut ipſe ſit celſus & honoratus & dives & magnus, ſed eſſe curam ſubditorum causâ inſtitutam, ut ipſis benè ſit. Utinam hoc conſiderent, qui non ſubditorum pacem ac proſperitatem, ſed ſuam tantùm magnitudinem curant, & ad eam conſequendam ſubditorum ſuccum & ſanguinem exhauriunt, eoſque quaſi pedibus conculcant. Hoc certè non eſt patrium, ſed tales comparantur cum canibus ſeipſos ſaginantibus, Pſal. 59. 7. Eſa. 56. 10, 11. 2. Subditorum eſſe non tantùm timere magiſtratum, ſed & amare. Non enim tantùm Dominus eſt, ſed Pater, qui bonum tuum quærit: Vide illud Rom. 13. 5. præſertim diſcamus non ſtatim remittere amorem & obedientiam, cum aliquid committit magiſtratus, quod contra officium eſt. Nam Stephanus Patrum nomine dignatur magiſtratus ſatis impios, & David Saulem perſequentem, 1Sam. 24. 12. Semper diſtinguamus inter illud quod in magiſtratibus divinum eſt, & quod humanum eſt, nec ita dedignemur humana vitia, ut ſimul deſpiciamus divinam auctoritatem quam à Deo habent ad noſtrum bonum. Non ſolùm autem Politico Magiſtratui, ſed & Eccleſiaſticis antiſtitibus Patris nomen tribuit, ſicut idem facit *Paulus*, 1 Cor. 4. 14, 15. & ratio eſt, quia illi ſunt inſtrumenta noſtræ ſpiritualis regenerationis, ſemen verbi, ex quo gignimur, plantando in noſtras animas, 1Cor. 3. unde ſimiliter diſcant officium ſuum, 1. miniſtri, ne quæſtûs causâ miniſterium ambiant, ſed gregem paſcant. 2. auditores, ut ament propter opus ſuum miniſtros, qua de re dictum ſuperius.

III. Hac compellatione præmiſsâ narrationem orditur hiſtoricam, quâ crimen novitatis diluat ac refutet. Deus gloriæ, inquit, apparuit. Hunc titulum non fruſtra hoc loco Deo tribuit, ſed ut contrariâ confeſſione rejiciat crimen blaſphemiæ quod ipſi imputabatur: q. d. Vos mihi imputatis quod blaſphemè de Deo loquar. Ego verò agnoſco & confiteor, me Deum habere pro Deo gloriæ, qui propter gloriam & majeſtatem ſuam tremendus eſt & terribilis. Loquitur autem propriè de Deo Filio. Per Filium enim Deus Pater Abrahamo ſolitus eſt apparere, ut patet ex Geneſ. 18. 25. & Filio Dei ſolet hic titulus tribui Pſal. 24. 8, 9. 1 Cor. 2. 8. Jac. 2. 1. idque propter tres cauſas, tum quia eſt poſſeſſor & hæres gloriæ cui ab initio debetur, Joh. 17. 1. ἀπαύγασμα τῆς δόξης, Hebr. 1. tum quia propter obedientiam & exinanitionem, quâ multos filios ad gloriam duxit, majeſtate & gloriâ coronatus eſt, Heb. 2. 9. tum denique quia eſt diſtributor gloriæ, daturus coronam gloriæ, tanquam judex mundi omnibus apparitionem ejus amantibus, 2 Tim. 4. 8. adeò ut dubium non ſit, quin jure hic titulus Chriſto competat. Sed quæſtio eſt, quare toties hoc titulo præ aliis utatur? *Reſp.* Ut per hunc titulum tegatur ignominia crucis, ne Chriſtus crucifixus cordibus contritis ſit ſcandalum & impedimentum fidei. Cum enim dico: Dominus gloriæ crucifixus eſt, hoc verbum eſt, cui ſuperſtrui poteſt vera Euangelica pietas. Non poſſem credere & fiduciam ponere in crucem Chriſti, niſi ſcirem quod eſſet crux Domini gloriæ, nec poſſem ingenua fiducia accedere ad Dominum gloriæ, niſi ſcirem quod crucifixus eſſet. Scitis ex Exod. 19. & ex Eſa. 6. 1. comp. cum Joh. 12. 41. quod non accedere auderent homines, cum Dominus in gloria ſua ſe exhiberet, ſed poſtquam Dominus gloriæ carne noſtra ſeſe veſtivit, & mortem crucis pro nobis obiit ad expiationem noſtrorum peccatorum, jam habemus acceſſum cum fiducia. Si caro noſtra nos ſollicitat ad ſecuritatem, ſcimus nobis negotium eſſe cum Domino gloriæ qui terribilis eſt. Sin caro non ſollicitat ad terrorem & deſperationem, ſcimus nobis negotium eſſe cum eo qui crucifixus eſt, ut ita inter ſervilem terrorem & profanam ſecuritatem teneamus medium tramitem filialis reverentiæ & fiduciæ, qui ſolus eſt cultus Euangelicus, Deo per Chriſtũ gratus.

IV. Hic Dominus gloriæ apparuit Abrahamo (& quomodo poſſet non apparere ſol & gloria?) cum adhuc eſſet in Meſopotamia, antequam habitaret in Canaan, cum adhuc in medio idololatrarum habitaret, ut eſt Joſ. 24. 2. Cum nec tabernaculum eſſet nec templum, nec urbs ſancta, nec quicquam harum ceremoniarum, quas nunc habemus; tamen Deus Abrahamo apparuit, & communionem cum ipſo habuit, ſe ipſi manifeſtavit, eumque ſibi ſervum adſcivit & vocavit. Deus multis modis hominibus apparet:

1. In operibus naturæ, in quibus lucet ipſius potentia, ſapientia, bonitas & juſtitia. Vide Joh. 1. 5. Act. 14. 17. Rom 1. 19, 20.

2. In terribilibus judiciis. Cum homines Dei obliviſcuntur, & incipiunt vivere ac ſi Deus non eſſet, Dominus aliquando prodit & ſe conſpiciendum exhibet per tonitrua & fulgura, per morbos, &c. Rom. 1. 18.

3. In carne. Vide 1 Tim. 3. 16. Joh. 1. 14.

4. In Euangelio & verbo. Eſa. 9. 1. Act. 17. 30. Tit. 2. 11, 12. Ortus enim eſt ſol Euangelii in omnibus nationibus & provinciis.

5. In intellectu. Sicut enim quantumvis ſol ſplendeat, tamen à multis non videtur qui vel cœci ſunt, vel in ebrietate dormiunt; ita ſol Euangelii, quamvis clarè prædicati, à multis non videtur. Dat igitur multis hominibus communia dona Spiritûs, quibus illuminantur ut guſteut bonum verbum Dei, dona cœleſtia & virtutes futuri ſeculi, Heb. 6. Dat quoque multis dona prophetiæ, quibus ſciunt omnia myſteria & omnem notitiam, 1 Cor. 13. 2. & clarè lucet ac ſplendet in cordibus eorum, in tantum ut & alios illuminare poſſint, 2 Corinth. 4. 6. Talibus certè Deus apparet. Multis apparet per viſiones, per ſomnia, per inſtinctus, per raptus & ecſtaſes etiam in tertium cœlum.

6. In conſcientia. Habet quidem ſuos uſus, ſi quis habet intellectum à Deo illuminatum, & intelligit myſteria ſalutis, & poteſt alios docere, ſed tamen per ſe neminem facit beatum, cùm & Bileam & Simon magus illud habuerint. Hoc demum hominem reddit beatum, cùm Deus radios legis & Euangelii facit penetrare in conſcientias hominum, illuminans oculos intellectûs, ut videant mirabilia legis, & perſuadeantur ac convincantur ad obedientiam Euangelii, Eph. 1. v. 17, 18. Cum ſic Pater gloriæ, & Dominus gloriæ & Rex gloriæ nobis apparet, ut radii legis penetrent in cor, & in illo excitent vivum ſenſum peccati ac miſeriæ, ut aperiatur conſcientia ad comprehendendam ſufficientiam, quę eſt in meritis Chriſti, & profunditatem amoris divini erga nos, ut concipiamus vivam fiduciam in Chriſtum, & amorem erga Chriſtum, qui impellat ad novam obedientiam, hæc demum eſt ſalutaris apparitio Domini.

7. In affectibus, cum ſplendorem gratiæ ac favoris ſui facit penetrare in affectibus, ut excitetur lætitia in Domino ſuper ſalute ipſius. Sæpe Deus apparuit in hominum conſcientiis, ut convicti & perſuaſi Euangelium recipiant, ut Deo ac Chriſto intimo corde adhæreant, & verè participes ſint meritorum Chriſti ad ſalutem, ſed tamen affectus eorum adeò graves & triſtitiâ dejecti ſunt, ut gratiam & favorem Dei non ſentiant, ſed perpetuò queritantur de abſentia Domini ex corde ipſorum, & de deſertione Domini. Eſt Dominus cum ipſis, & tamen oculi eorum quaſi tenentur ut non videant, ſicut Luc. 24. Sed querantur ſe amiſiſſe Dominum, ſicut ſponſa in Cantico Canticorum. His hominibus Deus apparet, cum faciem ſuam ſuper illos illuminat atque extollit, & reddit eis lætitiam ſalutis, & dicit ad animam eorum quod ſit Deus ſalutis eorum, eoſque implet læto guſtu gratiæ & prægustatione quadam æternæ gloriæ, affectus eorum ſublimans, ut cum lætitia currant ſtadium propoſitum, cum antea quaſi in tenebris ambularent in recta via. Sicut ſubinde ambulamus quidem in recta via, ſed tamen propter tenebras incedimus cum metu & errore, ſed ingruente ſole vel lucernâ, lætamur, & ambulamus ſine terrore; ita multi ſunt, qui ad Deum converſi ambulant in pietatis via, ſed quoniam faciem ſuam paternam Deus ab illis abſcondit, ambulant cum timore & tremore nimio, verùm ubi Deus amabilem lucem faciei ſuæ ſuper illos extollit, currunt cum gaudio in ſtadio pietatis.

8. In neceſſitatibus. Sæpe Deus ſe abſcondit, auxilium ſuum retrahit, & ſuos filios in ſummas præcipitat anguſtias, ut ipſum vocent ſed non audiantur, quærant ſed nuſquam inveniant. Cum autem ad ſummum neceſſitatis ventum eſt, tum Deus apparet, auxilium ſuum manifeſtat. Sicut ſe mater ſæpe abſcondit, donec infans vagiat & vocet, & tum apparet, ſic &c. Hæc illa apparitio de qua Act. 26. 16, 17. Pſal. 8. 20.

9. In nubibus. Dominus gloriæ apparebit in nubibus

nubibus ad judicium, Matth. 26. v. 24. 2Timoth. 4. v. 8.

10. Denique in cœlo, cum ita apparebit, ut videatur de facie ad faciem, & nunquam amplius diſpareat ex oculis noſtris. Hebr. 12. 13. 1 Joh. 3. 2. Apoc. 22. 3, 4, 5. & 21. 23.

Ecce tot modis Deus hominibus apparuit, apparet vel apparebit. Quæritur jam quænam ſit & qualis illa apparitio, quâ Deus Abrahamo apparuit, & quidnam in Abrahamo operata ſit? Sed hoc differemus in concionem ſequentem. Nos interea hos modos divinæ apparitionis probè meditemur, ut inveniamus quouſque in communione cum Deo profecerimus. Si non naturæ lucem habemus, ſi non niſi judiciis Dei monemur, ſi vel Chriſtum in carne vidiſſemus, ſi vel maximè claram habeamus Euangelii prædicationem, ſi vel omnia myſteria nôrimus, & viſiones viderimus, & in tertium uſque cœlum ſimus rapti, non ideo ſumus beati, ſed tum demum, ſi conſcientiis noſtris Dominus illuxit. Si hoc factum, cæteræ apparitiones ſequentur ſine dubio.

Actor. 7. *v.* 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.
CONCIO LXXIV.

PRolixam hanc concionem Stephani omni ſenſu deſtitutam videri, ſi non ad ſcopum illius probè attendatur, nuper diximus. Scopus autem Stephani eſt, defendere ſuam doctrinam ſuumque vaticinium de abrogatione ceremoniarum Moſaicarum & de deſtructione urbis ac templi Hieroſolymitani, propter quam apprehenſus & ad Synedrium adductus erat. Judæi tam perverſo æſtimio Moſaicarum ceremoniarum erant correpti, ut proram ac puppim ſalutis in iis ponerent, & ſe ſatis tutos æſtimarent, ſi modò externum hunc ceremoniarum cultum obſervarent. Et præterea Terram illam Sanctam, & urbem ſanctam, & templum habebant pro ſuo cœlo, & exſpectabant talem Meſſiam, qui Romanos & omnes alias gentes debellaret, & Judæos in poſſeſſione hujus terræ confirmaret, faceretque illos dominatores totius orbis. Hanc perverſam opinionem ſtuduerat Stephanus Judæis eximere, atque eo fine contra Synagogarum Scholarchas diſputaverat, ſalutem non eſſe quærendam in ceremoniis Moſaicis, ſed ceremonias Moſaicas tantùm inſtitutas fuiſſe, ut adumbrarent futurum adventum Meſſiæ, ejuſque perſonam & officium, & ſpiritualem illum cultum, quo à nobis recipiendus ſit, poſtquam venerit, & proinde ceſſaturas & abrogandas eſſe, poſtquam verus Meſſias venerat. Docuerat etiam veram felicitatem non poſitam eſſe in poſſeſſione terreni Canaanis, urbis & templi, ſed Meſſiam apparuiſſe, ut nos à terrenis abduceret, & in cœleſtem Canaan eveheret, terrena illa eſſe corruptibilia, immò propediem penitus deſtruenda ſecundum vaticinia Chriſti. Hanc doctrinam Stephani Judæi calumniosè pervertebant, fingentes, Stephanum totam legem Moſis, & totam veterem religionem evertere, & novam velle introducere religionem, quæ nunquam antea ſit audita, & ipſo facto per Jeſum ſuum velle diruere templum & urbem. Stephanus ſuper hac re in judicium tractus apologeticam hanc concionem habet, quâ exemplis priſcorum fidelium probat, non eſſe contra veterem religionem quod docuerat. Veteres enim fideles non in ceremoniis juſtitiam quæſiviſſe, nec in poſſeſſione terræ Canaan ſalutem ſuam conſtituiſſe, ſed ſine ceremoniis Deo ſerviiſſe & obediiſſe, per fidem in promiſſiones ipſius. Hanc demonſtrationem orditur ab exemplo Abrahami, qui Deo ſervierit antequam ullæ ceremoniæ eſſent, & antequam noſſet terram Canaan. Hoc exemplum nuper cœpimus explicare, inhærentes voci, ὤφθη τῷ Ἀβραάμ, indicanteſque Deum diverſis modis ſolere apparere hominibus, ſcil. in natura & per naturam, in peculiaribus judiciis & terroribus, in carne, in Euangelio, verbo & Sacramentis, in intellectu, in conſcientia, in affectibus, in neceſſitatibus, in nubibus, in cœlo. Quæritur jam quo pacto Abrahamo apparuerit? *Reſp.* Apparuit ipſi in conſcientia, efficaciter ipſum vocans per regenerationem, ad ſerviendum Deo per obedientiam fidei. Non quidem apparuit per ordinarium miniſterium, ſed per extraordinarias viſiones, veruntamen non fuit apparitio merè prophetica, ſed apparitio efficax, penetrans in conſcientiam, eamque illuminans & perſuadens ad obedientiam fidei. Hic enim eſt ſcopus Stephani, demonſtrare quod Abraham Deo in Spiritu & in fide ſervient, antequam in Terram Sanctam eſſet translatus. Quomodo autem Abraham à Deo vocatus Deo ſervivit? An habuit templum & ceremonias ſicut Judæi habebant? Et quâ in re Abraham fœlicitatem ſuam poſuit, an in poſſeſſione terræ Canaan? Nihil horum, ſed ſervivit Deo in fide & in promiſ-

ſionibus ipſius acquievit. Id particulariter Stephanus ita demonſtrat.

1. Abraham Deo ſervivit & communionem cum Deo habuit, antequam in terram Canaan venit, immo antequam Charras venit, cum adhuc in Chaldæa habitaret, in medio idololatrarum, inter cognatos & patres idololatras, Joſuæ 24. immò antequam quicquam audiiſſet de terra Canaan. Deus enim non indicabat ipſi, in quam terram ipſum eſſet tranſlaturus, ſed ſimpliciter dicebat, Exi in terram quamcumque tibi monſtraturus ſum, & hoc ſatis diu duravit. Nam poſtquam à Deo vocatus eſſet, ſervivit Deo extra terram Canaan uſque ad mortem patris ſui Thara, ſcil. per annos, ut putant docti, quinque. Non igitur eſt ex inhabitatione terræ Canaan, quod quis placet Deo, ut ei terræ tantopere ſit inhærendum.

2. Poſtquam Abraham in Canaan veniſſet, ne plantam quidem pedis Deus ipſi dedit iſtius terræ in proprietatem, ſed fuit perpetuus peregrinator in ea, modò hîc, modò alibi habitans, donec ſuâ pecuniâ ſibi emeret ſpeluncam, ubi mortuam ſuam Saram ſepeliret. Quomodo igitur potuit felicitatem ſuam poſuiſſe in poſſeſſione terræ Canaan.

3. Et quamvis Deus poſtea particulariter iſtam terram Canaan ſemini ipſius promitteret in hæreditatem, tamen ideo Abraham non poterat felicitatem ſuam collocare in poſſeſſione terræ Canaan: Nam,

α. Cùm hæc promiſſio ipſius ſemini fieret, ſemen nullum habebat.

β. Semen illud, cui hæc promiſſio dabatur, prædicebatur, per quadringentos annos in Ægypto miſerrimè ſerviturum, antequam ad poſſeſſionem terræ Canaan perveniret, quid igitur gaudii & ſolatii poterat Abraham pro ſe ipſo habere ex poſſeſſione terræ Canaan?

4. Poſtquam diu peregrinatus eſſet Abraham in terra Canaan, tum demum Deus ipſi dedit fœdus circumciſionis, adeò ut Deo ſine ceremonia circumciſionis ſerviverit uſque ad 99. ſuæ ætatis annum. Quo demum anno ſe ipſum, & poſtea filium Iſaac circumcidit. Clariſſimè itaque patet ex hiſtoria Abraham, quod ille neque in ceremoniis ſuam juſtitiam quæſiverit, neque in poſſeſſione terræ Canaan ſuam felicitatem conſtituerit, ſed quod tota Abrahami religio conſtiterit in eo, quod promiſſis Dei fidem habens, & in iis acquieſcens, vocationi & ductui Dei fuit obediens. Eſt igitur calumnia, vult dicere Stephanus, quod me dicitis paternam religionem evertere, cum de ceremoniarum abrogatione & urbis ac templi deſtructione vobis concionor.

Multa poſſent in hac hiſtoria latè explicari & cum textu Moſis, unde hæc deſumpta ſunt, conciliari, ſed nos Acta Apoſtolorum exponimus, non libros Moſis, itaque quod ex illis hic allegatur, non ulteriùs conſideramus, quàm ad ſcopum facit. Prætetitis itaque cæteris, naturam veræ fidei, quâ ſuo tempore Deo ſervivit antiqua Eccleſia, paucis conſiderabimus, deque ea hæc pauca dogmata vobis proponemus.

I. Vera fides eſt ex apparitione Dei. Deus Abrahamo apparuit, & hinc ipſe credidit. Fides eſt lumen de lumine Dei. Sicut apparente ſole vident noſtri oculi; ita apparente nobis Deo concipiunt fidem noſtræ animæ. Eſt donum deſuper deſcendens à patre luminum, Jacob. 1. In luce tua lucem videmus, Pſal. 36.10. Eſt lux quam videmus, & lux qua videmus. Quæ illa lux quam videmus? Verbum Dei. Verbum Dei eſt lux & lucerna, Pſal. 119.115. Sed eſt lux lucens in tenebris, i e. in tenebricoſis hominum oculis, quam tenebræ non vident nec comprehendunt, niſi illuminentur alia luce, qua hanc lucem comprehendant ac videant. Quæ autem illa lux? Radii Spiritûs S. quibus oculi noſtri aperiuntur & illuminantur, ut videant mirabilia legis, turpitudinem ſcil. & magnitudinem miſeriæ, ſufficientiam Chriſti, plenitudinem amoris & favoris Dei erga nos, cujus vero intuitu & vera comprehenſione incenditur in nobis amor Dei quo ad novam obedientiam impellimur. Hoc enim eſt methodus perpetua regenerationis & ſanctificationis, videl.

1. Quod per legem nobis annunciatur noſtra miſeria, & illa annunciatio comitante fulgore Spiritus S. ita roboratur, ut miſeriam noſtram videamus, & ſentiamus dejecti & contriti.

2. Quod per Euangelium nobis annuntiatur ſatisfactio Chriſti, eaque annunciatio per ſplendorem Spiritûs S. ita roboratur ut ſufficientiam & vim meritorum Chriſti videamus.

3. Quòd eam comprehendentes per eam ſuſtentamur, eaque nitimur perſuaſi de reconciliatione noſtri cum Deo, & de amore Dei erga nos.

4. Quod amorem Dei ſentientes, Deum incipimus

mus redamare, & deponere inimicitiam quam antea contra illum geſſimus.

5. Quod virtute hujus amoris incipimus Deo obedire. Obedientia enim eſt ex amore noſtro erga Deum, amor ex fide amoris divini erga nos, fides noſtra ex illuminatione Spiritûs.

Ne itaque putemus ad ſalutem ſufficiens, ſi lux Euangelii clarè inter nos prædicatur. Indigemus enim aliâ luce quâ hanc lucem videamus & comprehendamus. Templum itaque frequentantes, hauſturi lucem Euangelii ex ore miniſtri, precemur Deum, ut hanc lucem comitetur luce ſui Spiritûs, quâ hanc lucem comprehendamus. Precemur ut Deus nobis faciat, quod fecit Jobo, c. 29. 3.

II. Vera fides non datur ſecundùm merita aut diſpoſitiones hominum, quibus ſe ipſos ab aliis diſcreverunt. Apparuit enim Abrahamo hæc lux, cum adhuc eſſet in Meſopotamia, ſedens in medio idololatrarum, Joſ. 24. 2, 3. Tota terra aperta erat Deo, cur radii ejus ad Abrahamum potius venerunt quàm ad alios? An quia ſolus Abraham melior omnibus cœteris, & tanquam lux ſplendebat in generatione curva? Non certè. Nam unde filius melior eſſet patribus à quibus erat educatus; apparuit igitur quia voluit. Et hoc quoque tenendum. Non enim gloria datæ fidei Deo tribuitur, ſi confiteamur à Deo datam, & interim ſomniemus datam ſecundùm noſtra merita & diſpoſitiones noſtri arbitrii. Nam ſic non Deo ſed nobis tribuitur gloria fidei.

III. Vera fides eſt talis fiducia in Deum, ſeu talis receptio Dei, quæ conjuncta eſt cum deſertione mundi, & omnium quæ in mundo cara ſunt. Quam primùm enim Deus Abrahamo apparuit, & Abraham in Deum credidit, exiit ex terra Chaldæorum, deſeruit Patriam & cognatos, & Deum ſecutus eſt, etiamſi neſciret quò duceretur. Non enim dixerat quò ducturus erat, ſed ſimpliciter promiſerat ſe oſtenſurum terram aliquam, ut explicatur Hebr. 11. 8. Hæc eſt ipſa forma & eſſentia fidei, quod eſt tranſlatio cordis à mundo in Deum, ad ſequendum Deum quocunque ducit. Naturaliter cor hominis affixum eſt mundo, & rebus mundanis nititur, eaſque ſequitur quò vadunt, etiamſi à Deo abducant. Sed per fidem cor hominis ita figitur in Deum, ut ſequatur Deum, etiamſi abducat à Patria, cognatis & omnibus quæ tibi cara ſunt in mundo. Hinc fides ita deſcribitur, quod per eam homo conjicitur in Deum, Pſal. 22. 11. quod per eam Deo adhæreat ut non cedat, Hebr. 10. ult. & paſſim diſcipuli Chriſti fidem ſuam exprimunt hac gloriatione: Ecce omnia deſeruimus, & te ſecuti ſumus, Matth. 10. Vide Pſal. 45. 11. Et paſſim in Euangelio Chriſtus diſcipulos vocans, jubet ut omnibus deſertis ſe ſequantur, Matth. 4. 18. Matth. 8 21, 22. Matth. 10. 38. Meditemur hoc qui credituri ſumus. Non poſſumus recipere Deum & adhærere mundo, ſed ita recipiendus Deus, ut deſeratur mundus. Alioquin ſervimus duobus Dominis, Matth. 6. alioquin habemus cor diviſum & duplex. Licet ſequi Deum & mundum, quamdiu Deus & mundus ambulent unà. Sed cùm Deus & mundus in diverſum abeunt, cavendum ne deſeratur Deus, ſed ut eum ſequamur, etiamſi ducat in tenebricoſam vallem mortis, etiamſi vocet non modò in terram incognitam, ſed in ipſum mare, ut fecit Petro Matth. 14. 29. etiamſi dicat: Exi ex Patria tua & deſere omnia. Conſideremus hoc: 1. cum homines aliquid à nobis poſtulant, quod eſt contra Deum. 2. tempore exilii cum deſerenda patria. 3. tempore mortis, cum deſerendus mundus.

IV. Etiamſi vera fides Deum ſequitur, tamen ſubinde feſſa ſubſiſtit. Sequitur Abraham Deum Charras uſque, ſed ibi territus & dejectus ſenio patris, & metu periculorum, ad tempus conſedit & ſubſiſtit. Non enim hæc ceſſatio in Charram aliis cauſis tribuenda videtur. Exibant ut venirent in Canaan, & tamen venientes Charras ſubſiſtebant, Gen. 11. 31. feſſi ſcil. & metuentes ire ulterius. Idem accidit poſtea, Gen. 15. 2. Sic Petrus ſequebatur quidem in mare, ſed mox fatiſcit, Matth. 14. 30. Sic Iſraëlitæ in deſertum ſecuti quoties volebant redire in Ægyptum? Sic Loth, Gen. 19. 18, 19, 20. Hinc vocamur tardi ad credendum, Luc. 24. Obſervandum hoc, 1. non ut imitemur, ſed ut caveamus. 2. ut tarditatem hanc in noſtra quoque fide obſervantes non ideo in dubium vocemus ejus ſinceritatem. Fuit enim hæc tarditas etiam in Abrahami fide.

V. Etſi vera fides aliquando feſſa ſubſiſtit, tamen monita divinitùs reſurgit & ſequitur denuò. Non manſit Abraham Charris, ſed novo Dei monitu ſe paſſus eſt traduci in Canaan. Uſque fatigamur ſed non deficimus, ſed lapſi reſurgimus & ſequimur alacrius. Cum Scriptura acclamat, ut eſt Hebr. 12. v. 3. & 12. reſurgimus. Saltem, ſi verbo non pellimur,

mur, movemur caſtigationibus. Sæpe nobis accidit quod Iſraëlitis, Num. 21. à 4. ad 11.

VI. Vera fides conſtanter adhæret Deo, etiamſi non invenit quod credit, ſed diu fruſtratur, nec ullam videt rei ſperatæ probabilitatem. Clariſſimè hoc patet in fide Abrahami. Deſeruit tandem Charras & venit in Canaan. Sed ubi venit, quid invenit? Ne plantam quidem pedis accipit in proprietatem, ſed inter barbaras Canaanitas peregrinatur, panem unde vivat non invenit, ſed cogitur in Ægyptum ire famis ſedandæ causâ; mox implicatur bello tot Regum, deinde gravatur invidiâ inquilinorum, qui divitias ejus ferre non poſſunt, ſed de loco in locum eum pellunt. Et quamvis promiſſionem haberet, iſtam terram ſemini ſuo fore in hæreditatem, tamen manet ἄτεκνος ad centeſimum uſque annum, omni probabilitate accipiendorum liberorum pereunte. Et quamvis promiſſioni de filio adhuc accipiendo aliqua fide inhæreret, tamen ſimul prædicebatur, poſteros ejus per integros 400. annos miſeram ſervitutem paſſuros in terra peregrina. Et quanta obſtacula fidei! Et tamen manet conſtans in fide, & ſperat contra ſpem, Roman. 4. Ratio hujus conſtantiæ eſt, 1. quia fides Deum ipſum recipit pro fundamento cui innititur & in quo acquieſcit. Si fides inhæreret rebus & bonis promiſſis, tum omni dilatione & improbabilitate rerum promiſſarum flacceſceret. Sed quia in Deo hæret, ita ſecum cogitat ut eſt Pſal. 73. 23, 24, 25. Sciunt fideles omnem in eo ſalutem poſitam eſſe, ut quis ſit in Deo, eumque teneat, & illi adhæreat, nec poſſe eſſe infelicem qui hoc facit, quantumvis nihil ſalutis appareat. 2. Quia fides acquieſcit in generali promiſſione dandæ ſalutis. Habet enim hanc promiſſionem, quod non debeat perire ſed ſalvari, & recipere urbem qualis deſcribitur Hebr. 11. 10. In hac promiſſione acquieſcit, & de modo ac tempore ſalvandi loquitur ut eſt Pſal. 73. 24. *Objeſt.* Hæc quidem eſt proprietas fidei heroïcæ & robuſtæ, qualis fuit Abrahami. Sed non omnes habemus fidem heroïcam. Non poteſt igitur hoc ab omnibus nobis requiri. *Reſp.* Per omnes tentationes conſtantem eſſe uſque ad finem, non eſt proprietas ſolius fidei heroïcæ ac robuſtæ, ſed eſt commune accidens omnis veræ fidei. Habet quidem robuſta fides præ infirma hoc privilegium, quod per eam tentationes & obſtacula fidei vincuntur minori cum difficultate, pax animi efficacius ſervatur, gloria Dei minùs læditur quàm per fidem infirmam, ſed tamen quantumcunque ſit infirma fides, modò vera ſit, perſeverat uſque ad finem per mille tentationes, & quæ deficit ac deſinit, non eſt vera. Quantumvis enim diſcipuli Chriſti eſſent ὀλιγόπιστοι, ut ſæpe à Chriſto appellantur, tamen omnes habent teſtimonium conſtantiæ, Luc. 22. 28, 29, 32.

VII. Vera fides ſe patitur roborari & ſuſtentari per fulcra externorum mediorum quæ Deus ordinavit. Cum fides Abrahami diuturna dilatione rei promiſſæ fatigaretur, dedit ei Deus fœdus circumciſionis, i. e. circumciſionem quæ erat ſignum ac ſigillum fœderis, ut exponitur Rom. 4. & hoc libens Abraham ſuſcepit ad confirmationem ſuæ fidei. Sicut præſumptio ac temeritas rejicit media & ſigna roborandi fidem, Eſa. 7. 12. ita vera fides deſiderat lac verbi ut per illud creſcat, 1 Petr. 2. 2. Deſiderat fulcra Sacramentorum, Pſal. 23. 4. Cantic. 2. 5. Non eſt quidem ſuperſtitioſa, ut externas ceremonias, etiam divinitus inſtitutas, habeat pro ſua vita, & in iis juſtitiam ſuam quærat, quam novit ex Chriſto & Spiritu ejus fluere, ſed tamen habet divina Sacramenta pro perſpicilibus & fulcris, quibus adjuvetur & roboretur in virtute & officiis ſuis.

Audiviſtis quæ ſit natura & quæ proprietas veræ fidei. Videtis quantum errent, qui putant leviculam eſſe doctrinam, quæ homines docet per ſolam fidem ad ſalutem venire, quippe quæ ſalutis rationem nimis facilem indicet, & ita carnis ſecuritatem atque licentiam foveat. Quomodo enim leviculum cenſeri poteſt, quod omnes hominis vires excedit, & non niſi omnipotenti manu Dei in nobis poteſt effici? Non enim facilius eſt æſtuantem Oceanum tranſnatare viribus indefeſſis, quam fide non fractâ per tot tentationes Deo conſtanter adhærere. Longè certè faciliora ſunt omnia monachorum opera, omnes eorum flagellationes, omnes vigiliæ, omnes peregrinationes, omnia jejunia, omnes preculæ, omnes ceremoniæ, quàm hæc conſtans Abrahami in Deum fiducia. Quid enim eſt in operibus monachorum quod non poſſit præſtare quilibet homo naturalis? Sed hanc conſtantem fiduciam ubi invenies, niſi in corde quod per Spiritum S. eſt regenitum? Demus itaque operam, ut Abrahami exemplum ſequuti fidem noſtram ita formemus, ut ſoli Deo adhæreamus, & mundum totum deſeramus, ut feſſi & preſſi non ſuccumbamus, ſed erigamus genua debilia, & ſequamur Deum quocunque ducit, nec ullis tentationibus aut obſtaculis, aut ulla improba-

improbabilitate retrahamur, ut reſpiciamus ad mundum, & retrocedamus à Deo. Cogitemus in unione noſtra cum Deo poſitam eſſe ſalutem. Si vel totum mundum poſſideamus, non inhæremus niſi corruptibili vaſi, quod nos deſtituet. Sed ſi Deum fideliter ſequemur, nunquam erimus deſerti, ſed ducemur mirabili quidem conſilio ſicut Abraham, ſicut Iſraëlitæ in deſerto, ſed tandem tamen recipiemur in gloriam, & deveniemus in urbem illam benè fundatam, cujus architectus eſt Deus.

Quoniam autem intellexiſtis, fidem non eſſe ex nobis, ſed donum Dei ex ejus apparitione in nobis accenſum; ne aggrediamur rem noſtris viribus, ſed exinaniamus cor noſtrum conceptibus & opinione propriæ virtutis, & rogemus, ut Deus nos impleat ſua virtute. Initia quæ jam tum accepimus, non noſtris mentis, ſed puræ gratiæ Dei cum laude attribuamus, & libenter utamur externis fulcris fidei quibus Deus in hac imbecillitate nos vult ſuſtentare, ſcil. verbo & ſacramentis.

Actor. 7. *à v.* 8. *ad* 31.

Concio LXXV.

Duæ erant, ut ſupra diximus, fundamentales & planè hæreticæ opiniones inter Judæos tempore Stephani, quas hac oratione refutat: 1. quod juſtitiam ſuam, propter quam ſe putabant placere Deo, maxima ex parte ponebant in nobilitate ſuæ originis, & in obſervatione ceremoniarum Leviticarum, dicentes, Nos ſumus ſemen Abrahæ, hîc eſt templum Domini, & alias omnes gentes eo nomine præ ſe contemnentes, quod eſſent incircumciſæ. 2. quod beatitudinem ſuam ponebant in glorioſa poſſeſſione terreſtris Canaan, & terreno dominio ſuper cæteras gentes. Hinc nullum alium ſpectabant Meſſiam, nec aliam ex adventu Meſſiæ beatitudinem, quàm ut liberarentur à ſervitute Romanorum, & dominarentur illis & aliis. Hinc cum Stephanus docuiſſet, veram juſtitiam non ſitam eſſe in obſervatione ceremoniarum, nec veram beatitudinem in poſſeſſione terreſtris Canaan, ſed ceremonias, per adventum Meſſiæ impletas, debere abrogari, & ipſam urbem cum templo horrendo Dei judicio propediem ire dirutum, veramque juſtitiam & ſalutem in eo poſitam eſſe ut verâ fide adhæreamus Meſſiæ exhibito; cum, inquam Stephanus ita doceret, Stephanum indignabundi apprehenderunt, & ad Synedrium adductum accuſarunt quod blaſphema verba locutus eſſet contra Deum, Moſen, legem & ſacrum templum ſacramque urbem. Stephanus hac apologetica oratione demonſtrat ſuam doctrinam ex hiſtoria Patrum, quorum religionem Judæi non poterant improbare. Ex hac enim hiſtoria demonſtrat, Patres orthodoxos non in ſe ipſis adeò dignos fuiſſe, ut carnalis ex iis ortus Judæos poſſit nobilitare & juſtificare coram Deo, nec quæſiviſſe ſuam juſtitiam in obſervatione ceremoniarum Leviticarum, nec poſuiſſe ſuam ſalutem in poſſeſſione terreſtris Canaan, ſed ſerviiſſe Deo in fide, quâ, vocationem ejus ſecuti, exſpectarunt beatitudinem in futurum, promiſſam per venturum Meſſiam.

Quomodo autem Stephanus hoc demonſtrat? Sequenti ordine:

1. Ex temporibus ante circumciſionem, cum nullas Eccleſia haberet ceremonias.

2. Ex temporibus quibus nullam, præter circumciſionem, habebant ceremoniam.

3. Ex temporibus tabernaculi Moſaïci.

4. Ex temporibus Salomonici templi.

I. Probat ſua themata exemplo Abrahæ. Is enim

1. Non fuit ullius in ſe ipſo dignitatis, ſed ſedit inter craſſiſſimos idololatras in terra Chaldæorum, & ex mera gratia Dei ex illis fuit evocatus. Non poteſt igitur carnalis nativitas ex Abrahamo Judæos valde nobilitare, & juſtificare coram Deo.

2. Per annos fere 25. Deo ſervivit & acceptus fuit ſine omni ceremonia, etiam ſine circumciſione, quam non accepit niſi nonageſimo nono ætatis anno. Non igitur dignitas & juſtitia coram Deo ex ceremoniis.

3. Felicitatem ſuam non poſuit in poſſeſſione quieta terreſtris Canaan, quippe ne planta quidem pedis ipſi de ea fuit in hæreditatem conceſſa, ſed fuit perpetuus peregrinator in ea; & quamvis haberet promiſſiones, eam datum iri ſuo ſemini, id tamen eum non potuit reddere felicem, quippe qui ſemen non habebat, cum hanc promiſſionem acciperet, & quod habiturus erat, de eo prædicebatur tam gravis & diuturna ſervitus in Ægypto antequam in Canaan eſſet deventurum: ad v. 8.

II. Probat ſua themata ex ſtatu populi ab initio circumciſionis uſque ad initium ceremoniarum Leviticarum, per Moſen inſtitutarum. Hic enim iterum videmus:

1. Hos Patres in ſeipſis non fuiſſe tantæ dignitatis,

tatis, ut carnalis nativitas ex illorum lumbis quenquam poſſit nobilitare & juſtificare coram Deo. Hoc fine allegat invidiam Patriarcharum contra Joſephum fratrem.

2. Hos Patres non quæſiviſſe ſuam juſtitiam coram Deo in obſervantia Leviticarum ceremoniarum. Nam omni iſto tempore, per annos circiter quadringentos, nec tabernaculum nec templum habuerunt. Habuerunt quidem circumciſionem, ſed videtur ea iſtis temporibus valde negligenter adminiſtrata, ſaltem juſtitiam ſuam in ea non poſuerunt, ſed probè recordati ſunt, Abrahamum juſtum & Deo gratum fuiſſe, cum adhuc eſſet in præputio, & circumciſionem accepiſſe in ſignum & ſigillum juſtitiæ antè acceptæ, ut explicat Paulus Rom. 4.

3. Hos Patres non poſuiſſe ſuam ſalutem in poſſeſſione terreſtris Canaan, quippe quod nunquam viderunt, ſed vixerunt exules in Ægypto, in quam occaſione venditionis & exaltationis Joſephi devenerant, ibique miſerabili ſervitute preſſi ſunt, ut hoc latè deducitur à v. 8. ad v. 23.

III. Probat ſua themata ex ſtatu populi ſub tabernaculo, nimirum ab eductione ex Ægypto per Moſen uſque ad templum Salomonicum, quod eſt tempus annorum ferè quingentorum. Ex hoc enim tempore etiam clarum eſt;

1. Patres hujus temporis non fuiſſe in ſe ipſis adeò dignos, ut carnalis ex iis nativitas aliquem coram Deo poſſit reddere gratum & juſtum. Hoc fine allegat ſtupiditatem eorum erga Moſen in Ægypto commiſſam, nec non pervicaciam eorum erga Moſen in deſerto, item idololatriam eorum in deſerto commiſſam, ex quibus ſanè omnibus ſatis apparet, quàm parum dignitatis iſti patres habuerunt in ſeipſis.

2. Patres hujus temporis non in tabernaculo & Leviticis ceremoniis, ſed in futuro Meſſia juſtitiam ſuam quæſiviſſe & ſalutem. Etſi enim tabernaculum Moſis cum omnibus ceremoniis inter eos fuit, & per Joſuam in terram Canaan fuit introductum uſque ad tempus Davidis; tamen Moſes eos docuit in his ceremoniis non acquieſcere, ſed remiſit ad venturum Meſſiam videlicet Chriſtum, eoſque docuit illum audire & recipere, ut hæc deducuntur uſque ad v. 46.

IV. Probat denique ſua themata ex ſtatu populi ſub templo Salomonico, cujus ædificationem David ſuo tempore cœpit promovere, & Salomon deinde exſequutus eſt, demonſtratque, ex ſanctitate & ſplendore iſtius ædificii nihil privilegii Judæis accedere, cum Deus ſtatim ſub initium iſtius ædificii prædixerit per Prophetam, ſe non habitare in ædificio manufacto, ad v. 51.

Ecce hic eſt ordo & ſcopus hujus prolixæ narrationis hiſtoricæ. Ad has hiſtorias latè explicandas annus non unus requireretur, & tum non Acta Apoſtolorum, ſed magna pars Geneſeos & Exodi nobis foret explicanda. Sufficit igitur nobis ordinem & ſcopum hujus hiſtoricæ narrationis parumper oſtendiſſe, & ſic tranſire ad applicationem illius, quam Stephanus quidem incipit v. 51. ad 54. ſed furore lapidantium impeditus non abſolvit. Sunt quidem in hac narratione hiſtorica Stephani multi modi loquendi, quibus aliquid diverſum & ſæpe contrarium videtur dicere quàm in textu V.T. dicitur, qui proinde cum Moſe eſſent conciliandi, ſed hæc potius pertinent ad eruditionem ſcholaſticam, quàm ædificationem popularem, & ſi quis eam conciliationem cupit, inveniet in annotationibus ad Biblia Belgica. Utile tamen erit, ut tres illas opiniones, quas Stephanus hîc arguit, nos quoque vitemus: 1. Ne quis originem ex nobilibus vel ſanctis parentibus privilegio ſibi fore autumet coram Deo. 2. Ne quis in externi cultus obſervatione juſtitiam ſuam ſitam putet. 3. Ne quis terreſtre Canaan à Chriſto exſpectet, ſed per fidem & patientiam crucis cœleſtem patriam exſpectet. Nam ad has tres doctrinas confirmandas omnes illæ hiſtoriæ ex V.T. adducuntur.

Accedimus igitur ad applicationem quæ v. 51. incipit. De ordine hujus applicationis non ero ſollicitus, quia judico non eſſe opus abſolutum ſed imperfectum & per impetum lapidantium abruptum, cujus ſcopus & ordo non poteſt ſatis dijudicari. Verba igitur ſequemur.

Incipit à dura increpatione & exprobratione; σκληροτράχηλοι καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσί. q. d. Vos multum gloriamini de circumciſione, & alios contemnitis qui circumciſi non ſunt, ſed vos carne circumciſi, corde tamen eſtis incircumciſi. Tria vitia ipſis exprobrat habitualia, ſicut poſtea exprobrabit tria actualia. Habitualia ſunt 1. σκληροτραχηλία, ſeu durities cervicis. 2. Stupiditas intellectus ſeu aurium. 3. Stupiditas cordis. Per primum intelligit voluntatis pertinaciam & inflexibilitatem. Cum voluntas ita addicta eſt malo, ut nullis argumentis cedat, quæ alioquin vocatur ἀπει-

ἀπειθεια, Tit. 3. 3. Per ſecundum intelligit ſtupiditatem intellectus. Non enim vitio aurium laborabant Iſraëlitæ, ut graviter audirent, ſed ſtupiditate intellectûs, ut non caperent quæ audirent, nec delectarentur auditione & meditatione verbi, ut explicatur Jer. 6. v. 10. Per tertium intelligit indomitos affectus & τὰς καρδίας. Hæ enim ſunt quaſi præputium & membrum quod deponendum eſt, Coloſſ. 3. 5. & 2. 11, 12. Hiſce titulis ſæpe Judæi in V. T. ornantur, e. g. Jer. 17. 23. Jer. 9. 26. Lev. 26. 41. Exod. 33. 3. Deut. 10. 16. &c.

Sed cur hæc vitia Iſraëlitis exprobrat cùm non ſint vitia Iſraëlitis peculiaria, ſed omnibus hominibus, qui non ſunt per Spiritum S. regeniti, communia? Naſcimur enim duri & incircumciſi. Cur igitur Iſraëlitis peculiariter exprobrat, & quis poteſt hoc mutare, quod ſumus incircumciſi, niſi Deus?

Reſp. 1. Nihil injuſtum in eo, quod etiam naturalis & à nativitate adhærens corruptio nobis exprobratur. Hoc enim fit eo fine, ut morbum naturæ agnoſcentes medicum quæramus. Debet hoc quilibet ſcire, quod naſcatur cum præputio cordis & aurium, quod niſi amputetur, non intrabimus in regnum Dei, nec ſumus Iſraëlitæ, Rom. 2. 28, 29. Et quidem ſciamus generalem corruptionem nobis adeſſe, tum intellectus, tum voluntatis, tum affectuum. Habemus enim tegmen ſuper his omnibus, 2 Cor. 2. v. 14. Sumus ſicut ſurdi quibus obturata auris; ſicut cæci quibus obtectus oculus.

2. Judæis hic non tantùm exprobratur naturalis corruptio intellectus, voluntatis & affectuum, quam habebant à nativitate, cum omnibus hominibus communem, ſed ſpecialiter illis exprobratur corruptio attracta, quâ ſe ipſos magis magisque induraverant, excæcaverant, & præputium mundanarum voluptatum roboraverant. Etſi enim naturâ ſumus duri & præputiati, tamen poſſumus nobis duritiem & præputium augere per voluntariam voluptatum indulgentiam, & præcipuè per neglectum & contemptum divini verbi. Cum enim verbo Dei & externis ſalutis mediis ad pœnitentiam & ad deponendum carnis præputium invitamur, & nos iſti verbo petulanter reſiſtimus, nec volumus cedere, tum per ipſum verbum magis magisque induramur. Hinc cum Paulus Euangelium prædicaret, dicit, quod electi aſſecuti ſint, cæteri occalluerint, Rom. 11. v. 7, 8. & abuſibus noſtris rejectum, fit Deo juſta occaſio nos magis deſerendi, & propriis voluptatibus tradendi, ut fiat Euangelium odor mortis ad mortem, ut callum induat animus. Hinc circumciſio Judæis dicitur facta præputium, Rom. 2. v. 25. Quomodo? Quia ipſa circumciſio contempta & abuſu contaminata auxit præputium cordis. Caveamus nos, ne nobis aliquando justè hic titulus à Deo poſſit dari. Poteſt certè, ſi naturam ſpectes, dari omnibus, ſed non dabitur niſi illis, qui præputium ſuum ſpirituale nutriverunt, nec laborarunt abſcindere, ſed potius roborarunt per contemptum Euangelii. Grave peccatum eſt, ſi naturale præputium non exuimus, quantum igitur erit peccatum ſi voluntarium ſuperinduimus? Triſte eſt, ſi in bono non creſcimus, quantum igitur, ſi malum augemus? Triſte eſt à Chriſto increpari titulo *oligopiſti*, quàm triſte igitur increpari titulo *incircumciſi*? Incircumciſi olim erant Judæis abominationi, Act. 11. 3. Sic nos Deo & Angelis abominationi ſumus, ſi ſumus ſpiritualiter incircumciſi. Ne gravemus igitur corda, Luc. 21. ſuperinduto novo præputio. Conſidera illud 1 Maccab. 1. v. 16. cum 1 Cor. 7. 18. Induimus præputium animi, cum obſtinatè arietamus contra Euangelium.

Object. Atqui circumciſio cordis eſt opus Dei, non noſtrum? *Reſp.* Eſt opus Dei, ſed ita ut à nobis requiratur. Compara Deut. 10. 16. & Deut. 30. 6. Quid igitur Deus facit & quid nos? *Reſp.* Deus ſolus circumcidit, ſed non debemus Deum ad nos circumcidendos adventantem repellere, nos ſubducendo Euangelio, eique renitendo, & cordis præputium voluptatibus alendo, ſed potius inſtar cæcorum & ſurdorum ad Deum accedere, nos ipſi ſanandos offerre, & circumciſionem ejus implorare, & poſtquam circumciſi ſumus, nos ipſos magis magiſque circumcidere.

Actor. 7. *v.* 51.
CONCIO LXXVI.

Sequuntur tria peccata actualia, quorum primum eſt, quod Spiritui S. ſemper reſiſtunt, ſicut & Patres ipſorum: ſecundum eſt perſequutio Prophetarum & Chriſti; tertium eſt transgreſſio legis acceptæ. Hac vice de primo agemus, ſcil. de reſiſtentia contra Spiritum S.

I. Exprobrat quod Spiritui S. reſiſtunt. Deſumptus videtur locus ex Deut. 9. 24.

1. Comparandus eſt hic locus cum eo qui eſt

Act. 5. 10. ubi dicuntur, non potuiſſe reſiſtere Spiritui per quem Stephanus loquebatur. Quomodo igitur hic dicuntur ſemper feciſſe quod nunquam potuerunt facere? *Reſp.* Vox *reſiſtere* ſumitur dupliciter: 1. pro repugnare, reluctari, reniti, & ſic homines poſſunt reſiſtere Spiritui S. 2. pro repellere ac impedire, & ſic ſæpe non poſſunt reſiſtere, Spiritu tam potenter agente, ut reluctationem hominum vincat & opus ſuum perficiat. Hoc loco hæc vox accipitur ſenſu priori, ſed Act. 6. 10. ſenſu poſteriori. Non potuerunt reſiſtere, id eſt, opus Spiritûs S. impedire. Potuerunt reſiſtere, & ſoliti ſunt reſiſtere, i. e. operationi Spiritûs S. reluctari, & impedire conari. Ideo hîc eſt vox *ἀντιπίπτετε*, ibi vox *ἀντιστῆναι*. Poterant irruere in Spiritum, ſed non ſtare vel ſubſiſtere coram Spiritu.

2. Videndum quomodo hic locus vexetur in Synagoga Pelagiana, qui dupliciter eo abutuntur:

α. Ad refutandam gratiam efficacem. Sic enim argumentantur: Judæi reſtiterunt Spiritui S. Ergo operatio Spiritus S. non eſt irreſiſtibilis. *Reſp.* 1. Non ſequitur: Judæi reſtiterunt, Ergo omnes reſiſtunt, & nunquam Spiritus S. operatur irreſiſtibiliter. Etſi enim Judæi reſtiterunt operationi Spiritus S. eamque vicerunt, tamen in electis ita efficaciter operatur, ut non reſiſtant ſed vincantur. 2. Non ſequitur: Homines reſiſtunt gratiæ, Ergo gratia non eſt irreſiſtibilis. Etſi enim electi quoque reſiſtunt, i. e. reluctantur Spiritui S. tamen reſiſtentia eorum per efficaciam Spiritus S. vincitur, & voluntas eorum flectitur, ut operationi Spiritus S. tandem cedant & locum dent. Paulus Actor. 9. 5. cum calcitraret contra ſtimulum, utique reſiſtebat Spiritui S. & tamen Spiritus S. operatio in eo non fuit reſiſtibilis.

β. Ad ſtabiliendam gratiam univerſalem. Sic enim argumentantur: Judæi impii & inconverſi habuerunt Spiritum S. quippe cui reſtiterunt, Ergo potuerunt credere & ſe convertere, & proinde datur gratia univerſalis. Ad hanc objectionem conſtitutum nobis eſt nonnihil prolixius hac vice reſpondere, ſi fortè poſſimus tranquillos reddere eorum aliquos, qui iſto dogmate gratiæ univerſalis ſæpiuſculè à turbonibus turbantur. Concipimus reſponſionem noſtram ſequentibus membris:

1. Poſito, quod omnes Judæi habuerint gratiam Spiritus S. ad converſionem, inde tamen non ſequitur gratia univerſalis. Etſi enim Jacobo miſit verbum ſuum, & Iſraëli aperuit ſtatuta ſua; tamen non ſic fecit gentibus, ſed ſivit eos ire ſuis viis, & ambulare in tenebris & valle mortis, Pſal. 47. Act. 14. 16. Eſa. 9. 1. At ſchola Pelagii vult gratiam omnibus hominibus, ipſis barbaris Indicis communem, quæ ſanè hinc non probatur.

2. Etſi aliqui Judæi Spiritu S. fuerunt illuminati, inde non ſequitur quod omnes fuerint. Fuerunt enim inter Judæos duplices homines, de quibus ſanè non licet dicere, quod Spiritum S. habuerint & eo fuerint illuminati, ſcil.

α. Planè ignorantes & cœci, qui verbum Dei habentes de verbo Dei non plus ſciverunt quàm Ethnici qui verbum nunquam audiverant, de quibus queritur Dominus Eſa. 1. 3.

β. Indurati, de quibus Eſa. 6. 9, 10. Pſal. 81. 13. Hi ſanè non erant illuminati Spiritu S. & proinde ex hoc loco ne illud quidem ſequitur, quod omnes Judæi habuerint Spiritum S. & gratiam univerſalem.

3. Eccleſiæ Euangelicæ non negant gratiam univerſalem ad converſionem, i. e. non negant, eſſe quandam gratiam ad converſionem, quæ non ſolis electis & regenitis propria, ſed multis reprobis & inconverſis communis eſt. Non dicunt gratiam converſionis eſſe communem, ſed tamen non negant aliquam gratiam ad converſionem eſſe communem electis & multis reprobis. Nam 1. Deus etiam gentibus, quas ſivit ire ſuis viis, ſe non ſivit *ἀμάρτυρον*, Act. 14. 16. Sed inviſibilia ſua in viſibilibus operibus manifeſtavit, & opus legis in cordibus eorum deſcripſit, ac benefaciendo invitavit eas ut ipſum quærerent, ſi fortè eum contrectarent & invenirent, Rom. 1. Actor. 17. 27.. Multis eorum, qui non convertuntur, mittit verbum reconciliationis, eoſque ſeriò ad converſionem invitat, manus ad eos extendens, manè ſurgendo & mittendo, & voluntatem ſuam impiis prædicando. 3. Multis unà cum hoc verbo & per hoc verbum dat multa dona Spiritus S. per quæ multùm vident in rebus religionis, quod alii non vident, pulſat ipſorum corda, ut intelligant ipſum eſſe qui loquitur, & ut intelligant quid ab ipſis velit, ut intelligant non ſolùm qui ſint veri Prophetæ Domini & quæ vera religio, ſed etiam ut illuminati guſtent dona cœleſtia, fiant participes Spiritus S. & guſtent bonitatem verbi divini, & virtutes futuri ſeculi, Hebr. 6. v. 4, 5. Hæc profectò gratia eſt, & gratia ad converſionem, & eſt gratia communis. Eſt gratia. Sic fecit Jacobo, ſic non fecit Ethnicis. Eſt gratia ſa-

lutife-

lutifera, quæ illuxit hominibus, Tit. 2. Eſt gratia ad converſionem. Ideo enim datur, ut homines ad converſionem incitet & invitet. Et eſt gratia communis, quia non ſolis electis propria eſt, ſed etiam multis aliis contingit. Non eſt quidem ita univerſalis, ut omnes habeant, ſed tamen omnibus nationibus, & omnibus hominum ordinibus, & non ſolùm electis, ſed etiam reprobis multis contingit hæc externa vocatio & invitatio & excitatio ad converſionem. Non igitur negant Reformati gratiam communem, ſed tantundem gratiæ communis concedunt quantum ipſa ſchola Pelagii, quæ ſanè nullam aliam gratiam ad converſionem novit, quàm illam, quam modò recenſui. Non eſt fateor talis gratia quæ fluit à Deo reconciliato, ex intentione ſalvandi, ſed potius eſt longanimitas judicialis, quâ judex longanimus & manſuetus utitur ad concedendum pœnitentiæ locum, ut diximus in cap. 2. 17, 18. Concion. quarta.

4. Hoc autem eſt quod Evangelicæ Eccleſiæ in dogmate de univerſali gratia negant, quod hæc gratia adeò ſit ſufficiens ad converſionem, ut qui illam habent, poſſint in Chriſtum credere & ſe ad Deum convertere ſine ulteriori gratia, & ſine ſpeciali operatione Spiritus S. qua cor & voluntas eorum mutetur, & efficaciter ad Deum trahatur. Dicit Synagoga Pelagii, nihil eſſe corruptionis in mente & corde hominis, niſi quod ignorat myſteria Evangelii & voluntatem Domini, & quod propter hanc ignorantiam affectus ſint diſtorti. Cùm autem Evangelium prædicatur, id ſemper ſecum habere tantum Spiritus S. per quod mens hominis illuminatur, & mente illuminata rectificari affectus, & rectificatis affectibus voluntatem eſſe indifferentem ad bonum & malum, ut poſſit amplecti Evangelium, credere in Chriſtum, & ſe convertere ad Deum, nec opus habeat, ut per ſpecialem gratiam flectatur & trahatur ad converſionem. Sicut oculus hominis tempore nocturno non eſt alius quàm tempore diurno, & tamen noctu videre non poteſt, quia deeſt lux, quæ objecta revelet & illuminet, qua oriente, oculus ſtatim videt: ita animum & cor hominis ajunt eſſe æquè bonum poſt lapſum, atque fuit ante lapſum, & tamen poſt lapſum dici cœcum & impotens erga res ſpirituales, quia deſit Evangelium, quod res ſpirituales claré proponat & revelet, quo adveniente, animum hominis æquè poſſe res ſpirituales diſcernere ac amplecti, atque Adam poterat ante lapſum.

Eſt hoc dogma falſiſſimum, & impuriſſima hæreſis, contra quod Eccleſia Evangelica tuetur hoc ſalutare dogma, quod, quantumvis aliquis per externam prædicationem Evangelii vocatus, & per communem gratiam Spiritus illuminatus ſit in intellectu ſuo, tamen non poſſit Evangelium ſalutariter intelligere, multò minus vera fide recipere, & ſe ad Deum ſincerè convertere, niſi præter communem gratiam ipſi detur ſpecialis & efficax operatio Spiritus S. qua oculi intellectus aperiantur, voluntas trahatur, flectatur & mutetur, & totum cor in peccatis mortuum vivificetur & ſanctificetur. Cùm hanc ſpecialem gratiam accepit, tum non tantum poteſt credere & ſe convertere, ſed etiam non poteſt infidelis & inconverſus manere, nec à fide & converſione recedere. Sed antequam hanc accepit, quantumvis habeat gratiam illam communem, non poteſt credere, nec ſe convertere. Contrarium dogma, quod docet, eos, qui communem gratiam acceperunt, non opus habere ſpeciali & efficaci gratiâ, ſed ſatis inſtructos eſſe ad fidem & converſionem, habemus pro maxima hæreſi, idque propterea, quia evertit & directè negat magnum illum & fundamentalem Articulum fidei Evangelicæ de regeneratione & neceſſitate ipſius. Evangelium nos docet hunc magnum articulum fidei, quod antequam aliquis poſſit credere, ad Deum venire & ſe convertere, neceſſe habeat regenerari, vivificari, cor ejus ex lapideo mutari in carneum, circumcidi, tegmine liberari, ex mala arbore fieri bona, ex mala terra fieri bonus ager, trahi ad Deum, Chriſto inſeri, &c. Atqui hoc non præſtat gratia communis. Nam multi, qui gratiam communem habent, ſunt nihilominus irregeniti, incircumciſi, malæ arbores, &c. Id patet ex hoc ipſo textu, ubi Judæi, qui utique communem gratiam Spiritus acceperant, vocantur incircumciſi aure & corde. Sic Deut. 29. 2, 3, 4, 5. 2 Cor. 3. 13, 14. 2 Tim. 2. 24, 25, 26. Act. 16. 13, 14. Itaque præter gratiam communem requiritur gratia ſpecialis & efficax, antequam aliquis poſſit in Chriſtum credere, & verbum Dei ſalutariter recipere.

5. At enim, inquiat aliquis, ego non ſum adeò hæreticus, ut putem hominem ſola gratia communi ſe poſſe convertere, ſi non accedat gratia ſpecialis, qua cor ejus aperiatur, circumcidatur, regeneretur, &c. Sed alia hîc ſe objicit quæſtio, annon ſcilicet illi, qui gratiam communem acceperunt, ea debeant & poſſint uti ad gratiam ſpecialem, qua ad fidem

fidem & converſionem opus habent, acquirendam & accipiendam? An homines, qui habent uſum rationis, mentem inturbatam naturalibus defectibus, bonam educationem, bona aliorum exempla, efficacem prædicationem Euangelii, & per eam ſæpe magnam illuminationem intellectus, & agnitionem veritatis, an, inquam tales homines, non acceperunt tantum gratiæ, quâ & debeant & poſſint uti, ad gratiam ſpecialem acquirendam? Gratia, qua non poſſumus uti, nobis non eſt gratia. Si uti communi gratia non poſſunt ad ſpecialem acquirendam, quo fine data eſt, & cur habet nomen gratiæ?

Reſp. 1. Quod qui gratiam communem acceperunt debeant & teneantur illa uti ad majorem gratiam acquirendam, nullum planè dubium eſt. Ideo enim accuſantur, quod habent aures & non audiunt, oculos & non vident, ideo talibus fit comminatio, quod Sodomæ & Gomorræ tolerabilius ſit futurum in die judicii, quod Ninivitæ ſint inſurrecturi & condemnaturi, vituperantur, quod talentum abſconderint in ſudario. Certè qui tantum gratiæ à Deo accipit, & illa abutitur ad laſciviam, ad ſuperſtitionem, nec utitur ad Deum magis magiſque cognoſcendum & colendum ac quærendum, is condemnationem ſuam aggravat, & ipſe ſui exitii faber eſt, ſeipſum excludit regno Dei, contemnit conſilium Dei erga ſe, & ſe vita æterna indignum judicat.

2. Sed ſi porrò quæritur, an qui gratiam communem acceperunt, etiam poſſint eâ uti ad ſpecialem gratiam converſionis acquirendam, quæſtio eſt quæ tangit illum nodum, quo arbitrium Dei & arbitrium hominis coëunt & ſe invicem complectuntur, ubi utrinque facilè impingitur in incommoda non levia. Mereri certè non poſſunt neque de congruo neque de condigno, nec ullo alio pacto Deum ad dandum regenerationis gratiam obligare. Nam nec Chriſtus ſuo ſanguine gratiam regenerationis iis acquiſiviſſe aut meritus eſſe dici poteſt, quibus non eſt datus in Mediatorem, nec per ullam promiſſionem ullis irregenitorum motibus alligata, ſed liberrimo Dei beneplacito & decreto reſervata ac definita eſt gratiæ regenerantis diſtributio. Interim cum quæſtio illa proponitur, deciſio debet eſſe prudens & cauta, ne ex una parte veritati quicquam præjudicemus, nec ex altera parte ſcandalum demus infirmioribus. Nam

α. Si reſpondes, poſſe hominem irregenitum communi gratia uti ad ſpecialem regenerationis gratiam acquirendam, & rem totam omninò poſitam eſſe in ipſius arbitrio, tum videris impingere in æternum & immutabile Dei conſilium, quo decrevit non omnibus, ſed ſolis electis dare hanc ſpecialem gratiam. Nam ſi decrevit immutabiliter omnibus non dare, quomodo in omnium arbitrio eſt eam acquirere? Videris quoque impingere in intentionem Chriſti morientis, quæ non fuit ſe ſanctificare pro omnibus, ſed pro iis, quos Pater ipſi dedit. Videris quoque arbitrium hominis collocare ſupra arbitrium Dei. Nam ſi eſt in libertate hominis communi gratia uti ad ſpecialem acquirendam, tum Deus diſtributionem gratiæ ſpecialis non reſervavit ſuo beneplacito, ſed eam adſtrinxit bono uſui gratiæ communis, & verum eſt Pelagianum axioma, quod qui facit quod poteſt, ei Deus tenetur dare quod non poteſt; tum locum habet Papale meritum de congruo, & Pelagianum dogma de propria diſcretione ſui ipſius; tum non poſſumus dicere, quod Deus ſe nulli alii debitorem fecerit, & ullis promiſſis obſtrinxerit, quàm converſis, regenitis & fidelibus, quæ omnia cùm contra clariſſimam Scripturam ſint, meritò veremur hominis libertatem & potentiam in hoc negotio nimium extendere.

β. Si tamen etiam reſpondes, non poſſe hominem irregenitum communi gratia, quam accepit, uti ad regenerationis gratiam accipiendam, nec rem ullo modo poſitam eſſe in ejus libertate & arbitrio, nec ullam eſſe poſſibilitatis ſpem aliter agendi quàm agant, nec condemnationem evadendi, &c. non minores ſe oggerent difficultates. Tum enim caro & ſanguis conquerentur, Deum non ſeriò & ſincerè nobiſcum agere, ſed injuriam facere, dum poſtulat quod non poſſumus, & cum non facimus, quod nullo modo poſſibile eſt, tam ſeverè exprobrat & punit, &c.

γ. Quid igitur conducit reſpondere ad hanc quæſtionem, utrum ſcilicet in poteſtate & arbitrio hominis irregeniti ſit, gratiam regenerationis ſpecialem ſibi per bonum uſum gratiæ communis acquirere? *Reſp.* Omnium optimè reſpondetur, quod non opus ſit reſpondere, quod ſit quæſtio curioſa, quæ non conducit niſi ad lites. Qui lethaliter ægrotat, non multùm diſputat an pharmaca ſint profutura, nec ne, ſed utitur iis, & eventum committit Deo. Sic in negotio ſalutis non opus eſt diſputare de noſtra poteſtate, & de conatuum noſtrorum eventu, ſed ſufficit debitum agnoſcere, potentiam probare,

probare, & quod debemus conari, & eventum Deo committere. Non opus eſt pro potentiâ ſuâ in hoc negotio multum diſputare & litigare, ſed longè ſatius eſt impotentiam ſuam confiteri & coram Deo accuſare, & potentiam apud ipſum quærere in mediis eo fine inſtitutis. Poſſumus nos facere noſtrum officium, etſi eventus maneat in genibus Dei repoſitus. Citra omne dubium conſilium Dei & intentio Chriſti, qualiſcunque ſit, nunquam tamen eſt impedimentum noſtri officii. Eſt extra dubium, quod homo nullis viribus, quas à Deo accepit, ita utitur, uti debet uti, ſed vario abuſu Deo dat juſtam cauſam ſuccenſendi & puniendi. Eſt quoque extra omne dubium, quod non defectu divinæ opis, ſed propriâ culpâ pereant, qui pereunt. Conemur igitur vitare culpam, conemur facere quod tenemur facere,& eventum Deo committamus,confitentes,quod cum fecimus quicquid poſſumus, Deus tamen non eſt noſter debitor, ſed quod nos maneamus debitores Dei, rei æternæ condemnationis, quamdiu non ſumus participes regenerationis & juſtificationis per Chriſtum. Si hac humili moderatione vellemus claudere & obſtruere curioſitatem noſtræ rationis in hac materia, liberaremus nos ab impura Pelagianorum hæreſi, & facile eſſet ſepelire omnes turbas & tam noxium ſchiſma ſuper hac materia. Sed quid agas? Hoc demum eſt reſiſtere Spiritui S. cum habes & gloriaris te habere gratiam communem ac ſufficientem, & tamen tam audacter pergis in perſecutione gratiæ & in reſiſtentia contra dictamina Spiritus S. Certè non eſt leve peccatum in hominibus, qui tantum communis gratiæ habent, & de viribus gratiæ communis tantopere gloriantur, fundamentales Euangelii articulos tam conſtanter pervertere, tam calumnioſè traducere, tam claris verbi & Spiritus S. dictaminibus nunquam cedere, & Eccleſiam Dei ſchiſmaticis factis adeò contriſtare, & tot conſcientias proborum hominum turbare, non eſt, inquam, hoc leve peccatum. Glorientur qui hoc faciunt de bona conſcientia, ſed an hoc cum bona conſcientia poſſit conſiſtere, & an talis conſcientia judicium extremi diei poſſit ſuſtinere, id nos non judicabimus, ſed committimus ei, cui ſoli jus & fas eſt judicare conſcientias. Nemo interim audeat fundamenta Euangelii pervertere, veritatem calumniari, Eccleſiam ſcindere, & conſcientias turbare. Qui enim Scripturam intelligunt, ſciunt plus periculi eſſe in his actionibus,quàm ut prætextu bonæ conſcientiæ poſſit tolli. Non ſtatuo certè quod ſit ultra vires cathedræ Academicæ argumenta, quæ pro potentia hominum in hac cauſa adferuntur, refellere, ſolvere, obtundere; ſed tantùm doceo, quo pacto ex cathedra Eccleſiaſtica ſcrupulis infirmiorum omnium tutiſſimè poſſit ſatisfieri,præſertim cum habeamus Paulum exemplo ſuo nobis præeuntem, Rom. 9. 19, 20, &c.

Videtis itaque, quod hæc reſiſtentia contra Spiritum S. cujus accuſantur Judæi à Stephano in noſtro textu, nec efficaciam & neceſſitatem ſpecialis gratiæ refutet, nec dogma de gratia univerſali, ut in ſchola Pelagiana ſonat, ſtabiliat, ſed tantum doceat, Judæos, gratiâ externæ vocationis, quæ electis & multis reprobis communis eſt, eſſe abuſos, & gratiam Spiritus in Euangelio oblatam non tantùm non recepiſſe,ſed etiam reſpuiſſe & repuliſſe.

Sed quæſtio hîc eſt, an reſiſtere Spiritui S. idem ſit, quod peccare in Spiritum S. de quo Matth. 12. v. 32? *Reſp.* Quin multi Judæorum, quibuſcum Stephano hîc ſermo eſt, & præcipuè ex Phariſæis & Scribis ac Pontificibus, in Spiritum S. peccaverint, non eſt dubium, Chriſto ita teſtante, Matth. 12. Sed tamen omnibus Judæis hoc impingendum non eſt, quippe de quibus Chriſtus teſtatur, quod inſcii Dominum gloriæ crucifixerint, Luc. 23. 34. Duobus modis poſſumus reſiſtere Spiritui S.

1. Cum nolumus ei eſſe ſubjecti; cum nolumus ei per verbum nobis loquenti obedire; cum dicimus, ut Job. 21. 13, 14, 15. Cum Deus per Spiritum vocat ad pœnitentiam, & nemo eſt qui ſequitur, ſed omnes permanent in ſuis viis. Hoc vocat Scriptura detentionem veritatis in injuſtitia, Rom. 1. contemnere invitationem ad cœnam Dominicam, Luc. 14. & Matth. 22. Hoc modo Judæi reſiſtebant Spiritui S. Etſi enim haberent Prophetarum clariſſima teſtimonia; etſi Chriſti doctrinam efficaciſſimam, & miracula maxima; etſi Apoſtolorum ſummâ diligentiâ invitabantur ad Chriſtum, tamen pauciſſimi erant, qui veniebant, cæteri omnes reſiſtebant Spiritui S.

2. Cum eum etiam perſequimur, oppugnamus, irritamus, & exacerbamus, ut eſt Eſa. 63. 10. Sæpe Spiritus tam clarè per verbum operatur in animis hominum, ut veritatem non tantum intelligant, ſed etiam convicti ſint quod ſit veritas, & tamen tam Diabolicè malitioſi ſint, ut eam non tantùm non recipiant, eique obediant, ſed etiam oderint & perſequantur. Et hoc propriè eſt peccatum in Spiritum:

ritum S. cujus aliqui quidem Judæorum fuerunt rei, ſed non omnes.

Noſtrum eſt hoc Judæorum peccatum ita conſiderare, ut vitemus committere idem. Habemus certè eandem gratiam Spiritus S. per verbum ad nos loquentis, quam habuerunt illi, inſiſtit nobis Spiritus & efficaciter de veritate inter nos teſtatur, in tantum, ut multorum conſcientias convicerit, hanc eſſe veritatem in qua ſtamus, & hanc unicam eſſe viam ſalutis, quam prædicamus: Et tamen quot ſunt inter nos, qui recuſant renunciare peccatis, & ſe ſubmittere Spiritui S. Non dico, quod ſint qui elata manu contra Spiritum Dei rebellant; hoc ſaltem certum eſt, quod pertinaciter in peccatis pergunt, nec volunt cedere inſtitutionibus & convictionibus Spiritus S. Multum in his terris diſputatur de gratia communi & ſpeciali. Quot ſint qui gratiam ſpecialem habent & verè converſi ſunt, nunc non dico, ſed ut plures eſſent, opto. Gratia certè communis paucis deeſt. Nam

1. Non ſumus barbari, ſed lucem naturæ habemus probè inter nos excultam, & omnigenam eruditionem inter nos habitantem.

2. Non deeſt nobis inſtitutio Spiritus S. ſed ille nobis extus & intus quotidie loquitur, ſtans ad oſtia cordis ac pulſans.

3. Nec deſtituimur beneficiis & judiciis Dei maximis, quibus ad converſionem invitamur, ſed ea his viginti retrò annis tam abundanter experti ſumus, ut non poſſimus abundantius ad pœnitentiam invitari, quàm invitati ſumus.

Quod ſi fatemur eſſe noſtrum officium, hac communi gratiâ uti ad majorem gratiam acquirendam, imò ſi ſumus in opinione, in qua ſunt multi etiam inter vos, quod tam facilè poſſimus uti, tum habet profectò Deus & habent miniſtri Dei juſtiſſimam cauſam dolendi & querendi, quod tam pauci ſunt, qui habent ſpecialem gratiam veræ converſionis, & ſigna illius per ſanctam converſationem manifeſtant. Nonne juſtè poſſunt conqueri, quod Spiritui S. reſiſtatis, & quod audeatis facere, quæ non fecerunt gentes, quibus Spiritus S. non eſt miſſus & datus ſicut vobis? Conſiderent hoc qui nolunt à Spiritu S. perſuaderi, ut deſerant vindictæ cupiditatem, fraudulentiam, ebrietatem, impudicitiam, ſuperbiam, &c. ut gratia ſua communi melius utantur, nec ceſſent laborare & curare, donec veram cordis converſionem in ſeſe per Spiritum effectam ſentiant, & Eccleſiæ per ſanctam converſionem oſtendant. Ne acquieſcite in poſſeſſione gratiæ communis. Hanc enim poteſtis habere & perire. Sed utamini gratia communi, nec deſinite laborare, donec gratiæ ſpecialis ſigna in vobis inveniatis, quæ ſunt cor contritum, pudor de peccatis, ſitis & fames juſtitiæ, fides conſtans & efficax per caritatem ad omne bonum opus, & ad patientiam crucis, cum precibus & gratiarum actionibus, &c.

Una reſtat quæſtio de hac materia, in gratiam piorum enucleanda breviter. Quæritur, an omnes ſint irregeniti & inconverſi, qui Spiritui S. reſiſtunt? Multi certè pii in ſe inveniunt, quod ſæpe Spiritui S. reſiſtunt, dum voluntatem ejus ſcientes non faciunt, dum conciones Spiritus cor ipſorum tam parum commovent, dum contra conſcientiam in gravia peccata incidunt, &c. An igitur inde debent concludere, ſe adhuc irregenitos & inconverſos eſſe? *Reſp.* Non ſolet Scriptura de piis, qui ex infirmitate peccant, dicere quod contra Spiritum rebellent, ſed quod Spiritum contriſtent, Eph. 4. 30. Non exacerbatur Spiritus S. peccatis piorum, ſed tantùm contriſtatur. Sicut pater filiorum peccatis non ſolet exacerbari (ſi quando fit, id infirmitatis eſt, non naturæ) ſed contriſtari, ita Spiritus &c. Et hoc quoque argumentum pios longè fortius impellit ad vitanda peccata, quia ſcilicet norunt Spiritum S. iis contriſtari. Genuinus filius plus movetur, ſi conſideret patrem ſuum, malefactis ſuis triſtem fore, quàm ſi conſideret iratum fore. Ita pii non minus reformidant Spiritum S. contriſtare quàm exacerbare.

II. Hactenus exprobravit, quod ipſi fecerant. Jam exprobrat quoque ipſis Patrum ipſorum rebellionem contra Spiritum: *Sicut & patres veſtri.* Quæritur an rectè? Inter homines habetur pro vitio, ſi quis filio alicui Patris ſui vitia objiciat præſertim mortui? *Reſp.* Quod hominibus non licet, non continuò apud Deum illicitum eſt. Juſtum eſt apud Deum filiis non tantùm propria, ſed etiam Patrum peccata imputare, exprobrare, & eos propter ea punire, niſi per veram converſionem illa deſerant. Non traham huc exemplum Adami, cujus peccatum in omnibus poſteris punitum eſt, quippe cujus alia eſt ratio; ſed illud dico, quod Deus impiorum parentum perſonalia peccata in filiis quoque juſtè puniat, ſi non per converſionem ab illis deſiſtant, ut ipſe teſtatur Deus Exod. 20. 5. Vide Matth. 23. 31, 32, 33. Servit hoc

1. Terrendis Parentibus impiis. Impietate ſuâ

ſuâ non ſibi ſolum nocebunt, ſed poſteros perdent.

2. Hortandis Filiis, qui ex talibus nati ſunt, ut non ſua ſolùm, ſed & parentum peccata deplorent, Dan. 9. paſſim & tantò magis ſe ad maturandam converſionem obligatos norint. Nam ſi non, tum & ſuas & parentum pœnas ferent. Ne obliviſcamur nos Majorum noſtrorum idololatriam & impietatem tum gentilem, tum Papalem, ſed etiamnum nos propter eam coram Deo humiliemus.

Actor. 7. v. 52.

Concio LXXVII.

SEquitur ſecundum peccatum actuale, quod ipſis exprobrat. videl. perſecutio Prophetarum. Non tantùm reſtiterunt Spiritui S. in verbo loquenti, & pertinaciter ipſi fuerunt inobedientes, ſed etiam, cum Spiritus S. per Prophetas ipſis hanc inobedientiam exprobraret, & conſcientias ipſorum morderet, atque ita moleſtus ipſis eſſet, adeò exacerbati ſunt, ut Prophetas perſequerentur & etiam occiderent. Habet hæc exprobratio, ſicut prior, duos gradus: 1. Exprobrat ipſis perſecutionem Prophetarum quam Patres ipſorum patraverant. 2. Exprobrat ipſis perſecutionem Chriſti, ſummi Prophetæ, quam ipſi patraverant.

I. Quem Prophetarum non perſecuti ſunt & occiderunt Patres veſtri? q. d. omnes perſecuti ſunt. Etſi enim non omnes occiderunt, tamen omnes perſecuti ſunt, & multos occiderunt, adeò ut fuerit conſtans conſuetudo Judæorum perſequi & occidere Prophetas, ſaltem variis injuriis & moleſtiis eos vexare. Multa ſunt loca parallela, quibus eadem de Judæis querela profertur. Vide Matth. 23. v. 29. ad 38. cum Luc. 11. 47. ad 52. 1 Theſſ. 2. 15. Luc. 13. 34. Matth. 21. à 33. ad 40. Luc. 6. 22, 23. Et ipſa hiſtoria docet, creberrimum inter Judæos fuiſſe perſequi & occidere Prophetas. Duodecim Patriarchæ proprium fratrem Joſephum, propterea quod Propheta eſſet, perſecuti ſunt. Moſen voluerunt lapidare, Exod. 17. 4. Num. 14. 10. Samuelem Prophetam rejecerunt, 1 Sam. 8. 7. Prophetam Eliam quantopere perſecutus eſt Achab, nec non Micham quoties quæſivit occidere? 1 Reg. 19. 2. & 22. 24, 26. Vide præſertim 1 Reg. 18. 3, 4. Joram Eliſæum quæſivit occidere, 2 Reg. 6. 31. Quas perſecutiones paſſus ſit Jeremias, legite Jer. 35. 36. 37. Urias in nomine Domini Prophetans occiſus eſt à Rege Jojakim, Jer. 26. 21. ad 24. Sic Amos ab Amazia, Am. 7. 10. &c. & cap. 2. 9. Sic Zacharias inter templum & altare, 2 Chron. 24. 19. Et hiſtoriæ referunt Eſaiam à Manaſſe ſerrâ fuiſſe diſſectum, item Ezechielem in Babylonia à Principe populi interfectum, propterea quod eum ob idololatriam reprehenderat. Summa, vide quod ſcriptum eſt 2 Chr. 36. 15, 16. Jerem. 2. 30. Hæc igitur eſt perpetua ſors Prophetarum & miniſtrorum Dei, quod propter fidelitatem in officio ab ipſa Eccleſia plurimum patiuntur perſecutiones. Ethnicæ perſecutiones fuerunt quidem etiam contra miniſtros, ſed non magis contra hos, quàm contra omnes Chriſtianos. Sed miniſtrorum ſors eſt pati ab Eccleſia, Luc. 13. 33. Sicut Medici & Chirurgi à nemine plus patiuntur quàm à patientibus ſuis, quos curant; ita miniſtri à nemine plus, quàm ab iis quorum ulcera tangunt ad ſanandum. Præcipuè autem mos eſt hypocritarum, & eorum qui externorum operum ſplendore gloriantur & ſe ipſos juſtificant. Si hos aliquis Propheta reprehendat, iiſque de juſtitia Chriſti, de neceſſitate internæ ſanctificationis, & de inanitate fiduciæ in externa opera repoſitæ concionetur, is certus ſit de morte. Patet hoc in Papatu, ad quos rectè dixerimus: quem Prophetarum Patres veſtri non occiderunt? Nam quamprimum aliquis hiſcere auſus eſt contra abuſus & tyrannidem Papatus, illicò occiſus eſt. Exempla ſunt Berengarii, Waldenſes, Wicleffii, Huſſi, & mille alii. Quod ſi in Iſraële Dominus hoc ultus eſt, certè ulciſcetur in hac Babylone ſecundùm comminationem ſuam, Apoc. 11. v. 3, 4, 5. & Apoc. 18. v. 24. & 20. Nos ne imitemur, nec moleſti ſimus iis, qui verbum ſalutis nobis miniſtrant, idque propterea quod officium ſuum faciant purè & ſincerè. Deus hoc in pueris ulciſcitur, nedum in adultis, 2 Reg. 2. v. 23. &c. Vide Pſal. 105. 15. Heb. 13. 17. Ezech. 33. 33. Quòd hodie inter nos non eſt tanta Prophetarum perſecutio, non inde eſt, quod nulli ſunt homines qui Prophetas oderunt, ſed quia multi non poſſunt quod cupiunt. Si illis qui internam Sanctitatem oderunt, & confuſioni religionum ſtudent, & injuſtis divitiis dant operam &c. liceret quod libet, non forent ita immunes Prophetæ à perſecutione.

II. Deſcribit autem hos Prophetas, quod fue-

rint

rint illi, qui adventum hujus Juſti, i. e. Jeſu Nazareni, prædixerunt.

1. Prophetarum officium in duobus conſiſtebat:

α. In annunciatione vel prænunciatione corporalium pœnarum propter peccata populi. Fuit enim præcipuum opus Prophetarum exaggerare peccata populi, & imminentia judicia prædicere. Sic prædixerunt captivitatem Aſſyriacam & Babylonicam. Sic Diluvium.

β. In prænunciatione ſpiritualium beneficiorum per Meſſiam. Prophetæ erant veterum Euangeliſtæ, qui Euangelium ipſis prædicabant. Vide Luc. 24. 27. ubi dicitur, quod in Moſe & omnibus Prophetis deſcriptum ſit. Vide etiam Act. 10. 43. Act. 3. 18. 1 Petr. 1. 10, 11. Diſcamus hinc, quod doctrina Euangelii non fuerit veteribus incognita, ut nihil ſciverint de rebus ſpiritualibus, ſed ſola ſpe & poſſeſſione carnalium bonorum ſaginati ſunt. Nam Stephanus Prophetas non tantùm vocat *προκαταγγείλαντας τὴν ἔλευσιν*, *περὶ τῆς ἐλεύσεως*, quia non tantùm prænunciarunt Chriſtum eſſe venturum, ſed etiam totam naturam adventus Chriſti latè deſcripſerunt. Nullus eſt articulus Euangelicæ fidei, ſive ſit de ſtatu hominis; ſive de perſona, officio & ſtatu Chriſti, qui non ſit prædictus à Prophetis, ut ſolet in Catecheticis concionibus oſtendi. Immò vix ulla eſt particula vel circumſtantia paſſionis & exaltationis Chriſti, quæ non ſit prædicta à Prophetis, ut ſolet oſtendi in explicatione paſſionis Chriſti. Fuit quoque veterum eadem praxis, quæ noſtra, ſcil. contritio, fides, nova obedientia legis, & patientia crucis, ut nuper hoc latè deduximus in expoſitione capitis ſexti.

2. Notandum eſt nomen quod dat Chriſto. Non appellat Chriſtum vel Jeſum, ſed *hunc Iuſtum*. Chriſtus Matth. 23. 29. & 35. dicit, quod Patres occiderint juſtos, ſed Stephanus hoc loco dicit, Judæorum ſui temporis peccatum fuiſſe longè atrocius, quippe qui occiderint *illum Iuſtum*, qui propriè nomen juſti fert, ſicut etiam appellatus fuit Actor. 3. & 14. & 22. 14. & Eſa. 53. 11. Sed quare Chriſto nomen juſti magis competit quàm aliis? *Reſp.* Propter quatuor cauſas:

α. Quia ſecundum divinam ſuam naturam eſt ipſa juſtitia. Deus non tam eſt juſtus, quàm ipſa juſtitia, Pſal. 48. 11. Et juſtus infinita juſtitia, quod non competit ulli creaturæ.

β. Quia ſecundùm humanam naturam eſt purus, juſtus & innocens, ſine omni macula, Zach. 9. 9. Jerem. 23. 5. 1 Petr. 3. 18. & 2. 22. Hoc de nullo homine dici poteſt, quod ſit Juſtus, purus & innocens. Fideles quidem vocantur *juſti*, ſed hoc eſt juſtificati. Chriſtus non eſt juſtificatus, ſed juſtus. Dicitur quidem juſtificatus, 1 Tim. 3. 16. Sed hoc non fit eo ſenſu, quaſi ex injuſto juſtus factus eſſet, ſicut nos per imputationem juſtitiæ Chriſti juſti ſimus, & per infuſionem Spiritus ac exercitium bonorum operum ſimus ſancti: ſed dicitur juſtificatus, quia ab hominibus agnitus eſt pro juſto & juſtitiæ auctore, ut hæc vox uſurpatur Rom. 3. 4. Luc. 7. 29.

γ. Quia ſecundum officium ſuum eſt auctor & adminiſtrator juſtitiæ. Eſt, inquam auctor omnis juſtitiæ, per quem juſti ſunt, qui juſti ſunt coram Deo, juſtitiam patiendo acquiſivit nobis, & ſe dans nobis, nos per ſe juſtos facit. Ipſe conſummavit omnem juſtitiam, quam lex à nobis poſtulavit, Matth. 3. Ipſe enim noſtra juſtitia, Jer. 23. & per ejus juſtitiam juſtificamur, Eſa. 53. Adminiſtrator juſtitiæ. Eſt enim juſtus ille judex, cui Pater dedit omne judicium, & per quem juſtè judicabit terrarum orbem, Act. 17. 31.

δ. Denique reſpectu cauſæ, propter quam paſſus eſt. Non enim ab hominibus paſſus eſt ut malefactor, ſed propter juſtitiam & conſcientiam, propter Zelum pro gloria Dei &c. Et hæc omnia paſſus eſt juſtè, non malum malo compenſando. Vide 1 Petr. 2. 20, 23. 1 Petr. 3. 14, 17, 18. 1 Petr. 4. 19.

Hunc titulum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper habeamus ob oculos. Ille enim eſt qui nobis largitur fiduciam & acceſſum, ut poſſimus attollere caput coram judicio & tribunali ac throno Dei. Si Chriſtus ipſe peccator fuiſſet, non potuiſſet pro nobis ſolvere, Hebr. 7. 26, 27. Et ſi vel maximè fuiſſet juſtus ſecundùm humanitatem, & non fuiſſet ipſa infinita juſtitia, juſtitia ejus non potuiſſet eſſe ſatiſfactio in qua infinita Dei juſtitia acquieſceret. Etſi juſtiſſimus fuiſſet in ſe ipſo, nec tamen nobis factus eſſet à Deo juſtitia & auctor juſtitiæ, quid hoc profuiſſet? Sed quia eſt ille juſtus, ideo nunc poſſumus nobis applicare illud 1 Joh. 2. 1, 2. Si non eſſet ſpes, mundum aliquando judicatum iri per hunc judicem, quis poſſet ſtare à facie impiorum, qui ſumma injuſtitia pios perſequuntur. Sed quia

hoc novimus, applicare nobis poſſumus illud Eſa. 63. 1.

II. Poſtquam exprobravit perſecutionem Prophetarum, quam patres ipſorum perpetraverant, exprobrat nunc eam, quam patraverant ipſi in Chriſto Jeſu Filio Dei, & dicit illis in faciem, quod ſint proditores & homicidæ Jeſu Chriſti. Non immeritò vocat proditores Chriſti. Nam etſi ſolus Judas prodidit, ipſi tamen hanc proditionem procurarunt & triginta argenteis emerunt, & plus quàm ipſe proditor Judas ſibi in proditione placuerunt. Illo enim pœnitentia correpto, ipſi ſecurè dixerunt, *Quid hoc ad nos?* Vocat etiam occiſores. Etſi enim ipſi ſuis manibus non occiderunt, tamen & in ſua curia ſententiam mortis ſuper falſis & minimè conſentientibus ſed conductis & ſubornatis teſtimoniis pronunciarunt, & poſtea Romano Judici Pilato merâ vi & petulanti importunitate ſententiam mortis ſuper Jeſum, & ſententiæ iſtius exſecutionem extorſerunt. Nam etſi in occidendo Chriſto uſi ſunt ſpecie judicii, tamen quia judicium fuit adeò injuſtum & violentum, non immeritò habetur pro mero latrocinio. Quæritur hic, annon ſit præter civilitatem & decorum concionatorum, nec non præter caritatem, tam inhoneſtis terminis increpare honeſtos homines. Erant utique homines civiliſſimi, & quod fecerant, fecerant ex errore mentis in negotio religionis.

Annon ex cholera ita locutus Stephanus? *Reſp.* Stephanus nil fecit præter juſtitiam, nec præter decorum, nec præter charitatem. Nam 1. Non ex mero errore & opinione placendi Deo occiderunt Chriſtum, ſed ex invidia & impietate, ut ipſa Scriptura teſtatur, & fuit reverà verum latrocinium. 2. Chriſtus ipſe tam civilis & manſuetus fuit ac quiſquam poteſt eſſe, & tamen eos appellavit Progeniem viperarum, hypocritas, & comparavit cum latronibus & prædatoribus, Matth 21. 3. Cum animæ periclitantur, non lenitate, ſed ſale & acrore opus eſt, quod non magis repugnat caritati, quàm cum Medicus in extremitate morbi adhibet rodentia. Nemo igitur vitio nobis vertat, ſi cum obſtinatis idololatriæ & ſuperſtitionis ac hæreſeos antiſtitibus, nec non cum præfractis notoriorum peccatorum ſectatoribus, e.g. injuſtis judicibus, fœneratoribus, fraudulentis divitiarum corraſoribus, oppreſſoribus, adulteris &c. ſimili modo agimus. Qui metuunt acredinem reprehenſionis, caveat putredinem malitiæ. Melius eſt à miniſtris Chriſti increpari, quàm in ultimo judicio triſtem illam audire increpationem, quæ eſt Matth. 25. 41. Qui hic verbum increpationis ferunt & eo emendantur, ſolatium experientur in morte & ultimo judicio, cum Deus ipſe loquetur, Confide fili, peccata ſunt remiſſa, veni, poſſide regnum cœli, quod tibi paratum eſt. Interea non obliviſcamur, quod non ſoli Judæi ſint proditores & occiſores Chriſti, ſed nos omnes. Nam noſtris peccatis Deo dedimus cauſam hæc Chriſto immittendi.

Actor. 7. v. 35.

CONCIO LXXVIII.

SEquitur tertium peccatum actuale, ſcil. inobedientia erga legem. Habet hic verſus duas partes: 1. Crimen quod exprobrat, ſcil. *tranſgreſſionem legis*. 2. Argumentum, quo hoc crimen exaggerat: *cum tamen per diſpoſitionem angelorum eam acceperint.*

DE PRIMO.

COmplectitur Apoſtolus tribus gradibus totam maſſam impietatis, quæ inter Judæos graſſabatur: 1. Reſiſtebant Spiritui S. per Euangelii doctrinam eos manuducere cupienti ad Chriſtum Salvatorem. Hoc enim fine Spiritus S. Euangelium ipſis prædicabat, & ceremonias Euangelicas inſtituerat, ut per eas manuducerentur ad ſenſum miſeriæ & ad famem ac ſitim juſtitiæ per futurum Meſſiam parandæ. Sed illi reſtiterunt, nolentes venire, ſed Euangelium mutantes in ſuperſtitionem & idololatriam, erigentes ſibi propriam juſtitiam, ut eſt Rom. 10. & ſequentes mores gentium, à quibus Deos eos ſeparaverat, adeò ut, quod ſemel fecerant in Ægypto, ſemper facerent, nimirum ſuſciperent tabernaculum Molechi & aſtrum Dei Remphan &c. Actor. 7. 43. Cum in deſerto ſuſcipiebant ſacerdotes & portabant tabernaculum fœderis, dicit quod portaverint tabernaculum Molochi & Saturni. Quare hoc? Erat utique tabernaculum Domini? *Reſp.* Quia neglecta intentione Spiritûs S. in inſtitutione hujus tabernaculi uſurpabant illud ad tales fines, ad quos Ethnici ſolebant Molochi & Saturni idola in ſcriniis geſtare. Sacrum tabernaculum & ſacras ceremonias, quas Deus inter ipſos inſtituerat, non uſurpabant eo fine quo erant inſtituta,

tutæ, ſcil. tanquam ſigna & umbras Spiritualis gratiæ per futurum Meſſiam parandæ, ſed conveniebant eas in ſacra gentilia Molocho & Saturno ſimilia, tanquam eſſent propriæ ſatisfactiones pro peccatis, & medicamenta vel pharmaca morbos ſanantia virtute aſtrorum quæ repræſentabant, ſicut & hodie Pontificii Sacram Domini cœnam eo modo in gentilem ſuperſtitionem converterunt. 2. Cùm propter hanc idololatriam & ſuperſtitionem à Prophetis corripiebantur, & ad puritatem Euangelii, à Spiritu S. propoſiti, revocabantur, efferebant ſe contra Prophetas, & eos perſequebantur. 3. Et interea vivebant vitam impuram & vitioſam, de nulla re minùs ſolliciti quàm ut præceptis Legis eſſent obedientes, nihilominus gloriantes, quod eſſent populus ſanctus, quippe qui tam ſanctam haberet legem, vanè nitentes iſto encomio quod eſt Deuter. 4.8. Hoc igitur eſt crimen quod hoc verſu ipſis exprobratur, ſcil. quod tam ſanctam legem habentes nihilominus tam impuram vitam vivebant, in luxuria, adulteriis, avaritia, fœnore, furtis, fraudibus, mendaciis, homicidiis &c. Et nihilominus propter ſanctitatem legis ſe gloriabantur eſſe ſanctum populum.

Non igitur de lege ceremoniali propriè hoc verſu agitur, quæ potius Euangelium eſt, quàm lex, & cujus abuſum & perverſionem ipſis exprobravit, cum dixit, quod Spiritui S. reſiſterent; ſed agitur præcipuè de lege morali, quæ cum tanta ſolennitate Judæis lata eſt in monte Sinai, Exod. 19. Eſt eadem exprobratio quam legimus Joh. 7.19. Rom. 2. 17. ad 23. Quod enim inter Judæos omni tempore, & etiam tempore Chriſti & Apoſtolorum graſſata ſit vita impura & legi Dei contraria, paſſim queruntur Prophetæ. Erat quidem multum externæ ſpeciei, ſed hypocritica omnia, & cor erat impurum. Vide Matth. 23. 23, 25, 26, 27. Miſera res eſt, ſi quæ regio eſt plena legis, & tamen plena vitiorum. In hanc enim quadrat illud Luc. 12. 47. Jac. 4. 17. Utinam in nos non quadret, inter quos tantum legis eſt, i. e. tam efficax prædicatio legis, & tam ſeria dehortatio à vitiis, & tamen tam uberta vitiorum ſeges. Bonæ leges & mali mores malè conveniunt. Tantum abeſt, ut ſanctæ leges terram aliquam faciant ſanctam, ut contra nulla ſit impurior & abominabilior terra coram Deo, quàm cui lex prædicata eſt, & quæ tamen illam non ſervavit. Sicut ſcortatio Abſalomi cum concubinis Davidis tantò erat abominabilior, quod non fiebat in tenebris, ut ſolet, ſed ad ſolem, 2 Sam. 16. 22. 2 Sam. 12. 11. ita tantò turpiora ſunt peccata, quæ non fiunt in terra quæ eſt in umbra & tenebris, ſed quæ plena legis & lucis, ubi Urim & Thummim eſt.

DE SECUNDO.

EXaggerat tranſgreſſionem Legis hac ratione, quod per diſpoſitiones angelorum eam acceperant. Ethnici legem non acceperant, niſi per naturam, habentes opus legis obſcurè ſcriptum in cordibus, adeò ut ferè ſine lege eſſent, & tamen ob tranſgreſſionem legis puniebantur, Rom. 2. 12, 14. Quantò magis igitur puniri merentur, qui legem per tam ſolennem ordinationem angelorum acceperunt, & tamen tranſgreſſi ſunt. Quæritur ubi hoc ſcriptum ſit, quod lex Iſraëlitis data ſit per diſpoſitionem angelorum; Scriptum quidem eſt Hebr. 2. 2. & Gal. 3. 19. & hoc in loco, ſed quæritur ubi ſcriptum ſit in V. T. & unde Stephanus & Paulus hoc habeant? *Reſp.* Nuſpiam hoc quidem ſcriptum eſt in hiſtoria V. T. nec tamen propterea minus verum. Loquuti ſunt enim Stephanus & Paulus acti Spiritu Sancto, qui potuit revelare quod nuſpiam ſcriptum eſt. Potuerunt tamen hoc ex parte conjicere ex prima miſſione Moſis ad fungendum ſuo officio, quæ dicitur facta per angelum Domini, Exod. 3. 2. Hic quidem angelus fuit Jeſus Chriſtus, tanquam caput angelorum, ut patet ex Exod. 3. 4. & Deut. 33. 16. Sed tamen non fuit ſolus ſed in comitatu angelorum ſibi miniſtrantium. Hinc in templo & tabernaculo Judaico, ſc. Sancto Sanctorum Deus ſedebat inter Cherubim, Pſal. 68. 88. & ſic oracula dabat, unde facilè conjicitur, quod etiam in ipſa promulgatione legis, quæ Moſi facta eſt in monte Sinai, & comitatu & miniſterio Angelorum uſus ſit. Dicit enim David: Dominus eſt inter Cherubim Sinai in Sanctitate, q. d. eſt hodieque in tabernaculo, ſicut olim fuit in Sinai, ubi Dominus inter Angelos apparens legem dedit. Hinc etiam cùm Filius Dei veniet ad judicium ſecundùm legem, veniet cum angelis, Matth. 16. 27. Hinc Dan. 4. 17. Legem de dejicienda arbore Babylonica eſſe in decreto vigilum & Sanctorum ſcil. Angelorum, quia per Sanctos Angelos à Deo promulgata eſt. Sed cur lex dicitur Iſraëlitis data per Angelos, cùm tamen data ſit per manum Mediatoris Moſis? *Reſp.* Hæc non pugnant, ſed utrumque rectè conjungitur

jungitur Gal. 3. v. 19. Fuit enim in promulgatione legis hæc ſubordinatio: Deus Pater per Filium Mediatorem & totius mundi judicem legem dedit. Filius uſus eſt miniſterio Angelorum. Angeli nomine Filii Dei Moſi legem tradiderunt, eique quid docere Iſraëlitas debeat, præceperunt. Moſes εἰς διαταγὰς ad ordinationes, ſeu ſecundùm mandata Angelorum Iſraëlitis legem tradidit, ſeu etiam ſecundùm diſtributiones Angelorum, quibus legem diſpoſuerunt vel diſtribuerunt, in decem præcepta, & decem præcepta in duas tabulas, totamque adeò legem in moralem, ceremonialem, forenſem. *Object.* Atqui Deus dicitur legem ſcripſiſſe proprio digito. Non igitur uſus eſt tot miniſtris, Exod. 31. 18. *Reſp.* Diſtinguenda ſunt hæc tria: 1. Promulgatio legis per vocem quæ facta eſt Exod. 19. in monte Sinai. 2. Scriptio legis in tabulis, quæ facta eſt poſt hanc promulgationem, Exod. 31. & 34. 3. Scriptio legis in libro, quæ Moſi injungitur Exod. 34. 27. ut lex ex iſto libro populo quotidie prælegeretur, dum tabulæ lapideæ autographæ manebant in arca fœderis. In ſola promulgatione uſus eſt Angelorum miniſterio, non in ſcriptione.

Quoniam igitur Deus Legem promulgavit Iſraëlitis cum tanta ſolennitate, & per miniſterium Sanctorum ſuorum Angelorum, inter quos fuit caput Angelorum ipſe Filius Dei, inde argumentatur Stephanus, tantò magis coram Deo abominabiles eſſe Judæos, qui legem illam transgrediuntur. Deus legem ſuam dedit variis modis:

1. Per naturam. Ipſi enim naturæ impreſſit ſemina legis, ut etiam gentes opus legis habuerint ſcriptum in cordibus, Rom 2. Hæc legis datio & obſcura valde eſt & imperfecta, adeò ut multi habuerint opus legis inſcriptum cordibus, & tamen jura & præcepta legis vix intellexerint, ac ne potuerint quidem intelligere perfectè.

2. Per Angelos, cum Deus in monte Sinai cum terribili ſolennitate legem miniſterio Angelorum tradidit Moſi, inſpicientibus Iſraëlitis, eamque deinde decem præceptis comprehenſam in duas tabulas proprio digito, i. e. propria vi inſcripſit, eandemque continua Prophetarum & Sacerdotii Levitici prædicatione Judæis inculcavit.

3. Per Filium, qui tempore carnis ſuæ in terris verſatus non tantùm Euangelium docuit, ſed etiam legem à corruptelis Phariſæorum & Scribarum vindicavit, ut eſt Matth. 5. & verum uſum legis homines clariùs edocuit, videl. quod lex data ſit non ad juſtitiam per eam acquirendam, ſed ad agnitionem peccati, & ut juſtificatis, per Chriſtum eſſet norma novæ obedientiæ & gratitudinis, quam legis prædicationem poſtea Apoſtoli continuarunt, & etiamnum continuant qui Chriſti nomine hodieque Euangelium docent. Etſi enim hodierni miniſtri Eccleſiæ ſunt miniſtri Euangelii, tamen unà cum Euangelio prædicant legem ad agnitionem peccati, & tanquam regulam gratitudinis. Stulta eſt Antinomorum opinio, qui putant Chriſtum non eandem legem prædicaſſe quam Moſes, eamque à corruptelis ſcribarum vindicaſſe, ſed conſilia perfectionis addidiſſe, quæ in lege non fuerint comprehenſa.

4. Per Spiritum S. Non enim ſufficit peccatoribus ad veram legis obedientiam, ut ſemina legis per naturam ſibi habeat inſcripta, neque ut tabulis lapideis perfectiùs ſit inſcripta, per Prophetas declarata & inculcata, per Chriſtum & ejus miniſtros à corruptelis vindicata, & ut de vero fine ac uſu legis inſtituta ſit Eccleſia, ſed porrò Deus etiam legem ſuam per digitum Spiritus S. inſcribit in carneas tabulas cordis, ut eſt 2 Cor. 3. 3. Jer. 31. 33. Ezech. 11. 19. & 36. 26. Hebr. 8. 10.

Jam nulla quidem ex his legis promulgationibus eſt, quin hominem obliget ad legem ſervandam, & ad pœnam, ſi transgrediatur: ſed tamen quantò clarius alicui populo lex eſt promulgata, tantò periculoſior eſt transgreſſio illius. Gentes puniebantur propter transgreſſionem legis, etſi non niſi obſcurè ſemina legis per naturam geſtarent in cordibus: ſed tamen Judæi gravius merentur puniri, quibus lex tam ſolemniter per ipſos Angelos promulgata & per Prophetas inculcata eſt, ſed adhuc gravior eſt transgreſſio legis apud eos, quibus ipſe Filius Dei proprio ore legem Dei declarat, & deinde per Apoſtolos ac Miniſtros ſuos inculcat, Hebr. 2. 2. Sed graviſſima demum eſt transgreſſio eorum, qui legem per Spiritum Dei habent inſcriptam cordibus, & tamen non ſatis diligenter curant ac laborant ut eam ſervent. Hi certè gratiam Dei fruſtra acceperunt, eamque trahunt ad laſciviam. Diſcamus hinc quàm periculoſa ſint peccata noſtra, quæ nos hodie committimus, quippe qui non tantum naturâ opus legis habemus in cordibus, nec tantùm eandem legem, quæ tabulis lapideis eſt inſcripta, & à Prophetis inculcata, ſed etiam prout ab ipſo Chriſto ejus Apoſtolis eſt declarata, immò per Spiritum

Dei ipſis cordibus noſtris impreſſa. Certè niſi nos tulerimus fructus converſione & vocatione dignos, meritò applicari nobis poterit illud Matth. 11. 21, 22. &c. Luc. 11. 31, 32. Cum contra legem peccamus, Angelos contriſtamus, quorum miniſterio lex nobis data eſt. Declarant Angeli Dan. 4. 17. quod cum aliquod mandatum Dei promulgant, ſit in cupiditate ſua ut veniat in exequutionem. Quoniam igitur ipſi legem promulgarunt, ſine dubio animitus cupiunt ut obſervetur, & ſine dubio triſtantur cum non obſervatur. Erunt quoque Angeli teſtes noſtræ tranſgreſſionis in ultimo judicio.

Actor. 7. *v.* 54, 55, 56, 57, 58.

CONCIO LXXIX.

HActenus Stephani concio Apologetica: ſequitur ejus fructus, qui ſanè non fuit auditorum converſio, ſed nova exacerbatio, eaque tam vehemens, ut erumperet in lapidationem Stephani. Duo ſunt in hoc textu à ſe invicem diſtinguenda & ſeparanda: 1. Martyrium Stephani. 2. Homicidium Judæorum. Sic enim ſe res habet in corporalibus ſuppliciis, quod, cum patiens eſt maleficus & patitur propter improbitatem, tum agens eſt judex; ſed cum patiens eſt juſtus, patiturque propter conſcientiam, propter juſtitiam, ſicut eſt 1 Pet. 2. & 4. tum patiens eſt martyr, ſed agens eſt tyrannus vel homicida. Ad homicidium Judæorum pertinet, quod diſſecti ſunt corde, & frenderunt dentibus ſuper Stephano, cum concionem ejus audiviſſent, quod magna voce clamantes obturatis auribus concorditer in eum irruerunt, quod ex urbe ejectum lapidarunt, quod teſtes veſtimenta ſua depoſuerunt ad pedes juvenis cujuſdam nomine Saulis, & ſic Stephanum lapidaverunt. Ad martyrium Stephani pertinet, quod plenus Spiritu S. cœlum ſuſpiciens vidit cœlos apertos, vidit quoque gloriam Dei, & Jeſum Filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. quod hoc videns Judæis quoque indicavit, quodque, cum lapidaretur, invocavit & dixit: Domine Jeſu, recipe Spiritum meum, denique quod poſitis genibus magna voce pro hoſtibus ſuis interceſſit, & ſic obdormivit. His ita diſtinctis in explicatione ſequemur veſtigia textûs.

I. Judæi audita Stephani concione diſſecti ſunt corde, & frenderunt dentibus. Eſt deſcriptio iræ & exacerbationis, quæ occaſione Stephanicæ concionis in Judæis eſt accenſa. Nolumus autem horum verborum explicationi inſiſtere, quia eadem jam tum explicuimus in cap. 5 v. 33. & ex illis prolixè inculcavimus hanc doctrinam, quod prædicatio verbi divini non ſemper eſt medium converſionis, ſed ſæpe occaſio exacerbationis & indurationis.

II. Stephanus, hunc furorem ſuorum hoſtium videns, & inde periculum ſibi imminere vitæ non vanè conjiciens, cœpit ſe armare, & ad martyrium ſubeundum præparare, ideoque plenus Spiritu S. cœlum ſuſpexit. Quare plenus Spiritu, an jam plenior quàm antea? *Reſp.* Intelligitur intenſio Spiritualis fortitudinis & fidei, in Deum recumbentis tempore periculi. Sicut enim milites, etſi ſemper fortitudinis habitum in pectore gerunt, tamen cum in hoſtem ducuntur & in periculum mortis eunt, dicuntur pleni fortitudinis, quia tum fortitudinem ſuam acuunt, & arma animi induunt; ita viri Sancti ſemper quidem habent in corde Spiritum fidei ac fiduciæ, ſed tamen cum ſubeundum eſt periculum propter confeſſionem veritatis, tum ſingulari modo dicuntur pleni Spiritu, quia tum fiduciam ſuam intendunt, & magna vi Deum atque Chriſtum, tanquam clypeum & fulcrum ſuum, apprehendunt atque tenent, ne cedant à bona cauſa, ſed conſtanter periculum ſuſtineant. Hinc dicitur cœlum ſuſpexiſſe, quia in eo conſiſtit intenſio Chriſtianæ fiduciæ, quod cor in cœlum elevat, & Chriſto facit inniti ac in eo recumbere. Magnum eſt diſcrimen inter fortitudinem impiorum militum, & inter fiduciam bonorum Chriſtianorum tempore periculi. Videmus quotidie in bellis milites impios, in quibus ne mica quidem gratiæ & fidei, eſſe non minus fortes ac intrepidos contra pericula, quàm ſunt milites pii, qui bonæ conſcientiæ clypeo tuti ſunt. Qui fit hoc, & quid intereſt inter fortitudinem militis impii, & fortitudinem militis pii? *Reſp.* Fortitudo militis pii conſiſtit in extenſione cordis & oculorum verſus cœlum, quâ Deum ac Chriſtum apprehendit atque tenet, tanquam clypeum & fulcrum quo nititur: ſed fortitudo militis impii non conſiſtit in elevatione cordis & oculorum verſus cœlum. Nam quam primùm miles impius inter pugnandum oculos in Cœlum effert & Dei recordatur, cadit ipſi animus & terrore corripitur. Quã igitur in re conſiſtit? Duabus in rebus:

1. In oculorum clauſione, i. e. in violenta quadam

dam excuſſione & expulſione omnis memoriæ circa res divinas, ne quis ſenſus Numinis pectus turbet. Sicut enim impius ſemper in corde dicit quod non ſit Deus, Pſal. 14. 1. ita præcipuè tum violenter conatur ſupprimere ſenſum Numinis, & cordi ſuo perſuadere quod non ſit Deus, nec anima immortalis & judicio reſervata, ſed dicit: Edamus & bibamus, cras ſumus mortui, ut eſt Eſa. 22. 13. & 56.12. 1 Cor. 15. 32.

2. In excitatione furoris per media corporalia, per quæ etiam beſtiæ poſſunt in furorem & in contemptum periculi excitari. Qui Elephantibus & Equis in bello utuntur, ſolent eos animare ſtrepitu quodam vel etiam potu; ita etiam talium militum fortitudo indiget excitari per tympana, tubas, fiſtulas, nec non per ebrietatem & furibundos clamores, adeoque non eſt niſi fortitudo equina. Sic de Agag dicitur 1 Sam. 15. 32. quod ivit ad mortem voluptuosè, i. e. Ebrius & Muſicis aliiſque deliciis expellens metum mortis. Furor hic eſt, non fortitudo, quæ non parum juvatur, ſi accedat ambitio. Alia planè fortitudo eſt piorum in periculis, quæ non tympanis excitatur, ſed conſolationibus verbi divini, & recordatione fœderis ſui cum Deo. Imitemur nos exemplum Stephani, ut in periculo mortis conſtituti tollamus oculos in cœlum, & nitamur Chriſto; exclamantes cum Paulo, ut eſt 2 Tim. 1. 12. Sed ut poſſimus tempore periculi oculos ita verſus cœlum attollere, neceſſe eſt, ut tempore ſecuritatis eos dejiciamus cum Publicano, Luc. 18. v. 13. Nam ſi hoc non fecerimus, non audebimus tempore periculi & ultimi judicii eos tollere, ſed faciemus ut Apoc. 6. 15, 16, 17.

III. Cum ita Stephanus in cœlum tolleret oculos apertos, vidit gloriam Dei, & Jeſum Filium hominis ſtantem ad dexteram Dei. Multa hîc difficilia: Quæritur enim, 1. Quomodo cœli dicantur aperti (ſicut id dicitur Matt. 3. 16. Joh. 1. ult.) cùm tamen cœlum non ſit corpus ſolidum, quod dividi, diduci & iterum coire poſſit? Si aër non poteſt aperiri nec claudi, multò minus æther. Poſſunt quidem aperiri nubes, quæ ſunt corpora craſſa, ſed æther & aër, corpora ſubtiliſſima, nec claudi nec aperiri videntur poſſe? 2. Qui potuit gloriam Dei videre, cùm ea ſit inviſibilis, 1 Tim. 6. nec poſſit corporalibus ſenſibus percipi, ſed habitet in luce inacceſſibili. 3. Qui fieri potuit, ut filium hominis, ſeu Jeſum ſecundùm humanitatem videter, cùm tanta ſit diſtantia cœli à terra, ut nullus oculos eò poſſit pertingere? Propter has difficultates alii putant, 1. Fuiſſe viſionem merè intellectualem, ſeu viſionem fidei, quâ tam firmiter credidit & ſibi perſuaſit Jeſum Chriſtum à dextris Dei ſtare ad ſuum auxilium, & ſibi aditum in cœlos ad Chriſtum paratum eſſe, ac ſi corporalibus oculis illud intueretur, quâ viſione Abraham vidit diem Chriſti, & gaviſus eſt. 2. Fuiſſe viſionem Propheticam, qua per ecſtaſin quaſi extra ſeipſum raptus videret hæc omnia repræſentata per ſpecies quaſdam imaginarias, phantaſiæ objectas, quali modo Eſaïas Deum vidit, Eſa. 6. & Dan. c. 4. & Joannes Apocalypſin ſuam accepit, quali modo etiam Paulus in tertium cœlum raptus dicitur 2 Cor. 12. 3. Fuiſſe viſionem Symbolicam, quâ hæc omnia viderit per ſpecies & imagines corporeas repræſentata, qualiter Joannes Baptiſta Spiritum S. vidit in ſpecie columbæ; qualiter nos Chriſtum videmus in Sacramentis; qualiter etiam Moſes videtur vidiſſe Deum, Exod. 34. 4. Alii denique putant, citra abſurditatem credi poſſe, quod acies oculorum Stephani ita fuerit roborata, ut potuerit ipſam internam glorioſam ac Majeſtatis plenam conſtitutionem cœli tertii, qui thronus Dei eſt, nec non ipſum corpus Domini Jeſu Chriſti, gloria & honore coronatum, conſpicere corporalibus oculis, eo modo, ut à beatis omnibus in vita æterna conſpicietur. Videbitur Chriſtus à dexteris Dei, cum videbitur coronatus ea gloria & eo honore, qui poteſtatem ejus ſupra omnes creaturas in cœlo & in terra indicat. Cùm autem aliàs dicatur *ſedere* ad dextram Dei, Stephanus eum dicitur vidiſſe *ſtantem*, ut paratum intelligeret ad ſe juvandum & recipiendum, ſicut Deus dicitur ſurgere, cum ad auxilium noſtrum vult apparere. Pſal. 68. 2. Quocunque modo hoc intelligas, certum eſt, viſionem hanc Stephano obtigiſſe, ut Deus eum animaret & ſolaretur; & exemplo ipſius doceret, ſe auxilio ſuo apparitutum omnibus, qui pro nomine ejus martyrium ſubire non verebuntur. Non ſuſtinebit Chriſtus ſuos martyres & fideles in periculis ſuis fruſtra oculos in cœlum tollere, ſed apparebit eis uno alterove modo, qui ad ſolatium eorum conducet. Sicut enim hic Stephano cœlum intuenti apparuit, ita Chriſto Luc. 22. 45. Sic apparuit Petro, Actor. 12. 5, 7. Sic Paulo & Silæ, Actor. 16. 25, 26. Sic Paulus, Actor. 28. v. 23, 24. Vide etiam Hiſtoriam Davidis, 1 Sam. 18. & 19. & 23. &

23. & 30. Excitet hoc nos ad ſimilem conſtantiam & fiduciam, ut in noſtris periculis ſimilis nobis obtingat viſio. Etſi enim Deus hodie non apparet fidelibus ad ſenſum, per miſſionem Angeli aut ſimilem operationem miraculoſam, tamen non minus efficaciter iis apparet, ſive per roborationem fidei & patientiæ, ſive per conſolationem animi, dans certitudinem & prægustum futuræ gloriæ, ſive per mitigationem aut ablationem doloris & calamitatis. Dicamus igitur ut David Pſal. 121. 1, 2.

IV. Stephanus hac apparitione Chriſti refectus & roboratus, non contentus eſt eam apud ſe ſentire, ſed etiam apud hoſtes eam deprædicat, & de ea gloriatur: Ecce, inquit, video cœlos apertos &c. Non poterant hoc videre hoſtes, quod videbat Stephanus, ipſe tamen illis teſtatur quod hoc videat, ut intelligant, quod apparitione Dei ſolatium nactus in Domino lætetur, & nil timeat ipſorum iracundiam &c. Eſt hæc indoles piorum, ut de beneficiis à Deo acceptis apud alios glorientur. Non fruſtra accipiunt ſolatium, ſed animantur illo ad lætandum & triumphandum in Domino, ſic Pſalm. 101. 1. Sic Simeon Luc. 2. 30. & ad contemnendos ac ludendos hoſtes, ut David Pſal. 6. 9, 10. Apud homines pro ſtulto habetur, ſi quis triumphum canit ante victoriam: ſed apud filios Dei moris eſt triumphare in media pugna, quia illi per fidem de victoria contra hoſtes Spirituales non minus certi ſunt, quam ſi ea jam tum potiti eſſent. Imitentur hoc qui ſeriò & conſtanter contra peccatum, Satanam & mundum belligerantur. Etſi nondum viciſtis, tamen triumphate. Capitaneus enim & perfector fidei veſtræ pro vobis intercedit, ne fides veſtra deſinat. Chriſtiani non vincunt niſi per mortem, qua hoſtem ultimum debellant, 1 Corint. 15. triumphant tamen ante mortem. Impia eſt doctrina, quæ fideles vetat triumphare ante mortem, & docet ſemper timere, ne excidant. Verum quidem, quod qui ſtat, cavere debeat, ne cadat, 1 Cor. 10. 12. Sed hæc cautio non debet eſſe timor ſervilis, qui tollat fiducialem triumphum, fundatum ſuper firmitate promiſſionum Dei, ſed tantum filialis timor, quo cautè & fortiter oppugnemus hoſtes & peccata noſtra, ne nos ſeducant. Pugnare & in media pugna fide promiſſionum Dei de hoſtibus triumphare, non ſunt duo contraria. Non igitur illicitum fidelibus omnibus, inſtante periculo mortis, hoc modo triumphare; & dicere cum Stephano: *Ecce video* (in fide) *cœlos apertos* &c. Sic Job triumphavit in media miſeria, Job. 19. 23, 24. 25. &c. & Paulus in medio pugnæ, Rom. 8. à v. 31. ad finem. Tales triumphi ſunt fructus fidei, Deo grati & maximè conducentes ad roborandam fidem infirmorum. Demus igitur operam, ut in hac pugna ita triumphemus. Ideo tales triumphi etiam mandato nobis injunguntur Luc. 6. 23. Pſalm. 105. 3.

V. Quantò lætiùs triumphat Stephanus, tantò magis exacerbantur hoſtes ipſius. Audientes enim ipſius triumphum, clamant magna voce, obturant aures, irruunt in ipſum concorditer, & ex urbe ejectum lapidant, ita tamen, uti teſtes, depoſitis veſtibus, ſeu palliis ſuis ad pedes juvenis cujuſdam, nomine Saulis, prius lapidaverint. Lapidatio Stephani ita hic deſcribitur, ut pateat partim per ſeditionem factam eſſe, partim tamen per proceſſum judicialem. Nam illa clamatio & aurium obturatio eſt ſignum ſeditionis. Quod tamen teſtes, qui Stephanum accuſaverant, primo ipſum lapidant, arguit judicialem proceſſum. Id enim ſecundum legem eſt Levit. 24. 14. 15. 16. Deuter. 17. 7. ut qui blaſphemus eſſet in Deum & religionem, cujus blaſphemiæ Stephanus inſimulatus erat, is urbe eductus primo à teſtibus, deinde à toto populo lapidaretur. Notemus particulariter:

1. Tantum eſſe apud impios veritatis Euangelicæ odium, ut eam non tantùm fruſtra audiant, nec auditæ obtemperent, ſed etiam audire detrectent, & data opera aures & oculos claudant, ne videant audiantve. Sic Actor. 22. 22. 23. Hoc verè eſt repellere fidem & bonam conſcientiam, 1 Tim. 1. 19. Qui contriti corde ſunt, vim faciunt, ut obtineant regnum cœlorum, Matth. 11. Sed cum regnum Dei vim aliquam facit in impios, impii vi repellunt nec cupiunt audire. Sic hodieque agunt Papicolæ, qui cum ſciant vim Euangelii eſſe tantam, ut auditum non facile poſſit rejici, ſed turbent mentem donec ſe ſubmittat, ideo docent ſuos, ut planè non audiant, ſed recuſent omnem inſtructionem, & ne legant quidem Sacram Scripturam. Tales ſunt etiam inter nos, qui ideo non veniunt in templum, ne prædicatione legis turbentur in quieta peccatorum praxi. Ferre enim non poſſunt, i. e. non volunt increpationes contra Amaſiam ſuam dilectiſſimam, peccatum, quo cum rem habent quotidie. Legimus Pſal. 58. 5. quod viperæ ſoleant obturare

autem,

aurem, ne audiant carmina incantatorum, quibus ipſis detrahatur venenum igneum, ut reddantur innoxii. Sic & homines habent venenum peccati apud ſe, quod concionatores Spirituali ſua & divina incantatione cupiunt expellere. Hoc ne fiat, obturant aures. Sunt ſicut illi heri, de quibus Act. 16. 16, 17, 19. qui ægrè ferebant Spiritum vatidicum, ſibi valde quæſtuoſum, ejici ex ancilla. Habent multa peccata quæſtuoſa, quæ non amant expelli. Injuſta ulna, pondus, menſura, mendacia, pejerationes, fœneratio, acceptio munerum, venditio officiorum, retentio mercedis donec muneribus redimatur, levis corporis ornatus ad placendum mundo ac alliciendum procos, proſtitutio corporis ad faciendum quæſtum, conniventia ad impunem graſſationem homicidarum, meretricum & ſacrificulorum, &c. hæ omnes ſunt ancillulæ habentes Diabolum utilem heris ſuis, quem quia heri nollent expelli, ideo obturant aures, & vitant incantationes Euangelii. Progenies viperarum! an neſcitis judicem mundi aliquando aurem vobis perforaturum, ut etiam nolentes audiatis ſententiam illam duram, quæ eſt Matth. 25. v. 41. & illud triſte experiamini, quod Deus minatur Prov. 1. 24.

2. Irruunt igitur in Stephanum, & ex urbe ejectum lapidant, ita tamen ut teſtes, ſecundum legem, peculiariter ipſum lapident, quod ut melius poſſent, pallia ſua, ſeu veſtem ſuperiorem deponunt ad pedes Saulis, cujus ideo hic mentionem facit Lucas, quia propediem ad hiſtoriam ipſius tranſiturus eſt. Videmus in his teſtibus, quàm facilè malitia, ſi ſemel indulgeas, incrementum capiat. Poſtquam ſibi indulſerant in falſo teſtimonio, faci!è ſibi indulgent in homicidio. Caveamus igitur peccatorum initia.

3. Irruunt concorditer. Non eſt tamen bona concordia, quia non eſt in bono. Non omnis pax & concordia bona. Sæpe præſtat bellum & diſcordia pace.

4. Lapidant. Quatuor erant genera ſuppliciorum apud Iudæos: 1. Strangulatio. 2. Obtruncatio. 3. Combuſtio. 4. Lapidatio. Lapidatio ordinata erat contra blaſphemos, Lev. 24. 16. Item contra idololatras & apoſtatas, Deuter. 17. 7. Chriſtus nullum ex his ſuſtinuit, ſed crucifixionem Ethnicam, quæ maledicta erat à Deo, ut morte ſuâ maledictionem tolleret. Protomartyr autem aliud ſupplicii genus ſubiit, ut inter lytrum & martyrium diſcrimen appareret. Uno modo naſcimur omnes, ſed non uno modo morimur, verùm tot ſunt mortis genera, ut numerari ſatis non poſſit varietas. Miranda eſt varietas in ſpeciebus rerum, quas Deus creavit, mirabilior in opere redemptionis, ſed non minus miranda in plagis & afflictionibus, quas propter peccata hominibus Deus immittit. Non deſcendam in peculiarem hujus varietatis diductionem, ſed contemplationi veſtræ rem commendo, ut per illam aſcendatis ad comprehendendam aliquo modo τὴν πολυποίκιλον σοφίαν Θεοῦ, ut eſt Eph. 3. 10. Varia debuit eſſe hominum miſeria, ut varia quoque eſſet gratia, 1 Petr. 4. 10.

Actor. 7. *v.* 59, 60.

CONCIO LXXX.

Reſtat quomodo Stephanus in lapidatione hac ſe geſſerit.

I. Invocans dixit: Domine Jeſu, recipe ſpiritum meum.

α. Invocavit, ſeu precando fuit occupatus, cum lapidaretur. Eſt enim hoc ſecundum generale mandatum, ut ſcilicet in neceſſitate invocemus, Pſal. 50. v. 15. Præſertim in neceſſitate mortis. Imperatorem oportet ſtantem mori, ſed Chriſtianum oportet precantem mori. Sicut enim qui aquam tranſit, natare debet, ne mergatur; ita qui voraginem mortis tranſire vult, precando ſe debet elevare, alioquin mergitur in deſperationem. Sicut avis altum petens volat, ita Chriſtianus in cœlum vadens precatur. Preces noſtræ alæ quibus in cœlum volamus.

β. Subſtantia precationis eſt: Domine Jeſu recipe Spiritum meum. Facit idem quod David Pſal. 31. 6. & Chriſtus Luc. 23. 46. & quod Petrus nos docet 1 Petr. 4. 19. commendat ſcilicet ſpiritum ſuum in manus Domini. Debemus etiam dum vivimus animam noſtram commendare Deo, quoties ſcilicet fœdus noſtrum cum Deo facimus vel renovamus. In eo enim conſiſtit receptio Euangelii & fides in Chriſtum, quod ſcilicet animam noſtram apud ipſum, tanquam in manum ſponſoris ſequeſtramus & deponimus, 2 Tim. 1. 12. Sed cum moriendum eſt, tum præcipuè de anima ſumus ſolliciti. Sicut enim cum incendio corripitur domus, curam domus deponimus, & tantum id curamus, ut familia noſtra in fidas manus alicubi reponatur cuſtodienda: ita cum frangitur terrenum tabernaculum per mortem, de corpore parum ſumus ſolliciti

ciri, ſed tantùm id curamus, ut animam Deo tradamus. Non eſt in his verbis ille ſenſus qui 1 Reg. 19 4. *Tolle animam meam.* Sed dicit: *Recipe animam meam.* Nam illa verba Eliæ habent impatiens deſiderium mortis propter calamitates vitæ. Stephani autem verba exprimunt filialem ac lætam obedientiam, quâ animam ſuam Domino poſtulanti libenter tradit. Tria ex his verbis diſcimus:

1. Immortalitatem animarum. Nam ſi cum corpore interiiſſet anima Stephani, cur periiſſet, ut Jeſus eam ſuſciperet? Eſt hæc inter primas veritates, quod ſcilicet anima humana ſit immortalis. Nam qui hanc non credit, nullum gravius judicium ſibi metuit, quàm mala quæ in hac vita contingunt, quæ cùm forti contemptu poſſit ſuperare, pietati & reconciliationi cum Deo operam non dat, ſed genio indulget. Diſcamus igitur, quantopere immortalitatem animæ Scriptura nobis inculcet. Vide Eccleſ. 12. 9. Matth. 10. 28. Luc. 12. 4. 2 Cor. 5. 8. Phil. 1. 21, 22. 2 Petr. 1. 14.

Object. At ſolus Deus habet immortalitatem, 1 Tim. 6. 16. *Reſp.* Solus Deus abſolutè & omni modo immortalis eſt, quia nec morietur unquam, nec ullo modo poteſt mori aut diſſolvi. Animæ autem noſtræ ſunt immortales, non quia nullo modo à Deo poſſunt diſſolvi, & in nihilum redigi (nam qui fecit ex nihilo, poteſt redigere in nihilum) ſed quia nec ab ulla creatura poſſunt occidi, nec ab ipſo Deo unquam occidentur, ſed conſervabuntur in æternum, vel ad patiendam pœnam quam promeritæ ſunt, vel ad fruendum beatitudine, quam Dei gratia ipſis præparavit.

2. Modum piè moriendi. Fidelium mors non eſt mera paſſio, ſed viva ac vehemens actio, qua animam ſuam ipſi tradunt Deo. Non licet ſibi ipſi mortem conſciſcere, nec licet ob tædia vitæ impatientibus votis mortem vocare, ſed debemus horam mortis divinitùs præparatam patienter exſpectare. Interim cum à Deo ad moriendum vocamur, & Deus animam noſtram ad ſe vocat, non debemus eſſe merè paſſivi, nec reluctari Deo impatienter, ſed debemus libenter animam Deo tradere. Beſtiæ cùm moriuntur nil agunt, niſi quod mortis dolores patiuntur, ſic & impii nil agunt, niſi quòd mortem patiuntur, eique ſæpe impatienter reluctantur. Sed pii, etſi non poſſunt deponere averſationem à morte, quæ omni viventi naturalis eſt, etſi etiam aliquando mallent adhuc ad tempus in carne manere, tamen cum vident voluntatem Dei, ſuperant ſe ipſos & deſideria naturæ ſuæ, flectunt voluntatem ſuam ſub voluntatem Dei, arripiunt animam quaſi manu, eamque Deo libenter tradunt, ſcientes & credentes eam apud Deum fore tutam ac beatam.

3. Statum animarum fidelium poſt mortem. Ubi ſunt animæ fidelium poſtquam à corpore ſeparatæ ſunt, & donec cum corpore ſuo redunientur? Sunt apud Dominum Jeſum, vident ejus faciem, & fruuntur ejus gloriâ. Is enim recipit & ſuſcipit eas ad ſe. Idem docetur 2 Cor. 5. 6. Phil. 1. 23. Luc. 23. 43. Hinc dicuntur eſſe ſub altari, Apoc. 6. 9. i. e. cum Chriſto. Sunt in manu Dei, Pſ. 31. 6. In ſinu Abrahæ, Luc. 16. 22. In cœleſti Jeruſalem, Heb. 12. 23. Stant coram Deo & laudant eum, Apoc. 5. 8, 9. & 7. 9. Sunt in beatitudine & fruuntur mercede operum ſuorum, Apoc. 14. 13. Vide quomodo ſtatus mortuorum deſcribatur. Eſ. 57. 1. Luc. 2. 30. 2 Reg. 22. 20. Si fideles credidiſſent, animas ſuas poſt mortem paſſuras in Purgatorio, cur tantopere mortem appetiiſſent. Eſt hoc certè ingens ſolatium pro omnibus piis, ad arcendos terrores mortis & ad accendendum gaudium in medio angore lethi. Sis modò fidelis uſque ad mortem, & tum recipies coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10. Quî potuiſſent tam lætè mori martyres, ſi Purgatorium credidiſſent? Verum quidem, quod beatitudo animarum nondum eſt adeò perfecta, atque erit poſt ultimum judicium, cùm non ſolùm in ſeipſis erunt beatæ, ſed etiam corporum ſuorum & totius Eccleſiæ reparationem videbunt, quam nunc exoptant, Apoc. 6. 9, 10. ſed tamen ſunt cum Chriſto, & fruuntur quiete ac beatitudine.

7. Fundamenta hujus petitionis ſeu rationem moventem includit in titulo quem dat Jeſu, appellans *Dominum Ieſu*, q. d. O Jeſu, tu me tuo ſanguine ab hoſtibus & dominio peccati tibi redemiſti in ſervum, & ego tibi durante vita fideliter ſervivi. Jam itaque recipe me ad te, ut faciem tuam videam. Hoc conſiderandum eſt iis, qui cupiunt tempore mortis Spiritum ſuum à Jeſu recipi. Non recipit niſi ſervorum ſuorum animas, ut legimus Johan. 12. 26. Servias igitur ipſi dum vivis, & ut ſervire poſſis, renuncia Diabolo, peccato & mundo. Nam qui duobus Dominis ſervit, verus ſervus à Chriſto non agnoſcitur, Matth. 6.

II. Cedentibus jam viribus procidit in genua, & magnâ voce clamavit: Domine, ne ſtatuas ipſis hoc peccatum. Non ſatis ipſi erat curare pro ſe

ſe & ſua anima, ſed etiam pro hoſtibus orat. Hujus precationis conſideranda,

1. Subſtantia: Eſt interceſſio pro hoſtibus. Sicut Chriſtum imitatur commendando animam ſuam in manus Patris, ita intercedendo pro hoſtibus. Chriſtus enim utrumque fecit, Luc. 23. v. 34. & 46. Precatur ne Deus ipſis hoc peccatum ſtatuat. Phraſis videtur deſumpta ex Pſal. 50. v. 21. & notat judicium ultimi diei, quo Deus apertis libris unumquemque de ſuis peccatis convincet, eumque puniet. Precatur igitur ipſis peccatorum remiſſionem, & per conſequens etiam converſionem à peccatis. Nam ubi converſio non eſt, ibi remiſſio locum non habet. Non tantùm exemplum fidei habemus in Stephano, quâ animam ſuam committit Chriſto, ſed etiam exemplum charitatis, quâ depoſitâ vindictæ cupiditate etiam pro hoſtibus orat. Hac in re jubemur imitari Chriſtum & Stephanum, Matth. 5. 44, 45. 1 Pet. 2. 23. Sic 1 Cor. 4. 12, 13. Diſcamus hoc imitari. Nam per hoc diſtat charitas Chriſtiana à charitate Ethnica & publicanorum, Matth. 5. 46. Talis fuit amor Chriſti erga nos. Cum enim nos inimici eſſemus, ille non tantùm pro nobis interceſſit, ſed etiam pro nobis mortuus eſt, Rom. 5. Et hunc amorem nobis in exemplum propoſuit, ut imitemur. Ideo dicit ſe nobis novum dare præceptum, Joh. 13. 34. cum præceptum caritatis dat. Quare novum? quia præcipit, ut non ſolùm proximum, ſed etiam inimicum diligamus. Lex jubet ut proximum diligamus ſicut nos ipſos, utque proximo faciamus, quod cupimus nobis ab ipſo fieri: Sed Chriſtus jubet, ut proximum diligamus, ſicut ipſe Chriſtus nos dilexit, ſcilicet etiam cùm inimicus eſt.

Object. Atqui Zacharias, cum lapidaretur intra templum & altare, contrarium fecit, 2 Chron. 24. v. 22. Et paſſim David in Pſalmis precatur, ut Deus non remittat hoſtibus ſuis. *Reſp.* Quod Prophetæ fecerunt, id nobis hac in parte non licet imitari. Prophetæ enim potuerunt ſcire qui hoſtium peccaſſent peccatum ad mortem, & proinde eſſent inconvertibiles, pro quibus etiam Johannes præcipit ut non oremus. Sed quia hoc nos neſcimus, non poſſumus tales imprecationes imitari, niſi fortè conditionaliter, cum qua conditionali imprecatione talis Chriſtiana interceſſio pro hoſtibus, probè poteſt conſiſtere.

2. Circumſtantiæ quæ ſunt duæ:

α. Precaturus has preces procidit in genua. Sancti quidem inter precandum non eundem ſemper geſtum corporis obſervant, ſed tamen in precibus maximè fervidis ſolent hunc eligere, quippe maximè convenientem cum humilitate, quæ in talibus precibus debet eſſe. Adſuefiant ei liberi noſtri inde à puero.

β. Protulit has preces clamore magnæ vocis. Non tantùm ut ſe toto corde hoc à Deo petere indigitaret, ſed etiam ut hunc ſuum amorem ipſis hoſtibus teſtatum redderet. Noſtri homines ad hoc admodum difficultet adiguntur. Dicunt quidem ſe remiſiſſe ex animo, & precari pro inimicis, ſed ut ipſis hoc reddant teſtatum adigi vix poſſunt. Eſt certè ſignum, quod remiſſio, quam profitentur, parum ſit ſincera. Quis credat enim ex animo depoſuiſſe iram & odium contra eum, quem non dignantur alloqui. Aliud vult mandatum Chriſti, Matth. 5. 24.

III. His dictis obdormivit, i. e. mortuus eſt, animam reddidit. Elegans deſcriptio mortis, & frequens in Scripturis, quæ tamen non niſi de morte piorum intelligenda. Impiorum enim mors non eſt ſomnus. Sepulchrum impiorum non eſt cubile quietis, ſed carcer cuſtodiæ, ubi corpora eorum reſervantur & reſtringuntur, ne amplius noceant Eccleſiæ, & reſervantur ad diem judicii. Verùm piorum corpora dicuntur obdormiſcere, quia mors eorum non conſiſtit in exſtinctione vitæ, ſed tantùm in abſconſione vitæ, Coloſ. 3. 3. Sicut tempore ſomni vita animalium retracta eſt in cor, ſicut tempore hyemis vita arborum retracta eſt in radicem; ita tempore mortis vita Chriſtianorum abſcondita eſt in Chriſto. Novum hoc eſt argumentum ſolatii contra mortem. Vide Johan. 11. v. 25, 26.

Actor. 8. *v.* 1, 2, 3, 4.

CONCIO LXXXI.

APoſtolorum ſors & officium erat Chriſto teſtimonium perhibere, ſeu Chriſtum prædicare tùm Hieroſolymis, tum in Judæa & Samaria, tùm inter Ethnicos uſque ad fines terræ, Actor. 1. v. 8. Hactenus vidimus quomodo intra urbem Hieroſolymam Euangelii annunciationem cœperint, & quo ſucceſſu Eccleſiam Chriſtianam ibi plantaverint. Sequitur ut etiam videamus, quomodo Euangelium & Eccleſia Chriſtiana propagata ſit extra urbem, primùm in Samariam & Judæam, deinde uſque ad fines terræ. Antequam autem Euangeliſta hujus propagationis ſingularia quædam exempla recenſet, occaſionem nobis ob oculos ponit, quâ factum, ut Euangelium extra Hieroſolymam fuerit propagatum. Ea fuit diſperſio Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, facta propter perſecutionem, quæ poſt Stephani martyrium ſuper totam Eccleſiam graſſata, & præcipuè à Saulo vehementer promota eſt. Stephano enim mortuo quidam viri pii eum ſepeliverunt, & Eccleſia magno luctu ejus mortem proſecuta eſt publicè; unde hoſtes irritati totam Eccleſiam cœperunt perſequi. Præcipuè autem Saulus, qui antea veſtes lapidantium cuſtodiverat, & in morte Stephani beneplacitum habuerat, acriter vaſtabat Eccleſiam Dei, trahens ex ædibus viros, fœminaſque, & in carceres tradens, quâ perſecutione factum eſt, ut omnes ſaltem plerique & membra & doctores, præter Apoſtolos, tranſirent terram & paſſim Euangelium prædicarent. Si ordinem textûs requiris, is talis eſt:

1. Dicit, poſt mortem Stephani magnam factam eſſe perſecutionem ſuper totam Eccleſiam, per quam tota Eccleſia, exceptis Apoſtolis, diſperſa ſit per Judæam & Samariam, v. 1.

2. Indicat cauſam hujus univerſalis perſequutionis, quia ſcilicet Stephanus lapidatus, honorificè ab Eccleſia ſepeliebatur & lugebatur, v. 2.

3. Præcipuum autorem hujus perſequutionis deſcribit v. 3. & v. 1. part. prima, quam alii cum capite ſeptimo connectunt.

4. Eventum hujus perſecutionis generaliter commemorat, v. 4.

Nos veſtigia textûs in explicatione ſequemur.

I. Saulus ſimul beneplacitum habebat in morte Stephani. Eſt ille Saulus de quo cap. 7. 58. dicitur, quod cuſtodiverit veſtes teſtium Stephanum lapidantium. Ejus peccatum ita crevit, ut maximum beneplacitum habeat in lapidatione Stephani, & paulò poſt ita creſcit, ut ipſe fiat graviſſimus perſequutor. Diſcimus hinc tres doctrinas:

1. Impii peccant cum beneplacito, ſeu cum delectatione. Pii peccant, impii peccant; ſed illi cum reluctatione contra voluntatem, hi verò volentes & cum beneplacito ac delectatione. Præcipuè peccatum invidiæ & propriæ vindictæ committitur cum delectatione. *Eſt vindicta malum vitâ jucundius ipſâ*, unde invidi & vindictæ cupidi, cum invidiam vel vindictam exſequuntur aliquo in proximum damno, dicuntur explere animum. Vide Job. 20. 12, 13. Job. 14. 16. Prov. 2. 14. Hinc dicuntur cupiditates peccati in talibus eſſe efficaces, Rom. 7. v. 5. cupiditatibus ſervire, Tit. 3. 3. pati dominari peccatum ſuper ſe, & obedire cupiditatibus ipſius, Rom. 7. 22. Matt. 12. 35. Jer. 6. 7. & 9. 3. Prov. 13. 19. &c. 24. 2. Malach. 2. 17. Eſa. 5. 18. 2Theſſ. 2. 12. & Apoſtolus alibi dicit, quod injuſtitiam faciant cupidè, Eph. 4. 19. & 1 Cor. 10. 6. ἐπιθυμηταὶ κακῶν. Nec poteſt fieri aliter. Sunt enim ſine Spiritu, qui carnem mortificet & refrænet, & proinde non poſſunt non plenâ voluntate peccare. E contrario pii dicuntur cupiditates ſuas habere crucifixas, Gal. 5. v. 24. non indulgere cupiditatibus, 1 Petr. 1. 14. abnegare cupiditates, Tit. 2. v, 12. etiam cum peccant, dicuntur non peccare, quia faciunt contra voluntatem, Rom. 7. 15, 16, 17, 19, 20. &c. pugnant contra concupiſcentiam, Gal. 5. v. 17. Hic itaque ſe probet unuſquiſque in ſuis peccatis. Nemo eſt quin peccet, ſed tamen in peccato magnum eſt diſcrimen. Piorum peccata non fluunt ex propoſito peccandi, ſed fiunt contra propoſitum ſæpe formatum & renovatum. Pii non habent famem & ſitim peccati, ſed nauſea ejus dicuntur, & poſtquam commiſſum eſt, eſt onus, parit dolorem. Sicut ſtomachus bonus, poſtquam comedit quod noxium eſt, non quieſcit donec evomuit; ita pius, poſtquam peccavit, non quieſcit donec peccati illius reatu & dominio ſe liberaverit. *Object.* Atqui impii

pii etiam ſubinde peccant ſine beneplacito in ſuo peccato, imò cum triſtitia, ſicut Herodes, Matth. 14. v. 9. *Reſp.* Iſta triſtitia & illubentia peccandi non eſt ex odio & diſplicentia peccati, ſed ex metu pœnæ. Si pœnam ſecum non traheret, peccatum non diſpliceret. Saltem eſt ex amiſſione cujuſdam commodi carnalis, quod perpetrationem iſtius peccati ſequitur. Sæpe fit ut homines illubenter faciant, quod alioquin faciunt libentiſſimè, cum ſcilicet aliquid incommodi ſecum trahit. Quod per ſe faciunt libenter, per accidens faciunt illibenter. Sic ipſe Herodes, qui libentiſſimè humanum ſanguinem effundebat, ut teſtatur tota ipſius hiſtoria, tamen illibenter Johannem occidebat, quia amabat & libenter eum audiebat, i. e. carnaliter in ejus doctrina delectabatur. Nimirum cum duæ voluptates contra ſe invicem pugnant, & altera alteram ſuperat, tum homines faciunt illibenter, quod tamen libenter faciunt. Sic idem Herodes impensè amabat Mariamnem uxorem, ſed tamen ambitio & cupiditas dominandi major in ipſo erat, quàm amor uxoris. Cum igitur ab amata uxore præjudicium pateretur ambitio, occidit Mariamnem, ſed illibenter, & cum multa reluctatione, ut teſtatur Joſephus. Sic etiam fuit in occiſione Baptiſtæ. Sic in aliis eſt ſervilis metus pœnæ, & tamen indomita cupiditas peccandi. Hæc facit ut peccent, ille ut illibenter peccent. Immò una cupiditas in duo objecta diviſa, poteſt facere, ut quis peccet invitus, e. g. ambitioſus Pilatus volens placere populo Judaico, & Imperatori quoque Romano, peccavit, ut placeret Judæis, invitè peccavit, quia videbat ſe diſpliciturum Romanis. Sed in fidelibus non eſt duorum peccatorum ſeu duarum voluptatum pugna, quæ facit, ut illibenter peccent, ſed pugna carnis & Spiritûs.

2. Non tantùm qui peccatum patrant, ſed qui patratoribus conſentiunt, & aliquam communionem habent cum peccato, rei ſunt coram Deo. Saulo enim exprobratur hîc *συνευδοκία* in malo, & communio cum peccato, dum veſtes peccantium cuſtodit, & ipſe hoc pro peccato ſuo agnoſcit, Actor. 22. v. 20. Planum eſt hujus dogmatis teſtimonium, Rom. 1. v. ult. ubi hoc eſt argumentum: Si illi ſunt digni morte qui talia patrant, quantò magis illi, qui non tantùm patrant, ſed & abblandiuntur patrantibus. Prov. 2. 14. gloriari in malorum perverſitatibus, inter proprietates impiorum refertur. Hinc paſſim communio cum aliorum peccatis nobis prohibetur. Vide Eph. 5. 11. Ratio in aprico eſt. Debet enim in piis eſſe odium peccati, ubicunque ſit. Odium peccati eſt pars juſtitiæ, quæ in Deo eſt, Habac. 1. 13. Quod ſi pii gerunt imaginem Dei, eſt quoque in illis odium peccati, non ſolùm quod in ipſis eſt; ſed etiam quod in aliis eſt. Hinc viri pii etiam alienis peccatis ſeſe macerant & cruciant, 2 Pet. 2. 8. Pſal. 119. 136. & reprehenduntur Corinthii, quod ſe ob alterius peccatum non humiliarint, 1 Cor. 5. 2. Quod ſi minus Chriſtianum eſt peccatis proximi non dolere nec contriſtari, nec zelo uti contra illa, prout officium cujuſque requirit, quantò magis turpe eſt aliorum peccatis applaudere, abblandiri & delectari? Et tamen quot ſunt in mundo, qui non tantùm propria peccata & aliena non, ut decet, deteſtantur & ſeſe ob ea humiliant, ſed etiam ſummæ delectationi habent, ſi quos alios poſſunt ad peccandum ineſcare. Examinent ſe Pontificii ſacrificuli, item noſtri Advocati, Prætores Scabini (quibus volupe eſt & utile, homines multùm peccare & multos ſibi invicem facere injurias, ut ita, cum ipſorum lucro, multùm opus habeant confiteri, & multum litigare) annon in ſe quadret illud quod in Sacerdotes Judæorum dicitur Hoſ. 4. 8. Videant noſtri ebrioſi, annon in ſe quadret illud Habac. 2. 15, 16. Quot ſunt, qui cum ipſi malum patrare coram hominibus erubeſcunt, tum alios qui patrent, ſubornant? Quot ſunt, qui mala permittunt, ut ſua inde commoda hauriant. Delectatur enim malis, qui Zelo contra malum non ducitur. Cùm in plateis noſtris audis puerorum & juvenum impuras loquutiones, blaſphemas ac diras imprecationes, cum vides publicas diei Dominicæ profanationes etiam ſub ipſis concionibus, cum percipis, publicum concurſum ad exercitia idololatrica, nec tamen moveris, certè declarabetis beneplacitum habere in malo. Nam ubi non eſt vera mali diſplicentia, ibi eſt complacentia in malo.

3. Denique hinc diſcimus, quod qui in alienis malis & peccatis beneplacitum habet, facilè fit eorundem peccatorum patrator. Paûlus initio non niſi beneplacitum habuit in cæde Sanctorum, ſed paulò poſt graviſſimus ipſe perſecutor factus eſt. Sic Salomon initio non niſi *συνευδοκίαν* quandam habuit in idololatria uxorum, paulò poſt idololatra ipſe factus eſt. Eſt hæc methodia Satanæ, ut, cum ad peccandum vult ſeducere, zelum contra peccata prius exſtinguat & *συνευδοκίαν* quandam ac mitius de peccatis judicium introducat. Hac

arte uſus hoc noſtro ſeculo, ubi aliquot retrò annis ſtrenuè laboravit, non ut nos reduceret ad Papiſmum, ſed ut modo Zelum contra illum mitigaret, & mitius judicium de eo induceret, quaſi non tanta ſit religionum differentia, ut tantâ abominatione opus ſit, nec licita ulla communio, multa etiam eſſe in Papatu egregia, quæ cum delectatione & utilitate poſſint conſpici, &c. quo ponte ſtrato, facile erit reducere ad idololatriam.

II. Perſecutionem Stephani ſequuta eſt perſecutio totius Eccleſiæ. Illo enim die, inquit textus, i. e. eo tempore, quo Stephanus ſublatus eſt, illicò etiam contra totam Eccleſiam facta eſt perſecutio. Act. 12. 1, 2, 3. legimus quod Herodes quibuſdam injiciebat manus, eoſque occidebat, & cum videret placere, pergebat. Sic hi, cum viderent populo non diſplicere occiſionem Stephani, pertexerunt ad totam Eccleſiam. Non tantùm contra Paſtores & Doctores graſſatur perſecutio, ſed etiam contra omnes Chriſtianos. Omnes enim, qui in Chriſto piè vivere volunt, ſive Paſtores ſint ſive alii, oportet perſecutionem pati, ſunt obnoxii perſecutionibus, 2 Tim. 3. 12. Solent quidem tyranni initio impunitatem promittere gregi, ut tantò facilius ferat ablationem Paſtorum, ſed illis ſublatis illicò ad defectionem ſollicitant gregem, & qui nolunt deficere, eos perſequuntur, ut hiſtoria noſtri temporis in Germania abundè docuit. Quicunque igitur vult inter vos eſſe verus Chriſti diſcipulus, & verum Eccleſiæ membrum, paret ſe ad ferendam perſecutionem, & induat propoſitum patiendi propter veritatem potius, quàm veritatem deſerendi. Non ſemper licebit veritatem tam impunè profiteri ut nunc. Venient tempora quibus pro veritate pugnandum & patiendum erit, ut eam retineamus. Docent hoc omnes hiſtoriæ, docent moderna exempla aliarum circa nos Eccleſiarum. Armate igitur vos eodem propoſito.

Sed hic prævideo cogitationes multorum inter nos, quæ ſunt: Si ad Turciſmum, vel Ethniciſmum vel Judaiſmum eſſem cogendus, mallem exilium pati aut mortem, quàm deficere. Sed ſi contingat me cogi ad aliam ſectam inter Chriſtianos, ea differentia tanti mihi non eſt, ut malim exilium aut mortem pati, quàm in aliam ſectam tranſire. Ego credo in Chriſtum, nec intelligo quæſtiones quibus inter ſe Chriſtianorum ſectæ differunt. An propter tale diſcrimen me pateret occidi? Ne pilum quidem vellem amittere.

Reſp. 1. Non poſſum ego credere, tales homines minus propter Turciſmum, Judaiſmum aut Ethniciſmum recuſaturos eſſe exilium aut martyrium, quàm propter ſectam aliquam Chriſtianorum. Qui enim ante omnes tentationes adeò promptus eſt ad recipiendum parvum errorem, de eo mihi parùm conſtantiæ contra magnos errores poſſum polliceri. Conſtantia enim martyrum fluit ex ſincero propoſito cordis obediendi Deo & Euangelio ipſius in omnibus. Ubi hoc fundamentum non eſt, ibi nil magis ſperari poteſt conſtantia contra tentationes ad magnos quàm ad parvos errores ac parva peccata. Vos miſeri! an vos pro religione vitam! vix pultem ex lendibus. O paraſiti! ex aulicis enim ſolet procedere hic ſermo.

2. Non poſſum ego credere, ullius ſectæ, quæ extra Euangelicam Eccleſiam eſt, confeſſionem minus diſcrepare à vero Chriſtianiſmo, quàm Turciſmus, Ethniciſmus, Judaiſmus ab eo differt. Non enim Doctores Eccleſiæ Euangelicæ de lana caprina diſputant cum doctoribus ſectarum & hæreſium, qui nomen Chriſtianorum gerunt, nec de ſtipulis & fœno, quod fundamento ſalvo ſuperædificatum ſit, ſed de dogmatibus quæ non minus noxia ſunt veræ pietati, ac dogmata Turcarum, &c. Quaſcunque mihi ſectas nomines extra Eccleſiam Euangelicam, ſive Papiſtas, ſive Socinianos, ſive Anabaptiſtas, ſive Pelagianos, mihi nondum perſuaſum eſt, ipſorum confeſſiones & dogmata minus diſcrepare à vero Chriſtianiſmo, quàm Turciſmus, &c. Probè equidem novi & perſuaſus ſum, in omnibus ſectis eſſe quàm plurimos, qui ſunt boni Chriſtiani, de quorum ſalute melius ſperandum ſit, quàm de ſalute Turcarum, &c. cùm dogmata ſuorum doctorum non intelligant, ſed alias ob cauſas cœtibus ipſorum adhæreant, & interim articulos fidei ſervent integros. Sed nobis hic quæſtio eſt de dogmatibus & confeſſionibus publicis ſectarum, quæ nomen Chriſtianorum ſibi tribuunt, an iis aliquis poſſit ſubſcribere, eaſque recipere minori cum periculo ſalutis, quàm ſi Turciſmum, &c. recipiat? Negamus hoc, & rationem damus: quia in iſtis Confeſſionibus non minor eſt abnegatio articulorum fidei ad ſalutem neceſſariorum, quàm eſt in Turciſmo, Judaiſmo, & Ethniciſmo. Sume modò duos articulos, videl. illum de juſtificatione & illum de ſanctificatione ſeu regeneratione. Qui doctrinam de juſtificatione Euangelica & regeneratione non habet, illum Scriptura declarat excidiſſe gratia, & non introiturum

rum in regnum Dei, Gal. 5. & Joh. 3. Sive talis Ethnicus, ſive Judæus, ſive Chriſtianus ſit, parum differentiæ eſt, nam unus æquè caret regno cœlorum ac alius, amiſit enim medullam & animam Chriſtianæ doctrinæ. At nulla eſt confeſſionum inter modernas Chriſtianorum ſectas, quæ ſunt extra Eccleſias Euangelicas, quæ non rotundè neget & miris modis corrumpat doctrinam de gratuita juſtificatione & efficaci regeneratione peccatoris per ſanguinem & Spiritum Chriſti. Non igitur ſine periculo ſalutis poſſunt illæ confeſſiones recipi & ſubſcribi. Videant igitur an ſatis ſincerè in Chriſtum & Euangelium ejus affecti ſint, qui animum adeò indifferentem in quæcunque ſectarum dogmata profitentur. Præſertim ſi ſint tales ſectæ, apud quas myſterium ſanctæ Trinitatis, in quod baptizamur, clarè impugnatur, & apud quas idololatria non minùs horrenda exercetur, quàm apud Ethnicos, pejor certè quàm apud Turcas, & de quibus ſpeciale nobis mandatum datum eſt in Scripturis, ut ab iis exeamus, nec impurum eorum tangamus, ne plagarum eorum fiamus participes. Quid aliud Papatus, quàm Ethniciſmus ſub Chriſtiano nomine? Quid Socinianiſmus, quam Schola Platonica? Non confeſſio nominis Chriſti, ſed confeſſio doctrinæ Chriſti facit Chriſtianos. Etſi Chriſtum nominas, & perſonam ejus non noſti, nec officium intelligis, nec media per quæ poſſis ejus fieri particeps, non es Chriſtianus. Ubi articulus de juſtificatione fuerit extinctus, annon tum Chriſtianiſmus fit Judaiſmus, & Euangelium lex? Quid ſublimiùs Socinus ſentit de Chriſto, quam Turcæ de Mahumete? Immo quid eſt quod de Chriſto ſentit, quod non de eodem ſentiant Turcæ, qui Chriſtum etiam habent pro ſancto Propheta Dei, qui voluntatem ejus nos docuit? Veteres ſanè Chriſtiani non tantùm ab Ethnicis & Judæis, ſed etiam ab Hæreticis Arrianis, Pelagianis & aliis perſecutiones conſtanter paſſi ſunt.

III. Hac perſecutione omnes diſperſi ſunt per terram Judaicam & Samaritanam. Omnes dicuntur *diſperſi*. Non eſt probabile, totam Eccleſiam fuiſſe urbe egreſſam, ſed hoc de multis, de plebiſque ac præcipuè de doctoribus intelligendum eſt, qui juxta Apoſtolos Hieroſolymis erant. Hi diſperſi fuerunt, ſive quod vi urbe ejecti & in exilium pulſi ſint, ſive quod fuga ſibi conſuluerunt, & graviora tormenta evaſerunt. Quæritur igitur hoc loco, an rectè fecerint, qui tempore perſecutionis fuga ſibi conſuluerunt, præſertim doctores? Si rectè, cur non etiam Apoſtoli fugerunt? Non rectiùs reſpondetur quàm per regulam Auguſtini; *In gravi perſequutione neque omnes fugere, neque omnes manere debent.* Fugere in ſe ipſo illicitum non eſt. Habemus enim ea de re mandatum Chriſti, Matth. 10. 23. Habemus etiam exempla ſanctorum, vid. Jacobi, qui fugit à facie Eſavi, Geneſ. 27. & 31. Moſis ex Ægypto in terram Midiam fugientis, idque non temerariè, ſed ex fide, Hebr. 11. 27. Prophetarum tempore Obadiæ, qui ſe paſſi ſunt abſcondi tempore perſecutionis, 1 Reg. 18. 13. Eliæ qui Jezabelem metuens in montem Horeb confugit, 1 Reg. 19. 3. ipſius Chriſti, Joh. 10. 39. & Pauli, Actor. 9. 25, 29, 30. Etſi autem tempore perſecutionis fugere licitum in ſe eſt, tamen omnibus non eſt licitum, illis ſc. qui ligati ſunt, ſive ſint ligati per vinculum vocationis, ſive per voluntatem magiſtratus; ſive per inſtinctum Spiritus S. ſive per providentiam Dei, omnia legitima fugæ media adimentis, illis, inquam, fugere non eſt licitum, quia non poſſunt fugere ſine perfidia, inobedientia & ſcandalo. Talibus imitandum eſt exemplum Chriſti, Matth. 16. 22, 23. & Pauli, Actor. 21. 12, 13. Quando autem fugere liceat, quando non liceat, generalibus regulis definiri non poteſt, ſed prudentiæ cujuſque permittendum eſt, ut ſecundum circumſtantias ita agat, ne conſcientiam lædat. Cautè enim hìc agendum, ne vel nimia confidentia temerarii ſimus & Deum tentemus, vel nimio metu Deo & Eccleſiæ ſimus infidi. Opus hìc prudentia, quam nemo niſi Pater luminum dare poteſt, quæque precibus ab ipſo impetranda eſt. Interim armemus nos propoſito Chriſtianæ conſtantiæ, & diſcamus ex Apoſtolorum exemplo, quod Deus etiam in medio fervore perſequutionum tutos præſtare poteſt ſuos, ſi ita gloriæ ipſius & ſaluti eorum conducit. Quantacunque enim fuerit perſecutio, tuti tamen fuerunt Apoſtoli in media urbe, quos tamen latuiſſe non eſt veriſimile, cum notiores eſſent iis, quos Paulus ex latebris extraxit. Probabilius eſt, quod hoſtes, memores exempli in Anania ſtatuti, & carceris per Angelum reſerati non auſi ſint denuò manus eis injicere. Stemus itaque potius quàm fugiamus. Dominus nos facile in aliquo angulo abſcondet. Quotieſcunque nos aliquis terror obruit, undecunque veniat, naturale nobis eſt, ut ſtatim cogitemus de fuga & circumſpiciamus latebras. Si fieri poteſt, ut ſine offenſione Dei fugiamus, licet

id

id quidem. Sed cum hoc fieri non poteſt, quid juvabit fuga? Vide Pſal. 139. 7, 8, 9, 10. Ad Chriſtum confugiamus, ille aſylum noſtrum, Pſal. 91. 1, 2.

Actor. 8. *v.* 2, 3, 4.

CONCIO LXXXII.

IV. SEquitur cauſa & occaſio hujus perſecutionis, quæ fuit, quod viri quidam εὐλαβεῖς Stephanum comportarunt, & magnum ſuper eo fecerunt planctum. Exacerbavit enim hoc Judæos, quod Chriſtani tam honorificâ ſepulturâ & tanto planctu proſequuti ſunt, quem ipſi tanquam maleficum & blaſphemum lapidaverant, & hac exacerbatione commoti perſequutionem hanc occeperant. Mirum eſt quantum de hac ſepultura Stephani nugentur nundinatores fabularum in Papatu: Judæos corpus Stephani abjeciſſe in agrum, ut à feris & volucribus voraretur, ibique manſiſſe per diem ac noctem, nec tamen ab ullis feris volucribusve fuiſſe tactum, ſed Gamalielem nocte ſequenti miſiſſe viros, qui illud occultè ad villam ſuam deferrent, ubi eum poſuerit in monumento novo, & LXX. dierum planctum ipſi fecerit. Poſt quadringentos ferè annos Gamalielem apparuiſſe quibuſdam Epiſcopis, eiſque revelaſſe ubi Stephanus ſit ſepultus, qui cum magna multitudine populi ad ſepulchrum acceſſerunt, eumque thecam ejus aperirent, tam ſuavem fragrantiam & odorem inde egreſſum eſſe, ut putarent omnes ſe in Paradiſo eſſe, utque ſuavitate iſtius odoris ea ipſa hora ſeptuaginta tres miſerabiles perſonæ ſint curatæ, aliæ ab obſeſſione Dæmonum, aliæ à fluxu ſanguinis, aliæ à ſtrumis, aliæ à tertianis febribus &c. cumque inde in montem Zion portaviſſent, extemplo terram, diuturna ſiccitate aridam, larga pluvia fuiſſe madefactam, inde reliquias ejus variè diviſas partim in Africam, Luſitaniam, Hiſpaniam, Galliam deveniſſe, ubi tanta miracula patraverint & etiamnum patrent, ut vix dici queat, & hora hæc omnibus recenſendis non ſufficiat, adeò ut Stephanus etiamnum hodie tanquam primarius Eccleſiæ Diaconus Euangelium è ſuggeſtu decantet, & ſequentibus ſignis confirmet. Vide famoſum fabuloſum Jeſuitam Cornel. à Lapide, commentario ſuper hunc locum. Ecce tam dulcibus hiſtoriis de ſepulturis & reliquiis Sanctorum poſſunt ſancti Patres in Romana Eccleſia Catholicas ſuas animulas paſcere & reficere. Quid quæſo in Reformatis Eccleſiis ſimile invenitur, ubi nihil invenitur præter Scripturam? Quid quæſo aniculas commoveat ad frequentanda Reform. Templa, cum nihil ibi audiant præter Scripturam? Sed fœnum ad horreum, & fabulæ ad eos pertinent, qui mendacium amant. Vos qui veritatem quæritis, non vultis paſci fabulis. Sola Scriptura ſemen eſt, ex quo creſcit pietas & fides. Solam igitur ſeminamus in agro Dei. Ex fabulis non creſcunt niſi Zizania ſuperſtitionis & profanitatis.

Object. At veneranda antiquitas talia narrat, e. g. Auguſtinus & alii. *Reſp.* Meretrix Babylonica, quæ ſatis impudentiæ habuit ad fabulas fingendas, habuit etiam ſatis impudentiæ ſpurios ſuos exponendi ad fores honeſtorum virorum, & fabulas ſuas infarciendi libris ſanctorum Patrum, ut eorum nomine venditi fidem invenirent. Sapientior fuit Auguſtinus, quàm ut talibus nugis animum expleret. Vadant igitur amatores mendacii ad nundinatores fabularum, ut inveniant ſimiles labris lactucas. Nos Scripturam audiamus, quæ tria nobis hoc loco proponere ſatis habet:

1. Stephanum fuiſſe ſepultum: συνεκόμισαν. Idem quod c. 5. v. 6. συνέστειλαν, & ſignificat præparationem cadaveris ad ſepulturam, quæ conſiſtit in lotione, unctione, involutione & impoſitione in loculum.

2. Magnum planctum ſuper ipſo fuiſſe factum: puto duo notari hac voce. 1. pompam funebrem, quâ cum ad ſepulchrum fuit elatus. Solebant enim Judæi magna cum pompa & frequenti comitatu ſepelire mortuos. 2. Luctum & triſtitiam Chriſtianorum. Mirum enim non eſt, Eccleſiam fuiſſe verè triſtem ob interitum tanti organi, à quo tantum ædificationis erat expectandum.

3. Hanc ſepulturam factam à viris εὐλαβέσι. Εὐλάβεια metum & timorem ſignificat, & ſpecialiter pro timore Dei uſurpatur, & ſic totam pietatem denotat. Propriè ſignificat prudentem apprehenſionem, & eſt metaphora ab iis, qui vas fragile & pretioſum portarunt prudenter illud & cautè tractant, ne vel frangant, vel liquorem pretioſum effundant. Hæc eſt vera natura timoris filialis, quo fideles Deum colunt. Appropinquant ad Deum, aſſumunt nomen Domini in os ſuum, attrectant ipſius ſacta, verùm non temerè, ſed reverenter, prudenter, ne profanent. Sciunt enim pii ſanctitatem & majeſtatem Domini, & quod ſanctificari velit ab iis qui ad ipſum accedunt, Levit. 10. ideoque calceos

ceos exuunt in ipſius præſentia, i. e. reverenter ſe componunt, & cum timore ac tremore ad ipſum appropinquant.

Ex hoc verſu ſequentia nobis obſervanda dogmata de ſepultura Chriſtianorum.

I. Verbo Dei conveniens eſſe, & conſuetudinem Chriſtianam, ſepelire mortuos in terram. Barbari multi ſuos mortuos devorant, rati chariores nobis eſſe debere amicos ac cognatos quàm ut vermibus devorandos demus. Plerique Ethnici cultiores ſoliti fuerunt cremare ſuos mortuos in rogo, & tum cineres urnæ impoſitos reponere, vel etiam ſine combuſtione ſepelire in terram. Alii barbari vulturibus & canibus dabant devoranda mortuorum cadavera. Alii aromatibus condita ſaxis includebant, ut in longum ævum ſervarentur. Alii ſeparatis carnibus cranium & oſſa auro circumdabant, & pocula ac patinas inde conficiebant, quibus in menſa quotidie utebantur. Alii truncis ſuffixa exponebant aëri & ſoli conſumenda. Sed politiores, uti dixi, gentes ſolebant ſepelire, qui etiam perpetuus fuit mos populi Dei tum in V. tum N. T. Legimus quidem de combuſtione mortuorum 1 Sam. 31. 12. Amos 6 10. Sed quid hoc ſit, vide in notis ad Biblia Belgica. Compara etiam 2 Chron. 16. v. 14. Verùm cauſa, propter quam terræ mandantur mortuorum corpora, apud Ethnicos & populum Dei non eſt eadem. Ethnici terræ mandabant, non defunctorum ſed vivorum cauſa ſepulturam inventam putantes, ne viſu & fœtore vivos offenderet; quamvis & luci naturæ conveniens putabant, ut redderentur primæ parenti, ex qua ortum habebant. Putabant etiam animas non poſſe quieſcere, ſed errare, quamdiu inſepulta erant corpora. Sed populus Dei ex Sacra Scriptura aliter hac de re edoctus, mortuos ſuos non comburit, nec beſtiis objicit, nec inſtar beſtialium cadaverum abjicit, nec ſoli & aëri conſumenda & exſiccanda exponit, ſed terræ mandat, ut corruptionem videant, idque non tantùm ideo, ut ex vivorum conſpectu fœda corpora removerentur; ſed præcipuè ob duas alias cauſas:

I. Quia conforme eſt ſententiæ ſuper peccatores pronunciatæ: Pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3. Recondimus igitur noſtros mortuos in terram, ut teſtemur nos minimè oblitos eſſe, quales natura ſimus, ſcil. maledictos à Deo & in maledictam terram convertendos. Sepultura igitur Chriſtianorum eſt confeſſio noſtræ maledictionis, quam peccando ſumus meriti. Et quoniam Scriptura ſæpe per vocem *Scheol*, quæ propriè ſepulchrum ſignificat, locum & ſtatum damnatorum denotat. Num. 16. 30, 31, 32. non obſcurè indicat, ſepulturam mortuorum ideo in uſu eſſe in populo Dei, ut ſepulchra eorum eſſent monumenta & temporalis & æternæ mortis peccatorum merito acquiſitæ, & abyſſi illius & putei ſulphure ardentis, in quem eramus conjiciendi Apoc. 21. Ideo etiam Chriſtus voluit ſepeliri, ut teſtaretur & ſe verè mortuum eſſe, & morte ſuâ maledictionem, ad quam damnati eramus, à nobis abſtuliſſe.

2. Voluit Deus Chriſtianos ſuos mortuos ſepelire, ut ea re teſtarentur ſuam fidem & ſpem de reſurrectione carnis. Dum enim non abjiciunt cadavera hominum ſicut beſtiarum, eo ſignificant, ſe non habere mortuos pro amiſſis, ſed ſeparare reſurrectionem. Hoc ipſum eſt argumentum Pauli 1 Cor. 15. 29. q. d. ſi mortui non reſurgent, quid faciunt ii, qui ſuper mortuis tantum lotionis, tantum pollinctionis, tantum honeſtæ pompæ inſtituunt, & tot ceremonias adhibent circa mortuos. (βαπτίζοι enim eſt verbum medium & activè ſignificat;) cur non abjiciunt ſicut alia cadavera? Quid facient ſuis ceremoniis, i. e. quo pacto excuſabunt eos, quem titulum ipſis dabunt? Sicut grana tritici conjicimus in terram, quia ſperamus reſurrectura cum fœnore, ita corpora mortuorum non abjicimus, ſed in terram recondimus ut corruptionem videant, quia per corruptionem ab inhabitante peccato liberata reſurrectura credimus ad novam vitam, quæ ſit ſine peccato. Applica dicta Joh. 12. 24. qui quidem locus de Chriſto propriè dicitur, ſed tamen in fideles quoque quadrat. Cùm enim fideles cum Chriſto mortui & ſepulti ſint, cum Chriſto quoque & ejus vi reſurgunt Rom. 6. ideo etiam ad omnes accommodatur fideles 1 Cor. 15. 36, 37. Vide etiam Eſa. 26. 19. Hæc virtus communionis quam habemus cum Chriſto, quod corpora noſtra, ſanguine Chriſti aſperſa, & Spiritu ejus obſignata, & in habitaculum ejus ſanctificata, ne in morte quidem & media corruptione penitus ſunt mortua, ſed virtute ſanguinis & Spiritûs Chriſti etiam cineres ipſorum in medio terræ cuſtodiuntur, purgantur & tandem vivificantur ad glorioſam reſurrectionem, ſicut virtute cœli vegetantur grana in ventrem terræ conjecta. Ne itaq; vel funera comitemur, vel ſepulchra aſpiciamus ſine cõmotione cordis, ſed.

Ii 1. Si

1. Si impius es, cogita tuam mortalitatem, immò maledictionem & demerſionem in profundiſſimum ſtagnum inferni. Corpus meum, inquias, in hoc obſcuro carcere retinebitur incluſum, donec veniat judex, quem ubi videro, optabo quidem ut maneam tectus in ſepulchro & ſub rupibus ac ſaxis, ſed oportebit me comparere coram ejus throno, ubi poſt acceptam condemnationis ſententiam, reunito corpore cum anima, totus in tartarum præcipitabor. Si hoc metuis, emenda vitam.

2. Si pius es, cogita futuram gloriam tui corporis. Geris hic corpus languidum, morboſum &c. adſpice ſepulchrum, ibi locus & officina regenerationis, ubi renovabitur juventus tua ut aquilæ. Solare te dictis 1 Cor. 15. 42, 43. Eſa. 26. 20.

II. Secunda doctrina eſt hæc: Cùm pii ſuos mortuos ſepeliunt, ſepeliunt eos cum luctu & planctu. Sic Gen. 50. 10. Deuter. 34. 8. 2 Chron. 35. 24, 25. Hic luctus non tantùm conſiſtit in externa pompa funebri, quæ luctuoſam aliquam ſpeciem habet, ſed in vera triſtitia cordis. Nam 1. fideles non ſunt inſtar caponum, qui ſine commotione ſociorum mactationem inſpiciunt, ſed peccati, ex quo mors oritur, piâ ac triſti recordatione tanguntur. 2. Fideles non tantum cognatis ſuis amore carnali, ſed omnibus piis vero & Chriſtiano amore ſecundùm præcepta Dei ſunt agglutinati: Non igitur poſſunt eos dimittere ſine lachrymis & triſtitia. 3. Præſertim ſi fuerunt exemplariter pii, & magnorum donorum viri, qui exemplo, auctoritate & doctrinâ potuerunt diutiùs profuiſſe Eccleſiæ, & nobis particulariter, 2 Reg. 2. 12. 2 Reg. 13. 14.

Obj. 1. At Paulus vetat lugere mortuos 1 Theſſ. 4. 13. *Reſp.* Non vetat omnem luctum, ſed luctum ethnicum ſe vetare dicit, qui eſt immoderatus, fidem excludens, & conſolationem non admittens, ſed murmurationem contra Deum includens. Sed dum ethnicum luctum vetat, Chriſtianum non improbat. Chriſtianorum enim eſt in proſperitate non gaudere ſine luctu, in adverſitate non lugere ſine gaudio, ſed triſtitiam temperare fide ac gaudio, gaudium etiam triſtitiâ. Hinc legimus multos ſibi feciſſe ſepulchra dum viverent, & quidem in delitioſis hortis, ut gaudia ſua luctu temperarent, 2 Chron. 16. 14. Matth. 27. 60.

Object. 2. Fuit voluntas Domini hunc hominem mori, quæ lugenda non eſt, ſed cum gaudio admittenda. *Reſp.* Etſi voluntas Dei non eſt lugenda, lugendum tamen eſt, quod Deo peccatis noſtris dedimus cauſam, propter quam vult nos occidere & orbare amicis ac bonis inſtrumentis, quorum ope vita noſtra potuiſſet habere ſolatium. Non debemus eſſe ſine ſenſu judiciorum divinorum, quibus nos vult caſtigare. Vide Numer. 12. 14.

Videant igitur noſtri Chriſtiani, quàm juſtè faciant, quod ſupulturas ſuorum amicorum faciunt occaſionem ſuperbiæ, ut nunquam magis ſuperbiam ſuam oſtendant, quàm in ſepultura; item occaſionem ebrietatis, quod celeberrimum inter nos. Licitæ ſunt exequiæ honeſtæ, ſed non ſuperbæ; Videant quoque quid agant leviculi conjuges, qui vix mortuo & ſepulto conjuge alium amant & ambiunt.

III. Tertia doctrina eſt hæc: Quod ſepelire mortuos non tantùm eſt res honeſtatis, ſed etiam pietatis, quæ Deo grata eſt. *Viri pii* ſepeliverunt Stephanum, ex pietate & religione fecerunt. Clarum hujus rei teſtimonium habes 2 Sam. 2. 5, 6. Et ratio eſt, quia eſt teſtificatio veri amoris & veræ fidei. Sicut magna erat pietas in Joſepho Chriſtum ſepeliente, quod etiam mortuum Salvatorem amaret, & in mortuum crederet; ita eſt magna teſtificatio fidei & amoris, quod etiam mortuos fideles non ſinimus inſtar quiſquiliarum conculcari, templa Spiritus, futuros hæredes æternæ gloriæ, ſed tanquam pretioſa membra Chriſti reponimus extra injurias hominum & beſtiarum. Hinc tanquam magna impietas hoſtium exaggeratur, quod non ſepeliverunt Sanctos quos occiderunt, Pſal. 79. 2, 3.

Object. At mortuorum eſt ſepelire mortuos, i.e. impiorum, qui in peccatis mortui ſunt, Matt. 8. 22. Ergo non piorum. *Reſp.* Hinc tantùm hoc ſequitur quod pii non ſinant ſe talibus occupationibus, qualis eſt mortuorum ſepultura, impediri ab obedientia majoris præcepti. Habebat hic diſcipulus ſpeciale mandatum ſequendi Chriſtum. Ab hujus obedientia volebat ſe ſubducere prætextu ſepeliendi Patris. Chriſtus jubet ut hanc rem committat aliis, & ipſe ſe ſequatur. Non improbat pietatem diſcipuli in parentem, ſed vult obedientiam erga Chriſti mandatum præferat officio erga parentes, præſertim ſi fuerint impii & infideles, quales hic videtur fuiſſe. Diſcamus igitur mortuis hoc officium non negare: præſertim cum tempore peſtis non videmur ſine periculo poſſe. Cogitemus nos eſſe occupatos in bono & Chriſtiano opere.

Actor. 8. v. 3, 4.

CONCIO LXXXIII.

SEquitur auctor præcipuus & actor hujus perſecutionis, nec non illius agendi & perſequendi modus.

I. Auctor & actor perſecutionis eſt Paulus, ille de quo ſupra. Non quaſi ille fuerit ex magiſtratu, qui auctoritate polluit, ſed quia Zelo ſuo Phariſaico, (de illa enim ſecta erat) magiſtratum ad perſecutionem inſtigabat, & ſeipſum lictorem offerebat ad Chriſtianos conquirendos, ſi modo à magiſtratu ita facere juberetur. Paſſim enim Scriptura teſtatur, quod Paulus ex Zelo Judaicæ religionis hanc perſecutionem inſtituerit. Duplices ſunt perſecutores Eccleſiæ.

1. Perſecutores profani, qui profano aliquo vitio ad perſequendum impelluntur. Alii truculentiâ & feritate, quâ ſitiunt humanum ſanguinem, ut Nero, Domitianus, &c. Alii ex ambitione & invidia, putantes florem Chriſti & Eccleſiæ officere ſuæ gloriæ mundanæ, quales fuerunt Herodes & Scribæ ac Phariſæi Chriſtum crucifigentes. Alii ex Politicis reſpectibus, quis ad magnitudinem ſuam ampliandam; aut ad mundi amicitiam retinendam ita conducit, ut Pilatus, Trajanus, & alii.

2. Perſecutores religioſi, qui ex Zelo & religione in Deum, Eccleſiam ac veritatem ejus perſequuntur, putantes ſe Deo gratum cultum præſtare, ut loquitur Scriptura Johan. 16. 2. Talis fuit noſter Paulus. Erat quidem Saulus inconverſus & irregenitus, adeoque omnium vitiorum dominio ſubjectus, ut patet ex confeſſione ipſius, Tit. 3. v. 3. Sed tamen erat homo vitæ honeſtæ, non truculentus ac ferus tyrannus, nec invidus canis, nec fraudulentus, ambitioſus & Machiavellicus Politicus, ſed qui inde ab initio bona conſcientia ambulavit, Actor. 23. 1. Phil. 3. 6. ſtuduit eſſe religioſus, etſi à vera religione quàm longiſſimè abfuit. Nondum erat ovis ſed lupus, nondum ſubditus Chriſti ſed rebellis hoſtis Dei, calcitrans contra ſtimulum, Act. 9. 5. Et tamen tam furioſè Eccleſiam devaſtavit inſtar lupi. Quis affectus quæſo ad hanc rabiem eum impulit, ſi fuit homo adeò honeſtus ac civilis? Fuit Zelus in legem patriam. Lege hujus rei teſtimonia Gal. 1. 13, 14. Phil. 3. 5, 6. Act. 22. 3, 4. Act. 26. 9, 10, 11. Quod ſi fuit zelus & religio in Deum & legem Dei, & in ceremonias ab ipſo Deo inſtitutas, quî potuit eſſe peccatum? Immò graviſſimum fuit peccatum, ipſo Paulo teſte, 1 Tim. 1. 13. & 16. 1 Cor. 15. 9. Unde etiam in hoc textu noſtro comparatur cum rabioſo lupo, qui Eccleſiam ceu gregem vaſtavit, & Actor. 9. 1. cum tyranno, qui non niſi minas & cædem ſpiravit. Sed quare fuit peccatum hic Pauli fervor & zelus? Utique paſſim tepor in cultu Dei culpatur & fervor laudatur Apoc. 3. Rom. 12. 11. *Reſp.* Propter duas cauſas peccatum fuit.

I. Quia non fuit Zelus pro bono, ſed pro malo; non pro veritate, ſed pro traditionibus hominum, quaſi Zelo fruſtra ſervitur Deo Matth. 15. Bonum eſt zelari pro bono, ſed pro malo zelari non eſt bonum. Vide Gal. 4. 17, 18. Rom. 10. 2. Atqui Paulus zelabatur pro falſis gloſſis Phariſæorum, pro traditionibus Patrum, erigens propriam juſtitiam, contra Euangelium à Prophetis revelatum, à Chriſto clariſſimè declaratum, & tot miraculis confirmatum. *Except.* Fuit igitur merus error, qui pro tanto peccato haberi non poteſt. Quàm facile enim eſt hominem errare & unam religionem pro alia amplecti. *Reſp.* Fuit affectatus error, quo ita ſe addixit auctoritati Patrum, ut viam religionis, cui inſiſtebat, non comparaverit cum ſcriptis Prophetarum, nec cedere voluerit clariſſimæ luci per doctrinam & miracula Chriſti ac Apoſtolorum fulgenti, adeò ut de ipſo dici poſſit illud Petri 2 Pet. 3. 5. *Volentes neſciunt*, qualis error non eſt leve peccatum, ſed graviſſimas habet comminationes 2 Theſſ. 1. 8, 9. & cap. 2. 10, 11, 12.

2. Quia Zelus ejus erat ita ſine amore. Zelus omnis ſua natura eſt quædam ira & indignatio contra peccatum. Zelus domus tuæ me comedit, Pſal. 69. v. 10. Eſt ira comedens. Sic Moſes videns vitulum idololatricum, iraſcebatur, Exod. 32. 19. Sed tamen eſt ira talis quæ non eſt ſine amore in peccatores, immò quæ proficiſcitur ex amore Dei & domûs ipſius. Aliud eſt Chriſtianus zelus, aliud ira. Cum Petrus arrepto gladio Malchi aurem abſcinderet, non erat zelus ſed ira, cum diſcipuli ignem ex cœlo peterent contra Samaritanos Chriſtum contemnentes Luc. 9. non erat zelus ſed ira. Et talis erat Pauli zelus. Poſito, quod zelus ejus fuiſſet non contra veritatem ſed pro veritate, tamen non fuiſſet zelus bonus, quia non erat cum amore & miſericordia

contra errantes, quos Deus non juſſit occidere, ſed cum omni manſuetudine inſtituere, commonefacere tempeſtivè & intempeſtivè 2Tim. 2. & 4. Poſito quod Papiſtæ noſtri zelarentur pro veritate contra noſtros errores, tamen infandæ eorum perſequntiones & lanienæ, quas contra nos exercuerunt & etiamnum exercent, non forent laudabilis Zelus, ſed Diabolica tyrannis & rabies. Immò rotundè docemus, quod ſi vos, qui veritatem habetis, Idololatricos Papiſtas, ſpecialiter eos, qui non ſeducunt, ſed ſeducuntur, eo modo tractaretis, uti illi nos tractant, non zelum exerceretis, ſed furorem. Docemus quidem, quod Chriſtianus Magiſtratus tenetur propagationem idololatriæ & errorum impedire, & petulantes ac apertè blaſphemos turbones Reipubl. ac Eccleſiæ punire; ſed non docemus, eum ſine amore & compaſſione crudelibus lanienis debere ſævire in eos, qui à veritate abalienati ſunt, nec errori ſuo indulgent ad ſeditiones & blaſphemias.

Tria ſunt quæ hinc diſcimus:

1. Refutationem eorum, qui docent zelum Pauli eſſe cauſam impellentem, vel etiam meritoriam, propter quam converſus ſit. Cum hoſtibus gratiæ objicimus exemplum Pauli, & jubemus eos inde concludere, quod Deus in electione & vocatione non reſpiciat merita vel bonas diſpoſitiones hominum, cùm Paulum vocaverit in ipſo actu graviſſimi peccati occupatum; excipere ſolent, Deum conniviſſe ad errorem Pauli, & reſpexiſſe zelum illum honeſtum, quo Deo in bona conſcientia cupiebat ſervire. Sed ego contra hos ſic argumentor: Quicquid fuit graviſſimum peccatum & Paulum fecit maximum omnium peccatorem, & indignum Apoſtolatu, nedum gratiâ converſionis, id non potuit eſſe cauſa impellens, quæ Deum movit ad Paulum convertendum. Atqui zelus Pauli hoc fecit. Ergo. Inſtant. At Paulus ipſe dicit ſibi ideo miſericordiam obveniſſe, quod inſcius fecerit in infidelitate 1Tim. 1. 13. *Reſp.* 1. Si zelus contra veritatem ex inſcitia & infidelitate commiſſus eſt cauſa meritoria vel impellens gratiæ, tum mirum eſt, non omnibus crucifixoribus Chriſti & perſequutoribus Pauli gratiam converſionis obveniſſe. Nam illi omnes quod fecerunt, fecerunt ex zelo in ignorantia & infidelitate Luc. 23. 34. Act. 22. 3. 2. Paulus hoc loco non agit de miſericordia qua factus eſt Chriſtianus, ſed de ea, qua factus eſt Apoſtolus, ut patet legentibus. Si Paulus Chriſtianam religionem intelligens & profeſſus tam grave peccatum commiſiſſet, ſcandaloſum fuiſſet eum ad Apoſtolatum vocare. Sed quia hoc factum ante converſionem, & quia peccata illa gravia per ſubſequentem converſionem fuerunt abrupta, ideo Deus gravibus Pauli peccatis non fuit impeditus, quin ex miſericordia ipſi Apoſtolatum committeret.

2. Non omnis zelus & religio pietas eſt, nec omnes religioſi pii. Non allegabo nunc dictum Chriſti: Non omnis qui ad me dicit Domine Domine, &c. Non enim loquor de iis qui externâ veritatis profeſſione hypocriſin cordis tegunt. Sed loquor de iis, qui verè religioſi ſunt, & zelo in Deum ducuntur; etiam illi, inquam, non omnes ſunt pii. Paulus hoc tempore erat religioſus & zeloſus, immò etiam lumini conſcientiæ reformidavit vim inferre & conſcientiam lædere, & erat in juſtitia quæ ſecundum legem eſt, irreprehenſibilis Phil. 3. & tamen non erat pius, ſed blaſphemus perſecutor, convitiator. Idem legimus de Pilato, qui ſane fuit vir honeſtus & admodum laboravit impollutam retinere conſcientiam, nec tamen fuit vir pius. Idem Paulus teſtatur de Iſraëlitis ſuis Rom. 10. 2. qui ſanè non erant pii, & tamen habebant zelum Dei. Quid autem deerat zelo & religioni eorum, cur non eſſet pietas? Declarat hoc Apoſtolus ibidem v. 2, 3, 4. & cap. 9. 31, 32. Eſt quidem bonum zelari pro lege contra peccata & abominationes vitæ, ſed niſi hic zelus ſit conjunctus cum cognitione myſteriorum Euangelii, quo Chriſtus nobis prædicatur, & vera via, qua homo peccator coram Deo poteſt juſtificari, revelatur, zelus eſt religio ſine pietate. Myſterium enim pietatis, i. e. doctrina quæ veram pietatem parit, eſt doctrina de Chriſto & ejus officio, 1Tim. 3. 16. Qui ſine hac aut contra hanc zelatur, non poteſt eſſe pius. Obſervandum hoc eſt illis, qui indignantur, cum Paſtores ſuos vident adeò zelari pro veritate & doctrina Euangelii; & bonam concionis partem in illa aſſerenda ponere, putantes paſtores ſatisfacere ſuo officio, ſi modò ſtrenuè tonitrua vibrent contra ſcortationes, adulteria, fraudulentiam &c. Sunt homines, qui cùm audiunt concionatorem in veritate aliqua Euangelica aſſerenda & vindicanda occupatum, ſponte avertant animum ab attentione, quaſi hæc ſit res quæ ipſos non concernat. Sed heus, nos non minus debemus prædicare Euangelium quàm legem, & vos utrumque æquè

què libenter audire. Obſervandum hoc quoque illis, qui indignantur, nos tantum differentiæ ponere inter nos & homines aliarum ſectarum, & de iis non æquè benè ſentire ac de illis qui Reformatam Euangelii doctrinam profitentur, cùm tamen ſint homines æquè religioſi ac nos, qui ſæpe plus laboris ac moleſtiæ adhibeant ad conſequendam ſalutem, quàm nos. Non diffitemur certè in omnibus ſectis eſſe, qui zelum habent in Deum, & magno cum labore ſalutem ſuam quærunt, ſed hoc non eſt cauſa putandi, ſalutem eorum non eſſe in periculo, nec multum intereſſe, veritatem Euangelii habeant nec ne. Paulus ante converſionem erat certè religioſus, & multo labore quærebat ſalutem ſub auſtera ſecta Phariſæorum. Sed an ideo converſio & cognitio Euangelii ipſi non fuit neceſſaria? Quis hoc dicat? Si non opus eſt ad ſalutem, ut homo recipiat doctrinam de Trinitate Perſonarum in uno Deo, de duabus naturis earumque perſonali unione in Chriſto, de ſatisfactione Chriſti pro noſtris peccatis, de neceſſitate regenerationis per Spiritum S. de juſtificatione per fidem ſine operibus, de diſcrimine legis & Euangelii, de perpetuitate fœderis gratuiti, de reſurrectione mortuorum &c. Si inquam, harum rerum cognitio non eſt ita neceſſaria, quin ſine ea homines poſſint per religioſam obſervationem legis ſalvi fieri, cur opus fuit ut Paulus tam zeloſus in lege, converteretur ad Euangelium, cur opus ut impoſterum in Epiſtolis ſuis pro hac veritate tantoperè zelaretur? Quæſo ne tam parvi faciamus lucem Euangelii, ſed demus operam, ut cognitionem ejus probè imbibamus. Scimus enim ſine cognitione Euangelii de Chriſto nos non habere communionem cum Chriſto, nec participes eſſe Spiritus ipſius per quem regeneremur ad novam vitam, ut verâ pietate cordis Deo poſſimus ſervire, & ſi maximè externa aliqua religione & zelo vitæ honeſtæ ducamur, non poteſt placere Deo, ſed ſumus ut populus qui ſedet in tenebris & valle mortis. Ne dicamus, etiamſi non ſum diligens & fervidus in frequentando templo, tamen poſſum benè vivere. Non potes certè. Nam prædicatio Euangelii cauſa pietatis Contendamus igitur pro fide Sanctis traditâ, & nihil magis curemus, quàm ut habeamus puram doctrinam Euangelii inter nos ſonantem quæ docet abnegationem propriæ juſtitiæ & receptionem juſtitiæ Dei in Euangelio revelatæ.

5. Nec omnis zelus pro bona cauſa pietas eſt, ſi ſcil. ſit ſine mixtura charitatis & diſcretionis. Poſito quod Paulus pro veritate zelatus fuiſſet, tamen zelus ejus bonus non fuiſſet, quia erat ſanguinolentus & ſine charitate. Debemus recordari adhortationem Apoſtoli 2 Petr. 1. 7. Non tantùm cum pietate & zelo debemus conjungere τὴν φιλαδελφίαν, ſed etiam amorem communem. Sicut miſericordia ſine debito zelo non eſt miſericordia ſed lentitudo, ita zelus ſine miſericordia, compaſſione & diſcretione ac amore non eſt zelus. Utinam diſcerent hoc noſtri cum ſunt in bello cum hoſtibus, vel in lite cum proximo, ſive ſit in cauſa privata, ſive in cauſa publica. Putant ſe pro bona cauſa belligerare, perinde igitur eſſe quomodocunque tractent hoſtes, nec opus eſſe miſericordia. Putant ſe pro bona cauſa litigare, perinde igitur eſſe, quomodocunque fulminent, convitientur &c. Chriſtianis non tantùm veritas, ſed & charitas debet eſſe cordi. Debemus igitur ſic zelare pro veritate & juſtitia, ne ipſi alios ob injuſtitiam & falſitatem arguendo fiamus transgreſſores charitatis. Hoc præcipuè obſervandum, cum nobis res eſt non cum apertis veritatis & Eccleſiæ hoſtibus, ſed cum membris Eccleſiæ, qui eandem veritatem nobiſcum profitentur, & magis adhuc, ſi lis nobis eſt de proprio & privato, non de cauſis publicis. Non dico hæc ad refrigerandum zelum noſtrorum magiſtratuum & miniſtrorum contra propagationem & publica exercitia idololatriæ & errorum, nec non publicorum ſcandalorum graſſationem. Nôrunt enim illi, quod non ſuam cauſam agant, ſed opus Domini, in quo ſine maledictione non licet eſſe negligentem, ſed ut reprehendam inconſultum zelum privatorum Chriſtianorum, quo omnia rigidè & iracundè carpunt quæ non probant, & ut omnes diſcamus zelum noſtrum non deſtituere digna charitate, commiſeratione & diſcretione etiam erga malos. Atque hoc de auctore & actore præcipuo hujus perſecutionis.

II. Modus perſequutionis in eo ponitur, quod vaſtavit Eccleſiam, intrans in domos ac extrahens ac in captivitatem tradens viros ac fœminas. Eodem planè modo, inquit aliquis Ieſuita, quo apud hæreticos prætores intrant domos Catholicorum ad extrahendos ſacerdotes. Non ſecus ac ſi nequam non poſſet diſtinguere inter oves & lupos. Paulus quærebat oves, noſtri prætores quærunt lupos. Non eſt igitur idem modus. Eſt autem hoc non tantum ita intelligendum, quod publicas Chriſtiano-

rum congregationes diſſipaverit & impediverit: Sed verbum λυμαίνεσθαι ſignificat proditionem, corruptionem, vaſtationem, ſimilitudine ſumpta à lue & tabe ac peſte, quæ corpus hominum conſumit; item à lupo rapaci qui gregem devorat & vaſtat. Erat enim Paulus, 1. Acutus diſputator, qui multos ab Eccleſia ſeparabat argutiis & ſtrophis ſuis. 2. Atrox perſequutor, qui inſtar lupi ſæviebat in vitas Chriſtianorum, ſpirans minas & cædes, Actor. 9. & perſequens ad mortem, Actor. 22. 11. & magiſtratus incitans ad fundendum Chriſtianorum ſanguinem, unde ad eum accommodari ſolet illud de lupo Benjamin, Gen. 49. Talis eſt perpetuus Eccleſiæ ſtatus, etſi alio tempore plus, alio minus, ut ſcil. laboret peſte & cancro falſorum doctorum, & ſit inſtar gregis, qui tyrannicis lupis continuò infeſtatur, Hæreſis & tyrannis perpetui morbi Eccleſiæ, ſæpe eodem tempore in iiſdem perſonis conjuncti. Ante Chriſtum non tantùm fuit Babyloniorum tyrannis, ſed Phariſæorum aliorumque falſa doctrina, quæ inſtar fermenti Eccleſiam corrupit, ut queritur Chriſtus. Tempore Apoſtolorum erat Judæorum ac Ethnicorum tyrannis, ſimul autem falſorum fratrum hæreſis graſſabatur, contra quam Paulus diſputat Epiſtola ad Galatas & Philippenſes. Poſt Apoſtolos erat Ethnicorum Imperatorum immanis tyrannis, ſed nil magis Eccleſiam vaſtavit, quàm variæ ex ipſa Eccleſia enatæ hæreſes. Sed omnium maximè notabile eſt dictum cujuſdam Patris, qui de hac „materia ſic loquitur. Prima, inquit, Chriſtiano„rum perſequutio violenta fuit, cum proſcriptioni„bus, tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrifican„dum cogerentur. Altera perſecutio fraudulenta eſt, „quæ nunc per hæreticos & falſos fratres agitur. „Tertia ſupereſt per Antichriſtum futura, quâ nihil „eſt periculoſius, quoniam & violenta & fraudulen„ta erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis. Certè non poteſt hoc melius in quenquam quadrare, quàm in Romanum Papatum, cujus certè fraudem ſæpe experti ſumus, non ſolùm in falſis miraculis, ſed etiam in fictis revelationibus, reliquiis, falſandis auctoribus, nectendis ſophiſmatibus; & ſicut fraudem experti ſumus, ita tyrannidem quotidie ſentimus. Scientes igitur omni tempore, & præſertim noſtro Eccleſiam tali vaſtationi ſubjectam, armati ſimus contra utrumque. Et quomodo? 1. Veritatem diligenter veſtigemus, exercendo ſenſus in Scriptura, & comparando dogmata hominum cum articulis ac fundamentis fidei. 2. Veritatem quam intelligimus, ſanctâ vitâ con ecorando. Sicut enim cognitio contra fraudem hæreticorum, ita pia ac ſancta vita contra vim tyrannorum defendit.

Hactenus vidimus, 1. qualis fuerit hæc perſequutio, ſcil. ſuper totam Eccleſiam. 2. qua occaſione facta, vid. occaſione magnificæ ſepulturæ Stephani, quam Judæi ægrè ferebant. 3. à quo excitata & quo modo perpetrata. 4. Reſtat ut verbum addamus de eventu hujus perſequutionis, qui deſcribitur, v. 4. Non immorabor fabulis de Magdalena, Maria & Lazaro navi ſine velis in Galliam, nec de 500. aliis in Hiſpaniam diſperſis. Agitur enim hîc de iis, qui in proxima loca diſperſi ſunt, ii prædicarunt Euangelium. Hinc doctrina: Perſequutio veritatis eſt propagatio veritatis. Applica dictum Pauli Phil. 1. v. 12, 13, 14. Sic per tranſportationem Babylonicam Scriptura inter Ethnicos propagata eſt. Sic Ethnicorum tempore quantò plures facti ſunt martyres, tantò plures fiebant Chriſtiani. Sic per irruptionem Gothorum, Vandalorum &c. ipſi perſequutores facti ſunt Chriſtiani. Concipiamus inde ſpem, fore etiam, graviſſima Eccleſiæ vaſtatio, quæ nunc eſt, in feliciorem propagationem Eccleſiæ deſinat.

Actor. 8. v. 5, 6, 7, 8. *ad* 15.

CONCIO LXXXIV.

EXplicatâ occaſione, quâ factum, ut Euangelium ex urbe Hieroſolyma propagaretur in regiones circumjacentes, impoſterum proponit Euangeliſta particularia quædam exempla iſtius propagationis, qui in vicinis regionibus contigerunt, quorum duo ſunt in hoc capite. 1. Converſio civitatis Samariæ. 2. Converſio Æthiopis. De converſione Samariæ duo habemus. I. Plantationem Eccleſiæ in iſta civitate, factam per miniſterium Philippi. II. Confirmationem Eccleſiæ plantatæ factam per miniſterium Apoſtolorum duorum iſthuc miſſorum. In priori parte habes, 1. populum qui converſus eſt. 2. Miniſtrum qui convertit. 3. Converſionis modum ac media. 4. Mediorum fructum & effectum.

I. Populus converſus fuerunt incolæ Samariæ. Deſcendit in civitatem Samariæ i. e. in Metropolim Samariæ quæ etiam Samaria vocabatur. Erat enim

hoc

hoc & urbis & regionis nomen, quæ regio erat pars tertiæ Sanctæ à Joſua occupatæ, & à decem tribubus inhabitatæ. Inter Judæos autem & incolas Samariæ perpetua fuit inimicitia, adeò ut omnem, etiam civilem communionem averſarentur, ut patet ex Joh. 4. 9. & ſi quem volebant Judæi appellare nomine abominabili, *Samaritanum* appellabant Joh. 8. 48 Cauſa inimicitiæ erat quadruplex.

1. Defectio ſchiſmatica Iſraëlitarum à Judæis, 1 Reg. 12. poſt quam totum Iſraëlitarum regnum Samariæ nomen obtinuit à metropoli, quam Amri ædificavit 1Reg. 16. 24. quo tempore tamen erant Samaritani & Judæi duæ ſorores, etſi multis æmulationibus à ſe invicem diviſæ. Ezech. 16. 46.

2. Mutatio incolarum factæ per Regem Aſſyriæ & deſcripta 2Reg. 17.

3. Diverſitas religionis hanc mutationem ſequuta, ut ſcribitur eodem capite Etſi enim poſtea Samaritanorum religio nonnihil fuit purgata ab idololatria Ethnica, & ad majorem ſimilitudinem religionis Iudaicæ redacta per Sacerdotem quendam Apoſtatam (Vide Joſeph. antiq 11.8.) teſtatur tamen Chriſtus Joh. 4. v. 22. adhuc magnum fuiſſe religionum diſcrimen.

4. Perſequutio, quâ Samaritani Judæos preſſerunt tempore anguſtiarum, quæ deſcribitur Eſdræ 4.

In hac terra & in hoc populo Deus voluit poſt Hieroſolymam primò omnium Euangelium plantare, ſicut & Chriſtus per biduum ibi docuit Joh. 4. ut ita per eos, qui partim Iudæi, partim Ethnici erant, à Judæis ad Ethnicos tranſiret, idque ad implendam ſuam promiſſionem, quam legimus Jer. 31. 5. Etſi enim abductio decem tribuum facta erat ſine ſpe reſtitutionis temporalis, ut legimus Ezech. 16. 53. tamen promiſſum erat in montibus Samariæ vineam Domini futuram, ſcil. ſpiritualem, & hæc promiſſio non excidit, ſed poſt tot annorum fruſtraneam ſpem impleta eſt; nobis omnibus in teſtimonium, quod nulla promiſſio Dei, quantumvis differatur, exciſura ſit. Quotquot igitur ſumus qui promiſſiones fœderis verâ fide recepimus, teneamus illas, nec in fide vacillemus, cum fidei non videtur reſpondere experientia. Non eſt promiſſionis annihilatio, ſed tantum dilatio, quæ tandem ita finietur, ut dicere poſſis quod eſt 73. 1.

II. Miniſter converſionis fuit Philippus. Eſt aliquis Philippus in catalogo Apoſtolorum Matth. 10. Eſt etiam aliquis in catalogo Diaconorum Actor. 6. Quæritur uter fuerit?

Non fuit Apoſtolus. Apoſtoli enim manſerant Hieroſolymis v. 1. & ſi Apoſtolus fuiſſet, potuiſſet ipſe manus imponere & Spiritum S. conferre, nec opus fuiſſet mittere alios Apoſtolos; ſed fuit Diaconus. Quî igitur concionatus eſt? *Reſp.* 1. Ubi non ſunt concionatores, ibi omnibus Chriſtianis licet loqui verbum & propagare Euangelium, etſi ſint privati. 2. Primi Diaconi erant viri pleni Spiritus S. & extraordinariorum donorum, ideò ita fungebantur officio Diaconatus, ut, quod temporis reliquum erat, etiam verbo propagando impenderent, ut vidimus cap. 7. in exemplo Stephani. 3. Philippus novam vocationem acceperat, & ex Diacono factus erat Euangeliſta, ut appellatur Actor. 21. 8. Poſtquam enim Eccleſia Hieroſolymitana, per perſequutionem Sauli diſperſa, operâ Diaconorum non amplius indigebat, Deus hunc Philippum, qui Diaconatu ſuo fideliter functus erat, vocavit ad officium excellentius, ſcilicet Euangeliſtæ, qui erant Apoſtolorum quidam adjuncti atque comites, quorum operâ utebantur in itineribus & propagatione Euangelii inter gentes, ſicut Sacerdotes utebantur auxilio Levitarum. Eſt enim hoc privilegium miniſtris Eccleſiæ conceſſum, ut in minori fideles inventi majorem accipiant functionem. Vide 1Tim. 3. 13. Matth. 24. 45, 46, 47. Nec ſolum miniſtris Eccleſiæ, ſed etiam omnibus Chriſtianis Matth. 25. 21. Nemo igitur murmuret ob vilitatem conditionis ad quam vocatus eſt, ſed in ea laboret fideliter, & ſperet certam exaltationem & in hac & in futura vita. Sit ſervus fidelis in ſervitio, tandem erit herus; ſit filius fidelis in ſuo ſtatu, tandem erit felix Pater; ſit civis fidelis in ſubjectione, tandem erit Magiſtratus, ſit ſcholaſticus fidelis in diſcendo, tandem erit doctor; ſit omnis Chriſtianus fidelis in ſpirituali militia, tandem triumphantis Eccleſiæ membrum erit.

III. Media converſionis, quæ Philippus adhibuit, ſunt duo:

I. Primum medium eſt quod prædicavit Chriſtum. Eſt idem modus loquendi qui 1Cor. 2. 2. 1Cor. 1. 23. Quid eſt concionari Chriſtum? i.e. prædicare & homines docere 1. quis ſit Chriſtus. 2. Ad quod proſit Chriſtus hominibus, à quo, & quo fine datus ſit. 3. & quo pacto homines Chriſti poſſint fieri participes. Prædicare quod Chriſtus ſit unigenitus filius Dei ab æterno ex Patris eſſentia genitus, Deo

Deo coæqualis, qui in plenitudine temporis in mundum venit, & ex Maria aſſumpſit veram naturam humanam per operationem Spiritûs S ſine peccato, eamque cum Deitate ſua perſonaliter univit, factus Deus & homo in una perſona. Prædicare quod omnes homines à Deo puri creati, per peccatum condemnati & corrupti, jacent ſub maledictione Dei, & ſub poteſtate Diaboli, privati omni dignitate & potentia ac voluntate ſe ipſos juvandi. Quod Chriſtus de voluntate Patris factus eſt ſacrificium pro noſtris peccatis, propter peccata noſtra condemnatus, crucifixus, mortuus & ſepultus, & iram Dei ac infernales angores pro nobis paſſus, quod hac paſſione peccata electorum expiavit, iram Dei placavit, Spiritum S. & jus vitæ æternæ illis peperit, quodque ex morte reſuſcitatus adſcendit ad cœlos, ſedetque ad dexteram Dei, tanquam Sacerdos, qui virtute ſacrificii ſui continuè pro nobis orat, & iram Dei à nobis avertit; tanquam Propheta qui emiſſo verbo voluntatem Patris & conſilium ejus homines docet, eoſque ad communionem ſuam efficaciter vocat; tanquam Rex qui eos, qui ſunt ſui ſubditi per prædicationem Euangelii facti, contra omnes hoſtes efficaciter defendit, de omnibus neceſſariis eis proſpicit, ex morte reſuſcitabit, & tandem ad ſe in domum Patris ſui traducturus eſt. Prædicare denique, quod quicunque hujus gratiæ & beatitudinis, quæ in Chriſto eſt, vult fieri particeps, debeat peccatum ac miſeriam ſuam verâ contritióne cordis agnoſcere, ſeipſum coram Deo humiliare, omnem propriam dignitatem ac potentiam ſinceré abnegare, juſtitiam & gratiam Chriſti verâ fame ac ſiti quærere, eamque verâ fiduciâ cordis firmiter amplecti ac conſtanter tenere, & tum impulſu tantæ gratiæ moveri ad omnem gratitudinem Deo præſtandam, in obedientia omnium præceptorum verbo Dei præſcriptorum, & in patienti toleratione crucis divinitùs immiſſæ. En hoc eſt prædicare Chriſtum. Qui aliter concionatur, non prædicat Chriſtum, ſed Moſen; non Euangelium, ſed Legem. Hinc quod breviter dicitur Chriſtum prædicare, infra latiùs explicatur v. 12. quod ſit prædicare Euangelium de regno Dei, & nomine Chriſti, ſeu Euangelizare ea quæ pertinent ad regnum Dei & nomen Chriſti. Hoc enim eſt objectum Euangelii 1. nomen Chriſti i. e. perſona & officium Chriſti. 2. Regnum Dei & Eccleſia i. e. quinam ſint & quales illi homines, qui Chriſti ſunt futuri participes, & quibus beneficiis ſint à Chriſto beati. Sicut è contrario omnes hæreſes & errores in duobus ſunt occupati, aut quod corrumpunt doctrinam de perſona & officio Chriſti, aut quod corrumpunt doctrinam de officiis & privilegiis Eccleſiæ; & qui hoc faciunt, non prædicant Chriſtum & regnum Dei, ſed prædicant aliud Euangelium, ut loquitur Apoſtolus Gal. 1. Hæreſes, inquam, & errores contra Euangelium ſunt quatuor generum:

1. Alii ſunt contra doctrinam de perſona Chriſti. Huc pertinent, qui æternam filii generationem & æqualitatem ejus cum patre, adeoque totum myſterium Trinitatis negant; item qui veritatem humanæ naturæ negant, vel qui veram ac perſonalem unionem utriuſque naturæ negant, vel talem unionem ſomniant, per quam alterutrius vel utriuſque naturæ veritas evertitur.

2. Alii ſunt contra doctrinam de officio Chriſti. Huc pertinent qui negant Chriſtum uno ſacrificio peccata electorum plenè expiaſſe, eoſque ab omni condemnatione liberaſſe: item qui negant Chriſtum nobis in verbo ſuo totam voluntatem Dei, & totum conſilium ſalutis ſatis claré & perfectè revelaſſe: item qui negant Chriſtum efficaciter regere & flectere corda ſuorum ſubditorum, ſed totum regimen Chriſti ſuper Eccleſiam pendere à libero arbitrio hominum. Hi omnes non magis Chriſtum prædicant, quàm Turcæ eum prædicant, qui etiam prædicant & docent, Chriſtum eſſe ſanctum hominem, ex virgine natum, magnum Prophetam à Deo miſſum, qui viam ſalutis docuit eamque morte ſuâ obſignavit.

3. Alii ſunt contra doctrinam de officiis Eccleſiæ. Huc pertinent qui vetant confeſſionem peccati & condemnationis originalis, qui vetant confiteri merita peccatorum venialium, itemque concupiſcentiæ poſt peccatum reliquæ, ſed jubent fiduciam ponere in propria merita & opera, non tantùm perfecta ſed & ſuperogatoria, qui vetant verâ fiduciâ ſeipſum æternæ vitæ reddere certum, qui docent in opere operato ſacramentorum quærere juſtitiam, & Deo ſervire ſecundùm traditiones hominum.

4. Alii denique ſunt contra privilegia Eccleſiæ. Huc pertinent qui negant perſeverantiam Sanctorum, certitudinem ſalutis ac converſionis, reſurrectionem mortuorum, perfectionem juſtificationis, immortalitatem animæ, &c.

II. Alterum medium eſt, quòd fecit inſignia miracula. Quærat hic aliquis, cur miracula adhibeat

beat ad converſionem, cùm tamen non miracula, ſed ſolum verbum & ſacramenta ſint inſtrumenta converſionis, illud inchoandæ, hæc confirmandæ. An igitur miracula etiam ſunt inſtrumenta converſionis? *Reſp.* Verbum eſt inſtrumentum converſionis immediatum, ſed dantur etiam inſtrumenta converſionis mediata. Sicut in agricultura ſolum ſemen propriè eſt inſtrumentum generationis frugum, ſed tamen etiam alia adhibentur inſtrumenta ad germinationem ſeminis promovendam facientia, e.g. pluvia, aratrũ, fimus, raſtrum, occa &c. ita in ſpirituali agricultura verbum ſolum propriè eſt ſemen per quod regignimur ut eſt Jac. 1. ſed tamen alia quoque adhibentur inſtrumenta, quæ ad fœcunditatem verbi tantò melius promovendam faciunt, e.g. miracula, crux, caſtigatio, bona exempla, &c. Et ſpecialiter miracula faciunt ad excitandam attentionem ad verbum. Videntes & audientes miracula attendebant. Hinc ſolent comparari cum campanis, quibus homines convocantur ad verbum audiendum. Verbum poteſt convertere ſine miraculis, ſine cruce, ſine aliis adjumentis; ſed miracula, &c. non poſſunt convertere ſine verbo, ſed tantùm adhibentur ut verbum, converſionis ſemen, tantò avidius recipiatur & recondatur ac cuſtodiatur. Qualia autem fuerunt miracula quæ Philippus patravit? Duplicia narrantur: 1. Diabolorum ejectio. 2. Morborum diverſorum ſanatio. Poſſem hîc dicere de natura Diabolorum, qui hoc loco deſcribuntur, quod ſint Spiritus impuri. Poſſem etiam dicere de obſeſſione quâ homines obſident; ſed obſervemus potius quod Philippus talia fecit miracula, quæ eſſent verbi, quod annunciabat, quædam ſimulacra. Duo enim prædicabat. 1. Liberationem à condemnatione & poteſtate Diaboli, quod Chriſtus veniſſet, ut nos, qui maledictione Dei in poteſtatem Diaboli deveneramus, & per laqueos peccati ad voluntatem ejus eramus captivi, à poteſtate Diaboli liberaret. 2. Reſtitutionem noſtram in novam vitam, quod Chriſtus ideò veniſſet, ut ex morte peccati & Spirituali impotentia (cujus paralyſis & clauditas corporis inſigne emblema eſt) reſuſcitatos & relevatos novis viribus faceret ambulare coram Deo, & tandem vivere vitam omnis miſeriæ expertem. Has itaque duas partes ſuæ prædicationis duplicibus analogis miraculis repræſentabat, ſcilicet ejectione impurorum Spirituum, & reſtitutione ſanitatis corporalis. Quæſtio ſupereſt, cur Spiritus impuri egredientes ita clamaverint? Cum canes ſcuticâ cæſi templo ejiciuntur clamant ob dolorem verberum; ſed ſi non cæduntur, exeunt ſine clamore. Cur ergò hi canes infernales adeò clamant, cùm tamen ejiciantur ſine ſcuticâ? *Reſp.* Non clamant præ dolore, ſed præ iracundia & indignatione, quod coguntur dimittere prædam, eamque Chriſto cedere. Hujus indolis ſunt multi homines, qui cum diſciplinâ vel Eccleſiaſticâ, vel Politicâ, vel Patriâ coguntur exire ex praxi unius vel alterius peccati, hoc adeò faciunt invitè, ut magno clamore præ indignatione clamitent, & omnia dira imprecentur iis, qui diſciplinam exercent. Hæc vera Diabolorum indoles. Talis erat uxor Moſis Exod. 4. 25. Sic Ægyptii, cum Iſraëlem dimitterent Exod. 12. 33. Pii exeunt à peccatis cum lachrymis contritionis, ut Petrus Matth. 26. 71. non cum lachrymis indignationis.

IV. Fructus & ſucceſſus horum mediorum eſt triplex:

1. Turbæ unanimiter attenderunt iis, quæ dicebantur à Philippo. Non tantùm notatur externa attentio, ſeu attenta auditio, ſed cupida receptio verbi, adeò ut per prædicationem Philippi de ſpirituali ſua miſeria convicti, & potentiam Chriſti in miraculis videntes, verbum ejus lubenter receperint, ut eſt Act. 2. 41. peccata humiliter confitentes, juſtitiam Chriſti fideliter amplectentes, & præceptis ac voluntati ejus ſe libenter ſubmittentes. Hinc expreſſè dicuntur credidiſſe v. 12.

2. Magnum gaudium factum eſt in illa civitate. Non tantùm ob tot ſanatos obſeſſos, paralyticos & claudos, ſed præcipuè ob manifeſtatam æternæ ſalutis viam. Quæ enim major poteſt eſſe cauſa lætitiæ, quàm cùm civitati, quæ tot ſæculis ſederat in valle mortis, tanta lux oritur? Utinam in nobis quoque tanta gratia poſſet parere tantum gaudium. Sed eheu nuntium exiguæ cladis nos plus dejicit, quàm nuntium tantæ ſalutis unquam exhilarat, quod eſt exiguæ fidei ſignum, nec convenit cum praxi Simeonis Luc. 2. 29, 30.

3. Baptizati ſunt viri & mulieres. Non tantùm intus recipiebant verbum Euangelii, ſed etiam externam ejus edebant profeſſionem, recipientes teſſeram Chriſtianiſmi, & domo Dei ſeſe adjungentes. Sed annon etiam infantes baptizati? Non certè ſub initium. Nam cum veniebant in regionem Ethniciſmi plenam, Apoſtoli non incipiebant à pædobaptiſmo, ſed prius ex adultis Eccleſiam colligebant, quâ collectâ etiam fœderatorum liberis ſigilla fœ-

deris adminiſtrata ſunt. Hæc igitur ſunt tria momenta veræ converſionis, vid. 1. verbum prædicatum devoto corde recipere. 2. ob gratiam, verbo Euangelii collatam, verè gaudere. 3. etiam externè Euangelium profiteri & donum Dei ſeſe conjungere.

Totum hunc ſucceſſum miniſterii Philippi Euangeliſta illuſtrat comparatione iſtius efficaciæ, quam Simon Magus incantationibus ſuis antea habuerat in animis horum Samaritanorum, q. d. Philippus ſuâ prædicatione ſuiſque miraculis tantum effecit, ut tota civitas magno cum gaudio reciperent verbum Euangelii, & per baptiſmum Eccleſiæ insererentur, non obſtante, quod paulò antè incantationibus Simonis Magi adeò eſſent abrepti ut ei adhærerent tanquam Deo. Sed de hac illuſtratione proxima vice dicemus.

Actor. 8. *à v.* 9. *ad* 14.

CONCIO LXXXV.

ADminiſtratio Euangelii comparatur bello, & qui Euangelium prædicant, dicuntur bellum gerere 2 Cor. 10. 3, 4. 2. Tim. 2. 3. Ratio eſt, quia occupant & Principi mundi eripiunt ſua palatia. Matth. 12. Omnes homines in ſtatu naturæ poſiti ſunt ſub poteſtate ac dominio Satanæ. Qui igitur per Euangelium volunt animas hominum lucrari Chriſto, debent eas eripere Satanæ; quod cum conantur, non efficienr ſine oppoſitione & bello, quo Satanas vim Euangelii nititur impedire, ne lucrifaciant Chriſto hominum animas. Triplici autem oppoſitione ſolet uti Satan contra Euangelium: 1. Sophiſmatis & Philoſophicis tendiculis, quibus captum rationis humanæ confundat ac diſtrahat, ne poſſit cernere verum. 2. Tyrannide, quâ animos hominum abſterret, ne audeant veritatem, quam vident, amplecti & profiteri. 3. Magiâ, quâ falſis ſignis & præſtigiis hominum animos dementat, ut in erroribus & falſis dogmatibus divinitatem quandam ſibi imaginentur, putentque illis è cœlo dari teſtimonium. Sophiſmata & tyrannidem Apoſtoli & Euangeliſtæ apud Judæos erant experti: Ibi enim cum præfectis Synagogarum cogebantur diſputare, & à Sacerdotibus ac Scribis, populo & Synedrio graviſſimas pati perſequutiones. Sed poſtquam venerunt ad Ethnicos, & illis cœperunt prædicare Euangelium, tertium oppoſitionis modum maximè experti ſunt, ſcil. Magiam ſeu falſa ſigna ac miracula Diaboli ope parata, ad conciliandam impiis doctrinis auctoritatem. Ea enim inter gentes idololatricas, & Diabolum in mutis idolis colentes paſſim maximè vigebant. Sicut Moſi in Ægypto verbum Dei prædicanti, & illud per divina miracula confirmanti ſe oppoſuerunt Ægyptiorum magi Jannes & Jambres, Exod. 7. 11. 2 Tim. 3. 8. ita Philippo Euangeliſtæ apud Samaritanos Euangelium prædicanti, quæ fuit prima Apoſtolorum apud Ethnicos λειτυργία, & verbum ſuum miraculis confirmanti, ſe oppoſuit hic Simon Magus, & præſtigiis ſuis conatus eſt impedire curſum Euangelii. cujus hiſtoriam Spiritus S. hiſtoriæ de euangelizatone Philippi apud Samaritanos intertexit, ut vis & efficacia Euangelii tanto glorioſior appareret. Habemus de hoc Simone, 1. artem quam exercuit, μαγεύων. 2. ad quem finem hanc artem adhibuerit, ſcil. ut ſuis præſtigiis dementaret ſenſus Samaritanorum, ut crederent ipſum eſſe Magnum quendam. 3. Quouſque hunc ſuum ſcopum aſſecutus ſit, ſcil. longo tempore Samaritanos dementavit, ut omnes parvi ac magni ipſi adhærerent, clamantes, *Hic eſt magna virtus Dei*. 4. Quouſque in hac ſua nequitia per Philippum victus & ſufflamminatus ſit, ſcil. ut non ſolum Samaritani ab ipſo deficerent & verbo Philippi adhærerent ac baptizarentur, ſed etiam ipſe Simon crediderit, & ſigna Philippi videns obſtupefactus ſit, ac Philippo continuò adhæſerit. Ars quam exercuit, fuit Magia. Ars valde communis & olim & nunc, cujus exercitæ valde multa ſunt in Scripturis exempla. Vide Act. 19. 19. Magia eſt ars imperandi à Diabolo quicquid ipſi præſcripſeris. Eſt, inquam, ars, non quaſi ſit naturalium cauſarum ſcientia, quâ cogi Satan contra voluntatem poſſit, ut faciat tua poſtulata, ſicut quidam vanè nugantur; ſed quia eſt ſcientia & praxis illarum rerum & illorum officiorum, ad quorum praxin Satan inito fœdere ſe tuis deſideriis adſtrinxit. Sicut Chriſtianiſmus eſt ars impetrandi à Deo quod prodeſt, ita Magia eſt ars impetrandi à Diabolo quod præſcripſeris. Diabolus enim eſt auctor & effector earũ rerum, quas magi operantur. Falſum enim eſt, Magiam eſſe donũ Dei, datum hominibus impiis, eo modo, ſicut impiis aliquando dentur dona miraculorum, ut factum Balaam & aliis. Nam ſi effectus artis Magicæ eſſent operationes Dei, Deus foret præſtigiator, quia magna ex parte effecta Magorum non ſunt miracula, ſed ſunt præſtigiæ & oculorum

lorum ludibria. Nec verum eſt, animas defunctorum à magis invocatas & evocatas eſſe magicorum effectorum auctores. Etſi enim huc adducunt exemplum evocatæ animæ Samuelis, 1 Sam. 28. negandum tamen eſt, hanc fuiſſe animam Samuelis, ſed Diabolus fuit. Quis enim magis daret potentiam impias animas evocandi ex carcere in quo Deus judex eas concluſit, vel pios ex manu Dei & ſinu Abrahæ, in quo Deus eas cuſtodit? Nec credendum, bonos Angelos eſſe auctores magicorum effectuum. Hi enim à Deo mittuntur, ut miniſtrent iis, qui ſalutem conſequuntur, non autem ſe ſiſtunt miniſtros qui impiorum motibus obtemperent. Nec denique putandum aliquam vim eſſe in herbis, radicibus, murmurationibus verborum, & aliis ceremoniunculis, quas ſolent adhibere magi. Etſi enim datur magia naturalis, ſeu talis ſcientia in naturalibus cauſis applicandis, ex quibus mirabilia ſequantur effecta; tamen ea non fuit ars eorum, qui in ſcripturis appellantur Magi, ſed eorum ars conſiſtebat in vera colluſione cum Diabolo, cujus virtute effecerunt ſua opera, & quod adhibent verba, ſyllabas, radices, &c. id faciunt ex ſolo beneplacito Diaboli, qui hoc ita ordinat, ad tegendum fraudem, ut homines ad praxin hujus artis tantò facilius adducantur, putantes eſſe artem naturalem, cùm ſit verus cultus Diaboli. Non itaq; Deus, nec Angeli boni, nec animæ, nec natura ſunt effectores artificiorum magicorum, ſed ipſe Diabolus. Ut autem Diabolus ad nutum Magorum hæc efficiat, id debent à Diabolo impetrare. Non poſſunt cogere Diabolum virtute herbarum aut ceremoniarum, ſed debent impetrare. Quomodo poſſunt impetrare? Per talia officia quæ Diabolus ipſis præſcribit. Qui Diabolo vult præſcribere, debet ſe Diaboli præſcriptionibus ſubjicere. Sicut Chriſtiani à Deo impetrant quod cupiunt, præſtando ipſi officia quæ ipſe præſcripſit, unde talibus officiis dicuntur aliquo modo Deum poſſe cogere; ita magi à Diabolo impetrant quod cupiunt, faciendo, quæ Diabolus ab ipſis cupit, adeò ut tota ars magica fundata ſit in pacto & fœdere quodam cum Diabolo, quo homines ſibi ſtipulantur opem Diaboli. Homines pii, qui cum Deo fœdus pacti ſunt per Chriſtum, confidunt ſe omnia in eo habituros, quæ ad ſalutem ſufficiunt, & cum Deus pro ſapienti ſuo conſilio opem ſuam differt, patienter horam ejus exſpectant, donec per legitima media ſuccurrat. Sed impii, qui dominio affectuum ſubſunt, cum Deus ipſorum appetitui non ſatisfacit ex voto, illicò manum extendunt ad illegitima media, & ſi nec per vim nec per fraudem propriam juvare ſeipſos poſſunt, non reformidant tandem ipſum potius Diabolum in auxilium vocare, quàm indomitos affectus frangere & ſub voluntatem Dei flectere, dicentes, aut ſaltem facientes illud Poëtæ:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Præſertim hoc tantò facilius deſignant, cùm adeò promptus ſit Diabolus ad hoc fœdus offerendum. Quotiescunque enim videt homines, in gravi neceſſitate conſtitutos, ſibi indulgere in infidelitate contra Deum, ſponte offert ipſis ſua officia, faciens ut olim Chriſto Matth. 4. 9. Habet ſuos emiſſarios (zijne uytdraeghſters) qui te alliciant ad hoc fœdus, illudque ſub forma naturalis artis levi pretio tibi vendant, & periculum rei extenuent. Non enim ſemper requirit ut Pactum expreſſum ſecum facias, quo corpus & animam ipſi tradas, ſtigma in corpore ab ipſo recipias, eique viciſſim chirographum tradas proprio ſanguine ſubſcriptum, vel in nomen Diaboli baptizeris; ſed contentus eſt, ut modò cum iis, qui talia fecerunt, colludas, ipſorum diſciplinæ te tradas, ipſorum operâ utaris, uſurpes media ab ipſis præſcripta. Si hoc feceris, præſtò tibi erit, obſequia omnia præſtabit, & faciet quicquid præſcripſeris, erit tibi fidelis & obſequioſus inſtar canis, &, ſi cupis, in forma canis tibi diu noctuque aderit, & multum lucri tibi adferet, ſicut Actor. 16. 16. ſi modò à Deo non impediatur, vel res vires ipſius non ſuperet. Etſi enim Magia eſt ars impetrandi à Diabolo quicquid præſcripſeris; ſæpe tamen fruſtra exercetur hæc ars, nec impetrant Magi quicquid præſcripſerint, ut patet Exod. 8. 18. Et hoc fit 1. vel quia Diabolus perfidus eſt, & pactum non ſervat, quod facit ſæpe, præſertim ſi Deus non ſatis perfectè abnegatur, & ipſe non ſatis colitur, ac omnia ejus præſcripta obſervantur, Deus facilius cogi poteſt, quàm Diabolus. Si vera fide prehenderis Dei juſtitiam, veritatem, miſericordiam, non poterit non miſereri, Jer. 31. eris Iſraël victor & Princeps Dei. Sed etſi Diabolum prehenderis promiſſis, non ſtabit ſemper: 2. vel fit, quia res poſtulata vires ejus ſuperat, & ipſe à Deo impeditur, ut de vanitate fiduciæ ſuæ Magi convincantur.

Non diſputabo nunc, an Diabolus poſſit facere vera miracula & veras naturæ imitationes; an verò omnes Magorum effectus ſint meræ præſtigiæ & mera oculorum ludibria. Certum eſt, quod cum ali-

quid ab ipſo poſtulatur, quod vires ejus ſuperat, ad præſtigia confugit & oculos fallit, ut etiam ex Simonis noſtri Magia patet, quæ, ut ſcribunt veteres, magna ex parte in præſtigiis conſiſtebat, e.g. quod ſe quibus volebat inviſibilem præbebat, ſaxa quaſi lutum penetrabat, in ignem proſiliens non adurebatur, ovis aut capræ formam aſſumebat, in aërem ſublatus volitabat, ex lapidibus panes faciebat, aurum repentè plurimum exhibebat, montes ſaltitare faciebat, ut januæ clauſæ ſponte aperirentur efficiebat, ut Helena ipſius turri incluſa per omnes ſimul feneſtras omni populo turrim coronâ cingenti appareret, ut ex monte vel turri ſe præcipitans illæſus veniret in terram, ſtatuas animatas redderet ut putarentur homines eſſe, vultum mutaret ſuum ut non agnoſceretur, ſed duplicem faciem hominibus oſtenderet &c. Hæc & ſimilia poſſunt Magi ope Diaboli, quod vel faciles ſunt Diabolo motus, vel mera ludibria oculorum.

Scientes itaque tales in mundo artes graſſari, vitemus earum praxin aut communionem. Sunt enim damnatæ artes & prohibitæ, Exod. 22. 11. Lev. 19. 31. & 20. 6. Deuter. 18. 10. 1 Sam. 28. 7. Dan. 2. 2. Et periculoſæ ſunt Apoc. 21. 8. & 22. 15. unde experientia teſtatur, quod tales plerumque tragicum ſortiantur exitum. Vide 1 Sam. 21. 19. cras eris mecum, non certè in Paradiſo ut Luc. 23. 43. ſed in inferno. Eſt turpis ars, nec poteſt conſiſtere cum Chriſtianiſmo. Eſt enim abnegatio Dei, idololatria, & apoſtaſia ad Diabolum, unde qui Chriſtiani fiebant, comburebant libros harum artium, Actor. 19. v. 19. Vitemus itaque omnem praxin harum artium,

1. Directam, quod non tantùm faciunt illi, qui ipſimet cum Diabolo fœdus faciunt; ſed & illi, qui talia facientes conſulunt & auxiliis eorum utuntur ac ceremoniis. Nos qui fœdus cum Chriſto fecimus, utique Diabolo renunciavimus, & recepimus in ſolo Chriſto quærere omne noſtrum auxilium, & ei ſoli ſervire. Dicis te non ſervire Diabolo, at ſat ſervitii ille æſtimat, ſi modò auxilium apud ipſum quæras. Dicis te non abnegare Chriſtum, at hoc eſt verè abnegare Chriſtum, ſi quis auxilio ejus aut non contentus aut non confiſus, Diabolum in auxilium vocat. Stemus igitur promiſſis quæ fecimus, ſolum Chriſtum pro Salvatore habeamus, nec illi diffidamus. Si non dat quantum cupimus, frangamus appetitum, & ſimus contenti, ſcientes hoc noſtro bono fieri. Si differt auxilium quod petimus, ſimus fideles uſque ad mortem, & patienter exſpectemus horam Domini, poſſidentes animas noſtras in patientia noſtra, & in Deum ſperantes, etiamſi occidat vel occidi ac intermori ſinat.

2. Indirectam, quod fit cum ipſimet nobis eligimus cultus & media ſalutis, repudiatis iis, quæ Deus nobis in verbo præſcripſit. Hoc enim qui facit, veneficus eſt 1 Sam. 15. 23. Et quare hoc? Quia eſt cultus quo Diabolus colitur & invocatur. Servire Deo per inſtituta hominum, eſt ſervire Diabolo & apud ipſum ſalutem quærere, 1 Cor. 10. 20. Levit. 17. 7. Deut. 32. 17. Unde etiam docet experientia, Diabolum ſtare à partibus eorum, qui tali cultui ſe addixerunt, ut patet ex Papatu, qui plenus eſt ſpectris, præſtigiis & talibus exorciſmis, quales olim erant apud Ethnicos & Judæos Actor. 19. 13, 14. &c. quod cum inter Euangelicos tantopere non inveniatur, habent hoc pro ſummo privilegio ſuæ Eccleſiæ, unde veritas ipſius debeat agnoſci, cùm tamen ſit verum ſignum Antichriſtianiſmi & idololatriæ, ac cultus Diabolici, quem ſolet Diabolus præſtigiis, deluſionibus & apparitionibus ſuis comitari, ut homines in errore confirmet, cum juſto Dei judicio hoc ipſi permittitur, ut videre eſt 2 Theſſ. 2. v. 9, 10, 11. &c Unde Deus etiam nos commonefecit, ne Prophetis miracula facientibus ob miracula credamus, niſi una cum miraculis veram adferant doctrinam verbo revelatam. Dicunt nos non exercere poſſe exorciſmos. At hæc gloria noſtra eſt, & ſignum quod non ſimus venefici ſed Euangelici, qui verbo veritatis corda frangimus & hominum animos explicamus nexibus Satanæ, quibus erant ad voluntatem ejus captivi. Non ſunt inter nos ſpectra & graſſantes manes ac coboldi, ſicut in Papatu, quia Spiritus tenebrarum in luce Euangelii non ambulant. Filioli cavete ab idolis. Nam idololatria & ſuperſtitio veneficium eſt.

Cum in neceſſitatibus noſtris manus extendimus ad illegitima media, ad furtum, ad fraudes, ad violentiam, ad technas & artes diteſcendi, quæ ſatis multæ ſunt. Artes diteſcendi quibus multi hodie ſe occupant, & quibus tam repente fiunt divites, ſunt reverâ ex curioſis & nigris artibus. Si ita facimus, Diabolus nobis benedicet, & proſperabimur præ iis, qui ſe continent intra vias juſtitiæ, & malunt perire, quàm contra voluntatem Dei quicquam facere.

facere. Sed hæc benedictio Diaboli non durabit,niſi donec Dominus venerit ad judicium, & Satanam ac omnes ejus Angelos ac filios detrudet in tartara. Tum implebitur illud Apoc. 21. 15. Nam qui fecit voluntatem Diaboli, ut per hujus voluntatis praxin ſibi ſolatium & auxilium acquireret, is eſt veneficus, & ut veneficus punietur. Maneamus igitur intra vias noſtras juſtas, & ab iis non declinemus neque ad dextram neque ad ſiniſtram,& ſi quid crucis in ea via nobis obviat, id læti recipiamus & portemus, ſi qui defectus nos obruunt, ne expleamus eos per injuſtitiam, ſed feramus per patientiam, donec Deus expleat legitimis mediis. Si ſic faciamus, ſumus ſervi Chriſti, & nihil juris in nos habet Satanas.

Tentationibus Diaboli ad infidelitatem nimium indulgere, de eis deliberare, nec ſatis fortiter repellere eſt etiam quædam indirecta Magia. Species veneficii eſt, plus credere Diaboli ſuggeſtionibus, quàm Chriſti meritis ac promiſſis. Deſerunt enim tales Chriſtum, & ſequuntur conſilium Diaboli, ſicut ægri qui deſerto medico anicularum conſilia ſequuntur. Si triſtis es & anxius,cogita illud Chriſti, Matth. 11. 28, 29.

Sequitur quo fine Simon magiam exercuerit, ſcil. ut per ſuas præſtigias hominibus perſuaderet, ſe eſſe magnum quid. Qui magiam exercent, diverſis finibus exercent, prout ſunt affectus quibus maximè ducuntur. Qui avari ſunt, diſcunt veneficia, ut fiant divites, qui leves ſunt, ut lepidi & faceti habeantur; qui vindictæ cupidi, ut nocere poſſint impunè; qui ambitioſi, ut honores conſequantur; immò quidam, ut divinos conſequantur honores. Id noſtro Simoni fuit propoſitum, ut pro Deo coleretur. Teſtantur enim antiqui hiſtorici, hoc monſtrum hominis docuiſſe, ſe eſſe illam infinitam vim ac potentiam, quæ eſſet univerſitatis rerum radix, & Helenam uxorem, vel potius ſcortum ipſius, eſſe ſapientiam ſuam, quæ ſit mater univerſitatis rerum, per quam & Angelos & Archangelos feciſſet, qui deinde hunc inferiorem mundum fecerint, eumque regant. Sed quia Angeli nollent vocari opera Helenæ, invidiâ quadam ejus correptos eam, quaſi captam, in multa muliebria corpora introduxiſſe. Sicut itaque olim ob hanc Helenam bellum fuerit geſtum inter Græcos & Trojanos, ita ſe quoque deſcendiſſe, ut & hanc Helenam ab injectis vinculis liberaret, & hominibus per ſui cognitionem ſalutem largiretur. Judæis ſe apparuiſſe ut filium, ad Samaritanos veniſſe ut Patrem, inter reliquas gentes degere ut Spiritum Sanctum, pro quo alii dicunt eum Helenam appellaſſe Spiritum Sanctum. Hæc & ſimilia erant blaſphema dogmata hujus Simonis. Mirandum & horrendum eſt, eò veſaniæ & malitiæ progreſſos quoſdam homines, ut pro Diis haberi & divinis voluerint coli honoribus! & tamen multi fuerunt tales, ut paret in exemplis Diaboli, Adami, Simonis, Herodis, Acto. 12. 22. Nebuchodonoſoris Eſa. 14. 13, 14. Caligulæ, qui volebat appellari Cæſar Deus; Papæ Romani, qui geſtit audire Paulus Quintus vice Deus, & ſe extollit ſuper omne quod colitur, 2 Theſſ. 2. 4. Quàm hoc eſt contra officium miniſtri Euangelici, prædicare quod ipſe aliquid magni ſit, quod ſit vice Deus, quod ſit Vicarius Chriſti, caput & ſponſus Eccleſiæ, ad cujus pedes ſe teneantur abjicere parvi ac magni, ac eos oſculari; cùm tamen ſit officium miniſtri ſe ipſum extenuare, ut Chriſtus magnificetur. Ipſum oportet creſcere, me minui. Non ſum dignus qui ſolvam corrigias calceamentorum ipſius. O nolimus cupere eſſe aliquid magni in mundo! Ne quæramus alta & magna. Præſertim ne quæramus per ambitum illum violentum (**Raufferye**) quæ ars revera negromantica eſt. Ex hac enim radice omne malum. Si volumus aliquid magni eſſe, cupiamus eſſe filii Dei per Chriſtum in vera converſione cordis. Reverà erimus aliquid magni, 1 Joh. 1. 1, 2. Nam poſt Deum nihil majus eſt filiis Dei per Chriſtum adoptatis. Hi enim vel Angelis excellentiores ſunt. Et ut poſſimus fieri magni, extenuemus nos ipſos, Pſal. 131. 1, 2. Matth. 18. v. 3. Et quid quæſo cauſæ cur poſſimus cupere eſſe magni, cum reverà ſimus tenues, debiles & indigni?

Actor. 8. *v*. 10. *ad* 14.

CONCIO LXXXVI.

Videndum tertiò, quantum hac ſua arte promoverit Simon in aſſequendo ſuo ſcopo, ſcil. ut parvi & magni ei adhærerent, dicentes, *hic eſt potentia Dei illa magna*. Et ratio cur ita adhærebant eſt, quia longo tempore veneficiis ſuis eos dementaverat.

I. Προσεῖχον αὐτῷ, eſt idem verbum quod antea uſurpaverat, cum diceret eos adhæſiſſe iis quæ à Philippo dicerentur, v. 6. Ante converſionem adhærebant

rebant Mago, ſed poſtea adhærebant verbo Dei. Etſi eadem utrobique vox eſt, tamen magna eſt differentia. Cum Simon loquebatur, adhærebant viro; ſed cum Philippus prædicaret, adhærebant verbo. Nam Simon prædicabat ſeipſum, ſed Philippus prædicabat Chriſtum. Non debent auditores adhærere miniſtris, ſed miniſtrorum verbo. Non quis prædicet, ſed quid prædicetur, debent reſpicere. Si verbum quod prædicat, bonum eſt, recipere debent verbum, etiamſi miniſter ſit malus, Matth. 23. 3. Si verbum ejus malum eſt, non debent adhærere miniſtro, etiamſi bonus eſſet, Gal. 1. 8. Hinc Apoſtoli, cum nimium auditores Apoſtolis adhærebant, ſolebant eos à ſe remittere ad id quod loquebantur, ſeu de quo loquebantur. Sic Actor. 3. 12. Quid reſpicitis in nos? Sic Actor. 14. 15. cum apud Lyſtrenſes Paulus & Barnabas verbum prædicarent, & populus illis nimis adhæreret, illicò populum remittunt ad Deum, & fatentur ſe homines eſſe ſicut ipſi. Id fecit Baptiſta Matth. 3. 11. & præcipuè Joh. 1. 8. & Joh. 4. 26, 27, 28, 29, 30. ſic Actor. 10. v. 26. ſic Apoc. 19. 10. Sic decet etiamnum pios miniſtros, ut cum vident auditores ſe nimiùm admirari, & perſonis ſuis nimium adhærere, eos à perſonis ſuis remittant ad verbum ſuum, & hortentur ut illi attendant. Si quis amicus à divite aliquo proco mittatur, ad conciliandum ipſi virginis alicujus animum, & is patiatur virginis animum ſibi potius adhærere quam proco à quo miſſus eſt, is foret perfidus. Sic miniſtri ſunt à Chriſto miſſi, ut ipſi concilient animum Eccleſiæ 2Cor. 11. 2, 3. Quod ſi autem patiantur Eccleſiam amare ipſos potiùs quàm Chriſtum, perfidi ſunt, & ſe ipſos idola faciunt, quod & ipſis, & auditoribus periculoſum eſt. Miniſtrorum eſt Chriſtum prædicare, ut vidimus v. 5. & non ſeipſos commendare 2Cor. 3. 1.

II. Parvi & magni ipſi adhærebant. Avis cujusque cantum imitantur ejus pulli. Qui malè præit, pravos habet imitatores; adeò ut non valeat in rebus fidei hæc conſequentia: Majores & parentes mei ſic fecerunt, ergò & mihi licet. Interim vel hi Ethnici ſuo exemplo doceant noſtros Chriſtianos, ut liberos ſuos adſueſaciant dignum exhibere honorem miniſtris Dei, non quidem ut Diis vel idolis, ſed tamen ut veri Dei miniſtris, ne à tergo ipſorum clament Calve Calve 2Reg. 2. Sed tempeſtivè Deum in ſervis ejus diſcant venerari.

III. Dicentes, hic eſt magna illa virtus Dei. Hic eſt. Quàm pulchrum eſt digito monſtrari & dicier *hic eſt!* Hoc erat quod quærebat Simon, ut ſc. omnium oculi in ipſum reſpicerent, eumque magnifacerent, ac Magnum aliquem eſſe faterentur. Quod autem *magnam virtutem Dei* ipſum appellant, id ipſe eos docuerat, ut ſuperiori concione ex veteribus hiſtoricis oſtendimus. Dicebat enim ſe eſſe infinitam quandam potentiam, quæ eſſet univerſitatis rerum radix. Miniſtri Euangelii non docent, ſe eſſe potentiam Dei magnam, ſed Euangelium ſuum ac verbum quod prædicant, dicunt eſſe potentiam & brachium Dei ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. 17. Eſa. 35. ſe autem eſſe fictilia vaſa, quæ hunc pretioſum Theſaurum portent 2Cor. 4. Euangelium eſt potentia Dei, i. e. inſtrumentum per quod Deus potentiam ſuam exſerit in cordibus electorum regenerandis, & ex morte peccatorum in novam vitam excitandis. Præſertim autem hic Titulus competit Spiritui ſancto. Hic Virtus eſt altiſſimi, quæ Mariam virginem obumbravit, & carnem filii Dei in utero matris ſuæ formavit Luc. 1. Hic digitus Dei per quem legem ſuam ſcribit in cordibus electorum. Jer. 31. Hæc illa virtus Dei, per quam Diabolos ejecit Chriſtus Luc. 4. 36. Matth. 12. 28. Hæc illa virtus ex alto quâ induti ſunt Apoſtoli Luc. 24. 49. Hæc illa virtus quâ unctus eſt Chriſtus Act. 10. 38. quæque è Chriſto exiit ad ſanandum mulierculam ſanguinis fluxu laborantem Luc. 8. Huic itaque ſoli hunc Titulum honoris reſervemus, nec ulli demus miniſtro, quantumvis bono. Per hanc virtutem miniſtri ejiciunt dominium Diaboli ex cordibus hominum.

IV. Sed quæ ratio, quod Samaritani tantopere adhæſerant huic Simoni? quia longo tempore mentes eorum dementaverat præſtigiis ſuis vel veneficiis, ἐξιστᾶν. ἔκστασις animorum propriè eſt opus Spiritus S. Actor. 10. 10. & hic tamen Mago vel potius Diabolo tribuitur. Sed alia eſt ἔκστασις Spiritûs S. alia Diaboli. Illa eſt ſenſuum ſubtractio (**vertreckinghe van ſinnen:**) Hæc ſenſum deluſio (**verruckinghe van ſinnen:**) Spiritus Sanctus Prophetis exhibiturus aliquam viſionem rerum ſpiritualium, internos eorum ſenſus quaſi ab externis ſeparabat, ut his ceſſantibus, illi ſoli viſionem impreſſam reciperent. Hoc enim diſcriminis erat inter apparitiones Domini & viſiones Propheticas, quod illæ fiebant ad ſenſus externos per formam corpoream, hæ autem fiebant tantùm ad ſenſus internos per

per ſpirituales impreſſiones, & imaginationes, quæ etiam à Paulo vocantur ἁρπαγμὸς ſeu raptus quidam ſenſuum 2 Cor. 12. 2. cujus ſe modum adeò ait ignorare, ut neſciat an intra corpus an extra corpus fuerit factum. Sed iſta ἔκστασις, quæ huic mago hoc loco tribuitur, non fuit niſi quædam ſenſuum deluſio, ut præſtigias ejus videntes putarent ſe aliquid divinum videre, atque ita ſtupefacti & in admirationem rapti divinum aliquid ſibi imaginarentur in illo, quem talium putabant actorem eſſe. Non eſt Satanæ ea vis in mentes hominum, ut eas poſſit cogere ad ſuam voluntatem, nec eſt ipſi ea vis quæ Deo & Spiritui ejus, ut mentes hominum poſſit efficaciter flectere & trahere ſuam voluntatem, ſed tantùm poſt eas ſeducere, ſive hoc fiat fallacibus ſuaſionibus & ſuggeſtionibus, ſive affectuum concuſſionibus, quibus intellectus quoque obſcuretur & perturbetur, ut falſum pro vero, malum pro bono apprehendat, ſi non homo ſtrictè ſeſe convertat ad verbum Dei & continuis precibus ductum Spiritus S. imploret. Scientes itaque Satanæ & inſtrumentis ipſius tantam eſſe vim in animos noſtros, ad eos dementandos & deludendos ac ſeducendos, attendamus nobis ipſis, & ardeamus zelo ſuper nos ipſos, ne quo pacto ſenſus noſtros ſerpens ſeducat, ſicut Evam à ſimplicitate Chriſti 2 Cor. 11. 2. Nam ſi hoc non fecerimus, Diabolus quidem & Inſtrumenta ejus punientur, quia hoc fecerunt & nos ſeduxerunt; ſed nos non minus puniemur, quod nos paſſi ſumus ſeduci, quod non vigilavimus contra tentationes Satanæ, nec mediis divinitus inſtitutis eas repulimus, ut patet ex Gen. 3. Caveamus itaque, attendamus nobis ipſis, ne confidamus propriæ rationi & proprio arbitrio, exerceamus ſenſus noſtros diligenter in verbo Dei, imploremus auxilium Spiritus S. qui nos in omnem veritatem deducat, Juſtitiam Chriſti firma fide teneamus, per quam gratia Dei nobis acquiſita eſt, Satanæ firmiter reſiſtamus, & veritatem quam novimus, detineamus captivam in injuſtitia, ſed luceat lux noſtra coram hominibus per ſanctam obedientiam ejus veritatis, quam comprehendimus. Sic tuti erimus contra omnes deluſiones Satanæ. Poſtquam Samaritani cœperunt προσέχειν attendere iis, quæ à Philippo dicebantur, illicò ceſſarunt προσέχειν τῇ μαγείᾳ. Sed ſi non caveamus nobis à deluſionibus Diaboli, Diabolus non tantum poteſt deludere noſtros ſenſus, ſed etiam ſenſim corrumpere & pervertere, & nos in reprobos ſenſus deducere 2 Corinth. 12. verſ. 3.

Sequitur denique quomodo impoſturæ hujus magi ſint repreſſæ per prædicationem & miracula Philippi, videl.

1. Eouſque ut Samaritani, qui antea ipſi attendebant, ab eo deficerent, & iis qui à Philippo dicebantur, attenderent, & Euangelio illius crederent, & in nomen Jeſu Chriſti baptizarentur viri juxta ac mulieres. De hac parte nihil hoc loco dicemus, quia ſupra inter fructus prædicationis Philippicæ eam explicuimus.

2. Eouſque ut & ipſe Simon crederet, & baptizatus Philippo adhæreret, & miraculis ejus obſtupeſceret. Quæſtio hic eſt, qualis illa fuerit Simonis fides? Veram & ſalvificam non fuiſſe, palam eſt ex eo, quod Petrus teſtatur cor ejus non fuiſſe rectum coram Deo. Nam vera fides non eſt niſi in corde recto & ſincero. Quæritur igitur, an fuerit mera ſimulatio fidei, an verò fides hiſtorica & temporaria? *Reſp.* Non puto fuiſſe meram ſimulationem, ſed fuit fides hiſtorica, quâ verè convictus, credidit Jeſum Chriſtum, in cujus nomine Philippus prædicabat & miracula faciebat, eſſe Deum, & ſe ac Diabolo, cujus vi ipſe ſuas edebat præſtigias, majorem. Nam 1. dicitur obſtupefactus miraculis Philippi. Sicut magi Ægyptiaci, comparantes ſua miracula cum miraculis Moſis, credebant & fatebantur per Moſen operari digitum Dei. Exod. 8. 19. ita Simon videns miracula Philippi, ſeu potius Chriſti per Philippum, credidit & faſſus eſt ea verè eſſe divina. 2. Patet ex hiſtoriis Simonem factum eſſe hæreticum, & Chriſtianæ religionis corruptorem, docendo aliquid de Patre, Filio & Spiritu S. Oportet igitur aliquo pacto in Chriſtum crediderit. Fuit itaque Simon vi divini verbi ac divinorum miraculorum adeò perculſus, & in admirationem raptus, ut quaſi cogeretur credere, ſicut Diabolus non poteſt non credere Jeſum eſſe filium Dei, ut paſſim exclamat in Euangelio, etiamſi interea cor ejus longè abſit à verò in Deum affectu. ἐξίστατο. Eſt eadem vox qua ſupra exprimebatur operatio Simonis in animis Samaritanorum. Ipſe præſtigiis ſuis obſtupefecerat Samaritanos; jam ipſe obſtupefit miraculis Philippi. Solebat hic impoſtor inter alias præſtigias efficere, ut qui eum cupiebant ligare, ipſimet ligarentur. Idem jam ipſi reverà contingit. Solebat ipſe aliis palpum obtrudere præſtigiis, jam ipſe adeò confunditur, ut neſciat quò ſe vertat. Hoc eſt aſtutos in aſtutia ſua

prehen-

prehendere, & ſapientiam ſapientum confundere, 1 Cor. 1. v. 19. Non eſt tamen dubium, quin ſimulatio quædam acceſſerit. Videns enim omnes credere Euangelio Philippi, noluit ſolus videri infidelis, & cum nihil aliud aucuparetur, quàm inclareſcere præſtigiis, ideò Philippo adhæſit, ut ab eo diſceret, quo pacto iſta patraret miracula, ſi fortè imitari & ipſe poſſet. Videmus hinc

1. Quàm verè prædicatio Euangelii comparetur cum ſagena quâ piſces capiuntur omnis generis, Matth. 13. 47, 48. Sic hic cum cæteris piſcibus captus ille impurus draco, Leviathan, crocodilus, ſerpens curvus. Ne igitur putemus omnes qui nomen Chriſti profitentur, veros eſſe Chriſtianos, nec offendamur, cum videmus tantos eſſe in Eccleſia hypocritas, qui ſe tandem manifeſtant lupos, hœdos, ſerpentes. Admittit hos Deus in ovile & piſcinam ſuam, fert in agro ſuo hæc Zizania, ut per eos exerceat pios, ſicut carpiones exercentur per lucios ne putreſcant, utque horum comparatione manifeſti fiant qui ſinceri ſunt, 1 Cor. 11. nec non ut ab ipſis malis boni bonum accipiant teſtimonium, ſicut hoc monſtrum coactum fuit teſtari & fateri, virtutem quæ in Philippo operabatur, majorem eſſe eâ quæ in ſe.

2. Videmus quàm falſa ſit Pontificiorum ſententia de baptiſmo, quo dicunt tolli peccatum originis, & hominem regenerari ex opere operato. Simon baptizatus eſt, & tamen manſit plenus amaritudinis & injuſtitiæ, v. 23, 24. Sacramenta ſunt regenitis ſigilla acceptæ & continuandæ gratiæ, non autem media accipiendi gratiam. Vide Roman. 4. 10, 11. Qui fructum vult capere ex Sacramentis, debet adferre cor fidele.

3. Videmus eſſe fidem quandam, quæ non eſt ſalvifica fides, quæ non proficiſcitur ex puro corde, nec eſt per caritatem efficax. Caveamus ab hac fide, & diſcamus credere toto corde, ut poſtea docebitur hoc ipſo capite.

4. Non tanta eſt & tam potens Diaboli ac Magorum vis, quin poſſit debellari. Nam Simon per Philippum debellatus eſt, & poteſt per aſſiſtentem ac promiſſam divinam opem debellari ab omnibus fidelibus omnis Magus & Diabolus. Ne itaque tantopere ab ipſis timeamus, ſed induamus ſpiritualia arma, & in nomine Domini Jeſu Chriſti fortiter eos oppugnemus.

Actor. 8. *v.* 14, 15, 16, 17.

CONCIO LXXXVII.

HActenus Samaritanæ Eccleſiæ plantatio, facta per miniſterium Philippi Euangeliſtæ; ſequitor ejuſdem Eccleſiæ conſtitutio (Beſtellinge) ut eſſet Eccleſia formata. Erat quidem ſemen verbi cordibus injectum, & opus fidei inceptum, ſed nondum erat formata Eccleſia, nec conſtitutum regimen Eccleſiaſticum, quo membra colligerentur in unum corpus, quod haberet ſuas coagmentationes, ut eſt Eph. 4. v. 16.

Hæc conſtitutio & formatio Eccleſiæ Samaritanæ non eſt relicta Philippo Euangeliſtæ, qui iſtam Eccleſiam plantaverat, ſed Apoſtoli Hieroſolymæ commorantes & audientes, Samariam recepiſſe verbum Dei, ejus Eccleſiæ formationem ſibi vendicarunt, & ex ſuo numero aliquos deputarunt, quid operis perficerent.

I. Audiebant Apoſtoli, quod Samaria recepiſſet verbum Dei. Sine dubio non audiverunt ex rumore, ſed ipſe Philippus ipſis nunciavit, quid per gratiam Dei effeciſſet, & porrò conſilium eorum imploravit. Philippus non erat Apoſtolus, ſed tantum Euangeliſta, qui hoc quidem habebant commune cum Apoſtolis, quod non eſſent unius Eccleſiæ perpetui paſtores, ſed univerſalis Eccleſiæ miniſtri, ſed tamen non habebant auctoritatem aliam in Eccleſiis curandis, niſi quæ ab Apoſtolis ipſis delegabatur. Erant enim quidam adjuncti & coadjutores Apoſtolorum, quos ipſi Apoſtoli eligebant, & quorum operâ utebantur, in Eccleſiis curandis, ad quas ipſi pervenire non poterant. Etſi itaque Philippus mandatum habebat prædicandi Euangelium ubicunque, tamen in formanda & gubernanda Eccleſia voluit conſulere Apoſtolos. Erat enim Apoſtolica prærogativa per impoſitionem manuum Eccleſiis impetrare chariſmata Spiritus Sancti ad ædificationem Eccleſiarum neceſſaria. Didicit itaque Philippus manere inter limites vocationis, nec voluit περιεργάζεσθαι, 2 Theſſ. 3. 11. Quod omnibus doctoribus debet eſſe exemplum. Plurimum facit ad pacem & ædificationem Eccleſiarum, ſi unuſquiſque ſe continet intra limites vocationis.

Object. Sed quid, ſi hodieque, poſtquam Apoſtoli deſierunt eſſe in mundo, alicubi locorum ſit conſtituenda

ſtituenda & formanda aliqua Eccleſia, eique proſpiciendum de Miniſtris & antiſtitibus, quis hoc facere debet? *Reſp.* Auctoritate Chriſtiani magiſtratus id fieri debet ab illis, qui jam tum ſunt vocati miniſtri Chriſti. Sicut enim Chriſtiani magiſtratus, qui cuſtos utriuſque tabulæ legis, officium & poteſtas eſt, Chriſto aperire portas ſui imperii, ut rex gloriæ poſſit intrare, Pſ. 24. Ita æquum eſt, inſtrumentum ſalutis, & tabernaculum Domini per apertas portas introduci & inferri ab iis, quorum humeris Chriſtus ſupellectilem ſalutis impoſuit. Applica hiſtoriam, quæ eſt 2Sam. 6. 12, 13. ſeqq. Quid æquius eſt, quàm ut tales Eccleſiaſticæ functiones, quæ cum precibus & impoſitione manuum fieri debent, ſinantur fieri ab illis, qui ſunt miniſtri regni Chriſti.

II. Samaria poſtquam prædicationem Philippi recepiſſet, dicitur recepiſſe Verbum Dei. Habuerunt antea verbum Dei, ſcilicet libros Moſis & Prophetarum, ut patet ex Ioh. 4. 12. & 20. & tamen jam demum dicuntur recepiſſe verbum Dei. Nimirum habuerunt quidem libros, ſed non librorum ſenſum: Non intellexerunt verbum Dei, nec ſalutaria myſteria & officia in eo comprehenſa cognoverunt vel crediderunt. Sic meritò hodieque de multis, qui habent ſcripturam, & eam habent pro verbo Dei, tamen dicimus quod nondum habent verbum Dei, quia non intelligunt ſalutaria myſteria & officia verbo Dei comprehenſa. Tales ſunt Pontificii, hæretici, de quibus merito uſurpamus illud Iohannis cap. 1. v. 5. Nos cauſam habemus lætandi, quod Deus non tantùm verbum dederit, ſed etiam illuminatos oculos intellectus, ut comprehendamus veritatem ejus.

III. Miſerunt Petrum & Joannem. 1. Eſt igitur in Eccleſia auctoritas & ordo ac ſubmiſſio. Etſi enim Eccleſiaſticum regimen non eſt regimen Dominii, ſicut eſt politicum, tamen eſt regimen Ordinis, in quo eſt auctoritas & ſubjectio, juſſio & obedientia. Non debet eſſe in Eccleſia aliquis miniſter dominans cæteris præfectus, ſed miniſtri ſe mutuò mittant, ut hic Apoſtoli, nec debet eſſe auctoritas armata corporali vi & majeſtate, Matth. 20. 25, 26. Sed tamen debet eſſe miſſio & obedientia, auctoritas & ſubmiſſio; etſi non debet eſſe dominium, tamen debet eſſe ordo, alioquin regimen non eſt regimen, ſed confuſio. 1 Cor. 14. 32. & 40. 2. Sed cur potius Petrum & Ioannem mittunt, quàm alios? Eſt hæc quæſtio, quæ non indiget reſponſione. Eſt enim res ſcitu non neceſſaria. Unum autem obſervatu dignum, quod Petrus mittitur & deputatur à cæteris Apoſtolis. Ubi igitur Primatus Petri, cui Papa ſuperſtruit ſuum? Si Petrus princeps & caput Apoſtolorum, qui poteſt mitti à cæteris? Si hodie Cardinales ſuum Papam aliquo mitterent, & commiſſionem aliquam ipſi imponerent, non ille ſe certè ſubmitteret, ſed Primatum ſuum clamaret. Tentent Cardinales, & mittant ſuum Papam in Indiam ad prædicandum Euangelium. *Except.* Atqui non ita intelligendum, quaſi auctoritative hoc onus ipſi impoſuerint, ſed quod ſuaſerint ei hoc officium obire, & humiliter ac ſubmiſſè eum oraverint. *Reſp.* (1) Vox ἀποστέλλειν nunquam ſignificat orare aut ſuadere. (2) Oſtendatur exemplum, quod Apoſtoli cæteri ſoliti fuerint Petrum orare, & rogare, tunc credemus, quod etiam hic oraverint. (3) Miſerunt Petrum ſicut Joannem. Ac quis dicet, quod hunc oraverint? Magnum præjudicium cauſæ, quod Petrus nunquam legatur miſiſſe quenquam, ſed miſſus ipſe eſt ab aliis.

IV. Sequitur cauſa impellens ac finis hujus miſſionis, item modus, quo hanc ſuam commiſſionem exſequuti ſint, & denique miſſionis fructus atque effectus. Cauſa impellens ac finis indigitatur, cum dicitur, quod Spiritus S. nondum ſuper quemquam Samaritanorum fuerit illapſus, ſed quod tantùm fuerint baptizati in nomen Domini Jeſu; mittunt igitur Apoſtolos hos, ut ipſis Spiritum Sanctum impetrarent.

I. Hic primò omnium difficultas eſt, quomodo Samaritani dicantur nondum accepiſſe Spiritum S. ſed tantùm baptizati eſſe, cum tamen antea dicantur crediſſe, & verbum Dei recepiſſe, ac à Simone defeciſſe, & quidem verè ac ſalvifice crediderunt, non ſicut Simon; quod utique facere non poterant ſine Spiritu S. 1 Cor. 12. 3. An miniſterium Philippi fuit tam ſterile, ut nemini contulerit Spiritum Sanctum? *Reſp.* 1. Pontificii reſpondent, quod acceperint Spiritum confirmationis, adeoque hoc loco abutuntur ad ſtabiliendum ſuum fictitium Sacramentum Confirmationis, quod in eo conſiſtat, ut Epiſcopus eum, qui ante baptizatus eſt, oleo & balſamo per formam Crucis ungat, ut ita in gratia, quam in baptiſmate accepit, inſtauretur ac confirmetur. Legimus Marc. 6. 13. Jac. 5. 14. quod ad miraculoſam ſanationem ægrorum adhibitum fuerit oleum. Ceſſantibus miraculis ce-

remonia hæc baptiſmo adhiberi cœpit, ut pars vel appendix externi baptiſmi. Hodie Papiſtæ eam à baptiſmo ſeparant, & peculiare inde Sacramentum conficiunt, quod putant in hoc loco fundatum. Sed 1. Hic nulla mentio Chriſmatis, ſed impoſitionis manuum, non igitur loquitur de confirmatione. 2. Non loquitur hic textus de ordinariis donis Spiritus Sancti, ſed de extraordinariis, quæ dabantur vidente Simone. At ordinaria dona regenerationis & confirmationis non dantur viſibiliter. 3. Exempla Apoſtolorum non faciunt Sacramentum in Eccleſia perpetuum, ſed ipſius Chriſti inſtitutio ac mandatum requiritur. 4. Sacramenta ſunt ſigna ac ſigilla fœderis & remiſſionis peccatorum, non autem media conferendi chariſmata Spiritus extraordinaria. Rectius itaque noſtri ad hanc objectionem reſpondent, quod habuerint quidem Spiritum regenerationis, ſed non habuerint Spiritum Prophetiæ, ſeu dona illa, quæ quibuſdam in Eccleſia contingunt ad Eccleſiam ædificandam, de quibus agitur 1 Cor. 12. Diſtinguendum eſt inter dona Spiritus, & fructus Spiritus. Fructus Spiritus ſunt Gal. 5. v. 22. Dona Spiritus ſunt, notitia myſteriorum, linguarum interpretationes, miraculoſæ virtutes. Vide 1 Cor. 12. & 13. & 14. Dona Spiritus per ſe non ſunt ſalvifica, ſed tantùm conceduntur Eccleſiæ ad generandos fructus ſalvificos. Sicut monetarii habent formas thalerorum æneas, quibus formant & ponderant thaleros veros argenteos; ita etiam in Eccleſia Spiritus Sanctus largitur miniſtris Eccleſiæ talia dona, quorum beneficio in electis generent veros illos fructus Spiritus, qui verè ſunt ſalvifici, & Deo per Chriſtum placent. In talibus igitur donis non eſt acquieſcendum, ſed æmulandum, ut habeamus dona optima, ſcil. fructus Spiritus. Cum itaque hic dicitur Apoſtolos miſſos, ut Samaritani Spiritum Sanctum acciperent, non de omnibus & ſingulis intelligendum hoc, ſed ut in Eccleſia Samaritana eſſent quidam, qui chariſmatis Spiritus inſtructi Eccleſiam illam regerent & docerent, quod patet ex modo loquendi. Nondum ſuper quenquam eorum lapſus erat. Item ex ſcopo miſſionis. Mittuntur enim, ut Eccleſiam plantatam formarent. Non igitur agitur hic de Spiritu regenerationis qui omnibus fidelibus datur, ſed de Spiritu Prophetiæ, qui datur quibuſdam ad cæteros docendos & regendos. Quod quibuſdam in Eccleſia datur, ad ædificationem totius Eccleſiæ, id toti Eccleſiæ datum rectè dicitur.

2. Sed quid ſibi vult illa phraſis, *Spiritus nondum ceciderat?* Cur de Spiritu Sancto uſurpatur vox ἐπιπίπτειν; Cur dicitur illabi? *Reſp.* Quia externa aliqua ſpecie viſibili deſcendebat cœlitus ſuper homines. Sicut pluvia vel nebula dicitur ſupernè delabi; Ita Spiritus dicitur delabi, quod tali viſibili figura cœlitus demittebatur. Videtur modus loquendi deſumtus ex tabernaculo Moſaico, ac templo Salomonico, & ab exſpectatione Iudæorum. Notant Iudæi, quinque res fuiſſe in Templo Salomonico, quæ non fuerunt in templo Secundo, & quæ tamen ſpetabantur reditura eſſe tempore Meſſiæ.

1. Arcam cum Cherubinis & Propitiatorio.

2. Ignem perpetuum divinitus accenſum. Sicut enim perfecto tabernaculo ignis ex cœlo cecidit, & primum ſacrificium conſumpſit Lev. 9. 24. quem putant nutritum uſque ad tempora primi templi, ita perfecto primo templo idem factum 2 Chron 7. 1. quem putant duraviſſe uſque ad deſtructionem primi templi, ſecundum mandatum Lev. 6. 12, 13. In ſecundo autem templo ajunt talem ignem non fuiſſe, ſicut nec quicquam de eo in Scriptura legimus.

3. Majeſtatem ſeu gloriam Domini: Perfecto enim tabernaculo, & templo Salomonico gloria Domini viſibili formâ deſcendit & domum replevit, Exod. 40. 1 Reg. 8. & putatur hæc viſibilis præſentia gloriæ divinæ perpetua fuiſſe in Sancto Sanctorum 1 Sam. 4. 4. Pſal. 80. 2. Pſal. 99. 1.

4. Urim & Tummim, id eſt, reſponſum, quod dabatur ſummo Pontifici de rebus arduis Deum interroganti, idque per ſignum aliquod in pectorali ſacerdotis apparens.

5. Spiritum Sanctum decidentem ſuper Prophetas, ut eſt Ezech. 11. 5. Quamdiu enim ſtabat primum templum, ſemper fuerunt populo Dei Prophetæ, qui extraordinario impulſu Spiritus agebantur ad voluntatem Dei populo nunciandam. Sed templo poſt captivitatem Babylonicam reſtaurato, illico hæc extraordinaria Spiritus Sancti præſentia ſuper Prophetas ceſſavit; unde Hebræi dicunt, Spiritum Sanctum tum aſcendiſſe, ſicut nubes ſuper tabernaculo quieſcens aſcendebat Exod. 40. Sed ſperabant tamen tempore Meſſiæ hæc omnia reditura, & præcipuè Spiritum Sanctum relapſurum ſupernè in Prophetas, & ex hac exſpectatione fluxerunt illi modi loquendi Ioh. 7. 39. Actor. 19. 2. &

hoc loco. Nec immeritò crediderunt, hæc quinque tempore Meſſiæ reditura. Redierunt enim omnia. Nam,

1. Arca & propitiatorium redierunt: Chriſtus enim eſt vera Arca & verum ἱλαστήριον, Rom. 3. 25.

2. Rediit ignis, ſcil. Spiritus Regenerationis, qui, die Pentecoſtes in Eccleſia accenſus, ex eo tempore non eſt extinctus, nec extinguetur uſque ad ultimum diem.

3. Rediit gloria Dei: Miracula enim majora, præſentiæ divinæ teſtimonia, nunquam facta, ad conſervationem Eccleſiæ, quàm inde à tempore Chriſti: gloria quoque unigeniti à Patre in templo humanitatis corporaliter habitavit, Joh. 1. 14. Col. 2. v. 9.

4. Rediit Urim & Tummim. Nunc enim omnibus fidelibus patet liber acceſſus ad Thronum gratiæ, ut difficultates ſuas Deo notificent, & os Domini de ſalute ſua interrogent: Nec deeſt Domini reſponſio, quam dat animabus noſtris, quod ſit noſter Deus, & per Spiritum ſuum teſtificatur Spiritui noſtro, quod ſimus filii ejus, Pſalm. 35. v. 3. Rom. 8. 16.

5. Rediit denique Spiritus Prophetiæ. Nam nunquam tanta menſura Spiritus Propheticus delapſus eſt in homines atque poſt Chriſti adventum, idque non tantùm quamdiu viguerunt extraordinaria & miraculoſa dona Spiritus, ſed etiam poſtea, immò in mediis tenebris Papalibus non defuerunt fideles teſtes Chriſti, nec nunc deſunt, qui verbum Dei rectè ſecent. Habent igitur Judæi, quo confutentur; & de Chriſti adventu jam tum facto convincantur. Nos autem videmus, quod nil nobis deſit eorum pulchrorum cultuum, qui fuerunt in templo Salomonis, ſed omnia apud nos magis glorioſa inveniantur.

V. Modus quo Apoſtoli Samariam delati ſuum finem aſſecuti ſunt, poſitus eſt in duobus:

1. Precati ſunt pro illis. Precatio plena fidei fuit medium unicum, quo ignem hunc è cœlo fecerunt cadere, ſicut & omnia ſua miracula per preces plenas fide effecerunt, nec aliud quid ad perfectionem miraculorum conferre potuerunt, quam preces & fidem. Sic etiamnum Spiritus S. per preces impetrandus. Vide Luc. 11. 13. Jac. 1. 5. Præſertim miniſtri hinc diſcant, ut ſuo miniſteriali labori addant preces, quibus impetrent benedictionem Spiritus ſuper ſuos labores.

2. Manus impoſuerunt illis. Jeſuitæ fingunt impoſitionem manuum in eo conſtitiſſe, quod digito chriſma illiverunt fronti; ſed dicunt ſine auctoritate. Fuit hæc ceremonia antiquitus uſitata, cum alicui aliquid bonum apprecarentur, & alicui benedicerent Gen. 48. 14. non quod in Ceremonia aliqua vis eſſet, ſed quod eſſet viſibile ſignum cordialis ac ſinceræ comprecationis & congratulationis vel benedictionis. Non igitur eſt hæc ceremonia ſacramentum divinitus inſtitutum; ſed eſt antiqua conſuetudo in benedictionibus & comprecationibus uſurpata, quæ hodieque poteſt uſurpari, modo fiat ſine opinione neceſſitatis, & magicæ virtutis.

VI. Effectus denique harum precum fuit illapſus Spiritus Sancti, viſibilis ſcilicet, & tum ſignis viſibilibus, tum effectis manifeſtis conſpicuus: Nihil hic difficile. Preceris Deum, ut iſte aureus imber ſuper nos quoque decidat. Etſi enim hodie Spiritus ille Propheticus non decidit ita viſibiliter ut tum, tamen inviſibiliter Eccleſiæ etiamnum communicatur.

Actor. 8. v. 18, 19.

CONCIO LXXXVIII.

Apoſtoli, Petrus & Joannes Samariam à Collegio Apoſtolico deputati, quomodo commiſſione ſua functi fuerint, antehac vidimus. Reſtat de illis explicandum,

1. Quid, occaſione Commiſſionis ſuæ, ipſis interceſſerit cum Simone illo Mago, à cujus admiratione Samaritanos Philippus abduxerat, quemque unà cum cæteris ad fidei Chriſtianæ profeſſionem adduxerat.

2. Quomodo commiſſione ſua defuncti Hieroſolymam reverſi ſint, & quid in itinere egerint.

De eo, quod Apoſtolis cum Simone interceſſit, tria referuntur:

(1) Petitio quædam, quam ab Apoſtolis petiit Simon, verſ. 18, 19.

(2) Petri ad hanc petitionem reſponſio, verſ. 20, 21, 22, 23.

(3) Simonis ad hanc reſponſionem replicatio, v. 24.

Antequam ad hujus colloquii Apoſtolorum cum Simone explicationem accedimus, non poſſumus omnino præterire, quod Pontificii ex antiquis patribus & hiſtoricis huic hiſtoriæ addunt ad demonſtran-

ſtiandum Petri in urbe Romanâ Epiſcopatum. Referunt enim, Petro non tantùm in urbe Samaria hoc negotii interceſſiſſe cum Simone, ſed Simonem, Samariæ ita confuſum, diſceſſiſſe, & Orientem pervagatum tandem Romam veniſſe, atque ibi magicis ſuis artibus totam Civitatem adeò faſcinaſſe, ut ſe in ſummam Imperatoris amicitiam inſinuaret, & à populo pro Deo coleretur, in tantum, ut ſtatua ipſi poneretur in urbe cum hac inſcriptione: *Simoni magno Deo*, vel: *Simoni Sancto Deo*. Cum ita ad tempus genio ſuo fruitus eſſet, Petrum Apoſtolum, qui antea fuerat Epiſcopus Antiochiæ, Romam veniſſe, atque ibi per 25. annos Epiſcopum fuiſſe, & cum hoc Simone non ſolùm multas diſputationes habuiſſe, ſed etiam miraculis cum ipſo certaſſe, & multa feciſſe miracula, quibus præſtigias Simonis confuderit. Poſt multas concertationes alias Simonem tandem populum convocaſſe, & dixiſſe, ſe urbem deſerturum, & in cœlum adſcenſurum. E Capitolio itaque aſſumtis artificioſis alis evolaſſe, & arte Dæmonum per aërta delatum eſſe, ut videretur cœlum verſus contendere. Petrum verò precibus ad Dominum Jeſum fuſis impetraſſe, ut ex aëre in terram decideret, & fractis cruribus paulò poſt præ mœrore extinctus ſit, ob quam cauſam Imperator Petro iratus ipſum paulò poſt crucifixerit. Habemus plus cauſæ de hac hiſtoria dubitandi, quàm eam credendi. Nam 1. quod in ſacris libris de Petro ſcribitur, non ſinit nos credere, Petrum tam diu Romæ fuiſſe, immò vix ſinunt credere, Petrum unquam Romæ veniſſe. 2. Si tale quid Romæ iſto tempore contigiſſet, Romani hiſtorici, qui multa minora iſtius temporis deſcripſerunt, illud non tacuiſſent. Attamen quoniam tam multi Patres & ſcriptores eccleſiaſtici, etiam ex antiquiſſimis, hujus rei aliquam mentionem faciunt, demus ſanè aliquid eorum autoritati, & utcunque credamus Petrum ad tempus Romæ fuiſſe, atque ibi cum hoc Mago certaſſe, eumque ex alto præcipitaſſe ſuis precibus. Quòd ſi autem verum hoc eſt, quid inde nobis diſcendum? Nihil aliud inde poſſumus diſcere, quàm hoc, quod Simon Magus fuit primus Papa Romanus. Nam

1. Sicut Simon ante Philippum fuit Samariæ (προϋπῆρχεν ſupra v. 9.) & populum ſibi adhærere fecit, ita (ſic volunt Pontificii) ante Petrum fuit Romæ, & populum in Chriſtianiſmo inſtituit, ac ſibi adhærere & parere fecit. Petrus itaque non fuit primus, qui Romæ Chriſtum docuit, ſed Simon fuit ante ipſum. Sic enim ajunt hiſtoriæ, quòd Samariæ Chriſtianus factus Romam venerit, atque ibi aliquid quoque de Chriſto docuerit. Etſi enim verus Euangelicus doctor non fuerit, tamen ita fuit prædicator Chriſti, ſicut Judas fuit Apoſtolus Chriſti, & ſicut omnes hæretici ſunt Chriſti prædicatores.

2. In cujus doctrinam & mores Papæ Romani ſe tradiderunt, ejus ſunt ſucceſſores. Atqui omnes Papæ Romani, ex quo à doctrina Scripturæ defecerunt, in Simonis doctrinam & mores ſe tradiderunt. Probatur: Sicut Simon prædicavit, ſe aliquem magnum eſſe; ita hoc eſt unicum thema, quod Papæ Romani prædicant, ſe aliquos magnos eſſe. Apoſtoli prædicant ſe aliquid parvi eſſe, ſe non eſſe, niſi ſervos Eccleſiæ 1 Cor. 3. ſed hi prædicant ſe magnos eſſe, ſe eſſe vicarios Chriſti in terris, Sponſos & capita Eccleſiæ, ſe eſſe magnam Dei potentiam, quæ poſſit remittere peccata, mandata dare Angelis, poteſtatibus mundi imperare, ſanctos canonizare, è purgatorio liberare animas, contra præcepta Dei diſpenſare, mandata dare Eccleſiæ, quæ conſcientias obligent, immò ſicut huic Simoni Romæ erecta eſt ſtatua cum hac inſcriptione: *Simoni magno Deo*: ita non rarò ibidem Papis erectæ ſtatuæ cum inſcriptione ejuſdem tituli. Cupiunt adorari, oſculatione pedum, &c. Sicut Simon hanc jactantiam ſuæ magnitudinis confirmabat præſtigiis & falſis miraculis; ita poſt Simonem nemo fuit, qui hoc fecit & hoc crepat præter Papas. Sicut Simon fuit primus nundinator rerum & donorum ſpiritualium; ita ab eo tempore nemo hoc ita fecit ac Papæ Romani, qui omnia ſpiritualia pro pecunia habent venalia. Sicut Simon cum ſuperbia ſua conjunxit vitam libidinoſam, & cum ſcorto vitam tranſegit; ita poſt illum nemo fuit, qui vitam ſcortatoriam honeſto conjugio prætulit præter Papas Romanos. Eſt inter Jeſuitas quidem in iſta viperarum generatione non minimus, qui miniſtris Euangelicis impingit ſimilitudinem cum Simone, ideo quod uxores ducentes oſtendant ſe mulieroſos eſſe, ſicut Simon fuit. Sed ſuo ſe gladio jugulat hic nebulo. Novit enim ex hiſtoricis, quod Simon non habuerit honeſtam uxorem, ſicut concionatores Euangelici, ſed quod circumduxerit ſcortillum, ſicut Romani ſacrificuli & Papæ: adeo ut hoc quoque argumentum ſit, Simonem fuiſſe primam Papam Romanum. Ite jam pulchelli

chelli ſacrificuli & ſucceſſionem Paparum veſtrorum deſcribite, ac caput ſucceſſionis Simonem facite. Non Simon Petrus, ſed Simon Magus primus fuit Papa Romanus. Faxit Deus, ut ille Romanus Magus precibus ſuorum ſervorum propediem præcipitetur de excelſo majeſtatis, quod ſibi per fraudem & tyrannidem exſtruxit.

Veniamus jam ad textum, & primò omnium petitionem Simonis conſideremus. Videns Simon per impoſitionem manuum Apoſtolicarum Spiritum S. dari, oblatâ pecuniâ eandem poteſtatem ſibi quoque dari petiit. Viderat per impoſitionem manuum dari Spiritum S. Nam 1. dabatur Spiritus S. per viſibilia ſigna. 2. quum primum datus eſſet, exſerebat ſe per viſibilia effecta, e.g. per eloquutionem variarum linguarum, per patrationem miraculorum, &c. Non mirum igitur quod videbat. Non autem contentus eſt petere ſibi quoque dari ea dona Spiritus Sancti, quæ videbat dari aliis, ſed petiit ſibi dari eandem poteſtatem, quam Apoſtoli habebant, ut quibuſcunque manum imponeret, illi Spiritum S. acciperent. Scopus hujus petitionis fuit, non ut fieret ſanctus, & à peccati dominio liber, neque ut cum cæteris haberet idonea dona ad ædificandam Eccleſiam; ſed ut hoc medio poſſet aſſequi antiquum ſuum ſcopum, ut ſcilicet ab hominibus haberetur pro aliquo magno. Magia ipſius erat confuſa & detecta, & proinde ceſſabat hominum de ipſo opinio. Quod ſi potuiſſet impetrare Spiritum S. & per illum vera miracula patrare, imò miracula patrandi poteſtatem aliis conferre, tum novo medio priſtinum ſuum ſcopum aſſequutus fuiſſet. Et ſine dubio non tantùm honorem, ſed etiam divitias ſpectavit. Si enim impetrare potuiſſet ſuum votum, ſine dubio dona Spiritus non gratis dediſſet ut Apoſtoli, ſed carè vendidiſſet. Vidimus hinc quid defuerit converſioni Simonis, ut non eſſet vera converſio, nimirum non depoſuerat ſtudium propriæ gloriæ, & ſtudium quærendi ſeipſum. Chriſtus docet Matth. 16. ut qui ipſum vult recipere & ſequi, prius abneget ſeipſum. Hic receperat Chriſtum ſine abnegatione ſui ipſius. Verè in hoc Simone impletum illud Chriſti Ioh. 5. 44. & 12. 43. perſeverantia in ſtudio propriæ gloriæ omnem cultum facit irritum. Nam ſicut ſtudium propriæ gloriæ Adamum è ſtatu integritatis ejecit, ita idem ſtudium homines à ſtatu regenerationis excludit. Superbia & ambitio non poteſt conſiſtere cum ſincero in Deum corde. Converſio enim incipit ab humiliatione. Quales enim ſumus, tales nos debemus agnoſcere & habere. At ſumus miſeri, fœdi, maledicti in nobis ipſis, cæteris hominibus natura non meliores. Non debemus igitur eſſe ſuperbi, nec duci immoderato deſiderio ſuper cæteros eminendi, multò minus divinis affici honoribus, ſed debemus nos ipſos deteſtari in cinere & ſacco, Job. 42. & ablactare inſtar infantis, Pſal. 131. Matth. 18. Utinam hoc noſtro ſeculo diſcerent hanc lectionem homines. Non poſſunt hodie multi credere, quia gloriam quærunt inter homines. Omnes volunt eſſe magni, ſed quia pauci ſunt, qui mundanam magnitudinem legitimis mediis poſſunt ſuſtentare, ideò ad facinora illegitima ſe convertunt, unde omnis ipſorum cultus eſt falſus, ex corde non recto proveniens, imò multi ſunt qui ideo in externo cultu divino ſunt diligentes, ut eo prætextu mundanam ſuam magnitudinem tantò melius poſſint tueri. Si nos gloriam cupimus, cupiamus gloriam Dei, ut coram ipſo ſimus juſti per veram applicationem mediatoris, & ut ipſi ſimus grati atque accepti per diligens ſtudium veræ & ſinceræ ſanctimoniæ. Hoc ſatis gloriæ eſt, nec eſt quod apud homines gloriam quæramus. Si hanc gloriam habemus, mundana gloria nobis adjicietur, & cum adjicitur, humili corde eam uſurpemus. Nam ſtatus excelſus & cor humile ac contritum probè poſſunt conſiſtere.

Simon tamen ſolis precibus ſe hoc ab Apoſtolis impetrare poſſe non eſt confiſus, ideo pecuniam ipſis obtulit. Viderat quidem Apoſtolos gratis dare dona Spiritus Sancti, ſed non videbat cuiquam dari quod ipſe petebat, ſcilicet eandem poteſtatem, quam habebant Apoſtoli. Ut igitur hoc impetraret, pecuniam offert. Peccat igitur ipſe, & Apoſtolos tentat ad peccatum, quod vulgò *Simonia* appellatur ab ipſius nomine, qui primum ejus exemplum dedit in Novo Teſtamento. Simonia eſt peccatum miniſtrorum Euangelii, quâ res ſpirituales nundinantur pro pecunia. In magorum ſchola hoc Simon didicerat. Sagæ enim pro pecunia vendunt ſuas revelationes & artes, ſed in ſchola Chriſti data eſt lex: *Gratis accepiſtis, gratis date*, Matth. 10. non quæſtûs gratiâ 1 Pet. 5. 2. 1 Tim. 3. 3. Tit. 1. 7. ſed ut diſpenſatores bonorum noſtri Dei 1 Cor. 4. 1. Non igitur debemus nos gerere, ut ille, de quo Luc 12. 45. & Luc. 16. 3, 4. Verùm avaritia & ambitio multas facit hujus legis tranſgreſſiones, ut miniſtri verbi res ſpirituales

tuales cauponentur, ut loquitur Paulus 2 Cor. 1. v.17. Exempla habemus in Bileamo, qui precationes & imprecationes ſuas pro precio voluit vendere. Num. 22.7. in Gehaſi, qui Naamano pro ſanatione pecuniam extorſit 2 Reg. 5. in Pontificibus Judaicis, qui Pontificatum emebant & vendebant, 2 Maccab. 4. 8. Sed nullum luculentius exemplum hujus turpiſſimi peccati extat, quàm in hoc primo Papa, & ejus ſucceſſoribus Papis Romanis. Quid enim ſacri eſt, quod apud Pontifices Romanos non ſit venale? Vis remiſſionem peccatorum? proſtant venales indulgentiæ; ſingulis peccatis ſua taxa. Vis juſtitiam? proſtant venalia monachorum opera ſupererogatoria. Vis liberari ex purgatorio? Vis abſolvi ab obedientia officiorum, quæ Deus & natura tibi injunxit? Vis inter ſanctos canonizari? ſolve pecuniam. Vis baptizari? vis Miſſas pro te fieri? vis interceſſiones & preces pro te fieri? vis in luſtrata terra ſepeliri? ſolve pecuniam. Vis fieri Parochus, Epiſcopus, Cardinalis, ſacerdos? ſolve pecuniam. Omnia ſunt Romæ venalia. Quod ſi quis audet negare Papas eſſe Simonis ſucceſſores, is eadem facilitate neget nivem eſſe albam. Qui enim fundamenta poſuit, quo tota magnitudo Papatus ædificata, & hactenus conſervata eſt, qui non eſſet Paparum anteceſſor? Vide quàm meritò *nundinatores* appellentur, Apoc. 18. 13 & 23. Utinam verò hoc peccatum intra Papatum ſubſiſteret, nec ad nos quoque ſubinde ſerperet! verùm etiam apud nos invenitur. Nam

1. Inter nos quoque inveniuntur, qui in ſacra officia ſe intrudunt, ſine ſincera intentione Eccleſiam ædificandi, ſed ſeipſos nutriendi. Qui Epiſcopatum appetit, bonum opus appetit 1 Tim. 3. ſed tamen qui Epiſcopatum appetit non ad Eccleſiam ædificandam, ſed ad ſe ipſum ignavia ſaginandum, is non bonum opus appetit, ſed Simoniæ peccatum committit. Eſt enim idem ac ſi præbendam emiſſet ad ignavam vitam ducendam. Licet & decet Miniſtros Euangelii diligentes & ſinceros ſuo frui honore & honeſto ſtipendio 1 Cor. 9. 14. ſed qui ſepoſito labore id agunt, ut ſacro ſtipendio ignaviam ſuam alant, Simoniæ rei ſunt.

2. Non longius abſunt à Simonia, qui officia politica vendunt. Sunt enim iſta officia non minus ſacra, quàm eccleſiaſtica, quæ non vendi debent, ſed viris idoneis in præmium virtutis, & in ſecuritatem Reipub. conferri. Eſt certè hæc nundinatio officiorum peccatum quo ſe homines mutuo obſtringunt ad injuſtitiam. Nam ſicut venditores officiorum emptores ſuos pecuniâ emungunt; ita emptores emptis ſuis officiis utuntur ad emungendos alios, & ad commune detrimentum Reipub.

3. Præſertim Simoniæ rei ſunt judices, qui juſtitiam vendunt pro pecunia. Quid magis ſacrum quàm juſtitia? Quid igitur magis eſt Simoniam exercere, quàm juſtitiam vendere? Etſi enim dicant, ſe non accipere dona, ut alicujus jus vendant; ſed tantùm in præmium maturæ expeditionis; tamen hoc ipſum eſt juſtitiam vendere, cum donis nos emi patimur ad faciendum, quod gratis tenemur facere.

4. Quid autem dicendum de illis, qui de aliorum ſudore ac ſanguine nundinationes exercent, mercedem mercenariorum retinentes donec gravi precio redimatur. Vide Jacob. 5. quàm hoc ſit clamans peccatum?

5. Denique non ſunt ab hoc peccato immunes, qui ad exemplum profanum Eſavi primogenituram ſuam vendunt, immò animas ſuas vendunt ad æternam perniciem, ut modò temporali fruantur lucro aut libidine? Quod ſi volumus in rebus ſpiritualibus mercaturam exercere, exerceamus illam, quæ deſcribitur Matth. 13. 45, 46. Eſa. 55. 1. Apoc. 3. v. 18.

Actor. 8. *v.* 20.

CONCIO LXXXIX.

Aggredimur nunc textum paulò duriorem, qui plus terroris, quàm ſolatii ſuppeditabit. Sed quid agimus? Noſtrum eſt ſequi ductum Spiritus Sancti, & non tantùm conſolari eos, qui ſunt in Chriſto, ſed etiam terrere eos, qui ſunt extra Chriſtum. Si quis eſt extra Chriſtum, ſub dominio peccati, meritò exemplo hujus Magi terretur, ut Chriſtum quærat. Si quis eſt in Chriſto, & dominatur ſuo peccato, non opus habet terreri, ſed etiam ex terribili hoc exemplo ſolatium poteſt haurire. Nam quantò terribiliora ſunt exempla divinæ juſtitiæ ac ſeveritatis in eos qui ſunt extra Chriſtum, tanto majorem lætandi cauſam habent illi, qui per Chriſtum hanc ſeveritatem effugerunt. Vidimus petitionem Simonis: ſequitur reſponſio Apoſtolorum ad petitionem ipſius, quæ à Petro enunciatur, non tamen nomine ſolius Petri, ſed nomine utriusque Apoſtoli, ut patet ex voce εἶπαν, v. 24. Moris enim & ordinis

nis erat, ut non multi loquerentur, nec omnes; ſed unus nomine cæterorum, idque deferretur ei, qui erat inter Apoſtolos ſenior; quod non eſt dominii, ſed tantùm ordinis indicium. Habet autem hæc reſponſio tres partes, quibus ſingulis ſubjicitur ſua ratio, in qua fundantur. Prima eſt votum, ſecunda annunciatio, tertia conſilium.

Votum eſt in his verbis: Pecunia tua tecum ſit in perniciem. Nota,

1. Non eſt votum profectum ex inordinata ira. Nam non ex carnis impotentia, ſed ex Spiritus abundantia, ex fervore zeli ita loquitur ſanctus Apoſtolus.

2. Nec eſt votum propriè dictum. Nam ſi propriè vovet & optat Petrus, ut Simon pereat cum pecunia ſua, quomodo poteſt ei poſtea dare conſilium quo ſervetur?

3. Eſt igitur potius ſancta quædam deteſtatio, & ignominioſa rejectio oblati muneris & intentatæ corruptionis, quâ Apoſtolus explicat, non quid Simoni optet, ſed quid Simon hac ſua oblatione pecuniæ mereatur, & quam averſus ab ea recipienda ſit Apoſtolus, q. d. Dignus es tu, cui maledicam & imprecer, ut eum pecunia tua in exitium abeas, & malim te & pecuniam tuam perire, quam me acceptatione illius pollui. Apta hæc eſt & digna reſponſio, Chriſtianæ charitati minimè contraria, ſed imitanda omnibus, qui muneribus tentantur ad faciendum quod injuſtum eſt. Merentur enim tales imprecationes ejuſmodi corruptores, qui muneribus alios ad injuſtitiam tentant. Vide ſimile quid Dan. 5.17. 2 Reg. 5.16. Diſcant hanc Chriſtianam imprecationem noſtri Magiſtratus uſurpare contra omnes eos, qui pecuniâ licitantur officia publica, juſtitiam, &c. Leves & illicitas imprecationes facilè diſcunt omnes, ſed hanc nemo diſcit. Precioſior & carior eſt pecunia, quàm ut quis maledicere ei velit.

4. Licet etiam in hac imprecatione altius aſcendere, & dicere quod Petrus, ut Apoſtolus & Miniſter Eccleſiæ, Simoni malefico corporis & fortunæ aliquam temporalem perniciem imprecatus ſit, ut anima ſalvaretur, quemadmodum fecit Paulus inceſtuoſo illi 1 Cor. 5.5. & Eliſæus Simoniaco ſuo ſervo 2 Reg. 5.27. Talem enim maledictionem in Eccleſia ſua Deus ordinavit, contra malitioſos & præfractos homines, qui tamen membra Eccleſiæ volunt audire, & nullis admonitionibus cedere, ut patet etiam ex Gal. 5.12. Deus Miniſtros ſuos non tantùm docuit benedicere, ſed etiam maledicere, Deuter. 11. 29. Præſertim tempore Apoſtolorum, qui Prophetico Spiritu donati ſecreta cordium intuebantur.

5. Notandum autem, quod non tantum Simoni maledicit, ſed etiam pecuniæ ejus. Etſi enim creaturæ irrationales propriè loquendo non ſunt objecta divinæ ſeveritatis ac juſtitiæ, ut capaces ſint maledictionis, ſicut nec peccati capaces ſunt; tamen propter hominum peccata maledicuntur, id eſt divinitus perduntur, & annihilantur, ut non poſſint prodeſſe hominibus, ſed potius, ut ipſis noceant, & ut Deus in eorum deſtructione oſtendat, quantum abominetur & deteſtetur injuſtitiam, ut legere eſt toto capite 28. Deuteronomii. Sicut etiam patet ex exemplis Ioſ. 6. 17, 18. 1 Sam. 15. 3. Sic bona cœnobiorum & ſacerdotiorum, quæ magna ex parte Simoniacis artibus collecta ſunt, ad quid profuerunt unquam, præterquam ad alendam laſciviam, & in Euangelicorum manus delapſa, offendiculo ipſis potius fuêre, quàm uſui, niſi precibus & ſancta vita liberentur à maledictione. Sic de omnibus injuſtis bonis verum eſt illud tritum: *De malè quæſitis non gaudet tertius hæres.* Imò ſicut qui peſte infectus eſt, alium inficit: ſicut pennæ aquilarum aliis plumis appoſitæ, illas conſumunt, ita injuſtæ opes non tantum ipſæmet ſunt maledictæ, ſed etiam juſtis bonis adjectæ, maledictionem hanc in ea transfundunt; ſicut probat experientia, quod injuſtorum hominum bona ita exeduntur maledictione ſecreta, ut nemo quo pacto perierint, dicere poſſit: immò maledictionem ſuam in ipſum poſſeſſorem exonerant maledictæ opes, eique fiunt offendiculo, quo æternum pereat, Pſal. 73.18. ſic pecunia perit cum poſſeſſore, & poſſeſſor cum pecunia. Manet enim firma ſententia illa Dei, Hab. 2. 6. Væ illi qui adauget non ſua. Utinam hæc conſiderent noſtri auditores! Haga noſtra dives eſt, ſed an non ſint multæ inter nos maledictæ divitiæ, novit Deus, & nôrunt multi inter vos.

Sed quæ ratio, quod Petrus tantopere Simoni imprecatur? Quia putavit donum Dei poſſe emi pecuniâ? *Object.* An igitur mera putatio, mera opinio tantum eſt peccatum, ut propter eam homo mereatur tantam imprecationem? Cogitationes utique & opiniones videntur eſſe debere impunes? *Reſp.* Aliter judicat noſter textus, qui expreſsè Simoni propter hanc opinionem imprecatur, ut & ei ſuadet, ut à Deo

à Deo petat: ut hæc cogitatio cordis ipſis remittatur. Sunt quidem aliquæ opiniones falſæ minus periculoſæ, ſed aliquæ etiam ſunt impiæ & maledictæ. e. g. cùm impius putat, & in corde ſuo opinatur non eſſe Deum, Pſal. 14. cum homines perſequuntur Miniſtros Chriſti, & putant ſe Deo rem gratam facere. Johan. 16. 2. eùm Paulus putaret ſibi multa adverſa facienda eſſe contra nomen Ieſu Nazareni Actor. 26. 9. eùm Iudæi putarent Deum placari ſanguine & carne taurorum & hœdorum, Pſal. 50. 13. Sic ſi quis putat ſe Deo rem gratam facere, fingens cultus non præceptos; ſi quis putat, ſe non habere peccata, ſed naturâ juſtum eſſe coram Deo; ſi quis putat peccata parva non mereri æternam condemnationem, hominem non opus habere ſatisfactione pro peccatis, vel pecuniâ poſſe redimi remiſſionem peccatorum, vel ſacrificiis corporalibus poſſe ſatisfieri juſtitię Dei, vel meritis propriorum operum poſſe acquiri ſalutem, vel in opere operato ſacramentorum poſitam eſſe juſtificationem; ſi quis putat ſe proprio arbitrio poſſe facere quæ Deo placent, etiamſi non ſit regenitus per Spiritum S. ſi quis putat ſe ſatis converſum eſſe, ſi externum cultum obſervet, etſi externum non curet, ſi malum omittit, etſi bonum non faciat, ſi unum præceptum faciat, etſi alterum non faciat, &c. Hæ omnes ſunt maledictæ opiniones, & hominem retinent ſub maledictione, ac liberationem ejus impediunt. Nam

1. Perverſæ opiniones in rebus religionis repellunt veritatem ſalvificam, nec patiuntur eam recipi à mente. Per verbum veritatis purgamur, ſanctificamur & regeneramur, Iohan. 17. & Iacob. 1. Veritas Euangelii eſt ſemen, ex quo regignimur, & ubi veritas non eſt, ibi non eſt ſalus. At ubi ſunt perverſæ opiniones, articulus fidei contrariæ, ibi veritas Euangelii locum non habet. Perverſæ igitur opiniones ſunt abnegatio veritatis divinæ.

2. Quales ſunt hominum opiniones, tales ſunt hominum actiones. Opinio enim judicii actionis radix eſt. Ubi igitur ſunt perverſæ opiniones, ibi ſunt perverſæ actiones, e. g. ſi quis opinatur Deum non eſſe, eum nullum colet; ſi quis opinatur Deum eſſe homini ſimilem, tractabit Deum ut hominem; ſi quis opinatur Chriſtum eſſe nudum hominem & non verum Deum, aut honore ſuo Chriſtum privabit, aut idololatra erit; ſi quis opinatur, ſe in ſeipſo juſtum eſſe, nec humiliabitur, nec credet, nec gratus erit.

3. Perverſæ opiniones oriuntur ex corde perverſo, & quidem plerumque ex corde ſuperbo, quod majeſtatem Dei & juſtitiam ejus non metuit, nec miſeriam ſuam agnoſcit, ſed ſibi placet in ſua ſapientia carnali, nec vult ſubjici Scripturis & revelationibus divinis. Nam ſi hac ſuperbiâ careret cor eorum, qui perverſas tenent in negocio religionis opiniones, non ſe mancipearet propriæ rationi, nec ſe pateretur ſeduci ſplendore auctoritatis humanæ, ſed ſcrutaretur Scripturam omni cum humilitate, & deſiderio illuminationis, & ſic inveniret veritatem opinionibus ſuis contrariam. Sed quia habent cor ſuperbum, curvum & perverſum, quod non cupit ſubjici & conformari nudo dictamini Spiritus S. in Scriptura loquentis, ideo perverſis turgent opinionibus & proinde imprecationem merentur & maledictionem. Vide Tit. 1. 9, 10, 14. Hinc omnes falſæ opiniones vocantur inobedientia erga Euangelium & veritatem 2 Theſſ. 1. & 2.

Itaque ceſſemus condemnare miniſtros Euangelii, quos videmus cum ardore certare pro ſanis verbis Euangelii, ne in Eccleſiam irrepant inſanæ opiniones, fidei Euangelicæ contrariæ. Perverſæ enim opiniones ac doctrinæ maledictæ ſunt, &c, ſicut ex corde non ſano ac ſuperbo, quod lege Dei neſcit ſubjici, Rom. 8. proficiſcuntur, ita impediunt omnes actiones pias, & ſunt radix, ex quibus omnis impietas pullulat. Unde Paulus maledicit illis, qui aliud Euangelium prædicant Gal. 1. Apage cum moderatione illa perverſa, quâ omnes opiniones, qualeſcunque ſunt, in Eccleſia tolerentur. Cum noſtræ inſtitutiones ex verbo Dei, & veſtræ opiniones contra ſe invicem pugnant, an non noſtrum eſt indignari? Non debent hæc zizania tolerari in agro Domini, ne ſuffocent triticum, ſed acriter retundi Tit. 1. 3. perverſæ opiniones ſunt cancer vorans 2 Tim. 2. 17, 18. Itaque noſtri auditores nihil curent ſtudioſius, quàm ut vitent perverſas opiniones in negocio religionis, & omnes articulos ſalvificæ veritatis ſervent incorruptos. Nam ſi quas maledictas imbiberint opiniones, per & propter opiniones maledicti erunt ipſi.

Object. An igitur tu condemnas omnes qui in negocio religionis perverſis opinionibus ſunt imbuti? *Reſp.* Omnes falſæ opiniones non ſunt ejuſdem naturæ, nec ejuſdem ponderis & periculi. Sunt enim opiniones articulis fidei tam directè contrariæ, ut cum illis fides nullo modo poſſit conſiſtere,

e. g.

e. g. opiniones atheorum, quod non ſit Deus, nec providentia, nec ultimum judicium, nec reſurrectio mortuorum, nec immortalitas animarum. Ubi hæ opiniones obtinent, ibi inanis prædicatio, inanis omnis fides 1 Cor. 15. Sic opiniones idololatrarum, quod multi ſint Dii, quod Angeli, quod ſancti homines ſint adorandi, qui Chriſtum pro nudo homine habent, & tamen adorant, &c. lata eſt ſententia Ier. 17. 5. Sic hæreticorum, qui ſatisfactionem Ieſu Chriſti negant, & propriam juſtitiam conantur erigere, juſtitiam autem fidei in Euangelio revelatam repudiant, immò blaſphemant, lata eſt ſententia ab Apoſtolo Rom. 9. 31, 32. Gal. 1. 7, 8. Gal. 5. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. Quid jam vultis à nobis fieri iis, qui talibus opinionibus ſunt imbuti? An ut beatos prædicemus? Ut æquè bene ſperemus de illis, ac de aliis? Non poſſumus, quamdiu ſunt tales. Nam ſi hi poſſunt ſalvari, fruſtra eſt & ſupervacaneum Chriſtum eſſe mortuum, & Euangelium revelatum. An Deus aliquos, qui inter tales opinions vivunt, præſervet, ne eos imbibant, vel in fine vitæ exſpuant, negare nolumus, ſed potius ſperare. Sed quamdiu tales fovent opiniones, noſtrum non eſt bene de illis ſperare, ſed de certo periculo ſalutis eos omni cum fervore admonere. *Object.* At ſunt ſæpe homines honeſti. *Reſp.* Honeſtas ſine Euangelica veritate non dat ſalutem; nam ſi per honeſtam vitam licuiſſet evadere damnationem & conſequi vitam, fruſtra veniſſet & paſſus eſſet filius Dei, fruſtra revelatum eſſet Euangelium. Quod attinet ad falſas opiniones alias, quæ tam directè fundamenta Euangelicæ veritatis non evertunt, ſed cum fide aliquo modo conſiſtere poſſe videntur, ſperabimus quidem quantùm poſſumus de miſericordia Dei, ſed interim noſtrum non eſt eas relinquere ſine oppoſitione. Nam ſi fortè non impediunt hominum ſalutem, tamen labefactant gloriam Dei, fidelium ſolatium, & fervorem pietatis, & hominem reum peragunt inobedientiæ erga verbum veritatis, Gal. 5. 9, 10. Quod ſi rectè volumus nobis proſpicere, caveamus omnes errores & opiniones falſas, & verbum veritatis ſervemus incorruptum in omnibus articulis, ut plena ὑποτύπωσις ſanorum verborum inter nos conſervetur, 2 Tim. 1.

Object. 2. At enim difficile eſt, veritatem à falſis opinionibus ita diſcernere, ut ab omnibus falſis opinionibus nobis s[illegible]is caveamus. Immò tam difficile, ut etiam doctiſſimi quidam viri falſas opiniones defendant: quòd ſi docti non poſſunt eſſe immunes ab erroribus: quid poterunt indocti? *Reſp.* Docti æquè poſſunt errare ac indocti, & indocti æquè poſſunt revelatam veritatem recipere ac docti. Ad ſalvificam Euangelii veritatem videndam & recipiendam non requiritur eruditio, ſed tantum humilitas & fides, ac ſubmiſſio rationis ſub dictamen Scripturæ: Si omnes homines animo verè humili Scripturas ſcrutarentur, & quod in ea inveniunt, ſimplici fide obedienter reciperent, nemo à ſalvifica veritate penitus aberraret. Sed quia multi ſunt tum docti, tum indocti, qui vel non legunt Scripturas, vel legunt ſine abnegatione ſui ipſius, & ſine propoſito obedientiæ, mirum non eſt multos retinere ſuas opiniones, & aberrare à veritate ſalvifica. Non enim niſi mites diſcipulos docet Dominus, Pſal. 25. & ſi quis vult facere voluntatem Dei, is ſciet, quænam doctrina ex Deo ſit, Iohan. 7. 17. Vultis brevem aliquam manuductionem, quomodo poſſitis falſas opiniones à veritate diſcernere? Multæ dari poſſunt, ſed in præſentiarum dabo aliquam ex filo Catecheſeos noſtræ deſumptam. Catechiſmus noſter totam praxin pietatis, ad ſalutem peccatoris neceſſariam, revocat ad tria principia.

1. Debet ſe agnoſcere verè miſerum, tum ratione corruptionis, tum ratione condemnationis.

2. Debet firmâ fiduciâ inniti unico ſacrificio & ſatisfactioni Chriſti, in cruce peractæ.

3. Debet vivere ſecundum voluntatem ejus, à quo redemtus eſt, ad exhibendam ei gratitudinem. Hæc tria principia religionis eſſe in Scripturis fundata, tam clarum eſt, ac ſolis jubar in meridie omnibus iis, qui aliquo tantùm modo ſenſus ſuos in Scriptura exercuerint. Quòd ſi quis hæc tria principia tenet toto corde, iiſque obediens eſt, & cum illis tribus principiis omnia hominum dogmata confert, fieri non poteſt, ut à ſalvifica veritate excidat & talibus immergatur opinionibus, unde periculum patiatur ſalus ipſius.

Nam 1. Si verè corruptum & condemnatum te ſentis ac fateris, ſponte tuâ, tanquam nauſeabundus exſpues doctrinam de negatione peccati originalis, de libero arbitrio hominis irregeniti ad ſpirituale bonum, de perfectione hominis regeniti, & de operibus ſupererogationis. Nam ſi homo eſt ſine peccato originali, ſi habet arbitrium liberum ad bonum, ſi eſt perfectus, cur ſe abnegat, cur ſe fatetur condemnabilem?

2. Si firmâ fiduciâ innitatis ſatisfactioni Chriſti, & credis te propter illam ſolam à Deo accepturum omnia, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria? ſponte abominaberis falſas doctrinas de perſona Chriſti, quibus vis & ſufficientia ſatisfactionis illius evertitur: ſponte abominaveris doctrinam de propriis ſatisfactionibus & meritis, de ſacrificio Miſſæ, de indulgentiis & purgatorio. Sponte etiam abominaberis omnes doctrinas contra certitudinem & firmitatem ſalutis tuæ pugnantes, e. g. doctrinam de conditionali prædeſtinatione, de conditionali redemtione, de conditionali regeneratione, de conditionali perſeverantia, de apoſtaſia ſanctorum, de dubitatione Papiſtica, &c. Nam ſi firmiter credis & confidis, te propter ſolam ſatisfactionem ac juſtitiam Chriſti habiturum omnia ad ſalutem neceſſaria, tum 1. rejicis omnes alias ſatisfactiones & juſtitias præter Chriſti juſtitiam. 2. non pateris incertam & infirmam eſſe tuam prædeſtinationem, redemtionem, regenerationem, perſeverantiam & glorificationem: Nam quod credere niteris, id certum eſſe ſupponis.

3. Si verè cupis vivere ſecundum voluntatem Dei, ſponte abominaberis cultum Angelorum, Sanctorum & imaginum; ſponte quoque abominaberis inſtitutiones & traditiones hominum, ſed totam tuam vitam & actiones tuas ſedulò comparabis cum verbo Dei, & ſenſus tuos in meditatione illius diligenter exercebis, idque cum hac intentione, ut inde diſcas, quænam ſit accepta voluntas Domini in omni occaſione vitæ tuæ. Si ſic facis, impoſſibile eſt, ut aberres à veritate in tantum, ut ſalus tua periculum patiatur. Poſſunt fideles pati ſuas infirmitates, & in uno alteroque hallucinari, ſed qui his tribus principiis firmiter inhæret, & ſecundum ea vitam ſuam ſincerè ſtudet conformare, & cum illis dogmata quæ proponuntur, examinat, ac diligenter confert, is non poteſt tantopere aberrare à veritate, ut periculum ſalutis patiatur. Non igitur eſt tam difficile veritatem à falſis opinionibus diſtinguere, ut prætextu hujus difficultatis indagationem veritatis quiſquam debeat negligere, & cæcâ obedientiâ ſeipſum ſubjicere opinionibus illorum, à quibus docetur & ducitur; ſed ita debet unuſquiſque uti ſuorum doctorum operâ, ut dogmata ipſorum probet ad principia ſalutis, ne fortè ab iis abducatur ad opiniones maledictas, & maledictionem ſuper nos inducentes. Date igitur operam, ut & vos ipſos & veſtros liberos inſtituatis in veritate, exſtinctis opinionibus ei contrariis. Eſt hic theſaurus omnium optimus. Nam ſi quando ſpoliabuntur omnibus bonis, ſpes tamen reſtat ſalutis, ſi veritatem ſalvificam in corde gerunt. Si totâ vitâ fuerint impii, & veritatem teneant, ſpes eſt, in fine vitæ converti poſſe. Sed ubi veritas non eſt, quæ ibi ſpes? Non itaque miniſtri tantùm certent pro veritate; ſed omnes, præſertim magiſtratus.

Præſertim monemus divites, ut deponant hanc opinionem, quod donum Dei & felicitas vera poſſit emi pecuniâ, e. g. eleëmoſynis, Miſſarum redemtionibus, interceſſionum emtionibus; aut quaſi in ſe divites plus placeant Deo, quàm pauperes.

Actor. 8. v. 21.

CONCIO XC.

SEcundum membrum reſponſionis ad petitionem Simonis ab Apoſtolis datæ eſt *denunciatio*, qua Apoſtoli Simonem excommunicant & ejiciunt è communione Eccleſiæ, eique denunciant, quòd pro membro Eccleſiæ non agnoſcatur, q. d. Profeſſus quidem es fidem, & baptiſmate inſitus es Eccleſiæ, ſed nos tibi denunciamus, quod nec partem nec ſortem habeas in hac re, ſeu in hac beatitudine. Videbimus 1. denunciationem ipſam. 2. Rationem in qua fundatur.

DE PRIMO.

I. VOx λόγ@ dupliciter hîc poteſt accipi: 1. propriè pro prædicatione Evangelii: q. d. promiſſiones ſermonis Evangelici ad te non pertinent. 2. impropriè pro re per ſermonem ſignificata. Eſt enim hoc vulgare apud Hebræos, ut vox דבר non tantùm ſermonem, ſed rem ſignificet, cujus rei exemplum habetur in N. T. Rom. 9. 28. Hoc ſenſu λόγ@ hic ſignificabit beneficia per ſermonem Evangelii promiſſa, ſcilicet remiſſionem peccatorum, donum Spiritus S. & vitam æternam. Hæ ſunt res, à quibus Simon hic excluditur.

II. Non eſt tibi pars, neque ſors. Alludit hac phraſi Apoſtolus ad diſtributionem terræ Canaan, in qua quiſque Iſraëlitarum naniſcebatur partem ſorte adjudicatam. Num. 26. 54, 55. Joh. 15. & paſſim. Canaan enim & diſtributio ejus inter Iſraëlitas erat typus regni cœlorum, & Evangelicorum beneficiorum, de quibus hic agit. Eſt igitur formula exhæreditationis, qua filii degeneres excluduntur

duntur à communione hæreditatis. Adjunxerat ſe Simon Eccleſiæ, & factus Dei domeſticus, & filiorum Dei inſigne ſuſceperat. Quoniam autem filiale cor non habebat, excluditur à communione hæreditatis divinæ.

III. Talem excluſionem, exhæredationemque hypocrytarum Deus voluit vigere in Eccleſia ſemper. Hæc enim diſciplina illa Eccleſiæ ſeu poteſtas ſpiritualis caſtigationis, quâ Chriſtus armavit miniſterium Euangelii adverſus hypocritas & lupos, qui ſub pelle ovina irrepunt in ovile Domini. Sicut pater armatus eſt poteſtate & auctoritate caſtigandi & coërcendi filios ſuos; ita miniſterium Eccleſiaſticum tali poteſtate armatum eſt. Poteſtas quidem hæc eſt, quam impii parum timent, comparantes eam gladio ligneo, qui feriat, ſed non vulneret, veruntamen quam Deus ſecreta benedictione, ſecundum promiſſionem ſuam, Matth. 18. & Johan 20. ita comitatur, ut vis ejus tandem ſentiatur, vel in ſanatione eorum, qui poteſtate hâc corripiuntur, vel in eorum graviori induratione atque pœna, ad defenſionem Eccleſiæ contra eorum pravas machinationes, quibus Eccleſiam ſatagunt deſtruere. Papatus quidem hac poteſtate mirum in modum fuit abuſus ad perturbationem Eccleſiæ, & ad ruinam illius, atque ad ſtabiliendam tyrannidem cleri; & eſt revera res hæc, quæ magnas poteſt in Eccleſia turbas dare, ſi non rectè uſurpetur, ſed interim divinitus inſtituta eſt, ut negligi non poſſit, & ſanctè uſurpata multum conducit ad pacem Eccleſiæ, & multarum animarum ſalutem.

Quatuor ſunt de hac eccleſiaſtica diſciplina rectè tenenda: 1. an ſit à Deo inſtituta: 2. quâ in re conſiſtat: 3. quomodo rectè & ſanctè uſurpanda. 4. quid rectè uſurpata proſit & noceat.

1. Negant multi, præſertim Politici, dicentes, non Eccleſiaſticis, ſed politicis datam eſſe poteſtatem diſciplinæ & caſtigationis, & ſi quid vitii in Eccleſia graſſetur, ad Magiſtratum eſſe deferendum, nec Eccleſiaſticâ coërcendum pœnâ. Sed alia eſt poteſtas magiſtratûs, alia miniſtrorum Euangelii. Illa in corporalibus conſiſtit pœnis & armis, hæc verò in ſpiritualibus. Illa non coërcet, niſi quæ ſunt contra pacem reipub. hæc verò omnia, quæ ſunt contra legem Dei, ſive externa, ſive interna, quæ magiſtratus planè non cenſet neque curat. Magiſtratus non fert, niſi corporalium ſuppliciorum ſententiam: miniſtri æternæ condemnationis ſententiam pronunciant. Magiſtratus non niſi externa delicta contra ſocietatem humani generis pugnantia reprimit, ſed miniſtri parva æquè ac magna, interna æquè ac externa, omiſſionis æquè ac commiſſionis peccata diſciplinâ ſuâ corripiunt. Eſſe autem miniſterium Euangelii tali poteſtate armatum, patet: 1. In V. T. non tantùm fuerunt politica ſupplicia magiſtratûs, ſed etiam eccleſiæ diſciplina ſpiritualis. Sic Deus ipſe hominem fœderis violatorem, excluſit à ſignis gratiæ, ſcilicet arbore vitæ & paradiſo, quæ ſanè excluſio non fuit ſupplicium politicum. Sic qui ceremonialiter impuri erant, excludebantur à Paſchate, à templo, idque non per Magiſtratum, ſed per Levitas. Levit. 10. 9. & 10. Hagg. 2 12. Ezech. 44. 23. 2 Chron. 23. 18, 19. Sic Lev. 6. 2. &c. expreſſè inſtituitur, ut Sacerdotes non admittant ad ſacrificia facienda, nec abſolvant à reatu fraudulentos & raptores, antequam verè pœnituerint, & raptum reſtituerint. 2. In N. T. clariſſima ſunt loca, Matth. 16. v. 19. Joh. 20. 23. Matt. 18. 15. ubi ſanè committitur aliqua poteſtas coërcendi præfractos hypocritas. Et cui committitur? Non Magiſtratui politico, ſed Apoſtolis; nec ſolis Apoſtolis, ſed Eccleſiæ omnium temporum. Non ſanè eſt civilis & politica diſciplina, ligare aliquid, ut ſit in cœlo ligatum, retinere alicui peccata, declarare aliquem Ethnicum & publicanum. Adde teſtimonium illud ex 1 Cor. 5. v. 2, 3. &c. ubi ſanè non civile, ſed ſpirituale judicium deſcribitur. Magiſtratus enim non poteſt tradere Satanæ, quomodocunque illa phraſis exponatur. Vide totum caput. Confer loca alia ex Rom. 16. Galat. 5. Phil. 2. Tit. 3. 2 Joh. v. 10. Vide etiam Apoc. 2. 20. 2 Theſſ. 3. 6. & 14.

II. Qua autem in re conſiſtit hæc eccleſiaſtica diſciplina? *Reſp.* Alia verbalis eſt, alia in factis conſiſtit.

1. Verbalis, ſeu quæ verbis fit, 1. fit prædicatione, cum iis, qui ſub profeſſione Chriſtiani nominis doctrinam vel vitam ſectantur minimè Chriſtianam, in nomine Chriſti generaliter, ſpecialiterque denunciatur, quod nec partem, nec ſortem habent in beneficiis Euangelicis, quamdiu tales manent. Talis denunciatio generalis habetur Gal. 5. v. 2, 3, 4. & 1 Cor. 6. 10. Specialis habetur hoc loco, ubi Petrus Simoni ſingulariter hoc denunciat; & 2 Sam. 12. ubi Nathan Davidi: quo etiam pertinet illa ἐπιτίμησις inceſtuoſi, 2 Cor. 2. 7. 2. precatione, cùm iis, qui in Eccleſia impiè docent, credunt & vivunt,

vivunt, & admonitionibus cedere nolunt, ſed Eccleſiam præfractè premunt ac perſequuntur, imprecamur ruinam ac perniciem, ne amplius noceant Eccleſiæ. Exempla habes Gal.1.8. & 5.12. 1 Cor.16. v.22. frequentiſſimè in Pſalmis & Prophetis. Ubi tamen notandum, hanc imprecationem vel abſolutam eſſe vel conditionalem. Abſolutâ uſi ſint Prophetæ, qui ſciebant hos vel illos Eccleſiæ hoſtes eſſe extra ſpem converſionis, quod quia nos ignoramus, non poſſumus uti niſi imprecatione conditionali ſi ſcilicet converti non poſſint. Hæc diſciplina verbalis generalis eſt, & poteſt etiam ſtringi aliquo modo contra eos, qui ſunt extra Eccleſiam.

2. Realis diſciplina Eccleſiaſtica, ſeu quæ fit factis, vulgò appellatur excommunicatio peccatoris, dividiturque in excommunicationem minorem & majorem. Minor excommunicatio fit per abſtentionem à Sacramentis, item depoſitionem à ſacris officiis. Sicut enim pater filio iratus illum non admittit ad menſam, nec dignatur eum alloqui, aut aliquid ei mandare, (vide exemplum Abſolomi 2 Sam. 14.24.) ita Deus tales, qui admonitionibus verbi cedere nolunt, non vult ſignis gratiæ refici, nec honeſta ac ſacra munia gerere in Eccleſia. Sic Abjathar fuit amotus à Sacerdotio; ſic diſpenſator ab officio, 1 Reg.2.26. Luc.16. Sic impuri non poterant comedere Paſcha: ſic qui ſeipſos non probant & dignos inveniunt, vetantur uſurpare cœnam, & qui cœnæ Dæmoniorum ſunt participes, vetantur admitti ad menſam Domini, 1 Cor.10. & 11. Major excommunicatio fit per ejectionem extra Eccleſiam, qua peccator Satanæ traditur, 1 Corinth. 5. 1 Timoth. 1. è medio noſtri tollitur, fermentum expurgatur 1 Cor.5. ut non miſceamur illis, non comedamus cum illis, non *ave* dicamus, pro Ethnicis & Publicanis habeamus, & devitemus illos, i.e. ut iis ſubtrahamus judicium illud charitatis, & officia charitatis, quæ tenemur exhibere illis, qui nobiſcum ſunt membra corporis Chriſti. Etſi enim omnibus hominibus amorem debemus, tamen ſpecialem charitatem & amicitiam debemus illis, qui nobiſcum ſunt membra veræ Eccleſiæ. Cùm autem aliquod Eccleſiæ membrum præfractè ſe gerit, & nulli admonitioni, nulliſque diſciplinæ partibus vult cedere, tandem jubetur Eccleſia ſolvere illam communionem ſpecialis charitatis & amicitiæ, quam debet membris Eccleſiæ, eumque impoſterum tractare ut Ethnicum, Publicanum, qui non ad regnum Chriſti pertineat, ſed ſit ſub regno Satanæ, donec reſipiſcat: quod tamen ita accipiendum non eſt, quaſi per diſciplinam ſolvatur communio, quam ſibi homines invicem debent jure naturæ, e.g. etiam officia conjugalia, filialia, &c. Lex enim ceremoniarum non rumpit vincula legis naturalis aut moralis, ſed iis cedit. Hactenus, an ſit divinitus inſtituta, & qua in re conſiſtat diſciplina Eccleſiaſtica: ſequitur

III. Quomodo uſurpanda? ſed quia hoc non tam ad membra Eccleſiæ, quàm ad antiſtites pertinet, nolumus vos hac re detinere, ſed ſufficit antiſtites Eccleſiæ ſe ipſos bene informent, ne quid vel per negligentiam vel imprudentem zelum Eccleſia detrimenti hic patiatur. Debet uſurpari à rectoribus & antiſtitibus Eccleſiæ, etſi non ſine conſenſu totius Eccleſiæ in partibus gravioribus, debet uſurpari contra eos potiſſimum, qui ſunt externa profeſſione membra Eccleſiæ, & tamen impiam vitam degunt, vel impiam doctrinam ſerunt atque tenent. Debet uſurpari non contra omnes piorum infirmitates, ſed contra ſcandala aperta; debet uſurpari certis gradibus, ut ad graviores ejus partes non deveniatur, niſi præmiſſis & probatis levioribus; non debet uſurpari, niſi ad ædificationem uſurpari poſſit: uſurpari debet ab iis, qui uſurpant non animo militari & iracundo ad vindictam, ſed animo medici ad emendationem, animo patrio, cum multa compaſſione, cum lacrymis, &c. etſi quid eſt aliud, quod Scriptura in hac materia cavere jubet pios ac prudentes Eccleſiarum Antiſtites. Hoc tamen ſciendum omnibus piis Eccleſiæ membris, quod diſciplinam Eccleſiaſticam non debent deſiderare & implorare contra ſuum proximum, donec ipſi fecerint, quod poterunt ad lucrifaciendum. Vide Matth. 18. 15. poſſint enim privati quoque privatis denunciare iram Dei. Et hæ fraternæ denunciationes debent præcedere, antequam paternæ implorentur. Sequitur denique

IV. Quam vim & efficaciam habeat hæc diſciplina rectè adminiſtrata. Hoc exprimit Scriptura, cùm ait, in cœlo ligatum iri, quod ligatur in terris, & hominem excommunicatum tradi ac venire ſub poteſtatem Satanæ, niſi ſcilicet & quam diu non reſipiſcit. Quomodo hæc verba intelligenda ſint, non diſputabo. Sed unuſquiſque facilè intelligit ex illis, quòd non leve detrimentum pariat hæc diſciplina illis, ſuper quos ſtringitur, & cauſas ſolatii ipſis non

parum

parum adimat, & quòd proinde non tam parum, ut vulgò fit, timenda ſit. Quicunque itaque ſolatium & pacem ſuam amat, & Scripturæ comminationes veras eſſe credit; ita ſe gerat in domo Dei, ne cadat ſub hanc ſerulam. Etſi enim ſenſus ejus non ad adeò ſub initium doloriſicus, tamen vis & efficacia ejus inſenſibiliter nocet, & perniciem parit, niſi prævemiatur per pœnitentiam. Etiam illi, qui hanc diſciplinam adminiſtrant, inde diſcant ſolatium contra contemtum. Quia enim effectus ejus non ſtatim videtur, contemnitur, ridetur, iracundiâ excipitur, &c. Sciant tamen pii adminiſtratores hujus diſciplinæ, inſtitutum divinum non fore irritum.

De Secundo.

Ratio, in qua hæc denunciatio fundatur, eſt hæc: Quia cor tuum non eſt rectum coram Deo. Quid ſit cor non rectum, ſatis intelligit, qui novit quid ſit cor rectum. Rectum enim eſt menſura ſui obliqui. Quid autem eſt cor rectum? Vocatur aliàs in Scriptura cor ſimplex, cui opponitur cor duplum; cor ſincerum, cui opponitur cor falſum; cor purum, cui opponitur impurum; cor totum & perfectum 1 Chron. 29. 19. Non certè in quo nihil impuri reperitur, nulluſque defectus; tale enim cor nemo fidelium habet in hoc mundo. Quid igitur cor rectum, ſincerum, purum, totum perfectum? &c. *Reſp.* Ut cor noſtrum ſit rectum & perfectum coram Deo, duo requiruntur:

1. Ut ſit rectum ac perfectum ſubjectivè, i. e. ut omnes partes ac facultates cordis & animæ noſtræ addictæ ſint cultui divino. Anima ſeu cor hominis dividitur in tres facultates, intellectum, voluntatem, affectus. Non tantùm intellectus noſter debet eſſe illuminatus luce veritatis, ſed & voluntas determinata ad obedientiam veritatis; nec tantùm voluntas determinata, ſed etiam affectus ſubjecti præceptis veritatis, ut ita omne quod in nobis eſt, Deo ſerviat: Pſal. 103. 1, 2. ſi enim totum hoc internum rectum ſit coram Deo, ſponte ſequentur motus externi oris & operis.

2. Ut ſit rectum & perfectum objectivè, i. e. ut toto corde ſtudeamus obſervare omnia præcepta verbi divini, interna æquè ac externa, gravia æquè ac levia, magna æquè ac parva, facere bonum æquè ac omittere malum, idque omni tempore. Nam qui electionem inſtituit inter præcepta Dei, & uni renunciat, alterum recipit; vel qui non niſi tali tempore, loco, ſtatu Deo ſervire cupit, is cor habet diviſum inter Deum & Diabolum atque mundum, nec rectus ac perfectus eſt coram Deo, ſervitque duobus Dominis, contra præceptum Chriſti, Matth. cap. 6.

Object. At ſæpè non novimus hoc vel illud eſſe præceptum Dei, ſed dubitamus, utrum præceptum ac interdictum ſit nec ne. *Reſp.* Non agitur hîc de felicitate ſucceſſus, ſed de integritate propoſiti. Si habes propoſitum & ſtudium verbum & regulam ſalutis diligenter pro viribus tuis ſcrutandi, & quicquid inveneris ibi mandatum, omni conamine efficiendi, hoc facit cor perfectum & rectum, etſi tum in intellectu, tum in exequutione multa ſuperſit infirmitas.

Caveamus igitur à corde hypocritico, ne excludamur à communione beneficiorum Euangelicorum. Etſi in hac vita non poſſumus pervenire ad perfectionem cordis, demus tamen operam, ut habeamus cor ſincerum, in quo ſint omnia membra novi hominis, omnia lineamenta imaginis Chriſti.

Actor. 8. v. 22.

Concio XCI.

Tertium membrum reſponſionis Apoſtolicæ ad petitionem Magi eſt conſilium. Hoc enim diſcrimen eſt inter Doctorem legis, & Doctorem Euangelii, quòd ille quidem redarguit & maledictionem denunciat; hic verò ita denunciat maledictionem & condemnationem, ut etiam det conſilium hanc maledictionem evadendi. In hoc conſilio tria conſiderabimus: 1. malum, in cujus remedium hoc conſilium datur; 2. conſilium, vel remedium ipſum, quod datur: 3. rationem & argumentum quo neceſſitas hujus conſilii probatur & uſus ejus ſuadetur.

I. Malum, contra quod hoc conſilium & remedium datur, vocatur κακία ἐ ἐπίνοια τ̃ καρδίας.

1. Vocatur κακία. Non enim erat peccatum infirmitatis, ſed malitiæ. Simon erat hypocrita. Hypocritæ autem non peccant ex infirmitate, ſed ex malitia. Peccata eorum non veniunt ex corde bono, quippe quod non habent; ſed ex corde malo. Matth. 12. 35. Infirmitates ſunt peccata, quæ proveniunt ex bono corde. Quid differunt autem peccatum in-

firmitatis, & peccatum malitiæ, & unde ſciam, an quis ex infirmitate, an verò ex malitia peccet? *Reſp.* Id Paulus explicat Rom. 7. 15, 19. Ex infirmitate peccare, eſt facere quod nolo, & quod odi, 1. qui peccat & non vult peccare, i. e. qui ſincero propoſito & voto ſe obſtrinxit ad vitandum omne peccatum, & tamen peccat, hoc infirmitatis eſt. Elegerunt pii legem Dei, ut de ſe David dicit Pſal. 119. i. e. propoſuerunt ſibi obedire legi, & tamen labuntur. 2. Qui peccat, & tamen peccatum odit, averſatur, & nauſea peccati ducitur. Regeniti ſunt ſicut infirmi & ægri corpore, qui ſæpe edunt quod inſalubre eſt; ſed poſtquam ederunt, ſtomachus gravatur, & nauſeâ corripitur. Mali homines, cùm peccant, non faciunt, quod oderunt, ſed quod amant, ideo bibunt injuſtitiam, ut aquam ſolent bibere, Job. 15. 16. avidè peccant, Eph. 4. 19. ideoque peccata concoquunt ſine ægritudine: ſed pii peccantes, faciunt quod oderunt, & gravantur, ac quaſi ægrotant ſuis peccatis, ſi non in ipſo peccati actu, ſaltem ſtatim poſt commiſſum factum. Vide 2 Sam. 24. 10. Cùm quis itaque vult facere malum, & malum quod facit amat, nec odit, & non gravatur ſuo peccato, is peccat ex malitia. Sed qui ſincerè propoſuit ſibi non peccare, Pſal. 39. 2. & qui vero peccati odio ducitur, & tamen incaleſcentibus affectibus peccat, Pſal. 39. 4. is peccat ex infirmitate.

2. Vocatur *ἐπίνοια τῆς καρδίας.* Simonis peccatum, propter quod tantopere punitur, non erat externum opus, ſed interna cogitatio & machinatio cordis: figmentum cordis pravum eſt. Hæc vox naturam hujus peccati ſpecialius depingit, & dupliciter poteſt exponi: 1. non eſt peccatum, quod inſcius commiſit, ſed cujus commiſſionem probè meditatus eſt. Præmeditata peccata graviſſima peccata. Meditari vanitatem eſt Ethnicorum peccatum. Vide Pſal. 2. 1. Pſal. 36. 5. & 38. 13. 2. Eſt commentum & machinatio cordis, mala inventio, ars, praxis, qualis illa injuſti diſpenſatoris Luc. 16. 3, 4. Simon enim in arte ſua confuſus & pudefactus per miracula Philippi, nec tamen honoris ſatur, aut ab ambitione deſiſtens, commentus & machinatus eſt hanc inventionem, qua recuperaret amiſſam hominum de ſe opinionem, quod aliquis magnus eſſet.

Videmus hinc, quinam ſint illi, quibus hodieque hoc conſilium Apoſtolicum intenditur, nimirum omnes ii, qui ex malitia peccant, & toto corde peccatis ſerviunt. Qui ex infirmitate peccant, reprehenſionem quidem merentur, & indigent hoc conſilio; ſed præcipuè hoc conſilio indigent, qui peccant ex malitia. Nam ni hi tempeſtivè ſe convertetint, in peccatis ſuis morientur. Magis ſtrictè hoc conſilium concernit eos, qui malas artes & inventiones malas meditantur. Sicut hic Simon ſplendore veritatis convictus, Chriſtianus quidem factus eſt, ſed tamen non ita dominio Chriſti ſe ſubmiſit, ut ſeipſum abnegaverit. Itaque commentus & machinatus eſt artem, quâ ſub Chriſtiano nomine libidinibus ſuis & terrenis cupiditatibus ſatisfaceret: ita hodieque multi ſunt, qui non poſſunt non eſſe Chriſtiani, & tamen diu noctuque nil aliud agunt, quàm quòd meditantur & machinantur; quî nomen & opinionem Chriſtiani retinentes nihilominus poſſint diteſcere, honorari in mundo, & ſatisfacere libidinibus carnis. Nolunt rectâ incedere viâ, ſed machinantur vias curvas, queis & mundum lucrari, & cœlum poſſidere, & Chriſtum retinere, & ſe non abnegare poſſint. Sunt tales, de quibus Pſal. 119. 113. Pſal. 125. 5. Qui tales ſunt, ad eos pertinet hoc conſilium: Convertimini ab hac malitia cordis, & precamini Deum, &c.

II. Conſilium ipſum quod datur habet duas partes:

I. *Μετανοήσατε ἀπὸ τῆς κακίας.*

Eſt neceſſarium requiſitum ſalutis, converſio à peccatis. Nam qui in peccatis manet, in peccatis moritur. Ezech. 18. 21. 31. 32. Sed quid eſt *μετανοεῖν*? Breviter dicam. *Μετανόησις* eſt *τοῦ νοὸς μετάστρεψις*, revolutio, (eene omkeeringe) cordis. Cor hominis naturaliter eſt perverſum, Phil. 2. 15. *μετανόησις* eſt ejus reverſio & reductio ad priſtinum ſtatum. Habet autem hæc converſio cordis quatuor gradus. Debemus enim.

1. Cor à peccato avertere. Naturaliter cor adhæret peccato, ardens amore, appetitu ac deſiderio peccati: per reſipiſcentiam autem cor à peccato avertitur, extinguiturque amor peccati. Hinc reſipiſcentes dicuntur mori peccato, Rom. 6. 2. Sicut mulier vidua moritur marito, dum amor & delectatio mariti ſenſim decreſcit & perit; ita reſipiſcentes deponunt amorem & deſiderium Peccati, à quo ſe convertunt.

2. Cor peccato obvertere. Sicut mancipium aliquod captum, vel miles fugiens Domino & exactori ſuo cedit, & ſe patitur impelli quo ille vult, ſed ſpem

ſpem liberationis videns, obvertit ei faciem, eique reſiſtit, ut dominium ejus effugiat, cumque occidat: ita peccator irregenitus peccato ſervit & cedit, ſed cum audit Euangelium, quo ſanguis & Spiritus Chriſti offertur in auxilium, peccato obvertit faciem, eique reſiſtit, illudque oppugnat & mortificat. Hinc non tantùm dicitur mori peccato, ſed etiam mortificare & crucifigere peccatum. Col. 3. 5. Gal. 5. 24. Rom. 8. 13.

3. Cor ad virtutem & bonum opus, peccato iſti contrarium, convertere. Non eſt vera converſio, quæ in averſionis puncto ſubſiſtit, nec ſe uſque ad virtutem convertit. Quia Simon non fuit factus humilis loco ambitionis, & juſtus ac liberalis loco avaritiæ, non fuit vera ejus converſio. Si in quocunque peccato quis vivit, ita debet cor à peccato avertere, ut ad contrariam obedientiam & virtutem convertat. Finis enim converſionis eſt reverti ad virtutem, à qua fuimus averſi. Vide Apoc. 2. 4 5. Vide verſionem, & notas Belgicas in Hoſ. 14. 2. & Ioël 2. 12. ubi textus Hebræus habet: *Convertimini uſque ad me.*

4. Cor non tantum convertere ſed & invertere, ita ut cùm deorſum ad mundum propenderet, relevetur ſurſum ad quærendum & appetendum, quæ ſunt ſupra, Col. 3. 3. Phil. 1. 21. Pſ. 121. 1. Qui ſic ſe convertit, verè eſt converſus, & ejus converſio habet hanc proprietatem, quod eâdem operâ ab omnibus peccatis ſe avertit, & ad omne bonum opus ſe convertit. Fieri enim non poteſt, ut cor noſtrum ab uno peccato verè avertatur, & tamen alteri adhæreat; nec fieri poteſt, ut cor ad unum legis præceptum verè convertatur, & à cæteris maneat averſum; ſicut fieri non poteſt ut qui faciem uſque ad orientem convertit, quod in occidente eſt, reſpiciat. Et cor hunc in modum converſum, manet in eo ſtatu firmum ac ſtabile. Etſi enim ſubinde, ſicut acus magnetica in pyxide nautica concutitur, tamen ſemper ſuâ ſponte revertitur in ſtatum debitum.

Sed quare à nobis requiritur converſio, cùm ſit Dei opus? Nos non poſſumus nos convertere, ſed Deus nos debet convertere; Ier. 31. 18. Thren. 5. 21. præcipuè hic Simon, quomodo ille ſe poterat convertere, qui erat ſub tam efficaci peccati dominio? *Reſp.* Deus in flagitationibus ſui verbi non reſpicit quid nos poſſimus, ſed quid nos debeamus, & debitum noſtrum, quantumvis nobis impoſſibile, à nobis exigit, ut nos de impotentia & miſeria convincat, & ſenſum miſeriæ in nobis excitet, ut miſeriam noſtram & impotentiam ſentientes, gratiam Spiritus Sancti in Chriſto paratam imploremus, & dicamus cum Eccleſia: Domine converte nos ut convertamur, Domine jube quod vis, & effice quod jubes. Agnoſco debitum, confiteor impotentiam, & condemno me ipſum. Quoniam tamen in Euangelio tuo vetas deſperationem, & injungis gratiæ tuæ implorationem, en me conjicio ad ſcabellum miſericordiæ tuæ, da mihi Spiritum filii tui, libera me à dominio peccati, & operare in me, quicquid beneplacitum eſt coram te. Qui ſic facit, ille ſe poteſt convertere, quia habet promiſſionem Spiritus Sancti. Qui ſic non facit, ſed ἀναίσθητος eſt ſuæ impotentiæ, & contra illam diſputat, is reverà ſe non poteſt convertere, & tamen non habet cauſam quærendi de Dei flagitatione, ſed de ſua pertinacia & malitia. Utimini itaque iſtis Ieremiæ dictis non ad cavillationem ſalutaris doctrinæ, ſed ad imitationem ſancti exempli, ut de converſione veſtra admoniti per verbum, Spiritus opem imploretis, & cum divini auxilii ſtipulatione opus converſionis ſuſcipiatis.

2. Δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεται. &c.

Nota

1. Non ſufficit converſio à peccato, ſed requiritur remiſſio peccati. Ratio, quia converſio non tollit reatum, iram, pœnam. Nam etiam mortificata peccata merentur condemnationem, & attrahunt peccatori maledictionem, niſi à judice remittantur. Sicut itaque converſio à peccato neceſſaria eſt; ita remiſſio peccati non minus neceſſaria eſt; unde ſemper conjunguntur, Actor. 2. 38. Convertite vos, & baptizamini in remiſſionem peccatorum: ſic Actor. 5. 31. Sed quamvis utrumque conjungitur, nec ſeparari unum ab altero poteſt, de utroque tamen nos debemus eſſe ſolliciti.

2. Sed quomodo precibus impetratur remiſſio peccatorum, cùm tamen juſtificatio ſit ſolius fidei opus? *Reſp.* Fidei opus in negocio juſtificationis proprium & immediatum non eſt, remiſſionem peccatorum impetrare, ſed nos Chriſto unire, & juſtitiam ac merita ejus nobis applicare, per quæ juſti ſumus coram Deo, propter quæ peccata remittuntur. Fides igitur non excludit preces in impetratione remiſſionis peccatorum, ſed per fidem Chriſto inſiti, precamur in fide, ſeu cum fiducia,

ut

ut juſtitia ejus, quam per fidem amplectimur, nobis imputetur ad remiſſionem peccatorum. Fides itaque per preces impetrat remiſſionem peccatorum.

3. Sed cur Apoſtolus Simonem docet remiſſionem peccatorum petere dubitanter, *Si forte remittatur*? Annon debuit Simon in fide & cum fiducia petere remiſſionem peccatorum, quippe rem ad ſalutem abſolutè neceſſariam? *Reſp.* 1. Etſi interpretes omnes Græca verba *εἰ ἄρα ἀφεθήσεται* vertunt, Si fortè remittatur; non puto tamen neceſſariam eſſe illam verſionem. Nam voces *εἰ ἄρα*, non ſemper dubitationem notant, ſed etiam exprimunt vehementiorem interrogationem vel petitionem, quam rectius Germani ac Belgæ exprimere poſſunt, quàm Latini, nimirum per voculam **ook** vel **doch**. Precare Deum, **of het u oock:** vel, **of het u doch mochte vergeven worden.** Nihil eſt frequentius in noſtra lingua, quàm ut vehementiorem precationem alicui injuncturi, dicamus; **gaet bidt hem/ of my doch dit of dat geworden mochte.** Latinè ſic: Vade, precare Deum, an etiam remitti poſſit: vel, annon velit remittere, ferè ut Matth. 29. 42. **is het dan niet moghelijck:** Eſt itaque hic talis vehemens petitio, qualis Act. 7. 1. an igitur hæc ita habent, **is dan dat alſo**? eſt interrogatio. Non igitur docet dubitanter precari, ſed vehementer precari. 2. Si tamen verſio vulgata ſequenda eſt, dicendum quod Apoſtolus non doceat Simonem dubitanter petere remiſſionem peccatorum, ſed dubitet, ne non ſit ſe converſurus, & remiſſionem peccatorum verè petiturus, vel, ne peccatum à Simone commiſſum non ſit peccatum mortale, ſeu ad mortem, & irremiſſibile.

4. Sed an nihil aliud requiritur ad obtinendam remiſſionem, quàm petitio remiſſionis? Quilibet Ethnicus, quivis hæreticus, quivis Papiſta poteſt petere. *Reſp.* Nihil aliud requiritur poſt converſionem, quàm preces, ſi modò preces fiant in fide. Nam qui ſine fide remiſſionem peccatorum petit, is eam non impetrat, nam precatio fidei impetrat remiſſionem peccatorum, Iac. 5. 15.

Quid autem eſt in fide petere remiſſionem? *Reſp.* 1. Eſt remiſſionem petere cum amplexu Chriſti. Nemini enim remittuntur peccata, niſi juſtis. At nemo juſtus eſt coram Deo, niſi qui Chriſtum tenet. Sicut Adonia veniam peccati ſui precaturus cornua altaris apprehendit 1 Reg. 1. 50, 51. ita nos precaturi veniam peccatorum apud Deum, debemus nos ad Chriſtum recipere, & merita ejus tanquam clypeum obtendere juſtitiæ divinæ. Si hunc clypeum non habemus in manu, precatio noſtra non obtinebit veniam. Hoc autem nemo facit Ethnicorum, nec Iudæorum, nec Hæreticorum, nec Papiſtarum, ſed vel nudam Dei miſericordiam, vel propria merita, propriaſque ſatisfactiones, vel aliorum Angelorum hominumve merita apprehendunt, & ſic precantur; vel ſi Chriſtum apprehendunt, ei ſoli tamen non confidunt, ſed altera manu Chriſtum tenent, alterâ ſanctos, quod non eſt in fide, ſed ſine fide precari.

2. Eſt remiſſionem petere cum firma fiducia impetrationis, ſine dubitatione exauditionis. Nam qui quicquam à Deo petit cum dubitatione, ne putet ſe accepturum, Iac. 1. 6, 7. Præſertim remiſſio peccatorum eſt ex iis, quæ cum abſoluta fiducia impetrationis petenda ſunt. Eſt enim res ad ſalutem abſolutè neceſſaria, & converſis abſolutè promiſſa, adeoque cum firma fiducia petenda, nec cum conditione ſicut res temporales petuntur. Hanc fiduciam hæretici, Iudæi, Papiſtæ & Ethnici non adhibent, quippe qui eam vetant, & tanquam inanem præſumptionem condemnant.

En habetis conſilium Euangelii contra noxam & vim peccati. Si cupitis ſervari, utimini. Diſcant hinc omnes peccatores verum Euangelii conſilium, quo pacto ſcilicet poſſint peccata ſua ſibi reddere innoxia: peccatores ſumus, nec quod factum eſt, infectum fieri poteſt. Et tamen peccatum eſt morbus adeò noxius & periculoſus, ut, niſi ſecundum conſilium Euangelii curetur, & maligna ipſius vis ac efficacia ſuperetur, tam certò corpus & animam in æternam mortem ſit præcipitaturum, quàm certum eſt clarâ meridie ſolem lucere. Quicunque igitur peccatum habet, Euangelii conſilium ſequatur, convertat ſe à peccato, & quærat remiſſionem peccati, idque eo modo & ordine, ut ſupra dictum eſt. Ne ſeparemus ea, quæ Deus in hoc conſilio conjunxit. Ne putate ſufficere ut precemini remiſſionem peccati, & interim vivatis in peccato: nec putate ſufficere, ut vos convertatis à peccato, etſi de remiſſione peccati & vero modo juſtificationis non ſitis ſolliciti. Et mortificari debet peccatum per converſionem, & expiari per remiſſionem. Itaque & converſionem

operemur, & remiſſionem quæramus ubi inveniri poteſt.

Object. At hæc concio habenda fuiſſet poſt bacchanalia. Hac hebdomade demum committentur peccata ebrietatis, luxuriæ, levitatis; poſt octiduum opus erit converſione, nunc nondum commiſſum eſt peccatum.

Reſp. Simonis peccatum etiam nondum erat commiſſum, nondum enim erat reipſa nundinatus res Spirituales, ſed tantùm erat in ἐπινοίᾳ καρδίας, in machinatione cordis, & tamen condemnatur. Sic veſtra bacchanalia jam ſunt in præparatione cordis. Convertimini igitur ab ea, & petite, ut remittatur. Cogita 1. quid ſi condemner ob meram machinationem cordis, etſi factum ipſum non committam? 2. quid ſi moriar in ipſo maleficio ante reſipiſcentiam? 3. quid ſi Diabolus ſinatur cor meum ita colligare in felle injuſtitiæ, ſicut Simonem, ut non poſſim me convertere impoſterum?

Actor. 8. *v.* 23. 24. 25.

CONCIO XCII.

HActenus conſilium ipſum Simoni datum: ſequitur argumentum, quo demonſtratur quàm neceſſarium ſit Simoni hoc conſilium ſequi. Petitur hoc argumentum à magnitudine mali ſeu morbi, qui tales, ut niſi ſubito remedium adhibeatur, futurus ſit planè immedicabilis. Sicut enim corpora ſæpe vi morbi adeò ſunt oppreſſa, ut niſi ſubitò curentur, curari impoſterum non poſſint, ita anima Simonis adeò erat ſub dominio & vi peccati depreſſa, ut niſi illicò ſe converteret & Deum rogaret, impoſterum curari ab hac corruptione non poſſet. Datur enim peccatum incurabile. Sunt peccata quæ difficulter curari poſſunt, ſunt etiam quæ planè curari non poſſunt, eaque publica & privata. Publica, cum integer populus adeò eſt peccato corruptus, ut curari non poſſit 2 Chron. 36. v. 16. Actor. 28. 26. 27. Privata, cum certa aliqua perſona in peccato adeò induruit, ut curari non poſſit, qualis fuit induratio Pharaonis, & peccatum ad mortem vel in Spiritum Sanctum de quo 1 Joh. 5. Matth. 12. Non quaſi peccati vis ſuperet gratiam Dei & potentiam Spiritus Sancti ut curari non poſſit, ſed quia Deus talibus peccatis adeò exacerbatur, ut peremptorium ceperit conſilium, ea nunquam remittendi, nunquam ſanandi. In hanc immedicabilem peccati malignitatem nondum videtur Simon tum temporis incidiſſe, ſed quia tamen malitia ejus euſque excreverat, ut iſti ſtatui valdè vicinus eſſet, ideo hoc ipſo argumento Petrus eum hortatur, ut maturet ſe convertere & petere remiſſionem. Tria hic ſunt conſideranda: 1. Peccata, quibus Simon præcipuè erat deditus & obnoxius. 2. Gradus ad quem hæc peccata in Simone excreverant. Et 3. quomodo Petrus hoc viderit atque ſciverit.

I. Peccatum, cui obnoxius erat Simon, vocatur πικρία καὶ ἀδικία. Complectuntur hæ duæ voces generalem diviſionem peccati & corruptionis, quæ eſt in hominibus, ſcilicet amaram inimicitiam contra Deum & bonum, & amorem ac delectationem in malo. 1. Πικρία notat odium & inimicitiam quam Simon gerebat contra Deum & ejus voluntatem ſanctam. Sicut enim omnes homines naturâ proclives ſunt ad odium Dei & proximi, ita præcipuè hic Simon in hac inimicitia erga Deum ita creverat, ut meritò de amaritudine accuſetur. *Object.* Quomodo hoc poteſt tribui hominibus quod amarulentiam, odium, inimicitiam & iram gerant contra Deum, cum tamen vix quiſquam hominum reperiatur, qui Deum eſſe credit, quin ſimul profiteatur ſe Deum amare? *Reſp.* 1. Scriptura tamen expreſsè ita loquitur, quod homines naturales & irregeniti Deum oderint amarâ inimicitia. Sic Deuter. 29. v. 18. ad quem locum Petrus reſpicere videtur, admonemur ne quæ ſit inter nos radix, quæ ferat fel & abſynthium, i. e. cor quod odio Dei & proximi ſit occupatum. Hinc dicitur Actor. 5. quod reperiantur homines θεομάχοι. Sic Rom. 1. 30. Rom. 8. 7. Exod. 20. 5. Et meritò, quia oderunt & indignè ferunt ejus voluntatem, eique reſiſtunt & contra eam rebellant elatâ manu Actor. 7. v. 51. Eſa. 63. v. 10. Murmurant contra Deum eique ſuccenſent Num. 21. v. 5. Jon. 4. 1. Et præcipuè illi homines rectè dicuntur inimicitiam & amarum odium gerere erga Deum, qui non ſolùm Dei voluntati reſiſtunt, Eccleſiam Dei perſequuntur, ſed & Deum abnegant, à Deo defecerunt & fœdus cum Diabolo fecerunt, immò ſeipſos in Dei locum ſubſtituunt & pro Deo agnoſci ac coli ambiunt, qualis fuit hic Simon Magus, & qualis Antichriſtus deſcribitur 2 Theſſ. 2. 4. Tales homines meritò accuſantur amarulentiæ, quia gerunt amarũ odiũ Dei in pectore.

2. Vocatur autem πικρία χολῆς i. e. amaritudo tanta quanta eſt fellis, vel veneni. Nam vox quæ eſt in Hebræo Deuter. 29. 18. æquè toxicum ac fel ſignificat. Inimicitia & odium quod homines gerunt contra Deum & omnia Sancta comparatur cum felle & veneno, 1. quia Deo ingrata & adverſa eſt inſtar fellis. Sicut palato hominis nihil ingratius eſt felle, ita hæc inimicitia, quam gerimus erga Dei voluntatem, Deo eſt nauſeæ & abominationi, eumque exacerbat, Deuter. 32. Hinc Chriſtus felle potatus eſt. Peccata, quæ nobis, dum facimus, ſunt inſtar mellis, Deo ſunt inſtar fellis. Sic etiam hominibus ſanctis ipſa peccata quæ ante regenerationem erant mel, poſt regenerationem fiunt fel. 2. quia hominem occidit inſtar veneni. Sicut venenum eſt velox ad necandum; ita hæc inimicitia contra Deum. Vide Rom. 8. 5, 7. Deus enim occidit hoſtes ſuos.

3. Non tantùm autem erat in Simone amara inimicitia erga Deum & ſanctitatem, ſed etiam ἀδικία, voluntas & libido malè agendi. Odium boni & amor mali duæ ſunt corruptionis partes. Sicut corpus cacochymicum repletum eſt pravis humoribus quibus homo inclinatur ad perverſum appetitum; ita anima hominis naturalis repleta eſt injuſtis libidinibus, quibus homo inclinatur ad amandas & appetendas res illicitas. Hæc ἀδικία eſt illa caro ac ſanguis, & illa iniqua lex; quæ pugnat in membris hominis Rom. 7. 21. τὸ κακὸν παρακείμενον.

4. Et quidem non una injuſta cupiditas erat in Simone, ſed σύνδεσμος ἀδικίας. Tota anima meris injuſtis cupiditatibus erat obducta. Sicut aliquando cœlum habet nubes, ſed nubes diſperſas, & à ſe invicem diſruptas ac disjunctas, aliquando autem nubes compactas, ex quibus perpetua pluvia, procella, fulgur &c. Ita in regenitis ſunt quidem cupiditates, ſed fractæ, diſperſæ, verùm in irregenitis compactæ, unitæ, ut totum corpus peccati in ſe gerant. Regeniti quoque totum corpus mortis, & totum veterem hominem in ſe gerunt Rom. 7. Sed tamen fractum, ſolutum, mortificatum, ſed irregeniti vivum, vegetum, integrum, illæſum. Eſa. 5. 18. Sic in Simone erat ſuperbia, invidia, hypocriſis, avaritia, magia, ſacrilegium, ambitio, Simonia, ſcortatio omnia inter ſe compacta.

II. Non dicit autem textus quod acerbitas fellea & colligatio iniquitas ſit in Simone, ſed quod Simon ſit in acerbitate & in iniquitate. Hic modus loquendi ſingularem habet emphaſin in Scriptura. Sic homines dicuntur eſſe in carne ſeu in peccato Rom. 7. 5. & 8. 8. 9. Caro & peccatum propriè eſt in homine, & tamen homo dicitur eſſe in peccato. Sic 2 Cor. 13. 5. homines dicuntur eſſe in fide, cum tamen fides propriè ſit in homine. Quare hoc? Notat illa phraſis dominium fidei & peccati ſuper hominem. Homines ſunt in fide, quia ſunt ſub ductu & potentia fidei, & à fide reguntur, aguntur, pelluntur. Sic homines dicuntur eſſe in peccato, quia ſunt ſub imperio & dominio peccati, & à peccato impelluntur ac agitantur, ut ſecundum peccati concupiſcentias vivant ac ambulent & quaſi venundati ſint ſub peccatum inſtar mancipiorum. Rom. 7. & 8. Peccatum eſt in omnibus hominibus, ſed non omnes homines ſunt in peccato. Peccatum etiam eſt in regenitis, ſed in peccato eſſe, proprium eſt irregenitorum, qui ſunt ſub dominio peccati. Hoc præcipuè de Simone verum erat, qui non tantùm erat ſub dominio peccati, ſicut omnes homines naturâ ſunt, ſed & vinculis diuturnæ conſuetudinis & peculiari Satanæ efficacia ita erat ligatus & ſubditus factus peccato, ut malitia ejus & corruptio penè eſſet immedicabilis. Omnes irregeniti ſunt ſub dominio peccati, ſed tamen dominium peccati ſuper omnes irregenitos non eſt æquè magnum ac firmum, ſed quadruplex potiſſimum differentia ſe exſerit:

1. Alii ſunt in ſtatu naturæ, ſeu tales quales nati ſunt ex utero, in quibus dominium peccati non eſt firmatum per cauſas externas & acceſſorias. Huc pertinent non tantùm qui per ætatem nondum adoleverunt in peccato, ſed etiam in quibus peccati incrementum eſt impeditum per frænum bonæ educationis eſt honeſtæ converſationis diſciplinæ.

2. Alii ſunt peccatores habituati, qui liberâ & continuâ peccati praxi corpus peccati in ſe aluerunt, & quaſi ſaginârunt, atque ita peccati dominium in ſeſe firmârunt, ut ἀναίσθητοι facti ſint, & omnes conſcientiæ motſus quaſi cauterio excuſſerint 1 Tim. 4. 2.

3. Alii ſunt peccatores obſeſſi, quos Diabolus ſpeciali efficaciâ quaſi inquietat & agitat, qualis erat Ananias Actor. 5. & Judas Johan. 13. quod Satanas præcipitavit in peccatum, ſicut porcos Gadarenorum in mare.

4. Alii denique ſunt peccatores excœcati, indurati, & juſto judicio Dei in ſenſum reprobum traditi, ut corruptio eorum ſit incurabilis, ut non ſuper ſit-

ſit Sacrificium pro peccatis ipſorum, ut non ſit locus pœnitentiæ, ut non poſſibile ſit eos renovari. Simon habuit tres priores gradus malitiæ. Fuit in ſtatu naturæ, nec habuit corpus peccati per regenerationem Spiritus fractum ac mortificatum. Fuit præterea peccator habituatus, qui diutina peccati praxi malitiam in ſe firmavit. Nec dubium eſt, quin peculiari Diaboli impulſu in viis peccati fuerit agitatus, quippe qui magus erat & Diaboli confœderatus. Sed tamen quia etiamnum per externam vocationem Euangelii ad pœnitentiam invitabatur, non judicavit Petrus eum ſub quartum & ſummum corruptionis gradum incidiſſe, ut ſtatus ejus planè eſſet incurabilis. Sed quoniam tamen iſti ſtatui erat planè vicinus, ideò Petrus eum hortatur, ut pœnitentiam maturet, antequam planè fiat incurabilis.

III. Sed quomodo Petrus hoc videbat? Video te eſſe, &c. Utique Petrus non erat ſcrutator cordis? *Reſp.* 1. Non ſunt quidem Prophetæ & Apoſtoli ſcrutatores cordium, & tamen ſæpe ſciverunt intimas cogitationes humanorum cordium. Sic Petrus ſciebat Ananiam eſſe hypocritam Actor. 5. Sic Paulus ſciebat Elymam magum eſſe filium Diaboli plenum omni fraude, aſtutiâ, inimicum omnis juſtitiæ Actor. 13. 10. Sed ſciebant non per ſapientiam naturæ, ſed per revelationem Spiritus S. Habebant enim Spiritum diſcretionis, cujus beneficio poterant diſcernere hypocritas à ſinceris, quoties ad officium ipſorum neceſſarium erat. 2. Præterea ex ipſa actione Simonis conſtitutio cordis ipſius facile diſcernebatur. Sunt enim quædam peccata talia cum quibus cordis ſinceritas conſiſtere non poteſt, ſed arguunt plenum peccati dominium. Sic qui dona Dei putabat poſſe emi pecuniâ, eaque conabatur emere eo fine ut per miracula ſibi conciliaret famam apud homines & opinionem Deitatis, de eo facile erat judicare quod planè eſſet venditus ſub dominium peccati. Hinc etiam ordinarii Eccleſiæ miniſtri habent poteſtatem diſcernendi hypocritas & impios, qui ſunt in Eccleſia ab iis, qui ſunt ſinceri, eoſque ab Eccleſia arcendi, quoties hypocriſin cordis facinoribus vitæ detegunt quamvis magna cautione hîc opus, & non facilè eò deveniendum, præſertim privatis illicitum tale judicium, qui ſæpe nimis faciles ſunt in ferendis judiciis de ſtatu hominum, & impingendo alicui hypocriſeos crimine, non ſecus ac ſi eſſent καρδιογνῶσται, vel inſtar Apoſtolorum Spiritum diſcretionis haberent, quod judicii genus condemnatur Rom. 14. 13. Videtis igitur, quale fuerit cor Simonis erga Deum, Videlicet amarus & verè felleus & venenoſus Dei hoſtis, repletus omnibus libidinibus injuſtis, firmo vinculo inter ſe colligatis, & plenum dominium in cor ejus exercentibus. Diſcamus hinc

1. Quanta ſit miſericordia Dei, qui etiam tam pravo homini gratiam Euangelii offert, eumque ad pœnitentiam invitat. Nemo itaque fidem in Euangelium recuſet prætextu magnitudinis & multitudinis & diuturnitatis peccatorum. Latro in cruce ſalvatus eſt, & huic Simoni ſalus offertur, cum ad faſtigium omnis malitiæ excreviſſet, cum peccata ejus eſſent inſtar veneni aſpidum, abominabilia inſtar fellis, & quaſi catenis inter ſe compacta. Et virtus meritorum Chriſti ſatis ampla eſt etiam ad tales ſanandos. Reſipiſce modò ſeriò, & parata eſt venia. Immò ſi poſt tam longum peccati dominium ſerò tandem converteris, tantò majus ſuper te gaudium erit in cœlo, juxta illud Luc. 15. 7. Sed ne differ. Quoniam enim tantus eſt morbus, ideo matura remedium.

2. Vide tamen ex eodem exemplo, quàm periculoſum ſit, ſi quis peccati dominium in ſe ſinit creſcere, donec ferè ſit incurabile. Nam quod fere incurabile eſt, rarò curatur. Habemus exemplum Manaſſis, latronis & aliorum, qui in peccatis conſenuerunt, & diu ſibi paſſi ſunt peccatum dominari, & tamen tandem converſi ſunt. Sed exempla ſunt rariſſima. Simon quidem vocatus ſed non converſus. Sicut in medicorum praxi dantur quidem exempla quod morbi inveterati & ferè immedicabiles curati ſunt, ſed admodum rara, ideoque quilibet cavet ut tempeſtivè præveniat morbos: ita in Theologia dantur quidem exempla, quod peccatum inveteratum ſanatum eſt, ſed pauca. Monemus itaque omnes, ut non tantùm præveniant judicium deſertionis & obdurationis, obedientes illi quod eſt Pſal. 95. 7. 8. Sed etiam caveant incrementum peccati ad magnos gradus, ut difficulter curari poſſit. Vix tolerabile eſt, quod in pharmacis corporis utendis adeò ſumus negligentes, ut non utamur donec morbus ultra vim pharmaci excrevit, ſed quod animam ita negligimus, hoc demum dolendum valdè. Eja itaque juvenes, tempeſtivè greſſum veſtrum ad legem Domini componite, voluptates juventutis cavete, honeſtatem vitæ ſectemini, oppugnate pravos animi motus, vitate prava conſortia, ſubmittite vos diſci-

diſciplinæ domûs Dei, exercete ſenſus in verbo Evangelii, diſcite cum Deo luctari per vehementes preces, ſalutem veſtram cum timore & tremore operamini. Tum non periclitabitur anima veſtra, ſed morbus ejus mutabitur in æternam ſanitatem. Sed ſi conſultum putatis primos & validiores ætatis annos inſumere in beſtiali feritate, vel in Diabolica malitiâ, ſuperbia, injuſtitia & falſitate, donec morbus animæ ferè ſit incurabilis, fieri poteſt, ut vobis contingat gratia latronis & furis, & in patibulo unius vel alterius miſeriæ convertamini, ſed interim diſcite ex hoc Simone, quod pœnitentia ſera rara eſt & rarò vera. Fœlices ſunt quibus in ſera ætate poſt continuam peccatorum praxin vera reſipiſcentia contingit, ſed ſtulti ſunt, qui horum exemplis abuſi dies juventutis conſecrant dominio peccati, & animam exponunt periculo mortis æternæ.

Hactenus Apoſtolorum ad petitionem Simonis reſponſio: ſequitur hujus reſponſionis effectus, & quid ad eam Simon repoſuerit: Intercedite vos pro me, ne quid ſuperveniat, &c.

Non poterat negare ſtatum ſuum eſſe periculoſum, & ex periculo contremiſcit, & tamen reſipiſcentiam non capeſſit, ſed curam ſuæ ſalutis ad Apoſtolos devolvit. Hic Simon iterum ſe oſtendit primum Papam Romanum. Eſt enim inventor iſtius praxeos in qua anima & eſſentia Papatus conſiſtit; ſcilicet devolutionis reſipiſcentiæ ſuper peccatis ab humeris populi in humeros Sacerdotum. Sciens enim pœnitentiâ ſibi opus eſſe ut peccata remitterentur, & tamen recuſans ipſe pœnitere, Apoſtolis probabiliter iterum pecuniam obtulit & dixit, vos pro me rogate. Hæc praxis eſt ipſa anima moderni Papatûs. Quoniam enim Sacerdotes amant pecuniam, & populus libenter ſuperſedet labori converſionis, inventum eſt, ut populus det pecuniam, & Sacerdotes faciant Miſſas, cantent horas canonicas, ſpargant aquam luſtralem, &c. quibus populo remittantur peccata. Egregium inventum, modò tutum. Quàm vellent multi inter nos quoque ut liceret vivere in carne, & interim data pecuniâ dicere Paſtori, ora tu pro me! Verum quidem, quod ſanctorum ſervorum Dei, qui nobiſcum in terris vivunt, interceſſionem licet petere, Num 21. 7. Iob. 42. 8. Jacob. 5. 14. Sed hoc probè intelligendum, ut abſit ſuperſtitio, non ita hoc intelligendum, quaſi dignitate noſtrarum precum, veſtro loco ad Deum fuſarum, poſſemus movere Deum ad miſericordiam erga vos. Abſit. Hoc ſolus Chriſtus facit, immò ut rectius dicam, hoc ne Chriſtus quidem facit. Chriſtus quidem noſter interceſſor eſt, qui pro nobis orat Rom. 8. Sed non eo ſenſu quod nobis adimat laborem orandi & noſtro loco oret, ſed quod preces à nobis factas virtute & merito ſuæ interceſſionis Deo reddit gratas, hoc ſenſu Chriſtus noſter interceſſor eſt & talem interceſſionem non licet quærere apud ullum hominem, ſive vivum, ſive mortuum, ne id quod Chriſti eſt, hominibus tribuamus. Quomodo igitur Paſtores intercedunt pro populo? *Reſp.* Duobus modis.

1. Eo modo, quo quivis Chriſtianus pro alio, immò, quo & auditores pro paſtoribus. Sicut enim quivis frater fratris, ſicut Eccleſia paſtoris, ita Paſtor Eccleſiæ interceſſionem pro ſe petit Eph. 6. 19. Quomodo igitur unus Chriſtianus intercedit pro altero? *Reſp.* Cum juxta noſtram neceſſitatem etiam proximi neceſſitatem Deo in precibus noſtris commendamus, præſertim eorum qui hoc à nobis poſtulant, & quorum noſtrâ intereſt ſalus. Cumque unâ cum illis precamur, συναγωνίζοντες αὐτοῖς ἐν ταῖς προσευχαῖς, Rom. 15. v. 30. Efficaciùs enim Deum movet cum cauſa aliqua à multis Deo commendatur 2. Cor. 4. 15. & 1. 11. Hoc autem fine non opus eſt ſeniorem advocare ad ægrotos. Hoc enim modo alii æquè pro nobis poſſunt intercedere ac Seniores, & hoc modo Senior æque abſens ac præſens pro nobis poteſt intercedere. Preces concionatoris non ſunt digniores aut efficaciores apud Deum, quàm preces cujuſlibet juſti Jacob. 5. 16.

2. Quia donis ſuis, ceu flabellis, corda noſtra ad devotionem & invocationem Dei excitant. Spiritus quidem Sanctus hoc modo noſter interceſſor eſt. Rom. 8. 26. Sed quia miniſterium piorum ſervorum Dei eſt inſtrumentum per quod Spiritus operatur, hæc ratio eſt propter quam Jacobus vult, ut ægroti operâ miniſtri utantur, ſcilicet ut miniſtrorum donis Spiritus ægroti excitetur ad devotionem. Eſt igitur abuſus noſtri miniſterii, cum vocamur ad tales ægrotos, qui vi morbi oppreſſi capaces non ſunt ejus quod loquimur, præſertim qui vitam ita in mundo tranſegerunt, ut fuerint contemptores verbi & Sacramentorum, ut de iis non conſtet, an ullam habeant cognitionem rerum ſpiritualium, & initia Spiritûs gratiæ & precum. Quo fine vocatis nos ad tales homines? Cognitionem in corde non habent, inſtitutionis non capaces. Quid igitur agemus

mus apud illos? An extremam unctionem ipſis adminiſtrabimus? an pro ipſis intercedemus? Non ſumus interceſſores, **Voor-bidders**/ſed præceſſores, **Mede-bidders**/ qui vos doceamus & juvemus precari. Solus Chriſtus interceſſor. Utimini itaque noſtro miniſterio dum capaces eſtis doctrinæ, quod cum præterit, juvare vos non poſſumus. Jer. 15. 1. Laborate itaque firmam facere ſalutem veſtram, dum janua ſenſuum diſciplinarium aperta eſt, tum ope miniſtrorum in morte veſtra tantopere non egebitis. Si convenienter ſine incommodo Eccleſiæ opem ejus habere poteſtis, ad preces veſtras ſuo miniſterio roborandas, benefacitis ut eo utamini, ſed ſi illud adeò putatis neceſſarium, ut proram & puppim ſalutis in eo conſtituatis, valde fruſtramini. Scio equidem multos dicturos, nos talia proferre in prætextum noſtræ ignaviæ, ne toties vocemur ad ægros. Sed vos ignavi eſtis, qui ita loquimini. Quia enim præ ignavia negligitis ipſi diſcere precari, vultis precibus concionatorum ſalutem veſtram perficere. Nobis conſtitutum ac propoſitum eſt Eccleſiæ ſervire, quantum Deo ſperamus approbare poſſe, ſed neutiquam volumus nos proſtituere, ut miniſterio noſtro ad ſuperſtitionem utamini. Recordamini vos ejus quod dicitur Pſal. 95. 7. Matth. 25. v. 13. Cum Dominus venit non eſt tempus excurrendi ad concionatores emptum oleum in lampades. Vide Apoc. 20. 6. quæ prima reſurrectio? quæ fit in hac vita ante mortem. Reſurgite dum vivitis, veniat deinde mors, non habet poteſtatem in vos.

Addit textus quod Apoſtoli rebus Samariæ peractis, reverſi ſint Hieroſolymam, & in itinere per multos vicos Samaritanorum Euangelium teſtificati ſint. Non habet hic verſus multa difficilia, nec diutius vos detinebimus. Eſt exemplum diligentiæ Apoſtolicæ, & humilitatis Apoſtolicæ, docentis Euangelium non ſolùm ſplendidis civitatibus, ſed etiam pauperibus pagis prædicandum eſſe. Apoſtoli etiam fuerunt pagani Paſtores, non tantum urbici.

Actor. 8. *v.* 26, 27, 28, 29, 30, 31.

CONCIO XCIII.

HActenus primum exemplum propagati extra urbem Hieroſolymam Euangelii videl. converſio urbis Samariæ, ſequitur ſecundum, videlicet converſio Æthiopis. De hac converſione tria ſunt in textu: 1. Qui convertit. 2. qui converſus eſt. 3. Converſionis modus, & quod eam ſequutum eſt.

Vir qui convertit, ſeu converſionis Inſtrumentum (Homo enim non autor, ſed Inſtrumentum tantùm converſionis eſſe poteſt) & idem Philippus, cujus operâ Samaritani fuerant converſi, antea Diaconus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, nunc vocatus Euangeliſta. Etſi autem Philippus generalem habuit vocationem ad prædicandum Euangelium quocunque loco & quacunque occaſione, tamen ſpeciali vocatione vocatus eſt ad prædicandum Euangelium huic Æthiopi. Angelus enim Domini loquutus eſt ad eum dicens, Surge & vade verſus meridiem in viam quæ deſcendit Hieroſolymis verſus Gazam quæ eſt deſerta. Et ſurgens abiit. Varia diſcere poſſumus ex hac pericope textus:

1. Miniſterium verbi digniſſimum eſſe officium, cum Angelorum interventu ad id vocentur homines. Angelos enim majeſtatis ſuæ apparitores Deus non adhibet ad res parvi momenti. Per Angelos lex data eſt Gal. 3. 9. & hoc multum facit ad miniſterium legis commendandum Hebr. 2. 2. Non igitur annunciatio Euangelii eſt officium tam contemptibile, ut quenquam ejus pudere debeat.

2. Non tantùm eſſe gratiam communem & univerſalem, ſed & ſpecialem. Habebat Philippus generale mandatum prædicandi Euangelium omni loco & occaſione, ſed hîc ſpecialiter mittitur ad Æthiopem. Speciali mandato Angeli, & ſpeciali inſtinctu Spiritus S. ut patet ex v. 29. Sunt & alia in Scriptura exempla ejuſmodi ſpecialis miſſionis. Sic Petrus ſpeciali viſione & inſtinctu mittitur ad Cornelium Actor. 10. Sic Paulus & Barnabas ſpeciali mandato mittuntur ad Macedones Actor. 16. Hoc Deus fecit, ut oſtenderet communem prædicationem Euangelii, efficacem reddi per ſpecialem operationem Dei & fruſtra in commune Euangelium annunciari, niſi ſpecialiter Deus vocet quos vult convertere. Sedentes igitur in communi cœtu & verbum audientes rogemus Deum, ut ipſe vocem miniſtri ſpeciali cura ad noſtras aures & mentes deferat, ne fruſtranea ſit, utque nos vocet nominatim. Johan. 10. 3. Exod. 33. v. 12.

3. Non fruſtra inſeritur à Spiritu S. mentio vaſtæ urbis Gazæ: In florentiſſima Iudæa exſtabant rudera munitiſſimæ olim urbis, quam Alexander M. bimeſtri ſpatio obſeſſam ſolo æquavit & vaſtavit. Et

hæc rudera in Scripturam quoque ſpiritus S. inſerere voluit, ut eſſent æternum monumentum debilitatis, quæ eſt in omni mundana potentia. Nihil tam cultum, tam ædificatum ac munitum, quin fieri poſſit vaſtum. Fruſtra foret ex antiquis hiſtoriis hoc dogma confirmare; cum vivamus tali tempore, ut intra proximos viginti annos tot florentiſſimas reſpublicas, tot munitiſſimas civitates viderimus in cineres converſas, habitatoribus nudatas, ſolo æquatas. Quot ſunt deſertæ Gazæ in Germania, in Anglia, Hybernia, &c? Ne itaque ſecutos nos putemus in florentiſſimis noſtris civitatibus & munitiſſimis caſtellis, quæ omnes pauxillo temporis poſſunt fieri inſtar Gazæ. Robur noſtrum ſit Dominus.

4. Habemus in Philippo exemplum promptiſſimæ obedientiæ. Non noverat quid ibi faciendum, & tamen mandato obediens eſt. Potuiſſet dicere, quid agerem apud urbem deſertam, ubi populus non eſt, ſatius eſt me ire in urbes habitatas, ubi eſt multus populus. Sed non dicit, verùm ſimpliciter obedit. Diſcamus hinc vitare cavillationes rationis humanæ contra inſtituta & præcepta verbi. Annon Abana & Pharpar Fluvii Damaſceni meliores ſunt, quàm omnes fluvii Iſraël, an in illis non poſſem purgari? An domi non æquè poſſum legere & præcari ac in congregatione Eccleſiæ? an tantum ſitum eſt in cœna, ut non poſſim ſalvari etiamſi illâ non utar? An imagines, veſtitus ſacerdotalis, inſtrumenta Muſica & aliæ inventiones humanæ in cultum publicum introductæ non melius movent animum, quam ille cultus ſimplex? Sed heus, inquit Dominus, obedientiam volo, non ſacrificium. Facite hoc in mei recordationem. Congregationes veſtras non derelinquite. Non addite nec detrahite iis, quæ præcepi. Vide exemplum Saulis 1 Sam. 15. 22.

Vir qui converſus eſt deſcribitur quod fuerit vir Æthiops Eunuchus, dynaſta Candacis Reginæ Æthiopicæ, qui erat ſuper omnes ejus gazas; & venerat Hieroſolymam ut adoraret. Deſcribitur à Patria, à conditione corporis, à ſtatu, ab officio, à religione.

1. Patriâ erat Æthiops. Æthiopia regio inter Arabiam & Ægyptum ſub Zona torrida, cujus incolæ æſtu ſolis deformiter ſunt aduſtæ, quales ſunt etiam in plurimis partibus Africæ.

2. Erat inſuper Eunuchus, quod propriè ſignificat cubicularium, ſed quia tales ad præveniendum caſtitatis periculum in Magnatum uxoribus plerunque erant caſtrati, ſæpe ſumitur pro viro cujus corpus vitiatum. Et hoc ſenſu hîc videntur ſumi, quia ſine diſtinctione Adjectivo gentili adjungitur, q. d. Æthiopicus Eunuchus. Hæ duæ circumſtantiæ nos docent, quod deformitas corporis, quæ hominum amorem impedit, amorem & favorem Dei non impedit. Deus non reſpicit quæ extra ſunt, ſed Deus reſpicit cor. 1Sam. 16. 7. Obſervent hoc claudi, cæci, deformes qualeſcunque modò Deum timere, & pulchri eritis in oculis ejus. Doletis ſæpè cum videtis vos apud homines contemptos, ſed confidite, ſufficit vos Deo gratos, modò ſitis pii. Quam multæ ſunt virgines quæ maritum nanciſci non poſſunt, quod ſunt deformes. Confidite, Chriſtus vos cupit, modò ſitis probi. Poſſumus hoc etiam transferre ad ſolatium contra nigredinem & deformitatem noſtram ſpiritualem. Sponſa Chriſti nigra eſt, ut tentoria Kedaris & multis defectibus deformis Cantic. 1. 5. & quàm parum Æthiops poteſt mutare cutem, tam parum noſmet poſſumus in hac vita ab omni labe purgare Ierem. 13. ſed ſicut hic niger Æthiops Domino nihilo minus placuit; ita & nos pulchri ſumus in oculis Domini, ſi modò ſincerâ fide Chriſto ſumus inſiti. In V. T. caſtrati arcebantur ab adminiſtratione ſacrorum Deuter. 23. 1. ut eſſent monumentum vitioſæ naturæ & impuræ nativitatis, per quam ſumus ſteriles ad omne bonum opus. Sed hæc ceremonia in N. T. expreſſè obrogatur Eſa. 56. 3. 4. ut pateat naturalem noſtram injuſtitiam & impotentiam non nocituram iis qui per Chriſtum juſtificati & regenerati ſunt.

3. Erat dynaſta reginæ Æthiopiæ Candacis. Magnas inter proceres regni. Hoc docet quod magnates mundi non excludantur à regno Chriſti propter magnitudinem ſuam, ſeu, quod idem eſt magiſtratum gerere & Chriſtianum eſſe, non eſſe ἀσύστατα. Erat hic magiſtratus & tamen fit Chriſtianus, ſine ulla mentione depoſitæ majeſtatis. Euangelium non abrogat legem, per quam ſubordinatio regentium & obedientium inſtituitur. Chriſtiana libertas, quâ à peccato & Diabolo ac ira Dei redempti ſumus, non tollit ſubjectionem ſub poteſtatem civilem, quam Deus ordinavit & Euangelium approbat Rom. 13. Furioſa eſt inſania Anabaptiſtarum qui prætextu Euangelicæ libertatis, omnem ordinem ex mundo propulſatum cupiunt. Si magiſtratura Euangelio contrariatur, an Philippus Eunuchum, Petrus

Petrus Cornelium, Paulus Sergium Cypriæ Pro-Conſulem ad Chriſtianiſmum & baptiſmum admiſiſſent, nec de magiſtratura deponenda monuiſſent? Simus nos memores admonitionis quæ eſt Rom. 13. v. 1.

4. Viſum quoque Spiritui S. ſpeciale officium hujus dinaſtæ exprimere, quod videlicet fuerit generalis præfectus theſauri reginalis. Hoc ſine dubio factum ut iis, qui ſimile gerunt officium, exemplum fidelitatis proponeretur. Indigent certè. Nam periculoſum eſt alienos tractare theſauros, & manus cuſtodire puras. Et tamen neceſſarium eſt, ut tales ſint fideles, ne nervi reipublicæ intervertantur. Voluit igitur Spiritus S. in catalogo Sanctorum etiam theſaurarium inveniri, ut is omnibus noſtris theſaurariis exemplum fidelitatis eſſet.

5. Additur quis fuerit quantum ad religionem: Venerat Hieroſolymam ad orandum. Quantumvis erat Æthiops Ethnicus, quantumvis vir politicus & dives, tamen venit Hieroſolymam ad orandum. Fuit itaque proſelytus, quales in Æthiopia fuiſſe multos ex quo regina Schebæ apud Salomonem fuit 1 Reg. cap. 10. non eſt dubium. Fuit igitur religioſus & pius, qui non reformidavit tanto itinere Hieroſolymam venire ad feſtum celebrandum ſicut Judæi ſolebant ter in anno. Sed ſi fuit pius, inquiat aliquis quid opus habuit converſione? *Reſp.* Quia opus habuit majori illuminatione & ſpeciali receptione Meſſiæ exhibiti. Inter Judæos multi erant pii & verè regeniti, qui tamen Chriſtum Jeſum non noverant, ſed in genere redemptionem Iſraëlis pio corde exſpectabant. Hi opus habebant illuminatione ut Meſſiam exhibitum agnoſcerent. Etſi in V. T. generalis exſpectatio Meſſiæ ad ſalutem & pietatem ſufficeret, tamen poſt Chriſtum exhibitum ſpecialis Meſſiæ receptio & agnitio neceſſaria eſt Joh. 17. 1. Qui igitur converſus erat, majori converſione indigebat, ut Chriſtum reciperet. Moneantur igitur magnates mundi, quod magnum eſſe & pium eſſe non pugnent. Hic homo erat magnus, & tamen pius ac probus, ſubmittens ſe inſtitutis Dei, etiam cum magna moleſtia. Sicut mundana majeſtas non impedit ſpiritualem inquinationem peccati, ita non debet impedire ſollicitum uſum remediorum quibus purgamur & reconciliamur cum Deo. Vide Pſal. 2. 10, 11, 12. Vana eſt mundanorum objectio, quod non poſſint eſſe tam modeſti & probi ac eccleſiaſtici. Utique utriſque non niſi una via ſalutis.

Sequitur modus converſionis, qui conſiſtit in ſequentibus particularibus: 1. Æthiops Hieroſolymâ revertens ſedet in curru & legit Prophetam Eſaiam. 2. Philippus juſſu Spiritûs currui adhærens interrogabat, utrum intelligeret quæ legebat. 3. Æthiops negat ſe poſſe intelligere, niſi habeat interpretem, ideoque Philippum humaniter invitat, ut currum aſcendens ſecum ſederet. 4. Cum aſcendiſſet Philippus, Æthiops interrogat de quonam ageret Propheta Eſaias capite 53. ubi loquitur de viro qui ſit inſtar ovis mactandæ. 5. Philippus occaſione arreptâ, locum illum Eſaiæ ita explicat, ut auditorem ſuum ad cognitionem Jeſu Chriſti adducat. 6. Æthiops doctrinâ de Chriſto cognitâ deſiderat baptizari, quod Philippus facit poſtquam ediſſet confeſſionem fidei. 7. Baptizato Æthiope Philippus à Spiritu S. tollitur & Æthiops pergit in itinere ſuo.

1. Æthiops revertens ſedet in curru & legit Eſaiam.

a. Peracto & finito cultu publico non deſinit legere. Noſtri homines finito cultu publico illicò redeunt ad nugas & vanitates, cùm tamen finitâ concione duo ſint neceſſaria: 1. repetere quæ audita ſunt. 2. probare ad Scripturam an ita habeant quæ à concionatore dicta ſunt Actor. 17.

b. Sed an rectè facit quod Laicus cum eſſet Scripturam legebat? Quid ipſi cum Scriptura, quæ ſolis Eccleſiaſticis viris permittitur? *Reſp.* Nondum erat tum temporis quiſquam tam impudens ut auderet quenquam arcere à lectione Scripturæ. In hac abominatione Papiſmus Phariſaiſmum ſuperat. Apud nos plus valeat exemplum hujus ſancti & mandatum Chriſti Johan. 5. præſertim magnates & qui magiſtraturam gerunt, diſcant Scripturam legere poſtquam redeunt ex templo, ut probent an ſit veritas quæ docetur. Nam ſi magiſtratus debet eſſe defenſor veritatis & oppreſſor errorum, certè debet Scripturam legere, ut veritatem poſſit ab errore diſtinguere, unde talibus ſpecialiter commendatur lectio Scripturæ Joſuæ 1. Deut. 17.

c. Præſertim egregium hîc exemplum eſt pro iis qui iter faciunt, qua in re debeant eſſe occupati. Qui Deum cupit habere comitem itineris, in divinis ſit occupatus ſecus quàm fit vulgo. Vide Deuteron. 6. v. 7.

2. Philippus inſtinctu Spiritûs currui adhæret & interrogat eunuchum num intelligeret, & ſine dubio

dubio obtulit interpretationem. Per Spiritum aliqui Angelum intelligunt, qui antea Philippo erat loquutus. Angeli enim Spiritus ſunt. Sed non potuit ſpecie viſibili adfuiſſe Angelus, quin ab eunucho videretur. Intelligendum igitur de motu & inſtinctu Spiritûs S. quo agebantur & dirigebantur in officio ſuo ſancti Dei homines. Docet Philippus non ſufficere ut legamus, ſed etiam curandum ut intelligamus quæ legimus. Superſtitio eſt ponere pietatem in lectione ſacrorum. Ideo enim legimus ut ſcientiam & ſapientiam nanciſcamur. Erat magna miſeria Judæorum quod Moſes inter eos legebatur, & ipſi tamen non intelligebant 2 Cor. 3, 14, 15. Quid prodeſt prophetia quæ non intelligitur, inquit Paulus 1 Cor. 14 5, 6. Nos igitur ita diſcamus legere, ut legamus attentè & ſcrutemur ſenſum eorum quæ legimus, & ſi noſtro Marte invenire non poſſumus, quæramus ὁδηγοὺς, & præcipue lecturi precemur Deum, ut aperiat oculos noſtri intellectûs. Vide 2 Tim. 2. 7. Scriptura enim clara eſt in ſeipſa, ſed eſt obſcura nobis, quia noſtris oculis incumbit tegmen naturalis cæcitatis. Tria ſunt quæ viſum impediunt. 1. cum res ipſa quæ videri debet eſt inviſibilis & extra ſphæram oculorum poſita. 2. cum medium per quod objectum ad ſenſum defertur eſt ſine lumine, ſicuti cum aër nocte vel nebula obſcuratur. 3. cum ſenſus & oculus eſt corruptus. Sic ſe res habet circa revelationem rerum ſpiritualium. 1. res ipſæ ſpirituales pleræque ſunt inviſibiles & myſteria incomprehenſibilia. 2. Sed tamen clarè revelata & teſtificata ſunt per medium Scripturæ. Ea enim ſatis clarè continet quæcunque de his myſteriis ſcitu & creditu neceſſaria ſunt. 3. Et tamen nos hanc claram Scripturam ſalutariter intelligere non poſſumus, quia oculus intellectûs noſtri corruptus eſt tegmine naturalis cæcitatis. Cum igitur volumus legere Scripturam, ſemper debemus à Deo petere illuminationem Spiritûs S. ut intelligamus quæ legemus. Quia hanc cæcitatem ſuam non ſentiunt, & auxilium contra eam non petunt, de iis rectè dicas illud 2 Tim. 3. 7. Non fruſtra igitur Philippus eunucho inſinuat hanc adhortationem, ut ita legat, ut etiam de intelligentia ſit ſollicitus.

3. Eunuchus ita admonitus rotundè fatetur ſe non poſſe intelligere niſi habeat qui manuducat, ideoque Philippum invitat ut aſcendat & ſe inſtituat. Nota

α. Eunuchus erat idiota clariſſimum vaticinium de Chriſto, quod eſt in tota veteri Scriptura, non intelligens, & tamen erat vir probus. Quare? Quia erat ſentiens ſuam ignorantiam & inſtitutionis cupidus. Hoc etiamnum de multis ignorantibus judicandum. Quid enim alioqui fieret idiotis qui tam ſunt ignorantes? Sint modò ſolliciti ob ſuam ignorantiam & inſtitutionem quærant, tum non eſt, quod ob naturalem defectum judicii & memoriæ ſe crucient. Hoc autem peſſimum quod quis nihil ſcit & nihil diſcere cupit, ſed abigit à ſe eos qui ex verbo Dei inſtitutionem offerunt. Sed quæritur annon hæc docilitas Eunuchi ſit cauſa impellens propter quam Deus eum converterit ad Chriſtum? *Reſp.* Non nego. Sed inde tamen non ſequitur converſionis gratiam dari propter bonum uſum liberi arbitrii. Supra enim audivimus quod Eunuchus hic per Philippum non acceperit initium ſed incrementum converſionis. Fatemur autem quod regeniti per bonum uſum initiorum gratiæ ſibi poſſunt acquirere incrementum gratiæ. Sed negemus irregenitos per bonum uſum naturalis arbitrii eſſe cauſam regenerationis. Hoc falſum, quia gratia regenerationis non eſt currentis neque volentis, ſed miſerentis Dei. Rom. 9.

β. Eſt autem hic locus quo Pontificii abutuntur ad evincendam obſcuritatem Scripturæ. Sed faciunt nobis injuriam. Non enim credimus Scripturam eſſe adeò claram in omnibus locis, ut facillimè etiam ſine omni ope cujuſquam interpretis ab unoquovis intelligi poſſit. Sed eſt quod aſſerimus, quod, quantumvis multa ſint loca in S. Scriptura quæ ſunt difficilia intellectu etiam doctiſſimis, nihilominus totum Corpus doctrinæ ita ſit contemperatum, ut ex eo quivis Chriſtianus per ſedulam lectionem, conjunctam cum invocatione Dei & uſu adminiculorum divinitùs datorum diſcere & percipere poſſit quicquid ad ſalutem ſcitu neceſſarium eſt? Hoc affirmamus, quia vocatur noſtra *lucerna & lux pedum noſtrorum* Pſalm. 119. vocatur *lex perfecta* quæ nos ſapientes poteſt reddere ad ſalutem Pſal. 19. 2 Timoth. cap. 3. Hoc non refelletur per hanc confeſſionem Eunuchi. Etſi enim ille non potuit intelligere ſine interprete; tamen potuit intelligere nactus interpretem. Etſi non potuit intelligere vaticinium aliquod Propheticum ante impletionem, an ideo ſequitur totam Scripturam, etiam N. T. additamento auctam adeò eſſe obſcuram, ut intel-

intelligi minimè poſſit ab unoquoque Chriſtiano ſedulo & attento lectore?

c. Denique ex hoc loco diſcimus quod ſit officium Interpretis in exprimenda Scriptura. Eſt cæteris ὁδηγὸς. Non eſt judex & dictator in cujus pronunciatione unus quilibet debet acquieſcere, nec deſiderare probationem ejus quod pronunciavit interpres. Hoc ſi attribuit Papa. Sed veri interpretis officium in eo conſiſtit, ut lectores Scripturæ ὁδηγήσῃ manuducat, ut ipſi videant quis ſit ſenſus Scripturæ, i. e. ut ex analogia fidei ex antecedentibus & conſequentibus textus demonſtret ad oculum, quod hic & non alius ſit ſenſus Scripturæ. Non debet poſtulare interpres, ut auditores ſuo judicio acquieſcant, ſed debet ſe illis præbere ſpecillum oculatium, cujus beneficio ipſi poſſint ſenſum Scripturæ perſpicere.

Object. At hoc in omnibus locis fieri non poteſt. Quia de multorum locorum ſenſu ipſi Orthodoxi interpretes variant inter ſe. *Reſp.* Etſi aliquorum particularium locorum dubia eſt interpretatio, tamen totum corpus ſalutiferæ doctrinæ ex Scriptura clarè poteſt demonſtrari iis, qui non malitioſè claudunt oculos, nec impietate vitæ Spiritum illuminationis à ſe arcent, & refutari errores contra hanc doctrinam pugnantes. Modò, ut dictum eſt, utamur lectione & interpretatione Scripturæ eo animo, qui 1. impotentiam ſuam fatetur & deplorat, nec tam ſuperbè ſuo intellectui confidit ut vulgo faciunt ſectarii. 2. illuminationem à Deo petit cum ſincero propoſito omnem cognitionem transferendi ad praxin pietatis. Qui ſic agit, hauriet notitiam quanta ad ſalutem ſufficit. Huic enim promiſſio facta Joh. 7. 17

Actor. 8. *v.* 31, 32, 33, 34, 35.

CONCIO XCIV.

4. PErgamus nunc in particularibus circumſtantiis enarrandis, quæ de modo hujus converſionis annotantur. Æthiops confeſſus ſe non intelligere locum quem legebat, petit à Philippo ut adſcenderet in currum & ſecum ſederet, nimirum ut explicaret quod non intelligebat, quod & Philippum feciſſe, ex contextu palam eſt.

a. Eunuchus videns Philippum de ſua ædificatione adeò ſollicitum, ut de intelligentia quærenda ipſum moneret, illicò ita in eum afficitur, ut eum invitet ad ſecum ſedendum, & eum inſtituendum. Mirum eſt hominem magnatem ignoto talia quærenti non reſponſâſſe! Quid ad te attinet, num intelligam nec ne, tu de ipſo ſis ſollicitus. Sed ipſe potius rotundè fatetur & humiliter ſe non intelligere, & homini ignoto quaſi ſupplex fit, ut ab eo inſtituatur. Eſt ſignum animi diſcendi cupidi & de ſalute ſolliciti. Ubi talis eſt animus, ibi ſalus tuta eſt. Tales enim Deus docet Pſal. 25. 8. 9. Talium omnium eſt promiſſio quæ legitur Joh 6. 45. Hebr. 8. 10. 11. Superbis verò & propriæ ſapientiæ opinione turgidis miniſtrorum Dei contemptoribus reſiſtit Deus & gratiam ſuam negat, 1. Pet. 5.

b. Sed an rectè facit Eunuchus, quod adeò honorat Philippum, ut in currum ſuum aſſumptum lateri ſuo adjungat, & Philippus quod hunc honorem acceptat. Annon hic fundatur ſplendor prælatorum in papatu, qui liberalitate Principum ita ſunt ditati, ut poſſint curribus vecti magnificè incedere? *Reſp.* Cauſa divitiarum, quas poſſident Prælati in Papatu, & non tam eſt liberalitas Principum & magnatum, quàm ipſorum impudens mendicitas, & Euangelii cauponatio ac nundinatio. Si nihil aliud egiſſent, quàm quod Euangelium ſecundum Dei verbum prædicâſſent, non plus ditati eſſent, quàm nos ditamur. Utinam inter nos Euangelii miniſtris modo detur panis quotidianus, ut ſine ſollicitudine ventris officio ſuo invigilare poſſint, rhedis magnatum facile careremus, etſi nemo ſiniſtrè hoc interpretari debet, ſi ædificationis ergò etiam magnatibus κολληθῶμεν, ut loquitur hic textus v. 29. Miniſtri enim debent omnibus omnia fieri, ut ex omni ordine aliquos lucrifaciant 1 Cor. 9. 22.

5. Aſſidentem Philippum Æthiops interrogat, immò precatur Philippum, ut ſe inſtituat, de quonam Propheta Eſaias loquatur in illo loco quem Eunuchus legebat cum Philippus ad currum accederet. Antequam autem Euangeliſta noſter hanc quæſtionem Eunuchi exprimit, allegat prius τὴν περιοχὴν τῆς γραφῆς, locum Scripturæ quem Eunuchus legerat, deſumptum ex Eſa. 53. v. 7. 8.

a. Appellat περιοχὴν τῆς γραφῆς. Scripturæ libri variis modis dividuntur. Nos vulgò in capita & verſiculos diſtinguimus, quæ diſtinctio, à quocunque facta ſit, non ſemper æque judicioſè facta eſt & accuratè, ſecundum materiarum connexiones. Hebræi totum Pentateuchum diſtinguunt in 53. Paraſchot ſeu lectiones, quantum uno Sabba-

tho legebatur in Synagogis. Hic nec caput integrum, nec lectio integra, nec etiam unus verſiculus intelligitur, ſed integra ſententia (non vocamus **eene paſſagie**) certam quandam materiam continens. Tales ſectiones capitum continent ſummaria quæ in noſtris Bibliis ſingulis capitibus præfiguntur, quæ à lectoribus memoriæ & judicii cauſâ negligi non debent.

b. Locus itaque quem Eunuchus legerat, eſt deſcriptio exinanitionis & exaltationis Chriſti. Prior deſcribitur v. 32. poſterior v. 33.

Exinanitionis duo ſunt momenta. 1. Paſſio Chriſti. 2. Patientia Chriſti. Paſſio Chriſti. Ad mactationem deductus eſt ſicut ovis. Patientia Chriſti: In hac ſua Paſſione adeò fuit patiens, ut fuerit mutus & ſiluerit inſtar agni coram tonſore ſuo, in tantum ut ne os quidem aperuerit. Aliud eſt Paſſio, aliud patientia. Multi enim patiuntur ſine patientia.

Paſſio Chriſti eſt quod inſtar ovis ductus eſt ad mactationem.

a. Quomodo Chriſtus ovis, qui tamen eſt paſtor ovium? *Reſp.* Quia non eſt Paſtor ſicut alii Paſtores, qui oves tantùm regunt, ſed vitam pro ovibus poſuit, ut eos è rictu leonis rediméret Joh. 10. Oves Chriſti Propter peccata ſua erant condemnatæ & mactationi deſtinatæ, & infernali lupo in prædam traditæ. Paſtor harum ovium erat tum bonus Paſtor, ut ſeipſum mactari pateretur in ſacrificium pro ovibus. Paſtor inſtar ovis mactatus eſt, ut oves à mactatione eriperet. Hinc mactatio ejus per mactationem ovium & agnorum in V. T. repræſentata & adumbrata eſt. Hinc vocatur *agnus Dei*, qui portat peccata mundi. Joh. 1. Alii Paſtores ſe alunt carne ovium, hic Paſtor oves alit ſua carne ſuoque ſanguine Joh. 6. Hinc mors ejus vocatur σφαγὴ, mactatio. Quare? Utique non eſt cultro mactatus ut ſolent oves, ſed cruci affixus ſicut malefici homines, non à lanionibus, ſed à carnificibus. *Reſp.* Mors Chriſti vocatur mactatio non propter modum, ſed propter finem ſuum, quia ideo mortuus, ut mors ejus eſſet ſacrificium, ſicut erat mactatio ovium in Templo Salomonico.

b. Sed quare ductus ad mactationem? quis mactator ejus? quis ſacerdos qui hanc ovem obtulit? *Reſp.* 1. Chriſtus ipſe dicitur ſacerdos qui ſe ipſum mactaverit & obtulerit Heb. 9. 14. & Paſſim. Non quod ſe ipſum occiderit, ſed quia lubens & ſponte ſua ſe occidendum præbuit. Non mortuus eſt invitus ſicut beſtiæ in templo, ſed volens, ſponte ſua ſe ſacrificium ſtitit. 1. Quis igitur occidit & mactavit? *Reſp.* Deus percuſſit, Diabolus percuſſit, Judæi percuſſerunt. Judæi fuerunt lictores & carnifices, qui præ invidia & ſanguinolentia eum trucidârunt. Diabolus hoſtis ejus, qui rabiem horum Judæorum excitavit & ſufflavit. Deus fuit Judex ejus, qui eum, quod ſe ſponſorem peccatorum ſtiterat propter peccata condemnavit & voluntati hoſtium ejus tradidit. Hic modus mortis Chriſti.

Chriſtus autem non tantùm paſſus eſt, ſed patienter paſſus eſt. Aliud eſt pati, aliud patientem eſſe. Multi patiuntur quia non poſſunt evadere quod patiuntur. Si vel injuſtiſſimis mediis poſſent evadere, non paterentur. Chriſtus poterat evadere, ſed noluit, verùm ſe ſponte duci ad mactationem paſſus eſt. Nemo vitam abſtulit, ſed ipſe poſuit, Joh. 10. Multi cum patiuntur, indignantur ei à quo patiuntur, & murmurant contra eum, atque cum eo expoſtulant, ſicut Job, Aſaph, alii. Sed Chriſtus in tantum non murmuravit, ut mutus ſit factus ſicut agnus cum tondetur. Cur autem dicitur ita mutus factus in paſſione? Utique aperuit os ſuum, & graviſſimè conqueſtus eſt, idque clara voce Joh. 12. 27. Matth. 26. 37. 38. 39. Matt. 26. 46. Annon aperuit os cum bonam illam confeſſionem ederet coram Pilato Joh. 18? *Reſp.* Hæ querelæ erant ſignum quod non eſſet ἀναίσθητος, ſed non quod eſſet impatiens. ἀναίσθητος non fuit, quia erat verus homo. Sed tamen nihil impatientiæ eſt in his vocibus, ſed tantum petitio auxilii, juncta cum fiducia & ſubmiſſione voluntatis. Cum tempus erat veritatem confirendi ad gloriam Dei, loquutus eſt. Sed cum ludibrii cauſâ ab hoſtibus interrogaretur, tacuit & patienter tulit. Diſcamus & nos ex patientia Chriſti patientes eſſe. Paſſio Chriſti eſt cauſa noſtræ redemptionis. Sed patientia Chriſti eſt exemplar noſtræ imitationis. 1 Pett. 2. 21. 22. 23. Chriſtus paſſus eſt ut ſponſor. Hoc imitari non poſſumus. Patiens fuit in paſſione ſua ut obediens filius. Hoc imitari tenemur. Vide Pſal. 39 ℣. 10. Thren. 3. 26. 27. Mich. 7. 9. Nos plus cauſæ habemus tacendi quàm Chriſtus habuit. Nos enim meriti ſumus quod patimur, Chriſtus autem de voluntate Patris ex amore in nos immeritus paſſionem ſuam ſubiit, ut dicendum nobis quod latro ait Luc. 23. 41.

Sequitur deſcriptio exaltationis. Per humiliationem

nem ejus ſublatum eſt judicium ejus. Quis generationem ipſius eloquetur? Quoniam vita ejus tollitur ex terra. Euangeliſta ſequitur translationem ſeptuaginta interpretum, quæ ab Hebræo originali textu nonnihil variat, magis tamen in verbis quàm in ſenſu. Senſus enim eſt quod Chriſtus per ipſam humiliationem & paſſionem ſuperaverit, per ipſam mortem mortem deſtruxerit, per ipſam condemnationem ſe & nos à condemnatione liberaverit, & quod non tantùm per mortem mortem evaſerit, ſed etiam æternam vitam & æternum regnum ſibi acquiſiverit. Generatio enim & ipſam Chriſti vitam & poſteritatem ſeu ſemen & Eccleſiam ejus ſignificat, quam per mortem ſibi acquiſivit. Quoniam enim non propter ſua ſed propter divini populi peccata plaga ſuper ipſum eſt, & ipſe ex terra viventium exciſus eſt, ideo non tantùm ipſe mortem evaſit, ſed etiam populo Dei vitam acquiſivit. Sponſor enim ſatisfactione præſtitâ & ſeipſum à pœna liberat & eos quorum ſponſor factus eſt. Declarationi verborum latiùs inſiſtere non eſt opus, quia non conſtituimus prolixè explicare quæ in hoc libro ex aliis libris citantur. Diſcamus modò, quod patiens crucis perpeſſio & crucem ipſam deſtruat & æternum gaudium pariat. Per ipſam inquam patientem perpeſſionem tollitur & annihilatur crux & paſſio. Hoc quidem aliter in Chriſto factum, aliter in fidelibus. Chriſti paſſio paſſionem ejus deſtruxit, quia fuit ſolutio perfecti lytri, quâ juſtitiæ Dei ſatisfecit ut puniri amplius non poſſit. Noſtra autem patiens crucis perpeſſio liberat nos à cruce, quia habet gratuitam promiſſionem liberationis & coronæ. Beatus enim vir qui tentationem perfert. Poſtquam enim probatus fuerit, coronam gloriæ accipiet, Jac. 1. 12. Patiamur igitur cum Chriſto, ut cum eodem exaltemur. Eſt quidem calcar patientiæ, cogitare quod ſis meritus quæ pateris, ſed magis urget ad patientiam, ſi cogites quod ipſa patientia paſſionem finiet & in gaudium commutabit.

Hunc itaque locum legebat Eunuchus cum Philippus ad currum ejus accederet, & cum de loci ſenſu dubitaret, Philippum interrogavit, utrum Propheta de ſe ipſo an de alio loqueretur. Hæc quæſtio docilitatem Eunuchi indicat, de qua antea egimus. Indicat etiam quod auditores debent uti operâ & interpretatione eorum, qui dona majora à Deo acceperunt, & à Deo vocati ſunt, ut verbum veritatis rectè ſcindant, & aliis ſint præmonſtratores viæ. Etſi enim Scriptura adeò clara eſt, ut attenta lectione quivis Chriſtianus ex illa haurire poſſit notitiam eorum, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, voluit tamen Deus Scripturæ inſerere loca multa difficilia intellectu 2 Pert. 3. Idque eo fine ut fideles haberent cujus ſcrutatione ſe exercerent invicem. Scriptura eſt inſtar agri, in quo Margarita abſcondita, ſed fodi debet ut inveniatur. Eſt inſtar horti variis floribus conſiti, quorum attenta ſpeculatione oculi paſcuntur.

Denique hinc diſcimus, quod Scriptura ſeu verbum Dei ſcriptum propriè ſit organum & ſemen regenerationis & converſionis. Per verbum enim ſcriptum converſus eſt Eunuchus. Vide quàm multa concurrant ad converſionem Eunuchi. Eſt enim hic mentio Domini Dei, Angeli, Spiritus Sancti, Philippi Euangeliſtæ, Paragraphi Scripturæ, Domini Jeſu. Æthiops legit Scripturam & de ſenſu ejus ſollicitè dubitat, cupidus inſtitutionis. Deus mittit Angelum, Angelus vocat Philippum, Philippus Spiritu Sancto agitur, actus Spiritu Sancto Scripturam explicat, ex Scriptura Jeſum annunciat. Corda noſtra ſunt ager. Verbum ſcriptum eſt ſemen. Concionatores ſunt plantatores hujus ſeminis in hunc agrum, ut legimus 1 Cor. 3. Sic itaque conciones paſtorum ſunt etiam verbum Dei & inſtrumentum regenerationis, ſed quatenus ſunt verbi ſcripti enucleatio & applicatio. Verbum ſcriptum propriè ſemen eſt converſionis. Labor autem miniſtrorum eſt iſtius ſeminis inſitio in agrum cordis, ut à nobis intelligatur & concipiatur. Miniſtrorum itaque eſt ex Scriptura depromere quæ concionantur, ut nihil dicant extra ea quæ ſcripta ſunt Actor. 24. 14. & 26. 22. Non proprii commenta cerebri, non Philoſophicas ſpeculationes, non jactatas revelationes, non hominum inſtitutiones, non antiquorum traditiones & fabulas, ſed ſcripti verbi dictamina concionari noſtrum eſt.

5 Philippus interrogatus ab hoc loco incipiens Euangelizavit ipſi Jeſum. 1. Ab hoc loco incepit, i. e. demonſtravit hunc locum loqui non de ipſo Propheta vel Rege aliquo, ſed de Meſſia Redemptore mundi. 2. Non autem in hoc loco ſubſtitit, ſed tantùm ab hoc loco incepit, & deinde alia loca attulit, quæ idem dicunt, qui eſt verus modus interpretandi, ut ſcil. Scripturam cum Scriptura comparemus. 3. Annunciavit ipſi Ieſum, i. e. Jeſum ipſi

pſi notum fecit, & demonſtravit hunc eſſe illum in quo dictum Prophetæ ſit completum. Is enim patienter innocens propter peccata noſtra erat paſſus, & per paſſionem in gloriam intravit. Is verus modus homines adigendi ad fidem in Jeſum, ſi demonſtremus Jeſum eſſe illum in quo omnia impleta quæ de Meſſia prædicta ſunt. 4. Sed notanter dicit, quod Jeſum ipſi Euangelizaverit. In omnibus cœtibus, qui nomen Chriſtianorum gerunt, Jeſus prædicatur, ſed non Euangelizatur, ſed, potius, ut ita loquar, Legalizatur, i. e. tanquam Moſes aliquis & legiſlator proponitur, non autem tanquam auctor & effector ſalutis. Euangelizare Chriſtum & Chriſtum ita prædicare, quod omnibus contritis & oneratis factus ſit unica, perfecta, certa cauſa ſalutis. In multis cœtibus Chriſtus aliter prædicatur, quod ſit quidem inceptor, ſed non perfector ſalutis, quod ex parte ſalvaverit, partim Sanctis & nobis ipſis conceſſerit &c. Hoc non eſt Euangelizare. Hoc demum Euangelium eſt, quod ſolus Chriſtus omnibus contritis & fidelibus inceptor & perfector ſalutis factus eſt, & quod ſit talis perſona, & talis Pontifex ac mediator inter nos & Deum, qui perfectè ſalvare poſſit omnes, qui per eum ad Deum veniunt. Hoc Euangelium largitur ſolatium omnibus contritis. Chriſtus patiens non aperiebat os ſuum, Philippus prædicans aperit os, quia Euangelium in ore gerebat plenum gaudii & ſolatii.

Actor. 8. *v.* 36. 37.

CONCIO XCV.

TRia ſunt quæ requiruntur à bono Doctore & Paſtore. 1. ut bene doceat. 2. ut bene vivat. 3. ut bene regat.

I. Ut bene doceat. Non tantùm ut bene eloquatur quæ ſentit, ſed etiam ut ſentiat & doceat quæ ſunt ſecundum veritatem & ad ædificationem utilia. Sicut enim miſer Doctor eſt, qui doctus quidem cum ſit & veritatem nôrit, non poteſt tamen eam ita eloqui, ut auditores ædificet; ita is demum minimè doctoris boni nomen meretur, qui quidem quod ſentit clarè & efficaciter eloquitur, ſed quæ eloquitur ſunt à veritate aliena & ædificationi noxia. Quantumvis aliquis honeſte vivat, polleat judicio & experientia in Eccleſia regenda, ſit moderatiorum affectuum, & doceat interim falſa dogmata, boni Doctoris nomen & coronam non adipiſcitur, ſed ut hoſtis Eccleſiæ reprimendus, ne malum ſemen ferat in agrum Domini, quod inſtar cancri ſerpat & Eccleſiam vaſtet. Præcipuè tunc cum per innovationem doctrinæ aliquam Eccleſiam dividere ſatagit. Nam quod de toleratione hîc loquuntur, idem eſt ac ſi peſtem velles tolerare in corpore. Sicut enim bonus vir poteſt eſſe malus medicus, quem non patimur graſſari in corpora ægrorum, ſi habeat principia ſanæ medicorum doctrinæ contraria; ita vir in ſe non malus poteſt eſſe Paſtor noxius, ſi dogmata ſalvificæ veritatis non adferat. Sicut optimum & peritiſſimum quemque militem non præficiemus noſtro exercitui, ſi de cauſa noſtra, pro qua bellum gerimus, malè ſentiat: ita immeritò Paſtor & Doctor Eccleſiæ habetur, qui de veræ Eccleſiæ doctrina malè ſentit. Quomodo enim pro fide contendit fideliter, qui de fide non bene ſentit, quantumcunque videatur bene vivere.

II. Ut bene vivat. Nam qui bene docet & malè vivit, alterâ manu diruit, quod alterâ ædificat, & cujus doctrina efficax non eſt ad propriam ejus vitam reformandam, vix erit efficax in aliis; ſicut candela quæ lucernam, in qua eſt, illuminare non poteſt, non illuminabit eos, qui lucernam ſequuntur. Qui bene docet & malè vivit, is auditores ſuos ſervat, & animam ſuam perdit.

III. Ut bene regat. *Object.* At regere ſolius eſt magiſtratus. *Reſp.* Dominari Magiſtratus proprium eſt & miniſtris vetatur 1 Petr. 5. 3. Sed regere miniſtris quoque commune Rom. 12. 8. Qua in re conſiſtit Paſtorum regimen? In Paſtorali diſciplina, quâ in gregem Domini recipiunt, vel à grege Domini excludunt, quos recipere vel excludere decet, & ſingulis media ſalutis ita diſtribuunt, ut ſalus eorum requirit.

Trium horum requiſitorum boni doctoris exemplum habemus in Philippo Euangeliſta, in hac hiſtoria de Eunucho, cujus explicationem nuper cœpimus. In ea videmus ſanam doctrinam de Jeſu ex Scriptura V. L. depromptam. 2. Sanctam vitam lucentem in prompta obedientia mandati Angelici & impellentis Spiritus, quamtumvis rationi non ſatis congruentis. 3. In prudenti regimine, quod lucet in provida adminiſtratione ac diſpenſatione baptiſmatis, quâ Eunuchum in gremium Eccleſiæ recepit. In hac diſpenſatione baptiſmi habemus. 1. Deſiderium baptiſmi quod erat in Eunucho.

cho. 2. Prudens conſenſus in Philippo. 3. Ipſius operis exſequutio tum ex parte Eunuchi, tum ex parte Philippi. 4. Conſequentia rei.

Eunuchus cognita doctrinâ ſalvifica de Jeſu Chriſto, quum primùm conſpexiſſet aquam, deſideravit baptizari. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.

Sed unde quæſo Eunucho notitia baptiſmatis? Unique Philippus nil aliud fecerat, quàm quod Jeſum annunciaverat. *Reſp.* At qui potuiſſet Jeſum annunciare ſine mentione baptiſmi? Qui enim alicui vult annunciare Jeſum quantum ad ſalutem ſufficit, debet illi annunciare hæc quatuor: 1. quis & qualis ſit Jeſus, vid. quod ſit unigenitus Dei filius ab æterno à Patre genitus, in tempore incarnatus à Spiritu Sancto ex Maria virgine, verus Deus & verus homo in una perſona. 2. à quo & quo fine nobis datus, videl. quod à Patre ex mera gratia unctus, ut ſit Salvator mundi qui populum ſuum ſalvet à peccatis ipſorum. 3. Quid pro nobis fecerit & quo modo nos ſalvaverit, quod ſcil. ſponſor noſter factus ſe humiliavit uſque ad mortem, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, ſepultus eſt, & deſcendit ad inferna, i. e. dolores inferni anima ſuâ pertulit. Item quod expiatione peccatorum per humiliationem ſuam perfecta reſurrexit ex mortuis, adſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram Dei factus Princeps & Salvator, qui Iſraëli det converſionem & remiſſionem peccatorum per effuſionem Spiritus Sancti quodque rediturus ſit ad judicandum vivos & mortuos. 4. Denique qui vult annunciare Jeſum, debet annunciare quid nobis faciendum ſit, ut Domini Jeſu fiamus participes, videl. ut peccata confitentes ac deplorantes baptizemur in nomen Jeſu Chriſti, credentes remiſſionem peccatorum, implorantes effuſionem Spiritus Sancti & promittentes omnem obedientiam & patientiam quam à nobis Chriſtus requiſiverit. Ex tali igitur annunciatione Jeſu Eunuchus facile didicit neceſſitatem baptiſmi, ideoque eum tantopere deſideravit. Ex hoc itaque deſiderio baptiſmi, quod fuit in Eunucho, ſequentia diſcimus.

I. Primus fructus regenerationis eſt deſiderium participandi inſtituta Dei ad nos in Spirituali vita roborandos. Gratia regenerationis non datur ſecundum deſiderium gratiæ, quod eſt in irregenitis. In irregenitis enim non eſt deſiderium, ſed potius contemptus gratiæ, & regeneratio, data ſecundum commiſerationem liberam Dei, efficit hoc deſiderium. Poſtquam autem homo regenitus eſt, primus fructus regenerationis eſt appetitus & deſiderium eorum mediorum, quæ Deus inſtituit ad vitam noſtram Spiritualem conſervandam & roborandam. Sicut infantis recens geniti primum opus eſt appetitus uberum maternorum. 1 Petr. 2. ita &c. Verbum & Sacramenta ſunt ubera matris, quæ nos peperit, Eccleſiæ. Nulla eſt certior nota hominis regeniti, quàm hoc deſiderium. Sicut enim qui mortuus eſt, non poteſt deſiderare cibum; ita qui regenitus eſt non poteſt non deſiderare verbum & Sacramenta. Sic Pſal. 27. 4. Pſal. 9. 11. non omnibus jura Domini ſunt deſiderata, ſed regenitis. Pſal. 119. 40. & paſſim. Ratio cur primum opus regenitorum eſt appetitus mediorum divinitus inſtitutorum, dari facile non poteſt, quia cauſa appetitus non tam eſt ratio Logica, quàm inclinatio Phyſica. Quî fit quod fœtus beſtiarum & liberi hominum recens nati adeo appetunt ubera matrum? quis illos docuit, quis manu duxit? ipſa natura. Sic quis docet regenitos ita amare verbum? Non eſt Logica ratiocinatio regenitorum hominum, ſed eſt fortis inclinatio ipſius Spiritus regenerantis, qui verbi & mediorum appetitum implantat, ut nutriantur per id per quod geniti ſunt. Vide itaque quantum abſunt à vera vita Spirituali, qui verbum & Scripturam non deſiderant, nec iis delectantur. An poteſt eſſe genuinus fœtus Eccleſiæ, qui ubera Eccleſiæ abominatur & non deſiderat? Quî poteſt eſſe vita, ubi non eſt appetitus nutrimenti? Morbus quidem appetitum cibi ſubinde dejicit, ſed tamen non tollit. Sic quidem regenitis propter adhærentes carnis reliquias, earumque irritationes nō ſemper æquè delectabile eſt verbi & Sacramentorum nutrimentum, ſed tamen hoc ipſum ægros triſtes reddit quod appetitu deſtituuntur, faciitque ut optent appetitum & de defectu ejus quiritentur. Vide Pſal. 119. 25. 28. 29. 36. 66. 131. Hæc ipſa ratio, quod tam parum proficit verbum prædicatum, quia tam parvus ejus appetitus. Ubi appetitus non eſt, ibi cibus nec gratus eſt nec utilis; ita verbum nec ſapit nec prodeſt, ubi non eſt appetitus verbi. Eſt inſtar aquæ, quæ effunditur in petram. Olim fideles orabant concionatores ut concionarentur Actor. 13. 42. nunc concionatores coguntur precari auditores ut audiant. Sicut itaque qui ſtomacho debili laborant opſonant famem ante prandium; ita nos ad auditum verbi iruri appetitum verbi

verbi in nobis excitemus per conſiderationem peccatorum & iræ ac maledictionis divinæ, quæ eſt ſuper nos. Si ſentires miſeriam, & ſentires robur iræ ac ſeveritatis divinæ Pſalm. 90. 11. non diceres, quid ſitum in Sacramentis, quid in verbo?

Object. At ſum in infantia baptizatus, non igitur opus habeo appetitu baptiſmi. *Reſp.* 1. Baptizari non ſolùm eſt aquâ aſpergi, ſed baptiſmo ſuo uti ad calcar pietatis & ſignum reconciliationis. Qui ſic baptiſmo ſuo non utitur adultus, idem eſt, ac ſi in infantia non eſſet baptizatus. 2. Cœna Domini æquè Sacramentum eſt ac baptiſmus, & fruſtra confidit in baptiſmo qui deſpicit S. Cœnam. Cœnæ enim nihil aliud eſt quàm repetitio ejus fœderis quod in baptiſmo recepit, adeoque baptiſmum contemnit qui cœnam contemnit. Mirum eſt homines ita diſparatè de duobus ſacramentis ſentire, ut alterum appetant, alterum contemnant.

II. Imitentur noſtri homines interrogationem Eunuchi: quid prohibet baptizari? q. d. Dic mihi, an ſim ſatis inſtitutus & aptus qui ad baptiſmum admittar. Noſtri homines hic ſimpliciter ſolent uti ſuo judicio, nec conſulunt Paſtores, unde ſæpe toto vitæ tempore abſtinent à ſacramento, quia putant ſe non aptos? vel cum judicio Paſtorum ſuſpenduntur à cœna, murmurant & ſe opponunt. Non decet ita fieri, ſed conſilium adhibendum eorum, qui ſunt diſpenſatores myſteriorum Dei. Non inconſultis nec invitis diſpenſatoribus Sacramentorum veniendum ad uſurpationem eorum. Ipſi enim debent Deo reddere rationem ſuæ diſpenſationis. Et optandum, nos prius conſuli antequam ad baptiſmum offerantur infantes, ut examinaremus ſtatum eorum qui offerunt, an nihil ſit quod prohiberet.

Sequitur conſenſus Philippi, qui conſentit in baptiſmum Eunuchi ſub hac conditione, ut prius ederet confeſſionem fidei, ut conſtaret an toto corde crederet. Non contentus erat Eunuchum inſtituiſſe, ſed requirebat ab ipſo confeſſionem ejus doctrinæ in qua erat inſtitutus, & promiſſionem fidei. Ea enim in re conſiſtit confeſſio, quam exigimus ab iis, qui ad Sacramentorum participationem admittendi ſunt, ſcilicet. 1. ut manifeſtent ſuam ſcientiam, an intelligant uſum & finem ſacramentorum, ne ad ſuperſtitionem illis abutantur. 2. ut manifeſtent animum & propoſitum ſuum, an ſint parati ad præſtandas obligationes Sacramentorum, ne profanent divina inſtituta. Hæc illa interrogatio bonæ conſcientiæ, quæ cum baptiſmo erat conjuncta 1 Pet. 3. v. 21. Hinc Iohannes Baptiſta non baptizabat niſi confeſſos Matth. 3. 6.

Object. Quod ſi talis confeſſio exigenda eſt ab iis qui ad baptiſmum admittuntur, annon inde redarguitur pœdobaptiſmus? *Reſp.* Non eſt bona conſequentia: Si ab iis qui pollent uſu rationis exigenda eſt confeſſio fidei, ergo illi qui confeſſionem fidei edere non poſſunt, non ſunt baptizandi. Non magis ſequitur, quàm ſi ex regula Pauli quæ eſt 2 Theſſ. 3. 10. velis concludere, infantes non debere comedere. Abrahamo antequam circumcideretur exacta fuit confeſſio fidei, ſed non ideo Iſaac à circumciſione fuit excluſus, donec poſſet edere confeſſionem. Baptiſmus non eſt ſignum & ſigillum confeſſionis, ſed eſt ſignum fœderis. At fœdus ſeu promiſſio fœderis æquè ad infantes qui in Eccleſia nati ſunt, pertinet, ac ad adultos, ut patet Actor. 2. 39. Etſi infantes non poſſunt edere confeſſionem fidei, tamen ideo non magis ſunt appellandi infideles, quàm irrationales, quia habent animam rationalem & Spiritum ac ſemen fidei. Apoſtoli baptizârunt integras familias Lydiæ commentarienſis, Criſpi & Stephani. Actor. 18. 33. Actor. 18. 8. 1 Cor. 1. 16. Mirum foret in tot familiis nullum fuiſſe infantem. Quòd ab adultis baptizandis confeſſio requiritur, non in eo fundatum eſt, quod confeſſio abſolutè ad baptiſmum neceſſaria eſt, ſed in exemplis Apoſtolorum & mandato Dei, qui à quolibet vult ſerviri ſecundùm menſuram donorum quæ conceſſit, ideoque confeſſionem fidei requirit ab iis qui edere poſſunt Rom. 10. 10.

Object. Cur igitur cœna Domini non æquè ac baptiſmus infantibus conceditur? *Reſp.* 1. Quia utrumque Sacramentum non eſt ejuſdem ſcopi. Scopus baptiſmi eſt aliquem in Eccleſiæ gremium admittere, eumque Deo conſecrare. Scopus verò cœnæ eſt ſervos Domini in domo ejus converſantes contra dubitationes & tentationes eorum roborare. Prior ſcopus locum habet in infantibus, ſed non poſterior. 2. Ad cœnam Domini expreſsè in verbo requiritur probatio ſui ipſius, recordatio mortis Chriſti, diſcretio corporis Dominici, quæ ad baptiſmum non requiruntur. Infantes igitur per baptiſmum è parentibus offeruntur & conſecrantur Domino, ſed oblati Deo, per cœnam Domini ſe ipſos probantes fœdus ſuum cum Deo renovant, unde

unde & baptiſmus non niſi ſemel, cœna autem ſæpius uſurpanda eſt.

Sed cur non niſi fidei confeſſionem exigit? Johannes exigit confeſſionem peccatorum, Matth. 3. v. 6. Marc. 1. 5. Petrus confeſſionem bonæ conſcientiæ, i. e. promiſſionem ambulandi coram Deo cum omni bona conſcientia, 1 Petr. 3. 21. Cur igitur hic non niſi fidei confeſſionem exigit? *Reſp.* Qui unum dicit, alterum non excludit. Ubi vera fides, ibi confeſſio peccatorum & ſtudium bonæ conſcientiæ. Fides enim ex ſenſu peccatorum, & impellit cor ad ſtudium bonæ conſcientiæ. Sicut qui non ſentit & videt periculum cadendi & pereundi, nullo medio ſe ſuſtentat; ita qui non ſentit periculum peccati, non apprehendit Chriſtum ut ſe ſuſtentet. Sicut nemo confugit ad medicum, qui non ſentit morbum; ita nemo venit ad Chriſtum niſi qui ſentit peccatum. Et qui credit ſibi multa peccata eſſe remiſſa, multum diligit & reformidat offendere Deum, Luc. 7. Meritò autem fides præ omnibus ad Sacramenta requiritur, quia in fide vis & virtus Sacramentorum conſiſtit. Quantum eſt in Sacramentis fidei, tantum eſt in iis virtutis. Non enim virtus Sacramenti ſita eſt in opere operato: Tenent & noſtri homines errorem Papiſticum, quod baptiſmus tollat peccatum & ſanctificet cor quomodocunque diſpoſitus ſit qui recipit. Item quod cœna ex opere operato juſtificet. Sine fide nulla virtus Sacramenti. Fides enim eſt manus & os quo apprehenditur res ſignificata. Sicut externum Symbolum ore corporis ſumitur, ita res interna per fidem applicatur. Sicut cibus non prodeſt, niſi ſit calor & vita in ſtomacho qui cibum digerat; ita Sacramentum nihil prodeſt niſi ſit fide mixtum. Tota vis Sacramenti poſita eſt in obſignatione promiſſionis. At non niſi credentibus obſignatur promiſſio. Hebr. 4. v. 2. Rom. 4. *Signaculum juſtitiæ fidei*, Conſideremus igitur quod hic dicitur: Si credis, ἔξεστι. Si non credis, non licet. Non licet uti Sacramentis niſi credentibus. Homo igitur uſurpaturus probet ſe ipſum, ut ſit in fide, ne audiat profanator Sacramenti.

Etenim non ſufficit credere, ſed requiritur, ut credamus toto corde. Eſt fides quædam quæ non eſt utilis ad ſalutem. Sic Simon Magus credidit Act. cap. 8. Multi credebant, quibus tamen Jeſus non credebat, i. e. quos non habebat pro fidelibus. Joh. 2. v. 23. 24. Eſt quædam fides temporaria & deficiens. Luc. 8. 6. 13. Eſt fides quædam mortua & non ſalvans Jacob. 2. Diabolus volens perdere homines, non prohibet ne credant, ne pœnitentiam agant, (hoc enim non obtineret) ſed ſe mutans in Angelum lucis homines monet ad fidem, ad pœnitentiam, ſed fictam, ut putantes ſe credere non credant, & ſic decepti pereant. Non eſt res bona, quam non poſſit pingere Satan, & ſimilitudine quadam homines decipere. Docet precari, docet pœnitere, docet credere, docet tremere, ſed eſt nec precatio, nec pœnitentia, nec fides. Felix tremebat, Eſau flebat, Achab ſe humiliabat, Simon Magus credebat, Herodes gaudebat, Judas pœnitebat, Pharaoh precabatur, Saul confitebatur, Balaam optabat eſſe juſtus, Phariſæus faciebat bona opera, & in his omnibus nil minus erat, quàm quicquam boni. Cur hoc? Quidquid faciebant, non faciebant toto corde. Non eſt dubium quin non omnes uſi ſint deſtinata ſimulatione, ſed etiam aliquos motus cordis religioni ſuæ miſcuerunt, ſed tamen non toto corde Deum colebant. Sicut lex exigit, ut diligamus toto corde; ita Euangelium exigit, ut credamus toto corde. Quid eſt toto corde credere? Non tantùm intellectum pro vero habere, ſed toto corde Chriſto adhærere. Fides eſt cordis fiducia, qua Chriſtum amplectimur, ei conjungimur, unimur, adhæremus, inſerimur, ut paſſim loquitur Scriptura. Credere igitur toto corde, eſt totam fiduciam in Chriſto ponere. Duplices ſunt homines, qui non credunt toto corde.

1. Qui partem fiduciæ ponunt in Chriſto, partem in Sanctorum vel propriis meritis. Toto corde in Chriſtum credere, eſt ſoli Chriſto ſalutem ſuam confidere. Eſt honorare ſanguinem Chriſti, ſi totam fiduciam ei infigas, ſicut eſt ignominiâ afficere ſi non totam colloces Hebr. 10. 29. Qui credit, non excludit ſtudium bonorum operum, ſed tantum fiduciam à bonis operibus abſtrahit, ut in ſolo Chriſto collocet.

2. Qui partem fiduciæ ponunt in Chriſto, partem in mundo & mundanis mediis. Qui æternam ſalutem confidunt Chriſto, ſed temporalem quærunt in propriis curis & aliis mediis. Non excludit quidem fides Chriſti curam & laborem noſtrum. Sed 1. excludit tamen curam immoderatam & media illegitima. 2. excludit tamen fiduciam in curam & media noſtra, nullatenus à mediis dependens, ſed à ſolo Deo & ejus promiſſionibus, ſciens illud Matt. 4. hominem non ſolo vivere pane, & illud

Pſalm.

Pſalm.127. fruſtra vigilare vigilem, &c. ideoque æquè confidens Chriſto me diis abſentibus quàm præſentibus. Multis hominibus non eſt difficile confidere quod in Chriſto ſint habituri remiſſionem peccatorum & vitam æternam, ſed non poſſunt confidere ſe habituros panem quotidianum. Talibus rectè dixeris illud Marc.2.9. Qui majus dat, annon dabit minus? Qui itaque hunc in modum credunt, illis licitum eſt Sacramentis uti. Qui ſecus, ad illos dicimus ut Johannes ad Herodem Matth.14. v.4. *οὐκ ἔξεστί σοι*. Cum hunc in modum noſtrum cor Chriſto affixum eſt, tum Chriſtus habitat, vivit & dominatur in noſtro corde, & cor fit fons bonorum motionum. Neque tamen inde ſequitur fidem eſſe perfectam. Nam quod toto corde fit, poteſt habere ſuos defectus, quos Chriſtus tegit ſua perfectione. Non habemus fiduciam perfectam, ſed tamen fiduciam quam habemus totam in Chriſto collocamus.

Actor. 8. *v.* 37.

CONCIO XCVI.

NOta eſt inter nos doctrina, Chriſtum duo in N.T. inſtituiſſe Sacramenta, baptiſmum ſcilic. & cœnam. Hæc duo Sacramenta, etſi in accidentalibus quibuſdam inter ſe differunt, tamen in ſubſtantia conveniunt. Differentia eſt, quod baptiſmus per elementum aquæ declarat & obſignat credentibus juſtificationis & regenerationis initium, primamque admiſſionem & receptionem in fœdus & Eccleſiam, cœna verò per elementum externi ac corporalis nutrimenti panis & vini declarat ac obſignat juſtificationis continuationem & regenerationis noſtræ quotidianum incrementum, ac perſeverantiam in communione cum Deo. Etſi autem inter duo Sacramenta hoc accidentale diſcrimen eſt, finis tamen & virtus utriuſque eſt eadem, ſcilicet quod ſunt ſignacula fœderis confirmantia fidem noſtram in promiſſiones Euangelii, per quam cum Chriſto ſumus uniti. Qualis igitur præparatio ad baptiſmum, talis etiam ad cœnam eſt neceſſaria. Et ſicut Eunuchus noſter ſalutariter baptizari non poterat, niſi edita prius confeſſione fidei, ita nos hoc die ſalutariter uti non poſſumus cœnâ Domini, niſi eandem Deo edamus confeſſionem fidei, quam Eunuchus Philippo edidit. Nuper audiviſtis, quomodo Philippus Eunucho baptiſmum deſideranti denunciaverit, non licitum eſſe baptizare eum, niſi toto corde crederet. Sequitur nunc confeſſio Eunuchi, qua confitetur pleno ore, ſe toto corde credere filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, quam confeſſionem baptiſmus ipſe ſecutus eſt. Talem confeſſionem ſæpe ediderunt Sancti, & per eam Chriſtiani reputati ſunt, & applicationem ſalutis acceperunt. Matth.16. v.16. Joh.6.69. Joh.11.27. Joh.9.35.38. Non immeritò autem quæritur, an talis confeſſio ſufficere debeat miniſtris ad porrigenda Sacramenta, nec opus habeant plus exigere à catechumenis? Plures utique ſunt articuli fidei, quàm hic unus, quorum confeſſio non minus neceſſaria eſt. Si hujus ſolius articuli confeſſio ad ſalutem ſufficit, cur de cœteris tantopere diſputatur & pugnatur ut ſarti tecti maneant in Eccleſia? Utique Scriptura non tantùm exigit confeſſionem fidei, ſed etiam confeſſionem peccati & novæ obedientiæ. At hic nulla. Cur igitur Philippus tam brevi confeſſione contentus baptiſmum porrigit? *Reſp.* Etſi hæc confeſſio brevis eſt verbis, tamen dives & prolixa eſt ſenſu. Confeſſio hæc eſt ſummaria approbatio prolixæ concionis, quam Philippus de myſteriis Euangelii habuerat, & ſe quoque refert ad vaticinia V.T. q.d. Credo filium Dei eſſe illum & talem Meſſiam, qui & qualis in V. T. fuit promiſſus. Intelligenda enim eſt hæc confeſſio taliter, qualiter concepta erat Philippi interrogatio. Philippus non ſimpliciter interrogaverat an crederet, ſed an toto corde crederet. Sic igitur Eunuchus non ſimpliciter reſpondiſſe putandus eſt ſe credere, ſed toto corde credere. Dum autem ita confitetur duo confitetur: 1. quid ſentiat intellectu. 2. quid faciat corde.

I. Confitetur quid ſentiat intellectu. Confitetur ſuam theoriam circa myſteria religionis. Dum enim dicit ſe credere Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, brevem & contractam edit confeſſionem omnium articulorum fidei, ex qua omnes errores contra articulos fidei refutari poſſunt. Confitetur enim

1. Deum eſſe, & refutat omnes Atheos, qui negant eſſe Deum qui omnia creaverit & gubernet, itemque omnes idololatras, qui loco Dei vel juxta Deum aliquid habent cui confidunt & quod colunt.

2. Unum eſſe Deum & non plures, quo refutat hæreticos & Ethnicos pluralitatem Deorum ſomniantes.

3. Deum habere Filium, quo refutat Judæos, Turcas

Turcas & hæreticos pluralitatem perſonarum in uno Deo negantes. Etſi enim omnes tres perſonas non exprimit; tamen pluralitatem perſonarum indigitat, quam qui concedit, de Trinitate facilè convincitur.

4. Hunc Dei Filium eſſe Ieſum Chriſtum; unctum Salvatorem; in quem quadrent omnia in Scripturis prædicta. Qui hoc confitetur, ille confitetur: 1. Chriſtum eſſe verum hominem. 2. Hominem non eſſe ſine peccato, ut non opus habeat Salvatore. 3. Hominem non eſſe Salvatorem ſui ipſius, ſed omnem & totam ſalutem ejus in Chriſto eſſe, nec Chriſtum eſſe imperfectum Salvatorem. Talia enim de Chriſto prædicta. Et qui hæc omnia confitetur, ille ſatis evidenter refutat omnes errores & hæreſes, quibuſcum Eccleſia ſemper conflictata eſt, & etiamnum conflictatur, ſive ſint de perſona & officio Chriſti, ſive de ſtatu & privilegiis Eccleſiæ, ſive de viribus humanis & externorum mediorum. Etſi igitur hæc confeſſio brevis eſt quoad verba, tamen prolixa & tota eſt quoad ſenſum, nec eſt quod ex brevitate confeſſionis hujus concludamus, perpauca eſſe ad ſalutem neceſſaria, & omnes illas contentiones, quibus Eccleſia pugnat pro numero articulorum fidei, eſſe inanem rixationem. Deus non ſine cauſa Scripturam tam amplam fecit, & in ea tam multas doctrinas, & tam multa myſteria manifeſtavit, quæ niſi omnia ſarta tecta in Eccleſia conſerventur, ſolvitur catena articulorum fidei, & corpus doctrinæ redditur elumbe ac inefficax ad ſalutem ac ſolatium peccatoris. Non edit Eunuchus confeſſionem implicitam, dicens ſe paratum eſſe credere quæcunque Philippus vellet, ſeu, ſe credere quæcunque Eccleſia credit: Sed edit confeſſionem explicitam & expreſſam, ſalutaris notitiæ plenam, doctrinam quam ſciebat & credebat particulariter exprimentem. Demus igitur operam Euangelio diſcendo, ut poſſimus rationem reddere ſpei quæ in nobis eſt, & oſtenderet fundamenta, quibus pax conſcientiæ noſtræ innititur. Nam ſine tali expreſſione materiæ & doctrinæ quam credimus, confeſſio noſtra eſt amens & irrationalis. Scriptura requirit ut Deum & quem miſit Jeſum Chriſtum noſcamus Joh. 17. ut noſtræ ſpei rationem reddere queamus 1 Petr. 3. 15. ut pleni ſimus notitiâ & ſpirituali intellectu Col. 1. 9. ut per ſpiritum ſapientiæ & revelationis cognoſcamus quæ ſit ſpes noſtræ vocationis Epheſ. 1. 17, 18. Ubi non eſt notitia, ibi non poteſt eſſe Apologia contra accuſationes Satanæ & conſcientiæ malæ. Si quis in judicio accuſatur, nec novit ullam allegare cauſam, quâ ſe purget vel defendat, is condemnatur. Sic nos accuſamur quod rei condemnationis. Quod ſi nihil novimus quod accuſatoribus reſpondeamus, condemnabit nos conſcientia & merget in deſperationem. Scientiâ igitur opus & cognitione articulorum fidei, ut in judicio hoc poſſimus ſubſiſtere.

II. Confitetur quid faciat corde, Credere non conſiſtit in ſcire. Alioquin ſicut hîc Eunuchus dicit, Credo quod Filius Dei ſit Jeſus Chriſtus; ita etjam Diabolus dicit Luc. 4. 34. Scio quis ſis, ſcil. Sanctus ille Dei. Credere non eſt imaginare, ſed eſt facere, non eſt pura theoria, ſed praxis, non eſt opus ſolius intellectûs, ſed totius cordis, credo toto corde Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum. Superiori concione generatim explicuimus, quid ſit toto corde credere, ſcil. omnem fiduciam cordis ſui in ſolo Filio Dei reponere, & ab omnibus aliis rebus abſtrahere. Sed inquiramus nunc nonnihil particularius, quibuſnam in rebus conſiſtat illa fiducia cordis, quæ in Filium Dei collocanda eſt. Quinam ſunt illi motus cordis, qui ad fiduciam concurrunt? *Reſp.* Tres ſunt motus cordis, qui præter aſſenſum intellectus in vera fide reperiuntur.

1. Primus motus eſt ſenſus & convictio conſcientiæ, quâ in Chriſto video ſufficientiam meriti & virtutis ad me ſervandum. Aſſenſus intellectus in eo conſiſtit, quod teſtimonio Scripturæ conſentiens vel aſſentiens Chriſtum habeo pro Salvatore mundi qui à Deo miſſus eſt: ſed ubi vera fides cordis eſt, ibi accedit illuminatio & convictio conſcientiæ, quâ Chriſtum agnoſco pro meo Salvatore, & in ipſo apprehendo virtutem me ſalvandi. Conſcientia terrore legis ad ſenſum peccati & maledictionis adacta non ſubſiſtit in generali aſſenſu Euangelii quod Chriſtus ſit Salvator mundi, ſed comparatione inſtituta inter magnitudinem malorum meritorum quæ ſunt in ſe, & bonorum meritorum quæ ſunt in Chriſto, judicat, apprehendit & concludit quod quantumvis magna ſint ſua peccata, tamen major ſit vis quæ in Chriſto eſt ad ſe ſalvandum. Hæc illa πεῖσις ſeu perſuaſio de qua Paulus Roman. 8. 38. πέπεισμαι, convictus ſum in conſcientia quod in Chriſto talis ſit vis ad ſalvandum, & ad me quoque ſalvandum, quam nec peccatum nec mors, nec ulla creatura poteſt ſeparare. Sic 2 Tim. 1. 12. ſcio

quis ſit, &c. Ubi non eſt talis comparatio ſuorum peccatorum & ſuorum periculorum cum juſtitia & potentia quæ in Chriſto eſt, ibi non eſt vera fides. Nam niſi ſit conſcientia convicta, non accedet ad Chriſtum voluntas, & quantò fortius conſcientia convincitur, tantò faciliùs voluntas confidet. Hoc nos reddit ſanos in fide, ſi ita miſeriam noſtram & virtutem Chriſti juxta ſe ponderamus.

2. Secundus motus eſt extenſio voluntatis, quâ homo in conſcientiâ convictus ad filium Dei confugit, ad eum accedit, eumque apprehendit, ſe ei committit, eum recipit, eique dicit: Domine tu meus Salvator, in manus tuas committo Spiritum meum. In priore motu homo ſeipſum alloquitur, & ſeipſum convincit & apud ſeipſum judicat. Sed in hoc ſecundo motu ad Chriſtum & cum Chriſto agit & Chriſtum alloquitur. Sic filius perditus Luc. 15. primò apud ſe ipſum deliberat & judicat in Patris ſui ædibus ſatis eſſe & bonitatis & potentiæ quo ſervetur v. 17. tum proponit ſurgere ac abire v. 18, 19, 20. Hinc fides vocatur adventus & acceſſio ad Chriſtum Joh. 6. 35. Matth. 11. 28. item receptio Chriſti Joh. 1. 12.

3. Tertius motus eſt labor affectuum, quo conamur Chriſtum ſemel apprehenſum retinere. Poſtquam de ſufficientia gratiæ quæ in Chriſto eſt, ad noſtram ſalutem ſumus convicti in conſcientia, & poſtquam propoſuimus ac cœpimus ad Chriſtum appropinquare, eumque apprehendere, exſequutio ejus propoſiti non eſt ita facilis, ut inturbato congreſſu poſſit perfici, ſed eſt talis acceſſio, qualis erat Petri Matth. 14. 28, 29, 32. Petrus convictus Jeſum Salvatorem ſuum eſſe qui ambulabat in aquis, & ab eo vocatus ut ad ſe veniret, proponit venire, ſurgit & deſcendit in aquas ſed tum ſtatim experitur difficultates, undarum vires fluctuum potentiam ad ſe mergendum. Sic nos videntes Chriſtum erectum in mediis undis tanquam rupem ad ſervandos naufragos, deſerimus navem in qua ſumus, i. e. abnegamus omne aliud auxilium & appropinquamus ad Chriſtum ut eum apprehendamus, ſed cum incipimus ad Chriſtum ire, ſentimus vim fluctuum peccati & iræ divinæ & incipimus mergi, & fortiùs repellimur, quàm appropinquamus, immò poſtquam ad rupem pervenimus, vi fluctuum vehementer concutimur, ut exclamet anima ſicut Petrus Matth. 14. 30. Sicut Diſcipuli Matth. 8. 25. ut David Pſal. 69. 2. & 42, 8. & 116. 3. Non ſemper nobiſcum eſt ut cum filio perdito, cui poſt propoſitum accedendi Pater ipſe ſtatim occurrit & ſine impedimento recipit, ſed accedentibus ſæpe occurrit iratus, & dicit, Quid mihi tecum? Non eſt bonum ſumere panem liberorum & objicere canibus &c. Quid tum fit? Tum accedit tertius gradus fiduciæ cordis, ſcil. labor & conatus Chriſtum apprehendendi, tenendi, ei adhærendi, nec ab illo recedendi, quo quaſi pugnamus cum Deo, dicentes: *Non relinquam te* Gen. 32. 26. Sic Iob. 13. v. 15. Paulus Philip. 3. 13, 14. Hinc credere & cedere opponuntur Hebr. 10. 38, 39. Pſal. 73. 26, 28. Hæc illa πληροφορία de qua 1 Theſſal. 1. 5. & paſſim. Quid illa? Non certitudo ſine ulla dubitatione, ſed confidens & fortis conatus accedendi ad Chriſtum contra omnes perturbationes retinentes ac repellentes. ſicut nautæ plenis velis & pleno curſu contra ventum contendunt ad portum; ita fideles tentationibus repulſi intenſis viribus conantur tentationes vincere & Chriſto adhærere. Ex hoc tertio gradu ſincera fides rectiſſimè agnoſcitur. Fides eſt labor, & quibus τὸ credere tam facile eſt, neſciunt quid ſit vera fides, nec penetrârunt fluctus divinæ iræ & vulneratæ conſcientiæ, ſed ſubſiſtunt adhuc in firma terra τῆς ἀναισθησίας.

Jam videtis quid in ſe contineat hæc confeſſio Eunuchi.

1. Fatetur ſe intellectu ſuo aſſentiri Chriſtum eſſe illum Salvatorem mundi unicum, à Deo promiſſum, à Prophetis prænunciatum, à Patribus exſpectatum, cui conveniant omnia à Prophetis de vero Meſſia prædicta, qui ſit unigenitus filius Patris, incarnatus & à Spiritu Sancto unctus & mundo factus Propheta, Sacerdos, Rex & Salvator, in quo ſolo omnes teneantur quærere ſuam ſalutem.

2. Confitetur quantumvis ſe miſerum peccatorem ſentiat, indignum qui ad cœlum oculos attollat, ſe tamen judicare & convictum eſſe in conſcientia, gratiam quæ in Chriſto eſt, ſuis peccatis eſſe majorem.

3. Confitetur ſe velle ſurgere, ad Chriſtum ire ſe ei dare & tradere, Chriſtum pro ſuo Salvatore recipere.

4. Confitetur ſe non receſſurum à Chriſto, ſed adhæſurum Chriſto, eumque firmâ fiduciâ cordis retenturum, etiamſi totus mundus & ipſæ inferorum portæ ſe opponant. Et hoc eſt toto corde credere Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.

Diſcite

Diſcite hinc verum modum eundi ad cœnam Domini. Qualiter hic Eunuchus ad baptiſmum, taliter vos ad cœnam debetis accedere. Aperite igitur nunc corda veſtra, & unuſquiſque veſtrum ſincero corde tali confeſſione Deum alloquatur: O Deus creator noſter & judex noſter, contra quem peccavimus, aſſentior teſtimonio tuo quod in verbo Euangelii tu revelâſti de Jeſu Chriſto Filio tuo? Credo eſſe unigenitum tuum Filium, æqualem tecum & cum Spiritu Sancto Deum, verum hominem, per Spiritum Sanctum ex Maria virgine natum, unctum & miſſum in Salvatorem, qui pro peccatis noſtris ſub Pontio Pilato paſſus eſt, crucifixus, mortuus, ſepultus, deſcendit ad inferna, tertio die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram Patris unde venturus eſt judicatum vivos & mortuos. Et quamvis ſcio & ſentio me eſſe miſerum & indigniſſimum peccatorum, immò maximum omnium peccatorum, convictus tamen ſum in conſcientia, quod gratia & potentia quæ in filio Dei eſt, ſit major quam vis peccatorum, quæ in me ſunt. Video enim vim me juſtificandi & ſanandi, ideoque ad eum me recipio, ei me trado & committo, eum pro Salvatore meo unico & perfecto agnoſco & prædico, ſanguinem & Spiritum ejus imploro. Et quantumvis omnes fluctus cœlorum, inferni & terræ contra me inſurgant, & me à Chriſto abſterreant, tamen non recedam, ſed toto corde confidam Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum & mihi perfectum Salvatorem. Si tali cum confeſſione ad Deum acceſſeritis, en duplex fructus!

1. Non ſinet vos in propoſito peccandi manere. Eſt enim hæc fides libertas, animoſitas vel ingenua audacia (vrymoedigheit) accedendi ad Deum. Si tibi propoſitum manendi in peccatis, non habebis talem libertatem accedendi. Propria enim conſcientia, proprii renes hunc in modum te redarguent. Si tua propria confeſſione Filius Dei eſt Jeſus Chriſtus, qui audes ad ipſum appropinquare cum propoſito peccandi? An ſperas te ſalvaturum illum quem odiſti! Toto corde credere, idem eſt ac ἀληθινῆς καρδίας προσέρχεσθαι Hebr. 10. 22, 23. Ubi autem acceſſus cum vero corde, ibi non habet locum propoſitum peccandi, ſed conjuncta eſt purgatio cordis à mala conſcientia Hebr. 10. 22. Accedere ad Chriſtum cum propoſito peccandi eſt prodere & occidere Filium Dei oſculo ſicut Judas & Joab. Voluntaria enim peccata ſunt clavi quibus crucifigitur Chriſtus. Deus vult ſanctificari in iis qui accedunt. Si non ipſi ſanctificant per ſuam converſionem, ipſe ſe ſanctificabit per ipſorum pœnam Levit. 16. Eſt quidem Chriſtus rupes ſalutis iis qui ſincero corde ad ipſum appropinquant in timore & tremore filiali, ſed qui profano corde in ipſum irruunt, eos conquaſſabit Matth. 21. 44. Vos itaque qui retinetis propoſitum ebrietatis, fraudis, oppreſſionis, impudicitiæ, propriæ vindictæ, ſuperbiæ, blaſphemiæ, negligentiæ in cultu &c; & tamen ad cœnam acceditis, conſiderate quæſo quid agatis. Ad cœnam accedere eſt confiteri quod Filio Dei vos committatis. Quomodo audetis accedere ad Filium Dei cum intentione & propoſito peccandi? An neſcitis quod ſit ignis conſumens? Sitis vobis ipſis propitii. Si confiteris te ad Chriſtum venire ut à peccatis ſaneris, & tamen retines propoſitum peccandi, confeſſio tua mendacium eſt.

2. Deus vobis obviam veniet, vos amplectetur & impoſterum cuſtodiet. Si debiliora ſunt brachia tua, quàm ut Chriſtum tenere poſſis, ille te tenebit. Hoc enim eſt id quod per cœnam obſignatur, hoc fine cœna datur, non tantùm ut ad Chriſtum venias, ſed etiam ut de Chriſti adventu ad te certificeris. Tu apprehende Chriſtum, & Chriſtus apprehendet te. Vide Eſa. 41. 13. Qui ſic accedit ad Dominum, ei Dominus tandem occurret cum adhuc procul eſt ut filio perdito Luc. 15. 20. Hæc cœna ſignum & figura ſaginati vituli ibid. v. 23.

Actor. 8. *v.* 38, 39, 40.

CONCIO XCVII.

DOctrina de juſtificatione per ſolam fidem, etſi in Scripturis firmiter eſt fundata, tamen calumniis hominum maximè eſt obnoxia, quod ſit doctrina noxia, quæ neceſſitatem bonorum operum excludat & homines reddat impios ac inobedientes Deo, cùm tamen fides juſtificans ejus ſit virtutis ac naturæ, ut corda hominum purget, & ad obedientiam Dei inclinet. Sic virtus Sacramentorum contemnitur à multis quaſi nulla ſit, & quaſi parùm ſitum in eo ſive utaris Sacramentis ſive non, cùm tamen Sacramenta rectè uſurpata ſint fulcra & ſuſtentacula quæ magnum robur conferunt ad Spiritualem vitam. Utrumque patet ex textu nunc prælecto. Poſtquam enim Eunuchus toto corde credidiſ-

didiſſet, Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, non perrexit in itinere, ſed curru ſufflaminato ptius obediens factus eſt præcepto Domini, & per baptiſmum ſe Deo conſecrari curavit. Poſtquam autem baptizatus eſſet, Sacramentum illud tantum in eo operatum eſt, ut virtute illius iter ſuum perficeret lætus, non obſtante quod Philippus ab ipſo auferretur à Spiritu & Azothum tranſportaretur. Habemus igitur in hac pericope.

1. Fructum & effectum fidei Eunuchianæ.

2. Fructum & effectum Sacramenti per fidem recepti.

De Primo.

Fides ejus non paſſa eſt eum inanem eſſe & ſterilem, ſed fecit ut ſufflaminato itinere & curru deſcenderet ad percipiendum baptiſmum. Non inſiſtam conciliandis ſingularitatibus hujus baptiſmi cum moderno modo baptizandi. Eunuchus baptizatus eſt in campo, nos in templo; Eunuchus in aquam (fluviuſnè fuerit an fons non dicam, etſi ex Hieronymo fons quidam in tabulis Geographicis oſtenditur) deſcendit, nos aquâ adſpergimur. Voluit Spiritus hoc pacto oſtendere in N. Teſt. non eſſe præſtantiam loci præ loco. In V. quidem T. adminiſtratio cultus publici ex parte erat alligata certis locis Deuter. 12. 21. Sed poſt adventum Chriſti locus nihil habet ſacri Joh. 4. 21. Mal. 1. 11. Matth. 11. 20. Hinc Johannes docuit in deſerto, baptizavit in Jordane; Chriſtus prædicavit in montibus, in campis, in navibus; Apoſtoli prædicârunt in domibus, in plateis, & baptizârunt aquâ quæ ad manum erat, ut abominanda ſit Papiſtarum ſuperſtitio, qui baptiſmum non efficacem æſtimant, niſi fiat loco & vaſe luſtrato, & aqua compoſita cum ſale, oleo, ſputo, lacte, variiſque ceremoniis conſecrata.

Turpis ſuperſtitio quæ animos hominum implet opinione operis operati, ut omnem vim ponant in ceremoniis, nec ſolliciti ſint de diſpoſitione animi, quæ ad Sacramenta adferenda eſt, & de vera meditatione, à quo & quo fine ſacramenta ſint inſtituta, & quo modo vim ſuam exſerant. Sicut autem Eccleſia N. Teſt. in talibus habet libertatem, ita libertas tamen non eſt trahenda in prætextum confuſionis, ut abolito omni bono ordine detrectemus verbum prædicare & Sacramenta adminiſtrare in communione Sanctorum; ſed unuſquiſque excurrat ad campos, fluvios, &c. atque ibi doceat, baptizet &c: ut Schiſmatici quidem faciunt. Res indifferentes etſi in ſe ipſis non ſunt neceſſariæ, tamen legi ordinis, caritatis & pacis debent eſſe obnoxiæ, ne id quod in ſe licitum eſt & liberum, fiat cum aliorum offendiculo & læſione, ſed ut omnia ordine & decenter fiant in domo Domini, ut latè docet Apoſtolus 1 Cor. 8. & 9. & 14.

Sed præcipuum quod hinc diſcere poſſumus eſt hoc, quod vera fides inclinat hominem, ut ſufflaminatis negotiis temporalibus vacet divino cultui & præceptis obſervandis. Non tantùm dirigit hominem, ut negotia & commercia ſua temporalia inſtituat juſtè & ſecundùm legem Dei, ſed etiam ut negotiis temporalibus ſufflaminatis tempus ſeparet ad externum Dei cultum, quo vacet operandæ animæ ſaluti. Sic hic Eunuchus ſiſtit iter & currum ut deſcendat ad recipiendum baptiſmum. Potuiſſet dicere ut Luc. 14. 18. 19. diu domo abſui, oportet ut celerem. Sed non dicit, verùm tempus ſumit, iter ſuſpendit. Eſt doctrina quæ ſæpe confirmatur, præcipuè cum quartum Præceptum Decalogi declaratur. Utinam obſervarent noſtri homines, Sed quàm pauci ſunt qui currum ſuum ſiſtunt, i. e. temporalibus curis & laboribus vel voluptatibus tantum temporis ſubtrahunt, ut vacent ſacrificiis precum matutinis & veſpertinis, audiendis concionibus, uſurpandis Sacramentis, celebrandis jejuniis. Currus debet currere donec laboribus feſſi ad cultum penitus ſunt inepti. Quot ſunt membra Eccleſiæ, quæ vix diebus feſtis aut diebus cum Sacramento cœnæ utuntur, currum ſuum ſiſtunt, nequaquam autem ſingulis diebus & dominicis currum ſiſtunt ad ſerviendum Deo! ubi horum hominum fides? Si toto corde crederent Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei, ipſi ut Filio Dei ſervirent. Vera enim fides parit convictionem obligationis. Si credis Chriſtum eſſe tuum Salvatorem, convictus es, te eſſe Chriſti debitorem. Qui verè credunt in Deum, curant præeſſe bonis operibus & Deo ſervire Tit. 3. 8. Fides ſe oſtendit per opera Jac. 2. Fides amoris Chriſti erga nos cogit nos ita judicare, quod non nobis ipſis debeamus vivere, ſed illi, qui pro nobis mortuus eſt, 2 Cor. 5. 13. 15. Quicunque igitur vera fide hodie receperunt Sacramentum, fient diligentes in cultu Dei, & libenter præcident negotiis temporalibus quantum ad colendum Deum ſufficit. Credere in Chriſtum eſt Chriſtum recipere pro ſuo Domino. Ubi autem famulus qui non præſtoletur ſuo

Domino!

Domino? præſertim cum vocatio quæ divino cultui impenditur non tantùm ſit honor Deo exhibitus, ſed etiam medium noſtræ refectionis. Ubi famulus qui ad prandium & cœnam vocatus recuſet venire?

DE SECUNDO.

POſtquam Eunuchus vera fide Sacramentum baptiſmi receptiſſet proficiſcitur viam ſuam cum gaudio. Hæc virtus Sacramenti bene uſurpati. Sicut Elias roboratus cibo virtute iſtius cibi ambulabat, &c. 1 Reg. 18. ita Chriſtianus roboratus Sacramento, vi iſtius conficit iter ſuum in gaudio. Ratio eſt, non quaſi in pane & vino Sacramenti ſit vis lætificans cor, ſicut in vino communi eſt vis lætificans corpus, quia Sacramentum eſt ſignum & ſigillum ſalutem particulariter obſignans. Sacramentum eſt annunciatio Euangelii applicati. Euangelium eſt bonum nuncium. Sed qui Euangelium habent non ſunt ideò læti, niſi accedat Sacramentum quod obſignet Euangelium ad nos pertinere. Sacramentum non eſt minoris virtutis quàm bonum nuncium victoriæ temporalis. At hoc lætificat, etiamſi neſciamus an ad nos pertineat, an nos victuri euſque donec fiat pax. At Sacramentum eſt bonum nuncium pacis æternæ & ad nos pertinentis. Hæc vis panis & vini ſacri longè major eſt quàm vini naturalis in cor corporale. Eſt lætificatio non corporis ſed conſcientiæ. Quale illud gaudium Eunuchi?

1. Non erat voluptas & laſcivia, quâ abjectis curis & laboribus indulgebat otio & libidinibus. Pergebat enim in via ſua, ut rediret ad locum & vocationem ſuam. Chriſtiani aſſecutionem ſalutis per cultum divinum adepti non abjiciunt laborem & vocationem, & ſe abdunt in clauſtra & cœnobia, ſed redeunt ad laborem quiſque in vocatione ſua, quæ appellatur *via hominis* Pſalm. 91. 11. ſtadium hominis in quo ipſi currendum 1. Cor. 9. Sciunt eodem præcepto ſibi injunctum Sabbathum & laborem. Itaque quæ Deus conjuxit, illi non ſeparant, ſed vacant ſtatui ut redeant ad ſuas vias, & ad opera divinitus ſibi commendata. Multum abſunt à Chriſtiano gaudio qui in mero otio, in meris conviviis, confabulationibus & recreationibus tempus inſumunt. Nôrunt Chriſtiani recreationes eſſe licitas, ſed non niſi moderatas, quæ vocationis laborem non impediant & vires Chriſtianiſmi non perdant, ſed promoveant.

2. Quale igitur eſt gaudium Chriſtianorum? *Reſp.* Quod labore vocationis funguntur cum gaudio. Labor hominis & ſudor propriè eſt ex maledictione, ideoque fit cum tædio, angore & curis Geneſ. 3. 17. 19. Job. 5. 7. & 7. 1, 2. Sed Sacramentum facit ut homo labore ſuo fungatur cum gaudio. Cum Jacob in Meſopotamiam proficiſceretur, Deus ipſi exhibuit Sacramentum ſcalæ Geneſ. 28. & 29. 1. quo viſo profectus eſt ſecurus. Sic cum rediret Geneſ. 32. 1. 2. Quod Jacobo fuit ſcala & apparitio Angelorum, id nobis eſt panis & vinum cœnæ. Quicunque igitur cum fide illa receperunt, tollent pedes & proficiſcentur viam ſuam cum gaudio.

3. Præcipuè notandum, quod gaudium Eunuchi non fuit impeditum per ablationem Philippi. Spiritus Philippum abſtulit ſtatim ac baptizatus eſſet, & Aſotum tranſtulit quæ eſt urbs Palæſtinæ, aliàs Aſdod Joſ. 11. 22. Inſigne exemplum, quod miniſtri mittantur à Spiritu S. quippe qui Philippum non tantùm inſpiratione ſua ad Eunuchum perduxit, ſed & deinde planè tranſportavit in locum, ubi concionari debebat. Subitò autem ab Eunucho baptizato abſtulit, more quo ſolet agere cum piis. Sicut enim Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam ſæpe quidem diſcipulis apparuit, ſed ſtatim iterum diſparuit Luc. 24. & paſſim, ita etiamnum cum fidelibus ita agit, ut externis mediis & externa benedictione ipſis appareat, ſed mox ea iterum auferat, ut ea non amplius videant, ut hoc ſenſu reverà in omnibus Chriſtianis impleatur illud Joh. 16. v. 16. Sic Eunucho iterum ſubducit doctorem, ut non amplius videat, ſed ſolus ſit ut antea: Quid autem Eunuchus? An ei periit fructus baptiſmi? Immò non obſtante ablatione externi doctoris pergit ambulare viam ſuam cùm gaudio. Sic etiamnum fideles, etiamſi privantur externis mediis tum corporalibus tum ſpiritualibus, tamen ſacramentis roborati ambulant viam ſuam cum gaudio. Immò etiamſi via ipſorum periculis & moleſtiis obruatur maximis, tamen pergunt, dicentes ut Pſ. 3. 7. 2. Pſ. 27. 1. 3 Reg. 6. 16. Pſ. 91. 11. 12. Rom. 8. v. 31. Immò cum tandem calcanda ipſis eſt via omnis carnis, ut appellatur mors temporalis Joſ. 23. v. 14. 1 Reg. 2. 2. etiam hanc viam proficiſcuntur cum gaudio Pſal. 23. 4. Gen. 46. 30. Luc 2. 29. 30.

Hic itaque unuſquiſque ſe probet, an hodie cum vera fide Sacramentum cœnæ acceperit. Verbum fide non mixtum non prodeſt Hebr. 4. Multò minus Sacramentum. Verbum enim prodeſt ad generandam

dam fides ubi non eſt, ſed Sacramenta planè non roborant ubi fides non eſt. Sicut cibus non prodeſt, ubi non eſt vis digerendi, ita &c. Proba igitur an cum fide acceperis. Quomodo probabo?

1. Si proponis viam tuam proficiſci, i.e. laborem vocationis & Chriſtianiſmi ſuſcipere & vias tuas probare, an ſint ſecundum Deum. Fides enim non ſinit te inanem, ſed inclinat cor ad obedientiam Dei. Ubi igitur quis ſibi indulget in tranſgrediendis & omittendis divinis præceptis, ibi fides non eſt. Vide Pſalm. 119. 32. Si cui hoc Sacramento dilatum eſt cor ad fiduciam veram, is curret viam mandatorum Dei.

2. Si ſentis gaudium & refectionem Spiritûs, ut cum voluptate & delectatione verſeris in opere Domini tibi mandato. Deus vult à nobis ſerviri corde læto. Temnit cultores invitos & amat datores hilares & cultores hilares. Vide Actor. 20. 24. 2 Cor. 9. 7. Non debemus eſſe ſicut pigri aſini qui viam ſuam incedunt quidem, ſed compulſi; ſed debemus eſſe ut generoſi equi qui currunt cum delectatione. Quod ſi per hoc Sacramentum in nobis accenſa eſt voluptas precandi, verbum audiendi, Sacramenta uſurpandi eleëmoſynas dandi, proximum juvandi, affectus mortificandi, vocationem pertendendi, crucem portandi, ſignum eſt quod cum fide uſurpavimus cœnam. Quomodo fieri poteſt ut quis verè certificetur de ſui redemptione, juſtificatione, ſanctificatione, adoptatione, glorificatione, & non accendatur ad lætitiam & gaudium ac delectationem currendi vias Domini?

Object. At hoc non ſentio. Si quando lautè comedo, bibo, dormio, hoc me reficere ſentio, ut cum delectatione redeam ad corporales labores. Sed ex Sacramentis talem refectionem & voluptatem in ſpiritualibus officiis non ſentio. Quantumcunque ad cœnam accedo, maneo æquè triſtis, melancholicus, iracundus, tardus ad preces, ſine voluptate in auditu verbi, nullam operationem verbi nec Sacramenti in me ſentio.

Reſp. 1. Hæc non eſt culpa Sacramenti, ſed tua. Sacramentum eo fine inſtitutum eſt, ut reficiat eos, qui rectè uſurpant. Quod ſi non reficeris, ſignum eſt quod non rectè uſus fueris. Sacramentum non reficit niſi famelicos & ſitientes, non autem eos qui delectatione peccati & rerum mundanarum ſunt ſaturi & iis cor ita gravant, ut ſpiritualis gaudii non ſit capax. Examina te igitur, an etiam ad Sacramentum acceſſeris cum propoſito & delectatione manendi in hoc vel illo peccato, an etiam omnia peccata tua confeſſus deploràſti humiliter. Ubi talis humiliatio non fuit, mirum non eſt, quod Sacramenta non operentur gaudium. ſunt enim cibus & potus exhilarandi famelicos & triſtes. Vide Luc. 1. 53. Fortè cupis eſſe melancholicus, & tibi ſponte indulges in triſtitia & data operâ impedis vim Sacramenti, triſtitiam habens pro virtute & lætitiam veri Chriſtiani condemnans tanquam præſumptionem indecentem. Si ſic facis, mirum non eſt, te non percipere gaudium. Humilia te igitur ob peccata, etiam ob inanem illam triſtitiam, eamque condemna, contra eam luctare, Deumque precare, ut ſuper te attollat lucem faciei, & tibi reddat gaudium ſalutis ſuæ.

2. Gaudium Chriſtianorum non conſiſtit in ἀναιϑησίᾳ reporis, infirmitatis & tarditatis ac incredulitatis quæ in ipſis eſt, ſed conſiſtit in animoſa lucta contra illas infirmitates & in indefeſſo conatu eas vincendi. Homines profani cum pleni ſint tarditatis, infirmitatis, immò malitiæ & impotentiæ currendi in viis ſuis, tamen deliciis & voluptatibus mundanis expellunt ex ſe omnem ſenſum ſuæ infirmitatis & vivunt ſecuri ac læti, quaſi planè eſſent ſani & beati. Tale non eſt gaudium Chriſtianorum, ſed illi in medio ſuo gaudio acerbum habent ſenſum, ſuæ infirmitatis, gementes cum Paulo Rom. 7. *O me miſerum! quis me liberabit?* Ex eo igitur quod tantum infirmitatis & tarditatis currendi viam tuam in te ſentis; non debes colligere te nihil gaudii accepiſſe ex uſu Sacramenti, modò hoc acceperis, ut volenter & conſtanter curras, & non deſinas currere viam tuam, donec abſolveris, donec fidem & bonam conſcientiam ad finem uſque retinueris. Viator qui perfectis peregrè negotiis patriam ſuam repetit & domum ſuam, ambulat profectò cum lætitia, & tamen cum ſudore, fatigatione, anhelatione, ſuſpiriis. Sic qui verè fideles ſunt, currunt viam præceptorum divinorum læti, ut per eam deveniant in patriam cœleſtem, ſed tamen non currunt ſine defatigatione, tædio, anhelatione, &c. Sicut vir ex gravi morbo reſtitutus certè cum gaudio venit ad templum, ſed non ſine tædio & angore ac ſollicitudine, ita nos ex Dominio peccati liberati & de futura ſalute certificati viam noſtram currimus cum gaudio, ſed tamen non ſine tædio ſicut miles cum habet occaſionem pugnandi cum hoſte, gaudet, quia tempus eſt parandi

parandi gloriam, ſed tamen ita ingreditur prælium gaudens, ut non ſit ſine tremore & metu ac angore, ita &c. Gaudium fidelium non ſemper æquè ſentitur. Sicut eſt ineffabile 1 Pet. 1. ita & incomprehenſibile & magis in effectis ſuis, quàm in ſe ipſo diſcernitur. Suſtentat enim anxios fideles in angore, & animat ad luctam ne deficiant. Sicut ſol ſemper operatur, ſed non ſemper delectat, nec æquè jucundè ſplendet ac afficit; ita fides & certitudo ſalutis ſemper operatur & impellit ac animat ad currendum, ſed non ſemper æquè exhilarat & afficit. Ne itaque ſenſus reliquæ infirmitatis nos dejiciat, ſed hoc modò agamus, ut conſtantes ſimus & ſeduli in decurrendo ſtadio noſtro. Si hoc ex Sacramento percepimus, rectè illud uſurpavimus. Et cum ſumus maximè infirmi, ſuccurret nobis Spiritus S. & infirmitates noſtras ἀντιλήψει Rom. 8. donec tandem transferremur in locum gaudii pleni, ubi Deo ſerviemus ſine tædio, delaſſatione, moleſtia in perpetua alacritate dies noctesque cantantes: *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, &c. Curramus igitur viam noſtram cum gaudio & ſine delaſſatione, idque tantò magis, quia non tantùm exemplum Eunuchi hoc textu nobis proponitur, ſed etiam Philippi, qui Azotum delatus totam provinciam peragravit & Euangelium in omnibus locis annunciavit, donec veniret Cæſaream. Non acquievit in converſione Samaritanorum, nec in converſione Eunuchi, ſed uno opere abſoluto cœpit aliud, nec deſiit, donec totam provinciam Euangelio ſuo implêſſet. Hoc imitemur, nec nobis nimis facilè ſatisfaciamus in labore hoc.

Actor. 9. v. 1, 2.

CONCIO XCVIII.

HOc capite iterum aliquot exempla particularia proponuntur propagati extra Hieroſolymam Euangelii, facta partim per miniſterium Pauli, partim per miniſterium Petri. De Paulo duo habemus:

I. Converſionem ejus quâ ipſe factus eſt Chriſtianus.

II. Initia miniſterii ejus, quo alios cœpit ad Chriſtum convertere.

De converſione Pauli tria notantur;

I. Status in quo erat, cum ſalutaris gratia converſionis ipſi illuceret.

II. Media quæ Deus ad ejus converſionem adhibuit.

III. Converſio ipſa, qua in re conſtiterit. Status Pauli in quo erat cum gratia converſionis ipſi appareret, deſcribitur v. 1. & 2. Non tantùm erat à religione Chriſtiana alienus, ſed erat acerrimus hoſtis & perſequutor Eccleſiæ & religionis Chriſtianæ. Spirabat enim adhuc minas & cædes, adverſus diſcipulos Domini, & poſtulatis à Summo Sacerdote literis commendatitiis profectus eſt Damaſcum, ut ſi quos ibi inveniret Chriſtianos, ſive viros, ſive fœminas, eos vinctos adduceret Hieroſolymam.

1. Paulus Apoſtolus ante converſionem ſuam appellabatur Saulus. Quâ occaſione impoſterum fuerit appellatus Paulus, poſtea audiemus. Erat ex tribu Benjamin, in qua tribu hoc nomen videtur fuiſſe uſitatum, quod primus Rex Iſraëlis hoc nomen habens ex eadem tribu erat. Notat nomen aliquem quem parentes precibus à Deo impetrârunt. Hinc alluſiones quorundam, quod fuerit primogenitus Diaboli poſtulatus & impetratus ad perſequendam Eccleſiam, quod fuerit inſatiabilis Chriſtiani ſanguinis inſtar inferni, qui etiam à poſtulando nomen habet, quod ſemper poſtulat & nunquam ſatiatur, unde Hebraicè appellatur *Scheol*.

3. Hic Saulus erat adhuc ſpirans minas & cædes. Eſt metaphora ſumpta à feris beſtiis, quæ prædam ſectantes fremunt & anhelant, ut nares earum fument & quaſi ignem emittant. Deſcribitur hoc pacto ſævitia Saulus & æſtus exacerbationis, invidiæ, odii & iræ, quâ inflammatus erat adverſus Chriſtianos. Initio tantum inſervierat cuſtodiendis veſtibus eorum qui Stephanum lapidabant, mox beneplacitum, habebat in morte Stephani. Paulò poſt ipſe furore incenſus Eccleſiam vaſtabat inſtar lupi, ut audivimus cap. 7. & 8. v. 3. Ille furor adhuc durat, immò planè in rabiem verſus eſt, qualis eſt ferarum

rum beſtiarum, cum prædam agunt, vel ſæviſſimorum militum cum in hoſtem præliantur.

3. Erat autem hic furor conceptus in diſcipulos Chriſti. Non intelligit duodecim Apoſtolos; quibus alioquin apud Euangeliſtas hoc nomen peculiare eſt, ſed de omnibus qui doctrinam Domini Jeſu amplexi & in nomen ejus baptizati erant. Antequam enim illi Antiochiæ acciperent nomen Chriſtianorum Actor. 11. ſolebant appellari fratres vel diſcipuli Domini. Et reverà conveniens eſt hæc Chriſtianorum appellatio. Chriſtianus enim nil aliud eſt quàm diſcipulus Jeſu, quia ſuam inſipientiam & impotentiam in negotio ſalutis ſciens & confitens verbum Domini ſcrutatur, ut ex eo diſcat tum intelligere, tum facere quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Qui non ſedulus eſt in diſcendo, non eſt Chriſtianus.

4. In hoc furore Saulus Damaſcum profectus eſt ad Chriſtianos perſequendos. Damaſcus metropolis Syriæ, quam ajunt nomen ſuum habere à *Dam Schakah*, i. e. ſanguinem bibit, quia ſita ſit in eo campo qui ſanguinem Abelis à Caino fuſum imbiberit Geneſ. 4. 11. Cur autem Damaſcum ivit, ut ibi perſequeretur, civitatem extra Judæam poſitam, quinque vel ſex dierum itinere Hieroſolymâ diſtantem? annon Hieroſolymæ & in Judæa ſatis Chriſtianorum erat quos perſequeretur? *Reſp.* Saulus ubique perſequebatur Chriſtianos in Judæa, in tantum ut ad extremas civitates pertenderet Actor. 26. 11. Sed cum nuſquam tuti eſſent Chriſtiani in Judæa; tandem extra Judæam fugerent in civitates quæ Judæis non erant ſubditæ, & præſertim in hanc quæ Judeæ viciniſſima ad montem Libanon ſita, habens proprium Regem nomine Aretam, ut ait ipſe Paulus 2 Cor. 11. 32. Ut igitur hoc quoque effugium Chriſtianis adimeret, eò quoque ſe contulit. Eſt hîc genius hoſtium Eccleſiæ. Non tantùm inter ſe non poſſunt ferre pios, ſed totum mundum iis invident.

5. Quoniam autem iſta civitas proprium ſuum Regem habebat Judæis non ſubditum, & quoniam erat civitas Ethnica, parum potuiſſet ibi efficere adverſus Chriſtianos, niſi callida quadam arte uſus fuiſſet. Etſi Damaſcus erat civitas Ethnica, tamen habitabant in illa multi Judæi, & integras quaſdam plateas ejus civitatis obtinebant, idque ex conceſſione Benhadad Regis Syriæ 1 Reg. 20. 34. Hi Judæi etſi extra Judæam habitabant, tamen communionem ſuam colebant cum templo & Synedrio Hieroſolymitano. Itaque à Summo Sacerdote Synedrii Præſide commendatitias petiit ad Synagogas Damaſcenas, ut harum operâ ac interceſſione à Damaſcorum Rege impetraret libertatem inquirendi ſi qui eſſent Damaſci Chriſtiani eoſque vinciendi & Hieroſolymam perducendi, ſicut & patet ex 2 Cor. 11. v. 31. quod impetraverit. Nec difficile erat hoc impetrare. Sine dubio enim prætenderunt, Chriſtianos periculoſa Schiſmata facere inter Judæos, unde ſtatus Politicus multum damni perciperet, & quoniam Damaſci quoque multi habitarent Judæi, periculum quoque ad eam rempublicam pervaſurum, ſi ſchiſmata ea tolelarentur. Talibus prætextibus etiam Haman obtinuit literas comendatitias Eſth. 3. v. 8. 9. Sic & hoſtes Danielis Dan. 3. Non eſt nova ars perſequendi, nec hodie obſoleta. Nam & Jeſuitæ hac arte in ipſa Turcia noſtrates perſequuntur.

6. Sed cur non petiit ut Damaſci occiderentur, ſed ut liceret vinctos Hieroſolymam ducere? *Reſp.* Sine dubio non ſperavit ſe hoc poſſe impetrare, ut Aretas quenquam propter religionem occideret, ſicut non ſolebant tum temporis Ethnici. Sacerdotes Eccleſiæ præfecti Ethnicis crudeliores. Laboravit igitur aliquo prætextu eò perducere, ut tantò certiùs perirent. Quamvis vix credo eò fuiſſe perducturum, ſed potius in itinere occiſurum, quia nec Hieroſolymis ſatis tutum erat Chriſtianos occidere, tum propter populum, tum propter Magiſtratum Romanum.

7. Denique notandum, quod Chriſtianiſmus hîc appellatur *Via*. Qui eſſent hujus viæ. Sectam vult dicere contemptim, ut Actor. 28. 22. Interim tamen aptum hoc eſt Chriſtianiſmi nomen. Solus enim Chriſtianiſmus vera via eſt ad cœlum & ſalutem. Cœteræ omnes hæreſes non tuentur nomen viæ quia non ducunt ad ſalutem, ſed ab ea abducunt. Chriſtus & fides in Chriſtum via & janua eſt Johan. 11. Soli Chriſtiani ſunt ambulatores veræ viæ, ꝛ idē **Luyden van den rechten wegh/Luyden van de Religie.**

Veniendum nunc erat ad applicationem. Sed quæ inde diſcenda nobis ſunt, pleraque ſunt propoſita cum exponeremus locum parallelum, qui eſt Actor. 8. v. 3. Ibi enim oſtendimus omnem iſtum furorem Saulis ortum eſſe ex Pharïſaico cœco zelo pro ritibus Patriis & ceremoniis Judaicis, quas putabat per Chriſtianos abrogatum iri. Cœcus & perverſus Zelus in negotio religionis poteſt homines efficere

efficere furioſiſſimos & infenſiſſimos hoſtes Chriſti & veræ Eccleſiæ. Oſtendimus diſcrimen quod eſt inter perſequutores profanos, qui Eccleſiam & religionem perſequuntur & tyrannide & truculentia mera, ut Nero, Domitianus & alii, & inter perſequutores religioſos, qui ex cœco Zelo Eccleſiam perſequuntur, putantes ſe Deo facere rem gratam. Oſtendimus Paulum fuiſſe ex poſterioribus. Fuit quidem irregenitus, ſed tamen non fuit homo diſſolutus ac ferus, ſed civilis, & ſecundùm juſtitiam quæ ex lege eſt, irreprehenſibilis, & pro lege Zelotypus. Interim oſtendimus non fuiſſe Zelum Deo gratum, ſed abominabilem, tum quia non erat pro bono ſed malo, contra bonam cauſam, & quia non erat mixtus amore proximi, ut verum Zelum decet. Inde tandem latè oſtendimus, non omnem Zelum in cauſa religionis habendum eſſe pro pietate, ſed potius pro vera inimicitia contra Deum.

His ibi fusè declaratis hac vice tantùm obſervemus:

1. Bonitatem & potentiam Dei, qui tam immanem lupum repentè novit cicurare, & non modò cicurare ne amplius ſæviret, ſed etiam in ovem convertere, & non tantùm hoc, ſed etiam fideliſſimum gregis ſui Paſtorem efficere. Vix ſimile exemplum habetur in tota Scriptura. Multa quidem quod potentes & feros hoſtes perdidit, ſed hic exemplum eſt quod potentem & ferum Eccleſiæ hoſtem ita cicuravit, emendavit & convertit. Sic flexit corda Regum Perſicorum ut Eccleſiam defenderent, gratiam dedit Eccleſiæ coram populo ut ei faverent & non nocerent Actor. 2. Cum Imperatores Romani diu Eccleſiam perſequuti eſſent, tandem fideles nutritii illius facti ſunt. Sic novit Deus omni modo Eccleſiæ ſubvenire. Velit Deus etiam hodie ſimile quid efficere, & in cor Regum dare, ut reges terræ depoſita feritate & tyrannide, qua antehac in viſcera Eccleſiæ [illegible]ierunt, calamitatibus ejus afficiantur, de veritate co[illegible]ncantur, & ex perſequutoribus fiant nutritii [illegible]omiſit Apoc. 17. 16, 17. Precemur itaque pro hoſ[illegible] noſtris. Deus enim, qui novit ex lapidibus facere [illegible]ios Abrahæ, poteſt etiam ex hoſtibus Eccleſiæ excitare doctores & nutritios.

2. Præcipuè hinc diſcendum, quod gratia converſionis non detur ſecundum præviſa merita aut præviſas bonas diſpenſationes. Datur enim hic homini qui erat in medio furore malitiæ ut non tantum gratiam non quæreret, ſed eſſet inflammatiſſimus gratiæ & Chriſti hoſtis. Quid quæſo hîc in Paulo quod movere Chriſtum potuiſſet ad dandam gratiam? *Except.* At non fuit malitia, ſed fuit zelus pro religione. Etſi autem fuit zelus cœcus, tamen quia zelus erat, placuit Deo ipſi dare gratiam converſionis. *Reſp.* Si hoc verum eſt, tum peccatum & quidem maximum peccatum fuit cauſa impellens gratiæ. Paulus enim expreſsè fatetur, hunc ſuum perverſum zelum & hanc perſequutionem Eccleſiæ tantum fuiſſe peccatum, ut ſe faceret indignum qui Apoſtolus vocetur, & omnium peccatorum maximum 1 Cor. 15. 9. 1 Tim. 1. 13. & 16. Actor. 9. 4. Vaſtare Eccleſiam inſtar lupi, ſpirare minas & cædes adverſus diſcipulos Domini, an hoc poteſt eſſe cauſa quæ Deum movit ad dandam gratiam converſionis? Tum certè omnes crucifixores Chriſti meriti ſunt converſionis gratiam, quippe qui omnes ex tali Zelo Chriſtum occiderunt Rom. 10. v. 2. Paulus aliter de ſeipſo judicat, cum ait: *Per gratiam Dei ſum quod ſum* 1 Cor. 15. 10. comparato cum v. 9. Hoc debent dicere omnes qui converſionem ſuam ſentiunt. Specialis gratia Dei à nobis celebranda, & dicendum ex Joh. 15. Non ego Dominum elegi, ſed Dominus me elegit. Etſi non omnes naturâ ſumus tam aperti perſequutores Chriſti ut Paulus; tamen ſumus hoſtes Chriſti & regno ejus reluctamur, & nolumus eum ſuper nos regnare. Cum autem in media ſumus reluctatione, Deus noſtri miſertus nos ad ſe trahit. Hæc doctrina bene conſiderata conducit 1. ad acuendam noſtram gratitudinem. Si quo pacto Deum præveniſſem & aliquo ſaltem bono uſu gratiæ communis à cæteris hominibus me diſcreviſſem, nunquam tamen ſatis poſſem celebrare, quod Deus gratiam converſionis mihi eſſet largitus. Sed cum in media inimicitia & furore contra Deum & ſervitute libidinum Deus mihi occurrit, & me ad ſe convertit, quo pacto hoc poſſum ſatis celebrare? Peculiaris gratia peculiarem parit obligationem ad gratitudinem. 2. ad acuendum noſtrum ſolatium de futuro. Nunc enim argumentari poſſumus ut Paulus Rom. 5. 10. Cauſa ſalutis meæ non eſt in me ſed in Deo, videlicet immutabile ejus & liberrimum beneplacitum. Sicut igitur non impeditus fuit mea malitiâ, quò minùs opus ſalutis in me inciperet; ita non impedietur meis infirmitatibus, quo minùs perficiat.

3. Denique hinc diſcendum, nullum eſſe tantum peccatorem, quin poſſit converti, & in gratiam recipi

Qq

cipi. Hoc Apoſtolis ipſe urget 1 Tim. 1. 15. 16. Nemo igitur per deſperationem converſionis gratiam à ſe repellat. Saulus certè erat in ſtatu perditiſſimo & tamen ſalvatus eſt. Obſervent hoc qui diu in graviſſimis ſceleribus volutati, cum ad converſionem urgentur, prætexunt, ſalutem ſuam eſſe deſperatam, & ſatius eſſe voluptatibus porrò fruantur dum poſſunt. Etiam ſera pœnitentia prodeſt, etiam maximi peccatores ſalvari poſſunt per Chriſtum.

Actor. 9. *v.* 3, 4, 5.

CONCIO XCIX.

CHriſtianiſmus vocatur Jugum, quod Chriſtus imponit iis qui volunt eſſe ejus diſcipuli, ut ad honorem ejus portent Matth. 11. 29. Vocatur jugum, quia conſiſtit in functione officiorum & portatione miſeriæ, quæ utraque carni gravia ſunt, & carnis deſideriis contraria. Hinc homo naturalis valde averſus eſt ab hoc jugo, & omni modo ſe conatur iſti jugo ſubtrahere, & miniſtris Chriſti jugum hoc intenrantibus recalcitrat inſtar equi ſeſſorem ſuum admittere recuſantis, & excutere ſatagentis, donec tandem Chriſtus extendit potentem manum Spiritus Sancti, & jugum hoc illis, quibus vult, imponit potenter & efficaciter, ut non poſſint reſiſtere & excutere. Hæc potens impoſitio hujus jugi in animas peccatorum fit modo tam juſto & ſapienti, licet nobis incomprehenſibili, ut non cogantur inviti hoc jugum recipere & ferre, ſed ut diſponantur & ita mutentur, ut recipiant hilares & ferant impoſterum non ſicut ignavi aſini averſi & inviti, ſed ſicut generoſi equi, cum voluptate & complacentia. Manet quidem etiam poſt receptionem hujus jugi quædam ignavia, illubentia & recalcitratio & conatus quidam excutiendi, ortus ex reliquiis inhabitantis carnis, ſed ea tamen vincitur & ſupprimitur, ne contra efficaciam Spiritus prævaleat, ſed ut anima, ſub hoc jugo maneat conſtans, illudque in dies majori cum facilitate ac lubentia ferat, donec tandem, ſublatis per mortem carnis reliquiis, ceſſabit omnis reluctatio & illubentia, & facere voluntatem Domini perfectum erit gaudium. Modus hujus impoſitionis jugi Chriſti, etſi perfectè à nobis comprehendi non poteſt, tamen, quantum ſcitu opus eſt, egregiè depingitur in converſione Pauli, quam nuper cœpimus explicare. Tria de hac converſione textus exhibet. 1. Statum & diſpoſitionem cordis in qua Saulus erat, cum ſalutaris converſionis gratia ipſi illuceſceret. 2. Media per quæ Deus converſionem Pauli operatus eſt. 3. Ipſam converſionem ſeu gradus atque partes in quibus poſita fuit. Nuper vidimus primum, indeque animadvertimus, quantum fuerit à jugo Chriſti alienus, quantum recalcitraverit, ut verè fuerit inſtar ſuis iſtius, de qua Chriſtus Matth. 7. v. 6. Sicut ſues, ſi monile aureum velis alligare collo, converſæ te lacerant; ita Saulus recalcitravit Euangelio volenti imponere aureum Chriſti jugum. Veniamus nunc ad media per quæ Deus converſionem Saulis operatus eſt, itemque ad gradus & partes ipſius converſionis, quæ hiſtoriæ de mediis hinc inde intexuntur. Duo adhibuit Media

1. Viſionem cœleſtem, per quam converſionem Sauli cœpit.

2. Miniſtrum terreſtrem, per quem converſum in converſione confirmavit.

Prius medium fuit οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ Act. 26. 19. Fuit quidem non tantùm aliquid viſibile ſed etiam aliquid audibile, vocatur tamen viſio, factâ denominatione ab uno. Quid fuit autem illud cœleſte quod Sauli apparuit? Fuit lux & vox.

I. Lux: Cum iret & Damaſco appropinquaret, circumfulſit eum ſubitò lux ex cœlo. Cum jam iret & appropinquaret, ἐν τῷ πορεύεσθαι, factum hoc eſt. Additur hoc data operâ, ad illuſtrandam gratiam Dei in opere converſionis, quod Paulum cœpit convertere tunc, cum in ipſo procinctu maleficii eſſet, ut omninò confirmetur doctrina nuper propoſita, quod gratia converſionis non diſtribuatur ſecundum præviſa bona merita vel bonas aliquas diſpoſitiones queis homines ſeſe à cęteris diſcernant, ſed ſecundùm meram gratiam. In Paulo enim nihil boni, ſed deſtinatum maleficium, (βλάσφημος, διώκτης, ὑβριστής 1 Tim. 1. 13.) erat, cum gratia converſionis ipſum circumfulgeret. Qualis verò illa lux?

Reſp. 1. Fuiſſe corporeum fulgur ex nubibus, equidem non dubitem, quia Actor. 22. 9. dicitur quod hæc lux fuerit etiam viſa à comitibus quos habebat ſecum, impiis lictoribus, qui non habebant oculos ſpirituales ad videndum ſpiritualia.

2. Sed tamen fuiſſe etiam aliud quid præterea, patet ex oppoſitione illa quæ eſt v. 7. quod viri comites vocem quidem audiverint, ſed neminem viderint. Planè ſicut Daniel 10. 7. ita Saulus videtur aliquem

aliquem vidiſſe quem comites non videbant. Hinc v. 8. cum ſurgeret & oculos aperiret & ad accuratius intuendum illum quem viderat, & qui ſecum locutus erat, dicitur neminem vidiſſe. Viderat antea in terrore aliquem, ſed cum ſurgens vellet accuratius intueri, non potuit videre oculis corporeis. Præterea fuiſſe aliam lucem, quàm fulgur, patet ex deſcriptione quam dat Actor. 26. 13. Omninò itaque præter fulgur corporeum, quod & comites viderunt, fuit aliquid ſpirituale quod ſolus Paulus vidit. Item ex effecto hujus lucis qui deſcribitur, 2 Cor. 4. v. 6. Fuit enim lux quâ Deus luxit in corde Pauli ad accenſionem cognitionis Chriſti, qui ſanè non eſt effectus meri corporalis fulguris. Quid illud quæſo? *Reſp.* 1. Radii Spiritus Sancti. Nam ſolùm fulgur nubium non poteſt aperire cor, & in conſcientiam penetrare, niſi accedat ſplendor & radius Spiritus Sancti. Non potuiſſet Paulus Jeſum tam citò appellare Dominum ut facit v. 5. niſi cum fulgure externo vidiſſet fulgur internum & ſpirituale, ſcil. lucem & radios Spiritus Sancti 1 Cor. 12. 3. 2. Videtur etiam ipſum glorioſum corpus Domini Jeſu Chriſti vidiſſe ſicut Stephanus Actor. 7. & ſicut ipſe Paulus aliàs Actor. 22. 18. & 23. 11. & 2 Cor. 12. 2. Dicit enim ipſemet expreſsè, quod Chriſtum viderit poſt reſurrectionem 1 Cor. 15. 8. 1 Cor. 9. 1. quæ loca, præſertim prior, non poſſunt ad aliam, quàm ad hanc viſionem referri.

Effectus hujus viſæ lucis fuit, quod ea viſâ cecidit in terram. Diſputatur hìc, an ex equo ceciderit, an verò ſimpliciter humi proſtratus ſit? Sed eſt inutilis diſquiſitio. Sufficit tantopere fuiſſe attonitum & concuſſum, ut ſtare non potuerit, ſed violenter proſtratus ſit.

II. Vox. Cum per lucem eſſet proſtratus, vocem ſeu ſermonem audivit, dicentem: *Saul Saul! quid me perſequeris?* Vox aculeata. Nam. 1. duplicatur nomen, ut tantò fortiùs penetret & terreat. Peccatores habent craſſas aures, bis vocandi ſunt antequam ſemel audiant. Vide ſimilem duplicationem Jer. 22. 29. Matth. 23. 37. Luc. 22. 21. 2. Exprobratur peccatum & expreſsè appellatur perſequutor. 3. Exprobratio per interrogationem inſtituitur, ut mens ad conſiderandam & examinandam viam inſtitutam retrahatur. 4. Perſequutio exprobrata per monſtrationem objecti exaggeratur: Quid perſequeris me? q. d. perſequutio quam meditaris non eſt adverſus homines, qui Damaſci ſunt,ſed adverſus me qui te ex cœlo alloquor.

Hæc vox tantum in Saulo operatur, ut reſpondens dicat, Domine quis es? Ex majeſtate apparentis & loquentis facilè animadvertit ſibi cum aliquo Domino rem eſſe. Sed tamen quis ille Dominus non intelligit. Mirabilis eſt quæſtio, de qua dubites an bona ſit vel mala. Intelligebat eſſe Dominum ex cœlo, qui ſe alloquebatur, & tamen interrogat quis ſit. Quis poterat loqui ex cœlo niſi Deus? Cur igitur interrogat? Sed terror & angor non ſivit formare accuratum judicium. Non eſt tamen reſponſum impium, quale Pharaonis Exod. 5. 2. & Juliani iſtud: *Viciſti Galilæe:* Sed eſt vox pia comprehendens primum gradum converſionis Pauli, quæ profitetur ſe ceſſurum & à perſequutione deſtiturum, ubi intellexerit viam ſuam eſſe contra Deum. Q. d. O Domine, ego neſcio me quenquam perſequi qui in cœlis habitet, ſed Zelus meus ex contra homines qui in terris ſunt, & quos judico contra Deum cœli peccare ac inſurgere. Tu autem dicis quod ego te perſequor, quis igitur es? Si intellexero eum quem perſequor in cœlis eſſe,deſiſtam. Paulus non facit ut illi Joh. 18. 6. qui quantumvis conſpectu & voce Chriſti in terram proſtrati tamen non deſiſtunt à ſua perſequutione, ſed reſurgunt & in malitia pergunt. Sed Paulus conſpectu ac voce Chriſti territus, reprehenſus & in terram proſtratus illicò ſuſpendit malum propoſitum,incipit viam ſuam examinare, ac de errore ac vitio quod exprobratur,cupit inſtitui & convinci. Et hic primus gradus converſionis ipſius. Non poſſumus nunc pergere in explicatione hiſtoriæ, ſed obſervandæ veniunt doctrinæ, quæ ad inſtitutionem noſtram ex hac parte textus profluunt. Diſce:

I. Deum in ſufflaminandis Eccleſiæ perſequutoribus habere ſuum deſtinatum tempus, & ſæpe ſincere eos longè progredi antequam conatibus eorum occurrat. Sic Saulum potuiſſet citius cohibere, ſed ſinit venire uſque ad urbem, & tum demum occurrit. Sic non citiùs aperit Iſraëlitis tranſitum per mare rubrum antequam Pharao proximè à tergo eſſet, & undique eſſent concluſi ſine ſpe evadendi. Vide ſimile quid in hiſtoria Davidis 1 Sam. 23. 26. 27. 28. & Senacharabi 2 Reg. 19. 35. Sic Deus ſæpe aquam uſque ad labia ſinit pervenire antequam juvet Pſal. 69. 2. Hoc facit Deus 1. ut glorioſius pudefaciat hoſtes, evertendo eos cum ad ſummum uſque pervenerunt, & ſummam conſiliorum ſuorum videntur ſibi, aſſequuti. Sicut enim ægrius fert

campiductor ſi vincitur, & obſeſſam urbem deſerere cogitur, poſtquam ſibi videbatur viciſſe; ita hoſtes Eccleſiæ plus dolent cum vincuntur, poſtquam ſe putabant viciſſe. Sic hoſtes Germaniæ fremunt, quod uſque ad mare Balthicum victores tam ſubitò uſque ad Alpes quaſi per turbinem ex Septentrione uno anno rejecti ſunt. 2. Ut pii habeant occaſionem vivendi ex fide. Hæc virtus fidei, ut in extremis anguſtiis animam poſſidere poſſit in ſpe divini auxilii. Hoc eſt vivere ex fide, cum ſenſu & experientiâ divinæ opis deſtituti ſolâ fide in promiſſiones nos ſuſtentamus, dicentes animæ ut eſt Exod. 14. 13. Pſal. 27. 14. Pſal. 42. 12. & 6. Ne præſcribamus tempus & horam, ſed exſpectemus horam Domini, & ſufficiat liberationem eſſe certàm & Deum ita facturum, ut ſimus futuri contenti.

II. Converſio peccatoris incipit à circumfulſione luminis cœleſtis, per quam hominis audacia & ſecuritas frangitur, ipſeque homo territus in terram proſternitur. Quod enim huic Saulo contigit, id omnibus contingit qui verè convertuntur, nec ullus homo verè converſus eſt, quem tale fulgur ex cœlo non terruit & proſtravit. Quamdiu enim homo in ſtatu naturæ eſt, eſt cœcus, nec videt ac comprehendit Dei Majeſtatem & ſuam indignitatem, adeoque ſecurus, audax, ſuperbus & protervus eſt, donec radius & fulgur Spiritus Sancti ex cœlo conſcientiam ejus perſtringat ac illuminet, ut Majeſtatem Dei & ſuam indignitatem ac miſeriam perſentiſcens colliqueſcat, fiat humilis, ac in oculis propriis appareat qualis eſt. Hinc Deus legem ſuam in monte Sinai dedit cum fulgure ac tonitruo, ut indicaret legem ideo prædicari, ut per eam homines peccatores percellantur & illuminentur ad agnitionem ſuæ miſeriæ. Hoc fulgur & hic radius Spiritus Sancti quo peccatorum conſcientias perſtringit, vocatur *Spiritus ſervitutis* Rom. 8. 15. opponiturque *Spiritui adoptionis*. Non ſunt duo Spiritus, ſed ſunt quæ diverſæ operationes ejuſdem. Spiritus ſervitutis eſt operatio Spiritus Sancti quam per legem exercet, & in eo conſiſtit, quod vulnerat, proſternit ac terret hominum animos, ut ſentiant pericula & miſeriam in qua jacent. Spiritus adoptionis eſt illa operatio Spiritus Sancti quam per Euangelium in electis efficit, & in eo conſiſtit, quod hominibus ingenerat tales στοργὰς & affectus erga Deum, quales gerit filius erga patrem, e. g. reverentiam, fidem, amorem & obedientiam. Hic Spiritus ſervitutis contingit omnibus qui ſalvantur, & qui eum non habet, non eſt in ſtatu ſalutis, quia non habet cor fractum, Spiritum contritum, cor laceratum, aratum &c. quod tamen Scriptura requirit ab omnibus qui cupiunt ſalvari.

Object. 1. At fideles in Novo Teſtamento non iterum accipiunt Spiritum ſervitutis Rom. 8. v. 15. *Reſp.* Non ita accipiunt ut eum accipiebant Iſraëlitæ die quo lex promulgabatur in monte Sina ſine mixtura Euangelii. Accipiunt tamen cum mixtura Spiritus adoptionis, eaque largiori quam fiebat in V. Teſt.

Object. 2. At ego nunquam ſenſi tale fulgur ex cœlo me circumfulſiſſe & proſtraviſſe, ut Saulem. An igitur inde concludendum quod non ſum in ſtatu ſalutis? *Reſp.* Minimè. Etſi enim idem quod Saulo contingit, contingit omnibus qui ſalvantur, tamen non omnibus contingit eodem modo. Paulum hæc lux cœleſtis circumfulſit ἐξαίφνης, ſubitò, violenter & ſenſibiliter; cæteris pleriſque electis contingit ſenſim & inſenſibiliter. Deus non omnes ita ſubitò & violenter conterit & terret, ut hic Paulum, & Act. 16. 30. præfectum carceris, ſed in pleriſq; hoc opus lentè ac pedetentim peragit, ut quantum vulnerat per legem, tantum ſtatim per Euangelium ſanet. Sicut glacies ſenſim liqueſcit, fruges ſenſim matureſcunt, ulcus ſenſim emolleſcit, dies ſenſim ingruit; ita corda eorum qui inde ab ineunte ætate ſub Euangelio educantur, ſenſim per lucem cœleſtem ita liqueſiunt, ut tempus & initium indicari non poſſit. Induratos peccatores & diuturnos ac ſcandaloſos Euangelii contemptores Deus ſæpe circumfulget ſubitò, & cum illis agit ut Oſe. 13. 8. Sed cum cæteris agit mitius, ut conterantur ac non ſentiant ſe conteri, ut proſternantur, & non ſentiant ſe proſterni.

Inſtant. At enim qui non ita ſenſibiliter conteruntur ut Paulus, unde ſcient ſe hac luce cœleſti circumfulſos unquam eſſe? *Reſp.* Ex effectis iſtius lucis, ſi ſcil. ſentiunt cor ſuum non amplius eſſe ſuperbum, audax, ſecurum, ſed humile & ſollicitum in cavendis peccatis, ſi ſentiunt ſe per verbi prædicationem facile flecti & duci, ſi cur fundit lacrymas triſtitiæ propter offenſum Deum & preces de remiſſione. Hæc ſigna cordis contriti & hac cœleſti luce circumfulſi.

III. Spiritus Sanctus hanc circumfulſionem & humiliationem cordis peragit mediante & interveniente

niente

niente verbo & exprobratione ac annunciatione peccati. Sic enim hic fulguri conſternanti additur vox exprobratoria: Saul Saul! quid me perſequeris? Utitur quidem Deus ſubinde fulgere, tonitruo, morbis, bellis & aliis terrentibus calamitatibus, ſed tamen hæc omnia terriculamenta non proſunt quicquam ad emolliendam & illuminandam animam, niſi interveniat miniſterium legis, quo peccata ob oculos ponuntur. Per legem enim agnitio peccati & humiliatio cordis Rom. 3. Hæc corporalia terriculamenta ſunt lux quam & alii vident qui non terrentur. Ferenda igitur, immò amanda eſt prædicatio legis & exprobratio peccati, nec miniſtri propter eam odio habendi.

IV. Prima actio cordis contriti & converſi eſt, quod ſe cupit de peccatis convinci, & paratum eſt convictioni cedere. Sic Paulus audita exprobratione perſequutionis, cupit inſtitui, quiſnam ſit quem perſequatur, ut re examinata à perſequutione diſcedat. Sicut Philippus Joh. 12. cum audiret exprobrationem, quod patrem non nôſſet, volebat ſibi oſtendi quem ignorabat; ſic Paulus: Oſtende mihi quem perſequor. Sicut Chriſtus Joh. 8. cùm variè culparetur ab hominibus, ſurgens interrogat? *Quis veſtrum poteſt me arguere peccati?* ita pii, cum audiunt ſe culpari, præſertim cum ex cœlo accuſantur, i. e. per vocem miniſterii cœleſtis, ſollicitè inquirunt & cupiunt inſtitui, quis ſit ille Dominus, aut quod illud præceptum contra quod peccaverint, parati cedere ſi convincantur. Si falſus Propheta Bileam audita exprobratione Angeli hypocriticè ad Dominum dicit: Domine, ſi mala & perverſa eſt in oculis tuis via mea, revertar Num. 22. 34. multò magis, Chriſtiani debent ita facere, ſed corde vero ac ſincero. Sed proh dolor noſtri homines ſunt ſicut Bileam. Cum Aſina Bileami videns Angelum Domini nolebat Pſeudoprophetam portare per viam cui obſtabat Dominus, ſed potius eum reducere, verberabat aſinam, & volebat occidere. Sic cum miniſtri Euangelii vident homines inſiſtere viæ cui obſtat verbum Dei, & nolunt homines iſthac pergere, ſed laborant retrahere, verberant & malè tractant miniſtros & tantùm non occidunt. Aliter Saulus, qui cum reprehenderetur via ejus, quod eſſet perverſa, exclamat, Domine, quis es? Si intellexero viam meam eſſe contra te, revertar. Utinam ita facerent noſtri Pontificii. Cum inclamamus eos currere viam perverſam, contra Deum, Chriſtum, verbum Dei, articulos fidei, eorum erat docili corde interrogare, quis ille Deus, quod illud verbum, quis ille articulus fidei, in quem incurrimus. Si ita facerent, multi viam ſuam corrigerent. Sed quicquid illis exprobratur, cœco furore pergunt, & omnem informationem repudiant. Sic inter noſtros quoque permulti ſunt, quibus cum inclamamus, peccatum eſt quod facis, pugnans contra reverentiam Deo debitam, contra amorem proximi, contra regulam juſtitiæ, contra ædificationem Eccleſiæ, &c. Non interrogant docili corde; quæ illa Dei reverentia, quis ille amor proximi, &c. contra quem actio mea pugnat, ſed cœco impetu pergunt in viis ſuis, donec in illis pereant.

Actor. 9. v. 5, 6, 7.

CONCIO C.

AD quæſtionem Sauli, quâ profitetur promptitudinem cedendi, ſi convincatur perſequutionem ſuam adverſus cœlum eſſe, Chriſtus reſpondet: Ego ſum Jeſus &c. Saulus interrogaverat, quis eſſet Chriſtus, Chriſtus non tantùm reſpondet quis eſſet, ſed etiam qualis eſſet.

I. Ego ſum ille Jeſus quem tu perſequeris. Saulus putabat Jeſum illum Nazarenum, cujus diſcipulos perſequebatur, eſſe adhuc mortuum & dudum vidiſſe corruptionem, nec amplius eſſe in rerum natura. Sed jam videt & audit eum in cœlo & ex cœlo ſibi loquentem, & declarantem perſequutionem contra diſcipulos ſuos eſſe contra ſe ipſum. Diſce hinc

1. Exemplum clementiæ & gratiæ, quæ eſt in Chriſto, qui hunc ſuum perſequutorem ex cœlo dignatur inſtituere, eique ſe manifeſtare. Multum erat quod incredulitati Thomæ ita ſuccurrit, ut ei latera ſua & cicatrices oſtenderet, Johan. 20. v. 27. ſed hic infidelitati Sauli ita occurrit ut ſe ex cœlo ipſi conſpiciendum exhibeat, & propria voce ſeipſum Saulo prædicet. Hanc gratiam homines infideles etiam hodie poſtularent, dicentes; Crederem in Chriſtum, ſi ſe mihi ex cœlo conſpiciendum præberet, & propria voce me alloqueretur. Sed talibus reponendum eſt illud Abrahami Luc. 16, 27, 28. 29. Verbum Dei tot Martyrum & piorum teſtimonio obſignatum eſt, tot ſignis divinarum proprietatum coruſcat, tot effectis & operationibus divinitatem ſuam

ſuam demonſtravit, tot miraculis confirmatum eſt, ut non opus ſit perſonalem apparitionem Chriſti ex cœlis expetere, ſed verbi teſtimonio meritò ſtandum ſit. Interim ſicut Chriſtus infirmitati Sauli hìc ita ſuccurrit, ut ſe conſpiciendum exhibeat, & propria voce eum inſtituat, ita etiamnum fideles ſuos non tantùm verbi promiſſionibus ſuſtentat, ſed etiam facto ipſo eos ſinit experiri præſentiam ſuam per varias liberationes & opitulationes, ut ipſa experientia docti cogantur exclamare, *Verè Deus bonus eſt Iſraëlitis qui ſunt puri corde* Pſal. 73. 1. Verè Deus eſt qui judicat in terris Pſal. 58. 11. 12. Precemur, ut etiam hodie Deus afflictæ ſuæ Eccleſiæ tandem largiatur teſtimonium ex cœlo, & impios hoſtes alloquatur in ira ſua ut promiſit Pſal. 2. 5. ut ſentiant Jeſum vivere & in cœlis regnare. Precemur etiam ut Deus incredulitati noſtræ ſubinde ſuccurrat experimentali demonſtratione ſuæ opis, & ipſemet immediatè per Spiritum animam noſtram alloquatur, ut eſt Pſal. 35. v. 3. ut ita experientiâ ad promiſſionem accedente fides noſtra magis roboretur.

2. Quicquid mali Chriſtianis infligitur ipſi Chriſto infligitur. Paulus Chriſtianos perſequens dicitur Jeſum perſequi. Sicut Actor. 5. 4. dicuntur Spiritui S. mentiri qui ſervis Spiritûs S. mentiuntur; ita hìc dicuntur ipſum Jeſum perſequi qui diſcipulos ejus perſequuntur. Sic Chriſtus ipſe Matth. 25. 40. & 45. Sic Deus Eſa. 63. 8. 9. Sic 1 Petr. 4. 14. cum vos illudimini, ipſe illuditur in vobis. Ratio hujus rei eſt.

1. Unio quæ eſt inter fideles & Chriſtum. Si iſta unio hoc efficit, ut uno membro patiente omnia membra patiantur 1 Corinth. 12. 26. quidni membris patientibus patiatur caput?

2. Communio quæ eſt inter Chriſtum & fideles. Qui tangit ſubditos, filios, uxorem, fratrem, tangit ipſum Regem, patrem, maritum, fratrem, primogenitum. At Chriſtus eſt fidelium rex, tutor, pater, maritus, frater primogenitus. Vide Pſal. 14. 4. edunt populum meum Zach. 2. v. 8. qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Hæc doctrina ſervit

α. Terrori perſequutorum. Non homines habent hoſtes ſed ipſum Chriſtum, qui potens eſt virgâ ferrea comminuere. Piratæ armati facile raperent inermes mercatorum naves, ſed cogitandum ipſis, ſibi rem eſſe cum armatis conductoribus. Sic Eccleſiam facile peſſundarent hoſtes, ſed ſciendum ſibi hoſtem eſſe Chriſtum. Qui pater filiorum, quis rex ſubditorum, quis urſus catulorum rapinam ferat multam? Sic Chriſtus. Vide Joël 2. 18.

β. Solatio fidelium. Quicquid patiuntur, Deus & Chriſtus ſentiunt ac compatiuntur. Cum filius affligitur vel uxor, annon dolet & male habet pater, mater, maritus? Sic Chriſtus Eſa. 54. 5. Eſa. 49. 15.

Object. Si ſentit noſtras miſerias, cur non juvat? cur non ſublevat quam primum poteſt? Nullus utique pater naturalis verè afficitur filii miſeriâ quin ſtatim juvet quantum poteſt. *Reſp.* Hoc tribuendum ſapientiæ divinæ. Si ſapientes Patres ſæpe caſtigant & non juvant ne animam perdant, multò magis Chriſtus ſuum amorem ſapientiâ ſuâ ita moderatur, ut non adimat emplaſtra ſanitatis ante ſanatum vulnus. Non vult Chriſtus aliter agere cum membris, quàm egit ſecum ipſo. Potuiſſet ille repellere mortem, evadere miſeriam, ſed voluit pati, ut patiendo nobis & ſibi gloriam acquireret. Sic vult membra ſua pati, ut patiendo quid ipſe paſſus ſit aliquo modo ſentientes ad gratitudinem moveantur. Interim hoc ad ſolatium ſufficit, quod patientibus ipſe Chriſtus compatitur, nec patietur ut paſſio noſtra ſit ultra noſtras vires. Aſſidet noſtro lecto inſtar matris fidelis, & neceſſariam paſſionem miſcet omnigeno ſolatio & ſublevatione varia.

II. Non tantùm autem quis ſit declarat, ſed etiam qualis ſit. Comparat ſe cum ſtimulo quo agricolæ ſolent pungere arantes boves, cum ſunt ad laborandum ſegniores, & cui boves recalcitrantes non ſtimulo nocent ſed ſibi ipſis.

Vult indicare conatus Sauli contra Chriſtum non tantùm fore irritos, ſed & ipſi valdè noxios. Sic alibi ſe vocat lapidem offenſionis, ad quem conteruntur, qui ad eum caput volunt illidere Matth. 21. v. 44. Idem de Eccleſia dicitur Zach. 12. 3. Sic Eſa. 8. 15. Et reverà ita eſt, quod qui Euangelium & Chriſtum volunt à ſe repellere & Eccleſiam perſequi, non tantùm fruſtra ſunt, ut non poſſint exſtinguere Euangelium & evertere Eccleſiam, ſed etiam ſeipſos magis lædunt & condemnationem ſuam augent. Non tantùm manet ſuper ipſos ira Dei, cui naturâ ſubſunt, ſed etiam inflammatur, irritatur, & fit furor excandeſcentiæ. Si contemnere Chriſtum & Euangelium ejus, Chriſtum adeò provocat, ut juret tales non guſtaturos cœnam ipſius Luc. 14. v. 24. quid non provocet perſequutio? Hebr. 4. 3. Caveamus igitur pertinacem oppoſitionem contra ver-

verbum Dei, ſed cum aliquid exprobratur cujus ſumus rei, cedamus & procidamus humiliter ad pedes Chriſti, parati deſiſtere. Et certè durum erit ſpiculo verbi transfigi, immò intolerabile. Hoc adagium ſemper ob oculos habeamus, ut compeſcat noſtram pertinaciam. Nam ſi oppoſuerimus, penetrabit tantò fortiùs verbum Domini, ut eſt Hebr.4.12. 2 Cor. 2.16. Sequamur igitur exemplum Pauli, qui poſtquam convictus eſſet ſe reum eſſe perſequutionis contra ipſum filium Dei, pavens ac tremens interrogat, *Domine quid me vis facere?* Duo ſunt in his verbis:

1. Sauli terror & tremor. Antea quidem territus erat, cum per lucem proſterneretur ſed nunc magis terretur poſtquam peccati convincitur. Terrentur quidem homines externis terriculamentis fulguris, tonitrui, lapsûs, hoſtilis invaſionis & aliorum horribilium objectorum. Sed ille terror non eſt niſi momentaneus & citò tranſit cum cauſa ſua. Non penetrat enim uſque ad animam, ſed potius eſt corporeus. Verùm ille demum permanens & verus terror eſt, cum quis ita illuminatur ſenſu peccati, ut reatum æternæ condemnationis ſibi intelligat incumbere. Qualis ille terror ſit, exprimit David Pſal. 69. 2. 3. & Pſal. 116. 3. Et certè hic terror, etſi gradu & duratione differt ab angoribus inferni, tamen ſpecie idem eſt. Ideo vocatur angor infernalis.

2. Sauli fides. Etſi magnus erat terror, tamen non erat ſine omni fide, nec eſt merus terror ſervilis, ſed habet aliquid filiale permixtum. Eſt enim

1. Terror cum humiliatione. Jam Jeſum ipſum directè appellat Dominum, quem antea habuerat pro falſo Propheta, q. d. Jam agnoſco & confiteor te eſſe Dominum qui ſedes in cœlo ad dextram Patris.

2. Terror cum abnegatione ſui ipſius. Dum enim conſilium apud Chriſtum quærit, ſe conſilii inopem fatetur, q. d. Domine nunc ſentio me calcitrâſſe contra ſtimulum, & perſequutum eſſe eum qui in cœlis habitat, jam ſentio quàm durum ſit tali reatu onuſtum eſſe, in tantum ut conſilii inops neſciam quid mihi agendum ut ſervet.

3. Terror cum confugio. Non enim deſperat, ſed conſilium implorat. Nondum quidem eſt plenè formata fides, ſed tamen aliquod confugium ad gratiam Chriſti, quo conſilium ejus implorat, oſtendens ſe promptum ad obſequendum, q. d. oſtende quid me velis facere, promptum me oſtendam, adeò ut Paulus idem faciat quod ille de quibus Act. 2.37. & 16.30. Luc.3.9.10. Habemus hic igitur aliquos ulteriores gradus converſionis Pauli. Sub initium territus fulgure paratus eſt ſe ſubmittere examini, & cupidus inſtitui, an alicujus reus ſit peccati. Convictus de peccato perſequutionis pavet & tremit conſilii inops, nec quicquam in ſe ſentiens in quo acquieſcat. Huic tamen territo non indulget ad deſperationem, ſed ad Chriſtum confugiens conſilium ejus implorat, paratus ſe ſubmittere. En hæc vera idea converſionis, quam imitari debent qui ſalvati cupiunt.

Ad poſtulationem Sauli Chriſtus reſpondet jubens ut ſurgat & in civitatem Damaſcum eat, ubi promittit dictum iri quid faciendum. Sed cur non ipſe dixit? Dixerat priora, cur non addit cætera? *Reſp.* Ob duas cauſas:

1. Ut Saulus per aliquot dies in terrore illo maneat antequam conſilio Euangelii reficiatur. Non ſolet Deus ſemper operationibus ac terroribus legis ſtatim ſubmittere operationes & refectiones Euangelii, ſed terrores legis aliquandiu ſinit manere integros & robuſtos, ut cor penitus conteratur & frangatur. Diſcant igitur hinc patientiam qui à Deo terrentur, nec ſtatim conſolationem juxta terrorem accipiunt. Etiam cum Paulo ita fuit per triduum, ut eſt v. 9. ut interea jejunio & triſtitiâ ſe maceraret.

2. Ut nobis commendaret Deus SS. Miniſterii uſum. Non voluit, ut facilè potuit conſilium ſalutis ipſemet expedire, ſed remittit ad Ananiam, quem eo fine miſſurus eſſet. Non igitur contemnamus ordinarium miniſterium, ſed libenter nos remitti patiamur ad Moſen & Prophetas Luc. 16.

Addit textus, viros qui aderant Paulo ſtetiſſe attonitos, audientes, quidem vocem & neminem videntes. Videtur quædam contradictio eſſe inter hunc locum & Actor. 22. 9. ubi negantur vocem ejus qui cum Paulo loquebatur audiviſſe. Sed facilis eſt conciliatio. Viderunt lucem & audiverunt vocem ac fragorem tonitrui, ſed non intellexerunt articulatum ſenſum qui cum illa voce permixtus erat, & à ſolo Paulo audiebatur. Sic Joh. 12.28.29. vox fiebat ex cœlo cujus ſenſum Jeſus intelligebat, ſed adſtans turba ſolum fragorem audiens dubitabat, utrum tonitru an ſermo fuiſſet. Adumbrat hoc operationem Euangelii, quod ab omnibus quidem auditur & in omnibus etiam terrorem aliquem & communes quoſdam motus operatur, ſed non niſi à qui-

à quibuſdam ſalutariter intelligitur & comprehenditur, nimirum ab iis quibus Deus illuminat oculos vel aperit aures cordis virtute ſui Spiritus, ut attendant iis quæ dicuntur. Non caſu hoc factum, quòd ſolus Paulus vocem intelligit, cœteri non, ſed ſpeciali gratiâ. Sic etiamnum ad communem prædicationem Euangelii accedit ſpecialis gratia Spiritûs S. quâ electorum corda illuminantur, nec caſuale eſt quod aliqui credunt, aliqui non, ſed à conſilio Dei proficiſcitur.

Actor. 9. *v.* 7, 8, 9.

CONCIO CI.

Reſtat indagandum, quæ ſit ratio, quod Deus lucem ex cœlo coruſcantem etiam voluit videri ab iis, qui cum Saulo erant, & eos quoque in terram proſterni Actor. 26. 14. & vocem quoque audiri ab illis, etſi non intelligi, & eos quoque ita conſternari ut ſtatent *ἐνεοὶ*, i. e. muti. Erant proſtrati, & tamen dicuntur ſtetiſſe, quia non ita erant dejecti & proſtrati ſicut Paulus, ut ſurgere non poſſent, ſed proſtrati ſurrexerunt quidem, attamen manſerunt in loco attoniti. Cur hæc illis contigêre, cùm tamen vocem Jeſu non intellexerint, nec legimus quod fuerint ex illis quos Deus conſtituerat convertere, aut unquam converterit?

Reſp. 1. Ut eſſent teſtes vocationis Pauli. Sicut reſurgente Chriſto perculſi ſunt vigiles, ut de Chriſti reſurrectione teſtarentur; ita hic percelluntur comites ut Judæis teſtarentur vocem ex cœlo factam ad Saulum. Teſtes ex hoſtibus teſtantur efficaciùs, ad quod Saulus potuit cum fructu provocare.

2. Ut ipſis eſſet in teſtimonium. Etſi enim Deus multos homines ſinit ire ſuis viis, nec ſe ita iis manifeſtat ut electis, tamen ſe non ſinit *ἀμάρτυρον* Actor. 14. 17. Sed talibus tum judiciis tum beneficiis illos ad converſionem invitat, ut nihil habeant quod prætendant, ſed ſint *ἀναπολόγητοι* Rom. 1. 20. Si enim ſola cognitio rerum divinarum, quæ in operibus creationis lucet & ſplendet, homines facit *ἀναπολογήτους*, multò magis illa extraordinaria teſtimonia ex cœlo tam clarè vocant & obligant ad converſionem, ut prætendere nullam excuſationem poſſint. Etſi enim Pelagiana ſchola diſputat, neminem carere juſta excuſatione, niſi habeat tantum gratiæ, quantum ad converſionem ſufficit; Scriptura tamen contra declarat, ipſos etiam Ethnicos, qui ne externam quidem verbi prædicationem habuerunt, fuiſſe *ἀναπολογήτους* per ſolam obligationem lucis naturalis. Cum itaque Deus de ſe tanta ex cœlo dat teſtimonia, reputemus nos obligatos ad Deum quærendum & colendum, ne fiamus *ἀναπολόγητοι*. Hoc enim parit graviorem pœnam Joh. 15. 22.

Sequitur nunc obedientia Pauli ad Chriſti mandatum, quæ declaratur per antitheſin ſtatûs in quo fuit, donec altera vice Chriſtus ei apparuit per Ananiam doctorem. Habet enim hæc cœleſtis alloquutio ſeu manifeſtatio tres partes, cui reſpondent tres partes converſionis in Paulo. 1. eſt exprobratio peccati: *Saul, Saul! quid me perſequeris?* Huic reſpondet Pauli docilitas, & ſui ipſius probatio, quâ cupidus diſcendi quanam in re peccaret, *Domine, quis es?* 2. Secunda eſt inſtitutio, quâ de peccato exprobrato ac ejus periculo convincitur. Huic reſpondet Pauli humiliatio, quâ tremens ac expaveſcens implorat conſilium Chriſti. 3. Tertia eſt mandatum Chriſti, quo injungit in urbem pergere atq; ibi conſilium expectare cum promiſſione mittendi. Huic reſpondet obedientia Pauli, quâ, quantumvis æger & cœcus, ſurrexit & ductu comitum in urbem delatus integro triduo revelationem divini conſilii cum jejunio & precibus exſpectavit. Hanc ipſe vocat obedientiam Actor. 26. 19. Conſideremus textum particulariter.

1. Chriſtus mandaverat ut ſurgeret, Paulus ſurgit ex terra. Quamvis æger & potius ad cubandum pronus quàm ad ambulandum, tamen ad mandatum ſurgit & facit quod mandatum erat. Ad veram converſionem non ſufficit probatio ſui ipſius, & docilitas ac ac promptitudo admittendæ convictionis, nec humiliatio & dolor ac tremor ex peccato evicto nec imploratio cum propoſito obſequendi, ſed etiam actualis obedientia requiritur. Chriſtianiſmus enim non tantùm conſiſtit in interna converſione & mutatione, ac bona inclinatione animi, ſed etiam in actionibus & operibus bonis, & in actuali obedientia mandatorum Euangelicorum tum legalium. Mutatio quidem mentis præcipuum eſt & prærequiritur, ſed tamen obedientia actualis mandatorum neceſſariò debet ſequi. Hæc enim eſt quâ mandata implentur, quâ Deus colitur, quam remunerat, & ſecundùm quam nos judicabit in die judicii. Non tantùm lex dicit, *Fac hoc & vives*, ſed etiam Euangelium. Ubi non ſunt bonæ actiones, bona facta, ibi non eſt Chriſtianiſmus. Hinc Scri-

ptura à nobis requirit obedientiam, requirit opera, requirit bonam converſationem quam homines videant. Sic Paulus hanc ſuam ſurrectionem appellat obedientiam Actor. 26. 19. Vide 1 Pet. 1. v. 14. 1 Pet. 2. 12. Matth. 5. 16. *Object.* Atqui Paulus Rom. 7. 18. dicit τὸ velle ſufficere, etiamſi τὸ perficere vel operari bonum non inveniamus. *Reſp.* Paulus non intelligit tale velle, quod conſiſtit in nudo voto vel etiam in nudo propoſito, ſed quod conſiſtit in ſerio ſtudio & conatu ac indefeſſo ac conſtanti labore faciendi quod bonum eſt. Ubi hoc eſt, verus Chriſtianiſmus eſt, etiamſi non ſemper reſpondeant ſucceſſus, ſed conantes ac laborantes aliquando deſtituamus optato effectu. Sicut bonus præceptor non æſtimat diſcipulum ex profectu, ſed ex diligentia; ita conatus & labor faciendi Chriſtianum facit, etſi non ſit ſine imperfectione & crebris lapſibus. Non igitur valet quorundam excuſatio, dicentium: Cor meum bonum eſt, etiamſi externa vita non ſit bona. Chriſtianiſmus eſt obedientia manifeſta, etſi non ſine defectibus. Ne igitur acquieſcamus in promiſſionibus, votis & propoſitis quæ formavimus in die baptiſmatis, cœnæ, jejunii, in precibus, ſed ſurgamus, & quod promiſimus, faciamus.

2. Notanda autem hic eſt mutatio vocabulorum. Chriſtus in mandato dicit: ἀνάστηθι. De obedientia autem Sauli non dicitur ἀνέστη, ſed ἠγέρθη, erectus eſt. Intelligendum hoc fortè etiam de comitibus qui Paulum erexerint, ſicut poſtea duxerunt. Sed præcipuè intelligendum de Deo, qui ſicut Saulem proſtravit, ita etiam erexit. Hoc adumbrat hanc doctrinam, quod, etſi ſurrectio ex lapſu peccatorum ab hominibus requiritur, & homines verè dicuntur ſurgere, tamen illa ſurrectio non fit virtute humana ſed virtute Dei. Paſſivè ſe habent homines in converſione. Non tam ſurgunt quàm eriguntur. Surgunt reverâ, non minus quàm Lazarus verè ſurrexit Joh. 5. & 11. Sed non magis ſua virtute ſurgunt, quàm qui ex morte corporali reſurgunt. Nos ſurgimus, ſed Deo nos erigente & vivificante Eph. 2. 5. Surgere ex peccato eſt officium noſtrum quod à nobis requiritur Eph. 5. v. 14. non quia illud præſtare poſſumus, ſed quia ad illud præſtandum obligati ſumus & debebamus poſſe præſtare. Quoniam autem culpâ noſtrâ ſumus ad officia debita impotentes, Deus in nobis operatur quod à nobis requirit. Hoc voluit Spiritus Sanctus in converſione Pauli annotare, ut ex ea non tantùm naturam ſed originem veræ converſionis diſceremus, ne in nobis ipſis hæreamus, ſed Deo demus gloriam, utque etiam erecti imbecillitatem noſtram ſentientes continuum Dei ductum oremus, & tantò diligentius caveamus labi, quia ſurgere noſtra ſponte non poſſumus.

3. Poſtquam ſurrexiſſet, apertis oculis, vidit neminem. Claritate luminis cœleſtis territus oculos clauſerat. Poſtquam autem ſurrexiſſet, oculos aperuit, ut accuratiùs intueretur illum qui ſecum fuerat locutus. Sed neminem vidit. Alii pro οὐδένα legunt οὐδὲν. Reverâ enim nihil vidit, non tantùm quia ἡ οὐράνιος ὀπτασία non amplius apparebat, ſed etiam quia ſquamæ oculis ejus inductæ ipſum effecerant cœcum v. 18. Cur autem Deus ipſum cœcum reddidit? Cur ſquamas induxit? An ideo luce circumfulſit ut cœcum efficeret? *Reſp.* Ut per corporalem cœcitatem cœcitatem mentis diſceret. Hactenus non fuerat cœcus, i. e. non agnoverat cœcitatem ſuam in rebus fidei, ſed viſus ſibi fuerat ſapientiſſimus, Gal. 1. 14. Applica illud Johannis 9. v. 39. & 41. Venit Jeſus ut qui vident cœci fiant, i. e. ſe cœcos ſentiant. Paulus jam erat regenitus & converſus. Reſtabat ut in converſione creſceret. Hoc incrementum conſiſtit in quotidiana mortificatione veteris hominis & vivificatione novi hominis Eph. 4. 22. 23. Prima pars hujus mortificationis eſt depoſitio imaginariæ ſapientiæ, & humilis agnitio naturalis cœcitatis. Nemo creſcit in vera ſapientia Spirituali, niſi qui decreſcit in opinione ſapientiæ propriæ. Poſtquam igitur converſi ſumus, dicimur fieri cœci, quia tum cœcitatem noſtram agnoſcentes petimus à Chriſto lucem & aperturam oculorum, Apoc. 3. 17. 18. Sicut qui literis dant operam, quantò plus proficiunt, tantò plus ignorant, i. e. ignorare ſe ſentiunt, unde commune proverbium, quod Scholaſtici ad Academiam promoti, primo anno ſunt, i. e. ſibi videntur Doctores, ſecundo magiſtri, tertio ſtulti: tum demum dicunt: quantum eſt quod neſcimus! Sic in Schola Chriſti, argumentum eſt boni diſcipuli, ſi quis decreſcit in opinione ſapientiæ. Lux lucem obſcurat. Sicut oriente ſole obſcuratur ſplendor lunæ & ſtellarum; ita oriente luce Euangelii obſcurata eſt omnis ſapientia Pauli in ipſius oculis Phil. 3. v. 8. Qui hanc cœcitatem non habet, non eſt bonus Chriſtianus 1 Cor. 8. 2. 1 Tim. 6. 4.

4. Cœcus igitur & terrore debilitatus à comiti-

 bus

bus in urbem ducitur. Mirum ſpectaculum. Iverat ut vinctos duceret Chriſtianos, jam ipſe oculis captus ducitur à propriis comitibus lictoribus, per quos cæteros ducere conſtituerat. Simile exemplum habemus 2 Reg. 6. v. 18. 19. &c. Sic Joh. 7. v. 44. 46. qui volebant apprehendere, apprehenduntur ipſi. Sic novit Deus pudefacere hoſtes. Etſi enim Deus apparuit ut Paulum converteret & ſalvaret; tamen etiam voluit ita pudefacere ad terrorem hoſtium. Talem pudefactionem licet precari hoſtibus noſtris Pſal. 25. 2. 3. Pſal. 6. 11. quæ ſcilicet cum converſione ipſorum ſit conjuncta.

5. Damaſcum ingreſſus manſit ibi cœcus per triduum nec edens nec bibens. Quod Damaſci per integrum triduum manſit, fluit ex obedientia erga mandatum Chriſti. Sicut enim Diſcipulis Chriſti mandatum erat in adſcenſione Chriſti, ut Hieroſolymâ non excederent, ſed promiſſionem Patris ibi exſpectarent, & ipſi reverſi cubiculum intrârunt nec exierunt donec promiſſio impleretur Actor. 1. v. 4. & 12. ita Saulo mandatum erat, ut Damaſcum ingreſſus exſpectaret donec diceretur ipſi quid faciendum eſſet, & in obedientia hujus mandati exſpectavit per triduum, dans nobis exemplum, non eſſe abjiciendam fidem & exſpectationem, cum non ſtatim impletur promiſſio, ſed exſpectandum donec veniat. Promiſſum erat dictum iri ubi Damaſcum venerit. Cum venit nihil dicitur per integrum triduum. Non tamen ceſſat exſpectare. Imitemur hoc Hàbac. 2. v. 3. Pſal. 27. 14. Eſa. 30. v. 7. & 18. Eſa. 28. 16.

Non autem exſpectat otioſus aut in deliciis, ſed cum jejunio & precibus. Toto enim triduo nec edit nec bibit. Non propter morbum aut indiſpoſitionem ſtomachi, ſed fuit jejunium religioſum conjunctum cum precibus ut patet ex v. 11. Sunt qui putant hoc tempore Paulum habuiſſe iſtam ecſtaſin quæ deſcribitur 2 Corinth. 12. 1. 2. &c. Sed non eſt probabile tantas revelationes habuiſſe tam citò, ante baptiſmum & initium officii Apoſtolici. Nos hinc diſcimus, impletionem promiſſionum divinarum exſpectandam & promovendam eſſe jejunio & precibus. Habebat Saulus promiſſionem, eique credebat, ſed ideo non erat otioſus, verum jejunio & precibus inſtat ut promiſſio impleatur. Hæc paſſim piorum Praxis, ut certum ſit quod firma fides in promiſſiones nequaquam evertat humilitatem, preces, &c. Interventu noſtrarum precum implentur promiſſiones Dei. Etſi enim propter veritatem & propter nomen ſuum & propter merita Chriſti, non autem propter preces noſtras implet ſuas promiſſiones, tamen impletio fit per noſtras preces. Sic Apoſtoli accepta promiſſione orant donec impleatur, Actor. 1. 13. 14. Vide Hebr. 4. 1. & v. 14. 15. 16. Diſcamus itaque & nos ſic concludere. Habemus promiſſiones. Ergò precemur. Jam enim ſcimus preces noſtras non fore irritas. Eſt hic novus gradus converſionis Paulinæ. Converſi ſe convertunt ad preces ut converſionis augmentum & perſeverantiam impetrent. Sicut infantes poſtquam nati ſunt, illicò ſugunt ubera matris ut nutriantur; ita Paulus regenitus illicò per preces ex Deo trahit nutrimentum ſpiritualis vitæ. Preces ſignum regenerationis.

Actor. 9. *v.* 10, 11, 12.

Concio CII.

HActenus primum medium converſionis Pauli & effectus ipſius, videlicet οὐράνιος ὀπτασία, quâ Deus Saulum inconverſum ad converſionem adduxit: Sequitur alterum medium, quo Saulus converſus in converſione confirmatus eſt, ſcil. miniſterium terreni diſcipuli. De hoc diſcipulo tria ſunt in textu:

I. Ipſius deſcriptio.

II. Ipſius miſſio ſeu commiſſio & inſtructio.

III. Ipſius expeditio. Deſcriptio ipſius ſic habet: Erat diſcipulus nomine Ananias Daſmaſci. Hanc deſcriptionem ipſe Paulus ita ampliat Act. 22. v. 12. Quod fuerit vir religioſus ſecundum legem teſtimonium habens ab omnibus Judæis qui ibi habitabant. In hac deſcriptione videtur quædam eſſe contradictio. Si enim fuit diſcipulus Chriſti & verus Chriſtianus, quomodò potuit eſſe religioſus ſecundum legem, & quomodo potuit habere bonum teſtimonium apud Judæos? Chriſtiani utique non in lege Judaica ſe occupant ſed in Euangelio, & qui tum temporis Chriſtianus erat, erat hoſtis & exoſus omnibus Judæis, ſicut hodie à Pontificiis non poteſt habere bonum teſtimonium qui eſt verus Euangelicus. An forte ſimulatorem egit Ananias, clam Chriſtum profitens, & palàm exactè Judaizans? *Reſp.* Per legem hîc non intelligitur lex ceremonialis, per quam Chriſtianiſmus à Judaiſmo diſtinguitur, ſed lex moralis quæ eſt regula vitæ, naturâ

turâ inſcripta cordibus omnium hominum, & miniſterio Moſis ac Prophetarum renovata & explicata. Non ideo religioſus ſecundum legem dicitur, quod fuerit diligens & ſuperſtitioſus in obſervatione Judaicarum ceremoniarum, ſed quod fuit inſignitex piis in vita & diligens in bonis operibus, in tantum ut etiam ipſi Judæi, quantumvis eum propter fidem in Chriſtum odio haberent, non poſſent non eum propter inſignem vitæ pietatem laudare. Duo ſunt quæ hinc notamus.

1. Verus diſcipulus Chriſti etiam vivit ſecundum legem, ſcil. moralem. Chriſtiani non cupiunt juſtificari per legem, ſed tamen cupiunt vivere ſecundum legem. Sicut lex & Euangelium ſunt duæ partes eſſentiales Scripturæ, ita Chriſtiani non tantùm ſunt diſcipuli Euangelii, ſed etiam diſcipuli legis. Si quis vivit ſecundum legem & non credit in Euangelium, non eſt Chriſtianus nec poteſt ſalvari. In Euangelium credendum eſt, ut fiamus participes juſtitiæ in Euangelio revelatæ, quâ conſiſtere poſſumus coram tribunali Dei, juſtificari à peccatis, reconciliari cum Deo, adoptari à Deo, & hæredes fieri vitæ æternæ, ac conſolationem habeamus contra tentationes Satanæ.

Sed ſimul etiam ſecundum legem vivendum eſt, ut per Euangelii gratiam ab hoſtibus noſtris liberati redeamus ad obedientiam voluntatis Domini noſtri à quo per peccatum defeceramus, & qui per gratiam Filii ſui nos redemit, ut ei impoſterum ſerviamus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ, eique nos tradamus in vivam & acceptam hoſtiam gratitudinis Luc. 1. Rom. 12.

Hinc omnia peccata, quæ in lege prohibentur, prohibentur etiam ſpecialiter in libris N. Teſt. ut omnino intelligamur, Chriſtianos obligatos ut vivant ſecundum legem. Vide Roman. 13. v. 8. & 6. 13. 1 Tim. 1. 5. Eph. 6. 2. Hinc Apoſtolus dicit ſe delectari in lege Dei ſecundum interiorem hominem Rom. 7. 22. & 26. Vide etiam 1 Joh. 2. 4. & 7. Rom. 3. 31. Matth. 5. 17. 18. & 19.

Object. Atqui diſcipuli Chriſti ſunt liberati à lege Moſis Gal. 4. 4. 5. & 21. Rom. 6. 14. *Reſp.* Sumus liberati à maledictione legis, ſed non ab obedientia legis. Lex pro diverſo ſtatu hominum habet diverſas vires in hominem, & diverſos uſus. Habuit ſuum uſum & ſuas vires

1. Ante lapſum. Hic erat deſcriptio humanorum officiorum, & medium acquirendæ juſtitiæ & vitæ æternæ. Erat via ad juſtitiam & vitam. Legem enim ſi feciſſet Adam, vixiſſet per legem & per eam juſtificatus fuiſſet.

2. In homine peccatore. Hunc accuſat & huic maledicit, unde ejus reſpectu eſt litera occidens 2 Cor. 3. 6. Huic etiam dominatur & eſt ei occaſio augendi peccatum Rom. 7. 1. 5. 8. 11. Rom. 4. verſ. 15.

3. In opere converſionis: Hic habet duplicem vim. Ante fidem eſt ſpeculum oſtendens nobis turpitudinem ac maledictionem noſtram, ut veniamus ad agnitionem peccati, ut humiliemur, conteramur, incendamur deſiderio juſtitiæ, & pellamur ad Chriſtum, unde vocatur *Pædagogus ad Chriſtum*, gladius anceps, malleus contundens Gal. 3. v. 24. Hebr. 4. 12. Jer. 23. 29. & hoc ſenſu eſt inſtrumentum per quod Spiritus ſervitutis nos terret Rom. 8. v. 15. Poſtquam autem in Chriſtum credidimus, lex alium habet uſum in opere converſionis. Tum enim eſt inſtrumentum quo Spiritus adoptionis in nobis operatur, oſtendens nobis & perficiens in nobis officia gratitudinis quam Deus pro redemptione à nobis exigit, quæ non in eo conſiſtunt, ut Deo ſerviamus ſecundum arbitrii noſtri inventa, aut hominum traditiones, ſed ſecundum legem à qua defecimus, ſicut ea per Moſem renovata & per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos explicata eſt. Hoc ſenſu vocatur *Lucerna pedum noſtrorum* Pſal. 119. 105. *Via veritatis* Pſal. 119. 3. & 30.

4. In ultimo judicio. Hic ultimus legis uſus erit, ut ſecundum opera legis judicemur. Etſi enim non juſtificamur per opera legis, tamen ſecundum opera legis judicabimur in ultimo judicio. Illa enim ſignum erunt ſecundum quod judex pronunciabit nos juſtificatos eſſe vel non eſſe. Hinc paſſim Deus pronunciat ſe judicaturum ſecundum opera Matth. 16. Pſal. 62. &c. Hinc Apocal. 20. 12. dicitur libros apertum iri & ſecundum eos judicandum. Qui illi libri? Liber legis cum annotatione ſingulorum peccatorum contra ſingula præcepta legis. Videtis igitur probatum, quod etiam diſcipuli Chriſti, qui non cupiunt juſtificari per legem, tamen cupiunt vivere ſecundum legem. *Object.* At nemo poteſt vivere ſecundum legem, nec illam implere. Quis enim ita poteſt vivere ut lex præſcribit? *Reſp.* 1. Non poſſumus ex nobis ipſis & noſtris viribus, ſed tamen poſſumus per Spiritum Chriſti, qui promiſſus eſt iis qui in Chriſtum baptizantur ad remiſſionem

nem peccatorum Actor. 2. 38. Credentibus enim omnia poſſibilia Matt. 9. & poſſunt omnia per Chriſtum qui eos roborat Phil. 4. 11. 2. Non poſſumus perfectè ſecundum omnes gradus, poſſumus tamen ſincerè, ſerio conatu & labore ſecundum omnes legis partes. Qui ſic vivit, & tum fidem in Chriſtum conjungit, is declarabitur in ultimo judicio ſecundum legem vixiſſe, & omnes ejus tranſgreſſiones tegentur perfecta obedientiâ, quâ Chriſtus legem implevit pro nobis. Valeant igitur Libertini, Antinomi, profani, qui in fide Euangelii gloriantur & ſecundum legem non vivunt. Cogitent hi illud Ioh. 5. 45. Habebunt Moſen accuſatorem, ſed Chriſtum non habebunt Advocatum ſicut pii Rom. 8. v. 33, 34. Facite igitur quod David Pſal. 119. 59. Chriſtus non eſt mortuus pro vobis ut vos viveretis pro lubitu, ſed ut vos ad Deum reduceret à quo defeceratis, nec vult eſſe Patronus eorum, qui continuant in rebellione contra Patrem ſuum & ejus voluntatem. Chriſtus quorum ſponſor eſt, eorum peccata non tantùm recepit placare, ſed etiam abolere & mortificare.

II. Diſcamus deinde hinc quod Chriſtiani bene viventes ſecundum legem etiam apud impios & veritatis hoſtes ſint venerabiles, & ab iis amentur. Ananias erat Chriſtianus, & propter Euangelium Iudæis exoſus, & tamen propter pietatem vitæ cogebantur nolentes volentes bene de eo ſentire, & bonum de ipſo dare teſtimonium. Ratio eſt, quia Lex eſt doctrina naturâ omnibus inſita, cujus obedientiam lux naturæ laudat & approbat, etiam ſi ipſe laudator ſit averſus per libidines ab obedientia præſtanda. Sic Bileam, etiamſi ab obedientia legis averſiſſimus & impietati deditiſſimus, tamen vitam & mortem piorum laudat Num. 23. 10. Hoc iterum novum eſt argumentum quo Chriſtiani moveri debebant, ut vitam ſuam inſtituant ſecundum legem, quia ſcilic. per hoc bonum teſtimonium accipiunt apud eos qui ſunt extra. Sicut enim Paulus 1 Tim. 3. 7. ad hoc hortatur Epiſcopos & Doctores; ita eſt omnium Chriſtianorum officium dare operam ut habeant bonum teſtimonium apud eos qui ſunt extra. Prodeſt enim hoc ad duo;

1. Obeſt perſequutioni. Excitat enim tremorem aliquem in populis & conciliat Eccleſiæ gratiam, ne audiant tyranni eam tantopere perſequi. Vide Act. 2. 42, 43, 47. Actor. 5. 13. Eſt ſancta quædam majeſtas in piis quam impii venerantur & verentur. Hinc in mediis perſequutionibus ſemper inventi ſunt inter eos qui ſunt extra Eccleſiam, qui ſanctâ Chriſtianorum vita moti pro iis apud Tyrannos interceſſerunt. Vide Epiſtolam Plinii ad Trajanum, & hiſtoriam Waldenſium.

2. Movet alios ad veritatem Euangelii amplectendam. Sicut impia vita eorum, qui Euangelium profitentur, multos abſterret ab Euangelii amplexu Rom. 2. 17. ad 24. ita ſancta & exemplaris vita ſecundum legem multos allicit Matth. 5. 16. 1 Petr. 2. 12. Tit. 2. 8. Moveamini hoc argumento ad vivendum piè ſecundum legem. Sic apud hoſtes veritatis habebimus gratiam, effugiemus multas perſequutiones, & multos Chriſto lucrifaciemus. Nemo, cujuſcunque ſit religionis, etiamſi per libidines carnis ſit ſervus impietatis, obſervationem legis culpare poteſt, ſed cogitur laudare, quia naturâ doctore ſciunt legem & legis obſervationem bonam eſſe. Sed ſi vitam noſtram vident legi contrariam, proclive eſt Euangelium noſtrum ab iis blaſphemari. Præcipuè orate, ut Deus miniſterium veſtrum ornet pia vitâ ſecundum legem. Amatis habere miniſterium quod polleat doctrinâ, facundiâ & zelo, & meritò hæc dona appetitis. Sed certè talibus non expugnantur ſed irritantur hoſtes veritatis, ſi non accedat ſtudium pietatis ſecundum legem. Orate igitur pro nobis, ut nobis divinitus contingant proprietates boni Epiſcopi quæ deſcribuntur 1 Tim. 3. 2, 3, 4, 5, 6, 7. Quis ad hæc idoneus? Orate pro nobis. Quamdiu tales habebitis Epiſcopos, non eſt quod timeatis hoſtes.

Hactenus deſcriptio Ananiæ: Sequitur ejus miſſio & inſtructio, in qua iterum tria ſunt conſideranda.

1. Ipſa miſſio, ſeu ipſum mandatum & inſtructio: v. 11. 12.

2. Ananiæ tergiverſatio contra hanc miſſionem, v. 13. 14.

3. Reſponſum Domini, quo Ananiæ perſuadet, ut miſſa tergiverſatione mandato Domini fiat obſequens, v. 15. 16.

Quantum ad miſſionem ipſam.

1. Dominus, inquit textus, ad Ananiam dixit ἐν ὁράματι. Modus loquendi, quo Deus Saulum in itinere fuit alloquutus, vocatur ὀπτασία Act. 26. 19. Sed modus quo Ananiam alloquutus eſt, vocatur ὅραμα, ſicut etiam Saulo in urbe apparuit ἐν ὁράματι, ut eſt v. 12. hujus capitis. Diſcrimen igitur fuit

fuit inter illam ὀπτασίαν & hoc ὅραμα. Quodnam illud? Saulum in itinere alloquutus eſt per corporalem vocem in aëre formatam ad ſenſus externos. Ananiam verò alloquutus eſt per ſenſus internos, ſeu per repræſentationem aliquam internam, qualis fieri ſolet in ſomniis, vel in ecſtaſibus. Multis modis Deus ſolebat loqui Patribus Hebr. 1. 1. quos modos recenſuimus cum explicaremus Actor. 2. v. 17. Sed iſti omnes modi fuerunt extraordinarii. Duo ſunt modi ordinarii & perpetui, quibus Deus homines alloquitur, qui etiamnum durant. 1. Per verbum ſcriptum & per os miniſtrorum à ſe vocatorum. 2. Per teſtimonium Spiritus S. quo teſtatur cum Spiritu noſtro quod ſimus Filii Dei Rom. 8. quoque animæ noſtræ dicit quod ſit Deus ſalutis noſtræ Pſal. 35. Hoc alloquio ſimus contenti, donec Deum videbimus de facie ad faciem ſicut eſt.

2. Quidnam autem Dominus ad Ananiam dixit? Vocavit eum nominetenus: Anania. Ananias reſpondit; Ecce ego Domine, quem modum reſpondendi didicit à Samuele 1. Sam. 3. 9. quem modum reſpondendi Deo per mandata verbi nos alloquenti meritò obſervamus & imitamur, dicentes: Ecce, Domine, hic ego totus & quicquid in me eſt, ad ſerviendum tibi. Sic Chriſtus Pſal. 40. 8. Hebr. 10. 9. Monachi & Jeſuitæ ſe offerunt ad faciendum quicquid Papa juſſerit. Nos ad tam abſolutam obedientiam ſoli Deo noſmet obſtringimus.

Cum tam promptus & paratus ad obediendum eſſet Ananias, dat ipſi Dominus mandatum, ut ſurgeret & iret in vicum urbis Damaſcenæ qui vocatur Rectus, & ibi quæreret Saulum nomine, qui Tarſenſis eſſet, in domo Judæ. Jubet ſurgere, quod ſignum eſt hanc viſionem factam eſſe in ſomnio, cum dormiens cubaret. Sed quid eſt quod jubet, cum jubet quærere Saulum? Explicatius additur finis, propter quem quærendus erat v. 12. & 17. ſcilicet ut impoſita manu viſum ipſi redderet, & Paulus Spiritum S. acciperet. Habuit Ananias donum miraculorum. Nuntiat itaque ipſi Deus, Saulum in iſta platea jacere cœcum, & jubet abeat eique viſum reſtituat. Fuit etiam Euangeliſta vel paſtor Eccleſiæ, ideoque mittitur ut per manuum impoſitionem Paulo conferret dona Spiritus Sancti, & ad munus Apoſtolicum eum conſecraret. Sed de his latiùs dicetur in explicatione verſus 17. Ut autem Ananias tantò minus cauſæ haberet ad tergiverſandum, aperit ipſi duo particularia de Saulo. 1. quod precaretur, q. d. non eſt quod tergiverſeris propter impietatem. Eſt enim jam occupatus in piis precibus quibus me orat & invocat de auxilio hoc 2. quod viderit in viſione Ananiam ad ſeſe ingredientem & manus imponentem, q. d. Nec eſt quod metuas, eum accedere propter tyrannidem ejus. Eſt enim jam tum à me præmonitus quod venturus ſis ad illum, ideoque te exſpectat. Duo ſunt quæ hinc diſcimus. 1. Deum accuratè nôſſe ubi ſimus & quid agamus, etiam quid cogitemus & ſomniemus. Sic hic novit dicere ubi Saulus ſit, in qua platea, qua domo, quid agat, quid viderit? Hoc bene penſitemus. Quoniam Deus omnia noſtra videt; ſi malè agimus, timeamus; ſi benè, gaudeamus. Omnia geruntur ſub oculis Dei. 2. Quam tenuiter ſe Deus accommodet infirmitatibus ſuorum, removendo omnes ſcrupulos quibus poſſint impediri ab officio. Saul & Ananias lupus & agnus debebant convenire. Saulus erubeſcit conſpicere quemquam eorum quos tam turpiter perſequutus erat, Ananias metuit adire hominem tam impium & tam crudelem. Deus utriuſque cor præparat per viſionem internam ut conveniant feliciter. Sic fecit cum Laban & Jacob debebant convenire, Gen. 31. item cum Jacob & Eſau. Gen. 32. Notemus hoc ſi quando occaſio requirit cum impiis & hoſtibus convenire & converſari, unde ſcrupulos concipimus & metum. Deus corda habet in manu & poteſt omnia coaptare ut exitus ſit lætus. 3. Vide vim precum. Quia Paulus orat, ideò Deus illum habet pro pio & converſo, moveturque iſtis precibus ad mittendum Ananiam.

Actor. 9. v. 13, 14.

CONCIO CIII.

HAbemus in manu hiſtoriam Ananiæ qui fuit præceptor Divi Pauli. Magnus profectò præceptor qui nam magnam diſcipulum erudit, Doctorem gentium. Qui hunc docuit, nos quoque multa bona docere poterit. Digna igitur hiſtoria, cui probè attendamus.

Vidimus mandatum ipſum quod Ananiæ injungitur: Sequitur ejus tergiverſatio, quâ ſe nititur huic mandato ſubducere, prætendens duas cauſas: 1. quod à multis de hoc viro audiverit quanta mala fecerit Sanctus Domini Hieroſolymæ. 2. quod audiverit eum etiam eo fine Damaſcum veniſſe cum

poteſtate à Sacerdotibus, ut vinciret omnes qui nomen Domini invocant. Priuſquam has rationes ponderamus, obſervanda nobis hic eſt deſcriptio Chriſtianorum. Vocantur Sancti Domini: *Tui Sancti*. Deſcribuntur etiam quod ſint illi, qui nomen Domini Jeſu invocant. Sanctorum nomen ſuperſtitio Papiſtica peculiare fecit iis Chriſtianis, quorum nomina in canone Scripturæ in exemplum pietatis nobis proponuntur, vel quos Papa Romanus his addere & in Canonem referre voluit, item Papæ & Sacerdotibus quos *Sanctos Patres* appellitant. Populum verò Chriſtianum appellant *laicos*. Sed hic ille titulus datur omnibus Chriſtianis, nomen Chriſti invocantibus. Sic & alibi Pſalm. 16. 23. Pſal. 34. 10. Job. 5. 1. Pſalm. 85. 6. Actor. 9. 32. Rom. 12. v. 13. Ratio hujus appellationis deſumpta eſt tum à juſtificatione, tum à ſanctificatione. Dicuntur Sancti Domini non quia in ſeipſis & à ſeipſis ſanctiores ſunt aliis & peccati expertes, ſed quia ſanguine Chriſti adſperſi coram oculis Domini ſunt à peccatis juſtificati, Deo reconciliati & favore ac amore ejus digni habiti. Tum quia virtute Spiritûs imbuti, & à dominio peccati liberati operam dant Sanctitati & juſtitiæ in lege Dei præſcriptæ, atque ita à peccatoribus ſeparati facti ſunt ſacrum peculium Domini, ſacra membra corporis Chriſti, ſacrum habitaculum & templum Spiritus Sancti. Docet hoc 1. Chriſtianum non eſſe qui non eſt Sanctus. Eſtote ſancti ſicut ego ſanctus ſum. Vide 1 Johan. 1. v. 6. 1 Johan. 3. 3. 2 Corinth. 6. 14, 15. 1 Petr. 1. 15, 16. 2 Chriſtianos verè converſos, quantumvis imperfectos & peccatis quotidianis pollutos, apud Dominum haberi pro ſanctis. Etſi reliquiis peccatorum ſunt polluti; tamen propter imputatam perfectionem Chriſti habentur pro Sanctis. Ieſuitæ calumniatores hoc ſanum dogma mirè pervertunt & traducunt ac exagitant, quaſi credamus Chriſtianos converſos eſſe ſimiles dealbatis ſepulchris, quæ extus quidem ſunt alba, ſed intus plena oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ; ſimiles lupis qui extus quidem habent veſtem ovium, ſed intus ſunt lupi rapaces; fatuis virginibus, quæ proprium oleum juſtitiæ in lampadibus ſuis non habentes in alieno oleo ſpem reponunt; hœdis qui fœtent quidem, ſed tamen pro ovibus à Paſtore reputantur. Nos certè hunc in modum non deſcribimus converſos, ſed Jeſuitas & Monachos, qui cum intus ſunt fœtidi hirci, rapaces lupi, putrida ſepulchra, oleo veræ ſanctitatis & juſtitiæ deſtituti, tamen gloriantur in externis ceremoniis, humanorum inſtitutorum obedientiâ, defunctorum mortuorum meritis, Papalibus indulgentiis, &c. Nos verò Chriſtianum aliter deſcribimus, quod ſcil. ob peccata ſua verè contritus, contra omnia peccata ſedulò pugnans, & in omnibus præceptis Domini ſanctè, ſincerè & toto corde ambulare eaque obſervare laborans, non tamen poteſt in hac vita peccati corpus penitus ex ſe expellere, & ſine impedimento legem Dei perfectè implere, ſed quotidie labitur in multis, & ſe ac ſuam juſtitiam infinitè polluit, nec tamen ideo à Deo rejicitur ac condemnatur, ſed propter Chriſtum, quem fide ſibi applicat, amatur ac ſi totus ac perfectè eſſet purus, ſanctus & innocens. Non eſt igitur ut virgo fatua, ſed habet oleum juſtitiæ inchoatæ in lampade cordis. Habent fateor ſpurcitiam & mortua oſſa peccati in ſe, habent in ſe habitantem lupinam rapacitatem & malitiam, ſed tamen non patiuntur eam in ſe dominari & regnare, ſed laborant ſedulò hoc malum in ſe mortificare, oppugnare, expugnare, ideoque quamvis in ſe ipſis peccatis ſuis fœtcant coram Deo, & in proprio quoque ſenſu, tamen juſtitiâ Chriſti fœtor ille diſpellitur, & à Deo amantur ac ſi eſſent plenè & perfectè Sancti. Hæc enim eſt vis ſanguinis Jeſu Chriſti per veram fidem applicati, quod illos, qui non niſi ſincerum initium Sanctitatis in hac vita habent, & multis imperfectionibus adhuc ſunt polluti, adeò gratos & acceptos reddit Deo, ac ſi perfectè ſancti eſſent. Vide Epheſ. 5. 26, 27. 1 Corinth. 6. 11. Sicut itaque doctrina ne utiquam patrocinatur iſtis fœtidis hircis, impuris ſepulchris, fatuis & vacuis mulieribus, rapacibus lupis, qui Spiritu Sanctificationis deſtituti & ſub pleno peccati dominio viventes nihilominus glorìantur & confidenter acquieſcunt vel in ſuis, vel in Sanctorum, vel etiam in Chriſti meritis; ita verò egregium largitur ſolatium contritis iſtis cordibus, qui peccatorum in ſe reliquorum, & impotentiæ ſuperandi ſenſu ita languent, ut certitudinem ſalutis amittant. Horum eſt credere, ſe non obſtantibus peccatis & pollutionibus propter Chriſtum verè eſſe Sanctos Domini.

Object. Si nomen Sanctorum omnibus Chriſtianis convenit, omnes ſunt æquè ſancti, nec ullum habent privilegium magni illi Sancti in ſacris deſcripti. *Reſp.* Quantum ad juſtitiam, quâ juſti conſtituuntur coram Deo, nullum fateor eſt diſcrimen. Sunt

Sunt enim omnes ἰσότιμον πίστιν 2 Pet. 1. Sed quantum ad ſanctitatem inhærentem magnum diſcrimen eſt in gradibus. Sunt omnes æquè ſinceri, ſed non omnes æquè firmi & fervidi, ſed quorundam Sanctitas heroica eſt exemplaris. Hanc prærogativam facilè concedimus ſanctis Prophetis, Apoſtolis, Martyribus & aliis, quorum Sanctitas exemplum nobis in Scriptura proponitur.

Altera deſcriptio Chriſtianorum eſt, quod nomen Domini invocant. Nomen Domini, ſcilicet Jeſu. Poteſt quis eſſe Chriſtianiſmus, etiamſi non invocet nomen Mariæ, &c.

Invocatio eſt tantùm pars Chriſtianiſmi, & tamen hic facit totam deſcriptionem Chriſtiani, & dicitur is eſſe Chriſtianus qui nomen Chriſti invocat. Hoc ideo fit, quia invocatio eſt potiſſima & præcipua pars Chriſtianiſmi, immò ſumma & compendium Chriſtianiſmi. Qui enim verè & toto corde Chriſtum invocat, is edit & exercet omnes motus ſpirituales qui ab homine Chriſtiano requiruntur. Precatio enim eſt plena humiliationis, fidei & boni propoſiti ſecundum omnia præcepta Dei. Hinc paſſim cum Scriptura vult deſcribere Chriſtianum, deſcribit eum ita, quod invocet nomen Domini. Vide Geneſ. 4. 26. Actor. 2. 21. Rom. 10. 12. 13. Hinc etiam ſupra v. 11. Chriſtus volens Ananiæ ſignificare converſionem Pauli, indicat quod Paulus precetur Chriſtum. *Ecce orat.* Oratio eſt ſignum Chriſtianiſmi & converſionis, quia eſt præcipua pars & ſumma ac compendium totius Chriſtianiſmi & converſionis. Hinc diſcimus quod qui parum precatur, parum Chriſtianiſmi in ſe habet. Tum demum erimus boni Chriſtiani, cum multum invocabimus nomen Domini. Si itaque volumus tueri hoc egregium nomen, ſimus ſeduli in precibus. Sicut concionator nomen habet à concionibus. Plures ſunt partes noſtri officii, quàm concionatoris. Sed tamen concionari præcipua pars, & qui parum concionatur, parum tuetur nomen concionatoris: ita qui parum precatur, parum tuetur nomen Chriſtianiſmi.

Nunc examinandæ nobis ſunt rationes quibus Ananias tergiverſatur contra præceptum Domini, an ſint validæ. Prætendit malum quod Saulus intulerit Sanctis Hieroſolymæ, & quod intendat illis qui ſunt Damaſci. Non proficiſcitur hæc tergiverſatio ex juſtis rationibus. Nam quæ ratio tergiverſandi poteſt eſſe juſta contra præceptum Domini? Sed proficiſcitur ex infirmitate, eaque duplici: 1. ex nimia averſione animi ab inimico qui multum mali intulerat. Audivi de viro iſto quod tantum mali nobis Chriſtianis fecerit, an ego ipſi faciam tantùm boni ut accedam, ſalutem, ſanem? Nimis ægrè permovemur ad hujus præcepti obedientiam, ut inimicos diligamus, eos accedamus, humaniter compellemus, malum bono recompenſemus. Hæc infirmitas etiam erat in hoc magno Sancto. Simile quid erat in Jona, ægrè ferente quod impiis Ninivitis parceret Dominus Jon. 4. 1. Sic ægrè inducebantur captivi Judæi ut quærerent commodum eorum à quibus erant abducti in captivitatem Jerem. 29. 7. Sic diſcipuli Chriſti ægrè inducebantur ut mites eſſent erga illos qui eos noluerant recipere Luc. 9. 53. 54. Diſcamus agnoſcere & fugere hanc noſtram infirmitatem, & nos ſubmittere præceptis Domini de diligendis inimicis & de recompenſandis malis per bona Matth. 5. Rom. 12. 1 Petr. 2. Cogitemus exemplum Chriſti, qui, cum tantum mali ipſi feciſſemus, tamen prior nos quæſivit, & ad nos liberandos ſuſtinuit κακοποιὸς appellari. 2. Proficiſcitur etiam hæc tergiverſatio ex nimio metu q. d. Domine, hic homo huc venit ut nos Chriſtianos vinciat. An vis me periculo occurrere, & me ipſum immanus lupi conjicere? Non eſt novum, etiam Sanctos periculorum metu adeò corripi, ut ſe nitantur divinæ vocationi ſubducere. Sic Moſes metu detrectat ſuſcipere vocationem Exod. 3. 11. & 17. 3. 4. Sic Samuel 1. Sam. 16. 2. Sic pius ille Obadias 1 Reg. 18. 9. 10. &c. Sic Elias 1 Reg. 19. 3. 4. Sic Jeremias Jer. 1. 6. 8. Sic Jonas Jon. 1. 2. 3. Sic Nehemias Neh. 2. 2. Immò quidam Sanctorum adeò oppreſſi ſunt metu ut in magna inciderint peccata. Sic Abraham & Iſaac. Geneſ. 12. 11. Geneſ. 26. 7. Sic David 1 Sam. 21. 12. 13. Sic diſcipuli Chriſti Marc. 10. 32. præcipuè Petrus Matth. 26. cum præ metu negaret Chriſtum. Serviat hoc 1. ne quem condemnemus quem vidimus in periculis timidum, quaſi non ſit pius. Etiam in piis locum habet metus. Pontificii & profani homines, cum vident quempiam piorum in periculis timidum, rident profeſſionem fidei ac fiduciæ tanquam inanem. Sed vani ſunt. Etiam in piis & fidelibus metus habet locum. 2. Ut nos contra metum armemus, nec ei indulgeamus. Non metuere ſed metu ſibi indulgere ad peccandum ſignum eſt hominis non pii. Quomodo autem nos armabimus contra metum?

3. Stu-

1. Studeamus bonam habere conſcientiam. Bona conſcientia largitur fortitudinem in periculis. Sunt quidem illi quoque ſine metu, quorum conſcientia cauterio eſt reſecta, ſed hæc non eſt vera fortitudo. Sicut qui habet oculos non ſanos facilè læditur quovis vento: ita facilè terretur qui non habet conſcientiam bonam.

2. Ob oculos habeamus providentiam Dei. Si enim credimus & conſideramus, nihil fieri caſu ſed omnia ſecundum voluntatem & conſilium Dei, facilè intelligimus nihil nobis noxæ poſſe obvenire, niſi Deus ipſe nobis iratus ſit. Si itaque cum Deo tibi amicitia, quid metuis creaturas? Si Deus pro nobis quis contra nos?

3. Ob oculos habeamus fundamenta fidei. Quæ illa? Miſericordia Dei infinita. Merita Chriſti perfecta. Promiſſiones Euangelii fallere neſcias. Obſignatio Sacramentorum. Pignus Spiritûs S.

4. Commendemus nos quotidie in manus Domini, ut ille cuſtodiat, nec inducat in tentationem.

Actor. 9. v. 15, 16.

CONCIO CIV.

VIdimus mandatum Domini & tergiverſationem Ananiæ, quâ ſe nititur iſti oneri ſubducere. Sequitur reſponſum Domini quo redditur obediens. Duo objecerat Ananias, duo reſpondet Dominus. Objecerat Saulum multa mala feciſſe & impium fuiſſe; reſpondet, impoſterum multa bona facturum. Eſſe enim vas electum ad portandum nomen, &c. Objecerat deinde tantopere afflixiſſe pios, & etiamnum affligere: Reſpondet, viciſſim afflictum iri. Se enim ipſi oſtenſurum quantum debeat pati pro nomine Chriſti.

I. Paulus appellatur vas. Vas notatione Hebraica eſt utenſile domeſticum, quo aliquid aſſervamus. Eſt enim inſtrumentum, quo aliquid efficimus, vel aliquid portamus. 1 Sam. 10. 22. Hinc metaphoricè transfertur ad homines, qui vocantur vaſa Dei duplici ſenſu:

1. Quatenus ſunt hæredes gratiæ divinæ vel iræ divinæ, ſuper quos Deus gloriam & gratiam vel iram ſuam effundit. Sic Rom. 9. 21, 22, 23. Huc etiam pertinet 2 Tim. 2. 20, 21. Aurea & argentea vaſa ſunt electi, quorum ſignum eſt, quod ſe ipſos per gratiam Spiritûs qui in ipſos effuſus eſt, purificant ad honorem & uſum Domini ſui. Vaſa autem lignea & lapidea ſunt hypocritæ in Eccleſia viſibili, in quos infunduntur communia quædam gratiæ divinæ dona, ſed quibus illi abutuntur & ſeipſos magis inquinant & ineptiores reddunt ad honorem & uſum Domini. Hæc itaque appellatio egregiè nobis exprimit dignitatem filiorum Dei, ad quam elevantur per gratiam, ut ſcilicet fiant vaſa Dei, in quæ effundit gratiam & gloriam ſuam, & ex quibus recipit delectationem ſuam, ſicut nos ex patinis & cantharis recipimus cibum ac potum noſtrum & ōmnem recreationem. Sicut anima habet ſuum vas, ſeu ſuum tabernaculum & domum in qua habitat 1 Theſſ. 4. 3, 4. Sicut rex terrenus habet ſuam regiam & aulam in qua habitat; ita Deus habitat in fidelibus & electis ſuis. Non eſt tertium cœlum in quo habitare delectat, quippe quod non tam ſibi quàm Angelis & hominibus ſanctis in habitaculum condidit, ſed Eccleſia corpus & anima electorum eſt illa domus, illud templum in quo geſtit habitare 1 Tim. 3. 15. 1 Cor. 3. 16. Immò ſicut nos homines habemus noſtras patinas, ollas, cyathos, &c. quibus paramus & ex quibus recipimus cibum, potum ac refectionem noſtram; ita electi Dei ſunt vaſa illa, in quibus Deo paratur & offertur ipſius cibus & potus, i. e. cultus ſpiritualis, quo cor ejus delectatur. Vaſa tabernaculi & templi, quantumvis aurea & argentea, non erant vera illa vaſa, ex quibus Deus recipiebat odorem & ſuffitum, & libamenta, in quibus beneplacitum habet, ſed erant typus & figura illorum vaſorum. Fideles ac electi homines, eorum animæ, corpora & corda, per ſanguinem & Spiritum Chriſti abluta, præparata, accenſa, immò vivificata ſunt vaſa illa, vera vaſa Domini, quibus ſe paſcit & delectat Dominus. Diſcite hinc dignitatem ac non minus officium veſtrum vos fideles. Paravit & purgavit ſibi nos Dominus in viva vaſa domus ſuæ, ex quibus edat & bibat, i. e. ſpiritualem ſuam delectationem accipiat. Ne inquinate itaque corpora aut animas veſtras impuris libidinibus, odio, irâ, ſuperbiâ, ſcortatione, adulterio, intemperantiâ, injuſtitiâ, fraude. Tum enim corda veſtra non erunt niſi præſepe porcorum repletum impuris ſiliquis libidinum, quibus paſci gaudet impurus Spiritus. Expurgate reliquias ſordium, ornate domum cordis tapetibus Sanctitatis & juſtitiæ, & offerte Deo ſacrificia laudis & ſupplicationis, bonorumque operum in nomine Jeſu Chriſti. Tum delectabitur Dominus

nus venire ad vos, & ſibi facere manſiones in vobis, replebitque vos effuſis theſauris ſalutis ac gloriæ, conſolationis, ſapientiæ & gaudii.

2. Vocantur vaſa Dei quatenus ſunt organa providentiæ divinæ, ſeu inſtrumenta per quæ res magnas gerit in mundo. Vas enim Hebræis eſt Inſtrumentum. Quidam homines non ſunt niſi creaturæ Dei; quidam ſunt filii & hæredes Dei, & ex his quidam etiam ſunt inſtrumenta providentiæ divinæ, quibus ſua beneficia vel judicia in genus humanum exſequitur. Sic Senacherib vocatur *virga divini furoris* Eſa. cap. 10. quia fuit inſtrumentum per quod Deus judicia ſua exſequutus eſt ſuper Iſraëlitas. Sic Paulus vocatur *vas Dei*, quia fuit inſtrumentum, per quod Deus beneficia ſua diſtribuit inter gentiles. Eſt res egregia, ſi quem Deus facit vas gratiæ quod replet ſanguine Chriſti ad juſtificationem, Spiritu Chriſti ad ſanctificationem, gloriâ Chriſti ad æternam lætitiam & vitam. Sed tamen non parum augetur hæc felicitas, cum Deus aliquem dignum æſtimat, quem repleat donis ædificationis ad docendos & regendos alios. Per hoc enim tanto magis aſſimulantur Chriſto, qui fuit ille ſervus & illud vas Domini, per cujus manum propoſitum Domini in executionem venit Eſa. 53. 10. Immò hæc via eſt perveniendi ad majorem gloriam in cœlis, cùm ſcriptum ſit, quod, qui multos ad juſtitiam docuerint, fulgebunt inſtar ſolis inter ſidera Dan. 12. v. 3. Non tamen eſt hic gradus felicitatis præcipuus, ut quis ſit inſtrumentum providentiæ divinæ, per quod Deus judicia vel beneficia ſua diſpenſat, ſed ut quis ſit vas miſericordiæ, in quod ſanguis & Spiritus Chriſti effuſus eſt ad juſtificationem & glorificationem. Hæc vera felicitas, ſine qua alter ille gradus nullius eſt momenti. Etiamſi quis totum mundum convertiſſet; etiamſi Chriſtum mundi Salvatorem peperiſſet, & ipſe vas gratiæ & miſericordiæ non eſſet, nihil juvaret. Hinc vide quid moneamur Luc. 10. 20. 1 Cor. 12. 21. & 13. 1, 2, 3. Paulus igitur vocatur vas Dei ſenſu poſteriori, quia eſt inſtrumentum per quod Deus res magnas geſſit.

II. Paulus non ſimpliciter appellatur vas, ſed vas electum. *Vas electionis* Hebraico more eſt pro vaſe electo. Vocatur ſic. 1. ad denotandam originem hujus dignitatis. Quomodo factus Paulus vas & Inſtrumentum providentiæ? Non ſua dignitate ſuove merito, ſed gratuita Dei electione 1 Corinth. 15 v. 9, 10. Gal. 1. v. 15. 1 Tim. 1. 12. id quod omnes miniſtri perpetuò debent habere ob oculos, ne fiant inflati. Vide 2 Cor. 4. 7. Humilitas enim eſt donum donorum, quæ miniſtrum decent. 2. Ad denotandam eminentiam Pauli ſupra cætera Inſtrumenta, q. d. ſelectum, ſingulare, eminentiſſimum Inſtrumentum, quod plus laborabit in meo opere quàm quiſquam alius, quod eſt factum 1 Cor. 15. 10. Mirabile hoc in Paulo, quod cum fuiſſet indigniſſimus omnium, non tantùm poſitus eſt inter cæteros Apoſtolos, ſed illis omnibus excellentior factus. Hoc debebant obſervare Pontificii, qui Petrum, Paulo tantopere præferunt, quaſi ille fuerit Princeps & caput omnium Apoſtolorum, cùm tamen hoc elogium, quod hîc eſt, nuſquam detur Petro, ſed Paulo ſoli. Dicunt quidem Petrum appellatum eſſe Petram illam fundamentalem, cui ſuperædificata ſit Eccleſia Matth. 16. Sed hoc falſum, quia hoc non eſt elogium Petri ſed ſolius Chriſti Pſalm. 118. 22. Quod autem Paulus fuerit excellentiſſimum Dei vas, qui plus laboraverit quàm omnes alii, id extra controverſiam eſt. Debet hoc nos excitare ut libenter legamus ejus ſcripta. Etſi enim tota Scriptura divinitus inſpirata & utilis eſt ad perfectionem hominis Dei, tamen ſcripta Pauli multarum Scripturarum clavis ſunt, & pandunt nobis divina myſteria clariùs.

III. Quis autem ille uſus ad quem ſibi Dominus elegit hoc vas & Inſtrumentum? Alios ſibi elegit ut per illorum manus populum ſuum caſtigaret, ſicut Senacharibum Eſa. 10. alios ut per eorum manum hoſtes Eccleſiæ frangat & Eccleſiam à tyrannide liberet, quales fuerunt Joſua, Jephta, Simſon, Cyrus. Ad quid autem Saulum elegit ſibi in Inſtrumentum? Ut nomen ſuum portaret coram gentibus & regibus filiiſque Iſraël. Ad hoc electus Paulus, ut eſſet magnus ille Chriſtophorus, qui Chriſtum ſeu nomen Chriſti portaret. Quid hoc autem eſt: *Portare nomen Chriſti*? An fortaſſe hoc eſt corpus Chriſti ex pane factum, & ciborio incluſum ſuſcipere in humeros, & per plateas portare in proceſſione ut adoretur, vel in ædes portare ad lectulos ægrotorum ut ſanet? Non certè. Hoc potius eſt ſuſcipere tabernaculum Molochi & Sidus Dei Remphan, ut faciebant Iſraëlitæ in deſerto Act 7. 43. & Amos 5. v. 26. Præcipua Ægyptiorum, inter quos verſati erant Iſraëlitæ, idololatria erat in veneratione aſtrorum, & præcipuè planetarum, quorum præcipui erant Sol & Saturnus vel Mars, qui Ægyptiacè appella-

pellabantur Melech & Remphan vel Rephan, ut obſervant docti. Simulacra quædam horum aſtrorum ſolebant Sacerdotes includere certis tentoriolis vel tabernaculis & ciſtis, eaque circumgeſtare humeris, populo acclamante, cantante, tripudiante. Hoc imitati ſunt Iſraëlitæ in deſerto Exod. 32. 4, 5, 6. Etſi enim ibi non legimus niſi vitulum factum, altare ædificatum, luſum & potum eſſe, tamen ex interpretatione Amoſi & Stephani clarum eſt, fuiſſe ibi quoque quandam circumgeſtationem idoli tabernaculo incluſi, qualis olim fuit inter Ethnicos, & qualis hodieque eſt in Papatu, ubi & Sacramentum Chriſti & Sanctorum ſimulachra tentoriis incluſa magno numero circumgeſtantur. Quid igitur eſt portare nomen Chriſti coram gentibus, ſi hoc non eſt? *Reſp.* Eſt prædicare Chriſtum gentibus, ſeu, ut loquitur Apoſtolus 2 Cor. 2. 14. odorem cognitionis Chriſti gentibus in omnibus locis manifeſtare. Paulus fuit vas quod odorem notitiæ Chriſti ſparſit & manifeſtavit in omnibus locis. Eſt ſimile ſumptum à thuribulo quod erat in templo V. T. vel ab altari thymiamatis Exod. 30. 1. Exod. 25. 29. quod per totum templum ſpargebat odorem ſuffitus: ſpecialiter videtur reſpici ad hiſtoriam Aaronis Num. 16. v. 46. qui ſacrum ſuffitum portabat in medium populi quem plaga corruperat. Omnes gentes propter peccatum ſunt correpti maledictione & plagâ Dei. Merita Jeſu Chriſti ſunt ſacrum illud incenſum quo maledictio ſanatur. Apoſtoli autem fuerunt quaſi thuribulum quo Chriſtus portatur ad gentes ut ipſis innoteſcat, utque odorem meritorum ejus percipiant. Videtis igitur quale vas fuerit Paulus, fuit videlicet ſanctum illud magnum & excellens thuribulum, quo ſuavis odor meritorum Jeſu Chriſti, qui antehac concluſus erat inter parietes Judææ, gentibus fuit communicatus ut per eum ſanarentur à maledictione & ira Dei. Sic ſe & omnes fideles Dei miniſtros deſcribit 2 Corinth. 2. 15. Chriſtus eſt illa ὀσμὴ vitæ ad vitam. Apoſtolis autem hoc nomen tribuitur, quia ſunt thuribulum, in quo odor ille continetur, & per quod diſtribuitur ac ſpargitur inter gentes. Sic etiam 2 Cor. 4. 6, 7. Corda Apoſtolorum ſunt teſtaceum thuribulum in quo Deus per ignem Spiritûs S. accendit ſuffitum agnitionis Chriſti, quem Apoſtoli exhalant & ſpargunt inter gentes. Hoc eſt officium Apoſtolorum, hoc eſt officium ordinariorum miniſtrorum Euangelii, niſi quod hoc unum diſcrimen intervenit, quod Spiritus S. immediatè in cordibus eorum luxit & agnitionem Jeſu Chriſti in iis accendit; quod verò ad miniſtros ordinarios, in eorum corda poſuit ſacram Scripturam, agnitionis Chriſti plenam, ut interventu ſuæ ſcrutationis & meditationis agnitionem Chriſti inde hauriant, & ſic inter gentes diſpergant. Et hoc quoque opus magnum ac perdifficile, ad quod nemo aptus niſi virtute Spiritûs S. 2 Cor. 2. 16. Nam

1. Non eſt facile totum corpus S. S. Theologiæ animo imprimere, & mentem in ea reddere bene fundatam, radicatam & immotam contra tot ſcrupulos proprii animi, contra tot ſubtilitates hæreticorum Scripturas torquentium & pervertentium.

2. Nec facile eſt verbum veritatis rectè ſecare, quæ ad ædificationem ſingulorum faciunt aptè ſeligere, clarè, promptè & efficaciter proferre, ac animis hominum implantare dextra interpretatione & efficaci applicatione.

3. Et poſtquam hæc omnia potes, cogita, quàm difficilè, immò quàm impar humanis viribus ſit, aperire aures hominum, clauſas ſomnolentiâ, aperire intellectum hominum clauſum cœcitate, aperire voluntatem hominum clauſam perverſitate & contumaciâ, penetrare affectus hominum in libidinibus & voluptatibus obduratos, & in intima penetralia animæ ita ingerere odorem Euangelii ut homines eum percipiant ac ſentiant. Tum demum enim aſſequuti ſumus ſcopum officii, tum demum nomen Chriſti portavimus coram gentibus, cum efficimus, ut homines in intimis penetralibus animæ ſentiant & percipiant, ac cum intima cordis & conſcientiæ commotione & delectatione attrahant ſuavem odorem Euangelii de Jeſu Chriſto, eoque ita afficiantur, ut omnibus voluptatibus mundanis morientes in ſolo Euangelii odore acquieſcant & in eo vitam ac ſalutem ſuam collocent. Et quis ad hæc idoneus? Quoties enim contingit, ut nos omnibus noſtris viribus exhalemus & efflemus ſuaviſſimum Euangelii ſuffitum, & plurimi ex populo non tantum nihil ſuave percipiant, ſed nauſeâ corripiantur tanquam ex fœtore mortis ad mortem. Hoc igitur fuit officium Pauli, & hoc eſt officium omnium miniſtrorum Euangelii, videlicet portare Chriſtum, i. e. prædicare Chriſtum, ut paſſim loquitur Scriptura, prædicare ejus perſonam, officia, beneficia, voluntatem. Per hoc enim Chriſtus tollitur, & in throno ſuo collocatur. Per hoc ſuavis odor Chriſti adſcendit ac in corda hominum diffunditur. Scientes igitur officium

cium miniſtrorum Euangelii, ſic æſtimate eos, ut ait Apoſtolus 1 Cor. 4. v. 1. nimirum tanquam diſpenſatores myſteriorum Dei, tanquam vaſa Dei, tanquam thuribula templi, per quæ Deus ſuavem odorem cognitionis Chriſti vult ſpargere & efflare in corda gentium. Precamini Deum, ut domus & templum Domini plenum ſit talium vaſorum & thuribulorum, quæ virtute Spiritus S. probè ſint inflammata, ut accendere poſſint thymiama S. Scripturæ, in quo odor cognitionis Chriſti comprehenditur, eumque efficaciter diſpergere. Precamini quoque Deum, ut aperiat meatus animarum veſtrarum, ut percipere poſſitis odorem cognitionis Chriſti, & per eum ſervari contra lipothymias ſpirituales. Sicut enim qui lipothymiâ corporali corripiuntur, non aliter curantur, quàm ſi quis odor poſſit penetrare & ſpiritus internos afficere: ita ſi quando ſpiritualis lipothymia ex ſenſu iræ divinæ vos obruet, ſervari aliter non poteſtis, quàm ſi percipiatis odorem cognitionis Chriſti. Si hic penetrare & ſentiri à vobis non poteſt, neceſſario in deſperatione moriemini. Itaque quantum optatis ne anima veſtra æterna deſperatione pereat, tantùm debetis laborare, ut thuribula Euangelii ſemper habeatis ante faciem.

IV. Additur denique, Paulum portaturum nomen Chriſti coram gentibus, regibus & filiis Iſraël. Primo loco ſit mentio gentium, quia Paulus præcipuè ad hoc vocatus, ut doceret Euangelium inter gentes. *Doctor gentium* 1 Tim. 2. v. 7. Vide Gal. 2. 7. Sed quod de Regibus dicitur quomodo impletum? Nuſquam legimus quod Regibus Euangelium prædicaverit, niſi de ſolo Agrippa Actor. 26. quem tamen lucratus non eſt. *Reſp.* 1. Non tantùm intelliguntur Reges, ſed magnates, quorum multis Euangelium prædicavit, tandem etiam fortaſſis ipſi Imperatori Actor. 27. v. 24. 2. Virtus miniſterii Paulini non eſt reſtringenda ad tempus vitæ ipſius. Candela enim, quam vivus accendit, etiam poſt mortem ejus multis illuxit parvis & magnis, eoſque ad fidem Chriſti adduxit. Etſi autem præcipuè gentibus Euangelium prædicavit, tamen etiam filiis Iſraël paſſim data occaſione Chriſtum annunciavit. Immò cum in urbem aliquam veniret, primò ſolebat adire Synagogas Judæorum, ſed cum ibi non audiretur, vertebat ſe ad gentes Actor. 13. & paſſim. Diſcamus, odorem Euangelii eſſe pharmacum, quo omnes homines indigent. Sive ſis Ethnicus, ſive Judæus, ſive ſis rex, ſive ſis ſubditus, ſive parvus, ſive magnus; ſi vis vivere, debes percipere odorem Euangelii. Si hunc non percipis, moriendo morieris. Actor. 4. 12. Rom. 1. 16. Ne itaque magnates mundi propter magnitudinem ſuam contemnant miniſterium Euangelii. Etſi miniſtri non ſunt niſi teſtacea vaſa; tamen ex his vaſis odorem Euangelii debetis vos percipere & haurire. Si non dedignamini parere & obedire præſcriptis medicorum, multò minus debetis detrectare obedientiam miniſtrorum *Obj.* Poſſumus carere miniſtris & tamen habere Euangelium ex Scriptura. *Reſp.* Quî ſit autem quod Scriptura multis ſit odor mortis ad mortem? Quia proprium intellectum non abnegant, ſed ſibi ipſis ſe putant ſufficere in ſcrutanda Scriptura, negliguntque & contemnunt adminicula divinitus inſtituta, ſecus quàm Eunuchus Act. 8. v. 31.

Hactenus primum membrum reſponſionis. Pauca de altero: Oſtendam ipſi, inquit, quantum pati eum oporteat pro nomine meo. q. d. Ipſe afflixit meos ſanctos, ego viciſſim ipſi oſtendam quantopere & ipſe ſit affligendus. Quid eſt *pro nomine Chriſti*; ſeu *pro Chriſto pati?* Intelligimus facile quomodo Chriſtus paſſus ſit pro nobis, ſcil. ut ſponſor ad ſolvendum noſtrum debitum. Sed quomodo nos patimur pro Chriſto? *Reſp.* Cum ab impiis hominibus, vel à Sathana affligimur propter fidelitatem noſtram in exſequendo opere à Chriſto nobis mandato. Phil. 2. 17. 1 Petr. 2. 20. 1 Petr. 3. 15. 16. Sed quomodo hoc Paulo à Deo eſt oſtenſum? In ipſa vocatione Pauli. Cum enim ad Apoſtolatum ipſum vocavit, ſtatim etiam præmonuit, quod functio ejus cum multa paſſione ſit futura conjuncta. Sicut Petrum præmonuit Joh. 21. 18. ita & Paulum Actor. 26. 17. Actor. 22. 18. Quomodo hæc præmonitio in Paulo impleta ſit, & quantum pro Chriſto paſſus ſit, patet ex ſequentibus capitibus hujus libri & ex 2 Cor. 11. 23. &c. Nos hinc duo diſcamus

1. Qui ſunt vaſa & inſtrumenta ac operarii in vinea Domini, eos comitantur multæ paſſiones. Non tantùm habent opus quod laborent, ſed etiam onus quod patiantur & portent. Ratio rei petitur ex Ioh. 15. v. 20. Matth. 10. v. 24. 25. Quicunque igitur Chriſto fideliter vult ſervire, is armet ſe hoc propoſito.

2. Non tamen patiuntur quantum homines volunt, ſed quantum vult Deus. Ego oſtendam quan-

tum oporteat pati. Deus prædefinivit quantum unumquemque oporteat pati pro nomine Chriſti. Quod de Chriſto dicitur Actor. 4. 28. id etiam de ſervis Chriſti verum eſt. Hoc ſolatio ſit. Quoniam enim Deus bonus & fidelis eſt fidelibus, non imponet plus quàm poſſunt ferre.

Actor. 9. v. 17.

CONCIO CV.

HActenus Ananiæ deſcriptio & Miſſio: Sequitur tertia pars hiſtoriæ, videl. miſſionis & accepti mandati exſequutio. In hac iterum tria particularia conſideranda:

1. Quid egerit.
2. Quid dixerit.
3. Quid effecerit ſuis actionibus & dictis.

Quid egit Ananias poſtquam iteratum Domini mandatum accepiſſet? Abiit, ingreſſus eſt domum ubi Saul erat, & ſtatim manum ei impoſuit.

I. Abiit. Recuſaverat ire, ſed denuò monitus nihilominus abiit. Planè ſicut ille filius de quo Matt. 21. v. 28. 29. Diſcamus hinc cedere melioribus admonitionibus. Si contingit nos carnis ſuaſionibus incitatos Deo aliquando negare obedientiam, ſaltem iterum iterumque moniti tandem cedamus, ne pervicaces declaremur. Sic Johannes recuſabat baptizare Chriſtum, ſed denuò monitus cedebat Matth. 3. v. 14. 15. Sic Petrus recuſabat lavari à Chriſto, ſed monitus cedebat Joh. 13. 8. 9. Sic Moſes Exod. 4. 1. 10. 13. 18. Sic Jeremias, & Jonas. Sic contingit nos ſemel bis terve negare Deo obedientiam, uno vel aliquot diebus, ſeptimanis, menſibus, annis recuſare onus Dei, cedamus tandem tot inſtantiis hortationum, minarum, judiciorum & plagarum, ne declaremur homines ferræ & chalybeæ frontis. Non deſunt vobis hortationes Domini, cedite tandem & diſcite ab injuſtitia.

II. Introiit in ædes ubi Saulus erat. Fugerat & abſconderat ſe à Saulo, quem audiverat veniſſe armatum cum poteſtate & lictoribus à ſacerdotibus ad ſe vinciendum, & formidabat in conſpectum ejus venire. Sed iteratum mandatum à Deo accipiens audet in ipſam domum intrare ubi Saul erat, & ubi ſine dubio lictores ejus adhuc cum ipſo erant. Eſt exemplum ſe excitantis ex metu, & induentis Chriſtianam fortitudinem, & ſeipſum animantis. Metus Ananiæ ipſum depreſſerat, ut etiam contra expreſſum Dei mandatum tergiverſaretur. Sed iterato mandato preſſus excitat ſe & induit alacritatem ac fortitudinem. Hoc cuilibet in exſequutione officii ſui imitandum. Sunt ſæpe partes officiorum, quarum functio periculoſa eſt, à quibus tremimus & metuimus. Sed cum tamen intelligimus voluntatem Domini, animus eſt ſumendus, & vincendus metus, & eundum quo mittimur, quantumvis trepidè. Hæc enim vera & Chriſtiana fortitudo, multum differens à dono impudentis audaciæ, quo multi ſunt præditi. Habemus mandatum, non ut in audacia & impudentia, ſed ut in timore & tremore faciamus officium & operemur ſalutem. Illa demum vera fortitudo, cum quis in medio metu & tergiverſatione carnis & ſanguinis, conſideratione divini mandati ſe animat ad exſequutionem officii. Hæc animoſitas planè non pugnat contra modeſtiam, quæ debet eſſe in quovis Chriſtiano, & præſertim in miniſtris Euangelii. Simile exemplum habes Phil. 1. 14. Imitemur hoc τολμᾶν, quoties fungendæ aliquæ partes officii quæ aliquid periculi habent & metum incutiunt. Ne ſuccumbamus timori, ſed animemus nos *Object.* At non poſſum ſuperare & excutere metum & tremorem. *Reſp.* Audere requiritur, laborare, conari. Audentes roborabit Dominus. Audentes fortuna juvat, ajunt Ethnici, quod Chriſtianè dixeris; *Audentem Chriſtus roborat.* Timentes & trementes propter peccata, & tamen ex fiducia in promiſſiones Euangelii audentes ſuſcipere præſcripta officia roborat Dominus. Audentes Diabolus metuit. Jac. 4. 7. Et Deus delectatur auſu & confidentiâ piorum in metu conſtitutorum, ſicut Pater delectatur auſu & conatu agendi, quem conſpicit in debili infanti, ut tantò velocius ſuccurrat & juvet. Cum igitur metu genua vacillant, erigamus per confidentiam, & Deus nos roborabit. Ne patiamur ut metus ignavus nos planè abſorbeat, & auſum ac conatum obediendi Deo in nobis exſtinguat. Contra Deum homines ſunt valdè audentes, ut ſæpe audeant Deo in faciem peccare, & inſultare, & facere quæ Deus ſeveriſſimis comminationibus interdixit 1 Cor. 6. 1. Sed cum Dei mandata hominum minas & pericula habent conjunctas, nemo illa audet facere. Conſideremus illud Chriſti Matth. 10. v. 28. Luc. 12. 4.

III. Impoſuit ei manus, ſcil. capiti ejus. Ceremonia impoſitionis manuum in alicujus caput ex

V. Teſt.

V. Teſt. deſumpta, in N. T. quadrupliciter ferè uſurpatus:

1. Ab benedicendum Matth. 19. 13. 15.,

2. Ad patrandum miracula, præcipuè ad ſanandum ægrotos Marc. 16. v. 18. Actor. 28. v. 8. Marc. 7. v. 32.

3. Ad conferenda dona Spiritûs S. viſibilia præcipuè Act. 8. 15. 17. Act. 19. 6.

4. Ad conſecrationem & ordinationem miniſtrorum & officiariorum eccleſiaſticorum, quæ tamen etiam conjuncta cum aliqua communicatione Spiritûs S. Actor. 6. v. 6. Actor. 13. v. 8. 1 Tim. 4. v. 14. 1 Tim. 5. v. 22.

Quo fine autem hoc loco uſurpatur?

Reſp. 1. Ad ſanandam cœcitatem. Habebat Ananias donum ſanationis. Imponit igitur manus ut ſanet.

2. Ad dandum & conferendum Spiritum S. Erat quidem poteſtas conferendi dona viſibilia Sp. S. Apoſtolis ferè reſervata, ut docuimus Act. 8. 14, 15. Sed tamen Ananias, etſi non Apoſtolus, à ſingulari Dei vocatione eandem habuit.

3. Ad conſecrandum & ordinandum Saulum in Apoſtolum. Donum θαυματεργίας omnis generis hominibus communicabatur, fortè etiam ipſis mulieribus Actor. 21. 9. Poteſtas conferendi Spiritum S. viſibiliter ſolis Apoſtolis ferè erat reſervata, niſi quis alius ab ipſo immediatè eam acciperet, vel ex Apoſtolorum commiſſione, & quod ordinaria etiam Presbyteria quædam dona conferebant 1. Tim. 4. 14. Verùm Ananias ad Saulum non tantum venit ut θαυματεργὸς, nec tantum ut Apoſtolus ad conferenda dona, ſed etiam ut Presbyter ad conſecrandum & ordinandum. Quoniam enim Ananias expreſsè dicit, ſe à Deo miſſum non ſolùm ut viſum reciperet, ſed etiam ut Spiritu S. impleretur, patet inde, quod ordinationis cauſâ hæc ceremonia etiam fuerit adhibita. Objicit quidem Jeſuita quidam, non poſſe ordinationem intelligi, quia non potuerit conſecrari & ordinari Apoſtolus antequam baptizatus eſſet Chriſtianus, poſtea autem demum baptizatum eſſe. Sed nulla ratio eſt, cur ordinationem debeat præcedere baptiſmus externus. Potuit enim Deum Paulum tam ad Chriſtianiſmum quàm ad Apoſtolatum vocare, antequam Paulus ſuam vocationem per receptionem baptiſmi reciperet & profiteretur. Cadit igitur commentum Pontificium, quod ordinatio miniſtrorum per impoſitionem manuum non poſſit fieri niſi ab Epiſcopo. Ananias enim Epiſcopus non fuit ſenſu quidem Pontificio. Quæritur autem hic, an impoſitio manuum ſit Sacramentum divinitus inſtitutum, & ad ordinationem miniſtrorum neceſſarium? *Reſp.* Nec Sacramentum eſt, nec neceſſaria. Sacramentum non eſt, ſed tantùm conſueta ceremonia, quia non eſt ſignum & ſigillum fœderis gratiæ. Neceſſaria non eſt, quia non fundatur præcepto, ſed tantùm exemplis Apoſtolicis, quæ ceremoniam aliquam non poſſunt facere neceſſariam, ſed tantùm licitam, ſi abſit ſuperſtitio. Voluit Deus hanc impoſitionem manuum intervenire, non quia neceſſaria erat, poterat enim immediatè ſanare & ſpiritu implere, ſed ut nobis recommendaret uſum mediorum, ne expectemus Spiritum S. ſine mediorum uſu, ut faciunt illi, qui ſe putant congregationes ſacras & uſum Sacramentorum ſine damno poſſe deſerere, nec multum in iis ſitum eſſe.

Hactenus quid egerit Ananias: Sequitur quid dixerit. Dixit: Saul frater, Dominus Jeſus, qui tibi apparuit in via quâ veniſti, miſit me, ut iterum videas & Spiritu S. implearis. Non eſt putandum, Ananiam non plura dixiſſe Paulo quàm quæ hîc narrantur. Nam venit eo fine, ut Saulo indicaret quid ipſi faciendum eſſet, ut promiſerat Chriſtus ſupra v. 6. Non tantùm ad ſanandum, ſed etiam ad docendum Paulum fuit miſſus. Qui enim mittitur ad baptizandum, mittitur etiam ad docendum & inſtruendum in Chriſtianæ religionis notitiâ. Hinc Actor. 22. ubi Paulus ipſe hanc hiſtoriam recitat, dicitur Ananias v. 14, 15, 16. Paulum ſic alloquutus: Deus Patrum noſtrorum elegit te, &c. Et quod Actor. 26. v. 16, 17, 18. Chriſtus ſcribitur dixiſſe Paulo, id ſine dubio etiam non immediatè ex cœlo, ſed per hunc Ananiam dixit. Plurima igitur Ananias Paulo dixit, quibus ipſum tum de Chriſtianiſmo tum de Apoſtolatu ejus latè inſtituit. Nos nunc non explicabimus, niſi quæ ſunt in hoc textu, cætera reſervaturi ſuis locis.

1. In genere notamus, quod ceremoniæ conjunxit verbum. Mutæ ceremoniæ vim nullam habent, niſi quod confirmant quæ verbo declarantur. Ubi igitur verbum non eſt, ibi ceremoniæ non habent uſum. Hoc redarguit inſulſos ſacrificulos, qui in adminiſtratione Miſſæ populum paſcunt nudo ſpectaculo ceremoniarum ſine additione verbi quod poſſit à populo intelligi. Si ceremoniæ non habent verbum, non habent uſum.

2. Appellat Saulum fratrem. Agnoſcit ipſum membrum Eccleſiæ Chriſtianæ, & dat ei titulum quo ſe invicem Chriſtiani compellabant. Non inſiſtam nunc recenſendis diverſis ſignificationibus vocabuli *frater*, nec enarrandis rationibus propter quas ſe Chriſtiani fratres appellabant invicem. Exemplum tantùm notamus animi ad remittendum proni. Hoſtem qui tantum mali fecerat, & faciendi majoris mali Damaſcum venerat, fratrem appellabat. Hoc eſt illud celeriter propitium fieri adverſario ſuo Matth. 5. 25. Habuerat ob oculos graves injurias & pericula, quæ ipſe & cœteri Chriſtiani paſſi erant ab hoc Saulo, indeque gravi odio hujus viri ardebat, ut ſolent pii impios odiſſe quâ & quamdiu tales. Sed cum audit Paulum ceſſare ab impietate, ſtatim ceſſat ab odio, immò odium in amorem mutat, & fratris nomine ipſum ſalutat. Utinam nos quoque poſſimus diſcere ita celeres eſſe in obliviſcendis injuriis & mutando odio ac ira in amorem. Monemur Jacob. 1. 19. Matth. 5. 25. ut ſimus tardi ad iram, celeres ad remiſſionem, ſed nos contrarium facimus. Diſcamus ab Anania hanc celeritatem placationis. *Object.* Vellem equidem remittere & placari, ſi adverſarius meus talem culpæ confeſſionem ederet & ab omnibus injuriis ceſſaret, ut ſine dubio Saulus fecit coram Anania. Sed meus adverſarius ſe non humiliat coram me, non fatetur culpam, immò non ceſſat facere injurias. *Reſp.* 1. An igitur hoc pacto ſequeris exemplum Jeſu Chriſti ſalvatoris tui, an ille tam diu iram ſuam contra te ſervavit, donec tu te humiliares, & ab injuriis in eum ceſſates? 2. An hoc pacto ſequeris exemplum Ananiæ? An Ananias tam diu odium ſervavit, & ceſſavit adire ac ſalutare Paulum, donec Paulum videret ſe humiliantem & deprecantem? Immò non hoc exſpectavit, ſed Dei mandatum reſpexit, & ad Paulum à malitia ſua convertendum abiit. 3. An tu ſic feciſti adverſario tuo, & omnia Chriſtiana media tentaſti quibus adverſarium tuum converteres & tibi placeres! immò malum malo, convitium convitio, iram irâ compensâſti. Eſt, fateor, licitum contra adverſarium, ſua vitia non agnoſcentem, aliquâ uti ſeveritate & duricie, quâ adducatur ad culpæ agnitionem, ſed ea non debet eſſe par injuria & par acerbitas cum ea, quâ utitur ipſe, ſed ex amore & ſedato animo profecta defenſio. 3. An juſtum eſt te fratris titulum negare illi, qui tibi privatam aliquam infert injuriam? Quantumcunque ſit baptizatus, in doctrina Chriſtiana informatus, in Eccleſiæ gremium receptus, quantum ad cæteram vitam pius, tamen quia tibi tuo quidem judicio, aliquam infert injuriam, verbulum iniquum loquitur, murum tuum ſuum judicat, &c. ideo non eſt frater ſed hoſtis! An hoc æquum? Quid igitur eſt iniquitates mutuas ferre? quid *μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀποστερεῖσθαι ἢ κρίματα ἔχειν*, 1 Cor. 6. 7.

3. Provocat ad miſſionem ſuam, & in ea ſuum adventum fundat: Dominus Jeſus, qui tibi apparuit in via quâ veniſti, miſit me. q. d. Sponte ad te non veniſſem. Novi enim te, novum ſcopum tuum propter quem Hieroſolymâ huc veniſti. Sed nôſti quod in itinere tuo tibi apparuerit Dominus Jeſus, & quid tibi dixerit. Ille Jeſus me huc miſit ad te. Utile admodum eſt poſſe in operibus, quæ ſuſcipimus, provocare ad vocationem divinam, eamque oſtendere. Nam qui aliquid ardui ſuſcipit non vocatus à Deo, benedictionem ſuper laborem ſuum non poteſt exſpectare, nec habet ſolatium contra pericula, quæ in opere faciendo ſe ſæpe objiciunt. Ne itaque curramus quò non mittimur, nec ſimus *ἀλλοτριεπίσκοποι*, fugiamus *πολυπραγμοσύνην* nec ſuſcipiamus non neceſſaria Prov. 12. 11. & 28. 19. Pſ. 91. 11. Præſertim in Eccleſia non decet *unumquemque velle eſſe doctorem* Jacob. 3. 1. ſed *qui vocatus eſt ut Aaron* Heb. 5. 4.

4. Denique exponit finem propter quem venerit, nimirum ut Saulus viſum reciperet & impleretur Spiritu Sancto. q. d. Non eſt quod à me metuas. Non veni ad te animo nocendi, ſicut tu ad me, ſed animo benefaciendi. Non incipit prædicationem à lege, ſed ab Euangelio. Quare? quia non mittitur ad ſecurum peccatorem convertendum, ſed ad contritum peccatorem conſolandum. Contritionem Sauli ipſe Chriſtus immediatè ſuâ voce in itinere peregerat. Ananias autem mittitur, ut læto nuncio contritum Saulum exhilaret. Quod autem illud Euangelium quod affert? Nuncium de reſtituenda valetudine, & nuncium de conferendo Spiritu S. Duo læta nuncia. Venit ut reſtituat viſum oculorum corporis. Venit ut illuminet animam luce Spiritus S. ut videat quæ videre antea non poterat, videlicet myſteria & mirabilia legis & Euangelii. Sed annon Paulus jam antea in ipſa Chriſti apparitione Spiritum S. acceperat, & ad ſalutarem Chriſti agnitionem adductus & verè converſus erat? Immò acceperat. Sed Ananias tamen mittitur

tiuur 1. Ut in converſione & præſertim in agnitione Chriſti & ſolatio ac gaudio animi roboraretur. 2. Ut acciperet ſpiritualia dona quæ ad fungendum Apoſtolatum neceſſaria erant, e. g. donum linguarum, prophetiæ, miraculorum, &c. Hic finis propter quem ad Saulum mittebatur Ananias. Habes igitur impletam promiſſionem Saulo factam verſu 6. atque ita exemplum fidelitatis divinæ in implendis omnibus promiſſionibus. Etſi diſtulerat per triduum, tamen implet. Diſcamus igitur exſpectare tempus Domini, ut nuper monui ex Habac. 2. v. 3. Dicit aliquando nobis quod matri ſuæ dixit Joh. 2. v. 2. Diſcamus igitur tacere & exſpectare ut illa.

Actor. 9. v. 8, 9.

CONCIO CVI.

SEquitur quid Ananias factis & dictis ſuis effecerit:

I. Primus effectus eſt reſtitutio viſûs, quæ ſic deſcribitur, quod confeſtim deciderint ab oculis ejus quaſi ſquamæ, & ſtatim iterum viderit. Morbum oculorum contraxerat. ἐξαίφνης v. 3. Convaluit etiam ἰδίως καὶ παραχρῆμα. Utrobique divina elucet potentia. Chriſtus inflixerat morbum, Chriſtus etiam reſtituit ſanitatem.

1. Chriſtus inflixerat morbum. Opera Dei, quæ facit, ſunt triplicia. Quædam facit ut creator. Sic facta cœlum, terra, mare & omnia quæ ſunt in illis. Quædam facit ut Judex. Sic fiunt à Deo paupertas, morbi, ignominia, peſtis, bella, mors. Non enim malum quod non facit Dominus Amos 3. Quædam facit ut Pater. Sic factus eſt Jeſus Chriſtus Salvator hominum, ſic fiunt omnes benedictiones & omnia beneficia quæ contigunt hominibus, tum ea quæ impiis contingunt ad invitandum, tum quæ piis ad remunerandum. Prima opera ſunt à libertate Dei. Creavit enim quia voluit. Secunda ſunt à juſtitia & ſeveritate Dei. Punit quia peccavimus. Ultima ſunt à miſericordia, longanimitate & gratia Dei. Gratiâ ejus ſalvati ſumus, non ex nobis. Quicquid autem facit ſive ex libertate, ſive ex juſtitia, ſive ex gratia, facit ad ſuam gloriam & electorum ſalutem. Quomodo autem fecit hunc morbum Sauli? Non ut judex ad Saulum puniendum, ſed ut Pater ad Saulum humiliandum & aptandum ad ſanitatem animæ. Ideo enim cœcum fecit corpore, ut cœcitatem animæ agnoſcens ſe humilitaret & illuminationem peteret, ut ſupra diximus. Etſi enim morbi & mors propriè ſunt pœnæ à juſtitia Dei vindicatrice profectæ, tamen per gratiam fiunt inſtrumenta miſericordiæ, ad exſequendam miſericordiam in vaſis miſericordiæ. Qualis autem fuit illa cœcitas, quam Chriſtus Saulo inflixit? ὡσεὶ λεπίδες. Vocula notat 1. ſquamas piſcium, vel cortices & putamina fructuum. 2. genus morbi quod *porriginem* Latini vocant. Fuit igitur miraculoſa cœcitas, non orta ex ſola vi fulguris, vel ex catharro decidente, ſed ex verberante manu Dei, quæ intimum ſuccum oculorum exſiccavit & in porriginem convertit, quam oculus quaſi ſquamâ textus eſt, Gravis eſt manus Dei, quid non poteſt? Pſal. 32. 4.

2. Sed qui morbum inflixerat, idem etiam ſanat, & quàm ſubitò læſerat, tam ſubitò ſanat, idque non tantùm auferendo ſquamam quâ tegebatur oculus, ſed & novam videndi virtutem reſtituens. Factum quidem hoc per impoſitionem manuum, ſed illa nec cauſa nec propriè dictum inſtrumentum fuit hujus ſanationis, ſed ſignum potius voluntatis divinæ. Vis autem ſanationis à manu Chriſti profecta eſt. Itaque non reſpiciamus manus Ananiæ, ſed manus Chriſti. Habet manus graves ad verberandum, habet etiam agiles ad ſanandum. Itaque cum malè agis & bene vales terrearis. Facile eſt Domino te concutere & dejicere. Cùm bene agis & male vales, gaude. Habes enim Dominum qui παραχρῆμα poteſt ſalvare etiam ab incurabilibus morbis. Intueamur has manus Chriſti cum timore & tremore filiali, Pſal. 123. v. 2. præcipuè autem in hac ſanatione Pauli non hæreamus in reſtitutione viſûs externi, ſed meditemur reſtitutionem viſûs interni quam hæc externa ſanatio adumbrat. Paulus non tantùm habebat ſquamas corporales in oculo, ſed ſpirituales in intellectu. Habebat enim tegmen illud cordis de quo 2 Cor. 3. v. 14. 15. Sicut corporalis oculus Sauli exſiccato criſtallino humore induruerat inſtar cornu & ſquamæ; ita intellectus Sauli amiſſa luce cœleſti, quâ Deus hominem creatum colluſtraverat, induruit inſtar ſquamæ, ut non videret in lege Dei ſuam miſeriam & corruptionem, nec in Euangelio Dei myſteria gratiæ. Hæ illæ λεπίδες præcipuæ quas Deus à Saulo abſtulit, hic ille viſus quem ei reſtituit. Sicut enim ſanatio Sauli; ita ſpiritualis illuminatio peccatoris in duobus præcipuè conſiſtit 1. ut mortificetur & abſtergatur vel defricetur tegmen carnalis & inflantis ſcientiæ ac ſapientiæ, quâ non videntes putamus

mus nos videre. Hæc enim ſapientia tegmen eſt quod nos cœcos facit, hæc ſquama intellectûs quæ verum viſum impedit Joh. 9. 36, 41. 2. Ut accendatur nova lux cœlitus illapſa. Non enim ſola remotione & mortificatione corruptionis, quæ inſtat tegminis oculum occupat, opus eſt, ſed etiam novâ illuminatione. Hoc enim illud λάμπειν εἰς καρδίαν αὐτοὺς φωτισμὸν τῆς γνώσεως. 2 Cor. 4. 6. Hac ſanatione nos omnes indigemus. Non ſumus omnes cœci corpore, ſed cœcitatem animæ omnes cum Paulo habemus communem. Sit itaque quotidianæ precationis pars, ut Deus nos illuminet. Pſal. 119. 18. Epheſ. 1. 17, 18. & 3. 18. præſertim etiam ut tollat illam ſquamam carnalis ſapientiæ, quæ nos decipit & cœcos reddit ne videamus proprios nævos ad veram humiliationem. Diligenter etiam utamur medio, quo Deus nos vult illuminare, ſcilicet prædicatione verbi. Etſi enim intellectus noſter non poteſt ſalutariter intelligere verbum, antequam oculis ejus aperiatur per Spiritum, tamen illa apertio oculi non fit ſine verbo, ſed per verbum.

II. Secundus effectus eſt receptio baptiſmi. Surgens baptizabatur. Hoc effecit Ananias, ut Paulus baptiſmum reciperet. Non enim obtruſus ei fuit baptiſmus, nec tantùm ſivit & permiſit ut baptizaretur, ſed baptiſmum deſideravit & petiit. Sicut Eunuchus cap. 8. 36. Hoc ſignum fidei in Jeſum Chriſtum, ſi quis ardenter appetit Sacramenta. Sicut appetitus nutrimenti ſignum eſt vitæ; ita appetitus Sacramenti eſt ſignum regenerationis & fidei. Qui fidem non habent, ſigna & Sacramenta fidei adminicula contemnunt. Eſa. 7. 12. Sed ubi Sacramenti appetitus eſt, fidem præſentem ſignat. Eſt quidam Sacramentorum quidem perverſus & ſuperſtitioſus appetitus in iis, qui non rectè inſtituti Sacramenta appetunt tanquam media & cauſas juſtificationis. Sic impii omni juſtitiâ deſtituti præſidium ponunt in Sacramento. Sed ſi quis rectè inſtitutus, quod Sacramenti vis non ſit alia, quàm obſignatio promiſſionum Euangelii, & medium roborandi fidem, in eo appetitus Sacramenti certum eſt ſignum fidei. Sed hæc latiùs tractavimus in hiſtoria Eunuchi.

III. Tertius effectus eſt receptio cibi ac potus ad robotandum corpus. Tribus diebus non ederat nec biberat verſ. 9. Jam eum perſuaſit & animavit Ananias ut ederet & biberet. Edere & bibere in ſe ipſo nec ars nec virtus eſt. Si quis eſurit & habet quod comedat, non opus eſt vocare Paſtorem, qui perſuadeat ut edat & bibat. Sed contingit tamen homines etiam ſanos ita abſtinere à cibo & potu, ut opus ſit concionatore, qui perſuadeat uſum cibi. Fieri id poteſt duplici de cauſa:

1. Cum terror, metus & triſtitia cor occupat Vide Actor. 27. 33, 34.

2. Cum quis nimiâ diligentiâ officii ſanitatem corporis negligit 1 Tim. 5. 23.

Edere & bibere in ſe ipſo res eſt indifferens, quæ nec præcipitur nec prohibetur, & tamen edendo & bibendo variè poteſt peccari. Hinc Paulus hortatur 1 Cor. 10. 31, 32. ut edentes & bibentes edamus ad gloriam Dei, & caveamus cuiquam dare offendiculum. Et ſicut fruitione cibi Sacramentalis judicium nobis poſſumus edere & bibere 1 Cor. 11. v. 29. ita etiam cibi communis. Quomodo?

Reſp. 1. Cum inter cibum & cibum ſuperſtitiosè diſtinguimus, unum cibum putantes licitum, alterum profanum & impurum. Sicut qui hoc diſcrimen docent, tradunt doctrinam diabolicam; ita qui eam obſervant peccant gravi ſuperſtitione. Hoc enim eſt refodere ſepultas legis ceremonias & negare adventum Chriſti. Vide Act. 10. 15. Rom. 14. 14, 17, 18. Coloſſ. 2. 16, 17, 20. 1 Tim. 4. 3, 4.

2. Cum cibum comedimus quem non ſanctificavimus. Non ex pane vivit homo, ſed & verbo & benedictione Dei Matth. 4. Qui itaque in ſubſtantia panis acquieſcens non eſt ſollicitus de impetranda benedictione Dei, is graviter peccat, quærens robur vitæ in pane, quod apud Deum quærere debebat. præſertim poſtquam creaturæ propter peccatum quaſi maledictione armatæ ſunt, debent precibus ſanctificari 1 Tim. 4. 15. Deuter. 8. 10. In cibo reſpiciendus eſt Deus, & guſtanda ejus in nos bonitas, ne ſimus inſtar porcorum, qui glandes comedunt nec arborem reſpiciunt.

3. Cum leviter profundimus & inutiliter conſumimus. Cibus & potus habet quandam ſpeciem ſanctitatis & poteſt profanari. Sunt enim non tantùm creaturæ, ſed benedicta etiam media, quorum ſubſtantia convertitur in ſubſtantiam corporis humani, quod templum Domini & membrum Chriſti eſt, nec non in vires quibus colatur Deus & curetur vocatio. Hinc animus naturâ horret, ſi quem cibum & potum videt leviter profundi & pedibus conculcari. Qui igitur cibo ac potu ita ſe ingurgitant, ut non poſſit digeri in ſubſtantiam & robur corporis, ſed per ſeceſſum ejiciatur ut aſſumptus eſt, quid illi faciunt aliud, quàm quod

quod ſancta & benedictaDei dona abjiciunt in cloacam & ita profanant? Ne dicam quod illa ipſa media, quibus roborare corpus ſuum debeant ad gloriam Dei & utilitatem proximi, uſurpant ad ſanitatem corporis perdendam. Immò quod cor gravant ac ſaginant, ut fiat inutile ad recipiendum verbum Dei, & ſubito judicio Dei ſæpe abripiantur ad exitium Luc. 21. 34.

4. Cum panem injuſtitiæ comedimus. Cum quis filius ex raptu vivit vel furto, is vivit ad ignominiam ſui patris. Sic ſi quis vivit ex pane injuſto, is ſuo Salvatori maximæ eſt ignominiæ. Quid enim aliud facit, quàm quod negat Patrem cœleſtem eum vel poſſe vel velle ſuſtentare. Hinc mandatur ut noſtro veſcamur pane, 2 Theſſ. 3. 20. & 10. Eph. 4. v. 28. Prov. 20. 17.

5. Cum edimus & bibimus cum ſollicitudine ventrali & avaritia, dicentes illud Matt 6. *Quid edemus? quid bibemus?* Sicut profundere bona dona Dei non eſt juſtum; ita ſubtrahere corpori neceſſarium nutrimentum peccatum eſt, ſive fiat ex avaritia, ſive ex metu & triſtitia. Qui vel ex avaritia vel ex triſtitia, vel ex ſcrupuloſitate & ſuperſtitione à cibo & potu abſtinent, hi monendi ſunt ut edant & bibant. Sic Ananias Paulum adegit ad edendum; ſic Paulus ſuos comites & Timotheum. Act. 27. 1 Tim. 5. Sic Nehemias triſtes Judæos Neh. 8. 11. Eſt doctrina quam licet proponere concionatoribus, quod edere & bibere, (quantum ad tuendam ſanitatem, & ad vires vocationis ſufficit, nec Chriſtianiſmi ac precum impedimentum eſt) ſit res juſta quæ conſcientiam non lædit. Etſi proh dolor! nimis multi ſunt qui potius opus habeant reſtrictione quam animatione ad edendum & bibendum. Tum edere & bibere virtus eſt, cum triſtitiâ & metu quaſi abſorpti, fiduciâ divini auxilii nos animamus ad corpus cibo potuque roborandum, ut ſuſtinere divinum opus poſſit, donec veniat hora liberationis.

6. Cum edimus & bibimus ad offendiculum proximi. Duplici modo damus proximo offendiculum.

I. Cum actionibus noſtris contriſtatur Rom. 14. v. 15. Sic Chriſtiani, qui eo tempore, cum Judæi converſi nondum ſatis eſſent inſtituti in Chriſtianiſmo, comedebant cibos qui in V. T. fuerunt interdicti, abutebantur ſua libertate ad contriſtandos infirmos.

II. Cum actionibus noſtris ſeducitur ad agendum quod malum eſt. Sic Ethnici, videntes Chriſtianos ſecum communicare in cibo idolorum, ſeducebantur per hoc, ut putarent idololatriam ſuam non eſſe tam grave peccatum. Sic Chriſtiani, dubitantes de jure, ſeducebantur ut contra conſcientiam comederent. Hinc tantopere monemur ne edamus ad ſcandalum proximi 1 Cor. 8. 13. Rom. 14. 15. 20. 21. Diſcamus cavere, ne exemplis noſtris efficiamus ut ebrietas, frequentia conviviorum, præſertim Sabbatho & jejuniis, pro peccato non habeatur.

7. Denique peccamus edendo & bibendo, cum non obſervamus ordinem, quem Paulus obſervavit. Prius baptizabatur tum comedebat. Non debemus nobis in edendo & bibendo indulgere antequam quæ ad reconciliationem noſtri cum Deo pertinent, peregimus. Naturâ nõ habemus jus in creaturas propter inimicitiam cum Deo. Faciamus igitur ut Paulus, qui de miſeria monitus nec edere nec bibere voluit, donec didiciſſet conſilium ſalutis, eique obediens eſſet factus. Poſtquam hoc feciſſet, ſurrexit lætus & donis Dei reconciliati uſus eſt ſine ſcrupulo.

Actor. 9. v. 19. 20.

CONCIO CVII.

Actiones & officium, ad quæ homines à Deo obligati ſunt, duplicia ſunt, videlicet officia Chriſtianiſmi & vocationis. Illa ſunt omnibus communiter injuncta; hæc inter homines diviſa & diſtributa, ut alius ad hoc, alius ad aliud obligatus ſit. Omnes homines obligati ſunt ad colendum Deum, amandumque ſe & proximum, & dandam operam omnibus virtutibus, ſed tamen tum in cultu Dei tum in amore proximi quædam ſunt officia particularia, quæ ab omnibus peragi non poſſunt, ſed per gubernationem & vocationem Dei ita inter homines ſunt diſtributa, ut alius ſit doctor, alius diſcipulus, alius ſuperior, alius inferior, alius huic arti vel opificio deditus, alius alii, prout Deus gubernatione & vocatione ſua diſpoſuit. Etſi enim particularia illa officia non ſemper diſtribuit per ſolennes vocationes, ut quædam, tamen per diſtributionem & varietatem donorum omnia illa ita gubernat, ut ad divinam vocationem merito referatur ſtatus cujuslibet, in quo Deo & proximo ſecundum voluntatem Dei ſervit. Hanc varietatem vocationum Chriſtianiſmus non tollit, ſed ſtabilit 1 Cor. 7. 20. 21. Qui-

cunque igitur vult eſſe bonus Chriſtianus, non tantum debet diligens eſſe in communibus officiis Chriſtianiſmi, ſed etiam in partibus ſingularis ſuæ vocationis, e. g. doctor in docendo, diſcipulus in diſcendo, rector in regendo, ſubditus in obediendo, artifex in exercenda arte, opifex in opificio, &c. Vide Rom. 12. 6, 7, 8.

Hiſtoria Pauli, quatenus hoc capite proponitur, duo habet capita: I. Converſionem Pauli quâ ipſe Chriſtianus factus eſt, II. Miniſterium Pauli, ſeu potius initia quædam miniſterii, quo vi peculiaris vocationis, alios Chriſto adducere laboravit. Quod enim Paulus Chriſtianus factus alios quoque ad Chriſtianiſmum convertere laboravit, id non tantùm fecit vi Chriſtianiſmi & communis charitatis, quâ omnes converſi tenentur alios convertere Pſal. 51. 15. Luc. 22. 32. Sed præcipuè vi vocationis, quâ vocatus eſt, ut, miſſis aliis negotiis mundanis, eſſet Apoſtolus, qui nomen Chriſti portaret coram gentibus, & thuribulum illud electum in templo Dei, quod odorem notitiæ Chriſti undiquaque diſpergeret. Hactenus vidimus primum membrum hujus hiſtoriæ, ſcilicet hiſtoriam converſionis. Sequitur initium miniſterii, quo ſingulari ſua vocatione Apoſtolatûs & doctoris fungi cœpit. Hanc functionem miniſterii Pauli non continuatâ ſerie Lucas deſcribit, ſed hinc inde quædam exempla illius enarrat, quæ ipſi & Spiritui S. viſa ſunt Eccleſiæ fore utiliſſima, multa interim præteriens quæ Paulus in functione Apoſtolatûs ſui perpetravit. Hoc capite duo particularia exempla deſcribuntur: 1. Prima functio illius in urbe Damaſcena. 2. Prima functio illius in urbe Jeruſalem. Prior deſcribitur verſibus 19. 20, 21, 22, 23, 24, 25. In hac hiſtoria tria ſunt videnda:

1. Converſatio Pauli: manebat cum Diſcipulis qui erant Damaſci.

2. Prædicatio illius. Statim prædicabat Chriſtum, quod eſſet Chriſtus & Filius Dei.

3. Effectus prædicationis, & quid illi propter eam acciderit.

Manebat, inquit, per aliquot dies cum diſcipulis. Qui vult vivere in mundo, debet ſibi eligere ſodalitium aliquod quo cum converſetur & amicitiam colat. Hactenus converſatus fuerat Saulus cum impiis. Mutato autem animo mutat ſodalitium, & ſe jungit diſcipulis, i. e. Chriſtianis. Cum impiis enim, hæreticis, idololatris converſari & amicitiam colere non eſt licitum. Vide Pſalm. 15. 4. Pſal. 16. 3. Si Deus mandavit ut abſtineamus à conſortio fratrum & Chriſtianorum qui diſſolutè ambulant & veram doctrinam non habent 1 Cor. 5. 9. 2 Theſſ. 3. v. 14. Eph. 5. 11, &c. multò magis temperare debemus converſationem noſtram & amicitiam cum illis, qui atheiſmum, impietatem & idololatriam apertè profitentur. Eſt, fateor, licitum converſari cum omnibus, ſicut legimus Chriſtum interfuiſſe conviviis Phariſæorum & Publicanorum, ſed hoc non fecit animi & amicitiæ causâ, ſed quærens occaſionem docendi & convincendi. Verùm à tali converſatione longè abeſt iſtud conſortium, quo tam arctam amicitiam jungimus cum impiis & infidelibus ut unum jugum cum illis induamus, 2 Cor. 6. v. 14. quale præcipuè jugum & conſortium eſt connubium cum Samaritanis & idololatricis uxoribus. Præſertim Pauli exemplo diſcant qui recenter converſi ſunt & nondum ſatis firmi, ut ſe jungant diſcipulis, ut eorum conſortio in fide confirmentur.

Poſtquam autem ſodalitium elegit quo cum converſaretur, ſtatim ſe accinxit functioni vocationis, ſtatim prædicavit. Non fuit ut Jeremias, Moſes, Jonas, Ananias, non conſultavit cum carne & ſanguine, an periculoſum ſit futurum, &c. Gal. 1. ſed ſtatim prædicavit. Spiritus Dei irrupit in ipſum & prophetabat 1 Sam. 19. 23. Cum de voluntate Dei certi ſumus, prompti & parati eſſe debemus ad faciendum. Vide Jerem. 48. 10. Sicut Deus amat hilarem & promptum datorem 2 Cor. 9. 7. ita hilarem & promptum operatorem. Tepiditas Deo nauſeæ eſt Apoc. 3. promptitudo Spiritûs requiritur, ut etiam curramus 1 Cor. 9. Deliberatio cum carne & ſanguine ſuper agnita voluntate Dei periculoſa, & arguit cor minùs rectum coram Deo. Videant quid faciant qui de veritate Euangelii convicti propter externos reſpectus parentum, amicorum, &c. manent in ſchiſmate, in hæreſi, idololatriæ communione, &c.

Objectum primæ prædicationis Paulinæ exprimitur generaliter & ſpecialiter.

Generale objectum eſt Chriſtus Prædicavit Chriſtum. Non prædicavit Deum, nec Moſen, nec ſeipſum. Cum ad Ethnicos veniebat, prædicabat Deum & Moſen. Laborabat enim ut ab idolis averſi verum Deum creatorem unicum agnoſcerent, & ut legem Dei ſcientes de peccato & miſeria ſua convincerentur, ut patet ex concione ad Lyſtrenſes Actor. 14. v. 15, 16, 17.

v. 15, 16, 17. & ad Athenienſes Actor 17. 22, 23. &c. & ex primo cap. ad Rom. Iudæi autem de his omnibus per Moſen erant edocti & convicti, ſolâ agnitione Chriſti carentes. Chriſtum igitur prædicat. Non prædicat Petrum. Hodie Papa Romanus non Chriſtum ſed ſeipſum prædicat & Romani ſacrificuli non Chriſtum ſed Papam prædicant. Quid homines de Chriſto ſentiant vel non ſentiant, parùm curant, modo hoc ſentiant, Petrum fuiſſe Principem Apoſtolorum, caput Eccleſiæ, & Papas eſſe Petri Succeſſores in Cathedra Apoſtolica, & qui his non eſt ſubditus, illum non poſſe ſervari, ſed eſſe extra Eccleſiam Catholicam & hæreticum damnatum. Non fingo quæ loquor, didici ex laicis & clericis. Laicis perinde eſt quid de Chriſto ſentiant & ſciant, alius hoc credit, alius aliud, immò plerique nihil ſciunt, ſed ſe paſcunt ſpectaculo ceremoniarum Miſſalium, & ſimpliciter ſe reſolvunt in authoritatem ſuorum clericorum & ſedis Romanæ, dicentes, *Illi curant pro nobis, nos ſimpliciter illis nos ſubmittimus.* Clerici aliquid ſciunt & docent de Chriſto, ſed quicquid ſciunt & docent ſimpliciter ſubmittunt ſedi Apoſtolicæ Romanæ, ſi illa probat, verum eſt, ſi aliud probat, parati ſunt ſequi, modò Petro & ejus ſedi ſint ſubditi, etſi nil de Chriſto certi habeant, ſalvi ſunt. Sedes Romana quædam dogmata definivit, ea credunt & defendunt quantumcunque ipſiſmet videantur abſurda. Quædam dogmata ſedes Romana non definivit. In iis veritatem nobiſcum docent & defendunt multi Pontificii Clerici, ſed tamen ita, ut omnem ſuam fidem ſuſpendant à ſede Romana Petri, parati credere Falſum eſſe quod nunc ſciunt Verum eſſe, ſi ita ſedi Romanæ videbitur. e. g. Maria virgo an concepta ſit in peccato nec ne, ſedes Petri noluit hactenus decidere. Multi igitur Pontificii doctores veritatem nobiſcum in hac parte vident & defendunt contra magis Idolatricos Mariæ adoratores, ſed tamen ita, ut parati ſint aliter credere, ſi Petrus in Cathedra aliter deciderit. Sic quinque articuli de Peccato & Gratia in Papatu eodem modo diſputantur inter Ieſuitas & cæteros, ut hic diſputantur inter Reformatos & Remonſtrantes. Petrus in Cathedra hactenus noluit decidere. Multi itaque contra Ieſuitas & Remonſtrantes veritatem nobiſcum agnoſcunt & defendunt, ſed tamen ita, ut parati ſint cum Ieſuitis & Remonſtrantibus ſentire, ſi Petrus in Cathedra ita deciderit. Vide Auguſtinum Janſenii pag. 1071. Incertum eſt an Petrus unquam Romam viderit, falſum quod in Cathedra Romana ſederit Epiſcopus, & ſi ſediſſet, hoc certè prædicare non eſt Chriſtum prædicare, ſed Petrum prædicare. Sic non fecit Paulus, ille ſuam fidem à Petri auctoritate non ſuſpendit, nec abiit Hieroſolymam ut cum Petro conferret & ab eo diſceret quid prædicare deberet, ſed per integrum triennium ne ſemel quidem Petrum circumſpexit, ſed ſtatim poſt vocationem Damaſci & in Arabia Chriſtum prædicavit, & poſt triennium demum cum Petro contulit Gal. 1. v. 17, 18. & cum ad Petrum veniſſet, in tantum non ſuam fidem à Petro ſuſpendit, ut ei in faciem reſiſteret, eumque redargueret Gal. 2. 6, 7, 8, 11. Si rem rectè reputes, huc redit differentia inter Paulum & Papam. Papa ſic concionatur: Noli tu Chriſtum diſcere ex Scriptura, ſed tantummodo me agnoſce pro capite Eccleſiæ, & crede quæ ego te jubeo, tum depono & oppignero tibi animam meam quod ſis ſalvus futurus. Paulus verò & ejus imitatores ſic concionantur: Si vel de Petro, vel de Paulo, vel de Papa ne fando quidem unquam audiviſſes, modò Chriſtum noris & Chriſtum recipias, en ſpondemus ex verbo Dei, te ſalvatum iri. Sic vides veram & ſupremam differentiam inter Papatum & Eccleſias Euangelicas: In Papatu prædicatur Papa, in Eccleſia Chriſtus.

Sed quid eſt Chriſtum prædicare, quid faciendum nobis, ut verè poſſimus dici Chriſtum prædicare? Attendite quæſo vos ſimplices, ut Chriſtum noſcatis, nam in hoc Vita æterna poſita eſt, Iohan. 17. Paucis verbis Chriſtum vobis prædicabo. Noſtrum eſt prædicare Chriſtum, veſtrum eſt diſcere Chriſtum Eph. 4. 20. ſcire Chriſtum 1. Cor. 2. 2. Dicam breviter: Prædicare Chriſtum eſt.

1. Prædicare Perſonam Chriſti, quod ſit æternus Filius æterni Patris, ex eſſentia ejus genitus, à Patre & Spiritu S. non diviſus, ſed diſtinctus proprietate perſonali, quodque in plenitudine temporis ex carne & ſanguine virginis Mariæ veram humanam naturam in unitatem perſonæ aſſumſit, & Deitati ita univit, ut factus perſona verè una naturas habeat duas verè diverſas, quodque etiam ſecundum humanam naturam ſit ſine peccato, unctus plenitudine Spiritus S. ſine menſura.

2. Prædicare officium Chriſti, quod non tantùm unà cum Patre & Spiritu S. eſt noſter creator, ſed quod à Patre datus eſt & ordinatus, ut ſit Salvator Electæ Eccleſiæ, & judex univerſi mundi ac impio-

rum, non temporalis, quales fuerunt Salvatores Iſraëlis, ſed ſpiritualis qui ex regno & poteſtate Diaboli liberet, cum Deo reconciliet, ad Deum corda averſa convertat, & cœleſtia æternaque gaudia converſis diſtribuat, cæteros autem æterna condemnatione perdat.

3. Prædicare opera Chriſti, quibus officium mediatorium exſequutus eſt & exſequitur, quod ſcilicet mundum ingreſſus, & homo factus, ac legi ſubditus in humanitate ſua iram & maledictionem Dei contra peccata humani generis toto vitæ ſuæ tempore tulit, præcipuè in fine ejus, quando à Judæis captus, à Pilato condemnatus, à militibus Romanis crucifixus, & in cruce verè mortuus eſt, ſimul etiam à Deo infernalibus angoribus ita obrutus, ac ſi in ipſam immerſus eſſet inferni abyſſum, quodque hoc ſuo ſacrificio & paſſione ac obedientiâ pleniſſimè ſatisfecit divinæ juſtitiæ pro peccatis eorum, pro quibus ſe ſanctificavit & obtulit, iiſdemque Spiritum S. & vitæ æternæ gaudia peperit & meritus eſt. Quod his omnibus in terra peractis tertio die è mortuis reſurrexit, in cœlum aſcendit, ibique ſedet ad dextram Dei omnipotentis, indutus perfecta Majeſtate & gloriâ, conſtitutuſque Princeps & Salvator accepit poteſtatem ad ſe trahendi & convertendi quos ſanguine ſibi ſuo redemit. Quod vi hujus poteſtatis emittit ſuos miniſtros & ad ſe invitat omnes populos & nationes, ex iiſque effuſo Spiritu Sancto efficaciter ad ſe convertit, & in communione ac unione ſua ad finem vitæ corroborat omnes eos, quos à Patre datos ſibi ſanguine ſuo emit in peculium. Quod denique tanquam Judex univerſi mundi, conſtituto divinitus tempore, ex cœlo redibit in nubes, & ſuſcitabit ex mortuis quotquot in terra dormiunt, eoſque unà cum ſuperſtitibus ſiſtet coram ſuo tribunali, & quotquot in peccatis ſuis mortui Chriſtum non receperunt pro ſuo Salvatore unico, tradet in poteſtatem Diaboli, & unà cum Diabolis conjiciet in ſtagnum ignis inexſtinguibilis; quotquot verò ſtolas ſuas in ſanguine agni per veram fidem in terris laverint, iis publicè coram toto mundo annunciabit plenam remiſſionem peccatorum, eoſque in Patris ſui domum inducet, ut æternum cum ipſo vivant & regnent.

4. Prædicare voluntatem Chriſti, quam à nobis exigit. Quid vult, quid exigit à nobis Chriſtus, ut per ipſum ſalvatemur? Tria exigit: 1. ut nos ipſos penitus abnegemus & in nobis ipſis deſperemus. 2. Ut Chriſtum nobis applicemus, & in ipſum conſtanti fide confidamus. 3. Ut nos ipſos illi tradamus in ſacrificium gratitudinis, parati facere, & pati quicquid juſſerit & injunxerit, utque hanc ejus voluntatem ſcrutatione verbi Prophetici & Apoſtolici diligenter indagemus. En hoc eſt prædicare Chriſtum. Qui ſic Chriſtum prædicat, eſt fidelis concionator Chriſti, & qui ſic Chriſtum diſcit & ſecundum hanc notitiam vivit, eſt verus diſcipulus Chriſti.

Sed poſtquam ita generaliter objectum prædicationis Paulinæ expreſſit Euangeliſta, ſpecialiter porrò quædam dogmata de Chriſto nominat, quibus principaliter inſtiterit, & de quibus Iudæos demonſtrando convicerit, nimirum hæc duo: 1. Chriſtum ſeu Meſſiam in V. Teſt. promiſſum, & per legis umbras adumbratum, non eſſe nudum hominem, ſed verum Dei filium. Noverant Iudæi Chriſtum ſeu Meſſiam aliquem eſſe venturum, ſed imaginabantur fore regem terrenum, purum hominem, qui inſtar Davidis & Salomonis remp. Iſraëliticam ſit reducturus ad priſtinum florem. Hanc opinionem refutat Paulus, & demonſtrat ex Scriptura, Meſſiam promiſſum eſſe ipſum Filium Dei. Hunc in terras venturum & non ſolùm à corporali, ſed præcipuè à Spirituali miſeria liberaturum. 2. Ieſum Nazarenum eſſe hunc Meſſiam. Expectabant Iudæi Meſſiam, ſed non credebant hunc eſſe illum Meſſiam, ſed habebant eum pro impoſtore, & tanquam ſeditioſum è medio ſuſtulerant. Probat igitur Paulus & evincit, hunc eſſe illum ipſum in quem exactè quadrent quæcunque de Meſſia in Scriptura prædicta erant.

Non ſatis erat Paulo didaſcalicè enumerâſſe capita doctrinæ, quæ de Chriſto erant credenda ac ſcienda, ſed etiam Elenchticè agit, conſcientia auditorum & contradicentium vehementer convincendo, doctrinam, quam propoſuerat, veram eſſe, & in hac convictione tam acris fuit, ut vehementia ejus ſatis exprimi non poſſit: *μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο ϗ συνέχυνε συμβιβάζων*. Demonſtrationes tanta cum acrimonia judicii & vehementia affectuum in conſcientias eorum adegit, ut in angores & anguſtias eos redegerit, & confuderit. Neceſſarium requiſitum boni doctoris. Putant nimis multi, iſtam vehementiam diſputandi & confutandi non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere veritatem nudè & didaſcalicè proponere, tum fore plus Pacis in mundo. Sed quis

tum

tum reciperet veritatem, ſi nemo de ea convinceretur, ſi adverſarii non confunderentur & eorum ſtrophæ eluderentur? Nuda didaſcaliâ res non peragitur, ſed oportet ut miniſtri contendant pro veritate Sanctis ſemel tradita Iud. 3. utque ſint potentes ad convincendum contradicentes Tit. 1. quo fine etiam Scriptura data eſt 2 Tim. 3. Et ſicut hoc in dogmatibus Theoreticis de perſona, officio & operibus Chriſti fieri debet, ita etiam in Practicis de voluntate Chriſti. Plus ſubtilitatis eſt in indocta plebe ad inventandas exceptiones & effugia contra officia Chriſtianiſmi, quàm eſt in doctis ſectariis ad palliandos errores in dogmatibus. Hanc igitur ſubtilitatem carnis & ſanguinis debet poſſe confundere miniſter Chriſti, ut ſeductiones proprii & fraudulenti cordis contra doctrinam ſanctitatis non prævaleant, ut non ſint *παραλογιζόμενοι ἑαυτοὺς* Iac. 1. 22. Vide ibid. verſu 26. Et quis ad hæc idoneus? Precamini Deum ut det miniſtros idoneos, ut verbum inter nos currat & ſit vivum ac efficax, penetrans inſtar gladii ancipitis Hebr. 4. Curemus itaque Chriſtum rectè diſcere. Præſertim diſcamus Praxin voluntatis ipſius. Circa perſonam, officium & opera ejus non niſi theoreticè verſari ferè poſſumus, ut diſcamus intelligere, ſed voluntatem ejus diſcamus facere. Diſcamus itaque.

1. Nosipſos verè exinanire & abnegare ac humiliare.

2. Chriſtum vere recipere & nobis applicare.

3. Nos viciſſim Chriſto tradere & ſubjicere.

Actor. 9. v. 20, 21, 22, 23, 24, 25.

Concio CVIII.

In primo exemplo miniſterii Paulini vidimus, quam Societatem ſibi elegerit quacum converſaretur. Cœpimus etiam videre modum docendi & prædicandi quem ſequutus eſt, ut tum tertio loco videamus primi miniſterii fructum & effectum. Operæ pretium enim puto, antequam ad tertium progrediamur, ſecundæ parti preſſius inſiſtamus, videl. modo docendi, quem Paulus obſervavit, ut verſu 22. deſcribitur. Modus & methodus docendi, quam Paulus ſequutus eſt, ſic habet:

1. Generaliter & didaſcalicè Chriſtum prædicavit, i. e. dogmata de Chriſto expoſuit & enarravit, ut quid de Chriſto ſciendum & ad praxin Chriſtianam rectè inſtituendam neceſſarium ſit, auditores intelligerent, ſcil. dogmata de perſonâ, de officio, de operibus & de voluntate Chriſti, quæ omnia ſuperiori concione latè enarravimus.

2. Specialiter & elenchticè dogmata de Chriſto propoſita & enarrata confirmat, ad conſcientias Chriſtianorum de veritate horum dogmatum convincendas, & ad obturanda ora contradicentium. Non enim ſufficit ad verum Chriſtianiſmum, ut dogmata Chriſtianiſmi undè ſciamus, ſed etiam requiritur, ut in iis ſimus firmi, fundati, radicati, ne munimento noſtro excidamus, nec omni vento doctrinæ circumferamur 2 Petr. 3. 17. Hæc confirmatio doctrinæ Chriſtianæ tribus verbis hoc textu deſcribitur, & deinde duo nominantur dogmata, in quibus confirmandis ante omnia laborandum ſibi Paulus putavit.

Prima vox eſt *μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο*, magis roborabatur. Hæc vox notat originem hujus confirmationis, quod ſcil. Paulus non ſuis viribus, ſed ductu & inſtinctu Spiritus S. roboratus hoc opus ſuſceperit. Miniſtri ex ſe non ſunt idonei ad opus ſuum perficiendum 2 Cor. 3. 5, 6. Sed ſunt inſtrumenta, quorum virtus eſt ex Spiritu S. Sicut culter vel ſecuris, quantumvis optima, non ſecat niſi prematur & roboretur à manu hominis; ita optimus quiſque concionator non regenerat, nec ſanctificat, nec illuminat, nec convincit niſi roboratus à Spiritu S. verum quidem eſt quod etiam magiſtratus, medici, artifices omnes ſunt inſtrumenta per quæ Deus operatur, & quæ ſine Deo nihil efficiunt Prov. 8. 15, 16. ſed tamen arctior eſt ſubordinatio miniſtrorum in ſuo opere ſub magiſterium Spiritus S. Effecta enim naturalia oriuntur ex quadam aptitudine naturali quæ eſt in inſtrumentis; at in miniſtris & eorum labore nulla planè eſt aptitudo ad effectum quem producunt. Magiſtratus & medicus ſcientiâ & ſapientiâ ſua poſſunt gubernare & ſanare ſubjecta viva, non autem in mortua operari poſſunt. Verùm miniſtri mortuos in peccatis vivificant, quod ſignum eſt Spiritum S. operationibus ipſorum arctiùs intercedere; & effectum miniſterii omni modo eſſe opus Spiritus S. Miniſterium igitur reſpiciendum ut brachium Dei & Spiritus S. Eſa. 52. potentia Dei, ſeu inſtrumentum quo potentiam ſuam exſerit Rom. 1. ut ita nec miniſtros contemnamus, nec ſuperſtitioſè in illis hæremus, ſed ſuſpiciamus Spiritum Dei in ipſis operantem, eique tribuamus gloriam efficaciæ.

Secunda vox eſt: συνέχυνε τοὺς Ἰουδαίους. Hæc vox non effectum ſed finem & intentionem Pauli notat, quæ fuit Iudæos reprimere & retundere, ne veritati prædicatæ nebulas offunderent. συγχέω enim vel συγχύνω non tantùm ſignificat confundo, convinco, ſed etiam proſterno, dejicio. Cum doctrina de Chriſto prædicatur, tum multa ſunt humanæ rationis ὀχυρώματα καὶ ὑψώματα quæ ſe efferunt contra cognitionem Chriſti, multi λογισμοί. 2. Cor. 10. 4, 5. qui veritatem obſcurant ne videri & recipi poſſit. Contra hos igitur uſurpanda Spiritualis militia confirmationis & diſputationis, quâ dejiciantur & tollantur illa. Si non eſſent hæretici qui ſtrophis & ſophiſmatis veritatem pervertetent, ſi non eſſent paralogiſmi quibus homo proprium cor ſeducit Iacobi 1. 26. non opus foret diſputationibus & Theologiâ Elenchtica, ſed nuda didaſcaliâ res geri poſſet, verùm quoniam Satanas talibus armis bellum gerit contra veritatem, ideo & miniſtris induenda arma, & occipienda ſpiritualis militia, quâ pro veritate Sanctis tradita contendant Iudæ 3.

Tertia vox συμβιβάζων modum hujus confirmationis deſcribit. Eſt vox deſumpta à Fabris lignariis, qui partes domus ac ædificii cum fundamento compingunt, & inter ſe conſtruunt ac coaptant. Sic enim etiam miniſtri dogmata ſua, quæ prædicant, fundamento Prophetarum & Apoſtolorum ſuperſtruunt, & unum dogma cum altero conjungunt. Eph. 2. 20. 1 Cor. 3. 10, 11. Hac enim in re conſiſtit confirmatio prædicatorum dogmatum, ut quod prædicamus ac docemus, verbo Prophetico & Apoſtolico, tanquam fundamento coaptemus, conciliemus & in eo fundatum eſſe demonſtremus. (aen de Schriftuyr vaſt maken / wat men geleert heeft.) Nulla eſt ſecta inter eos qui Chriſtiani dicuntur, quin ſatagat ſua dogmata, quæ prædicat, συμβιβάζειν & coagmentare alicui fundamento, ex quo veritatem eorum demonſtret, ſed magna eſt diverſitas hujus coagmentationis (vaſtmakinge) Nam.

1. Sunt qui omnia ſua dogmata coagmentant humanæ rationi, & quicquid rationibus firmari non poteſt, nec cum humana ratione conſtrui, rejiciunt ac reſpuunt, quantumvis in Scriptura ſit fundatum. Sic tota Theologia Socinianorum nihil eſt aliud, quàm ſtudium coagmentandi & conciliandi Scripturam cum ratione, & ſicut faber lignarius lignum unum tamdiu polit, ſcalpit, dedolat donec alteri quadret; ita hi verba Scripturæ tamdiu detorquent & pervertunt, donec aliquid dicant quod cum humana ratione conveniat. Non decet rationem facere magiſtratum Theologiæ. Nam ſicut caro & ſanguis non potuit hanc ſupernaturalem doctrinam revelare Matth. 16. ita non poteſt eam judicare.

2. Sunt qui dogmata ſua coagmentant cum traditionibus non ſcriptis, cum Apocryphis ſcriptis, cum auctoritate ſedis Romanæ, vel Eccleſiæ Romanæ. Sic fecit conſilium Tridentinum, quod cum convenîſſet ad firmanda dogmata Papatus, quæ à Proteſtantibus labefactabantur, diffiſum ea poſſe coagmentari ad verbum ſcriptum, in præſidium vocant libros Apocryphos, traditiones non ſcriptas vitioſam verſionem Editionis vulgatæ, & cum ne his quidem ſatis firmari omnia dogmata Papatus poſſe viderent, tandem ajunt penes ſe eſſe jus & authoritatem interpretationis Scripturarum, & ſi quis habeat interpretationem Romanæ Eccleſiæ, etiamſi non videat quomodo cum textu vel conveniat vel pugnet, habeat tamen ipſiſſimum verbum Dei, in tantum, ut plebs non ſit informandi ex Scriptura, ſed ſimpliciter remittenda ad judicium Romanæ Eccleſiæ.

3. Alii óccupati ſunt in coagmentandis dogmatibus quæ prædicant, cum ſcriptis antiquorum Patrum. Et hæc quidem coagmentatio non eſt inutilis, ſed multum facit ad infirmandam veritatem dogmatum, ſed tamen auctoritas Patrum non eſt illud fundamentum, cui fides noſtra poteſt inniti, & quo ſolo de veritate prædicati alicujus dogmatis mens poteſt eſſe certa. Fides enim non acquieſcit in humana auctoritate, & præterea tanta eſt in Patrum ſcriptis varietas & corruptio, ut adulterina à genuinis Patrum ſcriptis rectè diſcernere non ſit facile nec cujuſvis.

4. Verus igitur Symbibaſmus, per quem conſcientia de veritate prædicati dogmatis verè poteſt convinci & certa reddi, in eo poſita eſt, ut dogmata quæ prædicamus coagmentemus & firmemus in verbo Dei, ſcripto per Prophetas & Apoſtolos. Hic enim ille στηριγμός, hoc illud fundamentum, cui ſuperſtructa eſt fidelium fides Eph. 2. 20. 2. Petr. 3. v. 17. Hic ille βεβαιότερος λόγος cui attendunt 2. Petr. 1. v. 19. & quæcunque dogmata hoc verbo firmari non poſſunt, non ſunt dogmata divina, ad ſalutem neceſſaria creditu. Ad hoc enim Scriptura

data

data eſt, ut ſit in teſtimonium & regulam, à qua declinare non licet in rebus fidei Deuter. 31. v. 25, 26, 27, 29. 2 Tim. 3. 15, 16. Hinc Chriſtus paſſim doctrinam, quam prædicavit, Scripturæ teſtimonio comprobavit, & Paulus non hoc tantùm loco, ſed paſſim gloriatur ſe nihil prædicare *præter id quod ſcriptum eſt* Actor. 26. 22. Rom. 1. 2. Quod ſi Chriſtus, ſi Apoſtoli dogmata quæ prædicârunt, Scripturis comprobârunt & firmârunt, an hodie licebit Eccleſiæ recuſare firmationem ſuorum dogmatum per Scripturas? At enim particularius explicandum eſt, quo modo dogmata, quæ prædicantur, coagmentari poſſint cum Scriptura, ut in Scripturis fundata percipiantur. Fit hoc duobus modis:

1. In Scripturis legendo. Pleraque & præcipua dogmata, fideique articuli, qui cæterorum dogmatum baſis ac fundamentum ſunt, totidem verbis ex Scriptura legi poſſunt. e. g. Deum eſſe, unum eſſe Deum, eſſe omnipotentem, æternum, juſtum, &c. Deum omnia creâſſe, Deum omnia gubernare, Deum æterno ſuo conſilio definiviſſe omnia quæ fiunt in tempore; Chriſtum eſſe Dei Filium, eſſe ex Spiritu S. conceptum, ex Maria natum, ſub Pilato paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum, deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe ex mortuis, aſcendiſſe in cœlos, ſedere ad dextram Patris, rediturum ad judicandum vivos & mortuos; eſſe Spiritum Sanctum, eſſe Sanctam Eccleſiam, eſſe remiſſionem peccatorum, fore reſurrectionem carnis, datum iri vitam æternam; baptiſmum & cœnam à Chriſto eſſe inſtitutam, eſſe Paſtores & Doctores à Deo miſſos, &c. *Hæc*, inquam, omnia facilè cum Scriptura coagmentantur, quia totidem verbis ac ſyllabis ex Scriptura prælegi poſſunt.

2. Ex Scripturis concludendo & inferendo. Fatemur non omnia quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria, totidem verbis & ſyllabis eſſe in Scriptura deſcripta, fatemur etiam ſtatum Theologicarum controverſiarum ita poſſe formari, ut ſententia Orthodoxa non poſſit totidem verbis & ſyllabis legi in Scriptura e. g. in uno Deo eſſe tres diſtinctas Perſonas, in Chriſto eſſe duas diverſas naturas, Chriſtum non propter adoptionem, ſed propter æternam generationem ex eſſentia Patris Filium Dei appellari, Spiritum S. eſſe veram Perſonam, eſſe Deum ejuſdem eſſentiæ cum Patre & Filio, panem cœnæ Dominicæ ideo appellari corpus Chriſti, quia eſt ſignum ſeu memoraculum ſacrificii corporis in cruce peracti, & quia eſt ſigillum & pignus communionis & unionis quam fideles habent cum crucifixo corpore Chriſti; Eccleſiam cujus ego membrum ſum, eſſe veram Eccleſiam, in qua datur ſalus, &c. Hæc & ſimilia multa ſunt mihi ſcitu neceſſaria, neque tamen totidem verbis & ſyllabis leguntur in ſcriptura. Neque tamen inferendum eſt, omnia neceſſaria dogmata non poſſe ex Scriptura firmari, & cum Scriptura coagmentari. Etſi enim talia & ſimilia neceſſaria dogmata non totidem verbis in Scriptura leguntur, tamen firmiſſima conſequentiâ ex Scriptura concluduntur & inferuntur. Et hæc etiam eſt vera ac ſalutaris ſpecies hujus Symbibaſmi, quo dogmata prædicata coagmentantur cum Scriptura. Veronius & alii quidam Pontificii Doctores egregiam ſe putant inveniſſe artem nobiſcum diſputandi. Docent illi plebeculam nobis de religione colloquuturis ita reſpondere: Si mihi potes veſtra dogmata, quæ à noſtris diſſentiunt, totidem verbis & ſyllabis ex Scriptura prælegere, tum recipiam. Sed ſi vis conſequentiis agere, tum non recipiam, quia conſequentiæ non ſunt verbum Dei, & judicium Eccleſiæ Romanę minùs eſt fallax quàm veſtræ conſequentiæ, nec ego ita doctus ſum, ut conſequentias tuas & ratiocinationes poſſim aſſequi aut comprehendere, e. g. prælege mihi totidem verbis ex Scriptura, Pontificios eſſe Idololatras, Papam eſſe Antichriſtum, Miſſam non eſſe ſacrificium pro peccatis, hominem juſtificari ſolâ fide, &c. Si non prælegis, non credam, quantumcunque argumentando confirmes.

Reſp. 1. Si ita voluiſſent facere Judæi, quo pacto ad agnitionem Chriſti veniſſent? Ubi enim totidem verbis legis in Scriptura V. Teſt. Jeſum Nazatenum eſſe Meſſiam, aut eſſe naturalem Dei Filium & conſubſtantialem. Nonne argumentando hoc fuit demonſtrandum?

2. Chriſtus non tantùm jubet Scripturam legere, ſed etiam ſcrutari Johan. 5. v. 39. Non tantùm lectionem, ſed & judicium intelligens à nobis requirit Actor. v. 17. 11. *ἀνακρίνοντες* non tantùm *ἀναγινώσκοντες* 1 Corinth. 10. v. 15. Sic Chriſtus & Apoſtoli ſæpe talibus Syllogiſmis & ratiocinationibus capita religionis confirmant e. g. Matth 22. 31, 32. item v. 42, 43, 44. Hebr. 7. 6, 7. Sic nos jubet ratiocinari Luc. 21. 54, 55, 56, 57. Marc. 8. 16, 17. ad 21. Hoc eſt illudere Scripturam. Non debemus eſſe

eſſe ſicut equi & muli. Pſalm. 32. ſed judicare quæ dicuntur tanquam intelligentes 1 Cor. 10. 15. Vide etiam Actor. 17. 3. 11.

Object. 1. Conſequentiæ & argumentationes noſtræ non ſunt verbum Dei, ſed ratio humana.

Reſp. Sunt tamen media aliquid cum verbo Dei coagmentandi. Argumentationes rationis, quæ ſe efferunt contra verbum Dei, ſunt rationes humanæ abnegandæ, ſed non quæ fundatæ ſunt ſuper verbum Dei, & quæ verbum Dei habent pro medio termino. Tales ſyllogiſmi ſunt purum verbum Dei. Cum axiomata rationis & Philoſophiæ tantum apud nos valere ſinimus, ut malimus ipſos articulos fidei & clariſſima Scripturæ dicta pervertere, quàm quicquam credere quod axiomatibus rationis aut Philoſophiæ contrarium ſit, hoc eſt rationem conſtituere ſupra Scripturam. Sed cum rationem & intellectum noſtrum ad hoc uſurpamus, ut per eum doctrinas hominum vel etiam obſcuriores locos Scripturæ conferamus ac comparemus cum clariſſimis Scripturæ locis & indubitatis articulis fidei, & ex tali comparatione quid verum quid juſtum ſit concludamus & inferamus, hoc non eſt rationem ponere ſupra Scripturam, ſed hoc eſt judicare juſtum judicium Joh. 7. 24. Cum ratione enim & intellectu legenda & ſcrutanda eſt Scriptura, alioquin beſtiæ forent optimi Scripturæ interpretes.

Object. 2. Conſequentiæ & argumentationes noſtræ ſunt fallaces & incertæ. Patet hoc ex quotidiana experientia. Dum quilibet ex Scriptura vult argumentari, concludere & conſequentias educere, fiunt altercationes & diſſidia tum in Theologia elenchtica tum in Theologia hypothetica & cauſali. Satius igitur foret, plebem non remittere ad ſcrutandas Scripturas, ſed ſimpliciter alligare ad judicium Eccleſiæ, ut credant & faciant quod Eccleſia credendum & faciendum judicaverit. *Reſp.* 1. Quoniam multi malè judicant, an ideò rectum judicium eſt prohibendum? an ideò mandatis Chriſti de ſcrutanda Scriptura & de probandis doctorum Spiritibus & dogmatibus contraveniendum? Sicut poteſt fieri malum, perverſum & fallax judicium de Scripturis ab hominibus perverſis, imperitis, & malum finem ſpectantibus; ita à contritis & ſalutis cupidis & humilibus in timore Domini & cum invocatione nominis ipſius poteſt inſtitui rectum & non fallax judicium. Quantum enim abeſt ab errore, ſi judicas quod bis tria non ſunt viginti, tantum abeſt ab errore, ſi e.g. judicas quod corpus verum, naturale & omnes proprietates humani corporis habens non ſit inviſibile, inpalpabile, ubique præſens, &c. Turbæ & altercationes, quæ ſunt in Eccleſia, non ſunt ab iis, qui in timore Domini, cum ſpiritu lenitudinis Scripturam ſcrutantur, & dogmata hominum cum iis conferunt, ſed ab iis, qui cum ſuperbia & ſine cura placendi Deo novarum opinionum gloriam quærunt. *Reſp.* 2. Cum nos populum hortamur ad ſcrutandam Scripturam, & ad judicandum ex ea de dogmatibus hominum, non hortamur ad contemnendum judicium Eccleſiæ Catholicæ, ut privato auſu in dubium vocent quicquid Eccleſia Catholica omni loco & tempore credidit, immò conſenſum Eccleſiæ & piorum doctorum, præcipuè Conciliorum & Synodorum univerſalium, tum in elenchtica tum in cauſali Theologia maximoperè commendamus. Sed inde non ſequitur, cujusvis particularis Eccleſiæ nova inventa, aut cujuſvis particularis Synodi decreta, aut etiam paucorum Paſtorum placita cœcâ obedientiâ ſine omni probatione eſſe recipienda. Cum Romanæ Eccleſiæ dogmata ad Scripturam examinamus, non examinamus dogmata Eccleſiæ Catholicæ, ſed Eccleſiæ particularis, quæ, Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus deſertis, pro arbitrio & authoritate nova dogmata cudit & introduxit. Sic itaque latiùs explicui vim vocis συμβιβάζειν, & oſtendi verum modum confirmandi dogmata quæ prædicamus, ut conſcientiæ & fides hominum habeant verum fundamentum, quo contra omnes dubitationes & tentationes queant ſupportari & ſubſiſtere. Videbor multis minus utiliter nunc concionatus, quia parùm practicè. Sed eſt res magni momenti, in qua cardo religionis vertitur, utilis ad firmandas conſcientias contra dubitationes multas, ideoque hæc quæſtio toto tempore Caroli V. totam Europam habuit occupatam, & etiamnum Antichriſto ſervit ad ſtabilimentum regni ejus, & conſervandam in hominibus cœcam obedientiam ſedis Romanæ.

Sic in genere modum dicendi, quam Paulus in concionibus ſuis obſervavit, conſideravimus, videl. quod primò didaſcalicè Chriſtum prædicavit, ſeu dogmata ſana de Chriſti perſona, officio, operibus & voluntate expoſuit, & deinde Spiritu S. roboratus, & accenſus fervore ad confundendas Judæorum obloquutiones, dogmata, quæ propoſuerat; cœpit confirmare & cum Scriptura coagmentare.

Nunc

Nunc textus porro ſpecialiter indicat, quibuſnam dogmatibus de Chriſto confirmandis præcipuè inhæſerit. Duo nominat: 1. quod Meſſias qui in V.T. promiſſus à Judæis exſpectabatur, non eſſet nudus homo, ſed verus ac naturalis filius Dei. 2. Quod Jeſus Nazarenus, quem Judæi crucifixerant, eſſet ille Meſſias. Specialem Symbibaſmum ſeu modum confirmandi hæc duo fundamentalia dogmata Chriſtianiſmi ſi velim declarare & imitari, duarum concionum ſpatio facilè opus haberem. Sed quia ſunt dogmata catechetica, quæ in explicatione catecheſeos latè ſolent confirmari, ſtatui hoc loco præterire, & ut primum exemplum prædicationis Paulinæ hoc tempore abſolvamus, paucula addere de tertio capite textus, videlicet de effectu quam habuerunt conciones Paulinæ in urbe Damaſcena. Is triplex fuit.

I. Auditorum admiratio v. 21. Sicut Paulo prophetante admirati ſunt auditores 1 Sam. 10. 11. ita hoc Saulo prædicante. Admirati ſunt omnes qui eum audiverunt, tum pii, tum impii. Sed tamen differentia eſt inter admirationem vel ſtuporem utrorumque. Nam

1. Impiorum admiratio fuit quædam indignatio, quod is qui hactenus cum ipſis Jeſum perſequutus erat: nunc Jeſum prædicaret. Sic ſolent impii admirari & indignari, ut legimus 1 Petr. 4. 4.

2. Piorum admiratio fuit quædam Dei glorificatio, quod tantum perſequutorem convertiſſet in tantum prædicatorem Chriſti. Vide Galat. c. 1. v. 23. 24.

II. Judæorum exacerbatio: Poſt multos dies deliberârunt de eo occidendo, obtinuerunrque à Rege Areta ut diu noctuque portæ urbis cuſtodirentur, donec Saulus captus & occiſus eſſet 2 Cor. 11. v. 32. Quamprimum confeſſor & prædicator Chriſti exiſtis, manet te odium mundi. Poſtquam Paulus diſcipulorum converſationem ſibi elegerat, & Chriſti prædicationem cœperat, illicò incurrit odium eorum, à quibus antea tantopere erat dilectus & laudatus. Etiam odium propriæ tuæ familiæ. Vide enim quas laudes habuerit inter Judæos Gal. 1. 14. & tamen nunc ſtatim tantum odium patitur. Prædixit ita Chriſtus Joh. 15. 18. 19. Ne itaque offendamur cum nobis idem accidit, nec putemus eſſe contra promiſſiones felicitatis quæ dantur in Euangelio. Sufficiat nobis amicitia Chriſti & piorum.

III. Pauli felix evaſio. Pietate enim & ope diſcipulorum inſidiæ deteguntur, & ipſe in ſporta per murum dimittitur. Duæ hîc ſunt explicandæ quæſtiones.

1. An rectè fecerint diſcipuli & Paulus quod murum tranſilierunt? Mœnia apud Ethnicos erant Sacroſancta, & eorum tranſitio erat violatio quæ capitali puniebatur ſupplicio. Cur ergo violârunt? *Reſp.* Tranſgreſſio legis Politicæ non eſt peccatum, cum tranſgreſſor habet privilegium à lege & jure divino. Cum leges Politicæ ſunt inſtrumenta injuſtitiæ, non obligant conſcientias piorum. Hinc ſimile exemplum legitur Joſ. 2. 15.

2. An rectè fecerit Paulus, quod deſertis diſcipulis fugâ ſibi conſuluit? *Reſp* Rectè. Eſt enim mandatum fugere ex una urbe in aliam. Matth. 10. nec temere ſibi periculum accerſere Matth. 4. ut tentemus Deum. Paulus autem non erat ligatus nec mandato manendi, nec vocationis neceſſitate, quia non erat Pater Damaſcenus, ſed Apoſtolus totius orbis. Diſcamus hinc

1. Quid membra Eccleſiæ debeant ſuis miniſtris, ſcilicet non tantùm victum & ſuſtentationem, ſed etiam defenſionem, etiam cum propriæ vitæ periculo. Sunt enim Patres 1 Corinth. 14. Non igitur tam facilè deſerendi in perſequutionibus aut hoſtibus prodendi & tradendi. Quid ſi omnia membra hoc debent, præcipuè debet Chriſtianis Magiſtratus, qui gladium gerit, ut ſit nutritius & defenſor Eccleſiæ.

2. Vide exemplum charitatis omnibus imitandæ, ut ſcil. cum aliorum periculis communicemus, Vide 1 Joh. 3. 16. Moveat nos exemplum Chriſti.

3. Vide exemplum ſolatii. Deus poteſt nobis ſuccurrere in anguſtiis Pſalm. 4 2. Paulus verè erat in anguſtiis, concluſus in urbe portis cuſtoditis. Sed jam gloriatur cum Davide, licet alio ſenſu, ex Pſalm. 18. 30. Diſcamus curas noſtras in Deum conjicere, ipſe faciet.

Actor. à 9. v. 26. ad 31.

CONCIO CIX.

HIs verſibus continetur alterum exemplum miniſterii Paulini hoc capite deſcripti, videlicet quo functus eſt in urbe Hieroſolyma, in quo explicando textum κατὰ πόδας ſequemur.

I. Saulus verò Hieroſolymam veniens, vel, cum veniſſet. Connectitur hæc hiſtoria cum Pauli fuga ex Damaſco. Legimus autem Gal. 1. v. 17, 18. Paulum integro triennio poſt converſionem demum veniſſe Hieroſolymam. Quod ſi ita eſt, quomodo adventus in urbem Hieroſolymam connecti poteſt cum fuga ejus ex Damaſco? *Reſp.* Omiſſis aliorum ſolutionibus aſſentimur iis, qui Pauli fugam ex Damaſco dicunt contigiſſe non paulò poſt converſionem ipſius, ſed integro triennio poſt eam; ita ut Paulus converſus aliquot diebus cum diſcipulis Damaſci verſatus, inchoato ibidem miniſterio ſuo abierit in Arabiam, ibique per unum alterumve annum Chriſtum concionatus Damaſcum reverſus ſit, & quod poſt hanc reverſionem ex Arabia ipſi obvenerit hoc periculum, propter quod fugâ ſibi conſulere coactus fuit. Nam. v. 23. hujus capitis expreſſè dicitur, quod non niſi poſt multos dies hæc perſequutio fuerit oborta, & Gal. 1. 17. dicitur, quod poſtquam Damaſco in Arabiam abiiſſet, denuo Damaſcum reverſus ſit. Sic itaque Paulus Damaſca fugâ elapſus rectâ Hieroſolymam ſe contulit. Sed an hoc ſapienter factum, quod ex uno periculo in aliud ſe confert? Noverat utique quod Hieroſolymæ non plus ſecuritatis erat pro Chriſtianis quàm Damaſci. *Reſp.* Paulus neceſſarium judicabat, ut tandem Hieroſolymam iret, & cum iſta Eccleſia & cæteris Apoſtolis Domini communionem iniret. Habens itaque quod neceſſariò agendum erat, periculis non abſterretur. Paulus non fugerat Damaſco, quod periculum metuebat, ſed quia neceſſe non erat ut Damaſci cum periculo vitæ maneret. Et vadit Hieroſolymam, non quod ſe ibi tutiorem fore putabat, ſed quia utile & neceſſarium videbatur, ut ſe aliquando eò conferret. Sic cap. 20. v. 21, 22. & cap. 21. v. 11, &c. quantumvis de periculis inſtantibus expreſsè præmonitus quod hîc factum non legimus, tamen Hieroſolymam ire ſuſcepit. Didicit hoc à Magiſtro Chriſto Matth. 16. 21, 22. Diſcamus periculoſas vias non detrectare, cum vocationis neceſſitate ad illas vocamur. Licet certè fugere Damaſco & declinare pericula, cum cauſa Dei aliter poteſt geri quàm noſtro periculo, ſed decet etiam non recuſare Hieroſolymam ire cum periculo, ſi vocationis neceſſitas ita exigit. Prudens fortitudo, & fortis prudentia Chriſtianum decet doctorem, ut ſerpentis habeat aſtutiam, & columbæ ſimplicitatem Matth. 10. Si modò ſit noſtra via, etiam ſit periculoſa via, eundem eſt, Dominus nos cuſtodiet Pſalm. 91.

II. Quonam autem fine Hieroſolymam abiit, quid intendebat? Quærebat ſe agglutinare diſcipulis. Annon ſatis erat agglutinatus, qui ad Chriſtum converſus non tantùm Deum & Chriſtum amabat, ſed & omnes fratres qui cum ipſo ex Deo nati erant, quid opus ire Hieroſolymam ut agglutinaretur? Duæ erant cauſæ, propter quas ad urbem hanc eundum ſibi ratus eſt:

1. Ut ſe cum diſcipulis, qui Hieroſolymæ erant, reconciliaret. Gravem his præ cœteris injuriam intulerat. Æquum erat ut iis reconciliaretur. Stephani ſanguinem effuderat, Eccleſiam ejus urbis diſperſerat & vaſtaverat cap. 8. v. 1, 2, 3, 4. Quoties itaque ad ſuas preces accedebat, recordabatur fratres ſuos aliquid contra ſe habere. Quieſcere igitur non poterat, donec ſatisfaceret mandato Chriſti Matth. 5. 23, 24. Hæc juſta cauſa eundi Hieroſolymam, ut ſe ſcilicet inſinuaret in gratiam & favorem eorum quos offenderat.

2. Ut communionem officii iniret cum Apoſtolis. Etſi enim æquè erat vocatus Apoſtolus ac cæteri, etſi non ita dependebat à cæteris Apoſtolis, ut authoritatem prædicandi à cœteris derivare aut iis ſubjectus eſſe opus habuerit, tamen ſciebat ad ædificationem & concordiam Eccleſiæ plurimùm conducturum; ſi communionem & ſocietatem iniret cum cœteris Apoſtolis, ſi collegio ipſorum ſeſe jungeret & agglutinaretur, ut operas inter ſe dividerent, & de modo ubique docendi & Eccleſiam gubernandi inter ſe convenirent. Hoc fine ſe iviſſe Hieroſolymam, teſtatur ipſe Gal. 1. 18, 19. & cap. 2. 6, 7, 8, 9, 10. Multum in eo ſitum, ut doctores inter ſe colant communionem & uniformitatem in modo docendi & gubernandi Eccleſiam, nec quilibet ſuo modo & nutu, ſine reſpectu ad cœteros, omnia peragat. Verum eſt, ſunt miniſtri inter ſe pares collegæ, nec alter alteri dominatur, nec alterius auctoritas ab altero dependet, habent etiam diverſitatem donorum, nec alter ad alterius methodum & modum adſtringendus eſt, ſed libertas debet eſſe indulgendi diverſitati donorum, ſed tamen illa libertas non debet eſſe ita licentioſa, ut tollat omnem fraternam correſpondentiam & communionem in modo docendi & agendi, quæ ad hoc neceſſaria eſt, ut formula ſanæ doctrinæ, unitas Spiritûs & vinculum pacis in Eccleſia conſervetur, ſed debent convenire

venire

venire Miniſtri Dei,& ſibi mutuò porrigere dextram communionis, de ſervanda certa formula docendi, & certo ordine agendi, quantum neceſſarium eſt ad conſervationem veritatis & pacis. Hic eſt uſus confeſſionum Eccleſiaſticarum & formularum concordiæ, in conventibus, ſynodis & congreſſibus Eccleſiaſticis formatarum, non quod ſunt regula & norma fidei, ut S. Scriptura, ſed quod ſunt inſtrumenta, quibus communio Sanctorum, veritas ac puritas verbi, nec non pax Eccleſiæ aptè conſervatur, ſi in verbo Dei fundatæ & ex eo factæ ſunt. Hoc fine Paulus Hieroſolymam abiit, & communionem cum Apoſtolis iniit. Hoc ſive jubet ut Prophetæ Spiritibus Prophetarum ſint ſubjecti, & omnia fiant ordine & decenter. 1 Cor. 14. Diſſoluta enim illa prophetandi licentia, quam urgent Sectarii, noxia valde Eccleſiæ, veritatem facilè vitat, pacem facilè turbat. Sicut itaque Paulus ſub initium converſionis non ſtatim ivit Hieroſolymam, conſultatum cum cœteris Apoſtolis, ne ſe auctoritati & voluntati aliorum ſubjiceret, & tyrannicæ Hierarchiæ Papatûs fundamentum poneret; ita tamen poſtea ivit, ne è contrario omnem neceſſariam communionem cum Apoſtolis reſpueret, nec anſam daret licentioſæ Sectariorum libertati, ſed fraternæ concordiæ & correſpondentiæ ac ordinis & ſubjectionis mutuæ (Mutua enim ſubjectio probatur in Eccleſia) in opere Domini faciundo exemplum daret.

III. Sed quomodo ſucceſſit ipſi hæc intentio agglutinandi ſe diſcipulis? Non ſatis ex voto. Diſcipuli enim timebant ipſum, non credentes eum eſſe diſcipulum. Noverant eum ex facie & ex anteactis. Suſpicabantur igitur ipſum ſimulare Chriſtianiſmum, ut feliciùs explorare & prodere poſſet. Quæritur an rectè fecerint diſcipuli, quod de Pauli hypocriſi tantum ſuſpicati ſint. Suſpiciones utique ſunt ſpecies temerarii judicii, quod prohibetur Rom. 4. 14. pugnantque contra judicium charitatis 1 Cor. 13. 5. 7. *Reſp.* Non omnes ſuſpiciones ſunt judicium temerarium, nec pugnant contra judicium charitatis, ſed tantùm illæ, quæ proficiſcuntur ex corde charitate deſtituto, ab animi perverſitate, quâ quis proclivis eſt ad malignè de aliis judicandum, vel etiam à perſonali malevolentia, quâ erga aliquem malè affectus eſt, & quæ nullis aut levibus fundatæ rationibus ſunt, nec conjunctum habent animum melioribus informationibus cedere paratum, ſed potius pertinaciam perſiſtendi nec rem examinandi. Hæ ſunt ſuſpiciones pravæ. Sed ſunt tamen aliæ quædam ſuſpiciones licitæ, immò neceſſariæ, quibus cavere nobis debemus ab iis, quorum probitas nobis non eſt perſpecta, vel de quorum malitia non levia habemus ſigna, & experimenta, qualia de Saulo diſcipuli abundanter habebant. Erat igitur ſerpentinæ & laudabilis prudentiæ de converſione & emendatione Pauli ita ſperare bene, ut interim ſibi ipſis vigilanter attenderent. Non enim credendum cuivis Spiritui, ſed probandi ſunt Spiritus an ex Deo ſint 1 Joh. 4. 1. Matth. 24. 4. *Fide, ſed cui, vide.* Talis cautio poteſt locum habere in eorde minimè malo, nec charitate deſtituto, & poteſt conſiſtere cum charitatis judicio, immò cum ipſa beneficentia. Utinam diſcerent noſtri Reformati hoc tempore exemplo diſcipulorum ſapere, & Pontificiæ ſectæ fautoribus non nimium fidere. Scimus quæ ſint eorum maximæ, quod odium in veritatis aſſeclas, quantam crudelitatem exercuerint olim, quantam recenter, & tamen tanta ſecuritas homines noſtros inceſſit, ut nihil mali de ipſis ſuſpicentur, nec cautelis adverſus eos utantur, ſed quaſi ſepoſitâ memoriâ omnis mali, fœdera & amicitias contrahant arctiſſimas, & indignentur contrarium ſuadentibus. Lentitudo hæc eſt non charitas, & obedientia divini præcepti, Rom. 16. 17, 18. Sic etiam rectoribus Eccleſiæ indignandum non eſt, ſi non ſint nimis faciles in admittendis ad gremium Eccleſiæ illis, qui anteactæ vitæ malitiâ infames ſunt, & converſionem prætendunt verbis.

IV. Quid autem remedii adhibuit contra hunc ſiniſtrum ſucceſſum ſuæ intentionis? Barnabas eum aſſumens adducebat ad Apoſtolos, eos ſcilicet qui tum temporis Hieroſolymis erant, omnes enim non adfuiſſe conſtat ex Gal. 1. 18, 19. illiſque exponebat tum quo pacto in itinere à Chriſto eſſet converſus, tum quomodo poſt converſionem Damaſci ac in Arabia ſeſe geſſiſſet. Idem ille Barnabas qui cap. 5. v. 36. elogio ſingularis charitatis ornatur, hoc quoque loco ſingularem charitatem Paulo exhibet, & fidei ejus apud Eccleſiam periclitanti teſtimonio ſuo ſubvenit, eumque Eccleſiæ reconciliat argumento ſumpto ab eo, quod Chriſtum viderit, quod Dominus ipſum dignatus ſit alloqui, quodque in nomine vel de nomine Jeſu Damaſci & in Arabia loquutus ſit. Unde hæc hiſtoria Pauli Barnabæ notior fuerit quàm Petro & cœteris Apoſtolis ac diſcipulis Hieroſolymitanis, non opus eſt inquirere.

Sufficit annotare exemplum pacifici & benigni reconciliatoris, in quo lucet amor ſubveniendi bonæ famæ injuſtis ſuſpicionibus gravati, & libertas redarguendi eos, qui injuſtas ſuſpiciones fovebant, iiſque plus æquo indulgebant. Plurimæ lites non tam ex injuriis quàm ex mutuis ſuſpicionibus naſcuntur & diffidentia. Injuriam ſæpe facilè obliviſcuntur homines, ſed poſtquam per injurias animus ſemel incenſus eſt diffidentiâ, ægrè reconciliatur amicitia. Bonam igitur operam collocant qui exemplo Barnabæ ſuſpicionibus malè fundatis diluendis intenti ſunt. Sic Abraham Gen. 13. 8. Sic Moſes Exod. 2. v. 15. Sic Jonathan 1 Sam. 19. 4. 5. Beati pacifici Matth. 5. 8, 9. Argumenta quibus ſuſpicionem diluit Barnabas, duo ſunt: 1. Dominum vidit & Dominus ei locutus eſt. 2. Ἐπαῤῥησιάσατο in nomine Jeſu. Quem Dominus tantopere dilexit ut ipſum ex cœlo affatus ſit, & ſe ei videndum exhibuerit, & qui viciſſim Dominum adeò dilexit, ut de nomine ejus in media urbe idololatrica cum vitæ periculo liberè loqueretur, de eo non ſunt fovendæ ſuſpiciones. Atqui Paulus, &c. Ergo. Apta ſunt hæc argumenta ad diluendas ſuſpiciones. Suſpiciones plerumque hærent in una aliqua ſiniſtra actione vel verbulo minus dextrè prolato. Quid ſi huic opponi poſſunt multæ dotes divinæ, multæ virtutes & bonæ actiones aliâ occaſione editæ ſi dicere poſſum, eſt utique vir qui à Deo hactenus amatus, ut æquè ad Eccleſiam vocatus baptizatus, cognitione Chriſti illuſtratus, &c. Qui etiam cætera bene ſe geſſit, niſi quod hac una actione lapſus eſt, ſi hoc, inquam, dicere poſſum, diluitur ſuſpicio. Poſſem hîc nonnihil inhærere explicando verbo παῤῥησιάζειν, quod exprimit ſæpe quidem fiducialem libertatem cujusvis Chriſtiani, præſertim martyrum, in confitendo nomine Jeſu, hîc autem ſpecialiter notat confidentiam & intrepidam libertatem concionatorum in defendenda veritate & redarguendis peccatis. Sed quia de hac virtute ſæpius dictum ſupra, ideo nunc præteribimus.

V. Sicut autem Barnabas diligens eſt in ſuſpicione diluenda; ita & Apoſtoli ac diſcipuli faciles ſunt in ſuſpicione dimittenda, Paulumque ita recipiunt, ut permittant eum ingredi & egredi, i. e. omnem familiaritatem cum ipſo exercent, immo dant ipſi dextram communionis Gal. 2. 1. Non tantum illi ſunt εἰρηνοποιοὶ, qui litigantibus intercedunt, & eos reconciliare ſatagunt; ſed eſt etiam virtus ipſorum litigantium, cum ſe faciles præbent ad dimittendas ſimultates. Quot inveniuntur homines duri & pervicaces, qui non tantùm materiam indignationis facilè arripiunt, ſed & adeò tenaces ſunt in ſervandis iris, ut nulla ἐπιείκεια locum habeat, ſed ſemper extremum jus poſtulent! Sic non fecerunt cum Paulo Chriſtiani, non dixerunt, nolumus tecum verſari, niſi prius nobis ex aſſe ſatisfacias pro omnibus quas intuliſti, injuriis. Sic facilè propitius adverſario Matth. 5. 25.

VI. Etſi autem faciles ſunt Apoſtoli ac diſcipuli ad Paulum recipiendum; tamen Paulus ſui officii eſſe putavit reipsâ ſuam in Chriſtianiſmo ſinceritatem teſtari. Ideoque à diſcipulis in communionem receptus Hieroſolymis quoque fecit quod fecerat Damaſci, videl. liberè & confidenter egit in nomine Jeſu, & colloquutus eſt ac diſputavit cum Helleniſtis. Sic itaque Paulus Hieroſolymæ non tantùm communionem iniit cum Apoſtolis, qua de cauſa eò profectus erat, ſed etiam ea occaſione officio ſuo functus eſt in prædicando Chriſto, ut ita nunquam & nuſquam otioſus eſſet, ſed ſemper diligens in vocationis functione. Quæritur qui illi Helleniſtæ quibuſcum diſputavit? Fuit illud nomen uſurpatum ſupra cap. 6. v. 1. Diximus ibi Judæos tempore Chriſti fuiſſe triplices: 1. Hebræos qui in Judæa habitabant. 2. Chaldæos qui erant in diſperſione Babylonica in oriente. 3. Græcos, qui erant in diſperſione occidentali. Omnes illi habebant Synagogas ſuas Hieroſolymæ. Sed quia ex his Græcis quidam erant converſi ad Chriſtianiſmum, qui ſupra cap. 6. 1. murmurabant ob imparem diſtributionem Eleëmoſynarum, quæritur an hi Helleniſtæ, quibus cum Paulus diſputavit, fuerint religione Judæi, an verò Chriſtiani? Sunt qui putant fuiſſe Judæos de Synagoga Cilicum, qui etiam cum Stephano diſputaverant cap. 6. v. 9. & ideò potiſſimum cum Paulo diſputabant, quia is erat eorum popularis, ex Tarſo Ciliciæ Metropoli. Sunt etiam qui putant fuiſſe Chriſtianos, illos ipſos murmuratores de quibus cap. 6. v. 1. qui cum Paulo diſputaverint de articulo juſtificationis, an per ſolum Chriſtum, an verò per Chriſtum & opera legis juſtificetur peccator. Græci enim plerumque erant acuti Philoſophi, Ariſtotelis diſcipuli, qui ex Ethica Ariſtotelis metiebantur Chriſtianiſmum, & non gratiam Chriſti ſed merita virtutum prædicabant. Utcunque ſumas, ſuſcitavit ei Deus hos adverſarios, ut in iis refutandis

peritiam

peritiam & ſinceritatem ſuam in Chriſtianiſmo manifeſtaret. Hic eſt finis propter quem hæreſes & ſectæ ſurgere ſinuntur à Deo, ut, qui ſinceri ſunt, manifeſti fiant. 1 Cor. 11.

VII. Quis exitus hujus concertationis & diſputationis? Tentârunt eum occidere. Crudeles diſputatores! Non ſatis erat Sophiſmatibus obtundere, nec ſatis linguâ & conviciis laceſſere, ſed etiam occidere ſatagunt, non ſecus ac ſi Jeſuitæ fuiſſent, quorum mos eſt occidere, cum diſputando vincere non poſſunt. Fluit hoc ex fundamento Papatus quod ſuperiore concione tractavimus, ſcil. quod non ſit de doctrina diſputandum, ſed in definitione ſedis Romanæ acquieſcendum. Qui hoc non facit, ſed erroribus Scripturam opponit, cum eo leves quidem aliquando velitationes & diſputationes ſuſcipiunt, ut videantur non omninò ſine ratione ſua defendere, ſed præcipuus tamen ſcopus eſt occidere eos, qui contradicunt ſedi Romanæ. In diſputationibus enim parum ipſis præſidii. Hoc ingenium Diaboli, qui ideo diſputavit ut occideret Gen. 3. Eſt & plerunque ingenium eorum qui contempta gratiâ merita ſectantur. Hi enim plerunque homines acerbi & amari ac auſteri, adeoque zelotæ, qui diſcipulos Euangelii occidunt, & ſe putant facere rem gratam Deo. Ideoque hoc ad providentiam quoque referendum, quâ calamitas ex calamitate Paulo immiſſa eſt, ut in Chriſtianiſmo rectè initiaretur.

VIII. Sicut autem Pauli periculum fuit duplicatum? ita & liberatio. Denuò enim ope diſcipulorum educitur Cæſariam ad mare ſitam, cum propoſito ut inde Tarſum in Patriam proficiſceretur. Miſerunt in patriam, i. e. dimiſerunt iterum in Patriam. Poſtquam in loco converſionis ſuæ Miniſterii tyrocinia poſuiſſet, poſtquam in loco converſionis ſuæ Miniſterii tyrocinia feciſſet, poſtquam in loco ſalutis, ſcil. Hieroſolymæ, communionem cum Apoſtolis iniiſſet, & jam ad prædicandum inter gentes Euangelium egreſſurus eſſet, primò omnium Patriam ſuam elegit, ut ibi primo loco prædicaret. Eſt hoc exemplum pietatis in Patriam. Nihil naturalius quàm amor Patriæ. Dulce natale ſolum. Nobis & Patriæ nati ſumus. Vide Nehem. 2. v. 2, 3. Utinam diſceremus ita vivere, ne florentiſſimam Patriam hanc peccatis noſtris redderemus obnoxiam maledictioni & vaſtationi. Neſcitis quàm optent Germani exules Euangelium & pacem Patriæ ſuæ reſtitutam. Vos veſtræ Patriæ florem ſtudete retinere. Experientia enim teſtatur quàm difficulter recuperetur pax amiſſa!

Actor. 9. v. 31.

Concio CX.

Unius hominis & hoſtis ſublatio ſæpe multum prodeſt Eccleſiæ. Sicut mors unius Paſtoris ac Doctoris, vel unius Principis multum nocet Eccleſiæ, ita mors unius hoſtis multùm prodeſt: Sicut Eccleſia priſca Davidis mortem multùm vetebatur, 2 Sam. 18. 3. 2 Sam. 21. v. 17. 2 Reg. 2. v. 12. ita morte unius hoſtis multum lætatur 1 Sam. 18. 17. Sic etiam converſio unius Sauli, quâ quidem non mortuus, ſed tamen malitiæ ſuæ mortuus eſt, hoc profuit Eccleſiæ, quod perſequutio per totam Judæam, Galilæam & Samariam ceſſavit, & Eccleſiæ paſſim habuerunt pacem, &c. Etſi enim multi erant qui Eccleſiam oderant, tamen ſolus Saulus erat principalis auctor, cæteros hoſtes ad perſequutionem inſtigans, quo ſublato ac converſo, cæteri illicò à perſequutione ceſſant. Sic novit Deus facili negotio liberare Eccleſiam ſuam à perſequutionibus, ſi ſcil. unum tollat caput, quod præcipuum Diaboli flabellum & inſtrumentum eſt. Verum quidem eſt, quod hoſtilis illa Cathedra, quæ hodie Eccleſiam Euangelicam vexat, ita conſtituta eſt, ut uno capite reſecto, ceu in hydra lernæa, aliud ſtatim renaſcatur, ſed tamen ſæpe fit, ut per paucos aliquos Principes infernalis illa perſequutio præcipuè graſſetur, quibus ſublatis cogitur Cathedra iniquitatis vanâ irâ propriam mandere linguam, nec poteſt in effundendo Chriſtiano ſanguine pro lubitu pergere.

Verba, quæ nunc prælegimus, hiſtoriam converſionis Sauli proximè ſequuntur, & duplici modo poſſunt accipi, vel ut effectus converſionis & vocationis Sauli, vel ut occaſio remota ſequentis miraculi. Pax enim & quies Eccleſiæ verè fuit effectus converſionis Sauli perſecutoris, quia hoc converſo ceſſavit perſequutio & Eccleſiæ habuerunt pacem. Pax etiam Eccleſiæ fuit occaſio, quod Petrus ſine impedimento omnes regiones paſſim peragraret, atque ita etiam Lyddam & Joppen veniret, ubi hæc duo miracula in paralytico & fœmina mortua patravit, ad propagandum Euangelium. Poſtquam enim Lucas hoc capite nobis dediſſet aliquot exempla propagationis Eccleſiæ & Euangelii facta per

Paulum, voluit ſtatim aliqua ſubjungere facta per Petrum, quorum primum eſt miraculum in paralytico patratum Lyddæ, alterum eſt miraculum patratum Joppæ in fœmina mortua. Quicquid ſit de ſcopo & connexione hujus verſus, quantum ad materiam eſt deſcriptio felicis ſtatus, quo Eccleſia poſt perſequutionem & diſperſionem ſuam ad tempus finita eſt. Eccleſia enim eſt inſtar Lunæ, habens ſuas Ecclypſes, ſua incrementa, ſua decrementa, ſuam plenitudinem. Converſo Saulo Eccleſia erat, quaſi in plenilunio & feliciſſimo ſtatu, quem in hoc mundo exſpectare poteſt. Hæc felicitas Eccleſiæ duplex erat.

I. Corporalis: Habebant Eccleſiæ pacem.

II. Spiritualis: In hac pace ædificabantur, ambulabant in timore Domini, & per conſolationem Spiritus S. multiplicabantur.

De Primo.

Loquitur de Eccleſiis. Eccleſiæ habebant pacem. Fuit pax univerſalis per omnes Eccleſias, quæ tum temporis erant. An igitur plures ſunt Eccleſiæ? Utique una domus, una civitas Dei, unum templum, unum corpus, una ſponſa Chriſti? *Reſp.* Eſt una Eccleſia, ſed hæc una eſt multitudo ex multis particularibus cœtibus compoſita. Eccleſia ſemper habet pacem. Nam pacem non habere ſignum impiorum eſt Eſa. 57. 21. & 48. 22. Sed non ſemper habet illam pacem de qua hic ſermo eſt. Triplex eſt pax. 1. Cum Deo. Hanc ſemper habet Eccleſia, etiam tum cum à Deo caſtigatur, turbatur & quaſi oppugnatur. Cum enim Deus Eccleſiam caſtigat ac probat per crucem, non bellum contra eam gerit, ſed ad pacem ejus converſandam, diſciplinam & medicinam adminiſtrat. 2. Secum ipſo ſeu eum propria conſcientia. Hanc etiam ſemper habet Eccleſia, etiam tum, cum aliquando à propria conſcientia graviter accuſatur & quaſi pulſatur ac percellitur, ut David 2 Sam. 24. v. 10. Quantumcunque enim fidelium conſcientia fideles accuſat, nunquam tamen ita accuſat, quin ſimul aliquo modo abſolvat per confugium & fiduciam in merita Chriſti Salvatoris 1 Joh. 3. v. 20, 21. ubi expreſſe dicitur, quod tum, cum cor noſtrum nos propter peccata condemnat, idem propter teſtimonium Dei nos non condemnat, ſed dat fiduciam accedendi. 3. Cum ſuis hoſtibus ſcil. cum Diabolo & hominibus impiis. Hanc pacem Eccleſia non habet ſemper, immò, ut veriùs loquar, nunquam habet. Habet aliquando pacem à Diabolo & mundo, quia Diabolus & mundus divinitus ſæpe frænatur, ut bellum, quod vult inferre, non poſſit inferre. Sed propriè loquendo nunquam habet pacem cum Diabolo & mundo, quia nunquam fœdus aut concordiam ſancit ac paciſcitur cum Diabolo & mundo, ſed manet in perpetua inimicitia & actuali bello contra Diabolum & mundum Gen. 3. v. 15. inimicitia ſemel ibi poſita nunquam ceſſat. Hæc igitur fuit pax quam habuerunt Eccleſiæ, ſcil. quod Diabolus & mundus ad tempus à Deo fuerunt ligati, ut, quamvis odiſſent Eccleſiam, nec carerent voluntate perſequendi, tamen non auderent perſequi, ſed cogebantur ſuam ipſi concedere libertatem. Quæ cauſa fuerit per quam hoſtes Eccleſiæ ita fuerunt ligati, non eſt in promptu dicere. Fieri poteſt ut potentia Romani Præſidis eos continuerit, nolentis ut ſanguis innocens funderetur. Sicut etiam hiſtoriæ teſtantur, quod circa illud tempus Tiberius Cæſar, auditis rebus geſtis Chriſti in terris, voluerit eum pro Deo recipi & comminatus ſit periculum iis qui Chriſtianos perſequerentur. Fieri poteſt, ut terror miraculorum eos continuerit, vel etiam gratia quam habebat Eccleſia apud populum Judaicum, divinitus donata Act. 2. 47. vel etiam cœleſtis ille terror & correptio graviſſimi illius perſequutoris Pauli & comitum illius, quæ ignota eſſe non potuit, eos Præcipuè cohibuerit. Hanc pacem ſubinde Deus Eccleſię ſuę concedit poſt graves Perſequutiones, & vocatur à doctoribus Eccleſiæ *Halcyonia*. Sicut enim in media bruma huic aviculæ conceditur quædam tranquillitas maris, ut excludere ſua ova poſſit, ita ſubinde Deus aliquam quietem dat Eccleſiæ, ut reſpirare & creſcere poſſit. Non promiſit Deus Eccleſiæ perpetuam pacem in terris, quæ nec prodeſſet, ſed potius contrariam declaravit Salvator Matth. 10. 34. Interim tamen ſicut pietas habet promiſſionem non tantum futuræ ſed & hujus vitæ 1 Tim. 4. ita Eccleſia precibus, patientiâ & pietate ſuâ ſibi poteſt imperrare, ut tribulatio & perſequutio ſubinde miſceatur aliqua pace, quantum gloria Dei & ſalus Eccleſiæ ferre poteſt. Promiſit enim Deus, & licet Eccleſiæ cum fiducia à Deo petere, ut non ſemper ſuccenſeat Pſal. 103. 9. Sed ut lætificet poſtquàm oppreſſit Pſal. 90. 15. ut ædificet muros Hieroſolymæ Pſalm. 51. ut firmet Peſſulos portarum, &c. Pſal. 147. 12, 13, 14. Vide Pſal. 30.

Pſal. 30.6. Vide etiam Eſa. 57.16. ubi rationem reddit Deus, quare aliquando pacem det, ſcil. ne Spiritus abſumatur, vel, ut eſt Pſal. 85. v. 6, 7. ut in Deo lætare poſſint. Sicut habet rationes cur perſequutionem immittit, ſcil. ut horreum ſuum purget Matth. 3. ita habet rationes cur perſequutiones pace interrumpat, ſcil. ut Eccleſiam refocillet, ne cum palea triticum perdatur Matth. 13. Non eſt quod pluribus teſtimoniis & argumentis demonſtremus rem quam ipſi hodie per Dei gratiam in nobis ipſis experimur. Habuerunt majores veſtri perſequutionem, vos certè habetis pacem, eamque tam felicem, ut audacter dicere liceat, feliciorem pacem vix tempore Salomonis fuiſſe. Habemus, fateor, bellum, ſed illud bellum nec impedit nec minuit, ſed potius auget noſtram pacem. Eſt enim *Bellum triumphans*, quod ſpoliis hoſtium alit & ditat noſtros cives, & quod eſt verus ac optimus murus, quod pax noſtra cuſtoditur. Hactenus enim verè bellum noſtrum murus & munimentum noſtræ pacis fuit, nec non portus & porta commerciorum noſtrorum, quo Theſauri & divitiæ incolarum ita multiplicatur, ut aurum ac argentum lapides in plateis æquet, ut de tempore Salomonis dicitur 1 Reg. 10. 27. Audimus quidem multorum quærelas, quod parum emolumenti habeant ex hac pace, cum taxis & impoſitionibus exhauriantur, nec plus poſſideant quàm qui bello & rapinis quotidiè nudantur. Sed hi homines non intelligunt quid ſit Bellum vel Pax. Non ſciunt bonum & malum, donec ex arbore experimentalis cognitionis comederint. Quando exſpectari poteſt in terris talis pax, quâ omnes homines æquè ſint divites? Sufficiat tibi, quod ſine metu hoſtium in ſudore vultus tui pane tuo veſci potes. Bellum & perſequutio mendicis æquè acerba ac divitibus. In ſudore vultus pane ſuo veſci ordinatio Dei eſt, quam nec pax nec bellum tollit. Interim magna differentia eſt inter ſudorem laboris & ſudorem angoris. Tolerabile eſt in ſudore, labore & moleſtia veſci pane, modò fieri poſſit ſine angore & terrore hoſtium. Optandum foret, & plus contentationis haberemus, ut miſeriam eorùm, qui ſub bello & perſequutione ſunt, conſiderantes, ob privatas ærumnas, quibus ſubinde premimur, minus murmuraremus. Sed quia nunquam rectè illorum ſtatum cum noſtro ſtatu comparamus, inde fit, ut in media pace ſedentes nunquam ſimus ſatis contenti. Ubi autem non eſt contentatio ſed murmuratio, quæ poteſt eſſe gratitudo? Vide 1 Tim. 6. 8. Heb. 13. 5. 2 Cor. 12. 9.

DE SECUNDO.

HActenus felicitas Eccleſiarum corporalis: Sequitur Spiritualis. Corporalem pacem habentes Eccleſiæ ea bene uſi ſunt ad felicitatem Spiritualem. Temporali pace plerumque malè utuntur homines. Putreſcit enim Eccleſia & corrumpitur opimâ pace, & plerumque melius habet ſub cruce, quam in pace. Sed Eccleſia recens plantata, & Spiritu S. plena pace ſua aliter utebatur, ut in corporali paci, etiam reſpectu felicitatis Spiritualis eſſet in ſummo faſtigio, quod unquam Eccleſia in hoc mundo poteſt attingere. Hæc felicitas Spiritualis in duobus erat poſita, vid. in diligentia Doctorum, & in proſpero profectu diſcipulorum.

I. Diligentia Doctorum exprimitur voce *οἰκοδομούμεναι*. Hæc enim vox nihil aliud notat, quàm quod Doctores Eccleſiæ fuerint & multi & diligentes in Eccleſia ædificanda. Uſitatiſſimum eſt in Scriptura, Eccleſiam comparare domui, & miniſtros Architectis hujus domus 1 Cor. 3. 10. Illi enim ſunt à Spiritu S. ad hoc opus ſeparati Actor. 13. v. 2. Hi igitur hac pace uſi ſunt ad opus ædificationis ſtrenuè promovendum. Tempore perſequutionis vaſtata erat Eccleſia Actor. 8. v. 3. Ceſſante autem perſequutione doctores ſedulò reædificârunt quod vaſtatum erat. Magna laus Doctorum & magna felicitas Eccleſiæ. Poſſem latiùs inſiſtere ſimilitudini de ædificatione, ſed in tribus diverſis concionibus feci cum explicarem v. 11. cap. 4. Hæc pars felicitatis Spiritualis nobis per Dei gratiam hoc tempore non deeſt. Habemus Doctores mediocri numero, & donis ac diligentiâ non infimos, ut non immeritò poſſimus potius cantare illud Pſal. 68. 12. quàm quem illud Chriſti Matth. 9. 38, 39. Non dico quod nihil deſiderari poſſit, ſed tamen gratiæ ſunt agendæ Deo, quod defectus non eſt major. Habetis certè in his terris operarios quales multæ Eccleſiæ extra has regiones non habent, & ſi aliud non eſſet impedimentum ædificationis, quàm defectus operariorum, minùs ſufflaminaretur opus. Nec tantùm habetis miniſtros, ſed tantò feliciores eſtis ipſis illis Eccleſiis de quibus hic agitur, quod habetis Chriſtianos magiſtratus, Eccleſiæ nutritios, qui opus omni corporali ope promovent & adjuvant. Nolo vel hos vel illos

illos ampliter laudare, ſed potius hoc exemplo utroſque ad majorem diligentiam acuere, ut hac opima pace utantur ad diligentiam in ædificanda Eccleſia, quæ Patrum memoriâ tantopere fuit vaſtata. Hortor etiam Patres familias, ut porrigant lapides ad hoc ædificium, ſcil. ſervos & filios. O quàm miſer eſt ſtatus Eccleſiarum in Germania, ubi Eccleſia nunc paſſim vaſtatur & pauci ſunt qui ædificant. Ædificemus nos dum tempus habemus. Precemur etiam, ut Deus vaſtatas Eccleſias Germaniæ, &c. reædificet Pſal. 51. 20. Pſal. 102. 14, 15, 17.

II. Profectus diſcipulorum in eo poſitus erat, quod in timore Domini & in conſolatione Spiritus S. ambulantes multiplicabantur. Magna erat diligentia Doctorum, ſed reſpondebat illi diligentia diſcipulorum in diſcendo: Hæc verba diverſimodè conſtruuntur apud interpretes. Alii ſic: Ædificabantur & ambulabant in timore Domini, & multiplicabantur per conſolationem Spiritus S. Alii verò habent diſtinctionem quam noſtri Interpretes, quos & ſequimur. Duo igitur dicuntur: 1. Eccleſiæ multiplicabantur. 2. Per quid ita multiplicabantur? quod ambularent in timore Domini & conſolatione Spiritus S.

1. Multiplicabantur: i. e. & numero augeſcebant & viribus ac benedictionibus omnigenis replebantur & roborabantur. Laudantur diſcipuli à profectu ſuo in opere Domini, & quod ſe paſſi ſunt ædificari à ſuis doctoribus. Non eſt cum ædificatione ſpirituali ſicut in corporali. In hac ædificantibus Architectis ædificium neceſſariò creſcit & grandeſcit, ſeu in illa architecti ſæpe maxima induſtriâ ædificant, & tamen Eccleſiæ parum ædificantur nec creſcunt 1 Reg. 19. 14. Eſa. 53. 1. Eſt igitur laus harum Eccleſiarum, quod ædificantibus doctoribus ſe paſſæ ſunt ædificari & ampliari. Sicut cum non patiuntur ſe ædificari, ſed ſinunt operam miniſtrorum fieri fruſtrà, meritò culpantur Ezech. 24. 13. Eſa. 5. 3, 4. ita cum Eccleſiæ miniſtrorum ſuorum labori locum dant & per eum ſe patiuntur multiplicari & roborari, meritò laudantur 1 Theſſ. 1. 5, 6, 7. Scio quod ſoleat objici, quæ laus aut quæ culpa locum hîc habere poſſit, cum res tota pendeat ab *ἀξίᾳ* & cooperatione Dei. Si Deus miniſtrorum labori efficaciter cooperatur, non poſſunt non ædificari, & quis tum locus laudi? Si non cooperatur efficaciter, non poſſunt ædificari, & quis tum locus culpæ? *Reſp.* Quandoquidem cum Apoſtolo objicis, per Apoſtolum reſpondeo: *Tu qui es qui expoſtulas cum Deo?* Sufficit tibi, quod obedire miniſtris Dei, ſit officium tuum, & quod non obedire ſit peccatum tuum. Si facis officium, laudem habes apud Deum, etiamſi non facias tuis viribus. Si non facis, culpam habes, quicquid de impotentia tua prætendas. Peccatum enim nullo prætextu liberari poteſt à culpa.

2. Per quid autem ita creſcebant? Ambulando in timore Domini & conſolatione Spiritus Sancti. Sicut Deus generi humano dedit præceptum, Creſcite & multiplicamini Gen. 9. 1. loquens de corporali incremento & propagatione: Sic etiam Eccleſiæ dedit præceptum incrementi ſpiritualis, ut creſcant & multiplicentur in gratia, hoc loco & 2 Petr. 3. 18. Quomodo autem poſſumus creſcere in gratia? Si gratiam Dei non fruſtra accepeimus 2 Cor. 6. v. 1. Sed viribus gratiæ utamur ad ambulandum in timore Dei & conſolatione Spiritus. Sicut qui naturalem vitam & ſanitatem à Deo nactus iſtâ ſanitate utitur tum ad edendum tum ad laborandum, is per eſum & laborem creſcit in ſanitate & robore; ita qui per Spiritum S. gratiam timoris divini & cœleſtis conſolationis nactus, iſta gratiâ utitur ad ambulandum in viis à Domino præſcriptis, & uſurpandum verbum per miniſtros Eccleſiæ prædicatum, is hoc ipſo uſu gratiæ creſcit in gratia, ut expreſſè Dominus indicat per parabolam ſervorum, quibus talenta ſua ad fœnerandum conceſſerat Luc. 19. Duo hîc quæri poſſunt:

a. Cur hîc talis ſit oppoſitio inter timorem & conſolationem, ut timor tribuatur Domino, conſolatio autem Spiritui S.? An timor non æquè eſt opus Spiritus S. ac conſolatio? *Reſp.* Hoc ita poſtulat intentio Spiritus S. in hac expreſſione, qui non vult nobis auctorem timoris ſed objectum ejus exprimere. Ut hoc intelligas, attende quod particula *in* non eſt in textu, ſed ſimpliciter dicitur: ambulant timore & conſolatione, i. e. vi ac beneficio timoris & conſolationis. Timor Domini non ſignificat hic totam pietatem erga Deum in Pſal. 34. 12. ſed ſignificat filialem illam curam & ſollicitudinem ac tremorem à facie Dei, quo pedes noſtri continentur in via pietatis. Deus Eccleſiis præſcripſerat viam pietatis, ſecundùm quam ipſi ſervire debebant. In hac via ambulabant. Sed dum ita ambulabant, duo ipſis obveniebant: Erat quod traheret, erat quod premeret. Primò erat aliquid quod eos conabatur ab

ab iſta via abducere, deinde aliquid quod ipſos conabatur in iſta via deprimere. Concupiſcentia carnis, in ipſis reliqua, nec non perſuaſio Satanæ ac impiorum ſatagebat ipſos ſeducere, ut vel ad dextram vel ad ſiniſtram declinarent: Onus ac ſenſus peccatorum ac iræ divinæ, nec non crux & tribulatio ſatagebant eos opprimere, ut deſperationi ſuccumbentes fatiſcerent & deficerent in curſu, antequam coronam obtinerent. Quid igitur faciebant? An patiebantur ſe ſeduci & deprimi? Minimè. Sed timore Dei continebant ſe in via ne declinarent, conſolatione Spiritus S. erigebant ſe adverſus onera prementia, ne in deſperatione ſuccumberent, atque ita vi & beneficio hujus timoris & conſolationis ambulabant in via pietatis conſtanter. Si à Deo ſibi non timuiſſent, facilè ceſſiſſent ſeductionibus ad declinandum: Si Spiritus S. conſolatione uſi non fuiſſent, facilè ſub onere premente concidiſſent. Sed timor Domini compellebat eos in viam, & conſolatio Spiritus Sancti dilatabat anxium cor, ne fatiſcerent, ſed currerent viam præceptorum Domini Pſal. 119. 32.

β. Sed quomodo ſimul poterant ambulare in timore & in conſolatione. Timor, angor, ſollicitudo, terror, &c. Et conſolatio, pax, gaudium utique ſunt duo contraria, quæ non poſſunt eſſe ſimul & ſemel in eodem ſubjecto? *Reſp.* Non poſſunt eſſe gradu intenſo, poſſunt tamen eſſe gradu remiſſo. In æterna vita, cum gaudium noſtrum erit perfectum, timor & terror locum habere non poterit. Sed in hac vita, ubi gaudium & pax & conſolatio noſtra eſt imperfecta & in gradu remiſſo, locum habere poteſt filialis timor. Et in tali mixtura timoris & conſolationis fideles ducunt vitam ſuam in terris. Sicut ſanctitas fidelium eſt imperfecta, conſiſtens in lucta inter carnem & ſanguinem; ita felicitas eorum eſt imperfecta, conſiſtens in mixtura, contemperatione & quaſi lucta timoris & conſolationis. Habent certè fideles, dum vivunt, cur à Deo ſibi timeant & cur ab hominibus, ſcil. peccata ſua & malitiam hoſtium ſuorum. Sed & habent quo ſe conſolentur, vid. certas & infallibiles promiſſiones Dei. Itaque mactantur & contriſtantur toto die, ſed tamen in his omnibus plus quam victores ſunt per Spiritus S. conſolationem. Videtis ex his quid ad pacem veſtram pertineat. Nemo eſt quin cupiat pacem, quam Eccleſia noſtra nunc habet, retinere. Quid conſilii, ut ita fiat? Ædificamini, ambulantes in timore &c. Poſſumus hunc textum eò uſque applicare Eccleſiis noſtræ Patriæ, ut liceat dicere: Eccleſiæ per totam Hollandiam & cæteras confœderatas Provincias habent pacem & ædificantur. Sed utinam liceret addere: Multiplicantur ambulantes in timore Domini, & conſolatione Spiritus! Dum habetis pacem ab hoſtibus, & fideles operarios Dei, qui vos ædificare in Domino ſatagunt, nitimini eorum operâ & ædificamini. Nam ſi non ædificabimini, vaſtabimini Ezech. 24. 23. Ambulate igitur in viis pietatis ac juſtitiæ quas Deus vobis præſcripſit. Et quoniam non minùs ac Eccleſia priſca, habetis quod trahat & quod premat, armate vos tum terrore Domini, tum conſolatione Spiritus S. Quia

1. Terror & tremor à Domino, cor contritum, Spiritus contremiſcens à facie Domini non ſinet vos recedere à via Dei, & parere ſeductionibus hominum. Prov. 19. 6. & 15. 33. Qui habet cor tumidum, ſecurum, audax, ſine tremore à facie Dei, levi negotio ſeducitur ad peccandum: Sed qui habet cor tremens, parvo negotio retinetur in via bona. Experientia ſatis probat, quod facile ceſſamus à peccatis, cum tonitruis vel aliis malis terremur, ſed illis ceſſantibus frigeſcit cautio mali. Qui igitur verum timorem Dei cordi habet implantatum, is frænum in corde gerit, quo in viis Domini retinetur. Habete igitur perpetuò ob oculos majeſtatem ac magnitudinem, item juſtitiam & ſeveritatem Dei. Comparate cum hac multitudinem & magnitudinem veſtrorum peccatorum; conſiderate quàm impares ſitis tanto oneri ferendo ſine deſperatione; cogitate denique quantum boni vobis præſtiterit veſter Deus, ut amore Dei accenſos pudeat amplius offendere, & potius ſollicitì ſitis Deum placare. Talis conſideratio vos non ſinet ſine timore Domini, ut nuper latiùs deduximus.

2. Conſolatio Spiritus S. faciet vos alacres ad currendum in ſtadio pietatis. Triſtitia & terror ſine ſolatio ita dejiciunt cor hominis, ut pereat omnis delectatio & libido quicquam audendi. Edunt cor proprium, & in ſegnitie cordis contabeſcunt. Sed ſi Spiritus S. per ſolatium dilatat cor hominis, tum currit alacriter in via Domini Pſal. 119. v. 32. Sine ſolatio non datur pietas. Nam quæ pietas ex mero ſervili timore proficiſcitur, non eſt vera pietas, ex intimo cordis proficiſcens, nec Deo placet. Ea demum vera pietas eſt, cum per fidem & conſolationem Spiritus S. de amore & auxilio certi, vi hujus

certitudinis ad demonſtrandam gratitudinem alacriter currimus in viis Domini. Rejicite igitur omnem doctrinam, quæ conſolationem fidelium infirmat. Nam qui ſolatium tollit, pietatem tollit. Per conſolationem Spiritus S. ambulant Eccleſiæ in viis Domini. Admittite igitur ſolatium Spiritus S. Habetis certè cauſam ſolatii. Cogitate quæſo infinitam Dei miſericordiam, infinita Chriſti merita, plenas promiſſiones verbi, omnia neceſſaria promittentes contra reatum & dominium peccati, contra omnes hoſtes & defectus, pignus Spiritus S. vim Sacramentorum, paternam Dei dilectionem, experientiam varii auxilii jam tum accepti. Quotquot timetis Dominum, admittite ſolatium Spiritûs, & hoc vos reddet alacres ad pietatem, quâ pacem veſtram cuſtodiat.s.

Actor. 9. *v.* 32, 33, 34, 35.

CONCIO CXI.

DEus creaturis ſuis, præſertim hominibus, diverſimodè utitur: 1. aliis ut creaturis quas nutrit & conſervat. 2. aliis ut filiis quos juſtificat, ſanctificat, glorificat. 3. aliis ut ſervis ac miniſtris per quos alios regit ac gubernat. 4. aliis ut ſpeculis juſtitiæ & ſeveritatis quibus alios terret. Sicut enim bonus campiductor ex multis petulantibus militibus quoſdam tantùm ſuſpendit omnibus in exemplum; ita bonus Deus quoſdam peccatores, quaſdam familias, quaſdam nationes facit perpetua exempla & ſpecula in quibus omnes videant quid ſint meriti. Talis viri exemplum hîc nobis proponitur. His enim verſibus continetur novum exemplum propagati extra Hieroſolymam Euangelii per miraculum factum à Petro, in ſanatione miſerabilis Æneæ. In hujus miraculi deſcriptione conſideranda veniunt ſequentia:

1. Occaſio miraculi. Petrus peragrans omnes Eccleſias venit etiam ad Sanctos qui erant Lyddæ.

2. Perſona in qua hoc miraculum factum: vir paralyticus, qui per octo annos decubuerat, nomine Æneas.

3. Modus miraculi facti: Petrus ſanationem Æneæ annunciat, & tum jubet ſurgere ac lectum ſternere ſibi ipſi, & illicò ſurrexit Æneas.

4. Fructus miraculi. Omnes qui habitabant Lyddæ & Saronæ cum viderent convertebantur.

DE PRIMO.

QUia Eccleſiæ pacem habebant, Miniſtri Eccleſiæ hac pace ſedulò utebantur ad Eccleſias paſſim impigrè ædificandas, ut nuper audivimus. Et ſic etiam Petrus, non minus cæteris diligens, hac pace omnes Eccleſias per Judæam, Galilæam ac Samariam peragrans Lyddam etiam venit ad Sanctos ibi confirmandos, & hac occaſione miraculum illud fecit. Peragrabat Eccleſias, i. e. viſitabat Eccleſias antè plantatas ad eas confirmandas. Sicut pater-familiâs, poſtquam domum ædificavit, eam quoque ſubinde luſtrat & paſſim emendat, ut in ædificatione conſervet. Sicut agricola poſtquam ſementem fecit, eandem ſæpe luſtrat, aviculas abigit, zizania evellit, humectat, &c. ita Apoſtoli poſtquam Eccleſias paſſim plantâſſent, & rectores Eccleſiæ conſtituiſſent, ſæpe eaſdem peragrârunt, ut in ædificatione conſervarent. Sic Apoſtoli Actor. 11. 22. poſtquam audiviſſent etiam in Phœnicia, Cypria, & Antiochia Eccleſias eſſe plantatas, mittunt Barnabam, ut Antiochiam uſque peragraret terram, & Eccleſias confirmaret. Sic Paulus & Barnabas Actor. 14. 21, 22. Quid opus erat ita fieri, cum Eccleſiæ eſſent in pace, & ſponte ſua ædificarentur ac ambularent in timore Domini & conſolatione Spiritûs S? *Reſp.* 1. Dum in pace erant, erant armandæ contra futuras perſequutiones, & præmonendæ non ſemper fore pacem, ſed per multas tribulationes &c. Actor. 14. 22. Ut igitur tempore pacis colligerent vires pugnandi. 2. Nunquam majori ſubeſt periculo Eccleſia, quàm cum in pace eſt. Etſi enim tum non tantopere opus eſt metuere perſequutiones, quæ Eccleſiam vaſtent, tamen metuenda eſt laſcivia tum doctorum, qui facilè, pruritu novitatis capti, glorioſæ ſuæ velificantur per falſas doctrinas, tum diſcipulorum, qui facilè frænum laxant libidinibus, ac ita abducuntur à ſimplicitate quæ in Chriſto eſt. Neceſſe igitur eſt miniſtros tali tempore uti zelo divino quali Paulus 2 Cor. 11. 2, 3. 1 Theſſ. 2. 7. Sicut mater tenerrimâ curâ liberos cuſtodit, ne vel morbis corpus, vel vitiis anima perdatur; ita Apoſtoli Eccleſiam. Et ſi ſine tali cura eſſet Eccleſia, etiam tempore pacis, mox corrumperetur. Si vel optimos haberetis magiſtratus, ſi vel ab optimis miniſtris eſſet plantata aliqua Eccleſia, & tamen perpetua miniſterii curâ poſtea non foveretur, citò corrumperet ſuam viam. Non poteſt ſine hac cura miniſterii eccleſiaſtici Eccleſia aliqua diu florere,

florere, non plus quàm Reſpublica ſine magiſtratu, aut quàm familia ſine patre-familiâs. Poteſt, fateor, civilis magiſtratus ſua auctoritate & coactiva poteſtate, ſi ſit in officio ſedulus, homines coërcere, ut reſpublica ſit immunis à graſſantibus cædibus, furtis, adulteriis, &c. ſed ut corda hominum maneant in timore Domini, & conſolatione Spiritus S. in amore Dei, in ſpontanea & fervida obedientia divinorum præceptorum, &c. fieri non poteſt ſine hac perpetua cura & viſitatione eorum, qui ad prædicandum verbum ſunt vocati. Sciendum hoc, ne labor SS. Miniſterii contemnatur tanquam minùs neceſſarius, ne dicant homines, quod multi dicunt, intelligo capita religionis æquè ac ipſi Paſtores, quid opus tam ſæpe frequentare templum? Qui per Apoſtolos edocti verbum receperant, etiam bene intelligebant verbum, & tamen neceſſarium erat ut denuò ab Apoſtolis viſitarentur. Qui rectè intelligit quàm ſit fide infirmus, carne robuſtus, hoſtibus obſeſſus, & divinæ confirmationis indiguus, is non facilè contemnet miniſterii operam, per quam Deus nos confirmat. Sicut mater non tantùm parit infantem, ſed partum alit uberibus ſuis; ita miniſterium non tantùm eſt ſemen regenerationis, ſed & lac nutritionis, quod non rarò ſed ſæpe bibendum eſt, ut per illud adoleſcamus 1 Petr. 2. 2. Vide Gal. 4. v. 19. q. d. Semel vos converti non minore labore quàm eſt parturientis matris, nunc denuò idem labor mihi ſubeundus, ut ex novo hoc errore vos eripiam. Precandus igitur Deus ut viſitet vineam quam plantavit Pſal. 80. 15.

At enim illa peragratio Petri per omnes Eccleſias nonne illuſtre argumentum eſt Papam Romanum eſſe Epiſcopum Oecumenicum? Quoniam enim ſucceſſor Petri eſt, ipſius quoque eſt peragrare omnes Eccleſias, & proinde omnium Eccleſiarum Epiſcopus eſt jure divino. *Reſp.* 1. Inſpectio & viſitatio omnium Eccleſiarum non fuit officium ſolius Petri, ſed omnium Apoſtolorum, ut ſupra ex Actor. 11. v. 22. audivimus, nec non ex 2 Cor. 11. 28. Apoſtoli enim omnes non erant unius Eccleſiæ miniſtri, ſed omnium Eccleſiarum. Quod ſi Papa eſt Miniſter omnium Eccleſiarum, eſt ſucceſſor omnium Apoſtolorum, eſt verus & ſolus Apoſtolus, quod tamen non audet dicere. Apoſtoli enim ſucceſſores non habent. 2. Si Papa eſt ſucceſſor Petri, habens poteſtatem peragrandi & confirmandi in doctrina Apoſtolica omnes Eccleſias, cur non facit? Si ſucceſſit Petro, cur non imitatur Petrum? Cur τὸ *peragrare* mutavit in *ſedere*. Hodie enim non dicitur: Papa peragrat omnes Eccleſias, ſed Papa ſedet in vel ſuper omnibus Eccleſiis. Sedit viginti quinque annis. Cur non ſatisfacit officio? cur non magno labore & moleſtia, cum periculo, cum infamia peragrat omnes Eccleſias more Petri & Pauli 2 Cor. 11. v. 23. &c. prædicans Euangelium, ſublevans infirmos, corrigens errores ex verbo Dei, &c? Sed potius ſedet vel equitat in urbe orbis Domina purpuratus & coronatus. Hoc certè non eſt more Apoſtoli Eccleſias peragrare, ſed more Imperatoris ac tyranni Eccleſiis dominari contra edictum Petri 1 Pett. 5. 3. *Perambulare*, inquit Jeſuita à Lapide, eſt principum, denotatque auctoritatem & jus regendi. „ Sicut Princeps perambulat regiones ſibi ſubjectas, „ omnia luſtrans, omnibus providens & jus dicens; ita „ Princeps Paſtorum obit & viſitat ſuos ſubditos &c. „ Hoc certè non fecit Petrus, qui non more Principis obequitavit cum pompa & ſplendore, ſed more pauperis Paſtoris obambulavit cum cura, labore & moleſtia. Sed ne Papa hoc quidem facit, quippe non omnes obequitans, ſed Romæ in ſuperbia & luxu vitam agens. Quomodo igitur imitatur Petrum? Audivi equidem, atrum illum aſinum, albo aſino vectum, plateas urbis Romæ in proceſſionibus ſuis obambulare. Sed quando pedem ponit extra urbem, extra Italiam vel Europam? Quando omnes Eccleſias peragrat ad prædicandum Euangelium?

Object. Imitatur Petrum, dum Jeſuitas mittit, qui ejus nomine totum orbem peragrant & per Eccleſias reptitant. Hic enim eſt finis inſtituti ordinis Jeſuitici. *Reſp.* Faciunt hoc certè Jeſuitæ, verùm non ad exemplum Petri, ſed ad exemplum Phariſæorum Matth. 23. 5. peragrant Eccleſias, non ut eas in doctrina Apoſtolorum & in praxi illius doctrinæ confirment, ſed ut ferant idololatriam, hæreſes, ſuperſtitionem, ut promoveant proditiones, bella, ut exſequantur conſilia Hiſpanorum, ut corradant pecuniam ad opima condenda monaſteria, &c. Hoc Petrus non fecit.

DE SECUNDO.

Homo in quo miraculum factum, erat paralyticus, & quidem inveteratæ paralyſeos, Medici diſtinguunt inter paralyſin recentem & inveteratam. Prior difficulter, poſterior nunquam curatur,

quia per continuationem morbi pars reſoluta contrahit atrophian. Paralyſis eſt quaſi liquefactio membri vel membrorum, orta ex obſtructione nervorum. Cum nervi ſunt liberi & ſpiritibus animalibus repleti, membris dant vigorem & robur, ut poſſint extendi & cum vi quadam agitari. Sed cum nervi obſtruuntur & Spiritus intercipiuntur, illicò perit membrorum vis & robur, ut tanquam liquefacta & mortua pendeant à corpore, ſint gravia, flaccida, mollia, ἀνήμερα. Hæc paralyſis ſeu reſolutio membrorum. Cum hoc malum ad tempus durat, per atrophian membra illa exareſcunt & planè moriuntur, & tum morbus nullo medicamento curati poteſt. Talis erat hic morbus, & tamen à Petro curatur. Vide quanta ſit ars miniſtrorum verbi. Quod medici omnes omnibus ſuis pharmacis non poſſunt, miniſtri ſuo verbo poſſunt, cum potentia Chriſti & Spiritus S. à quo miſſi ſunt cum verbo ipſorum operatur.

Object. At non omnes miniſtri hoc poſſunt, nec qui poſſunt, ſemper poſſunt. *Reſp.* Hoc fit, quia non ſunt Domini hujus operis, ſed miniſtri, per quos Dominus operatur, quando vult. Etiam medici non poſſunt curabilem aliquem & minimum morbum totâ ſuâ arte curare, niſi quantum Deus ipſorum arti cooperatur. Quid mirum igitur miniſtros verbo ſuo non poſſe facere quod lubet, niſi in quantum Deus verbo ipſorum cooperatur? Interim tamen evidens eſt hoc exemplo, quod per miniſtros verbi Deus operetur talia opera, quæ omnem humanam artem & potentiam ſuperant, ut ita homines in humanis artibus nihil præſidii invenientes, per obedientiam verbi eant ad Deum, qui verberare poteſt & ſanare, qui uno momento paralyſin poteſt inducere & ſanare, ut patet in exemplo Jeroboami 1 Reg. 13. 4, 6. Matth. 12. 10.

Object. Atqui hoc quidem Deus per Prophetas & Apoſtolos operatus eſt, ſed nunquam per ordinarios Miniſtros hodie operatur. *Reſp.* At operatur tamen per hos quoque quod majus eſt quàm ſanatio corporalis paralyſeos, nimirum ſanationem ſpiritualis paralyſeos, quâ ſanatâ corporalis quoque paralyſeos ſanatio ſequetur, ſi non in hac, ſaltem in altera vita. Anima quoque habet ſuam paralyſin, cujus corporalis illa paralyſis quædam imago & repræſentatio eſt. Sicut enim corporalis paralyſis conſiſtit in excluſione Spirituum influentium, & inde orta membrorum impotentia & areſactione, ita ſimilis eſt animæ noſtræ corruptio, in eo conſiſtens. quod 1. influens gratia Spiritus S. interpoſitione peccati à nobis divertitur ne influat. 2. Facultates animæ, influxu gratiæ deſtitutæ, ſint impotentes & mortuæ ad ullum opus bonum immò induratæ ſicut areſacta manus, quæ flecti non poteſt. Hanc ſpiritualem paralyſin animæ, cui omnes homines ſunt obnoxii, Deus æquè ſanat per ordinarium verbi miniſterium, atque per miniſterium Prophetarum & Apoſtolorum, & hac ſanatâ facilè portatur paralyſis corporalis, donec tandem etiam ſanabitur eo die cum juveneſcemus inſtar aquilæ Pſal. 103. Utimini igitur panacæâ divini verbi, quæ & hunc & omnes alios morbos poteſt ſanare. Cum omnis ars & omne auxilium humanum deficit, præſidium tamen eſt in arte ſeu in S. Theologia miniſtrorum, qui vel tollere morbos, ſi Deo placet, vel certe ſalubres facere poſſunt, immò qui ipſam mortem poſſunt ſanare & in vitam convertere.

DE TERTIO.

Modus ſanationis eſt

I. Ex parte Petri ſanantis, qui

1. Sanationem annunciat. Jeſus Chriſtus te ſanat. Non dicit ſanet, ſed ſanat. Non eſt votum, ſed annunciatio ſeu promiſſio, q. d. Sicut habeo promiſſionem à Chriſto, ita confido te per manus meas ſanatum iri. Non exſpectavit deſiderium aut petitionem Æneæ, ſed inveniens ipſum ſtatim annunciavit ſalutem. Gratia Dei libera eſt, non datur ſecundum merita, nec ſecundum cujuſquam velle aut currere, ſed ſecundum Dei beneplacitum, unde ſæpe invenitur ab iis qui non quærunt Rom. 10. 20. Unde tamen non ſequitur quod non ſit quærenda. Etſi enim Deus ſe non alligavit noſtris officiis, tamen iiſdem nos obligavit.

2. Jubet ut ſurgat. Surge & ſterne tibi ipſi. Jubet ſternere lectum, ut ſit indicium morbi verè ſanati. Si quis hic adeſſet Pelagianus ludimagiſter, Petrum ſine dubio magnæ abſurditatis argueret, quod ſurgere juberet eum, qui paralyticus & totus impotens erat. Sed Petrus ſe facilè defenderet. Diceret enim: Etſi ſcio te impotentem eſſe & non poſſe tuis viribus ſurgere; tamen habens promiſſionem & miſſionem à Chriſto Domino meo ad benefaciendum hominibus per aſſiſtentem virtutem Chriſti fiduciâ ejus miſſionis & promiſſionis jubeo te ut ſurgas, confiſus fore, ut quod ego te jubeo, Deus in te operetur.

Sic

Sic etiam facimus in ordinario miniſterio Euangelii. Jubemus ſe convertere & in timore Domini ac conſolatione Spiritus S. ambulare, quos tamen ſcimus & docemus ad omne bonum impotentes & in peccatis mortuos eſſe. Nec tamen propterea abſurdi ſumus. Quod enim nos jubemus, confidimus Deum operaturum virtute ejus benedictionis, quâ miniſterium noſtrum ſe comitaturum promiſit, quantum quidem ſuæ gloriæ novit conducere.

II. *Ex parte ſanati Æneæ.* Æneas audito mandato ſtatum ſurrexit. Etſi impotentiæ ſuæ non ignarus erat, tamen verbo Petri confiſus ad ſurgendum ſe compoſuit, quod benedicente Deo ſucceſſit. Non reſponſavit Apoſtolo prætextu impotentiæ, ſed ad motum compoſuit. Sic etiam nos, mandata Euangelii audientes, non debemus nos ſubducere obedientiæ prætextu impotentiæ, ſed ſcientes verbum Dei eſſe, cum fide in Dei virtutem accingamus nos fungendis officiis, dicentes cum Petro Luc. 5. 5. *In verbo tuo ejiciam rete.* Etſi ſæpe conatus ſum carnem meam ſuperare, & officium facere, nec quicquam promovi aut profeci, tamen quia tu jubes, fiduciâ tuæ opis manebo conſtans in conatu. Vide Hebr. 12. v. 12.

De Quarto.

Fructus miraculi eſt converſio omnium qui inhabitabant Lyddam & Sarona. Hic multum diſquiritur de Sarona, utrum intelligatur vallis illa longa & fœcunda, quæ juxta littus maris extenditur à Cæſarea ultra Joppen inter montes Ephraim, cujus tanta eſt ubertas in frugibus, vino & floribus ut Chriſtus ſe ipſum comparet roſæ Saronis Cant. 2. v. 1. & Eſaias gloriam vitæ æternæ comparet cum ornatu Saronæ Eſa. 35. 2. An verò intelligatur urbs Saron, quæ non procul ſita eſt à Lydda, ut patet ex Mappa terræ Sanctæ. Mihi veriſimile fit urbem intelligi, non totam provinciam. Probabilius enim eſt, incolas duarum urbium vicinarum, quàm totius provinciæ hoc miraculo converſos eſſe. Quicquid ſit, miraculoſior, ut ſic loquar, eſt miraculi effectus, quàm ipſum miraculum. Unum hominem à corporali paralyſi ſanare, miraculum, fateor, eſt magnum, omnem artem humanam ſuperans. Quantum igitur opus eſt tot homines curare à paralyſi & morte ſpirituali! Precemur Deum, ut & hodie efficaciam ſuam largiatur verbo prædicato. Graſſatur admodum inter nos paralyſis ſpiritualis, quod paret præſertim ex tarditate ad tollendas manus in precibus, qua in re multorum manus adeò tardæ ſunt, ac ſi paralyſi eſſent tactæ. Sic in curſu cæterorum officiorum adeò ſumus tardi ac ſi genua noſtra eſſent paralytica. In rebus mundanis proſequendis ſumus celeres ut cervi, ſed in divinis ſumus paralytici. Faxit Deus ut ſanemur.

Actor. 9. v. 36.

Concio CXII.

Habemus hîc novum particulare exemplum propagati extra Jeruſalem Euangelii per miniſterium Petri, conſiſtens in novo miraculo patrato in civitate Joppe, quæ eſt ad littus maris verſus Orientem ab Hieroſolyma. De hoc miraculo itidem quatuor ſunt conſideranda:

1. Deſcriptio perſonæ in qua patratum v. 36.
2. Occaſio miraculi v. 37. ad 40.
3. Miraculum ipſum & ejus modus v. 40. 41.
4. Miraculi effectus v. 42.

Perſona deſcribitur 1. à nomine. 2. à religione. Nomen ponitur & tum explicatur. Nomen ejus lingua Hebraica vel Syriaca fuit *Tabitha*, quod Græcè ſonat Δορκάς. Sed quid Latine Δορκάς? Dama, caprea. Nomen habet ab acrimonia & celeritate viſus. Celeritate enim pedum & celeritate viſûs pollent illa animalia. Aptum nomen mulieris, quo bonarum mulierum præcipuæ proprietates morales exprimuntur, videl. alacritas & prudentia. Væ marito, cujus uxor non poteſt appellari Δορκάς. i. e. qui habet uxorem ignavam & bardam ac ſtupidam, quæ cernere non poteſt niſi quæ ante pedes ſunt. Et væ illi hero cujus ancilla non poteſt appellari Δορκάς. Utinam omnes uxores & omnes ancillæ appellarentur reverâ Dorcas, quantum hoc augeret pacem Oeconomiarum! Vis hujus nominis latè exprimitur Prov. 31. à v. 10. ad fin. cap. præſertim v. 26. 27. Noſtro ævo ancillulæ noſtræ plerumque ſunt Dorcades inverſæ, habentes celeritatem in capite & prudentiam in pedibus. Celeres inquam, ſunt ad iram, indignationem, jurgia, manus verò & pedes tam lentâ prudentiâ norunt gubernare, ne quid à frigore, æſtu vel aliis incommodis detrimenti patiantur. Capreæ celeres ſunt pedibus, ſed ne celeritas pedum ipſis noxia ſit, habent celeritatem viſus in oculis per quam pedum celeritatem temperent. Sic decet mulierem eſſe ala-

crem ad labores, ſed debet etiam in capite habere prudentiam, ne nimia alacritas noceat ipſis & aliis. Nam promptitudo ſine prudentia facit malam mulierem.

Notabile autem eſt, quod Spiritus S. nomen hujus fœminæ non tantùm ponit, ſed etiam interpretatur. Sic ſæpe facit Johan. 1. v. 29. & 42. & 43. Matth. 1. 23. Rom. 8. 15. 21. Marc. 5. 17. Act. 4. 36. His exemplis Spiritus S. voluit Eccleſiæ commendare verſiones & interpretationes Scripturæ ex Sermone Hebræo & Græco, in quo ſcripta eſt, in ſermonem cuique genti vernaculum, nec non interpretationem locorum obſcurorum qui ſunt in Scriptura. Hinc generale mandatum, ut quicquid peregrinis linguis per Spiritum dicitur, accipiat ſuam interpretationem 1 Cor. 14. 5. Et additur ratio, ut omnia cedant ad ædificationem ibid. v. 26. Hinc priſca Eccleſia ita fecit. Habemus enim verſiones Bibliorum in linguam Romanam, Ægyptiacam, Perſicam, Indicam, Scythicam, Arabicam, Syriacam, &c. Solus Antichriſtus Spiritui S. in hac parte contrariatur, & vetat Biblia haberi in lingua vernacula, ſed theſaurum illum concluſit & contexit ſiliquis Linguæ Latinæ ab oculis vulgi, ne fiant ſapientes ad ſalutem & ad detectionem fraudum ipſius: Vide Concil. Trident. Seſſ. 22. cap. 8. & Can. 9. Item Seſſ. 5. cap. 1. item Seſſ. 4.

Religio hujus fœminæ in duobus conſiſtit: 1. in pura doctrina. Erat enim diſcipula. 2. in ſancta vita. Erat enim plena bonorum operum, & præſertim eleemoſynarum quas faciebat.

I. Erat diſcipula. Antequam Chriſtiani appellabantur, qui Chriſtum ſequebantur, Diſcipulorum & Diſcipularum nomen gerebant. Eccleſia Chriſtiana non habet Magiſtros & Magiſtras, ſed tamen habet diſcipulos & diſcipulas. Inter extraordinaria inſtrumenta Dei fuerunt etiam mulieres Propheti ſſæ, ſed ordinarium Miniſterium Chriſtus non niſi viris commiſit. Mulieres poſſunt fieri reginæ, ſed non Doctores Eccleſiæ. Fœminæ vetantur eſſe Doctores 1 Cor. 14. 34, 35. 1 Tim. 2. 12. Sed non vetantur eſſe diſcipulæ, ſed æquè ſunt membra Eccleſiæ Dei ac viri. Cujus autem diſcipula erat? Chriſti & Apoſtolorum, manens in doctrina Chriſti & Apoſtolorum. Non enim qui Chriſtianum nomen gerunt, ſed qui in Chriſti & Apoſtolorum doctrina manent, diſcipuli & diſcipulæ ſunt. Diſcipulus enim eſt qui doctrinam docentis recipit. Qui frequentat ſcholam Chriſti ad diſcendam ejus doctrinam. Chriſtianiſmus igitur & religio ſine doctrina veritatis nulla eſt. Qui non eſt ſanus in doctrina, non poteſt eſſe ſanus in vita, & proinde non poteſt eſſe Chriſtianus. Quæ autem doctrina illa Chriſti, quæ facit aliquem diſcipulum vel diſcipulam? Exprimit hoc Chriſtus Matth. 16. 24. & Luc. 14. 26, 27. videlicet doctrina propriæ abnegationis, doctrina obedientiæ & fidei.

I. Abnegare ſe ipſum eſt

1. Abnegare dignitatem & vires proprias & cum dolore propriam indignitatem & impotentiam ſentire, fateri, deplorare.

2. Abnegare curam & amorem ſui ipſius, & Deum plus amare ac deſiderare, quàm ſeipſum. Is enim verus diſcipulus eſt, qui non ſeipſum quærit, ſed magiſtri ſui honorem, cujus præcipua triſtitia non eſt in eo quod ipſe malè habet, ſed in eo quod Deum oſtendit. Summa: In ſeipſo non confidere, & ſeipſum non quærere eſt ſeipſum abnegare.

II. Recipere crucem ſuam, vel onus ſuum, ſeu onus ac jugum à Chriſto ſibi impoſitum, ut eſt Matth. 11. 28. eſt

1. Præceptis Chriſti obedienter ſe ſubmittere.

2. Caſtigationes & probationes Chriſti patienter recipere.

III. Sequi Chriſtum (non enim eſt imitetur, ſed ſequatur) eſt, Chriſto vera fiducia cordis adhærere, in manus Chriſti ſe recipere, & ab eo ſolo omnem juſtitiam, omnes vires, & omnem benedictionem temporalem & æternam in vita & in morte filiali fiduciâ exſpectare. Sic explicatur 2 Reg. 18. v. 5, 6. Qui itaque didicit & tenet doctrinam de vera abnegatione ſui ipſius, de obedientia præceptorum Chriſti, de patientia crucis Chriſti, & de fiduciali exſpectatione omnis boni ex meritis Chriſti, ille verus diſcipulus vel vera diſcipula Chriſti. Qui enim hæc generalia capita doctrinæ tenet, is neceſſariò abjicit doctrinam de traditionibus & inſtitutis humanis, de libero arbitrio, de propria juſtitia aut meritis propriis, propriiſque ſatisfactionibus, & quæ porrò ab iis dependent, agnoſcitque divinitatem ac plenitudinem Chriſti, doctrinamque juſtificationis ac regenerationis, & quæ inde dependent.

II. Erat diſcipula plena bonorum operum. Sicut vita ſine doctrina; ita doctrina ſine vita non poteſt gerere nomen religionis & Chriſtianiſmi. Eſt autem agnoſcenda in hac phraſi figura loquutionis. Eſt enim metaphora non deſumpta à vaſis vel ciſtis, liquore vel alia

alia materiâ repletis, ſed eſt metaphora deſumpta ab arboribus plenis fructuum, quod clarius exprimitur Phil. 1. 11. Coloſſ. 1. 6. Jac. 3. 17. Joh. 15. 8. Bona opera ex hominibus proveniunt, ſicut fructus ex arboribus, & proinde qui bona arbor non eſt, bonos fructus ferre non poteſt Matth. 7. Dicunt homines, quibus non placent contentiones pro puritate doctrinæ, quod, quicquid de religione diſputetur, tamen res tandem eo recidat, ut faciamus bona opera. Et hinc concludunt, omnes diſputationes & contentiones pro doctrina eſſe inutiles, & ſufficere ut homines doceantur bona opera facere. Fateor hunc eſſe finem omnis doctrinæ, ſine cujus aſſequutione omnis diſputatio & contentio inutilis eſt, ſcil. ut homines piè vivant & faciant bona opera. Finis enim omnis doctrinæ & annunciationis eſt charitas ex puro corde, 1. Tim. 1. 5. & doctrina Euangelii eſt myſterium pietatis 1 Tim. 3. 16. inſtituens nos, ut abnegatis libidinibus vivamus piè, juſtè, ſobriè, Tit. 2. 12. Unde etiam in ultimo judicio non alia de re fiet inquiſitio, quam de bonis operibus. Qui opera habet ſalvabitur. Qui non habet condemnabitur. Sicut arborem non plantas propter arborem ſed propter fructus; ita doctrinam non prædicas propter doctrinam, ſed propter opera & vitam. Sed inde non ſequitur diſputationes de religione eſſe inanes, ſed potius eſſe neceſſarias. Qui enim homines vult adigere ad ſtudium bonorum operum, duo ipſos docere debet.

I. Quomodo fieri poſſint bonæ arbores. Nam qui bona arbor non eſt, bona opera ferre non poteſt, quia opera ex homine procedunt ſicut fructus ex arbore. Sicut fructus non poteſt exſculpi ex arido trunco arboris, ſed qui fructus ex arbore vult colligere, debet nôſſe artem arborem illam vivificandi & replendi fœcundo ſucco, & plantandi eam loco commodo, ubi virtute ſolis frui poſſit: ita qui hominem peccatorem vult adigere ad fœcunditatem in bonis operibus, non poteſt ex homine in peccatis mortuo per tonitrua legis bona opera extorquere, ſed debet nôſſe doctrinam & artem hominem mortuum vivificandi, ut fiat viva & bona arbor, apta πρὸς τὸ καρποφορεῖν. Qui autem hoc vult facere, neceſſariò debet contendere.

1. Pro doctrina propriæ abnegationis, per quam homo eradicatur ex ſolo & tellure cui naturaliter inſitus eſt, videl. à fiducia in ſe ipſum & ab amore ſui ipſius, Dum enim homo in ſe ipſum, in propria merita propriaſque vires confidit, dumque ſeipſum plus amat, quàm Deum, impoſſible eſt ut ſit fœcundus ad bona opera. Quia enim homines in ſe ipſis ſunt arida petra abalienata à vita Dei Eph. 4. 18. non poſſunt ex ſe ipſis ſuccum fœcunditatis trahere, unde qui in ipſis confidunt, declarantur à Deo recedere ſine juſtificatione Luc. 18. 14. Qui itaque doctrinam de hominis naturali pollutione & corruptione non retinet, nec abnegationem ſui ipſius rectè docet, non poteſt homines fœcundos reddere ad bona opera.

2. Pro doctrina fidei & fiduciæ per quam homo Chriſto inſeritur, Chriſtus enim vera vitis eſt, cui qui non implantatur ac inſeritur, non poteſt ferre fructus Joh. 15. Inſeri autem Chriſto nemo poteſt niſi per veram fidem ac fiduciam cordis. Qui igitur non contendit pro doctrina juſtificationis per ſolam fidem in Chriſtum, ſed articulum de juſtificatione corrumpit per Phariſaïca ſomnia propriarum ſatisfactionum, is non poteſt hominem reddere fœcundum ad bona opera. Nam qui Chriſtum per fidem ſibi non applicat, non trahit ex Chriſto ſanguinem & merita reconciliationis, nec Spiritum & virtutem renovationis, adeoque non poteſt ferre fructus juſtitiæ.

Quia igitur neceſſe habemus contendere pro abnegatione ſui ipſius & applicatione Chriſti, hinc neceſſitas contendendi contra errores hæreticorum, qui omnes hoc agunt, ut hæc duo impediant.

II. Qui homines vult adigere ad bona opera, debet etiam docere quid ſint bona opera, & quænam opera ſint bona. Legitis enim in Scriptura quod Deus multa opera hominum, quæ fecerunt ad ſerviendum Deo, repudiat, & dicit ſe nolle, nec exigere, ſed abominari, & fruſtra ea ſibi exhiberi Eſa. 1. v. 11, 12, 13, 14, 15. Matth. 15. v. 9. 1 Cor. 13. v. 4. Quid ſunt igitur opera bona, quæ Deo placent? Dicam breviter: Opera bona ſunt actiones legis ortæ ex fide in Euangelium.

1. Sunt actiones legis. Opus bonum non debet ἐθελοθρησκεία vel obedientia præcepti humani, ſed debet eſſe obedientia legis divinæ. Nam in cultu Dei non eſt bonum quod homines inſtituunt aut eligunt, ſed quod Deus mandat & injungit ac à manibus noſtris exigit. Præterea bonum opus fluit ex amore Dei & proximi. Nam in amore completur lex Rom. 13. Quod quis facit ad honorem apud homines conſequendum, vel ad merendum apud Deum,

Deum, vel beatitudinis conſequendæ causâ ſolùm, ſine amore Dei & proximi, non eſt bonum opus, quia non eſt obedientia legis. Lex enim per amorem Dei & proximi impletur. Qui in operibus ſuis hoc non reſpicit, nec pro fine habet, ut Deo exhibeat debitam obedientiam debitumque amorem & honorem, & proximo debitum officium, non debet putare opera ſua eſſe bona.

2. Sunt actiones legis ſed ortæ ex fide in Euangelium. Quicquid enim ſine fide fit, peccatum eſt Rom. 14. 23. Per fidem opera Sanctorum placuerunt Deo Hebr. 11. & opera quæ bona ſunt, ſunt fructus fidei Jac. 2. 17. 18. Hoc eſt quod opus aliquod facit bonum & Deo gratum, ſi proficiſcitur ex fide amoris Dei in Chriſto erga nos, quâ credens me tantopere amâſſe, ut per Chriſtum ſibi in filium adoptaverit, per amorem Chriſti cogor & conſtringor ut ſic judicem, me non debere mihi vivere, ſed ei qui pro me mortuus eſt 2 Cor. 5. Quæ opera ex hac radice, ex hac matre, ex hac cauſa proëgumena non proficiſcuntur, nec ſunt conjuncta cum hac fiducia, quod Deo per Chriſtum placeant, non ſunt opera bona. Nam 1. Niſi autor operis per fidem placeat Deo, opus etiam non placet. 2. Fides in nobis reparat ac reſtituit illum amorem Dei ac proximi, per quem legem implemus. Per peccatum amiſeramus amorem & indueramus odium Dei & proximi ac præceptorum Dei. Per fidem in Chriſtum reparatur amor, iſque filialis, cujus vi redimus ad novam obedientiam legis. Fides cor malum reddit bonum, ut ferat fructus, facitque ut de Dei erga nos amore perſuaſi Deum viciſſim amemus.

Verùm non acquieſcit hîc mens pia, ut habeat deſcriptionem bonorum operum, qua ſcit eorum proprietates, ſed cupit ſibi dari ſpecialem enumerationem, quænam opera ſint bona. Dicit enim de ſalute ſollicitus animus: Opera bona ſunt ſigna & fructus, ex quibus ſcire quis poteſt an ſit regenitus, juſtificatus, adoptatus, glorificandus in die ultimo. Ubi ſunt mea opera, quid feci ex quo tale quid poſſim concludere? Novi cor meum, novi propoſita mea ſincera. Sed hoc non ſufficit. Opera requiruntur. At ubi mea opera? Τὸ velle adjacet mihi, perficere aut perfeciſſe non invenio. *Reſp.* Qui ſibi ipſi hic vult ſatisfacere, debet in manus ſumere præcepta legis decem, & videre quam obedientiam ſingulis præſtiterit nec ne. Aut ſi compendioſius vis agere, ſume tria illa capita, quæ Paulus exigit Tit. 2. v. 12. Confide quæſo mecum coram facie Dei, & interroga conſcientiam, & poſtula reſponſionem & teſtimonium, ut ſcias quomodo res ſe habeat inter te & Deum. Examina an habeas

1. Opera ſobrietatis ſeu temperantiæ. An potes dicere; te cibum ac potum tuum cum gratiarum actione ex Dei Patris manu accipere, te ebrietatis & luxuriæ hoſtem fuiſſe, vas tuum ſtuduiſſe poſſidere in ſanctitate, nec polluere ſcortatione & adulterio, conatum eſſe in honeſto labore potius quam in laſcivis voluptatibus & diſſoluta ferocia vitam terere?

2. Opera Juſtitiæ. An potes dicere, te opes mundanas, quas poſſides, non acquiſiviſſe malis artibus, te ſtudioſè ſuum cuique tribuere, nemini injuriam facere, injurias aliorum Chriſtiana potius patientiâ ferre, quàm acerba ultione vindicare, proximo in miſeria conſtituto pro virili omnibus humanitatis & miſericordiæ officiis ſuccurrere, os à mendaciis & falſitatibus cuſtodire purum, in ſumma, omnibus virtutibus moralibus dare operam, & omnibus vitiis bellum indicere? Si hæc omnia vero corde potes dicere, & tum addis ex una parte veram abnegationem tui ipſius, qua confiteris te in his omnibus minimè juſtificatum eſſe, nec vitam mereri, ſed potius propter peccata & propter imperfectionem horum operum magis magiſque condemnabilem reddi coram Deo, & tamen ex altera parte addis *applicationem* Chriſti per veram fidem, qua toto corde confidis, te, per peccata condemnabilem, nihilominus per merita Chriſti fore juſtum coram Deo, & in Chriſto omnia habiturum, quæ ad perfectam beatitudinem requiruntur, tum in nomine Domini, & virtute officii noſtri tibi promittimus æternam ſalutem.

3. Opera pietatis. An potes dicere, te fuiſſe ſedulum lectorem & auditorem verbi, religioſum obſervatorem diei Dominicæ, ardentem adoratorem nominis Divini, alacrem zelotam pro gloria Dei contra eos, qui nomen Dei profanant, doctrinam ſalutis corrumpunt & perſequuntur, hoſtem idololatriæ & ſuperſtitionis, amatorem veritatis & inſtitutionum Domini, qualem ſe profitetur David Pſal. 119. & 101. Præcipuè verò te fuiſſe continuum deploratorem quotidianorum tuorum peccatorum, quæ oppugnando prævenire non potuiſti. Oſtende lachrymas, gemitus, ſuſpiria ſuper peccatis ad Deum emiſſa. Hæc enim ſunt bona opera.

Quod

Quod ſi verò conſcientia tua hoc teſtimonium tibi perhibet, quod vel bonis operibus pietatis, ſobrietatis & juſtitiæ non des operam, vel cum operibus bonis non conjungas perfectam abnegationem tui ipſius, & ſinceram fiduciam in merita Chriſti, annunciamus tibi, quod ſis alienus à vita Dei, nec ullam cum ipſo habeas communionem, quamdiu talis es. Si enim ſine operibus pietatis, ſobrietatis ac juſtitiæ poteſt haberi communio cum Deo, Deus ipſe, quod horrendum eſt dictu, juſtitiam & ſanctitatem abnegavit. Et ſi per ſola opera legis & honeſtatem vitæ, ſine abnegatione ſui ipſius, vel ſine applicatione meritorum Chriſti per fidem haberi poteſt communio cum Deo, Chriſtus fruſtra mortuus eſt, fruſtranea eſt Euangelii prædicati, inanis vis Sacramentorum, inanes ſunt paſſiones tot ſanctorum martyrum, quorum cum utrumque abſurdum ſit, abnegemus nos ipſos, applicemus nobis crucifixum Chriſtum per veram fiduciam, & tum redeamus ad novam obedientiam legis, ut redemptori noſtro vivamus ſecundum legem & voluntatem ejus in verbo revelatam. Si hoc teſtimonium habes à conſcientia, beatus es, & verus Chriſti diſcipulus, vel diſcipula vera.

Sed nondum acquieſcit mens ſalutis anxia. Aliquid, inquit, per probationem mei invenio, ſed non ſum plenus bonorum operum ſicut Dorcas. Sum arbor quæ aliquid bonorum fructuum fert, ſed multò plus malorum, & boni fructus quos fero adeò ſunt iniquinati, ut boni ſint an mali diſcerni vix queat. *Reſp.* Modò aliquos bonos fructus invenias, & malos quos invenis ſtatim labores decerpere per pœnitentiam, bonos verò per humiliationem curas purgare, ſalva res eſt. Non omnes arbores æquè ſunt fœcundæ, ſed pro viva arbore habenda eſt, quæ aliquid bonorum fructuum fert. Nam in hac vita fœcunditas, quæ à nobis requiritur, non conſiſtit nec in plenitudine copiæ, nec in perfectionis maturitate, ſed in viva promptitudine omnium frondium noſtræ animæ πρὸς τὸ καρποφορεῖν. Etſi non ſemper fructus habemus, tamen ſemper ſumus fructus facientes. Tenuior fœcunditas arborum ſæpe non tam eſt ex vitio arborum, quàm ex vi frigoris, æſtus ac tempeſtatum, quæ ſæpe faciunt, ut arbor viva ac florens raros ferat fructus, & ſæpe fructus in flore pereant. Interim quia vita eſt in arbore, luctatur & operatur contra vim tempeſtatum, & quod illæ dejecerunt, nititur reparare novo germine, novis foliis vel floribus. Sic etiam Chriſtianus in ſe ipſo ſæpe vivus & fœcundus eſt ad bona opera, ſed vi externarum tentationum quod incipit producere, ſtatim dejicitur, ipſe tamen non ceſſat opus dejectum reparare, donec tandem vicerit. Sicut quod prata & paſcua ſæpe ſunt arida & ſine gramine, culpa non eſt terræ, ſed tempeſtatis, æſtus frigoris, beſtiarum depaſcentium, cum tellus interea eſt in perpetuo molimine & conamine reparandi quod extus depaſcitur: unde animadvertere licet, quod etiam in media hyeme, modò aliquot benigniores ſoles ſubinde dentur, ſtatim pullulent herbulæ: ita externis occaſionibus & tentationibus opera noſtra extrinſecus quaſi depaſcuntur, ſed tamen Spiritus, qui in nobis eſt, perpetuo niſu, molimine & conatu laborat nos ornare fructibus pietatis, ſobrietatis & juſtitiæ. Hæc eſt vis phraſium, quæ ſunt Tit. 3. 8. Coloſſ. 1. 10. *Manutenere bona opera*, ut habet verſio Anglicana. Qui hoc ſentit, de imperfectione ſuæ juſtitiæ ita triſtetur, ut tamen propter perfectionem juſtitiæ Chriſti gaudeat. Quod ſi amplius dubitas, abnega te ipſum, crede in Chriſtum, & precare ut te faciat bonam arborem.

III. Specialiter laudatur hæc diſcipula à bono opere eleemoſynarum, quas liberaliter erogavit, præſertim in viduas, quibus nebat tunicas & veſtes. Eleemoſynas dare & pauperibus ac miſeris benefacere non tantùm eſt bonum opus, ſed & præcipuum bonum eſt. Eſt enim benefacere. Εὐποιΐα. Heb. 13. v. 16. Εὐεργεσία Actor. 10. 38. Hinc ſpecialiter nomen bonorum operum gerunt eleemoſynæ 1. Tim. 5. v. 10. Et in ultimo judicio de hoc bono opere ſpecialis & præcipua fiet inquiſitio Matth. 25. 34, 35. Sed non inſiſtam huic materiæ, quia pauperes inter nos & Eccleſiæ afflictæ extra nos teſtantur hoc tempore, nos per gratiam Dei habere potius cauſam ob abundantiam in hoc opere vos laudandi, quàm ob defectum vituperandi & reprehendendi. Glorientur Pontificii de ſua liberalitate ad alendos vel ſaginandos monachos, extruenda ſplendida templa, ad ornandas Sanctorum ſtatuas, ſenſerunt & guſtârunt hoc tempore Eccleſiæ afflictæ veſtram liberalitatem in ſuſtentandis membris Chriſti, & vivis lapidibus domûs Dei, ſpecialiter verbi & ſcholarum miniſtris. Liceat mihi modò addere exhortationem quæ eſt Gal. 6. 8, 9. & 2 Theſſ. 1. 13. Deus enim nondum ceſſat nec affligere vicinas Eccleſias,

nec benedicere nobis omni & ſpirituali & corporali benedictione & bonorum abundantia. Præſertim alloquor fœminas noſtras divites, quæ ſæpe queruntur ſibi nil negotii eſſe quo tempus terant, & propterea expetunt comœdias, ſaltationes & ſimilia exercitia. Diſcant nunc tunicas & veſtes pro viduis. Diſcant nunc nere viduis, ut aliquando poſſint ſibi ipſis, ſi quando ad nos quoque tempora vaſtationis penetraverint. Deus hæc tempora à nobis avertat, & nihilominus nos ad ea præparet.

Actor. 9. v. 37, 38, 39.

CONCIO CXIII.

SEquitur occaſio hujus miraculi, quæ fuit morbus & mors Dorcadis, nec non diſcipulorum & diſcipularum Joppenſium ſuper ea morte ſollicitudo ac triſtitia.

I. Hæc Dorcas, quæ tum plena erat bonorum operum, infirmata fuit & mortua eſt. Dicas, qui hoc fieri potuerit, aut quomodo conveniat cum eo, quod eſt Pſal. 1. ubi dicitur, quod frugiferæ arbores, quæ tam plenæ ſunt bonorum fructuum, nunquam exareſcant nec pereant. Si pii æquè morbo ac morti obnoxii ac impii, quod eſt igitur pietatis privilegium, quæ differentia piorum ab impiis? ex Joan. 11. 25. *Qui in me credit, etiamſi moriatur, vivet.* Mors piorum non eſt talis mors quæ vitam tollit, ſed tantùm talis mors, quæ vitam mutat, per quam ex vita miſera tranſimus in vitam beatam. Tollit quidem ad tempus vitam corporalem, quæ in unione corporis & animæ conſiſtit, ſed 1. non tollit vitam animæ. Animæ enim piorum non tantùm immortales ſunt, & poſt mortem quoque vivunt, ſicut impiorum quoque animæ, ſed per mortem & ſtatim poſt mortem tranſeunt ad Deum, in ſinum Abrahæ, in paradiſum, in locum quietis ab omni labore, in locum recompenſationis, in manus Dei, ſub altare Domini, ubi nullum eas tangit tormentum. 2. Non tollit vitam ſpiritualem, quæ ex Chriſto in ipſis eſt per operationem Spiritus S. Sicut enim in morte Chriſti, etſi anima & corpus erant ſeparata, tamen non ceſſavit unio perſonalis cum divinitate; ita in morte piorum, etſi corpus & anima ſeparantur, tamen tum anima tum corpus noſtrum manet unitum Chriſto per Spiritum S. manet caro & os Chriſti, membra Chriſti, cujus vita cum Chriſto in Deo abſcondita eſt Coloſſ. 3. quæ tandem in ultimo judicio revelabitur. Magna igitur differentia eſt inter mortem piorum & impiorum. Ratio hujus differentiæ eſt, quia morbus & mors impiorum eſt opus ſeveri Domini & irati judicis, quo inutiles ſervos, quos in domo ſua diuturna patientiâ tulit, & ad pœnitentiam invitavit, tandem ob cor pœnitere neſcium plagis afficit, ex domo ſua ejicit, & in piſtrinum æterni laboris detrudit. Mors autem piorum eſt opus Dei Redemptoris & benigni Patris, quo obedientiam & ſanctitatem filiorum ſuorum; ſub virga paterna ſufficienter probatam, tandem perficit, & à ſanctificatione ad glorificationem eorum tranſit. Hinc Pſal. 116. v. 15. mors piorum pretioſa dicitur in oculis Domini, non tantùm quia ulciſcitur occiſionem martyrum in impiis, ſed etiam dies mortis omnium piorum eſt quaſi feſtivus dies nuptialis, quo Deus novam Sponſam in thalamum Filii ſui deducit. Sit igitur mors noſtra & noſtrorum etiam pretioſa in oculis noſtris. Eſt enim dies noſter nuptialis glorioſior & pretioſior nuptiis noſtris mundanis. Ne putemus nos perdidiſſe operam & pretium noſtrorum fructuum & bonorum operum, cum æquè morimur ac impii. Per mortem enim noſtram ex arbore frugifera & fœcunda non fimus arbor arida & emortua, ſed tantùm ex Eccleſiæ horto hyemali tranſplantamur in hortum Eccleſiæ æſtivalem. Nam ſecundùm animam plantamur in atria Domini, in paradiſum cœleſtem. Secundum corpus autem inſtar grani tritici conſerimur in terram, ut virtute Spiritus S. à peccatis purgati renovemur ad gloriam Chriſti, Joh. 12. 24. Rom. 8. 10, 11. q. d. corpus quidem peccati abolendi causâ neceſſe habet ad tempus mori, ſed tamen Spiritus vivificus manet nobiſcum, per quem reſuſcitabimur. Sed an probabile eſt animam Dorcadis hac morte tranſlatam eſſe in cœlos, & deinde ex gloria rediiſſe in miſeriam? *Reſp.* Verè mortuam, & ſeparationem corporis ac animæ factam eſſe credendum eſt, ut conſtet veritas miraculi. An verò anima in cœlum tranſlata, an verò in manu Dei & Angelorum ad tempus cuſtodita ſit, non opus eſt diſquirere, nec quicquam facit ad ædificationem. Non mortua eſt ut miſeriam ſuam finiret, & in gloriæ poſſeſſionem transferretur, ſed ut eſſet objectum, in quo Chriſtus ſuam gloriam manifeſtaret, & ſuorum Apoſtolorum auctoritatem ac vocationem confirmaret, planè ut Johan. 11. 4.

II. De-

II. Deſcribitur hæc mors, quod iſtis diebus, quibus Petrus Lyddæ Æneam ſanaverat, facta ſit vel contigerit. An igitur caſu & ſine providentia mors illa facta eſt & ex contingentibus fuit? *Reſp.* Facta eſt ſine providentia hominum, & proinde reſpectu hominum fuit caſualis & contingens, ſed non facta eſt ſine providentia Dei, nec reſpectu Dei fuit caſualis & contingens, ſed ordinata ac decreta ſapienti conſilio. Pii non moriuntur niſi ſapienti & paterno conſilio Dei. Impii etiam non moriuntur ſine providentia & decreto Dei. Nam æquè de impiis ac de piis verum eſt quod dicitur Job. 14. 5. Sed de ſolis piis dici poteſt, quod moriantur providentiâ Dei paternâ, nimirum tempore opportuno & convenienté cum mori ipſis & domui ipſorum utile eſt. Hinc de piis dicitur Pſalm. 91. & paſſim, quod diu vivant in terra & ſatientur vitâ longâ. De impiis autem dicitur, quod ante dimidium dierum ſuorum abripiantur Pſalm. 55. 24. & paſſim. Quomodo hoc? Impii utique ſæpe diutius vivunt, quàm pii. *Reſp.* Quia pii non moriuntur niſi morte tempeſtivâ, cum ſcilicet & animæ & domui ipſorum ſalutare eſt, poſtquam anima ipſorum ad regnum cœlorum idonea facta, & domus ipſorum in paternam Dei curam ac tutelam recepta eſt. Impii autem moriuntur morte intempeſtiva, cum anima eorum nondum eſt converſa, & cùm minimè omnium domui ipſorum prodeſt. Cùm itaque pium aliquem videmus mori, ne queramur, dicentes quod intempeſtivè moriatur. Credimus enim pios non mori niſi providentiâ paternâ, cum prodeſt & ſalutare eſt mori. In hora mortis determinanda intellectus noſter deficit, nec poſſumus diſcernere, quæ ſit hora optima, ſed ſæpe conſtringimur inter duo, Phil. 1. 21. Decet igitur hanc horam Deo definiendum committere, & eam putare optimam ac tempeſtivam, quam ille determinat. Eſt quidem mors pii mariti ſæpe caſtigatio uxoris, vel contrà, ſed vel ideò non eſt intempeſtiva ſed ſalutaris. Nam & caſtigationes, corpori noxiæ, animæ ſalutares ſunt.

III. Cura, ſollicitudo ac triſtitia diſcipulorum & diſcipularum ſuper morte Dorcadis conſiſtit in ſequentibus;

I. Mortuam lavant & in ſuperiori parte domûs collocãt. Mos lavandi & pollinciendi cadavera mortuorum non eſt ceremonia Judaica, divinitùs inſtituta, ſed eſt conſuetudo tum Judæorum tum gentium ſapientiorum & minùs barbarorum, orta ex naturali inſtinctu & ſpe futuræ reſurrectionis. Non fecerunt cadaveribus hominum quod beſtiarum, quæ abjecerunt ſine honore & cura. Sed cadavera hominum magna curâ lavârunt & unxerunt, idque non tantùm amoris & honoris cauſa (faciebant enim æquè patris ac magnis, æquè inferioribus ac ſuperioribus) ſed etiam ad teſtandam ſuam ſpem quam habebant de mortuis. Eſt enim in omnibus hominibus, præſertim non barbaris ſed prudentioribus naturalis quidam inſtinctus, quæ etiam de mortuis bene ſperant. Et ſi per fidem demum reſurrectio mortuorum certò credatur, tamen etiam naturale lumen aliquam ſpem reſurrectionis & immortalitatis de mortuis in hominibus fovet, unde fit, ut non audeant cadavera hominum ſine cura & reverentia abjicere ut beſtiarum de quibus nulla ſpes. Huc accommodandum illud Pauli 1 Cor. 15. v. 29. q. d. ſi non eſt animis noſtris naturaliter inſcriptum, futuram aliquam reſurrectionem mortuorum, quid eſt quod plerique homines tantum curæ & lotionis adhibent ſuper cadaveribus mortuorum? Eſt eadem res & nobis licita, modò abſit ſuperſtitioſa opinio neceſſitatis & meriti, & quaſi aqua benedicta proſit ad abluenda peccata. Sed quare in ſuprema parte domus poſuerunt? *Reſp.* Ut removerent ex conſpectu ſuo, ne aſpectu cadaveris offenderentur. Cadavera enim vivis ſunt abominationi, ne poſſunt ſine alteratione ea intueri. Faciat hoc ad deprimendam ſuperbiam in adornandis corporibus. Quid non ſæpe temporis & ſumptuum impendimus in adornando corpore, ut placeamus oculis hominum. Sed quid? Mox ubi cadaver eris, eris abominatio in oculis hominum, & te ſeponent in angulum domûs, donec in terram defodiant. Memor ſis igitur vivus qualis ſis futurus mortuus, ne ſuperbia te abripiat ultra modum ac mediocritatem.

II. Mittunt in vicinam Lyddam, ubi Petrus Æneam ſanaverat, duos viros, per quos eum rogant ut ipſum non pigeat, nec patiatur ſe retardari quin ad ſe veniat. Valdè honorificè & reverenter Apoſtolum invitant, ut ad ſe veniat. Non adorant religioſè, ſed tamen honorem Apoſtolo dignum exhibent. Quare autem & quo fine vocant? Ad ægrotos vocari miniſtros non eſt abſurdum, ſed cur ad mortuam vocant?

Reſp. 1. Ad ſolatium aliquod ab ipſo accipiendum contra dolorem quem ex morte tantæ amicæ

conceperant. Mors amici boni dolorifica eſt, & ſolatio indiget.

2. Poteſt etiam fieri, ut habuerint fidem, eum qui virtute Chriſti paralyticum præter naturam ſanaverat, etiam mortuam poſſe eâdem virtute reſuſcitare, adeoque miſiſſe cum hac ſpe, fore, ut miniſterio Petri hæc mortua in vitam reſtituatur. Sine dubio acceſſit Spiritus S. inſtinctus, ut Apoſtolus ita vocatus glorificandi Chriſti occaſionem haberet. Diſcamus hinc, quod nuſpiam ſit ſolatium contra mortem, præterquam in virtute Euangelii. Homine mortuo finita eſt ars & virtus medici, ſed nondum eſt finita ars & virtus miniſtrorum Euangelii. Non poſſunt quidem omnes miniſtri mortuos excitare miraculosè ante ultimum judicium, ſed poſſunt tamen vivos de reſurrectione mortuorum certificare, & ſpe futuræ vitæ lætificare. Chriſtus habet verba vitæ Joh. 6. & idem verbum vitæ, quod ipſe prædicavit, miniſtris ſuis prædicandum commiſit, ut & ipſi vivificent mortuos. Nam 1. in hoc mundo virtute Euangelii, etiam ab ordinariis Paſtoribus prædicati, ſub magiſterio Spiritus S. vivificantur animæ illorum, qui ſpirituali morte in peccatis mortui ſunt. 2. vi ac virtute ejuſdem verbi, & vi promiſſionis, quam Dei nomine fidelibus annunciarunt, corpora fidelium ex morte reſurgent. Qui enim partem habet in reſurrectione prima, in eum mors altera poteſtatem non habet, i. e. mors corporalis & æterna ipſum tenere non poteſt Apoc. 20. 6. Deus enim promiſſiones ſuorum miniſtrorum non deſtituet impletione. Promiſſiones miniſtrorum ſunt chirographum Dei, fidelibus datum quod non fallit Rom. 1. 16. Amemus igitur hoc vivificum verbum, quod ſolum poteſt contra mortem præbere ſolatium. Sive ad Medicos, ſive ad Principes, ſive ad pictores, ſive ad aurifabros eas, nihil nôrunt contra mortem ſolarii, hoc à ſolis Euangelii Miniſtris petendum.

III. Petro adveniente flent & oſtendunt veſtes quas fecerat viva Dorcas. Diſcipuli reverenter Petrum ad veniendum invitant? ita Petrus promptiſſimè ſurgit & ſequitur, paratus gloriæ Dei ſervire ubicunque poteſt, & ingredi per portam quam ſibi videbat à Spiritu S. apertam. Quare autem flent? 1. quia amica mortua. 2. quia benefactrix Eccleſiæ mortua. Nota 1. Etſi Chriſtianis illicita eſt triſtitia ſuper mortuos amicos ſimilis Ethnicæ & eorum qui ſpem non habent. 1 Theſſ. 4. 13. 14. tamen honeſti affectus non ſunt illiciti. Chriſtiani æquè homines ſunt & habent ſuas στοργὰς ac alii, nec Chriſtianiſmus naturam tollit, ſed tantum moderatur, ne ſe efferat contra voluntatem Dei per infidelitatem, impatientiam, murmurationes, quibus Deum offendimus, & nos ipſos lædimus. Lachrymæ Chriſtianorum pretioſiores ſunt, quàm ut pulveri ſepulchrorum madefaciendo ſervire debeant. Aliquid dandum humanitati & amicitiæ, ſed non nimium. Lachrymæ debent eſſe lachrymæ contritionis ſuper peccatis, adeoque libamentum ſacrificii Deo offerendi, pars ſpiritualis cultûs.

2. Præſertim decet deflere utilia inſtrumenta boni publici, e. g. bonos magiſtratus, bonos Paſtores, liberales benefactores pauperum. Sic paſſim legimus quod priſca Eccleſia defleverit ſuos Reges, ſuos Prophetas, e. g. Aaronem Num. 20. 19. Moſen Deuter. 34. 8. Sic 2. Reg. 2. 12. Etſi enim Deus alia poteſt ſuſcitare inſtrumenta, & per ea æquè benefacere ac per priora, eſt tamen ſignum irati Dei, cum bona inſtrumenta Eccleſiæ eripit. Amanda ſunt & deſideranda Inſtrumenta, quorum manu Deus nobis benefacit.

3. Videmus hinc quæ ſint optimæ Sanctorum reliquiæ, quibus poſt mortem poſſunt manere in memoria hominum, ſcilicet benefacta in pauperes. Quod pauperes poſt mortem oſtendere poſſunt, alit memoriam mortui. Hinc illa opera dicuntur ſequi mortuos Apoc. 14. 13. Vide etiam Marc. 14. 9. Hoc eſt officium ſanctis poſt mortem exhibendum, non ut adoremus reliquias corporum, ſed ut prædicemus & imitemur exempla bonorum operum. Fruſtra eſt ſibi erigere columnam, ſicut Abſalom 2 Sam. 18. 18. Fruſtra eſt cataphractum pendere ſuper ſepulchro ſuo. Diſcant noſtri divites annuum aliquod fœnus teſtamento relinquere pauperibus, aut ad alios pios uſus in Eccleſiis & Scholis. Sic etiam poſt mortem vivent in memoria bonorum.

Actor. 9. à v. 40. ad finem.

Concio CXIV.

Sequitur miraculum ipſum vel forma modusque miraculi, in quo diſtinctè conſideranda hæc tria:

1. Facta Petri quibus miraculum effecit, vid. quod omnibus ejectis procidit in genua & precatus eſt.

eſt. Ad corpus converſus mortuum dixit: Tabita ſurge.

2. Miraculum ipſum: quod mortua aperuit oculos, & viſo Petro reſedit v. 40.

3. Facta Petri poſt miraculum, quod dextram ei porrexit eamque erexit, & vocatis viduis ac ſanctis vivam eam ſtitit. v. 41.

I. Primum quod Petrus fecit ad efficiendum hoc miraculum eſt, quod omnibus ejectis procidit in genua & precatus eſt.

1. Precibus effecit, vel potius impetravit miraculum. Quod enim naturam ſuperat, & humana arte vel ope ac robore effici non poteſt, precibus tamen à Deo impetrari poteſt. Cum humana manus decurtata eſt, non eſt decurtata divina. Si in rebus communibus quæ humana manu & arte ac labore efficiuntur, nihil poteſt humana ars humanuſque labor, niſi accedat per preces impetrata divinæ manûs cooperatio Pſal. 127. v. 1, 2, 3. multò magis ad preces nos debemus convertere, cum ope indigemus quæ humanas vires ſuperat, e. g. cum indigemus ope contra graſſantem peſtem, calamitates agrorum, incendia bellorum, deſperatos morbos, &c. Etſi enim in talibus humana ars & vis deficit, ideò tamen deſperandum non eſt, ſed per preces quærendum auxilium ſupernum. Vide 2 Chron. 20. 12. & 2 Chron. 14. 11. Tales preces nunquam ſunt inutiles, ſi fiunt cum vera humiliatione & abnegatione ſui ipſius, cum vera fiducia in Chriſtum, & cum vero propoſito gratitudinis & obedientiæ. Etſi enim non ſemper audiuntur ad noſtrum votum, audiuntur tamen ad noſtrum uſum, ſeu, quantum nobis utile eſt. *Quæſt.* An igitur licitum eſt, exemplo Petri & Joppenſium diſcipulorum, à Deo petere reſuſcitationem alicujus mortui? Nimis ſæpe contingit, ut vidua maritum, liberi parentes per mortem amittentes tanto flagrent deſiderio mortui, ut ejus reſtitutionem in vitam æſtimaturi ſint maximum bonum quod optare poſſint in hoc mundo. An talibus licet in hoc deſiderio mortui ſibi eouſque indulgere, ut à Deo petant ejus reſtitutionem? *Reſp.* Hoc non poſſumus concludere ex hoc exemplo. Petrus enim hanc mortuam ſuſcitari non petiit, ut ſatisfaceret deſiderio eorum, qui hac morte triſtes erant, ſed quia per inſtinctum Spiritus S. ſentiebat, Deum in hac mortua per Miniſterium Petri glorificaturum eſſe ſuum filium Jeſum. Cæteroquin quid nobis agendum circa noſtros mortuos, docet David exemplo ſuo 2 Sam. 12. v. 20, 22, 23. Quamdiu vita adeſt, precibus eſt conſervanda, ſed poſtquam Deus vitæ filum abſcidit, non amplius de mortuis ſed de nobis debemus eſſe ſolliciti, quomodo nos ſcilicet reliquum vitæ in Chriſtianiſmo & vocatione alacriter inſumamus, donec noſtra quoque hora appropinquante idonei ſumus ad participandam hæreditatem Sanctorum in luce Coloſſ. 1. v. 12. Si quid petimus ſecundum voluntatem Dei, audiuntur noſtræ preces 1 Joh. 5. 14. Cum autem Deus per mortem declaravit, voluntatem ejus non eſſe ut hic homo vivat, non poſſumus habere fiduciam, Deum tales preces auditurum. Si quis cupit maritum, vel uxorem, vel parentes, vel liberos, vel amicos alios ſupervivere, is pro vita eorum precetur, dum vivunt. Sed proh dolor plerumque ita fit, ut dum vivimus, mutuis contentionibus, iris, & jurgiis nos invicem mordeamus, & mutuarum infirmitatum impatientes mortem nobis invicem optemus, ſaltem parum adhibeamus precum pro vita mutua conſervanda. Poſtquam autem per mortem ſeparamur, vel ex terra mortuos effoderemus, Deumque rogare auderemus ut noſtra causâ miracula faciat, & mortuos excitet.

2. Videndum autem quales illæ preces fuerint, quibus Petrus hoc miraculum impetravit. Id patet ex eo, quod precaturus omnes qui aderant, ejecit, & tum in genua procidit. Hoc indicat, preces ejus fuiſſe ſoliloquium valdè ſerium. Quanto gravior enim eſt neceſſitas, quàm deprecamur, quantò majus auxilium quod petimus, tantò magis ſeriæ & fervidæ debent eſſe noſtræ preces, ideoque tum requirunt præcipuè has duas circumſtantias, quæ erant in precibus Petri, ſcil.

α. Ut fiant in ſecreto. Ideò Petrus omnes ejecit, i. e. juſſit ire foràs. Imitatus quidem hoc pacto Petrus eſt ſpeciale exemplum Eliſæ 2 Reg. 4. 33. Et Chriſti Matth. 9. 25. qui in patratione ejuſdem miraculi idem fecêre. Sed eſt tamen etiam requiſitum ordinariarum precum, præſertim cum aliquid grave & magnum ſumus à Deo petituri, & cum ex profundo ad Deum ſumus clamaturi, & cor noſtrum coram ipſo effuſuri. In talibus enim precibus præſentia aliorum vel parrheſiam noſtram apud Deum impedit, vel ſuſpicionem hypocriſeos & oſtentationis in præſentibus excitat. Ut igitur liberè cor noſtrum poſſimus coram Deo effundere, ſolitudo eſt quærenda. Poſſumus certè etiam in præ-

ſentia aliorum precari, ſive publicè cum Eccleſia, ſive privatim cum familia; ſed praxis ac conſuetudo Sanctorum tamen probat, Deo præcipuè grata eſſe illa ſoliloquia, cum omnibus remotis ſoli cum ſolo loquimur. Hæc eſt enim illa intima communio & familiaritas & parrheſia, quæ fidelibus propter Chriſtum indulta eſt, ut cum ipſo loquantur tanquam filii cum Patre, tanquam uxor cum marito. Sicut uxor cum marito loquitur in præſentia aliorum, ſed tamen in ſolitudine longè familiariùs & intimius cor ſuum ipſi aperit; ita fideles alloquuntur Deum in præſentia aliorum, ſed habent etiam ſuos ſolitarios ad Deum acceſſus & appropinquationes, quibus ſingulari familiaritate & parrheſia ſinum ſuum & cor coram ipſo nudant & effundunt. Talem modum precandi ipſe Chriſtus nos docuit tum præcepto tum exemplo ſuo Matth. 6. v. 6. Matth. 14. v. 23. Matth 26. v. 36, 39. Hoc exemplum imitemur, ſi diſcipuli Chriſti eſſe volumus.

6. Ut fiant cum ſumma humiliatione. Ideo in genua procidit, genua poſuit. Clariſſimum hoc eſt humiliati cordis ſignum quod dari poteſt. Sicut in ſecreto precatur, ut libertate & filiali parrheſia erga Deum uti poſſit; ita in genua procidit, ut oſtendat ſe in filiali libertate, quam habet per Chriſtum, non oblviſci humilitatis & pudoris quem debet propter peccatum. Precatio eſt noſtra ad Deum acceſſio. Cum autem peccatores accedere volunt ad Deum, habent quidem per Chriſtum libertatem & acceſſum cum fiducia per fidem Epheſ. 3. 12. Sed in hac libertate non debent oblviſci ſe creaturas, immò peccatores eſſe, ideoque non debent accedere tanquam ad parem vel paulò ſuperiorem, & uti familiaritate quæ ſit ſine humilitate & reverentia, ſed inſtar Publicani debemus ſtare procul, tundere Pectus, concidere in genua & faciem. Verum quidem eſt, quod vera humiliatio non ſit ſita in illis externis geſtibus, cum ſæpe humiliores ſint qui ſtantes vel ſedentes precantur, quàm qui procumbentes? Sed tamen, ſi volumus eſſe diſcipuli Chriſti & Sanctorum, debemus non ſolùm animam ſed etiam corpus coram ipſo proſternere, præſertim in precibus *ſolemnioribus* & ſecretis, ubi ſine impedimento & ſine ſpecie mali fieri poteſt. Hoc fecêre Reges & Principes, ut David Pſalm. 95. 6. Salomon 1 Reg. 8. v. 45. Hoc fecerunt Prophetæ & Apoſtoli Dan. 6. v. 11. Actor. 20. 36. imo hoc fecit Rex regum Ieſus Chriſtus, Luc. 22. 41. Matth. 26. 39. Eſt certè exiguè humiliationis ſignum, & exile fundamentum certitudinis de ſua ſalute, ſi quis hoc habet teſtimonium à propria conſcientia, quod nunquam aut rarò januam cubiculi ſui clauſit & genua ſua coram Deo flexit. Velim hanc lectionem liberis veſtris ab ineunte ætate inculcetis.

II. Alterum medium quod Petrus ad miraculum hoc efficiendum adhibuit, eſt, quod ad corpus mortuum converſus dixit: Tabitha ſurge: Sicut Chriſtus ait: *Talitha Kumi* Marc. 5. 41. ita Petrus hic dicit, *Tabitha Kumi*. Sicut Chriſtus magna voce clamans Lazaro imperat ut exeat Johan. 11. 43. ita Petrus Tabithæ imperat ut ſurgat. Eſt idem planè modus, quem Chriſtus uſurpabit in univerſali mortuorum reſuſcitatione Johan. 5. 25. Ezech. 37. v. 4. Abſurdum hoc videtur imperio & voce inclamare mortuos. Abſurdum certè foret, ſi fieret voce humanâ, ſed ſciendum, quod verbum, quod Petrus loquitur, eſt verbum Dei & Chriſti. Chriſtus autem ita poteſt loqui, ut etiam ſurdi & mortui audiant. Homines non poſſunt cum fructu alloqui niſi illos, qui aures habent ad audiendum. Sed Chriſtus ita poteſt alloqui, ut alloquendo aures faciat vel aperiat ubi non ſunt vel clauſæ ſunt. Nam qui verbo cœlum & terram fecit Geneſ. 1. Pſal. 33. annon verbo poteſt plantare aurem? Hoc utile eſt ad retundendas illuſiones Scholæ Pelagianæ contra Reformatorum praxin & doctrinam. Docet Eccleſia Catholica, homines naturâ eſſe auribus incircumciſis, immo mortuis in peccatis, ut non poſſint verbum Dei ſalutariter intelligere, multò minus ei obedire. Hinc Pelagiani ſectarii concludunt; abſurdum igitur & inane eſſe verbum eis prædicare, & præcepta dare quibus obedire non poſſint. Eſſe enim Perinde, ac ſi ei, cui eruti ſunt oculi, velis imperare ut legat librum. Sed meminiſſe debebant, quod verbum, quod eis prædicatur, & præcepta quæ eis dantur, non ſunt verba hominem, ſed verba Dei & verba vitæ, quæ virtute Spiritus S. per os miniſtrorum ita efferuntur, ut etiam à mortuis & ſurdis audiantur. Finis verbi prædicati non eſt, ut audiatur ab iis qui præ cæteris aures habent ad audiendum, ſed ut per illud aures dentur & aperiantur illis qui non habent; quotquot ſcilicet eorum Deus vult advocare, ut loquitur Apoſtolus Actor. 2. 39. utique filius Dei per illud vivificet quos vult, ut ipſe loquitur Iohan. 5. 21. Inanes itaque ſunt hæ illuſiones Scholæ Pelagianæ.

III. Mi-

III. Miraculum ipſum, quod Petrus patravit, in eo conſiſtit, quod mortua aperuit oculos, Petrum videt, & ſe erexit. Eum qui verè mortuus eſt, aperire oculos, videre & ſe erigere, verè miraculum eſt, res humanæ rationi incredibilis, & tamen verè facta, non tantùm hic ſed ſæpius. Habemus enim in Scriptura ad minimum octo numerata exempla eorum qui verè mortui verè in vitam redierunt, vid. filium viduæ Sareptanæ, 1 Reg. 17. 19. filium Sunamitidis 2 Reg. 4. 32. virum in ſepulchro Eliſæ vivificatum 2 Reg. 13. 21. filiolam Iairi Marc. 5. 22. filium viduæ Naimiticæ Luc. 7. 11. Lazarum fratrem Mariæ & Marthæ Johan. 11. 33. Ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Matth. 28. Tabitham noſtram quam præ manu habemus ex Act. 9., præter illam innumeratam turbam Sanctorum, quæ cum Chriſto reſurrexit, & in urbe Sancta viſa eſt Matth. 27. 52, 53. Hæc exempla probant univerſalem illam reſurrectionem mortuorum, quam ſperamus, & quæ tantopere in Scripturis promiſſa eſt, non eſſe impoſſibilem, ſed certò futuram. Ideo enim edita ſunt hæc exempla, ut eſſent illius quædam pignora & præludia.

IV. Ideoque ſicut in textu noſtro ſequitur, quod Petrus, poſtquam Tabitham ex mortuis excitaſſet, manu eam apprehendit, erexit, & Sanctis vivam ſtitit; ita nos hos omnes excitatos quaſi manu prehendimus & vobis ſiſtimus, ut eos intueamini, & ex iis diſcatis certitudinem hujus magni articuli fidei de Reſurrectione mortuorum. Sicut hæc Tabitha oculos aperuit, ſe erexit, & à Petro apprenſa ac coram Sanctis ſtatuta eſt, ita Chriſtus vos inclamabit, & vos vocem ejus audietis, oculos veſtros aperietis, tum Chriſtus vos apprehendet, ad ſe trahet, Deo ſiſtet. Non enim hi mortui excitati ſunt propter ſe (quippe quibus ſatius fuiſſet ita mori, ut per mortem tranſirent ad vitam æternam) ſed propter nos, ut nos inde diſcamus & ob oculos habeamus noſtram futuram reſurrectionem ex mortuis. Nec ideo tantùm ſ[illegible]tis & viduis eam reddidit vivam, ut plures tunicas ab ipſa reciperent, ſed præcipuè, ut ex illa diſcerent ſuam futuram reſurrectionem in vitam immortalem, in qua nec victu nec amictu opus habituri eſſent. Sæpe meditemur hunc articulum. Nam

1. Terret atheos & inculcat ſtudium pietatis. Dicunt quidem, & verè dicunt homines, edamus, bibamus, cras ſumus mortui, ſed debebant addere: reſurgemus autem. Si per mortem annihilaremini, mors poſſet eſſe ſecuritatis calcar. Sed mors non adimit vitam, verùm anima manet immortalis, & corpus reſurget & in judicium veniet. Per pietatem mortem effugere non poſſumus, ſed tamen favorem Dei acquirere, ut reſurgentes in judicio ejus poſſimus conſiſtere. Conſtitutum eſt ſemel mori, ſed poſt mortem reſurrectio & judicium. Vide ad Hebr. 9. 2. 1 Cor. 5. 10. Dan. 12. 2. Curremus igitur, ut, dum vivimus, aſpergamur ſanguine & induamur Spiritu Chriſti. Tum hujus virtute reſurgemus ſine reatu mortis in immortalem vitam.

II. Solatur ægros, mancos, moribundos. Illud ipſum corpus, quod tam miſerum nunc eſt, & nunc vermibus exponitur rodendum, reſurget vegetum, ſanum, vivum, glorioſum. Vide Job. 19. v. 26, 27. 1 Cor. 15. 42, 43, 44.

Quarta & ultima pars hujus hiſtoriæ habet effectum miraculi v. 42. Cùm hoc miraculum per totam Joppen innoteſceret, multi credebant in Dominum. Habeat hoc miraculum eundem effectum apud nos. Nobis etiam innotuit. Nam quod ex Scriptura narratur non incertiùs innoteſcit nobis, quàm quod Joppenſes oculis viderant vel à vicinis ſuis audiverant. Itaque & nos hoc miraculo moveamur ut credamus in Dominum. *Object.* At quis noſtrum non credit? *Reſp.* In Dominum credere, eſt, credere Jeſum Chriſtum eſſe noſtrum Dominum. At verò.

1. Si credis Jeſum Chriſtum eſſe tuum Dominum qui te redemit pretio ſui ſanguinis ex manu hoſtium, quibus ſerviebas, cur toties contra ipſum rebellas, cur ſervis Diabolo & peccato plus quàm Chriſto? Cur hujus voluntatem non facis?

2. Si credis & confidis Chriſtum eſſe tuum Dominum, qui tibi de omnibus neceſſariis corporis & animæ ſit proſpecturus, quid adeò curis & ſollicitudinibus, quid triſtitiæ & dubitationibus es deditus, cur ad illegitima media manum extendis? Servus victum expectat ab hero, ſubditus defenſionem à rege ſuo & Domino. Cur igitur tu aliunde hæc exſpectas, ſi credis Chriſtum eſſe tuum Dominum? Cur non facis ut Propheta Pſal. 123. v. 2. Diſcamus ex hoc miraculo ita credere in Dominum, ut fidem noſtram ipſo facto oſtendamus. Verſus qui in hoc capite reſtat, ad caput ſequens rectius refertur.

Actor.

Actor. 10. *verſ.* 1. 2.

Concio CXV.

Dies novi anni celebrati ſolet variis alluſionibus ad vetus & novum aliquod, cujus in Scripturis aliqua mentio. e.g. deponite veterem hominem & induite novum, expurgata vetus fermentum ut ſitis ſubactio nova. Vetera præterierunt, omnia nova facta ſunt, &c. Ego verò hunc diem celebrabo inchoatione novi capitis in noſtro antiquo & ordinario textu, optaboque mihi & vobis, ut Deus nobis veteri negligentiâ remiſsâ, det novas vires & novam voluptatem in opere cœpto pergendi, donec vel ad finem perduxerimus, vel in hoc ſtadio & in medio opere ac labore inveniamus felicem & beatum finem vitæ & fidei noſtræ, ſcil. ſalutem animæ. Et tanto libentiùs novum annum cum hoc capite exordior, quod materia eo contenta talis eſt, quam meritò nobis in memoriam vocamus, quoties de ortu & luce ſolis cogitamus. Ille enim dies, quo Cornelio per annunciationem Angeli & miniſterium Petri apparuit ſalutaris agnitio Chriſti, eſt prima dies magni iſtius Jubilæi, quo populus in tenebris ambulans vidit magnam lucem, & illis qui in terra umbræ mortis habitant, i. e. gentibus magna lux apparuit. Ille dies quo Cornelius converſus eſt, eſt dies, quo incircumciſis contigit circumciſio ſpiritualis, adeoque meritò in feſto circumciſionis Chriſti conſideratur. Cornelius enim, cujus hiſtoria hoc capite deſcribitur, primus eſt ex Ethnicis, cui Euangelium Chriſti prædicatum eſt, & in quo Apoſtoli didicerunt & cœperunt etiam Ethnicis ac incircumciſis Euangelium prædicare; quod antea ſibi putabant illicitum, ut patet ex contentione & expoſtulatione eorum cum Petro ſuper hac materia, quæ eſt cap. 11. Quoniam igitur & nos ſumus Ethnici, non abſurdè primo die anni incipimus hiſtoriam, quæ initium ſalutis noſtræ nobis explicatur. Injunxerat Chriſtus Apoſtolis Actor. 1. ut Chriſto teſtimonium perhiberent primò Hieroſolymis, deinde in tota Judæa & Samaria, denique in finibus terræ inter Ethnicos. Hactenus deſcripſit Euangeliſta præcipua acta Apoſtolorum inter Hieroſolymitanos, Judæos & Samaritanos. Nunc incipit deſcribere acta eorum inter gentes præcipua, & hoc capite converſionem primi Ethnici deſcribit, in quo Apoſtoli didicerunt impoſterum etiam Ethnicis Euangelium prædicare. Converſi antea fuerant Samaritani, converſus quoque Eunuchus Æthiops, qui naturâ quoque gentes erant, ſed hi potius inter proſelytos & circumciſos, adeoque inter Judæos numerandi, cùm per profeſſionem religionis Judaicæ Eccleſiæ (non obſtante ſchiſmate) fuerint inſiti. Cornelius autem eſt primus incircumciſus, cui annunciatum eſt Euangelium. Vocati erant antea per ſtellam Magi ex oriente Luc. 2. Sed an illa vocatio fuerit efficax ad eorum converſionem dubium eſt. Saltem fuit vocatio extraordinaria. In Cornelio autem ordinaria gentium vocatio cœpit. Duo ſunt ſumma capitis hujus capita:

I. Deſcriptio perſonæ Ethnicæ, cui gratia Chriſti apparuit, qualis & in quo ſtatu eſſet, cum ei gratia Chriſti appareret.

II. Modus & media, per quæ gratia Chriſti huic homini apparuit & collata eſt.

Deſcriptio perſonæ continetur prælectis verſibus prioribus duobus, in quibus hic homo deſcribitur: 1. à nomine & Patria. 2. ab habitatione & functione. 3. à religione & pietate. Nomen ipſi Cornelius, quod quia Latinum eſt, & inter Romanos frequentiſſimum, Patriam ejus ſimul indicat, vid. quod fuerit Italus ſeu Romanus quod & probabile fit ex eo, quod Italicæ cohortis capitaneus fuiſſe dicitur, adeoque verè gentilis, à ſanguine Judaico alieniſſimus. Speculationes ſuper origine hujus nominis non tango. A cornu nomen habere ajunt, quod roboris emblema eſt. Hinc Pontificii eum & alium quendam hujus nominis martyrem, Pontificem Romanum invocant ut ipſis largiatur robur quo poſſint ſuſtinere martyrium, ut omnino indicent, ſe deſeruiſſe verum illud cornu ſalutis quod Deus erexit in domo Davidis ſervi ſui Luc. 1 69. & aliud ſibi erexiſſe cornu ſalutis, alios quæſiviſſe mediatores.

Functio

Functio ejus deſcribitur, quod fuerit capitaneus Romanus, cohortis ſcilicet Italicæ, præſidium habens in urbe Cæſarea. Nihil hic philoſophabor neque de cohortibus & ordine militiæ Romanæ, neque de ſitu & amplitudine urbis Ceſareæ, ſed unum tantum annoto dogma, quod pietas & militia non pugnant. Cornelius enim miles & pius fuit. Hoc refutat

1. Mennonitas, qui negant functionem militarem cum Chriſtianiſmo poſſe conſiſtere. At verò Cornelius miles & quidem capitaneus & pius fuit & Deo acceptus, at poſtea patebit, nec uſpiam juſſus eſt Pòſt Chriſtianiſmum deponere militiam, nec propter eam reprehenſus.

2. Milites profanos, qui negant quenquam poſſe eſſe bonum militem qui valde religioſus ſit, ſed militem bonum debere eſſe ferocem, trucem, ἀναι-δῆτιν peccati, mortis & divini judicii contemptorem, qui, ſecus quàm Cornelius, 1. religionem ludificantur. 2. diſſoluti ſunt & feroces. 3. furantur, prædantur & blaſphemant. Aliud patet in Cornelio, qui fortitudine adeptus ſtationem illuſtrem in cohorte prætoria, tamen Deum timuit & religioſus fuit valde. Non igitur militia factio eſt, quæ vel Dei favorem vel pietatis exercitium impedit. Religio hujus viri conſiſtit in quatuor partibus quæ recenſetur. 1. fuit religioſus. 2. timuit Deum cum tota familia. 3. opera miſericordiæ frequenter exercuit. 4. in precibus aſſiduus fuit.

Hìc ante omnia in genere quæritur, an hæc religio fuerit ſine vera regeneratione cordis, actus ſcilicet liberi arbitrii merè moralis, an verò fuerit motus verè ſpiritualis, ex opere regenerationis per Spiritum S. profectus? Scimus etiam homines irregenitos ſæpe appellari religioſos, & aliquo modo Deum timentes & dare eleemoſynas, & precari, ut patet in exemplo Phariſæi Luc. 18. 10, 11. & Pauli Actor. 26. 4. 5. Quæritur an talis quoque fuerit Cornelii pietas? Illi qui ſunt de Synagoga Pelagianorum libenter ita vellent, ut inde poſſint probare, Cornelium bono uſu liberi arbitrii & gratiæ communis vel meruiſſe, vel ſaltem conſequutum eſſe majorem gratiam, quâ ſalvatus eſt. Sed 1. nimis ampla eſt deſcriptio pietatis Cornelianæ, quàm ut quadret in motus irregenitorum. 2. opera & eleemoſynæ ejus dicuntur aſcendiſſe in conſpectum Dei v. 4. At Deus non audit peccatores irregenitos. 3. v. 34. expreſſè dicitur, quod operetur juſtitiam & ſit acceptus Deo. Vide etiam v. 22. Major eſt impotentia irregenitorum, quàm ut talia poſſint.

Object. 1. Si fuit regenitus, fuit etiam juſtificatus. Si juſtificatus, quid opus habuit revelatione Chriſti? Si fuit regenitus, fuit etiam Chriſto inſitus. At hoc non fuit, cùm ne proſelytus quidem fuerit, ſed incircumciſus. *Reſp.* 1. Non ſequitur: Eſt aliquo modo regenitus. Ergo eſt juſtificatus & Chriſto inſitus. Habet enim regeneratio & ſanctificatio Spiritus S. ſuos gradus.

1. Primus gradus eſt contritio & emollitio cordis, quâ quis adigitur ad ſenſum peccati & miſeriæ, quo ſenſu gravatus ſitit & eſurit liberationem.

2. Secundus gradus eſt agnitio Chriſti, quâ quis de ſufficientia Chriſti ad liberandum convictus ſeipſum abnegat, & ad Chriſtum confugit, eique viva fiduciâ cordis inſeritur.

3. Tertius gradus eſt emendatio vitæ, quâ quis de gratia Dei per fidem in Chriſtum certificatus accenditur verò amore Chriſti, cujus vi ſtimulatur ad mortificandas libidines carnis, & ſectandam obedientiam præceptorum Dei. Primus gradus regenerationis vocari ſolet Spiritus ſervitutis, & eſt propriè effectus legis: duo poſteriores gradus vocari ſolent ſpiritus adoptionis, ſunt propriè effectum Euangelii? quamvis non ita præciſè diſtinctum, quin utrunque ad utrumque concurrat. Rom. 8. 15. Jam fieri poteſt, ut Cornelius habuerit primum gradum regenerationis, ſcil. ut fuerit contritus corde & fractus, & onuſtus ſenſu miſeriæ, ſitienſque gratiam & eſuriens, eamque quærens. Sed nondum novit veram viam inveniendi, & verum modum quærendi, ſed ſine dubio eam quæſivit per propria opera, & honeſtam vitam, quæ tamen opera Deus propter veram contritionem cordis non aſpernatus eſt, ſed ſe iis moveri paſſus eſt ad dandos majores regenerationis gradus ad ſalutem neceſſarios. Quoniam enim habebat cor verè fractum & Spiritum contritum, quem Deus non adſpernatur, ſed cui facta eſt promiſſio refectionis & Spiritus S. Matth. 11. 28. Pſal. 51. 19. Actor. 2. 42. Ideò Deus ipſi facit apparere gratiam ſalvificam Euangelii, quæ ipſum inſtruit, quo modo accipere poſſit gratiam quam eſuriebat & quærebat corde fracto & contrito. Omnibus enim contritis Spiritus adoptionis promiſſus eſt. *Reſp.* 2. Fieri etiam poteſt, ut, quamvis Iudaicam religionem non eſſet externa profeſſione amplexus, & Iudaicæ Eccleſiæ

inſertus, quales videntur fuiſſe omnes, qui ante Cornelium ex gentibus converſi ſunt, tamen ex Iudæis & ex lectione Scripturæ aliquas notiones de Meſſia hauſerit, iiſque vera fide aſſenſerit, ut coram Deo non minus fuerit proſelytus, quàm illi qui circumciſi erant, & religionem Iudaicam amplexi, utque ideo non tantùm habuerit ſpiritum ſervitutis, ſed etiam aliquem gradum de ſpiritu adoptionis, qualem habebant fideles in V. Teſt. ex generali cognitione Meſſiæ, cujus beneficio potuit aliquo modo Deo ſervire in obedientia filiali. Sed quia poſt Chriſti mortem non ſatis erat ad ſalutem generalis illa cognitio Meſſiæ, per quam Patres in Vet. Teſt. ſervati ſunt, ideo ipſi neceſſaria fuit clarior Chriſti revelatio, per quam perſonam & officium ejus ita cognoſceret, ut vera & explicita fide in Jeſum Nazarenum recumbere poſſet, ut hanc materiam latè deduximus cum Eunuchi hiſtoriam explicaremus, qui etiam pius quidem fuit, & tamen converſione ad Chriſtum opus habuit Actor. 8.

Object. 2. Cur igitur per prædicationem Petri demum Spiritus S. in ipſum incidit, ſi antea fuit regenitus? *Reſp.* 1. Spiritus confirmationis & majoris illuminationis. Erat enim regeneratio ejus valde imperfecta. 2. Spiritus donorum extraordinariorum, quæ tum temporis communiter contingere ſolebant iis, qui ad Chriſtianam religionem convertebantur. Hinc non immeritò obſervamus, quàm neceſſaria ſit cognitio Chriſti, & quàm parum proſint opera ſine fide in Chriſtum. Habebat certè Cornelius opera. Sed ſi ad Chriſti fidem converſus non eſſet, quid profuiſſet? Frequentemus igitur diligenter eam Scholam, in qua Chriſtus ſecundum perſonam & officium ſuum purè ſecundùm Scripturam prædicatur, nec ſinamus nos ſpecioſo prætextu bonorum operum & Sanctæ vitæ ſeduci ad eas Scholas, ubi Euangelium mutatur in legem, & vera agnitio Chriſti non inculcatur. Bona opera prædicare pium eſt, ſed qui non prius Chriſtum rectè prædicat, de bonis operibus fruſtra prædicat. Sæpe igitur ſit in memoria illud Pauli, Phil. 1. 7, 8, 9. Prius habendus eſt Chriſtus, & cum ipſo unio per abnegationem perfectam ſui ipſius & per vivam fidem in ipſum. Tum in Chriſto piè ambulandum.

Nunc veniendum ad particulares articulos religionis Cornelianæ, quæ ſunt pietas in Deum, cura in familiam, miſericordia in pauperes, & diligentia in precibus.

1. Erat εὐσεβὴς. Internam conſtitutionem cordis hæc vox exprimit, & pietatem cordis deſcribit. Vera pietas cordis in tribus conſiſtit partibus. 1. in reverentia, timore & humiliatione, quâ homines Deum ut creaturæ creatorem ſuum, & præſertim ut peccatores terribilem ſuum judicem cum angore, pœnitentia & humilitate verentur ac venerantur. 2. in fide ac fiducia, quâ per Chriſtum ad Deum accedunt, eumque filiali fiduciâ ut benignum & placatum Patrem amplectuntur, & auxilium & gratiam ejus quærunt. 3. in amore Dei, quo in corde accenditur odium peccati & delectatio in lege Dei, ut in ea delectetur die ac nocte. Hæc eſt καρδία εὐσεβὴς. Quoniam autem Cornelii regeneratio nondum pervenerat ad eam perfectionem, ut Chriſto per fidem inſitus per amorem ex fide Deo ſerviret in nova obedientia revelatæ voluntatis, ideò εὐσέβεια hic ſpecialiter & præcipuè ſumenda eſt pro humilitate ac reverentia, quâ in creatorem, nec non pro pœnitentia ac fame gratiæ, quâ in judicem ſuum erat affectus.

2. Timebat Deum cum tota familia, i. e. ſeipſum & totam ſuam familiam exercebat in timore Domini. Sicut εὐσέβεια notabat internos cordis in Deum affectus; ita timor Domini hîc notat externa cultus exercitia, quæ cum familia ſua habuit. Iudaiſmum externè profeſſus non eſt, nec circumciſum, nec ſacrificiis deditus in templo, ſed tamen in domo ſua non fuit ſine exercitiis cultus? Quæ autem illa? Sine dubio legit Biblia, dixit preces, cantavit Pſalmos, implantavit junioribus principia religionis, quantum ipſe ea intellexit, inculcavit iis timorem Domini & ſtudium bonæ conſcientiæ in honeſta converſatione.

3. Dabat multas eleemoſynas populo. Non ſolùm intellexit veram religionem requirere, ut Deus timeatur & colatur, ſed etiam ut proximus diligatur & in neceſſitatibus ſuis juvetur. Nam eleemoſyna eſt ſublevamen proximi indigentis profectum ex miſericordia. Adjumentum proximi indigi quod ex miſericordia non proficiſcitur, non eſt dignum nomine eleemoſynæ, quippe quod à miſericordia deducitur. Neque verò tantum ex miſericordia profectæ hæ eleemoſynæ, ſed etiam ex gratitudine. Cum enim Ethnicus eſſet, & habitaret in urbe, ubi Ethnici multi eſſent, voluit tamen eleemoſynas ſuas dare populo τῷ λαῷ ſcil. Judaico, quippe à quibus acceperat doctrinam legis, ſecundum quam Deo

Deo ſerviebat, & forte etiam aliquam cognitionem Euangelii. Voluit igitur ſecundum admonitionem Pauli Rom. 15.27. 1 Cor. 9. 11. corporalia gratus reddere iis, à quibus ſpiritualia acceperat.

4. Precatus eſt Deum jugiter. Non tantùm familiam in precibus exercuit, ſed & ipſe ſua ſoliloquia ad Deum effudit, inque eo adeò fuit frequens & diligens, ut dicatur continuus fuiſſe in precibus. Quomodo ſemper Precatus? i. e. tam frequenter & diligenter, ut habitum præcandi induerit & cor ſemper ad preces paratum. En hæc religio Cornelii. Hic jam eſt materia ex qua confici poſſit nova tunica, quam vobis ſtrenæ loco demus in novo anno (vultis enim ut de novo anno hoc die aliquid dicam) quamque induatis loco veteris iſtius tunicæ carnis quam hactenus geſſiſtis. Audivimus hiſtoriam Ethnici ad Chriſtianiſmum converſi, & in ea recolimus primum diem magni iſtius Jubilæi, quo ſuper nos omnes Ethnicos ortus eſt ſol Juſtitiæ. Quod ſi ex Ethnicis facti ſumus Chriſtiani, deponamus tunicam carnis quam geſſimus in Ethniciſmo, & induamus hanc novam tunicam, ex quatuor Chriſtianis hiſce virtutibus confectam, quâ indutus fuit Cornelius anteſignanus Ethnicorum, primitiæ Ethnicorum in Eccleſia. Id enim eſt ſecundum admonitionem Pauli Eph. 4. 17. & Petri 1 Pett. 4. v. 2, 3. Itaque

1. Qui hactenus fuiſtis impii & corde veſtro addicti peccato, induite ſenſum numinis, operamini veſtram reconciliationem cum Deo per deteſtationem peccati, applicationem Chriſti, amorem Dei & voluntatis ipſius.

2. Qui dicitis vos intus in corde timere Deum, etiamſi extus non ſitis in cultu Dei diligentes. Diſcite à Cornelio & vos & veſtros exercere ſedulò in timore Domini publicè & privatim, legendo, audiendo, cantando, precando, vos invicem inſtituendo, admonendo.

3. Qui dicitis vos amare Deum, & interim proximo non exhibetis debita officia; diſcite à Cornelio proximum amare, non fallere nec injuriis aut damno afficere, in infirmitatibus ferre, peccata remittere ei, in neceſſitatibus ſuccurrere.

4. Præcipuè diſcite vigilare coram Deo aſſiduis precibus, & per eas alere illam communionem ſalutarem inter vos & Deum.

Si ſic facitis, ſine dubio Deus ſtrenæ loco vobis donabit ſuum favorem & benedictionem, cuſtodiet vos hoc anno & omnibus annis veſtræ vitæ, & tandem faciet vobis illuceſcere annum æternitatis, qui eſt ſine hyeme, ſine vento, ſine frigore, ſine æſtu, ſed eſt perpetua æſtas amœna, jucunda ſine menſura & fine.

Actor. 10, v. 3, 4, 5, 6.

Concio CXVI.

Primus dies cujuſque anni ſolet apud nos feſtivus haberi & publica prædicatione verbi & precibus celebrari, idque ob duas cauſas:

1. Ut nos Deo gratos exhibeamus pro reverſione ſolis, quæ circa hoc tempus incipit, per quam reverſionem renovantur in nobis vires vitæ noſtræ naturalis, per hyberna frigora tenebraſque dejectæ.

2. Ut recolamus memoriam circumciſionis Chriſti, quæ octavo poſt ejus nativitatem die facta eſt, quâque Chriſtus teſtatus eſt, ſe veniſſe auctorem Spiritualis iſtius circumciſionis & regenerationis, qua corda noſtra ex hybernali morte peccati renovantur ad novam ac ſpiritualem vitam, & liberantur à Dominio peccati.

Propter has cauſas noluimus iſto die eligere novum textum, ſed eum arripuimus, qui in ordinario noſtro textu ſponte in manus venit, videl. caput decimum Actorum, quod agit de Cornelio Ethnico ad Chriſtum converſo. Quoniam enim Cornelius primus eſt ex incircumciſis Ethnicis, cui Euangelium prædicatum eſt, & in quo Apoſtoli didicerunt impoſterum ſine ſcrupulo incircumciſis Ethnicis Euangelium annunciare, immò Euangelium à Judæis ad Ethnicos transferre Actor. 13. 46. Ideo jure merito nos Ethnici die novi anni nobis in memoriam revocamus hiſtoriam illius diei, quo converſio Ethnicorum initiata eſt, quo ſol juſtitiæ Ethnicis eſt exortus, quoque ſpiritualis circumciſio ad incircumciſos Ethnicos cœpit penetrare.

Hiſtoriam capitis diviſimus in duas partes, quarum

1. Prior eſt deſcriptio perſonæ quæ converſa eſt.

2. Poſterior habet duo media modumque converſionis.

In deſcriptione viri, cui primo ex incircumciſis facta eſt annunciatio Euangelii, inter alia vidimus exemplum viri pii ac regeniti, qui tamen nondum erat

erat converſus ad Chriſtum, quæ videtur contradictio in adjecto. Ex unâ parte vir hic deſcribitur quod fuerit pius, timens Deum cum tota familia, faciens eleemoſynas multas, cujus etiam preces & eleemoſynæ tales fuêre, ut adſcenderent in memoriam coram Deo, imo quod operatus ſit juſtitiam, & Deo acceptus fuerit. Hæc ſanè dici non poſſunt de homine irregenito, qui Spiritum S. non habet, quippe de omnibus irregenitis in Scriptura dicitur, quod ſint vaſa Diaboli, mancipia carnis, hoſtes Dei, ſub dominio peccati. Viciſſim tamen ex altera parte de hoc viro dicitur, quod nec Judæus naturâ, nec proſelytus, nec Chriſtianus fuerit, ſed quod verba ſalutis ignoraverit, & opus habuerit, ut prius ad Chriſtum converteretur. Vide Actor. 11. 14. Qui hoc ſimul ſtare poteſt, quod Cornelius fuit pius ac Deo acceptus, & tamen nondum fuerit ad Chriſtum converſus, nec ſciverit verba per quæ ſalvari poſſit? *Reſp.* Hanc objectionem ſuperiore concione ſolvimus. Sed quia difficilis eſt & magni momenti, ſolutionem illius ſub initium hujus concionis clariori methodo ac modo repetemus. Diximus Cornelium regenitum quidem ac converſum fuiſſe, ſed regenerationem ejus adhuc fuiſſe in fieri, nec deductam ad eam perfectionem partium & graduum, ad quam Chriſtianorum regeneratio in hac vita perducitur. Internus ejus ac novus homo erat adhuc embryo & fœtus imperfectus. Nam

1. Regeneratio & operatio ſpecialis gratiæ, quæ electis Dei ſecundùm beneplacitum Dei contingit, habet ſuos gradus, qui non perficiuntur uno momento, ſed ad tempus à ſe invicem aliquo modo poſſunt ſeparari. Operatio ſpecialis gratiæ dividitur. 1. in ſpiritum ſervitutis, quo cor hominis frangitur, ſpiritus conteritur, dolorificus ſenſus peccati & maledictionis excitatur, & deſiderium gratiæ accenditur. 2. in ſpiritum adoptionis, quo cor hominis agnitione Chriſti Jeſu illuminatum ad eum accedit, & cum filiali fiducia liberationis in ipſum recumbit, quoque filialis in Deum amor in nobis accenditur, cujus ductu & impulſu ſervimus Deo ingenuâ obedientiâ, quo denique amor & gaudium ac certitudo ſalutis in nobis generatur. Jam Cornelius quidem habuit Spiritum ſervitutis, cujus vi miſeriam ſuam cum pudore & pœnitentia ſenſit, & gratiam Dei anhelavit (talis enim eſt contritio ſalutaris, quæ ſpecialis gratiæ verum initium eſt) ſed quia media gratiam deſideratam quærendi vel inveniendi ignorabat, fieri poteſt, ut quæſiverit per opera, quæ tamen opera Deus ſecundum promiſſionem ſuam, Pſal. 52. propter contritionem cordis, non planè aſpernatus eſt, ſed iis ſe moveri paſſus eſt ad majorem gratiam, quæ ad ſalutem neceſſaria erat, conferendam. Non enim eſt contra ſanam Theologiam, quod primitiæ gratiæ regenerantis bene uſurpatæ, ſint cauſæ impetrantes gratiam majorem. Habenti enim dabitur, ut abundantius habeat Matt. 13. 12. Moralibus virtutibus, quibus homo ſeipſum ab aliis per liberum arbitrium naturale nonnihil diſcernit, nullis promiſſionibus alligata eſt gratia regenerationis ſalvifica: Sed initiis gratiæ regenerantis bene uſurpatis eſt alligata Joh. 7. 17. & præcipuè cor contritum habet magnas promiſſiones Pſal. 51. 19. Eſa. 57. 15. Matth. 11. 28.

2. Cognitio & applicatio Chriſti, quæ per Spiritum adoptionis in nobis accenditur, etiam habet ſuos gradus. Nam eſt vel generalis vel ſpecialis. Illa, quâ quis ſciebat & credebat eſſe vel venturum eſſe quendam Meſſiam, qui à peccatis eſſet liberaturus, & cum Deo reconciliaturus. Hæc, quâ quis ſpecialiter ſcit, fatetur & credit Jeſum Nazarenum eſſe Filium Dei & verum illum Meſſiam, qui merito ſuæ paſſionis & virtute ſui Spiritus ſalvet ab omni peccato. Illa erat fidelium in V. Teſt. & ſufficiebat ad hoc, ut quis eſſet acceptus Deo. Illam quoque potuit habere Cornelius. Etſi enim non erat proſelytus & circumciſus ac Judaicæ Eccleſiæ externè inſitus, tamen quia habitabat inter Judæos, potuit habere Scripturas, & ex iis aliquam cognitionem Chriſti adipiſci, per quam Deo aliquo modo acceptus eſſet. Sed poſtquam Chriſtus exhibitus & exaltatus, & tot miraculis manifeſtatus erat, non jam ſatis erat ad perfectam reconciliationem cum Deo, & pacificationem conſcientiæ, ut quis in genere confiteretur aliquem Meſſiam, an autem ille Meſſias venerit an venturus eſſet, ignoraret, vel ut fateretur quidem Meſſiam veniſſe, ſed an eſſet Judas Galilæus, an Theudas, an Jeſus Nazarenus &c. ignoraret. Sed πρὸς τ̀ χαρακτηρισμὸν ſalutis cujuſque requirebatur ſpecialis cognitio & applicatio exhibiti, videl. Jeſu Nazareni eorumque mediorum per quæ ille nos ſalvavit. Sic quidem Cornelius ante apparitionem Angeli aliquo quidem modo erat regenitus & Deo acceptus, ſed tamen nec regeneratio nec reconciliatio ejus cum Deo, nec pax conſcientiæ erat deducta ad eam perfectionem, ad quam Filii

Dei

Dei tempore N. Teſt. neceſſariò perducendi ſunt, ut Deo perfectè placeant & ſalutem conſequantur. Et proinde ſummè neceſſarium erat, ut amplior gratia per manifeſtationem Chriſti ipſi conferretur. Nota: ἡ εὐδοκία θεοῦ ἐν ἀνθρώποις, per quam homines, peccatores amat & acceptos habet; habet ſuos gradus in quos diſtinguitur.

1. Primus gradus beneplaciti eſt φιλανθρωπία, quâ beneplacitum habet in toto genere humano, tanquam in creatura ſua præcipua. Hoc enim beneplacito motus ex humano genere, in peccatum lapſo, ſibi elegit Eccleſiam quam Chriſto dedit ſalvandam. Non movit eum hoc beneplacitum, ut totum humanum genus ſalvare decerneret, ſed movit tamen, ut ex humano genere eligeret, multitudinem quam ſalvaret, quos ſcilicet & quot viſum ipſi ſatis ad manifeſtandam ſuam miſericordiam.

2. Secundus gradus beneplaciti eſt ἐκλεκτοφιλία, quâ in iis, quos elegit, peculiare habet beneplacitum tanquam in ſuis, quo beneplacito motus in tempore eos vocat, regenerat, juſtificat, ſanctificat, conſolatur, idque talibus mediis & modis, qui ex amore & beneplacito proficiſcuntur, ſed tamen cum multa acerbitate, permixta ſunt, habentque ſuos gradus, ſuas interruptiones ac viciſſitudines. Quia enim ſunt electi Dei, quos per mortem unigeniti filii ſui redemit, ideo tantum habet in iis beneplacitum, ut eos per verbum vocet, per Spiritum regeneret, poſtquam cœpit regenerare, creſcit beneplacitum, ut primitiis generationis moveatur ad dandum gratiam majorem, & quantò magis per gratiam Spiritûs regeniti Deo in filiali obedientia ſerviunt, tantò magis ſuper eos creſcit amor & beneplacitum Dei, tantò magis ſuper eos effunditur benedictio Dei, ſed benedictio talis, quæ cum acri ſale caſtigationis, crucis & tandem mortis conjuncta, ut ſit pharmacum peccatum crucifigens & expurgans. Et hoc beneplacitum cum multa diſplicentia, amor cum ira paterna. Sic Cornelium acceptum habuit, tanquam cum ſanatio incepta erat, ſed non perfecta.

3. Tertius gradus beneplaciti Dei in hominibus eſt ἀγιοφιλία, ſeu amor retributionis. Poſtquam enim electi Dei à peccatis purgati, & in Chriſto radicati ſunt, exſerit ſe ſuper illos tantum Dei beneplacitum, quo ipſos ad ſe transferet in cœlum, & in ſumma conjunctione ac familiaritate æternùm cum ipſis vivet. Sic itaque Cornelius habebat regenerationis initia, & erat Deo acceptus tanquam electus Dei, in quo Deus ἐκλεκτοφιλίας ſuam exercere cœperat, ſed nondum eò perduxerat, ut in opere ſalutis & gratiæ perveniſſet ad plenam ſtaturam, quam filii Dei in hoc mundo, præſertim tempore Novi Teſtamenti obtinent, ſed opus haberet majori revelatione Chriſti, per quam ſpecialiùs Chriſtum agnoſceret & amplecteretur. Diſcamus hinc

1. Non turbari clamoribus eorum, qui hoc exemplo *moralium virtutum vim* ad impetrandam regenerationem crepant.

2. Animadvertere vim cordis contriti, & pietatis initiatæ, quæ quia parva eſt, ſolet nobis diſplicere. Sed ecce Deus his initiis motus dabit majorem pietatem.

His ita repetitis & clariùs illuſtratis tranſimus ad ſecundam partem capitis, quæ recenſet media modoſque per quos Cornelio Chriſtus patefactus eſt.

Duo ſunt media ad hunc finem adhibita: 1. Miniſterium Angeli. 2. Miniſterium Petri.

De Miniſterio Angeli habes 1. quomodo apparuerit. 2. quomodo à Cornelio exceptus ſit. 3. quid Cornelio dixerit.

Apparuit ita, ut clarè videretur ingredi ad Cornelium, cumque audiretur nominetenus compellare, idque claro die, ne nocturna deceptio videretur, & quidem horâ nonâ diei, quæ erat hora precum, quam fortè Cornelius cum Judæis obſervavit v. 30. Duplex eſt apparitio:

1. Quâ quid viſibile incurrit in oculos. e. g. cum Sol, Luna, ſtellæ illuceſcunt & apparent.

2. Quâ quid inviſibile fit viſibile. Sic inviſibilis Deus manifeſtatus eſt in carne 1 Tim. 3. 16. Sic Angeli frequenter ſolebant fieri viſibiles aſſumendo formam hominis, & humanos edentes motus, quod & ipſe filius Dei in V. T. ſæpiuſculè fecit in præludium ſuæ incarnationis. Hoc quoque modo hic Angelus apparuit, ſcilicet in forma hominis, induta ſine dubio gloriâ Domini, unde agnoſci poſſet eſſe Satrapa Domini: ideoq; dicitur viſus apertè vel clare & ingreſſus ac loquutus. Hæc eſt apparitio Angelorum miraculoſa ac extraordinaria, quæ nunc cum cæteris miraculis deſiit. Interim eſt adhuc ordinaria quædam & inviſibilis apparitio Angelorum, quia quotidie Eccleſiæ & fidelibus apparent. Dicuntur quidem Angeli Sancti eſſe in Cœlo, ſed mittuntur nihilominus in terram, ut fidelibus miniſtrent.

Hebr. 1. Angeli frequenter adſunt & comparent in Eccleſia. Quare hoc, quid ibi agunt?

Reſp. 1. delectant ſe prædicatione verbi, & explicatione myſteriorum Dei. Dubitas? Vide 1 Petr. 1.12. Exod. 25.20. Hebr. 9.5. Eph. 3.10. Si Angeli ſunt miniſtrorum auditores, certè nos debemus.

2. Delectant ſe pietate & ſancta piorum converſatione. Sunt enim Spiritus caſti & ſancti, qui caſtitate & ſanctitate delectantur, & impudicitiâ ac impietate offenduntur ac contriſtantur. Nam ſi pii homines torqu nt ſuas juſtas animas intuitu peccatorum 2 Petr. 2. non minus hoc faciunt Sanctiſſimi Spiritus. Hinc Apoſtolus præſentiam Angelorum facit argumentum nos movendi ad pietatem & ordinatam converſationem, ne ſcilicet impietate & indecoris noſtris actionibus offendantur, ſed delectentur nobiſcum manere. 1 Cor. 11. 10. Vide etiam 1 Tim. 5. 21. ubi Paulus Timotheum ad ſedulam & ſinceram functionem miniſterii hortatur, argumento ſumpto ab Angelis, qui, cùm ſint miniſtri Dei voluntatem ejus facientes cum omni alacritate, contriſtantur ſegnitie & ſiniſtra praxi Miniſtrorum Euangelii.

3. Pugnant contra Diabolum & defendunt pios contra pericula. Diabolus etiam audet venire in Eccleſiam & converſari inter pios, non minus quàm lupus in ovile 1 Petr. 5. 8. Job. 1. 6. Sicut autem mali Angeli comparent ad nocendum & seducendum malis inſtinctibus; ita boni veniunt ad defendendum. Hinc dicitur eſſe *bellum in Cœlo*, i. e. in Eccleſia Apoc. 12. 7. Hinc Angeli vocantur exercitus Domini qui caſtra metantur circa illos qui timent Dominum Pſalm. 34. 8. Pſalm. 91. 11. 12. Angeli & fideles homines faciunt Eccleſiam unam ſub uno capite Chriſto, & ſicut hic incipiunt communionem habere inter ſe invicem; ita tandem in una domo cohabitabunt Hebr. 12. 22. 23. Epheſ. 1. 10. peccatum non tantùm nos & Deum ſeparaverat, ſed etiam amicitiam inter nos & Angelos diſſolverat. Hanc quoque reparavit Archangelus ille Michaël Ieſus Chriſtus, & effecit, ut Angeli ſint noſtri amici, imò ſervi Hebr. 1. Studeamus hanc amicitiam rectè conſervare caſtâ & ſanctâ vitâ. Non enim eſt res parva frui amicitia & protectione Angelorum. Quid non facimus ut potentem aliquem hominem habeamus amicum? Quidni curamus ut Angelos?

Quomodo autem Cornelius hunc angelum excepit? Cum intueretur, territus eſt, tamen reverenter ei reſpondit, quærens, Domine quid eſt? Homo peccator nihil divinæ gloriæ poteſt ferre ſine terrore & metu. Cauſa eſt mala conſcientia. Sicut primus peccator, Deo apparente, pudeſiebat? ita quotieſcunque aliquid divinæ gloriæ videmus, terremur. Sicut enim pudor; ita & terror ex mala conſcientia. Si ante peccatum Deus cum omni ſua gloria ad nos veniſſet, nec pudore, nec terrore correpti fuiſſemus. Sed poſtquam per peccatum conſcientia noſtra læſa eſt, jam nihil divinum ferre poſſumus ſine horrore & terrore. Sicut Diabolus, ſi modò cogitat eſſe Deum, ſtatim contremiſcit Act. 2. ita peccator quum primùm aliquid divinum perſentiſcit, contremiſcit. Etiamſi fieri poſſet ut peccator inconverſus in cœlum admitteretur, non poſſet ibi ſubſiſtere, ſed non minus horreret & tremeret quàm Moſes in monte, cum tantùm poſteriora Dei videret. Sicut qui habet læſos oculos, non poteſt ferre lucem ſolis; ita qui habet malam conſcientiam, non poteſt ferre gloriam Domini. Itaque qui cupit communionem cum Deo habere, & Dei faciem videre, qua in re ſummum noſtrum bonum ſitum eſt, is curet ſanare conſcientiam ſuam. Quomodo autem illa ſanatur? *Reſp.* 1. Per emollitionem conſcientiæ. Sicut qui ulcus vult ſanare, debet prius emollire; ita qui conſcientiam: Dura enim eſt natura & ἀναίσθητος & quaſi dormiens, ſicut homo in ſomno non ſentit. Beneficio hujus duritiei multa judicia Dei non ſentit. Sicut homo dormiens non audit tonitrua nec vidit fulgura. Sed tamen cum ultimo judicio gloria Dei apparebit, liqueſcit ut glacies. Hic igitur debet emolliri & excitari, ne Deus dormientem inveniat, quam terrebit. 2. per fidem in reſurrectionem Chriſti 1 Petr. 3. 21. Qui enim credit Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis, is novit per mortem Chriſti planè ſolutum eſſe pro ſuis peccatis, adeoque habet pacem & bonam conſcientiam. 3. Per mortificationem peccati. Si vel unum peccatum regnans manet in conſcientia, eſt ſicut feſtuca in oculis & turbat pacem conſcientiæ. Sed ſi dominantia peccata ablata ſunt, tum, quantumvis Dominus gloriâ & potentiâ ſuâ ad nos veniat, tamen poſſumus attollere oculos & dicere cum Hiskia, Domine tu nôſti, quàm ſincerè coram te ambulaverim Eſa. 38. 3. Etiamſi videamus filium Dei in nubibus apparentem in gloria ſua plena, & omnes Angelos ejus cum ipſo,

ipſo, tamen læti poſſumus attollere caput & dicere, *veni Domine Ieſu.* Etiamſi in cœlum transferamur, ubi plenam gloriam Dei & ipſum Deum videbimus noſtris oculis, tamen ſtabimus coram eo læti, quia non habebimus malam conſcientiam. Ideo Cornelius quidem viſu Angeli exhorreſcit, ſed tamen non ita quin Angelum adſpiciat & alloquatur, dicens: Domine quid eſt? Habebat enim jam tum ex parte ſanatam conſcientiam.

Vocat ipſum Dominum: Et rectè: Sunt enim Angeli magni Domini, throni, poteſtates, dominationes Coloſſ. 1. 16. quia Deus iis utitur tanquam regibus & principibus per quos mundum gubernat, & magna judicia perpetrat in terris Dan. 4. 13. Sed ſi Domini poſſunt appellari, quid igitur reſtat pro Deo cui nomen Κυρίν etiam adſcribimus? Si licet Angelos non minus appellare Dominos ac Deum ipſum, quid igitur intereſt inter honorem Dei & Angelorum? *Reſp.* Civilis honoratio & religioſus cultus ac adoratio poſſunt fieri iiſdem verbis, & tamen manent res diverſiſſimæ & toto genere diſtinctæ. Quare? Quid quæſo intereſt inter adorationem civilem & religioſam, quæ ſoli Deo debetur, & creaturis ſine idololatria exhiberi non poteſt, Debet certè tantum eſſe diſcrimen, quantum eſt inter creationem & creaturam.

1. Non debes à creaturis petere, quæ non niſi per creationem & omnipotentiam ac omniſcientiam poſſunt effici.

2. Non debes creaturis offerre ea ſacrificia, quæ Deus in verbo ſuo requirit, e.g. preces & ſuſpiria cordis, contritionem, fidem, obedientiam abſolutam in omnibus quæ vult, conſecrationem corporis ac animæ. Quærit autem Cornelius non quis ſit, ſed quid ſit. Sciebat ex luce cœleſti quis eſſet, ſcilicet nuncius à Deo. Sed quid vellet, nondum ſciebat. Quærit igitur quid ſit, q. d. Domine, præcipe quod vis, ſervus tuus paratus eſt obedire. Sic Samuel 1 Sam. 3.

Actor. 10. *v.* 4, 5, 6.

CONCIO CXVII.

Vidimus quomodo Angelus Cornelio apparuerit, item quomodo à Cornelio exceptus ſit. Sequitur quid Cornelio dixerit. Oratio ejus habet duas partes.

1. Annunciationem, quâ exauditionem precum & eleemoſynarum apud Deum ipſi annunciat.

2. Mandatum, quo conſilium adminiſtrat de fructu exauditionis conſequendo.

DE PRIMO.

Eleemoſynæ & preces tuæ adſcenderunt in memoriam coram Deo. Preces & eleemoſynæ, quas Cornelius faciebat in terris, adſcenderunt, nimirum in cœlum tertium ubi Deus habitat. Sic enim de precibus piorum expreſsè dicitur, Eccl. 35. v. 18. Thren. 3. v. 44. Multiplex eſt commeatus & commercatio inter cœlum & terram, magis quàm inter Belgium & utramque Indiam. Primus hoc iter emenſus eſt Lucifer cum Angelis ſuis, cum propter peccatum cœlo extruſus hominem viſitatum & ſeductum venit in Paradiſum. Præterea quotidianus eſt adſcenſus & deſcenſus Angelorum Sanctorum, qui in Deo cœlis & Sanctis in terra ſerviunt. Præſertim hoc iter etiam emetiuntur animæ piorum, qui è corporibus egreſſæ ab Angelis portantur in ſinum Abrahæ. Sic & Chriſtus, & virtute Chriſti ante & poſt eum, fortaſſis etiam cum eo multi Sancti ſecundum corpus & animam in cœlum aſcenderunt, & hoc longiſſimum iter emenſi ſunt. Denique Chriſtus iterum uſque in nubes deſcendet, & omnes pios ſecundum corpus & animam ſecum aſportabit. Sed textus noſter non loquitur de ipſarum animarum corporumvè adſcenſu, ſed loquitur de quotidiana illa commercatione inter homines in terra & Deum in cœlo, per quam homines merces & theſauros mali vel boni cordis ſurſum mittunt in cœlum, & Deus viciſſim pretium & mercedem harum mercium demittit ad homines in terram. Sicut enim tellus & aër tale inter ſe colunt commercium, ut tellus & mare in aërem emittat fumos & vapores, & aër viciſſim in tellurem demittat pluviam, nivem, rorem, ventum, &c. Et ſi nihil tellus mittit ſurſum, nihil aër mittit deorſum: ita poſtquam Deus hominem in terris plantavit, exercet cum illo commercium commutativæ juſtitiæ, ut qualia opera & dona homo in cœlum mittit, talem mercedem Deus è cœlo demittat. Sicut autem ſunt duplices homines in terra; ita duplices res, actiones & opera in cœlum mittunt, quæ omnes in cœlum adſcendunt, i.e. à Deo videntur, audiuntur, Deumque movent & in cor ejus operantur. Nihil enim aliud per aſcenſum humanorum operum.

operum in cœlum intelligitur, quam quod Deus ea reſpicit & iis movetur. Nam

1. Mali homines ex malo cordis theſauro malas res emittunt, videlicet peccata. Hæc adſcendunt in cœlum & tangunt cor Dei & irritant Deum ad effundendas deorſum plagarum phialas peccata æquè poſſunt aſcendere in cœlum ac preces Rom. 1. v. 18. Vapores paludum aſcendunt uſque in nubes, ſed vapores & fumi impuri cordis aſcendunt uſque in tertium cœlum, & faciunt ut Deus depluat judicia & pœnas Pſal. 116. Præſertim magna illa & clamantia peccata de quibus Geneſ. 4. 10. & 18. 20, 21. & 19. 13. & Apoc. 18. 5.

2. Boni homines ex bono cordis theſauro bonos fructus emittunt, qui in cœlum adſcendunt & Deum movent, ut multiplices benedictiones ex cœlo effundat ſuper homines. Ipſum cor, ipſa anima piorum non aſcendit, ſed emittit bonos fructus, qui aſcendunt. Poſtulat quidem Deus præcipuè ipſum cor, ipſam animam, ipſum corpus in donum & ſacrificium Prov. 23. Rom. 12. 1. Sed tamen cor poſtulat non propter cor, ſed propter fructus ex corde adſcenſuros in cœlum. Sicut enim nos agrum & hortum magno pretio emimus nobis in peculium, non tamen propter ipſum agrum (quid enim jucundi in ipſa terra) ſed propter fructus quos generare poteſt; ita Deus poſtulat noſtrum cor, non propter cor, ſed propter fructus quos generare & in cœlum emittere poteſt cor bonum, ſanguine ac Spiritu Chriſti præparatum, fractum ac vivificatum. Sicut qui vineam plantavit, paſtinavit, firmavit, &c. exſpectat fructus: ita poſtquam Deus cor noſtrum non tantùm externæ vocationis donis replevit, ſed etiam ſanguine Chriſti & Spiritu regenerationis fœcundavit, exſpectat fructus. Quinam illi? Tres ſunt boni fructus, qui ex bono corde in cœlum adſcendunt & ad Deum veniunt, Deum tangunt, & motus faciunt in Dei corde, ſcil. 1. lachrymæ, gemitus & querelæ tum ſuper peccatis, tum ſuper miſeriis, & præſertim ſuper oppreſſione malorum hominum. 2. fides ſeu fiducia cordis. 3. bona opera. Hi tres fructus ex bono corde in cœlum adſcendunt, & tripliciter in Deum operantur. Nam

1. Lachrymæ, gemitus, ſuſpiria, querelæ de peccatis & de miſeriis, ac præſertim de oppreſſione hoſtium adſcendunt per modum urgendi, premendi, ſcindendi. Per lachrymas & querelas boni cordis Deus urgetur, primitur & quaſi angitur ut commiſereſcat. Sicut mater triſti vagitu infantis ita movetur, ut cor quaſi liqueſcat & frangatur; ita Deus gemitibus piorum. Vide Jerem. 31. v. 18, 19, 20. Audivi Ephraimum querentem & gementem cum pœnitentia ſuper peccatis ſuis, ideo rugiunt ſuper eum viſcera mea ut commiſereſcam. Huc pertinet Pſal. 6. 7, 8, 9, 10. Eſa. 63. 9. In omni ipſorum anguſtia ipſe angebatur. Exod. 3. 7. 9. Jacob. 5. 4. Pſal. 18. v. 7. Hinc Pſal. 51. dicitur, quod non adſpernabitur cor contritum. Non eſt ſicut immiſericors miles, qui gemitus & clamores obſeſſorum contemnit & nihil iis movetur, ſed eſt ut pater quem urunt filiorum gemitus.

2. Fides adſcendit in cœlum per modum ligandi & vinciendi. Aſcendit enim per modum extenſæ manûs apprehendentis Deum & Chriſtum, ejuſque veritatem, promiſſionibus Euangelii nobis quaſi oppigneratam. Proclamavit ac promiſit Deus in Euangelio, quicunque ad me venit & vera fiduciâ cordis in me recumbit, ac meum ſacrificium meaſque promiſſiones ſibi applicat, ei remittam peccata, & dabo ſalutem meam. His promiſſis factis, ex bono corde manus fidei egreditur & in cœlum uſque extenditur, ibique Ieſum Chriſtum ad dextram Patris ſedentem amplectitur, dicens ex Pſal. 27. Cor meum tibi proponit verbum tuum. Dixiſti Domine Ieſu: Quicunque me vera fiduciâ amplectitur, & in ſacrificium meæ crucis recumbit, ſalvabitur. En ego te amplector, nec dimittam donec mihi bene dixeris. Ne ſinas me igitur confundi in hac fiducia, ne ſinas promiſſiones tuas & vim meritorum me fruſtrare. En hic Efficax adſcenſus boni cordis in cœlum, pulchrè adumbratus per luctam Jacobi cum Domino Gen. 32. quo adſcenſu Deus quaſi ligatur, ut ſalvâ juſtitiâ & veritate non poſſit non juſtificare & adoptare eum, qui adſcendit.

3. Bona opera adſcendunt in cœlum per modum delectandi. Bona opera non urunt Deum, & ad commiſerationem movent, nec ligant Deum vi meritoria, ſed movent Deum per modum jucundæ delectationis. Sicut odor ex incenſo ſacrificiorum euchariſticorum tanquam ſuavis ſuffitus, ſicut ex flore & aromate ſuavis odor adſcendit in nares & cerebrum, ſicut ex inſtrumentis muſicis delectabilis ſonus adſcendit in aurem; ita bona opera & præſertim preces ac eleemoſynæ, ſunt in corde Dei delectabilis odor ac ſonus. Hoc illud Hebr. 13. 16. Talibus ſacrificiis εὐαρεστεῖται ὁ Θεός. Non placea-

tur

tur & reconciliatur, ſed delectatur. Ira Dei propter peccata contra nos concepta non extinguitur per odorem & ſuavitatem bonorum operum, ſed per odorem ſacrificii Chriſti per fidem apprehenſi, & divinæ juſtitiæ oblati, Eph. 5. 2. Interim tamen bona opera, quæ ex corde per Spiritum S. accenſo, & ſanguine Chriſti imbuto proveniunt, Deum reconciliatum delectant ac quaſi demulcent; Sicut ſtorgæ paternæ non patiuntur vel accenduntur per filii obedientiam, ſed per generationem, & tamen per obedientiam ac gratitudinem filii excitantur, commoventur & quaſi titillantur cum ſumma Patris delectatione; ita reconciliatio & amor paternus, quo Deus nos adoptat in filios, non gignitur per dulcedinem noſtrorum operum, ſed per merita & juſtitiam Ieſu Chriſti, & tamen poſtquam per Chriſtum Deus nobis reconciliatus, & paterno amore nos amplexus eſt, bonis operibus, quibus nos ei gratos & obedientes declaramus, delectatur, eaque acceptat tanquam ſuaveolens ſacrificium. Vid. *Hoſ. 6. 6.* delector beneficentia & cognitione Domini. *Deus* habet beneplacitum in bonis operibus, Pſal. 147. v. 10, 11. Heb. 13. 21. Rom. 12. 1. rationalis noſter cultus vocatur θυσία εὐάρεστος. Non quidem in ſeipſis bona opera Deo ita placent, quia propter adhærentem imperfectionem diſpliceant, ſed tamen quia ſunt effecta Spiritus S. & miſcentur ſuffitu ex altari crucis Chriſti, Apoc. 8 3. ideò Deus omnis imperfectionis obliviſcitur, & tam grata habet bona opera noſtra, ac ſi in ſeipſis perfecta eſſent. Hinc dicitur odorari noſtra ſacrificia, Gen. 8. 21. Pſal. 20. 4. En vides, quæ ſit vis & operatio bonorum fructuum, ex bono corde provenientium. Adſcendunt in cœlum, id eſt, tangunt cor Dei, illudque commovent. Urgent Deum, ligant Deum, delectant Deum. Sic nobis licitum eſt de Deo loqui, quia Scriptura ita loquitur. Sciendum interim hæc omnia de Deo dici ἀνθρωποπαθῶς, ſicut homines de ſe invicem loqui ſolent Intelligi autem debent θεοπρεπῶς, ut natura Dei requirit. Actionibus humanis Deo nulla vis infertur, ut volens nolens urgeatur, ligetur, delectetur, ſed intelligendum hoc de voluntaria bonitate, quâ propter Chriſti merita gratioſè ſinit & permittit bonas bonorum actiones tantam apud ſe habere vim, ut ſe iis patiatur quaſi urgeri, ligari, delectari ac moveri. Hinc cum bona opera facimus, precandus eſt Deus, ut ſibi ſinat placere, Pſal. 119. 108 Pſal. 141, verſ. 2.

Sed cum jam gemitus ac querelæ noſtræ Deum ita urgent, fides ita ligat, opera ita delectant, quid hoc nobis prodeſt? *Reſp.* Poſtquam adſcenderunt, cedunt in memoriam coram Deo, id eſt, hominem illum, à quo veniunt, revocant Deo in memoriam, faciuntque ut Deus ejus ſit memor, ſicut latro à Chriſto petebat, Luc. 23. v. 42 *Object.* Obliviſci eſt imperfectio, in Deum non cadens. Quid igitur opus ipſi quenquam revocare in memoriam. *Reſp.* Non eſt opus propter Dei indigentiam, ſed propter mandatum & decretum, quo ſtatuit gratiam decretam & promiſſam non exequi, niſi interventu bonarum actionum ex nobis. Dicuntur igitur noſtræ actiones Deum facere noſtri memoriam, quia impetrant à Deo exſequutionem bonorum, quæ ex gratia per Chriſtum nobis decrevit, promiſit, præparavit, ac reſervavit. Poſtquam Deus ex gratia & beneplacito bonum opus converſionis & benedictionis in nobis cœpit, aliquando ceſſat, ſubſiſtit, quaſi feſſus & obdormiſſens, donec ipſi à nobis, noſtris gemitibus, noſtra fide, noſtriſve bonis operibus vellicetur auris, ut memor noſtri factus bonum opus perſequatur. Præſertim cum nos gravibus peccatis curſum gratiæ ſuper nos ſufflaminavimus, ſiſtitur curſus & influxus gratiæ, donec nos per veram pœnitentiam hoc impedimentum removerimus, (deſe ſpaecke uyt het wiel getrocken hebben.) Curſus divinæ gratiæ ſuper fideles, eſt ſicut curſus horologii. Horologium eſt αὐτόματον, quod humana manu non vertitur, ſed ſuis rotis currit, ſed tamen non currit, niſi pondere quodam appenſo trahatur. Ita poſtquam Deus ex libera gratia opus gratiæ in nobis cœpit, non perficitur noſtris meritis, ſed currit rotis meræ gratiæ, quibus primò cœptum eſt & ad nos venit, ſed vult tamen Deus, ut illæ rotæ trahantur & moveantur pondere, & vi noſtrorum gemituum ac querelarum, noſtræque fidei, & operum noſtrorum bonorum, præcipuè precum & eleëmoſynarum, & cum illa tractio ceſſat, curſus gratiæ ſiſtitur, ceſſatque, & Deus quaſi obdormiſcit, ac noſtri obliviſcitur, donec nova tractione expergefiat. Hoc illud Matth. 11. regnum Dei vim patitur, & qui vim faciunt, occupant. Hoc illud, quod Chriſtus pulchrè adumbravit ſuo ſomno, Matth. 8. 24, 25. Vide etiam Exod. 17. 11. Sic Eccleſia Deum excitat, Jerem 14. 8. 9. En hæc vis bonorum fructuum, qui ex bono corde in cœlum adſcendunt, & in cor Dei ita operantur, ut eum urgeant, ligent, delectent, quòd ſcil. ſunt illa pondera, quæ horologium & automatum gratiæ,

vi gratuitæ electionis & meritorum Chriſti in nobis erectum, in ſuo motu continuent, ut rotis gratiæ, quibus ad nos venit, pergat ad perfectionem, nec à nobis ſufflaminetur. Non eſt doctrina quæ crebriùs ſonat in Eccleſiis reformatis, quàm quòd noſtra contritio, noſtra fides, noſtra opera nihil apud Deum mereantur. Et meritò. Quid enim reus à judice, debitor apud creditorem, creatura apud creatorem mereretur? Non tamen ideò putandum noſtra officia eſſe ſupervacanea, nec eſſe ullam neceſſitatem quæ nos ad ea obliget. Eſt enim voluntas Domini, ut per hæc pondera opus gratiæ in nobis erectum moveatur, ut pergat ad ſuam perfectionem.

Alloquor jam omnes, in quibus opus gratiæ & ſalutis cœptum eſt ſicut in Cornelio, ne ſibi ipſis deſint. Videtis quo uſque opus ſalutis in vobis ſit perductum. Suis rotis ad vos venit, ſcil. gratiâ electionis & meritis crucifixi Chriſti. Iiſdem rotis provehetur ad finem, modò vos iſtas rotas moveatis & trahatis vi veſtrorum gemituum ac querelarum de peccatis & miſeriis, vi fidei in Chriſtum, & vi bonorum operum. Soletis conqueri, quod nil promoveatis, neque creſcatis in converſione & ſolatio, quod non liberemini ex miſeria in qua jacetis. Sed heus cujus culpâ? Non urgetis Deum querelis, non ligatis eum fide, non delectatis operibus. Quid mirum curſum gratiæ ſiſti, & Deum quaſi obdormiſcere & veſtri oblivíſci, cùm ipſi vos obdormiſcatis, & veſtræ ſalutis obliviſcamini? Excitate vos, & excitabitis Deum. Eſt nunc opus in veſtra poteſtate, & in veſtra manu, trahite modò & vim facite. Stat opus gratiæ rotis facilè mobilibus, vid. meritis Chriſti & gratiâ regenerationis. Aſcendant boni fructus ex corde veſtro in cœlum, & deſcendent ex cœlo benedictiones. Vos vinea à Domino plantata, à qua Deus exſpectat uvas, vos arbor à Domino curata, in qua quærit fructus, Eſa. 5. Luc. 13. Vos terra quæ multum ſemen recepit, multum aquæ pluvialis imbibit, Hebr. 6. Si nil fructuum à vobis adſcendat, quid ſperatis benedictiones è cœlo deſcenſuras? tantum donorum dedit, tot talenta commiſit. An nihil reddetis, & tamen ſemper plura petetis? Eratis fœtida cloaca, quam Deus immenſo ſumptu purgavit. An denuò non niſi fœtorem eructabitis, qui Deum offendat ac irritet? Alamus illam Sanctam communionem inter cor & cœlum, quam gratia Dei erexit & incepit, donec tandem remotâ diſtantiâ ad ipſum Deum veniamus.

DE SECUNDO.

Jubet ut accerſat Petrum, & eo fine accuratè deſcribit ubi eum poſſit invenire.

I. Cur non ipſe edocet, quid Cornelio faciendum, ſed ad Petrum remittit? Quia non angeli ſunt inſtrumenta regenerationis & ſanctificationis, ſed miniſtri Euangelii. Voluit vocationem gentium per miſſionem Angeli ſolenniter initiari, ſed tamen ipſum opus vocationis voluit exſequi per inſtrumenta ordinaria, vid. per hominem miniſtrum Euangelii. Sic Deus Saulum remittit ad Ananiam, Act. 8. Sic Abraham fratres helluonis remittit ad Moſen & Prophetas, Luc. 16. ut diſcamus venerari miniſterium divinitus inſtitutum. Si Angelos multi poſſent habere doctores, diſcerent, ut putant, avidiùs, quia homines propter paritatem aut vilitatem contemnunt. Sed hîc Deus ab Angelis ad homines remittit, quia homines per homines vult erudire, quos contemnere non debemus, nec propter tenuitatem conditionis, nec propter defectum donorum, nec propter infirmitates vitæ, ſed reſpicienda eſt vocatio.

II. Cur non jubet Petrum adire, ſed potius ad ſe vocare? *Reſp.* Quia non ipſe ſolùm ſed tota familia erat convertenda, quæ non tam facilè poterat tota transferri in locum remotum. Deus eſt facilis in diſpenſatione Euangelii (**gerieflijck:**) Mittit Euangelium in ſinum, in domum. Diſcant ab hoc Angelo Magiſtratus ſubditis Euangelium quaſi domum mittere, ut commodè audire poſſint, nec habeant quod impediat. Proſpiciant de miniſtris & templis abundanter.

III. Nec planè prætereundum, quod Petrus apud cerdonem hominem ſordidiſſimi opificii diverſatus eſt. Hinc enim non ſolùm humilitas Petri apparet, quam non repræſentat Papa ſuis palatiis, nec illi miniſtri qui contemptis pauperibus palatia magnatum tantùm ſectantur, ſed etiam facies Eccleſiæ iſtius temporis hinc apparet, quæ non ex magnatibus & primoribus urbis, ſed ex infima plebe erat collecta. Hoc non tantùm Joppæ ita facit, ſed etiam Corinthi, 1 Cor. 1. 26, 27. quod ideo animadvertendum, ut, qui ſunt magni ſecundum mundum in magnitudine ſua mundana non acquieſcant, ſed eam potius periculoſam ſaluti æſtiment, niſi curent ſedulò, ut in magnitudine mundana pravitatem & paupertatem Spiritus ſectentur: & qui ſecundùm mundum tenues ſunt,

ſunt, tenuitate ſuâ non dejiciantur, nec putent ſe à Deo contemptos, ſed potius tantò animoſiùs laborent adſpirare ad majeſtatem filiorum Dei, ſcientes, quòd plures parvi quàm magni hanc gratiam obtineant.

Actor. 10. 7, 8.

CONCIO CXVIII.

HActenus primum medium converſionis Cornelii, vid. apparitio Angeli, gratiam & favorem Dei Cornelio annunciantis, & ad Petrum remittentis, ut ab eo diſceret, quid porrò facto opus eſſet ad plenam divinæ gratiæ fruitionem conſequendam: Sequitur medium alterum, videl. opera & miniſterium Petri. Quoniam enim Deus non Angelos, ſed homines eligit inſtrumenta regenerationis & ſanctificationis, quibus verbi & Sacramentorum adminiſtrationem commiſit, ideò Angelus ad Apoſtolum quidem voluit Cornelium remittere, ſed in ſeipſum Euangelii & Sacramentorum diſpenſationem noluit recipere, ſicut idem factum in converſione Eunuchi, Actor. 8. v. 26. quo exemplo non immeritò monentur magiſtratus Politici, ne ſpiritualem adminiſtrationem regni Chriſti ad ſe rapiant, ſed eam relinquant iis, qui à Deo ad hoc vocati ſunt Si Angelus veritus eſt in ſe recipere iſtud officii, quidni vereantur magiſtratus, quantumvis Chriſtiani, qui norunt quàm ſeverè propter hoc ipſum à Deo puniti ſunt reges Judæ, 2 Chron. 26. 16. 1 Sam. 13. 9. Habent Chriſtiani magiſtratus ſuas partes, ſuamque curam circa Eccleſiam Dei in terris divinitus ſibi injunctam. Chriſtus enim ſuam ſponſam ipſis recommendavit, ut ei hoſpitium præbeant in terris ſuis, eique ſubminiſtrent omnia corporalia media ad cultum Dei requiſita, nec non defenſionem contra hoſtes, ſicut non Iſraëlitici tantùm, ſed & Perſici Reges fecerunt, Eſræ 6. à v. 3. ad 11. item Neh 2. 7, 8. Habent etiam Chriſtiani magiſtratus ſuam curam & auctoritatem circa Miniſtros Euangelii, non tantùm quatenus ſunt cives & incolæ ut alii ſubditi, ſed etiam quatenus ſunt miniſtri Euangelii. Debent enim curare, ut, ubi non ſunt, vocentur legitimè, &, ubi ſunt, officium faciant ſedulò ſecundum præſcriptum verbi, & ſuâ authoritate ipſis adſiſtere, ut facere poſſint. Sed tamen officium ipſum & ejus partes ad ſe rapere non poſſunt ſine ſacrilegio, quod vel ex hoc Angeli exemplo diſcere poſſunt. Neque etiam eo uſque debent extendere ſuam poteſtatem ſuper adminiſtrationem verbi & Sacramentorum, ut ſtatim pro crimine habeant & inſtar criminis tractent, ſi quando concionatorum zelus ac judicium diſcrepet à voluntate auditorum. Poteſt tractari ut caſus conſcientiæ, non opus eſt tractetur ut crimen contra juſtitiam. Quæritur autem hìc, cur Petrum potius ad hoc opus adhibere voluerit Deus, quàm alium Apoſtolum? Pontificii admodum gloriantur hoc loco, videnturque ſibi firmiſſimum inveniſſe argumentum, quo demonſtrent Oecumenicam poteſtatem Petri, & per conſequens Romani Pontificis. Sicut Petrus, inquiunt, primus Euangelium prædicavit circumciſis, Act. 2. & 3. ita primus debuit prædicare incircumciſis, ut tanquam Paſtor totius Eccleſiæ tum Judæos, tum gentes congregaret in unum ovile, ut utrique eum quaſi communem Patrem agnoſcerent, colerent, obedirent & ſequerentur, in eoque utrique, licet inter ſe diverſi, immò adverſi unirentur. Sic impiè Petro adſcribunt quod ſoli Chriſto competit. Elumbe argumentum Sophiſticâ eloquentiâ ſplendidum reddunt. Nemo negat Petrum fuiſſe Epiſcopum œcumenicum. Fuit enim Apoſtolus. Hoc autem quæritur, an magis Petrus quàm cæteri Apoſtoli fuerint Epiſcopi totius Eccleſiæ. Id ex hoc argumento non patet.

Quæ enim conſequentia: Petrus primus annunciavit Euangelium tum Iudæis tum gentibus. E. ſolus eſt totius Eccleſiæ Paſtor? Maria prior Petro annunciavit reſurrectionem Chriſti, Ioh. 20. Quid inde privilegii aut prærogativæ? Si Petrus prior annunciavit uni familiæ intra Iudæum, & primus intellexit voluntatem Dei de Euangelio gentibus etiam annunciando, hæc non major eſt prærogativa, quàm quod Paulus & Barnabas ſunt omnium primi, qui à Spiritu S. ſeparati fuerunt ad hoc, ut mitterentur in territoria gentium, & Euangelio ſuo omnia uſq; ad Illyricum implerent, Act. 13. Rom. 15. in tantum, ut Paulo peculiariter commiſſum ſit Euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, Gal. 2. Etſi vel maximè aliqua prærogativa Petri præ cæteris Apoſtolis inde concludi poſſet, foret prærogativa ordinis, non dominii. Quia enim primus vocatus, fieri poteſt, ut tanquam Apoſtolorum ſeniori primæ partes in loquendo aliquando ipſi conceſſæ ſint, quamvis ne hoc quidem perpetuum ſit, cum & Iacobus in Synodo, quamvis Petro præſente, præſes fuerit, &

verba fecerit, Act. 15. Johannes habuit majorem prærogativam quàm Petrus, ſcilicet quod Chriſto fuit chariſſimus, Joh. 13. v. 23. Si prærogativa largitur dominium, cur non hæc potius quàm illa? Et ſi vel maximè Petri aliqua fuerit ſuper cæteros Apoſtolos prærogativa, quid hoc ad Papam, qui non magis eſt ſucceſſor Petri, quàm Iudas Chriſti? Quâ enim in re ſucceſſit? Certè non ſucceſſit

1. In doctrina, quia apoſtaſiam à Petri doctrina fecit.

2. In officio, quia non eſt Apoſtolus nec Paſtor, ſed Princeps & dominator & tyrannus.

3. In vita, quia omnes Papæ ſunt impii: quis unquam de pio Pontifice audivit?

Ecce quam ficulneis fulcris innitatur auctoritas Papæ, ſuper quam tamen tot homines ſuam fidem & totam ſuam ſalutem ſuperſtruunt!

Object. Auctoritas ſedis Romanæ eſt antiqua. *Reſp.* 1. Auctoritas Scripturæ antiquior. 2. Legitima auctoritas ſedis Romanæ non eſt antiquior quàm aliarum Eccleſiarum, quas plantarunt Apoſtoli. 3. Illegitima auctoritas, quam uſurpat ſupra alias Eccleſias, non eſt antiqua, ſed recens.

De opera autem Petri quam ad converſionem Cornelii contulit, duo ſunt in textu:

1. Quomodo ad hoc opus vocatus ſit.

2. Quomodo hoc opus exſequutus ſit.

Vocatio ejus duplex eſt, Externa & Interna. Externè fuit vocatus ad hoc opus à Cornelio, qui ſecundum mandatum Angeli ad ſe vocavit duos ex ſervis ſuis domeſticis cum uno milite religioſo, ex illis qui ipſum attendebant, expoſuit ipſis omnia, quæ ab Angelo audiverat, & miſit eos Ioppen, qui etiam eò profecti nuncium ſuum fideliter exequuti ſunt. Internè vocatus eſt à Deo ipſo & Spiritu S. qui primò per viſionem quandam ecſtaticam eum in genere de vocatione gentium erudiit, & tum ſpecialiter juſſit, ut ſeſe cum iis, qui miſſi erant, ad Cornelium ſine ſcrupulo conferret. Sic ſe habet omnium miniſtrorum vocatio, ſi eſt legitima. Vocantur internè, vocantur externè. Interna vocatio præcedit, ſicut & hic. Quæ illa interna vocatio miniſtrorum, quâ homines redduntur apti & cupidi SS. miniſterii? Qui ſe ſentit à Deo aptum & cupidum factum hujus operis, is ex hac aptitudine & cupiditate debet concludere internam vocationem Dei. Qui aptus eſt & non cupidus, qui cupidus & non aptus, non eſt à Deo vocatus, multò minus qui nec aptus nec cupidus eſt. Sed qui utrumque in ſe ſentit, ſentit vocantem Spiritum. Deus enim eſt qui miniſtros facit aptos ac idoneos, 2. Cor. 3. 6. & qui miniſter eſſe vult, debet eſſe idoneus, 2. Tim. 2. 2. Deus etiam eſt, qui miniſtros facit cupidos hujus operæ, Mat. 9. v. 38. extrudit in meſſem: & qui futurus eſt operarius in meſſe Domini, debet eſſe cupidus hujus operis, 1. Tim. 1. 3. Qui ſe igitur idoneum & cupidum ſentit, internè à Deo eſt vocatus. Nec tamen ideò ſtatim opus miniſterii ſuſcipere debet, ſi internè eſt vocatus, ſed expectare debet vocationem externam ab Eccleſia, ſicut Petrus à Cornelio vocabatur. Etſi enim miniſter Chriſti auctoritatem & poteſtatem ſuam non accipit ab hominibus, ſed à vocatione internâ Dei; illi tamen, qui internè vocati ſunt, non debent officio fungi, donec ab Eccleſia diſcernantur, ſeparentur, & ad hoc opus admittantur. Sicut in V. Teſt. tribus Levi non ab hominibus deſtinabatur ad miniſterium, ſed à Deo ad hoc erat electa, & tamen nemo Levitarum audebat miniſterio fungi, antequam eſſet unctus & ſanctificatus ab Eccleſia, Exod. 28. 41. Num. 3. 3. ita in N. Teſt. miniſtri vocantur à Deo, & tamen non audent miniſterio fungi, antequam ab Eccleſia vocentur. Hinc ſicut Eccleſia habet mandatum circumſpiciendi viros idoneos & divinitus vocatos ad opus Diaconiæ, Actor. 6. ita ſimile habet mandatum de miniſtris Euangelii eligendis, & ad opus illud ſanctum vocandis, quæ externa vocatio vulgò diſtinguitur in examen vitæ & doctrinæ, in electionem & confirmationem, quæ fieri quidem debent à tota Eccleſia, ita tamen, ut omnia fiant ordine, ita ut aliæ ſint partes antiſtitum Eccleſiaſticorum, aliæ Chriſtiani magiſtratus, aliæ populi Chriſtiani, ut hæc omnia patent ex Act. 1. & 6. & 14. Itaque hinc diſcant

1. Pontificii, quod miniſtri Euangelici habeant vocationem legitimam. Quid enim deeſt? An 1. deeſt aptitudo verbum Dei ſecundum Scripturam rectè ſcindendi, totam legem, totum Euangelium purè & efficaciter docendi? Gloriari non decet. Novimus noſtras imperfectiones. Sed annon agnoſcitis Spiritum Domini? 2. An deeſt voluntas, diligentia ac promptitudo? Annon ſtudemus ſuſcitare donum Dei quod in nobis eſt? 3. An deeſt diligentia veræ & Orthodoxæ Eccleſiæ in noſtra examinatione, confirmatione? &c. *Object.* At non ſunt vocati à ſede Romana. *Reſp.* Quia illa vel non habet, vel certè non ſola habet poteſtatem vocandi. Quis poteſtatem externæ vocationis alligavit

ligavi:

ligavit ſedi Romanæ, ubi hoc ſcriptum?

2. Miniſtri ſe ipſos probare, Deumque rogare, ut vocationem ipſorum magis magiſque evidentem reddat in conſcientiis auditorum, ut non indigeant literis commendatitiis, 2. Cor. 3. 1, 2, 3. 2. Corinth. 4. 2.

3. Auditores æſtimare eos, qui ſunt tales, 1. Theſſ. 5. 12, 13.

Quomodo autem Cornelius vocavit Petrum? Non quærendæ hic ſunt ſolennitates illæ, quæ in vocatione ordinaria miniſtrorum fieri debent. Petrus enim jam tum erat vocatus miniſter, qui tantùm accerſendus erat ad hoc particulare opus. Multa tamen diſci poſſunt ex verbis, quibus modus hujus vocationis deſcribitur. Vocavit duos domeſticos & militem pium, &c.

1. Vocavit duos domeſticos. Bono hero non facilè deſunt boni domeſtici, qui fideliter obediant & exſequantur mandata, ſi ipſe bono exemplo præeat, eoſque in precibus & pietate exerceat. Audivimus ſupra, quod Cornelius cum tota ſua familia Deum timuerit, id eſt, exercitia domeſtica pietatis inſtituerit. Vides quid inde utilitatis habuerit, ſcil. fideles & obedientes ſervos. Non eſt hodieque crebrior querela quàm de perverſitate ſervorum, eaque juſtiſſima. Sed unde venit ſervos adeò eſſe perverſos? Certè non raròinde venit, quod ipſi Domini ſunt perverſi, nec familiam probè inſtruunt, nec precari docent, nec ad templa mittunt, nec bono exemplo diligentiæ & patientiæ ac longanimitatis præeunt, ſed nimia moroſitate ac duricie exacerbant. Suas infirmitates tolerari volunt à ſervis, & ſervorum infirmitates ferre planè nolunt, parùm memores iſtius Salomonici, Eccleſ. 7. 21, 22. Non dico hæc in patrocinium ignaviæ, moroſitatis & infidelitatis ſervorum, quibus mandatum eſt non tantùm bonis, ſed etiam duris heris obedire, 1. Petr. 2. 18. Sed ut oſtendam, fruſtra eos heros exſpectare longanimitatem, diligentiam, obedientiamque & fidelitatem à ſervis, qui ſervos ſuos in pietate & virtute doctrinâ & exemplo ſuo non inſtituunt. Sicut impius Nero queſtus eſt de ſervis ſuis, quod totâ vitâ fidelem neminem reperiri potuerit; ita hæc querela manet omnes heros impios.

2. His addit militem pium ex iis, qui ipſi attendebant: (**van ſijn guarde / lijfſchutters**:) Pius miles multis videtur contradictio in adjecto, d. q. ferreum lignum. *Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.* Mennonitæ putant pium non poſſe eſſe militem, & milites putant, bonum militem non poſſe eſſe pium. Sed non eſt contradictio, habetis enim hic clariſſimum exemplum pii militis, ut etiam in ipſo Cornelio, quod nuper annotavimus. Modò capitanei ſint pii & curent ſuam quiſque cohortem convenientibus mediis ad pietatem invitari, non deerunt etiam in hoc hominum genere, qui Deum timeant. Qui ſunt conſtituti in eminentia & auctoritate ſuper alios, non ſatisfaciunt officio, ſi ipſi pii ſunt, ſed etiam curare tenentur, ut ad pietatem perducantnr illi, qui ſunt ſub eorum auctoritate. Qui in hoc ſunt negligentes, non ſuæ tantum, ſed & alienæ impietatis rationem reddere tenebuntur.

3. Hos tres mittit ad Petrum, ſicut Angelus mandaverat. Habemus hic exemplum obedientiæ in Cornelio, & quidem eminentis & ſingularis obedientiæ. Eſt enim obedientia

a. Difficilis. Hactenus fuerat pius, ſed domi tantum Deo ſerviverat, neque Iudæis neque Chriſtianis ſe adjunxerat. Iam accepit mandatum ab Angelo, ut ad ſe vocet Apoſtolum Eccleſiæ Chriſtianæ, & dictamini ejus ſe ſubjiciat. Difficile hoc erat, & cum jactura honoris ac periculo perſequutionis conjunctum. Habuerat hactenus bonum teſtimonium apud Iudæos, verſ. 22. id nunc admittendum. Romanus Imperator interdixerat, ne quis fieret Chriſtianus, & præſidiariis ſuis in Iudæa injunxerat, ut novitatem omnem in rebus religionis ſupprimerent. Difficile igitur obedire Angelo, & tamen facit. Didicerat enim obedire Deo in omnibus difficilibus. Diſcant hoc qui Deo ſerviunt in ſecreto, quantum poſſunt ſine dedecore & periculo hominum, ſed coram hominibus Chriſtum confiteri reformidant. Vide Mat. 10. 32, 33.

b. Fervida. Erat pius & ſe ſciebat eſſe pium. Acceperat etiam ab Angelo hoc nuncium quod eſſet gratus ac acceptus Deo. Poterat igitur acquieſcere, nec curare incrementum pietatis: Sed non acquieſcit in initiis pietatis, ſed intelligens ex Angelo ſibi adhuc aliquid deeſſe à Petro diſcendum, adeò cupidus eſt incrementi, ut non quieſcat, donec didiciſſet quod deerat. Pii de ſalute & pietate ſua certiores facti, non fiunt negligentes in pietate, ſed eſuriunt ac ſitiunt incrementum pietatis. Etſi ſinceritatem ſuam ſciunt, tamen in ſinceritate non acquieſcunt, ſed etiam ad perfectionem tendunt, & cupiunt creſcere in gratia, 2 Petr. 3. 16. Phil. 3. v. 14. Certitudo ſinceri initii ſiſtit & impedit deſperationem, quam minatur imperfectio, ſed non

 exſtin-

exſtinguit deſiderium & ſitim perfectionis, ſed animat potius ad perfectionem quærendam, Phil. 1.6. Qui itaque in initiis converſionis acquieſcunt, nec fervidè ad perfectionem contendunt, non imitantur Cornelium, ſed initia ſua ſuſpecta reddunt hypocriſews. Sicut diſcipuli in Schola non acquieſcunt, ſi uni Claſſi ſatis faciant, ſed ſemper contendunt ad altiora. Sic &c. *Plus ultra* eſt bonorum Chriſtianorum Symbolum.

4. Inſtructio, quam Cornelius dat hiſce legatis, eſt hæc, ut Petro ſimpliciter narrent, quæ Cornelius ab Angelo erat χρηματισθεὶς, ſicut & fecerunt, v. 22. Talis etiam debet eſſe vocatio miniſtrorum ordinariorum. debent vocari ad miniſterium ab Eccleſia, ſed modus fungendi miniſterio non debet relinqui ipſorum arbitrio, ſed ſtrictè alligari τῷ χρηματισμῷ divinæ Scripturæ. Hoc enim diſcriminis eſt inter Scripturam & conciones miniſtrorum, quod illa eſt χρηματισμὸς ſeu oraculum divinum, Rom. 11.4. Hæ autem ſunt iſtius χρηματισμοῦ quædam promulgatio & annunciatio ac declaratio.

Actor. 10. *v.* 9. *ad* 23.

CONCIO CXIX.

VIdimus Petri vocationem externam: Sequitur interna, facta à Deo ipſo per viſionem ecſtaticam. Dum enim ii, qui à Cornelio miſſi erant ad Petrum vocandum, in itinere ſunt, antequam commiſſionem ſuam exſequuntur, Deus Petrum ad obedientiam vocationis externæ præparat per vocationem internam in viſione. Hæc vocatio interna duplex eſt:

1. Generalis, quâ in genere myſterium de vocandis gentibus ipſi notificatur, & docendorum Ethnicorum clarius mandatum datur, quamvis jam tum à Chriſto die adſcenſionis accepiſſet, Mat. 28. 19.

2. Specialis, quâ vocationi Cornelii obedire & ſe ad eum conferre jubetur.

His verſibus continetur vocatio interna generalis, de qua tria ſunt notanda:

1. Quando hæc vocatio ipſi obtigerit. Horâ ſextâ diei, cum eſurienti parabatur prandium & ipſe interea precandi causâ in tectum adſcenderet.

2. Qualis viſionis ſpecies fuerit, per quam vocatus eſt: Fuit ecſtaſis in ipſum incidens.

3. Quidnam in hac viſione ipſi fuerit repræſentatum: Vas in cœlo aperto deſcendens, inſtar magni lintei, quatuor angulis ſuis ligati, & in terram demiſſi, in quo erant omnes quadrupedes terræ, feræ, reptilia, volatilia cœli. Acceſſit vox dicens: *Surge, Petre, macta, comede.* Cumque Petrus recuſaret, prætendens, ſe nunquam quicquam polluti comediſſe, denuò facta eſt vox, dicens: *Quæ Deus purgavit, tu ne pollue.* Cumque hoc ter eſſet factum, vas illud in cœlum receptum eſt. Hanc generalem revelationem ſequuta ſpecialis vocatio Petri ad Cornelium. Cum enim interea accederent legati Cornelii ad negotium ſuum expediendum, ſpecialiter admonetur Petrus, ut citra ſcrupulum cum ipſis abiret, cùm negotium ſit ex Deo.

In Explicatione ſequamur veſtigia textus:

1. Supervenit ipſi viſio horâ ſextâ diei, quæ eſt meridies, tempus prandii, hora duodecima noſtra, cum in tectum adſcenderet precaturus. Domus Iudæorum erant planæ, cum pergula circumquaque, ut aptæ eſſent ad aliquid ibi agendum, quod ab oculis hominum cupimus remotum, quales præcipuè ſunt preces, quas in locis ſubinde ſecretioribus fieri debere, ut filiali illi libertati & totali effuſioni cordis, cui filii Dei operam dant in precibus, locus eſſe poſſit, nuper demonſtravimus. Præſertim etiam in locis editioribus precari ſolebant Iudæi, ut declararent, ſe in precibus cor cupere à terra ac terrenis abſtractum, & cœlum verſus elevatum. Habebant etiam Iudæi certas horas precibus deſtinatas, quæ & publicè & privatim obſervabantur, quæ omnia Chriſtianos rectè imitari, ſine tamen opinione neceſſitatis ac meriti, nuper docuimus. In precibus igitur occupato ſupervenit hæc viſio. Deus ad converſos & regenitos non venit niſi vocatus & quæſitus. Antequam electi ſunt regeniti, Deus ipſis plerumque apparet, cum ipſi minimè de Deo cogitant, ipſum minimè quærunt vel vocant, ut oſtendat gratiam converſionis non dari ex merito, neque ſecundum alicujus currere aut velle, ſed liberè, ſecundum Dei beneplacitum & propoſitum. Sed poſtquam electi converſi ſunt, Deus non apparet niſi vocatus. His dictum eſt: Invoca me & liberabo te, Pſal. 50. Qui petit accipiet, qui pulſitat, ei aperietur, Luc. 11. 9, 10. Hoc ipſo enim fine dedit Deus gratiam converſionis, ut à nobis invocetur. Quicunque igitur non habet, ſibi, non Deo imputet.

2. Et quidem tum ſupervenit, cum valde eſuriret

riret & prandium, quod parabatur, exſpectaret. Deus ipſu fine dubio hanc famem extraordinariam ipſi immiſit, ut mediante fame corporali ſpirituale aliquod officium ipſi inculcaret, quod poſtea commodiùs explicabitur, ubi jubetur mactare & comedere.

3. Viſio quæ ſuper eum venit, fuit ecſtaſis, ſeu raptus extra ſe ipſum. Πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς Deus Patribus apparuit & viſus eſt, Hebr. 1. 1. Sed tres præcipuè ſunt viſionum ſpecies:

a. Viſio corporalis, cum per corpoream aliquam ſpeciem apparuit. Sic Abrahamo apparuit ſpecie hominis, Geneſ 18. Sic Saulo per lucem & vocem, Actor. 9. Sic Chriſto in ſpecie columbæ, Matt. 3. Iſraëlitis ſpecie nubis & columnæ igneæ.

b. Viſio ſomnii, cum ſe dormientibus manifeſtavit, & per ſpeciem ſomnii aliquid ingeſſit, ut Ioſepho, Matth. 1. & aliis.

c. Viſio ecſtatica, cum ſine corporali & ſubſtantiali apparitione internos & externos vigilantium ſenſus à ſe invicem ſeparat, ut internis mentali ſpecie aliquid repræſentet. Habet homo ſenſus externos. Cum dormit, clauſi ſunt ſenſus externi, & ſomnia quæ dormiens experitur, ſunt ſolorum internorum ſenſuum motus. Id autem quod naturaliter contingit dormientibus, virtute Dei poteſt contingere vigilantibus. Sicut enim qui horologia fecit, idem ſuperiores & inferiores automati rotas ita poteſt à ſe invicem ſolvere, ut inferioribus quieſcentibus ſuperiores ſoli moveantur; ita, quamvis naturaliter in vigilantibus externi ſenſus cum internis ita ſint uniti, ut interni nihil ſentiant niſi tales ſpecies, quales ab externis recipiunt, tamen qui naturam fecit, ita poteſt externos ſenſus tenere, ut eſt Luc. 24. 16. ut etiam vigilantes ſua quaſi ſomnia poſſint habere, id eſt, ſentire aliquid poſſint ſine externorum ſenſuum miniſterio. Tales viſiones ſunt ejuſmodi raptus, ut homines neſciant an ſint in corpore an extra corpus, 1 Cor. 12. Tales fuerunt pleræque viſiones Prophetarum, talis Apocalyptica viſio Iohannis, talis raptus Pauli in tertium cœlum, talis etiam hæc viſio Petri.

4. Res autem quæ per hanc viſionem repræſentata fuit ſenſibus Petri, fuit vas inſtar magni lintei, habens quatuor angulos, quibus funibus ligatum ex cœlo demittebatur in terram, in quo erant omnes quadrupedes terræ, i.e. omnis generis quadrupedes, & feræ & reptilia & volatilia cœli. Quid per hoc vas intelligendum ſit, diſcrepantes quidem ſunt interpretum ſententiæ, ſed tamen in ſcopo convenientes. Alii intelligunt cæremonias, alii Euangelium, alii Eccleſiam. Omnium commodiſſime intelligitur totus mundus cum quatuor ſuis plagis. Nihil enim uſitatius, quam mundo adſcribere quatuor angulos, ſeu quatuor plagas, ſcilicet Orientem, Occidentem, Auſtrum & Aquilonem: per quadrupedes, feras, reptilia & volatilia intelliguntur homines terræ incolæ, per quatuor mundi plagas diſperſæ, omnium populorum & nationum. Hoc vas quatuor funibus quatuor ſuis angulis cœli erat affixum, quibus in terram demittebatur, quo indigitatur, radios gratiæ divinæ ſe effundere & extendere in univerſum mundum, & omnes quatuor angulos ipſius, ut inde ſibi colligat Eccleſiam, quam ad ſe in cœlum recipiat.

5. Huic viſioni adjungitur vox, ſcilicet imaginaria, quæ Petro dicit: macta & comede, ſcilicet has quadrupes, feras, &c. Si per has quadrupedes, feras, &c. intelliguntur homines incolæ totius terræ, quomodo Petrus eos jubetur mactare & comedere? *Reſp.* id eſt, cicurare, domare, ſanctificare, eoſque Domino parare in ſacrificium gratum, atque ita ſatisfacere appetitui ſuo quo flagrabat ad promovendum regnum Chriſti, quemque in recentibus ſuis precibus Deo expoſuerat. Summa precum Petri fuerat ardens deſiderium, quo teſtatus erat, ſe quaſi eſurire & ſitire propagationem regni Chriſti, petieratque, ut Deus ſeſe potentem redderet per operationem Spiritus S. ut multas animas Chriſto poſſet lucrifacere & adducere. His precibus finitis, Deus exauditionem earum teſtaturus, magnam extraordinariam famem corporalem ipſi immittit, & eſurienti per viſionem totum vas plenum omnis generis animalium oggerit, jubens uti mactet & edat, q. d. Tu te in his precibus tam cupidum, tam eſurientem & ſitientem oſtendiſti lucrandi mihi multas animas & totum populum Iudaicum. Audivi tuas preces En aperio tibi non ſolùm totam Iudæam, ut antea, ſed totum mundum, & largior tibi & collegis tuis univerſas nationes. Abite, ſubigite eos ſub meam obedientiam, parate eos mihi in ſacrificium per gladium Euangelii veſtri, atque ita ſatisfacite ardenti veſtræ fami & appetitui, quo flagratis ad regnum meum promovendum.

6. Petrus hac voce audita aliter eam accipit atque intendebatur. Putans enim ſibi injungi, ut comedat animalia impura, quorum eſu Deus interdixerat

dixerat in V. T. Levit. 11. Deuter. 14. Exod. 22. recuſat quaſi cum deteſtatione: nequaquam Domine, quia nunquam quicquam impurum comedi. Duplex hic Petri infirmitas: 1. error & præcipitantia judicii, qualis eſt Capernaitarum, Ioh. 6. Putat enim corporalem mactationem beſtiarum impurarum ſibi injungi. 2. inobedientia: adeò hæret in externis legis cæremoniis, ut ipſius Dei mandato obedientiam negare non reformidet. Non eſt ſcopus viſionis docere diſcrimen ciborum eſſe ſublatum, ſed diſcrimen inter Gentes & Iudæos, quod per diſcrimen ciborum adumbratur, ſublatum eſſe.

7. Ad hanc tergiverſationem Petro reſpondetur: Quod Deus purgavit, tu ne pollue, id eſt, ne habe pro polluto, q. d. Deus, qui cæremonias legis inſtituit, & diſcrimen ciborum ordinavit, & per illud Iudæorum adoptionem & Ethnicorum rejectionem adumbravit, poteſt eaſdem cæremonias mutare, & diſcrimen tum ciborum tum hominum tollere, & æquè gentes ac Iudæos ſibi in populum adoptare, & cum ſe ita feciſſe declarat, tu non debes amplius diſtinguere quæ Deus non diſtinxit. Hæc vox ter repetitur, ut Petrus tantò meliùs intelligeret ſeriam voluntatem Domini de tollendo inter Iudæos & Gentes diſcrimine. Et tum illud vas in cœlum receptum eſt. Erat ex aperto cœlo in terram demiſſum, & jam iterum in cœlum recipitur. Hoc non videtur quadrare in mundum, qui nec ex cœlo demittitur, nec in cœlum recipitur. Sed in parabolis & figuris ſcopus eſt attendendus, nec in omnibus ſimilitudo curioſè captanda. Mundus demittitur ex cœlo, id eſt, Deus gratiam ſuam ex cœlo demittit in mundum, & ex eo Eccleſiam colligit, quam in cœlum recipit.

8. Denique cum Petrus ne ſic quidem ſcopum & intentionem hujus viſionis perciperet, ſed anxiè de ſenſu ejus dubitaret, adveniunt qui à Deo miſſi erant, & quod ſibi commiſſum erat, expediunt, ſicut nuper explicuimus. Tum Spiritus S. ſpecialiùs Petrum alloquitur, & jubet ut ſine ſcrupulo cum his viris abiret, quippe à ſe miſſis. Etſi enim Petro viſio illa apparuerat, tamen quia de ſenſu ejus adhuc dubitabat, non introiiſſet ad hominem Ethnicum, niſi ſpeciale hoc mandatum generali viſioni acceſſiſſet.

Videtis igitur ſcopum hujus viſionis eſſe non tantùm Petrum vocare ad converſionem Cornelii, ſed & in genere ipſum erudire; ſublatum eſſe omne illud diſcrimen, quod hactenus inter Iudæos & Gentes per legis cæremonias poſitum videbatur, nec quicquam obſtare, quo minus Gentes quoque in Euangelii & ſalutis per Chriſtum partæ communionem admittantur. Ex textu ita breviter explicato, variæ ſurgunt & utiliſſimæ doctrinæ, videlicet

I. Eccleſia N. Teſt. colligitur ex toto mundo, & ex omnibus quatuor mundi angulis. Eccleſia Vet. Teſt. colligebatur ex uno populo, ſcil. Judaico, (niſi quod pauci proſelyti ex Ethnicis accedebant) ſed Eccleſia N. Teſt. colligitur ex omni populo, qui ſub cœlo eſt. Id docet hoc linteum quatuor angulorum, omni genere animalium repletum. Non adducam nunc vaticinia Prophetarum, quæ ita futurum prædixerunt, quia nimis multa ſunt. Ex N. Teſt. res evidentiſſima eſt. Vide commiſſionem quam à Chriſto acceperunt diſcipuli, Marc. 16. 15. & annunciationem Angeli, Luc. 2. 10. & vaticinium Chriſti, Matth. 8. Multi venient ex Oriente & Occidente, & accumbent cum Abrahamo. Sic Col. 1. v. 16. Apoc. 5. 9. Sed veritas hujus dogmatis per experientiam ipſam clarior eſt, quam ut teſtimoniis probari indigeat. Hæc eſt univerſalis illa gratia quam prædicant Apoſtoli in N. Teſt. cum docent, Deum velle ut omnes homines ſalventur & ad agnitionem veritatis perveniant, gratiam Dei ſalutarem illuxiſſe omnibus hominibus, Chriſtum eſſe propitiationem totius mundi. Sicut enim hoc loco dicitur, quod in vaſe illo Petro oſtenſo fuerint omnia animalia, & ita exponendum eſt, quod fuerint omnis generis animalia: ita gratia Dei illuxit omnibus hominibus, id eſt, omnis generis hominibus, ita ut Deus ex omni natione & populo, nec non ex omnium conditionum & ſtatuum hominibus ſibi colligat Eccleſiam. Diſtinguendum eſt inter univerſale præceptum, & inter univerſalem gratiam. Univerſale præceptum eſt ut omnes, id eſt, ſinguli homines qui externè vocantur, laborent ad ſalutem venire: Univerſalis gratia eſt, quòd ex omni hominum genere Eccleſia Deo colligitur. *Object.* At hoc videtur pugnare cum eo, quod Chriſtus dicit, ſe non miſſum niſi ad oves perditas domûs Iſraël, ideoque Apoſtolos vetat ire in plateas gentium, Matth. 10. 5. 6 *Reſp.* Id intelligendum de tempore ante exaltationem Chriſti, cum nondum veniſſet plenitudo temporis, quâ plenitudo gentium inciperet intrare. Sed cum Chriſtus jam exaltandus eſſet, commiſſionem prædicandi gentibus dedit Apoſtolis, & poſt exaltationem renovavit hoc loco. Hoc dogma ſervit nobis Gentibus

bus animandis, ut quantumvis privilegiis Iſraëlitarum deſtituti, non tamen ceſſemus quærere regnum Dei. Aperta enim eſt porta templi, quæ in V. Teſt. clauſa erat Gentibus. Vide Epheſ. 2. 11. uſque ad finem. Antea cum Ethnicus aliquid gratiæ ſalutaris petebat, rejiciebatur ut canis, & vix ſinebatur micas ſub menſa colligere, Matth. 15. Sed nunc ita fons gratiæ apertus eſt erga nos Ethnicos, ut naturales rami exciſi, & nos eorum loco inſerti ſimus, Rom. 11. Immò longè clariùs & abundantius inter nos adminiſtratur regnum cœlorum, quàm inter Iudæos fiebat. Annon hoc animare nos debet, ut vim faciamus ad occupandum regnum cœlorum? Et ſi Iudæi propter contemptum exciſi ſunt, quid nobis non eſt metuendum? Rom. 11. Valeant apud nos argumenta, quæ ex hoc medio termino nectunt Apoſtoli, Epheſ. 4. 17, 18, 19. 1.Petr. 4. 3. Nec etiam immergamus nos immodicis curis hujus vitæ, quæ cor reddunt terrenum & ſtudium pietatis ac deſiderium cœli exſtinguunt. Hoc enim faciunt Ethnici, Matth. 6. 32. Ne tempore crucis indulgeamus immodicæ triſtitiæ. Hoc enim faciunt Ethnici, qui ſpem non habent, 1.Theſſ. 4. 13.

II. Homines ante regenerationem ſunt beſtiis ſimiles. Hic enim repræſentantur Petro ſub forma quadrupedum, ferarum, reptilium, volatilium. Quâ in re ſunt ſimiles beſtiis? Non in forma corporis, nec in irrationalitate animæ, ſed in bruta ignorantia ac incapacitate rerum ſpiritualium, nec non in impuris & beſtialibus libidinibus cordis. Vide Eſa. 11. verſum 6, 7, 8. ubi comparantur cum lupis, leopardis, leonibus, urſis, aſpidibus, baſiliſcis. Hinc vocantur ἄνθρωποι ψυχικοὶ, 1. Cor. 2. v. 14. Vocantur ἄλογα ζῶα, Iudæ. 10. ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, ibid. v. 19. Sunt ſicut equi & muli qui frænis trahendi ſunt, Pſal. 32. Sunt ſicut Nebucadnezar, à quo cor humanum erat ablatum, & cor pecuinum receperat, Dan 4. v. 16. Verum quidem eſt, quod omnes homines Nebucadnezari non ſunt ſimiliter pecuini in rebus naturalibus, ſed tamen quantum ad ſpiritualia pilo meliores non ſunt, quippe ἀνόητοι, rebelles, repleti variis libidinibus beſtialibus, &c. Rom. 1. v. 21. Tit. 3. v. 1. Hinc ad converſionem noſtram requiritur novum cor, reſipiſcentia, Marc. 1. Scientes hunc noſtrum ſtatum, deponamus ſuperbiam. Quàm abſurda nobis videtur beſtiarum ſuperbia? At nos quoque beſtiis ſimiles. Et noſtra beſtialitas non eſt impunis, quia eſt in anima rationali. Deſideremus noſtram mutationem & converſionem, eamque quæramus per media.

III. Miniſtrorum officium eſt, has beſtias mactare. Macta & comede. Sacerdotes V Teſtamenti erant veri mactatores, & officium ipſorum præcipuè conſiſtebat in mactatione beſtiarum. Præcipuè quidem mactabant ſacrificia hilaſtica ad figurandum ſacrificium Chriſti. Sed tamen etiam mactabant ſacrificia euchariſtica, per quæ figurabatur ſpiritualis mactatio hominum, per quam mactantur & occiduntur beſtiales illæ hominum libidines, per quas beſtiis ſunt ſimiles. Tales mactatores etiam ſunt Miniſtri Euangelii in Nov. Teſtament. Roman. 15. v. 16. Phil 2 v. 17. In eo enim conſiſtit ſpiritualis illa mactatio, ut beſtialis illa ἄνοια & ἀλογία & libido occidatur, & homines reddantur cicures ac manſueti, & Deo ſerviant in λατρεία λογικῇ, Rom. 12. Fabula eſt apud Ethnicos de Circe, quæ homines in beſtias convertit, & de Orpheo, qui beſtias cicurat inſtar hominum. Diabolus Circe eſt. Spiritus Sanctus per Miniſtros ſuos Orpheus eſt. O quam hoc difficile & periculoſum opus, non minus quàm venatio luporum & aprorum. Sunt enim inſtar aprorum qui ſe convertunt, & lacerant eos qui ſanctum offerunt, Matth. 7. v. 6. præſertim hoc tempore Bacchanaliorum infernalium. Circe valde occupata eſt, ut homines convertat in beſtias. Iam videbis circumcurſitantes, & formam beſtiarum in facie & veſtibus gerentes, cui reverâ forma mentis ipſorum ſimillima eſt. Iam videbis viros hirſutos, fœminas ſeminudas, ſaltantes ſicut in lupercalibus Ethnicorum. Iam tempus eſt mactandi. Sed quum primùm manum & ſecurim malleumque legis admovemus, quàm gruniunt & rugiunt & minantur? Quid inquiunt, an nihil concionatores noſtri didicerunt, quàm concionari contra noſtros luſus & delectationes? An nunquam licet aliquid delectationis habere, quin miniſtri ex cathedra contra nos declamitent? O amici! an hoc delectationi ducitis beſtialem fieri, & beſtialibus voluptatibus indulgere? An neſcitis vos naturâ ſatis beſtiales eſſe, & opus habere, ut beſtiales illæ voluptates in vobis mactentur & occidantur? An igitur ſponte vos in beſtias convertitis? Si vultis eſſe beſtiæ, & non concedere, ut nos per gladium verbi mactemus beſtiales veſtras libidines, Diabolus erit veſter mactator, qui corpus & animam veſtram mactabit. An dicere poteſtis vos ex Ethnicis Chriſtianos factos, ſi data opera quotannis Ethnico-

rum βδελύγματα renovatis, quibus ad maledictionem maturuerunt? An vos hoc pro luſu habetis, quod Deus pro abominatione habet, & propter quod tot nationes inpræſentiarum vaſtat? Quærite ex Germanis, Anglis, aliis, quid eſt cur vos Deus ita ejecerit veſtrâ patriâ? Oportet vos præter alios magnos eſſe peccatores. Reſpondebunt quod non. Et meritò. Æquè habuimus Euangelium, frequentavimus templa, uſurpavimus ſacramenta, honeſtè viximus ac vos. Non plus inter nos homicidiorum, adulteriorum, ſcortationum, oppreſſionum, fraudum, irarum, &c. graſſabatur ac hic. Cur igitur præ aliis ita punimini? Reſpondebunt: quia cum ex Gentibus & Pontificiis eſſemus facti Chriſtiani, voluimus tamen retinere exercitia illa ex Ethnica & Pontificia ſuperſtitione & profanitate orta, quibus carnem noſtram roboravimus, Spiritûs incrementum impedivimus, Deum exacerbavimus, e. g. laſcivas ſaltationes, ſuperſtitioſa vel potius luxurioſa feſta, crebra convivia, profanas comœdias & alios luſus. Si hæc non fuiſſent, Deus nobis æquè pepercisset ac vobis parcit. Quid inquies, an hæc tanti, ut ideo tot plagæ, vos obruant? Certè tanti. Nam ubi hæc ſunt, exinanitur vis verbi, impediuntur preces, externus cultus inanis eſt, caro roboratur, & clamantia peccata generantur. Chriſtiani quibus Euangelium concreditum eſt, non ſubſiſtunt coram Deo, ſi nil mali faciant, ſed puniuntur cum non ferunt fructus Euangelio dignos. At hos fructus impediunt hæc impia exercitia. Sicut maritus in aliena femina ferre poteſt vel adulterium, ſed in ſua ne ſpeciem quidem impudicitiæ; ita Deus fert in Ethnicis quod non fert in Eccleſia. Eſt unanimis omnium piorum Theologorum regula, quod Deus nudas reliquias ſuperſtitionis & profanitatis Ethnicæ ac Pontificiæ citius & gravius punit in Eccleſia Reformata, quàm totam ejus maſſam in iis, qui non ſunt ejus populus.

Quod ſi igitur exterorum exemplis vultis induci, ut frequentetis ea exercitia, quibus illi ruinam ſuam ſibi attraxerunt, annunciamus vobis, quòd, quàm verum eſt noſtrum Euangelium, tam verè vos plagarum ipſorum fietis participes. Dantur luſus.

1. Honeſti, ſine communione cum laſcivia meretricia.

2. Chriſtiani, ſine communione cum Gentili & Pontificia ſuperſtitione & profanatione, quam tantopere Deus execratur.

3. Moderati, ſine impedimento cultûs & pietatis. Tales recreationes nobis ſufficiant.

Act. 10. à v. 9. ad 17.

CONCIO CXX.

EX hoc textu breviter explicato cœpimus nuper educere nobiliores doctrinas ad ædificationem noſtram utiles. Sed quia tempus deficiebat, nunc pergamus. Tres nuper eduximus, videl.

I. Quod Eccleſia N. Teſt. colligatur ex omnibus mundi angulis. Hoc enim repræſentat vas quatuor angulorum plenum omni genere animalium.

II. Homines in ſtatu naturæ poſitos, præſertim Ethnicos, eſſe ſimiles beſtiis, feris, reptilibus, volatilibus. Sub hac enim figura Petro hoc loco repræſentantur.

III. Miniſtrorum officium eſſe, hos homines, beſtiis ſimiles, mactare, id eſt, cicurare, domare, beſtiales eorum voluptates mortificare, eoſque Euangelio Chriſti ſubjicere, ut Deo ſerviant cultu rationali.

IV. Sequitur doctrina quarta, quod miniſtrorum officium ſit, non tantùm has ſpirituales beſtias mactare, ſed etiam comedere, θῦσον καὶ φάγε, macta & comede. Nemo non intelligit eſſe loquutionem impropriam, cum miniſtri jubentur homines comedere, æque ac cum jubentur eos mactare. Quis igitur ſenſus? *Reſp.* Non tam eſt mandatum quàm permiſſio, immò promiſſio, quâ Deus Petro conceſſit & promiſit copiam ac poteſtatem ſatisfaciendi ſuo appetitui ac fami ſpirituali, quâ appetebat converſionem hominum ad regnum Chriſti. Petrus magna fame corporali correptus exſpectabat prandium. Dum id paratur, adſcendit in tectum domûs & fundit ad Deum preces, quibus Deo expoſuit ſuum ſpiritualem appetitum, quo eſuriebat converſionem hominum, rogavitque ut Deus eum expleret. Deus ipſi per figuram revelat myſterium de vocatione gentium, & concedit atque jubet, ut abeat ad Gentes in tota terra, eaſque convertat atque ita appetitui ſuo ſatisfaciat. Videmus itaque quæ ſit indoles & proprietas fidelis Miniſtri Euangelii, ſcilicet quod auditorum ſuorum converſionem quærit quaſi cum fame & ſiti, quodque animas convertere ipſi eſt quaſi cibus & potus, quo ſe ipſum paſcit, tabeſcens & moriens, niſi habeat quos convertat ad Chriſtum. Sicut Rachel adeò eſuriebat filios, ut mori-

morituram ſe putaret niſi acciperet, Geneſ. 31. ita fidelis Miniſter Euangelii vivere non poteſt, niſi occupatus ſit in hominibus convertendis. Si quis Miniſter poteſt eſſe quietus, ſi modò habeat locum Miniſtri & fruatur ſuo ſtipendio, quantumvis vel nihil laboret vel laborando nihil efficiat, is non eſt verus & fidelis Paſtor ovium, ſed purus mercenarius, ut appellatur Johan. 10. Fideles Miniſtri, quantumvis honore & divite ſtipendio fruantur, non poſſunt eſſe contenti, ſed, ſi vel non habeant quod agant, vel agendo nihil proficiant contra graſſantia peccata ad converſionem animarum, torquent juſtas animas, ſicut qui fame ac ſiti torquentur, 2. Pet. 2. 8. Sed cum obeunt ſuum munus, & ſucceſſum felicem obſervant, per hoc ipſum pingueſcunt tanquam cibo ac potu, & hoc magis eos delectat, quàm omnis honor & totum ſtipendium. Sic Chriſtus, Iohan. 4. 34. Sic idem, Eſa. 53. 10, 11. videbit ſemen & ſatiabitur. Sic Paulus, 2. Corinth. 12. 14. non veſtra, ſed vos quæro, Act. 20. 33. Phil. 4. 17. 2. Cor. 6. 11. Ratio hujus dogmatis eſt, quia Miniſtri, legitimè tum extrinſecus tum intrinſecus vocati, ſunt inſtrumenta regenerationis noſtræ, gerentes in ſe Spiritum per quem regeneramur, quemque ex ſe quaſi in nos transfundunt. Semen verbi, in quo eſt Spiritus plaſticus, eſt in ipſorum pectore, qui non eſt otioſus, ſed excitat in illis cupidinem ſpiritualis prolis. Sunt Patres auditorum, qui habent Spiritum στοργῆς, qui movet perpetuas curas pro ſalute liberorum, Gal. 4. 19. 1. Cor. 4. 15. Sicut gallina quæ ovis incubat, vel pullos habet, impleta eſt quodam ardore & fervore ſanguinis, cujus beneficio perpetuo glocitat & quærit pullos colligere ſub alas, eoſque defendere ne pereant; ita vocati & Eccleſiis præfecti miniſtri Euangelii, habent Spiritum glocitationis & zeli, quo cupiunt & appetunt auditores eorumque ſalutem, Matth. 23. 37. Hic Spiritus inditur per veram vocationem omnibus Miniſtris. Hoc dogma habet duplicem uſum:

1. Ut hoc charactere ſe probet quiſquis Miniſtrorum an ſit verè vocatus. Ubi hæc fames atque ſitis auditorum non eſt, ibi non eſt vera vocatio. Mercenarii ſunt tales, quorum oves non ſunt propriæ, ideoque fugiunt, ceduntque vel periculis, vel donis & honoribus, cupiunt placere hominibus, quærunt quæ ſua ſunt, Gal. 1. 10.

2. Ut auditores tales ferant, qui famem ac ſitim ſalutis oſtendunt in exhortationibus, dehortationibus, reprehenſionibus contra ea, quæ ſaluti auditorum periculoſa ſunt. Hic enim Spiritus concionatorius, quem qui non habet, non eſt idoneus nec vocatus. Si non eſuriremus veſtram ſalutem, poſſemus ita concionari, ut intellectum veſtrum dulcibus ſpeculationibus titillaremus, & affectus demulceremus erudito eloquio, nec unquam indignationem veſtram incurreremus, ſed laudem & forte dona reportaremus. Sed eſt aliquis Spiritus intra nos, qui nobis adimit contentationem in illis omnibus, niſi vos probi ſitis & pii, nec poſſumus quieſcere, quamdiu aliquid in vobis videmus quod ſaluti periculoſum eſt, 2. Cor. 11. 2, 3. Si vos ſentiretis varias inquietudines animi noſtri ſuper iis quæ veſtræ ſaluti ſunt noxia, non indignè ferretis noſtrum zelum contra talia, ſed cederetis. Sed in quibus concionatores veſtri propter vos anguntur & ſe torquent, in iis vos ſæpe læti & quieti eſtis, dicentes nihil periculi eſſe, indignanteſque Miniſtrorum ſcrupuloſitati, non ſecus ac ſi quilibet veſtrûm jus Dei in caſibus vitæ rectiùs intelligeret quàm totus chorus fidelium Miniſtrorum. Turpe profectò & triſte eſt, eos, qui tam anxiè ſitiunt ac eſuriunt ſalutem veſtram, & tam libenter vos liberatos viderent à temporali & æterna maledictione, & ab omnibus quæ ſaluti veſtræ periculoſa ſunt, toties à lingua & dentibus veſtris vapulare. Quoties inſtar mendicorum cogimur recedere famelici & increpati! Cum hoc fit, caro noſtra ſurgit, & vellet facere ignis ex cœlo caderet, Luc. 9. tum querimur ut Eſaias 53. 1. ut Moſes, Exod. 17. 4 Sed Chriſtus nos increpat & jubet recordari cujus Spiritûs filii ſumus. Tum pergimus in officio, imitantes patientiam Dei, cogitantes nos quoque peccatores fuiſſe, credentes promiſſionibus divinis, vobiſque indigitantes, quod, cum nos ad fores veſtras pulſamus eſurientes ac ſitientes veſtras animas, & vos nos triſtes ac famelicos dimittitis, nec ulla converſione ſatiare ac reficere dignamini, tum aliquis ſtat juxta nos, qui inſtar leonis rugientis quærit vos devorare, 1. Petr. 5. Quod ſi nos dimittitis inanes, videte ne ei in prædam cedatis. Si non vultis à Miniſtris Euangelii comedi, facile eſt ut Diabolus vos devoret, ut ejus ventrem expleatis. Venient ſuper vos hoſtes qui inſtar panis vos comedent, Pſ. 14.

V. Quinta doctrina eruitur ex recuſatione Petri, quâ mandatum Dei malè intelligens, ei recuſat obedientiam. Nequaquam Domine, nam nunquam quicquam impurum comedi. Putabat Petrus, Dominum, ut ſubveniret corporali ejus fa-

mi, facere ipſi poteſtatem comedendi animalia impura lege interdicta. Huic mandato refragatur & opponit ſcrupuloſitatem conſcientiæ, qua hactenus abſtinuerit à tali cibo. Videmus hic exemplum ſcrupuloſæ conſcientiæ. Quid eſt ſcrupulus animi? Eſt formido animi, qua id quod licitum eſt, agit cum metu vano, ne ſit non licitum. Simile ab illis qui lapillis calce concluſis turbantur, ne confidenter audeant calcare tellurem & animosè progredi. Sic multi aliquid agunt, & tamen quibuſdam argumentis ita turbantur animo, ut ſemper metuant, ne non ſit licitum quod agunt. Sic multi conſiderantes peccata non audent accedere quietè ad cœnam Domini, vel non audent precari, vel non audent die Dominica cibum parare, vel neceſſarium aliquod negotium expedire, &c. Sic etſi Deus mandabat, tamen Petrus ſcrupuloſus erat, & non audebat edere aliquod impurum. Quæritur an hæc ſcrupuloſitas ſit virtus an vitium? *Reſp.* Eſt peccatum. Pugnat enim contra illud Apoſtoli, Rom. 14. v. 5. & 23. Sed quomodo fieri poteſt, ut quis in omnibus particularibus caſibus de jure certus ſit, ſciens quid rectum ſit nec ne? Petrus antiquitus habuerat mandatum impura animalia non edendi, Levit. 11. Hic accepit contrarium mandatum. Unde ſcire poterat utri mandato eſſet obediendum? Sic etiamnum tales obveniunt caſus & actiones, quas quædam loca Scripturæ videntur approbare, quædam videntur condemnare. Qui poteſt ſe expedire conſcientia pia, & ſcire, utrum ſit factum licitum vel illicitum? Præſertim cum hominum judicia etiam ſint diviſa, ut unus habeat pro licito, alter pro illicito? *Reſp.* verum quidem eſt, quod non ſit uſquequaque facile in omnibus particularibus factis & caſibus quid juris ſit ita diſcernere, ut ſcrupulus nullus te vexet, ſed inde non ſequitur locum dandum eſſe iſti libertati, vel potius libertiniſmo & licentiæ (loſſigheyt) ut unuſquiſque agat vel omittat, quod libet, & quod bonum vel malum videtur. Sicut non debemus eſſe ſcrupuloſi; ita non debemus eſſe diſſoluti (los ende ongeſinnigh) ſed cum filiali ſollicitudine debemus vias noſtras attentè examinare, Pſal. 119. v. 59. an id quod facere vel omittere decrevimus, conveniat vel non conveniat.

1. Cum principiis religionis, ſcilicet, cum humilitate & contritione quam debemus propter peccatum præſertim tali tempore, cum tota Eccleſia caſtigatur à Deo, nec non cum ſolatio & gratitudine quam fides reconciliationis & ſalutis debebat in nobis parere. Nemo utique dubitat quin teneatur eſſe humilis, contritus, fidelis, grat[us]. Cum igitur proponis aliquid facere, quod tibi aliiſvè ſuſpectum eſt & dubii juris, examina prius, an conducat ad humilitatem & contritionem cordis, ad preces, ad omnes partes cultûs promovendas, an verò potius ad cor incraſſandum, libidines ſaginandas, cultum ſpiritualem impediendum, &c.

2. Cum præceptis divinæ legis & clariſſimis ac indubitatis virtutibus in Scriptura nobis injunctis. Nemo dubitat quin debeat parere decem præceptis decalogi, quin debeat operam dare moralibus virtutibus, ſcilicet humilitati, modeſtiæ, patientiæ, longanimitati, concordiæ, temperantiæ, caſtitati, juſtitiæ, veritati & ſinceritati. Cum igitur agere vel omittere decernis, examina prius, an cum illis virtutibus ſtare poſſit, an verò ſapiat ſuperbiam, immodeſtiam, &c.

3. Cum charitate, quam debemus proximo & præcipuè Eccleſiæ Chriſti. Nemo utique dubitat, quin debeat cavere ne cuiquam det ſcandalum, ſed omnes ſuas actiones dirigat ad conſervationem veritatis & ædificationem Eccleſiæ. Cum igitur aliquid agere decernis, examina prius, an fieri poſſit ſine ſcandalo infirmorum, & conducat ad ædificationem Eccleſiæ.

4. Cum ſtatu ad quem ſumus vocati. Nemo dubitat quin obligatus ſit non conformem ſe gerere mundo & Ethnicis, ſed ambulare decet ſanctos & filios Dei, dignè vocatione, &c. Examina jam, an quod deſtinas agere, ſit tale, &c. Si modò nos poſſumus homines adigere ad hoc ſerium & ſollicitum examen, nec ſcrupuloſi nec licentioſi erunt, nam tum non facilè à ſe ipſis poterunt impetrare, judicare aliquid licitum, quod totus Theologorum piorum chorus omnibus ævis judicavit illicitum, vel contra. Et ſi fortè aliter judicaverint, Deus & Theologi propter has infirmitates, talibus non negabunt ſolatium. Sed qui fit? Homines plerunque ſuas actiones atque vias vel non examinant, ſed agunt quicquid libido poſtulat, vel ſi examinant, hoc tantum ſpectant, an conveniat cum præconceptis opinionibus, cum praxi mundi, an faciat ad amicitiam cum mundo, ad commoda privata, &c. Qui ſic facit, is neceſſariò aut ſcrupuloſus aut licentioſus erit. Sic Petrus quoque hoc loco fecit, & ſic in vitium ſcrupuloſitatis incidit, & mandatum Dei quaſi deteſtatur: nequaquam Domine. Petrus debuiſ-

debuiſſet cogitare, quod Dei ipſius immediatum & certum mandatum non poſſit præjudicium accipere a præceptis Moſis, quodque cæremoniarum cultus non eſſet niſi figura rerum futurarum, quibus impletis abrogatio eorum eſſet exſpectanda. Sed hoc non cogitans prætextu ſanctitatis, & nimiâ obſervantiâ externarum cæremoniarum fit Deo inobediens. Eſt igitur exemplum infirmitatis & ſcrupuloſitatis, quod non imitari, ſed ex quo diſcere debemus, noſtram ad res ſpirituales diſcernendas ſine illuminatione Spiritus impotentiam. Eſt tamen laudabile in Petro, quod quamvis viſionem non intellexit, & ex incogitantia in obedientiam quandam incidit, tamen viſionem non neglexit, ſed de ſenſu ejus anxiè ſollicitus fuit. Hoc enim cum faceret, propiùs ipſi adfuit gratia Spiritus, & ad obedientiam viſionis eum adduxit.

VI. Sexta doctrina educenda eſt ex replica Domini, quam Petro regerit: Quod Deus purgavit, tu ne pollue vel commune fac, v. 15. Deus dicitur *aliquid* purgare ſequentibus modis:

1. Cum quod in ſe ipſo impurum eſt, purum facit. Sic peccata & peccatores dicitur purgare, dum per ſanguinem ac ſatisfactionem Chriſti reconciliat & per Spiritum S. tollit ac liberat, Heb. 9 & 10.

2. Cum quod in ſe indifferens eſt, ſacro uſui conſecrat. Sic caro ſacrificiorum, elementa Sacramentorum, ſancta vel ſacra & pura caro, ſanctus panis. Sic populus Iſraël populus ſanctus & purus, quia ex illo colligebatur Eccleſia.

3. Cum ex rebus adiaphoris id quod ſub interdictum miſerat, & illicitum fecerat, ab interdicto liberat & licitum facit. Sic multos cibos in V. Teſt. Deus prohibuerat, & hoc interdicto illicitos & impuros fecerat, quos in N. Teſt. ab hoc interdicto liberavit, & ſic dicitur purgare. Sic Ethnicis incircumciſis in V. Teſt. uſu Euangelii & Sacramentorum interdixerat, & ſic impuros declaraverat, ut Euangelium iis annunciare licitum non eſſet, quos in N. Teſt. hoc interdicto liberatos dicitur purgaſſe. Et hic eſt ſenſus hujus loci.

Sicut autem Deus triplici modo aliquid purgat, ita *homo* triplici modo aliquid polluit.

1. Cum quod in ſe purum eſt polluit & impurum facit. Sic corpus & animam ſuam puram creatam polluit peccato. Sic qui Chriſti ſanguine & ſpiritu purgati ſunt, ſe denuò inquinant peccando, 2. Petr. 2.

2. Cum quod ad ſacros uſus deſtinatum eſt, profanè uſurpat ſine ſpirituali reverentia & ſanctitate cordis. Sic dicimur ſanguinem Teſtamenti novi per quem ſanctificati ſumus, polluere, Hebr. 10. Sic corpus ſanguinem Chriſti & Sacramenta ejus profanare & non diſcernere, 1. Cor. 11.

4. Cum quod licitum & à Deo præceptum vel permiſſum eſt, illicitum facit vel habet. Hoc ſenſu Petrus dicitur polluere cibos & gentes. Utitur voce κοινοῦν, quia communis & ſacer in externis partibus cultus opponuntur. Quod ad omnes uſus humanæ vitæ adhiberi poteſt, commune eſt. Sed quod ad ſacros uſus deſtinatum eſt, ſacrum & ſeparatum eſt, e. g. Agnus paſchalis, panis cœnæ ſeparatur à communibus agnis & panibus. Hoc autem loco eſt quidam abuſus hujus vocis, à priori ſignificatione mutuò acceptus. Dicitur enim Petrus aliquid commune facere, cum id pro illicito habet, quod Deus declarat licitum. Hoc peccatum Petri etiamnum peccant multi homines. Præſertim in Papatu: quod Petrus fecit ex infirmitate, ſacrificuli faciunt datâ operâ, ſumentes ſibi licentiam ſuper mandata Dei, & licitum declarantes quod ipſe fecit illicitum, illicitum quod ipſe licitum, quod peccatum tam abominabile eſt in oculis Dei, ut ab Apoſtolo appelletur *doctrina & opus Diaboli*, 1. Tim. 4. 1, 3. Sic conjugium quod Deus non tantùm licitum ſed & ſacrum ac purum pronunciavit, Hebr. 13. v. 4 ipſi faciunt impurum & opus carnis. Sic cibos, quos Deus hac ipſa viſione puros fecit & licitos, & Apoſtolus, 1. Tim. 4. v. 4, 5. bonos ac irreprobabiles pronunciat, modò per preces & gratiarum actionem ſanctificentur, faciunt illicitos, & mittunt ſub interdictum, ut loquuntur, dicentes illicitum eſſe diebus Veneris & quadrageſimæ veſci carnibus. Scio equidem quod hoc Diabolicum dogma velint excuſare, quod hoc diſcrimen ciborum introduxerint, non quaſi unus cibus ſit impurior altero, ſed quòd alius aptior ſit ad jejunium quàm alius. Sed reſpondeo, 1. quàm abſurdum eſt alium cibum aptiorem eſſe ad jejunia quàm alium? Jejunare cibis, quale quæſo jejunium eſt? Illuſores Dei, non cultores. 2. Si concedunt carnes non eſſe impuriores piſcibus, cur uſum carnium faciunt illicitum, & pro peccato declarant, quod opus habeat expiatione? Sic dies quos Deus liberos reliquit, ſanctificant, & laborem eorum dierum impurum declarant. Sed non tantùm in eo conſiſtit peccatum Papæ, quod interdicit quæ Deus licita

licita fecit, ſed etiam quod licita facit, quæ Deus interdixit. Sic calicem ſeparat à cœna, in illicitis gradibus cognationis matrimonium indulget, homicidia Principum canonizat, fœdifragia cum hæreticis juſtificat, contra pœnas lege Dei ſancitas pecuniâ acceptâ diſpenſat, Traditiones ſuas verbo Dei ſcripto æquiparat, &c. Qui ex talibus ſignis non vult agnoſcere Antichriſtum, dignus eſt qui ab Antichriſto excœcetur in æternum. Nos Diabolicam hanc praxin Antichriſti nulla in re imitemur, ſed quæ Deus ſanctificavit, ſanctè tractemus & perficiamus. Quod Deus licitum fecit, eo liberè utamur, ne in nos quadret comminatio illa, Apoc. 22. 18, 19.

VII. Ex cæteris quæ ſunt in hoc textu uſque ad verſum 23. nihil magni momenti obſervari poteſt, & quæ alicujus momenti ſunt, ſuperius jam tum ſunt annotata, cum de externa vocatione Petri ad converſionem Cornelii, quò hi verſus pertinent, ageremus, niſi quod ex v. 19. & 20. meritò obſervamus quod Spiritus S. de ſeipſo dicit, ex quo ſanè tum perſonalitas, tum Deitas ejus clariſſimè demonſtrari poteſt. Videt enim Spiritus S. internas cogitationes ac dubitationes Petri ſuper hac viſione eaſque prohibet, & declarat ſe eſſe eum qui miſerit eos viros. Qui loquitur & prohibet ac jubet, perſona eſt. Qui cogitationes cordis videt Deus eſt. Qui miniſtros Euangelii vocat, immò qui Angelos mittit ad aliquid expediendum, divinam auctoritatem habet. Atqui hæc omnia de ſe dicit Spiritus S. Eſt igitur Deus verus. Magno hoc ſolatio eſt iis, qui habent & in corde ſuo ſentiunt Spiritum S. Habent enim in ſe habitantem ipſum verum Deum. Spiritus roboris ſuper nos quieſcit, 1. Petr. 4. Si Deus pro nobis, Rom. 8. immò ſi Deus in nobis, quis contra nos? Habemus præſidium Angelorum circa nos, ſed Spiritus S. eſt præſidium quod firmat ipſam animam & ipſos ſenſus in nobis, Phil. 4 7.

Act. 10. à v. 17. ad 23.

CONCIO CXXI.

ETſi ferè omnia, quæ ſunt in his verſibus, ſuperioribus concionibus jam tum ſunt explicata; tamen lubet breviter adhuc ſemel ea perſtringere, & notabiliores expreſſiones nonnihil preſſius explicare.

I. Petrus dicitur in ſe ipſo dubitaſſe, quid ſit illa viſio quam viderat v. 17. & de viſione cogitaſſe v. 19. Verbum Dei habet hoc teſtimonium quod ſit clarum, ut ab uno quovis intelligi poſſit, & omnibus præbeat lucem & ſapientiam, Pſ. 119. 5. Pſal. 19. 9. 2. Tim. 3. 15. Si hæc viſio ita clara, cur Petrus ita dubitat? *Reſp.*

1. Verbum Dei clarum eſt ac perſpicuum, ſed non ſic, ut ubique æquè clarum & perſpicuum ſit, ſed habet etiam ſua loca *δυσνόητα* 2. Petr 3. 16. quæ cum aliis locis clarioribus ſunt conferenda, ut ex illis ſenſus eorum hauriatur. Suſtinemus contra Pontificios, Scripturam habere tantum perſpicuitatis, ut ex ea hauriri poſſit cognitio ad ſalutem neceſſaria, ſed non dicimus, quod nihil obſcurum in Scriptura, vel quod omnia ita ſint clara, ut nullo labore, nullis adminiculis opus ſit ad Scripturam intelligendam. Deus datâ operâ veritatem & lucem quæ in Scripturis eſt obſcurioribus quibuſdam verbis & dictis quaſi texit & velavit, ut haberemus in quo eruendo ſenſus noſtros exerceremus, Hebr. 5. 14 Scriptura non intelligitur niſi ab iis, qui habent ſenſus in ea exercitatos ad *διάκρισιν καλοῦ καὶ κακοῦ*. Scrutanda eſt Scriptura, Ioh. 5. Sicut aurum hinc inde in venis terræ abſconditum eſt, & multa ſcrutatione eruendum; ita ſapientia cœleſtis in Scripturis abſcondita. Hinc paſſim comparatur cum auro effoſſo, in Proverb. 3. 14. &c. Hinc Scriptura comparatur agro qui fodiendus eſt, ut inveniatur Theſaurus, Matth. 13. 44. Quicunque igitur ſalutariter vult intelligere Scripturam, & ex ea haurire ſapientiam ad ſalutem, debet adhibere laborem, legere, meditari, conſiderare, ſicut hic Petrus fecit, & ſi proprius non ſufficit labor, adhibere adminiculum SS. Miniſterii. Sicut qui debiles habent oculos, adhibent perſpicilia, ita opera & interpretatio miniſtrorum ſunt perſpicilia debilium. Vide Actor. 8. 31. Sicut diſcipulus utitur magiſtro; ita diſcipuli Chriſti in ſtudio Scripturæ indigent operâ Paſtorum. Dolendum hunc agrum tam parum fodi.

2. Verbum Dei clarum ac perſpicuum eſt, ſed non omnibus, verùm iis qui habent oculos intellectus à Spiritu S. illuminatos. Multis verò Euangelium tectum eſt. Quibus quæſo? Iis, quorum intellectus eſt excœcatus, 2. Cor. 4. 3, 4. Sicut ad viſionem corporalem tria ſunt neceſſaria. 1. Viſibilitas rei, quæ videri debet. 2. Sanitas oculi, qui videre debet. 3. Claritas medii oculum illuminantis: (nam nocte obſcura ne craſſiſſima quidem res ab oculo maximè ſano videri poteſt;) ita ad intelligen-

telligendam perfectè Scripturam tria ſunt neceſſaria.

1. Claritas rerum, quæ intelligendæ ſunt.

2. Claritas revelationis, per quam illæ res intelliguntur.

3. Claritas intellectus, qui has res revelatas capere debet.

Res quæ in Scriptura revelantur ſunt ſua naturâ myſteria in profunditate Deitatis abſcondita, ſunt etiam ſua natura tam infinita ſapientia, quam humanus intellectus perfectè capere non poteſt. Sunt enim actiones Dei ἀνεξερεύνητοι καὶ ἀνεξιχνίαστοι, Rom. 11. 33, 34 1. Cor. 2. 7.

Sed tamen revelatio horum myſteriorum incomprehenſibilium tam clara eſt, ut ex ea hauriri poſſit tanta eorum cognitio, quanta ad ſalutem neceſſaria eſt. Eo fine enim facta, ut hominem Dei reddat perfectum, inſtructum & ſapientem ad ſalutem, 2 Tim. 3. 15.

Reſtat igitur ut nos adferamus ſanum oculum intellectus, qui hanc revelationem capere poteſt. Nam ſi hoc non fit, nihil magis nobis prodeſt claritas Scripturæ, quam cœco ſplendor ſolis. At hic jam defectus eſt. Nos enim naturâ habemus oculos cœcos, qui capere non poſſunt revelationem myſteriorum in Scriptura factam. Vide 1. Cor. 2. 14. Tit. 3. 3. Tegmen eſt ſuper oculis noſtris, 2. Cor. 3. v. 12. &c. Quicunque igitur Scripturam vult ſalutariter intelligere, debet quidem adhibere naturales oculos & vires, ac Scripturam legere, meditari, ſed in hoc labore non debet acquieſcere, ſed humili cum deploratione Deo corruptionem ſui intellectus confiteri, & illuminationem ejus à Deo petere, ſicut David, Pſal. 119. 18. & Paulus Eph. 1. 17, 18. & 3. 18. Hoc Petrus quoque fecit. Notat enim hæc phraſis, quam explicamus, anxiam ſollicitudinem conſequendi intellectum hujus viſionis à Deo. Hinc eſt quòd multi homines veritatem Euangelii tam clarè revelatam non capiunt. Quia 1. vel non legunt nec ſcrutantur Scripturam, ut Pontificii & multi inter noſtros homines mundani. 2. vel lectioni & naturali ſuo judicio fidunt, nec petunt à Deo illuminationem oculorum, ſicut illi, qui rationem faciunt Scripturæ judicem, & judicio ſuo naturali nimium tribuunt, ἀναίσθητοι propriæ cœcitatis. Applica Luc. 10. 21. Matth. 19 14. Luc. 18. 17. Duo igitur Petrus fecit ad conſequendam notitiam viſionis. 1. meditatus, ſcrutatus eſt. 2. anxiè fuit ſollicitus & cum confeſſione ſuæ culpæ ac impœnitentiæ Deum precatus. Et ſic conſequutus eſt revelationem. Hoc imitemur, & non deerit nobis notitia neceſſaria. Fieri poteſt, ut ſicut gratia Spiritus S. in hac vita eſt imperfecta & in aliis major, in aliis minor; ita etiam hallucinatio aliqua locum habeat, quæ in nobis agnoſcenda, & in aliis ferenda, ſed notitia neceſſaria myſteriorum fidei non deeſt niſi ſuperbis & negligentibus ac mundanis, qui ſibi ipſis excœcant oculos.

II. Poſſemus etiam obſervare obedientiam Petri ad quam ſe patitur à Spiritu S. promoveri nullo alio argumento quàm hoc: Ego eos miſi. Hæc demum vera obedientia eſt, quæ cœleſti oraculo ſimpliciter paret, nec cum carne & ſanguine conſultat, Gal. 2.

III. Poſt hoc conſiderabilis maximè eſt fidelis expeditio, quâ ſervi à Cornelio miſſi commiſſionem ſuam expediverunt. Hic enim ſe manifeſtat ipſorum

1. Modeſtia. Etſi milites erant, non tamen inciviliter ſe gerunt, nec fores violenter effringunt, ſed civiliter pulſant, ſtant ante januam, & aliquo evocato, de Petro ſciſcitantur. Patet hinc, quod nec incivilitas & ferocia, nec impietas ad eſſentiam boni militis pertineat, ut tamen noſtri milites putant.

2. Diligentia & attentio. Non ſunt ſicut multi ſervuli qui non attendunt quid ſibi committatur, adeoque malè expediunt; ſed hi accuratè ita expediunt omnia, uti commiſſa erant.

3. Fidelitas in herum, quem egregio encomio apud Petrum ornant. Rarum hoc, quod heri laudantur à ſuis ſervis, ſed potius culpantur, traducuntur, imperfectiones eorum, quæ intra parietes domûs concludi debebant, eliminantur. Certè ſervi omnium minimè apti ſunt ad judicandum quis ſit vir bonus nec ne. Horum igitur erat famam herorum tueri, infirmitates tegere, & etiam de abſentibus benè loqui, & abſentibus fideles eſſe, ne ſint ὀφθαλμόδουλοι, Eph. 6.

Laudes quas hero ſuo tribuunt, ſunt ferè eædem, quæ explicatæ ſunt v. 1. & 2. Vocant ipſum

1. Virum juſtum. Hæc vox tripliciter uſurpatur in Scriptura:

a. Pro viro probo & virtutis ſtudioſo, bono & leni ac æquo in converſatione cum proximo. Sic Ioſephus Mariæ ſponſus, Matth. 1. 19.

b. Pro viro juſtitiæ, quæ eſt virtus ſuum cuique tribuens, obſervanti. Sic judex injuſtus & juſtus, Luc. 18. 6. Sic Simon juſtus, Luc. 2. Ioſeph juſtus, Act. 1.

c. Pro

c. Pro viro Sancto, qui per ſanguinem Chriſti juſtificatus & per ſpiritum S. renovatus ambulat in bonis operibus, & lavat manus in innocentia. Iuſtus ex fide vivet, Rom. 1. 16. Hæc juſtitia triplex requiritur, ut quis ſit gratus & acceptus Deo & ſalutis certus, videl. 1. ut ſis corde novo. 2. ut ambules in juſtis operibus, opereris juſtitiam. 3. ut juſtificeris per Chriſtum. Nam ſine hoc omnis noſtra juſtitia eſt ut pannus menſtruatus, Eſai. 63. Non eſt dubium quin Cornelius omni modo fuerit juſtus. 1. Vir bonus & æquus, omnibus benefaciens, omnia in bonam partem trahens & propterea omnibus amatus. 2. Iuſtus in militia, ſtipendio ſuo contentus, Luc. 3. 3. Initium etiam habuit fidei juſtificantis, ut ſupra oſtendimus. Studeamus & nos hunc titulum nobis acquirere.

2. Vocat virum Dei timentem. Hoc ſupra v. 2. explicatum nec repetemus. Idem eſt quod diligens in cultu. Non quidem cultui publico Iudæorum ſe adjunxerat, ſed tamen privatim habebat ſua exercitia cum tota ſua domo.

3. Vocat benè audientem apud totum populum Iudæorum. Apud Romanos fortè non admodum benè audivit, quia verſus Iudaicam religionem bene affectus erat. Sed apud Iudæos habuit bonum teſtimonium. Sine dubio etiam apud Romanos bene audiebat ob fortitudinem ut bonus miles, etiam ob generis nobilitatem. Sed hoc non movent, ſed illi teſtimonio inhærent quod habebat apud Iudæos. Propter libertatem in pauperes & pietatem vitæ. Dici ſolet, & meritò, quod bona conſcientia apud Deum & bona fama apud homines ſint duo maximi hominis Theſauri. Sed ſciendum eſt, quod duplex ſit bona fama.

1. Politica, per quam quis fit celebris magnis rebus geſtis nec non magna doctrinâ & eruditione, item divitiis. Sic Alexander Magnus, Iulius Cæſar, &c. Sed hæc potius eſt magna fama, quàm bona fama. Poteſt enim haberi ab iis qui alioquin multis vitiis ferè infames ſunt, immò poteſt acquiri flagitiis & malefactis. Dantur enim celebres fures, celebria ſcorta. Sic Heroſtratus nomen ſibi comparavit comburendo templum Dianæ. Hanc famam homines valdè affectant, quia naturâ ſunt ambitioſi, & in eo ponunt ſuam æternam vitam, ut poſt mortem vivant in memoriis hominum. Sed hoc nomen potius vanum eſt quàm bonum.

2. Eccleſiaſtica, cum quis ſplendore virtutis & pietatis ſe inſinuat in gratiam hominum, & apud homines bonos ſe gratioſum reddit ac amabilem. Hæc demum vera bona fama. Hoc nomen eſt bonum unguentum quod gratum te facit, Eccleſ. 7. 1. Potes eſſe celebris & tamen fœtere in naribus hominum & exoſus eſſe. Qui autem ſic apud homines bene audit, bene audit apud Deum, & apud propriam conſcientiam, & alios ad virtutem & pietatem allicit. Hoc utile nomen.

V. Explicationem etiam merebatur vox ἐχρηματίσθη v. 22. Significat hæc vox oraculum accipere ſeu divinam revelationem qualemcunque, ſive ſit promiſſio, ſive mandatum, Luc. 2. 26. Hebr. 8. v. 5. Veteres reverà habuerunt multos χρηματισμοὺς modò per viſiones, modò per ſomnia, modò per internas inſpirationes. Enthuſiaſtæ hodie gloriantur de chrematiſmis, ſed ſe ipſos deludunt propriis imaginationibus. Chriſtiani hodie non habent niſi duos chrematiſmos, unum antiquum, alterum novum, vel quotidie contingentem.

1. Scriptura eſt divinum oraculum. Sic enim vocatur, Rom. 11. 4. Hæc noſtrum Urim & Thummim.

2. Operatio & efficacia Spiritus S. in cordibus noſtris, quam per verbi lectionem & prædicationem exercet, cum aperit oculos intellectus noſtri, & nos facit intelligere oracula & myſteria Scripturæ, cum teſtatur cum Spiritu noſtro quod ſimus Filii Dei, Rom. 8. cum animæ noſtræ dicit quod ſit Deus ſalutis noſtræ, Pſal. 35. Huc etiam pertinent exauditiones precum. Hæ enim ſunt divinum reſponſum.

VI. Denique ajunt Cornelium nil aliud petere à Petro, quam audire ex ipſo verba, ſcilicet ſalutis ut vocantur, Act. 11. 4. Vocantur ſimpliciter *verba*, quia hæc demum verba verborum nomine digna, quæ merentur audiri. Omnes alii ſermones ſunt nugæ & vanitates. Hæc demum vera verba. Primum verbum eſt Chriſtus Patris unigenitus. Poſt hoc ſunt verba creationis per quæ omnia facta ſunt. Dixit fiat, & factum eſt, Geneſ. 1. paſſim. Poſt hæc ſunt verba ſalutis. Cœtera omnia verba vana ſunt. Hæc enim verba continent ſalutare illud conſilium quo ſanari poſſumus ab omni miſeria.

Actor. 10. v. 23, 24, 25, 26.

CONCIO CXXII.

HActenus vidimus quomodo Petrus ad convertendum Cornelium vocatus ſit, externè quidem per ſervos à Cornelio ad Petrum mandato Angeli

geli miſſos, interne vero per viſionem & alloquium Spiritus S. Sequitur nunc, quomodo hoc opus, ad quod ita vocatus fuit, exſequutus ſit & effecerit. De eo porro quatuor partes in hoc & ſequenti capite reſtant explicandæ. I. Petri & Cornelii conventus vel congreſſus. II. Congreſſorum συνομιλία ſeu colloquium. III. Colloquii fructus & effectus. IV. Hujus effectus & totius operis conſequentia varia. Vide clariorem diviſionem in v. 44.

His verſibus primum caput deſcribitur, vid. Petri & Cornelii congreſſus:

1. Quomodo Petrus ad Cornelium profectus ſit.

2. Quomodo à Cornelio exceptus ſit.

Profectio Petri ad Cornelium ſic deſcribitur:

I. Poſtquam ex ſervorum propoſitione intellexerat, quis fuerit ſenſus & quæ intentio Spiritus S. in viſione omnis generis animalium, nuper exhibita, ſcil. docere, quod Ethnicis quoque prædicandum ſit Euangelium, vocavit ſervos Cornelii in domum, & hoſpitio eos excepit. Verſu ſexto ipſe dicitur ξενίζεται. Hic vero dicitur ξενίζειν ipſe alios. Nec veriſimile eſt Petrum, qui nec aurum nec argentum habebat, pro pecunia ſua diverſorium ibi conduxiſſe, ſed liberalitate Simonis & Eccleſiæ Ioppenſis receptum eſſe, quam deinde liberalitatem etiam impetravit pro his ſervis Cornelii. Habemus hic exemplum τῆς φιλοξενίας, quæ nobis adeo recommendatur in Scriptura, Roman. 12. v. 13. Hebr. 13. v. 2. 1. Petri 4. v. 9. Sed quid eſt φιλοξενία. Eſt hoſpitum & peregrinorum, qui ad nos veniunt, hilaris & liberalis receptio, Actor. cap. 28. v. 7. Hæc φιλοξενία multis abuſibus eſt obnoxia, ut ſæpe non ſit virtus, ſed vitium. Sunt enim homines φιλόξενοι variis modis & cauſis.

1. Profeſſione & lucri cauſa. Hi ſunt qui publica aperiunt diverſoria, ut excipiendis & tractandis aliis ſuum victum quæritent. Hi plerumque magis ſunt φιλοξεναργυροι quam φιλόξενοι. Nam quanto quis magis peregrinus, tanto magis eum expilant. Non ſunt illicita nec inutilia in Republ. talia ξενοδοχεῖα, & peſſime ſe res habet, cum ne pro pecunia quidem datur hoſpitium in urbe, Iudic. 19. v 19. modo duplex abuſus vitetur: 1. ut operam ſuam collocent hoſpitum neceſſitatibus, ſed non hoſpitum laſciviæ, impuritati, ebrietati. 2. ut operæ & ſumptuum juſtum pretium poſtulent, non tondentes, emungentes & exſpoliantes ſuos hoſpites, quos ſub tectum ſuum recipiunt. Quantum vero hæc ſpecies φιλοξενίας vulgo degeneret, norunt optime, qui talibus hoſpitiis utuntur. *Object.* Quomodo victum acquireremus, ſi hoc non faceremus? *Reſp.* Satius foret ſine victu moreris, quam tali victu te ad infernum ſagines. Plerumque tales ſunt hi hoſpites, qualis ille, Luc. 16. v. 3, 4.

2. Compaſſionis & commiſerationis ergò, cum iis, qui egent & propriis nummis victum & diverſorium comparare non poſſunt, de hoſpitio & victu proſpicimus. Hæc vera φιλοξενία, quæ ut ſemper, ita tunc præcipue eſt neceſſaria, cum non tantum inter nos habitant pauperes, ſed multi exules ad nos veniunt, Iob 31. 32. Matth. 25. 35. Luc. 10. 34. Eſa. 58. 6, 7. Act. 28. 7. Præſertim hic φιλοξενία debetur Chriſto & miniſtris ejus, qui non habent ubi declinent caput, & Euangelii cauſa ſæpe exulant, 1. Reg. 17. 9. 2. Reg. 4. 8. Actor. 16. 15. Rom. 16. 2.

3. Humanitatis, comitatis & amicitiæ ergò, non indigentiæ cauſa. Sic Abraham, Gen. 18. 2, 3. Sic Loth, Gen. 19. 1, 2. Samſon, Iud. 6. 18, 19. Manoah, Iudic. 13. 15. Sic & hodie decet peregrinis omnem exhibere humanitatem. Sic & nobis hodie licitum amicos invitare convivas, præſertim aliunde venientes. Cavendus tamen eſt abuſus cui hæc hoſpitalitas obnoxia eſt. Solemus enim hoſpites noſtros cibo & potu ingurgitare uſque ad ebrietatem. Sic fit hoc tempore encæniorum. Habuit Belgium laudem ſobrietatis, ſicut Germani vituperium ebrietatis. Sed vah quantum quotidie de hac laude amittitis. Vitate ebrietatem, quæ corpus perdit, animam incraſſat, pietatis exercitia impedit, vocationis functionem retardat, graviſſimorum ſcelerum cauſa ſæpe eſt, & horrendo donorum Dei abuſu Deum contra totam Rempublicam exacerbat. Huc etiam pertinet, cum divitiarum oſtentandarum cauſa magnifice hoſpites noſtros tractamus, ut Hiskias, Eſa. 38.

4. Eſt etiam hoſpitalitas ex officio, ad quam peculiari ratione officii obligamur. Sic Diaconi & Diaconiſſæ debent eſſe hoſpitales, 1. Tim. 5. 10. Sic Epiſcopi, 1. Tim. 3. 2. At quomodo hi poſſunt eſſe hoſpitales, cum aurum & argentum non habeant, Actor. 3. Annon hinc ſequitur Epiſcopos debere habere tam lauta ſtipendia, ſicut in Papatu, ut poſſint eſſe hoſpitales? *Reſp.* At Epiſcopi in Papatu, qui tam lauta ſtipendia habent, quales alunt hoſpites præter equos, canes venaticos & ſcorta?

2. Deberi miniſtris ſtipendium ſufficiens, ut non ſolum ſe & domum ſuam honeſte alere, ſed etiam in hoc bono opere abundare poſſint, non eſt dubium. 3. Sed cum id aliquando deficit, non ideo ceſſant eſſe hoſpitales. Faciunt enim tunc quod Petrus fecit, qui hoſpites ſuos invitavit ad alienam menſam, id eſt, Eccleſiæ & piorum liberalitati eos recommendavit. Hoc non debet vitio verti miniſtris Recommendatio enim hujus virtutis ex officio ipſis incumbit, quam datis occaſionibus non poſſunt intermittere.

II. Poſtquam hi hoſpites cum Petro pernoctaſſent, altero mane cum ipſis profectus eſt Cæſaream verſus, ut Cornelio verba Euangelii prædicaret. Apoſtoli non erant unius Eccleſiæ doctores & Antiſtites, apud quam perpetuo manerent, ſed erant doctores univerſales, qui paſſim in omnibus civitatibus & locis Euangelium docebant, prout à Spiritu Sancto mittebantur. Sic Petrus ex urbe Lydda vocatus eſt Ioppen; Ioppa Cæſaream. Quamvis etiam ſubinde habuerint auditoria ampla, ut pleno reti poſſent piſcari & eodem hamo multos ſimul piſces capere, eadem concione multos convertere, plerunque tamen multa milliaria emetiri coacti ſunt, ut uni alicui familiæ, vel uni alicui homini hic illic Euangelium prædicarent, ut factum Eunucho, Cornelio, Lydiæ, Commentarienſi, &c. Hoc miniſtros hodiernos, 1. excitet ad patientiam laboris. Si difficile eſt unius loci Eccleſiam curare, quanto difficilius paſſim circumcurſitare per urbes? 2. Soletur ſi non ſemper habent auditoria frequentia, ſed paucis tenentur concionari. Sicut fontes ſemper eandem copiam aquæ eructant, ſive pauci ſint qui hauriant ſive multi; ita miniſtri os ſemper debet eructare diligenter ſermonem Domini, ſive pauci ſint qui audiant, ſive multi.

III. Abierunt autem cum ipſo quidam ex fratribus Ioppenſibus, id eſt, quidam ex iis, qui in civitate Ioppe Euangelium receperant & Eccleſiæ Chriſtianæ erant inſiti. Quod circumciſi Iudæi ad Chriſtianiſmum converſi fuerint, patet ex v. 45. hujus capitis. Quod fuerint ſex numero, dicitur cap. 11. 12. Quo fine abierint, facilè conjicitur, vid. 1. ut Petrum, quem amabant, comitarentur & contra periculum cuſtodirent. 2. Sumpſit eos ſecum Petrus ut teſtes in tali opere, quod ſibi aliquando coram collegio Apoſtolorum juſtificandum eſſe ſciret, unde etiam ad teſtimonium eorum provocat, cap. 11. 12. 3. Iverunt deſiderio videndi quem ſucceſſum prædicatio Euangelii ſit habitura inter incircumciſos. Tria igitur ſunt quæ ex hoc comitatu Petri diſci poſſunt:

1. Amor ac fidelitas auditorum erga miniſtros. Solliciti fuerunt de Petri ſalute, ideò eum comitati ſunt.

2. Prudentia miniſtrorum in gerendis rebus ad officium pertinentibus. Omnia ita gerenda, ut ratio poſſit reddi Eccleſiæ. Ideo teſtes ſecum ſumpſit Petrus, ne ſiniſtra interpretatione perverti poſſet quod egerat.

3. Deſiderium omnium fidelium, quo ſucceſſum & incrementum Eccleſiæ deſiderant. Deſiderium hoc videndi impulit hos viros ad comitandum Petrum. Hoc deſiderant omnes fideles, nec ſunt contenti, ut ipſi verbum habeant, ſed etiam ut ad alios regnum Dei veniat, deſiderant 2. Theſſ. c. 3. v. 1, 2.

IV. Sequenti die ingreſſus eſt Cæſaream. Cæſarea & Ioppe diſtabant quindecim horarum itinere. Hoc iter emenſus eſt Petrus duobus diebus. Signum proſperi & expediti itineris, quod nos docet Deum aſſiſtere iis, qui in viis ſuis peregrinantur & legitima vocatione. Nunquam eſt hominis vita in periculoſiori ſtatu, quam cum eſt in itinere. Ibi enim pericula tempeſtatum, valetudinis, latronum, ferarum, habenda, &c. Sed qui legitimæ vocationis cauſa, cum pio comitatu iter faciunt, ſciunt ſe Deum habere protectorem & proſperatorem itineris. Cogitent tales, Deum non ſolum dominari ubi habitant, ſed paſſim. Currant modo viis legitimis, viaſque ſuas Domino commendent, ut Gen. 28. 20. eique proponant promiſſiones quas hac de re dedit, Prov. 3. 23. Pſ. 91. v. 11. 12, 13. Pſal. 121. 8. & dabit εὐοδίαν, ut loquitur Paulus, Roman. 1. v. 10. Quod Iſraelitis egredientibus ex Ægypto contigit, Exod. 13. 21. idem etiamnum hodie fidelibus contingit in ſuis itineribus & omnibus actionibus legitimis. Vide Eſa. 4. 5, 6. Non quidem nubes miraculoſa, ſed tamen vera protectio Quinque ſunt neceſſaria viatoribus, quæ Deus Iſraelitis viatoribus dedit in deſerto, & nobis quoque dat in hoc itinere hujus mundi, dabit quoque invocantibus ipſum in particularibus itineribus.

1. Sanitas & robur corporis. Hoc dedit Deus, Deut. 8. 4. Pſal. 105. 37.

2. Veſtes. Has dedit, Deut. 8. 4.

3. Cibus & potus. Hunc dedit, cum dedit coturnices, manna, aquam ex petra.

4. Pro-

4. Protectio contra hoſtes. Sic Exod. 17. Num. 21. cum pugnarent contra Amalek, Deus juvit.

5. Ductum. Sic dedit nubem & ignem. Sic nobis hodie dat victum & amictum, ſanitatem corporis, vitam & robur ſpirituale, præſidium Angelorum, ductum verbi.

Hactenus quomodo Petrus ad Cornelium profectus ſit, ſequitur quomodo à Cornelio exceptus ſit. Hic iterum multa particularia.

I. Cornelius eum exſpectabat, ſcil. cum deſiderio. Eouſque profecerat Cornelius in Chriſtianiſmo, ut miſeriæ ſuæ ſenſu onuſtus, & in genere ab Angelo edoctus Euangeliſtam eſſe in Ioppe, qui conſilium ſalutis dare poſſit, adventum hujus Euangeliſtæ anxiè deſideraret. Hucuſque etiamnum hodie multi profecerunt in religione, ut ſcil. 1. Miſeriam ſuam magna cum triſtitia ſentiant. 2. Chriſtum in Euangelio revelatum deſiderent, & geſtiant ipſum ad ſe intrantem videre. Sed interim inhabitationem & gratiam Chriſti in ſe nondum ſentiunt, ſed magis premuntur ſenſu iræ, quàm reficiuntur ſenſu gratiæ. Deſiderant itaque adventum Chriſti, euangelizatur quod ſint recepti in gratiam, ſtantque parati ad eum excipiendum. Si modò hoc deſiderium verum in ſe ſentiant, acquieſcant, etſi præſentiam Chriſti nondum ſentiant. Tales enim ſunt qui aperierunt oſtium & habent promiſſionem adventus Chriſti, Apoc. 3, 20. Per angelum pulſaverat Deus; cum ad hunc pulſum aperuiſſet oſtium Cornelius, intrat Petrus cum promiſſione & Sacramento Euangelii. Sic verbo Legis & mandato Euangelii pulſat. Si hoc pulſu moti oſtium cordis modo aperiamus, id eſt, deſiderium animæ extendamus, intrabit Euangelii promiſſio & gratiæ ſenſus.

II. Vocavit ad ſe omnes neceſſarios amicos. Ubi eſt ſitis & eſuries ſalutis, ea non ſatiatur adoptione propriæ ſalutis, ſed durat donec obtineas ſalutem eorum, quos amas ut te ipſum. Si perfecti eſſemus in amore, omnes homines amaremus, ſicut nos ipſos. Id enim lex requirit, Matth. 22. Sed quia ſpiritualis amor in nobis exaruit, eos tamen adhuc amamus ſicut nos ipſos, quibus vinculo ſanguinis juncti, & erga quos ſtorgarum flamma accenſi ſumus. Quoniam igitur conſanguineos noſtros amamus, ut nos ipſos, appetamus & operemur ſalutem eorum, ut propriam. Hoc ſanè argumentum eſt, quod movere debet parentes, ut filios educent in timore Domini, & ſecum adducant in domum ubi Euangelium prædicatur, ſecundum exemplum parentum Chriſti, Luc. 2. Diſcimus etiam hinc, quod quamvis ad omnium amorem obligati ſimus, debere tamen conſanguineos & amicos plus amare, 2. Petr. 1. v. 7. Sed hic ſæpe magis in exceſſu quàm in defectu peccatur.

III. Venienti Petro occurrit, & proſtratus eum adorat, propter quod à Petro reprehenditur, dicente, *Surge, nam & ego homo ſum.* Si nihil aliud intendiſſet hoc occurſu Cornelius, quàm implere præceptum quintum, & honorare ſuum præceptorem ac doctorem, reprehenſus non fuiſſet. Sed vir bonus committit ſphalma & homini Petro intentat honorem divinum primo præcepto exactum. Diſcrimen eſt inter honorem quinti præcepti, qui eſt civilis, & honorem primi præcepti, qui eſt religioſus, & devotionem cordis includit. Hoc diſcrimen tantum eſt quantum inter Deum & hominem. Lex Dei nos obligat ad honorem ac amorem Dei & proximi. Et tamen Deus in duas tabulas diſtinxit præcepta legis. Cur? Potuiſſet unam tabulam facere tantam, ut decem præcepta caperet. Diſtinxit tamen. Cur? ut doceret honorem proximo debitum eſſe alterius naturæ, quàm qui debetur Deo. Hunc igitur religioſum honorem Petrus à ſe amolitur, & pro cauſa allegat, quia ſit etiam homo. Unus homo alterum hominem non debet proſequi religioſo cultu. At ego æquè homo ſum ac tu. Ergo tu me non debes religioſè adorare. Idem faciunt Paulus & Barnabas, Actor. 14. 14. & Angelus Apoc. 19. 10. & 22. 8, 9. Quantumvis ſit hoc efficaciſſimum teſtimonium contra adorationem ſanctorum, tamen idololatrici Papiſtæ non cedunt, ſed oblatrant, vel tantùm ad tempus prohibuiſſe, quamdiu eſſet adhuc in ſtatu humili, & adoratio ejus Iudæis ſcandalo futura eſſet, vel prohibuiſſe Petrum adorationem ſui, non quia ſciret ſibi non competere adorationem, ſed quia voluerit oſtendere ſe humilem eſſe & non cupere, & proinde nos non debere omittere etiamſi illi prohibeat. Sicut aulici aliquando honorem detrectant, & tamen nos non ceſſamus eos honorare; ſic etſi Petrus honorem, qui competebat ipſi, præ humilitate recuſavit, tamen nos non debere ceſſare putant ab adoratione. Aliud verò indicat ratio quam allegat Petrus, cur adorationem ſui prohibeat. Dicit ſe hoc prohibere, non quia humilis ſit, & non cupiat adorari, ſed quia homo ſit & non debeat adorari. Si Chriſtus tantùm

tùm homo eſſet, adorari non deberet propter officium mediatorium. Cur igitur Petrus propter Apoſtolatum? Habemus hic exemplum, quo obligamur illicitos honores non tantum non quærere, ſed ne oblatos quidem admittere, ſed quod ambitionem & honoris cupididatem in nobis debeamus reſtringere hac conſideratione, ***quod ſimus homines***. Primum peccatum fuit ambitio & ſtudium emergendi ad celſitudinem Deo parem. Sicut hoc fuit primum, ita etiamnum præcipuum, quod in nobis regnat, ut nihil ſit communius inter homines, quam quod unus quærit ſuper alios dominari, eminere, ab aliis metui & adorari atque coli. Qui hoc faciunt, debent cogitare, quod etiam homines ſint ſicut alii. David, Pſal. 9 v. ult. precatur, Deus faciat, ut Ethnici ſciant ſe homines eſſe. Quid, an igitur obliti erant ſe homines eſſe: immo hoc ſæpe neſciunt & obliviſcuntur homines. Magiſtratus, heri, divites & victores alios ita deſpiciunt ac conſumunt, ut parum cogitent ſe etiam homines eſſe. Lupus parcit lupo, quia novit ſe etiam lupum eſſe: Sed homo ita perſequitur hominem, ut obliviſcatur ſe etiam hominem eſſe. Sic pii ſæpe murmurant cum ſe vident æque à Deo affligi ac alii. Quaſi vero non & illi ſint homines, qui æque mala merentur ac alii. Sic qui ita ſunt occupati in acquirendis hujus vitæ bonis, ut parum temporis & diligentiæ impendant cœleſtibus, illi certe obliviſcuntur ſe homines eſſe & mortales. Quæſo nunquam obliviſcamur nos homines eſſe, ſed ſæpe ingeminemus illud Davidis, Pſal. 8. v. 5. Iob 7. v. 17. 2. Sam. 7. v. 18. Conſidera etiam illud Eccleſiaſtis 6. 10. Solus Deus vult eſſe excelſus, Eſa. 5. 16. Noſtra ſalus incipit ab humilitate, ſicut perditio à ſuperbia cœpit. Præſertim poſtquam peccatores facti ſumus, non debemus tantum cogitare nos eſſe homines, pulverem & cinerem, ſed cum contritione debemus cogitare & perpetuo ob oculos habere, nos eſſe miſeros & turpes ac abominabiles homines. Si ſic faciemus, futurum eſt, ut quamvis ſimus homines & hominum filii, tamen ut filii Dei ſimus habendi & tractandi.

Actor. 10. *à* v. 27. *uſque ad* 34.

CONCIO CXXIII.

VEnimus ad colloquium Petri & Cornelii, idque duplex:

1. Particulare inter Petrum & Cornelium in atrio domus.

2. Commune inter Petrum & omnes quos Cornelius convocaverat, habitum intus in conclavi.

Poſtquam conveniſſent Petrus ac Cornelius, & ſe mutuo ſalutaſſent ac excepiſſent, ad tempus in atrio domus colloquutus eſt Petrus cum Cornelio. Colloquutus enim domum introiit, *συνομιλῶν*. Notat vox colloquium familiare de rebus familiaribus, e. g. de ſanitate, de tempeſtate, de rebus novis, &c. De talibus & ſimilibus ſine dubio Petrus ſub initium cum Cornelio loquutus eſt, antequam ad ſerium illud de religione colloquium tranſiret, idque propterea, ut nimiam illam venerationem ſui, qua Cornelius laborabat, quaque vel adorare ipſum cupiebat, temperaret, ne ea impeditus minus libere cum Petro ageret, & ex eo diſceret. Par quidem eſt, ut auditores miniſtros venerentur, ſed illa veneratio debet eſſe temperata, ne impediantur libere cor ſuum effundere, ſcrupulos ſuos exponere, & quod ſcire cupiunt, interrogare. Non debent eos ſuſcipere ut imperitantes Dominos, nec ut Deos vel ſemideos, quorum non digni ſunt corrigias calceamenti ſolvere, aut pedes oſculari, ut ſibi cupiunt fieri Antichriſtiani Prælati. Ideo Deus non per Angelos ſed per homines iiſdem infirmitatibus obnoxios Eccleſiam ſuam vult docere, ut tanto libentius diſcerent. Et hoc fine Petrus hoc familiari colloquio ſe Cornelio inſinuavit, ut compr imeret immoderatam illam venerationem, qua Petrum etiam adorare cupiebat.

Ad tempus hac familiaritate uſus intrat in conclave ad eos, quos Cornelius vocaverat, eoſque alloquitur, cui alloquio Cornelius reſpondet, & ad hanc reſponſionem Petrus prolixa concione replicat uſque, ad v. 44.

In primo alloquio Petri duo habes: 1 cauſam alloquii, 2. alloquium ipſum.

Cauſa alloquii erat, quia intrans conclave invenit tam multos congregatos, omnes ſcilicet aut pleroſque incircumciſos Ethnicos. Fuerat Petrus ſcrupuloſus, & vix adigi potuerat, ut ad ſolum Cornelium intraret. Sed cum ingreſſus vidit ſibi cum tam multis incircumciſis converſandum, recrudeſcit ſcrupuloſitas, ut non audeat converſationem ullam cum ipſis incipere, niſi præmiſſa ſollicita excuſatione. Eſt hoc argumentum

1. Infirmitatis Petri. Habebat verbum ac mandatum Dei, ut ſine ſcrupulo etiam ad Ethnicos intraret

traret & Euangelium prædicaret. Huic mandato paret & ad Cornelium vadit. Sed ubi videt plures quam putaverat Ethnicos congregatos, denuo fit ſcrupuloſus. Sic ſæpe fides noſtra alliſa offendiculis patitur quandam ſyncopen. Vide Matth. cap. 14. ubi Petrus fidem habens, & vi fidei mari ſeſe committens, ubi mergi incipit, ingentem patitur fidei ſyncopen. Sic idem, Gal. c. 2. ſciens & credens Chriſtianos non debere uti cæremoniis Iudaicis, tamen converſationi Iudæorum implicitus, & contradictionibus eorum tentatus cum Iudæis judaizat. Diſcamus inoffenſo pede pergere poſtquam bene cœpimus, nec terreri offendiculis. Diſcamus ὀρθοποδεῖν, Galat. 2. v. 14. ne claudicemus in utramque partem. Recordemur ſæpe quid Deo promiſerimus & juraverimus, ne recedamus. Sit tamen etiam ſolatio piis, ne ex talibus fidei in vitæ deliquiis & concuſſionibus falſitatem cordis concludant. Fuit enim etiam in Petro, adeoque non falſitatis ſed imperfectionis argumentum eſt.

2. Prudentiæ Petri. Non tantum ipſe conſpectu hominum incircumciſorum aloquid σκάνδαλον fidei paſſus eſt, ſed & infirmos fratres qui ſecum erant, ſcandalum paſſuros metuit. Itaque ex adiaphoris rem ſibi licitam noluit peragere niſi dempto ſcandalo. Et revelatione Dei per viſionem ſciebat ſibi licitum eſſe ingredi ad Gentes & circumciſos. Quia tamen ſciebat, infirmis & recenter ex Iudaiſmo converſis Chriſtianis, qui à Ioppenſi urbe cum ipſo profecti erant, hanc rem futuram ſcandalo, præmiſit hanc excuſationem, qua rationem oſtendit cur ita faciat. Sic in omnibus actionibus videndum non tantum quid liceat, ſed etiam quid conducat & ædificet, 1. Corinth. cap. 9. v. 15. 1. Corinth. 10. v. 23. 1. Corinth 6. v. 12. Si quid licitum quidem, ſed nec neceſſarium nec utile ad ædificationem, decet omittere. Si quid licitum ſit, ſed tamen etiam factu neceſſarium (nam & adiaphora fieri poſſunt neceſſaria) decet quidem facere, ſed ita ut per juſtas rationes amoveatur ſcandalum.

Alloquium ipſum Petri duas habet partes:

I. Excuſationem ſui facti.

II. Interrogationem de cauſa ſuæ vocationis.

In excuſatione duo ſunt:

1. Factum quod excuſat, ingreſſum ſcilicet ad incircumciſos.

2. Cauſa ipſa & ratio, qua factum ſuum excuſat. Factum quod excuſat ſic deſcribitur: Scitis vos quam ſit illicitum homini Iudæo ſeſe commiſcere cum alienigenis, quaſi dicat, quandoquidem notorium eſt, converſationem Iudæorum cum Ethnicis eſſe illicitam, ante omnia ratio mihi reddenda eſt, cur ego, qui Iudæus ſum, nihilominus veniam ad vos, qui eſtis Ethnici & incircumciſi. Duo hic quæri poſſunt. 1. Ubi interdictum Iudæis Ethnicis non agglutinari nec converſari? 2. Si nefas fuit Iudæis converſari cum alienigenis, qui potuerunt commercia cum illis exercere, & alias neceſſarias converſationes cum illis inſtituere, præſertim poſtquam ab Ethnicis eſſent victi, eoſque haberent habitantes inter ſe, & ipſi viciſſim inter Ethnicos eſſent diſperſi? Reſpondeo ad utrumque: 1. Expreſſum præceptum hac de re non legimus, niſi illud particulare de non contrahendo cum incircumciſis matrimonio, nec faciendis cum illis fœderibus, præſertim cum illis ſeptem Gentibus anathemat devotis, Deuter. 7. à 1. ad 7. Eſdr. 9. v. 2, 3. 2. Etſi autem lex ſola conjugia & politica fœdera cum Ethnicis interdicat, tamen conſtitutionibus humanis ac conſuetudinibus paternis illa lex fuit ampliata, ut etiam à convivus & convictu & privato congreſſu Ethnicorum abſtinuerint, unde etiam Gentes omnes contempſerunt tanquam canes & impuros, ſicut & ipſi viciſſim à Gentibus contempti ſunt. Sed hæc non erant divinæ inſtitutionis ſed humanæ conſuetudinis.

Object. At legimus de Daniele, c. 1. v. 8. quod noluerit ſe polluere cibo regis. Ergo fuit divini mandati, non veſci cum Ethnicis. *Reſp.* Daniel non abſtinuit ab Ethnicorum cibis, quaſi in ſe illicitum eſſet veſci cum Ethnicis, ſed quia fieri poterat, ut Ethnici tales cibos ei proponerent, quibus veſci non licebat Iudæis per legem, e. g. piſces & beſtias lege impuras, Deuter. 14. beſtias cum ſanguine, idolothyta. Cum etiam eſſet intentio regis Danielem cum ſociis lautis cibis quaſi ſaginare, ut fierent pulchelli, & gynæceo grati aulici, Daniel noluit huic gulæ indulgere ac intemperantiæ, ſed impetravit libertatem vivendi temperanter, ut opus eſt illi, qui vas ſuum cupit poſſidere in ſanctitate & honore. Non igitur tam divinæ inſtitutionis quam humanæ conſuetudinis erat abſtinere à congreſſu politico cum Ethnicis, quamvis ne ab omni quidem congreſſu abſtinerent, ſed tantum ab eo qui non erat ſumme neceſſarius. Quod enim ob humanam ſocietatem neceſſarium erat, non detrectabant, ut vel ex ſolo exemplo Salomonis

patet, qui cum rege Tyri contractum & fœdus init ad ædificandum templum, 1.Reg. 5. Etſi autem præter fugam conjugii nihil in hoc genere peculiari lege Deus determinavit, tamē illud divinum & morale eſt, ut quantum fieri poteſt, fugiamus conſortia & familiares converſationes cum iis, qui à religione & pietate alieni ſunt. Quoniam enim naturâ ad malum proclives ſumus, neceſſariò vitanda ſunt commercia illorum, qui nos ad malum pelliciunt, & pravo exemplo magis inficiunt. Vide 1. Cor. 15 33. 2. Cor. 6. 14, 15, 16, 17. Apoc. 18. v. 4. Pſal. 1. 1, 2. Præſertim hoc fine cavendæ ſunt conciones heterodoxorum & idololatrarum, quippe quorum verbum eſt inſtar ſerpentis cancri, 2. Timoth. 2. v. 17. Vide 2. Iohan. 10. Matth. 7. v. 15.

Ratio ipſa, quâ factum ſuum excuſat eſt hæc: Sed Deus mihi oſtendit, ut neminem hominem communem aut pollutum dicam. q. d. ſed quia Deus per viſionem ſpeciali mandato contrarium mihi injunxit, non poſſum veteri conſuetudini plus tribuere, quàm Dei mandato. Eximium hoc in Petro obedientiæ exemplum, quod mandatum Dei anteponit conſuetudini quantumvis veteri & non inutili. Notent hoc Pontificii, qui veteres conſuetudines retinendas putant, quantumvis Scriptura contrarium mandet. Si Petrus ita feciſſet, qui placuiſſet Deo?

Quo ſenſu autem Petrus dicit neminem amplius hominem communem aut impurum eſſe appellandum? An igitur in N. Teſt. diſcrimen hominum ita eſt ablatum inter Eccleſiam & eos, qui ab Eccleſia ſunt alieni? An jam non amplius eſt illud inter homines diſcrimen, quod alii ſunt regeniti, juſtificati, abluti, puri, alii verò irregeniti, impuri, polluti, &c Annon hic docetur gratia univerſalis, quod per Chriſtum omnes homines ſunt vocati, ſanctificati & ſufficienti gratia ad ſalutem imbuti? An Chriſtiani in N. Teſt. tenentur cum uno homine æque familiariter converſari atque cum altero, ſine obſervatione diſcriminis inter pios & impios? *Reſp.* Petrus hic non loquitur de puritate & impuritate omnis generis, ſed tantum de cæremoniali impuritate, quæ per legem Moſis erat introducta. Triplex eſt puritas & impuritas hominum, ſecundum triplicem legem, quam Deus Iſraëlitis dedit:

1. Impuritas ſpiritualis vel moralis, qua homines natura ſunt impuri reatu & macula peccati. Huic opponitur puritas gratiæ juſtificantis & ſanctificantis. Hoc diſcrimen etiamnum durat, ut alii ſint impuri, id eſt, in ſtatu naturalis pollutionis conſtituti, alii puri, id eſt, per gratiam Dei juſtificati, ſanctificati. Fides enim non eſt omnium, ſed aliqui adhuc ſunt homines mali & diſtorti, 2. Theſſ. 3. 2. Hæc impuritas eſt intra & extra Eccleſiam viſibilem. Qui enim non ſunt regeniti, eorum mens & conſcientia polluta eſt, Tit. 1, 15. quia per fidem non purgata, Act. 15. 9.

2. Impuritas forenſis vel eccleſiaſtica, qua aliqui à Deo ita relinquuntur, ut incedant ſuis propriis viis, & ſedeant ſine vocatione, ſine teſtamento gratiæ, non ſint populus Dei, non ſint Eccleſia, in qua Deus ſibi peculium colligit. Huic opponitur puritas Eccleſiaſtica, qua Deus gentem aliquam vocat ad communionem Eccleſiæ & fœderis, datque ipſis verbum & ſtatuta ſua. Tale olim erat diſcrimen inter Iudæos & Gentes, Pſal. 147. 19, 20. Eſa. 9. 1. Act. 14. 16. Hoc diſcrimen etiamnum in N. Teſt. durat, ut aliqui populi ſint confœderati Dei, in quibus habet ſuam Sanctam Eccleſiam, aliqui non ſint. Verum quidem eſt, quod Deus in N. Teſt. hanc Eccleſiaſticam & externam puritatem valde extendit, & multo plures populos ad externam communionem fœderis vocavit, ut eſt Actor. 17. 30. & 34. nondum tamen eſt univerſalis, ut patet ex experientia, & præſertim ex rejectione Iudæorum, nec forte unquam erit univerſalis.

3. Impuritas cæremonialis, poſita in eo, quod Gentes carebant ornatu illo cæremoniarum, quo Deus per Moſen Iſraëlitas ornavit & purgavit ac à Gentibus ſeparavit. Antequam Moſes in mundum veniret, jam erat in mundo hoc diſcrimen, ut Deus aliquibus daret ſuum verbum, & eos in ſuum fœdus reciperet, cæteros ſineret ire ſuis viis, nec eos haberet pro populo ſuo. Sic ſtatim ab initio ex familia Sethi ſibi collegit Eccleſiam, cœteros ſivit ire ſuis viis, Geneſ. 4. & 5. Sic inter poſteros Sethi fœdus fuit penes Semum & familiam ejus, Gen. 9. v. 26. Sic inter poſteros Semi penes Heberum & poſteros ejus. Et denique inter hos penes Abrahamum & filios ejus uſque ad Moſen. Sed poſt Moſen non tantùm ad cæteros omnes populos verbum Dei non pervenit, ſed etiam per cæremonias poſitus eſt paries intergerinus, Epheſ. 2. 14. ut non poſſet verbum Dei ad Gentes pervenire. Sicut Adamum paradiſo excluſit, ne poſſet ad arborem vitæ pervenire, Geneſ. 3. Sicut templum atriis fuit circumdatum, ut non poſſent in illud pervenire

Gentes; ita per cæremonias Moſaicas, ita ſeparavit Iſraëlitas à Gentibus, ut non poſſent Gentes participes fieri Euangelii. Sicut enim Deus quoſdam cibos à cæteris cibis ſeparavit, eoſque pronunciavit puros, cæteros impuros, Deut. 14. non quod in ſe puriores eſſent, ſed ut eſſent cæremoniæ & quaſi ornatus ac habitus vel nota centurialis (Liberey) qua Iſraëlitæ ſepararentur à Gentibus, agnoſcerenturque eſſe purus ille & ſanctus populus, qui à cæteris Gentibus tantum differret, quantum purum ab impuro; ita cæteræ omnes Moſaicæ cæremoniæ habuerunt hunc finem. Præcipue quidem ſignificabant & adumbrabant myſteria N. Teſt. ſed tamen etiam hunc finem habebant, ut eſſent murus intergerinus inter Iſraëlitas & Gentes, ne per nimiam converſationem vel impuritas Gentium tranſiret ad Iſraëlitas, vel myſteria Euangelii tranſirent ad Gentes. Hinc vocantur δικαιώματα σαρκὸς, Hebr. 9. 10. quia efficiebant externam illam & carnalem puritatem, cujus defectu Gentes ab Iſraëlitis ſeparabantur & à ſacris eorum excludebantur, niſi prius cis parietem intergerinum venirent, & cæremonialiter purgarentur acceptatione rituum. Præputium erat ſuper Gentes tanquam ſtigma, quo proſcribebantur ex republica Iſraëlis, & declarabantur populus reprobatus, cui aditus ad fœdus gratiæ non pateret. Tantum aberat, ut in V. T. vocatio & gratia ad converſionem ſufficiens fuerit univerſalis, ut etiam Gentium vocatio fuerit illicita, & Gentes pariete intergerino à gratia vocationis fuerint excluſæ. Habitabant Gentes in finibus, immò in civitatibus Iſraëlitarum, ſcil. poſtquam à Gentibus devicti eſſent, & tamen Iſraëlitæ non patiebantur Gentes ullam habere ſecum in ſacris communionem, ſed Ethnici ipſis adeò erant impuri, ut etiam abominationi. Hinc Chriſtus canes appellat, & ſe non miſſum ad Gentes eſſe ait, Matth. 15. 24, 25. Iohan. 4. 9. Hinc & diſcipulos prohibuit Euangelium prædicare Gentibus, Matt. 10. 5, 6. Sed poſtquam Chriſtus exaltatus eſt, hæc cæremonialis impuritas eſt purgata, id eſt, annihilata & nulla vel nullius ponderis declarata, ut Euangelium prædicaretur etiam illis, & illi quoque ad Eccleſiam vocarentur, qui cæremonialem illam puritatem non haberent. Et hoc ſenſu Petro nemo amplius eſt impurus, quia nemo ideo indignus prædicatione Euangelii, quod eſſet cæremoniis Iudaicis deſtitutus, & incircumciſus. Sacramenta quidem & promiſſiones Euangelii ne in N. quidem T. applicantur illis, qui adhuc ſunt in morali & naturali impuritate, ne ſanctum objiciatur canibus, Matth. 7. ſed propter cæremoniarum defectum nemo amplius arcetur à templo & à ſacris Euangelicæ Eccleſiæ, modò ſit purus corde & vita. Et hoc nomine lætandum nobis. Erat gratiis dignum maximis, quod Ethnici non ita erant ab Eccleſia excluſi, quin poſſent admitti, ſi fierent proſelyti & cæremoniis ſeſe ſubmitterent. Quanto magis igitur debet eſſe gratum nobis, quod admittimur ſine hoc onere, ut appellatur Act. 15. 10, 24, 28. Quanto facilius igitur nunc eſt religionis opus, tanto libentius illud ſuſcipiamus. Dulce eſt jugum Chriſti, quod nobis Ethnicis impoſuit, Matt. 11. immo dulcius quam quod Iudæis, qui tamen erant filii regni & naturales rami.

Facta excuſatione ſubjungit quæſtionem, cur vocatus ſit. Non quærit quia neſciebat. Erat enim à Deo & ſervis Cornelii inſtitutus. Sed quærit, ut ſciat, qui Cornelius erga verbum affectus ſit, & qua parte verbi maxime indigeat. Sicut medicus ægro ſolet proponere quæſtiones, ut ſciat qua parte & quo morbo laboret, ita concionator auditorem interrogat quid velit, ut intelligat quo pharmaco indigeat, an reprehenſione, an inſtitutione, an ſolatio.

Actor. 10. v. 30, 31, 32, 33.

CONCIO CXXIV.

Colloquium inter Petrum & Cornelium cum amicis ejus diviſimus in tres partes 1. Alloquium Petri. 2. Reſponſum Cornelii 3. Replicam Petri. Nuper audivimus alloquium Petri quo ingreſſum ſuum ad tot incircumciſos excuſat, & de cauſa, propter quam vocatus ſit interrogat. Hac vice conſiderabimus reſponſum Cornelii, quo

1. Cauſam enarrat propter quam Petrum vocaverit.
2. Gratias agit Petro quod vocatus venerit.
3. Promittit attentam auditionem eorum, quæ Petrus loquutus fuerit.

DE PRIMO.

Cauſam vocationis enarrat per repetitionem apparitionis Angelicæ, quæ ſupra nobis deſcripta eſt, v. 3, 4, 5, 6. & iterum v. 22. Aliqua tamen in hac repetitione addit, quæ ſupra non habuimus, videl.

1. Quod

1. Quod eo die, quo Angelus ipſi apparuerat, jejunium celebraverit uſque ad eam ipſam diei horam, qua Petrus nunc cum illo loquebatur. Qua autem hora Petrus Cæſaream venerit, textus non dicit. Colligitur tamen ex textu probabiliter, quod venerit valde mane, ipſa hora, qua ante quatuor dies Cornelius ſe ad jejunandum & precandum accinxerat, ut ſenſus verborum Græcorum ſit hic: Nudius quartus hac ipſa hora, qua nunc mecum loqueris, accingebam me jejunio, & hora nona ejus diei, id eſt, tertia noſtra pomeridiana, eram in precibus & tunc vidi Angelum, &c.

Quæri poſſet, qui Cornelius adactus ad celebrandum jejunium, cum jejunium religioſum inter Romanos & Ethnicos parum eſſet uſitatum, ſed inter Iudæos, & vero Cornelis religioni Iudaicæ non eſſet addictus, nec proſelytus factus, verum adhuc incircumciſus? *Reſp.* Non erat quidem Cornelius proſelytus Iudæus quantum ad publicam profeſſionem, ſed tamen quantum ad privatam exercitationem. Non erat extus Iudæus, ſed tamen intus, Rom. 2. 28, 29. Religionem Iudaicam publice nondum profitebatur, ſed tamen ſacram Scripturam inter Iudæos converſans legerat, & ex illa veri Dei cognitionem aliquam hauſerat, miſeriam ſuam agnoverat, gratiæ & ſalutis cupidus erat factus, forte etiam generalem aliquam cognitionem venturi Meſſiæ imbiberat, ut ſupra diximus, ideoque didicerat, Deum jejunando & precando fatigare, ut viam & media ſalutis ſibi oſtenderet. Huc uſque Cornelius in religione Iudaica profecerat, etſi nondum publica profeſſione ſe illi adjunxerat. Hæc enim ſunt quaſi prima elementa & alphabetum ſalvificæ religionis, ſcire videlicet Deum eſſe, & eſſe remuneratorem iis, qui ipſum quærunt, miſeriam ſuam ſentire, & gratiam ac ſalutis viam jejunando & precando à Deo petere.

Sed unde Cornelius didicerat jejunium eſſe inter illa media, per quæ ſalus apud Deum quærenda eſt? An hoc ſciebat ex luce naturæ? Deum eſſe precandum lux naturæ etiam dictat. Sed jejunium quoque eſſe rem Deo gratam, unde hoc ſciebat Cornelius? *Reſp.* Naturæ lux & ſenſus facile dictat, quod ſine jejunio homo vix aptus eſt ad ſerias & ferventes preces, ac profundam humiliationem ſui ipſius coram Deo, unde & Gentiles tempore triſtitiæ & calamitatis ad Deum clamaturi, jejunium adhibebant, ut patet ex hiſtoria Ninivitarum, Ionæ 3. 4. Sed tamen Cornelius ſine dubio jejunium eſſe cultum Deo gratum præcipue didicerat ex Scriptura, & praxi Eccleſiæ Iudaicæ, ubi hoc exercitium religioſum frequenter occurrit, præſertim anniverſarium illud & magnum jejunium, quod celebrabatur decimo die ſeptimi menſis, Levit. 23. 27. Act. 27. 9. Scriptura partim præceptis partim exemplis duplex jejunium nobis commendat.

1. Iejunium ſpirituale, Eſa. 58. 6. Hoc eſt jejunium ut ſolvatis nodos impietatis, i. e. ut abſtineatis ab impia oppreſſione proximi. Sic Eſa. 1. 13, 15, 16. Quare abſtinentia à peccatis vocatur jejunium? Quia eſt ſubtractio pabuli & cibi quem appetunt carnales noſtræ concupiſcentiæ ac libidines, quoque alitur & ſaginatur vetus homo. Caro quæ in nobis habitat perpetuo concupiſcit, Gal. 5. 17. Quid concupiſcit? Ut peccatum actuale faciamus. Cum enim peccatum faciamus, concupiſcentiam carnis perficimus, v. 16. patimur nos captivos duci ſub legem peccati, quod eſt in membris noſtris, Rom 7. 23. patimur nos trahi & ineſcari à carne, Iacob. 1. v. 15. Et quanto magis voluntatem carnis perficimus, tanto magis carnem roboramus. Sicut qui æſtu febris ſitiunt, bibunt, putantes ſe æſtum exſtincturos, ſed quanto magis bibunt, tanto magis æſtum & ſitim roborant: ita homines appetitum peccandi in ſe ſentientes, peccant, ſperantes fore, ut commiſſione peccati appetitus peccandi ceſſet, ſed quanto plus & ſæpius peccant, tanto magis appetitum & inclinationem peccandi in ſe roborant. Quanto ſæpius adulteraris, ſcortaris, furaris, inebrians, &c. tanto plus inclinationem ſcortandi, &c. in te roboras. Quicunque igitur vult ſatisfacere præcepto verbi, & occidere, crucifigere veterem hominem, terrenaque ſua membra, diſcat hoc ſpirituale jejunium, ſcil. ut neget ac recuſet *τὴν ἐπιθυμίαν σαρκὸς τελεῖν*. Gal. 5. 16. & *κατὰ σάρκα ζῆν*, Rom. 8. 13. Hoc jejunio debilitatur, emaceratur, crucifigitur, occiditur & quaſi fame enecatur vetus noſter homo & concupiſcentia carnis. Si cui eſurienti negas cibum, tandem fames & appetitus ejus moritur: Sic ſi recuſas explere deſideria carnis & concupiſcentiæ, concupiſcentia ipſa tandem moritur: Sicut ignis extinguitur, cum continetur, ne moveri poſſit; ita caro occiditur, cum concupiſcentia ejus non perficitur. Concupiſcere malum eſt eſurire, facere voluntatem carnis, eſt edere ac bibere. Recuſare voluntatem carnis perficere, eſt jejunare. Hoc jejunium debet eſſe perpetuum, & ſine hoc extraordinaria jejunia vana ſunt.

2. Iejunium corporale quod eſt abſtinentia à cibo & potu præter ordinarium tempus, ſuſcepta ad compri-

comprimendum corpus, ne impediat Spiritum à ſpirituali cultu. Talia jejunia ſancti in V. & N. Teſt. creberrime habuerunt. Iudæi habuerunt jejunium ſtatum anniverſarium, habuerunt etiam multa jejunia libera, eaque tum publica, tum privata, quæ tempore calamitatis alicujus publicæ vel privatæ libere indixerunt & ſuſceperunt. Sic Iſraëlitæ indixerunt jejunium publicum, Iudic. 20. 26. David privatum ſuſcepit, 2 Sam. 12. 16. In N. Teſt. etiam ſunt exempla Sanctorum jejunantium, Luc. 2. v. 37. Act. 9. 9. Act. 13. 2. 3. & 14. 23. Immo talia jejunia corporalia non tantum exemplis Sanctorum nobis commendantur, ſed etiam Prophetarum & Apoſtolorum præceptis, Ioël. 1. 14. & 2. v. 12, 15. 1. Cor. 5. 7. Proinde jejunia iſta corporalia non debemus habere pro re illicita & non neceſſaria, cui Chriſtiani plane non ſint adſtricti, ſed potius ſciendum, quod ſumma cum cura ac ſollicitudine ſint à nobis obſervanda, ut nullum ſit majus peccatum, quam illis diebus indulgere lætitiæ corporali, quibus à Deo ad jejunandum vocamur, Eſa. 22. 12, 13, 14. Quando autem vocamur à Deo ad jejunandum?

Reſp. 1. Cum magna calamitas impendet, & Deus ſe iratum oſtendit. Tum enim nos debemus nos humiliare coram Deo jejuniis. Vide Ioël 2. v. 11. 12. & Num. 12. 14.

2. Cum magnum aliquod & arduum negotium ſuſcipimus ac periculoſum, ad quod auxilio Dei valde indigemus. Vide Matth. 17. 21. Actor. 13. v. 2, 3.

3. Cum libidinibus noſtris ſuccumbimus, nec prævalere poſſumus, 1. Cor. 9. 27. 2. Cor. 12. 8. Calumnia igitur eſt Pontificiorum, cum ajunt nos jejunia contemnere & diſſuadere, quam calumniam etiam ipſe Chriſtus expertus eſt, Matth. 11. v. 18, 19. Non contemnimus jejunia, ſed laudamus tanquam exercitia divinitus inſtituta, adeoque neceſſaria & utilia, ſi modo non contaminentur humanis abuſibus. Hoc vero eſt, quod querimur, hæc ſancta exercitia jejuniorum adeo eſſe contaminata in Papatu, ut eorum jejunia non tantum non ſint Deo grata, ſed etiam exoſa & abominabilia. Duplex eſt abuſus in jejuniis Pontificus:

I. Hypocriſis, quod ſe ſimulant jejunare, cum non jejunent. Quis hoc, inquis, faciat? *Reſp.* faciunt hoc

1. Qui jejunia ponunt non in abſtinentia à cibis, ſed tantum in ciborum delectu, quique jejunia crapulis compenſant. Mahumeth Turcarum in Alcorano ſuo etiam injungit certis diebus anni jejunare, ſed dicit: Die tota jejunantes noctu,, jejunium ſolvite, tunc commedentes & bibentes,, quantum libuerit, fere uſque ad principium horæ,, quæ ſolis ortum antecedit, &c. Talia ſunt jejuni Pontificiorum & aliorum, qui profanam eorum hypocriſin ſequuntur. A nativitate uſque ad Bacchanalia nihil niſi comeſſantur & pergræcantur die ac noctu, deinde 40. diebus jejunare ſe dicunt, cum tamen ne tum quidem jejunent, ſed tantum genus cibi mutent, idque non in pejus, ſed ſæpe in melius. Et illis quadraginta diebus finitis, redeunt ad gulæ indulgentiam, ne carnes non comedant ſed vorent. Iejunium tandem ſolvi debet, ſed non ſolvi in crapulam & libidinem, ſed in gratum reditum ad temperantem uſum donorum Dei. Et cum tam parum aut nullo modo jejunent, tanto tamen cum apparatu externarum ſpecierum & cæremoniarum jejunium ſimulant ac oſtentant, ut in nullum hominum genus magis quadret illud Chriſti, Matth. 6. v. 16. quam in Pontificios.

2. Qui jejunant ſine triſtitia cordis ac humiliatione. Iejunium in ſe non eſt cultus Deo gratus. Qui enim Deus delectaretur afflictione hominum? Sed tantum eatenus Deo placet, quatenus eſt medium humiliandi cor, & impediendi laſciviam & gravitatem corporis, qua vera humilitas cordis & fervor precandi impeditur. Hinc preces & triſtitia cum jejunio conjunguntur, Ioël 2. v. 12, 13. jejunium corporale ſine precibus, triſtitia & humiliatione cordis tempore neceſſitatis tantundem valet, quantum vagina ſine gladio tempore belli. Sicut enim vagina non alium habet uſum quam ut gladium, quo pugnatur, præſervet, ne corrumpatur ærugine; ita jejunium corporale non alium habet uſum, quam ut preces & humiliationem cordis, quibus cum Deo luctamur, præſervet à corruptione libidinum. Verum jejunium non tantum eſt maceratio corporis, ſed præcipue maceratio animæ, Pſal. 35. 13. & 69. 11. conſiſtens in fletu & dolore ſuper peccatis. Et corporalis abſtinentia tantum eſt medium laſciviam carnis compeſcendi & veram humiliationem excitandi. Noſtri pueri nunc etiam jejunant & torquentur fame, ſed parum cruciant animam dolore de peccatis. Nos debemus eſſe ſapientiores.

II. Hæreſis & ſuperſtitio conſiſtens in diverſis.

1. Quod jejunia certis diebus alligantur, quartæ & ſextæ feriæ, vigiliis feſtorum, quadraginta

diebus ante Paſcha, circa tempora adventus, quatuor temporibus anni, &c. ita ut grave peccatum dicatur committere, qui iſtis temporibus non jejunet. Scriptura nullum jejuniis diem conſtituit, ſed ſimpliciter jejunium fieri commendat, cum eſt jejunandi cauſa, quæ quando ſit, in publicis jejuniis Rectores Eccleſiæ vel Magiſtratus diſcernant, in privatis vero jejuniis unuſquiſq; ſuo utatur arbitrio. Sic etiam quamdiu jejunandum, non præceptis definiri poteſt, ſed pietati & prudentiæ relinquendum cujuſque, modo hoc generale præceptum obſervetur, ut ad jejunandum vocati, extraordinaria abſtinentia à cibo & potu corpus maceremus, quantum utile eſt ad acuendum dolorem de peccatis & fervorem in precibus. Nam qui hæc omnia præceptis definire ſatagunt, ſuperſtitioſo Saulo ſimiles ſunt, 1 Sam. 14. 24, 29.

2. Quod jejuniis vis merendi tribuitur. Hæc vera hæreſis. Qui enim putat ſe jejuniis ſuis peccatum expiare & cœlum mereri, Euangelium abnegat & hæreticus eſt. Vis jejuniorum non eſt alia, quam coërcere libidines carnis & gravitatem corporis, ne obſint extraordinariæ humiliationi & fervori in precibus, quem Deus tempore extraordinarii periculi & neceſſitatis à nobis requirit. Ne negligamus igitur hæc ſancta exercitia, ſed ita caveamus abuſus, ut non ſimul contemnamus uſum ipſum. Conſiderate qualia ſint hæc tempora, annon nos invitent ad jejunia? Inſpicite peccata quæ graſſantur, pericula quæ imminent, onera quæ premunt. Non ſufficit his temporibus ordinaria temperantia, ſed & extraordinaria abſtinentia requiritur, ut extraordinaria fieri poſſit humiliatio coram Deo.

Unum reſtat, quod ex hac parte textus diſcere poſſumus, videl. quod qui in negotio ſalutis pervenerunt uſque ad veram humiliationem, iis non deerit gratia, quæ porro ad ſalutem requiritur. Pelagiani & eorum ſocii dicunt, quod cum homo facit, quod per naturæ & liberi arbitrii vires facere poteſt, tum Deus ſit obligatus plus gratiæ ipſi dare. Hoc negamus, quia voluntatem Dei ſubjicit arbitrio hominis, & negat iſtam liberam εὐδοκίαν Dei, quam teſte Scriptura in diſtributione gratiæ ſalvificæ ſequitur. Illud tamen dicimus, quod quicunque in participatione gratiæ ſalvificæ pervenit uſque ad veram humiliationem, ei non deerunt cœteri gradus gratiæ ad ſalutem neceſſariæ. Deus quidem debitorem ſe non fecit homini naturali & ejus arbitrio, ſed tamen debitorem ſe quaſi fecit illis, in quibus primum gradum gratiæ ſalvificæ, videlicet veram humiliationem operatus eſt. Sic patet ex exemplo Cornelii. Is eo uſque profecerat in converſione, ut eſſet vere humiliatus, miſeriam ſuam ſentiens, viam ſalutis ſitiens, eamque jejunando & precando quærens. Cum eo uſque profeciſſet, mittitur Angelus, Apoſtolus & Spiritus, qui cætera ad ſalutem neceſſaria docent ac largiuntur. Id factum Paulo, Act. 9. Poſtquam ille per viſionem cœleſtem compunctus integro triduo jejunando & precando viam ſalutis apud Deum quæſiviſſet, miſſus eſt Ananias, qui cætera contulit. Sic Act. 2. Poſtquam die Pentecoſtes illa tria millia hominum eſſent vere humiliata, ut cum deſiderio exquirerent conſilium ſalutis, ſequitur revelatio Euangelii & gratiæ confirmatio. Hoc illud quod Chriſtus promiſit Matth. 13. 12. & paſſim: *Habenti dabitur.* Qui initia habet, ei non deerit progreſſus & tandem perfectio. Hinc Phil. 1 v. 6. certus eſt Paulus, quod qui bonum opus cœpit, etiam perficiet. Sic Heb. 12. 12. Hinc Pſal. 51. dicitur, cor contritum non aſpernaturus. Etſi cor contritum in ſe Deo placere non poteſt, nec hominem coram Deo juſtum & acceptum reddere, antequam accedat fides & applicatio juſtitiæ Chriſti, tamen ubi cor vere humile & contritum eſt, id Deus non aſpernabitur, ſed replebit ea gratia, quæ porro ad reconciliationem & ſalutem neceſſaria eſt. Ratio rei evidens eſt, quia vera humiliatio eſt donum Dei ſalutare profectum ex æterno conſilio ſalvandi & ex virtute meritorum Chriſti. Æternum autem conſilium electionis non eſt ſalutem alicujus incipere & poſtea non perficere. Nec Chriſtus cuiquam meritus eſt initia ſalutis ſine perfectione. Ergo ubicunque Deus per veram humiliationem opus ſalutis incepit, ſignum eſt quod velit perficere. An foret fidelis Chirurgus & Medicus, qui vulnus infligeret, & non idem ſanaret, qui venam aperiret & non obligaret? Sic ubi foret Chriſti fidelitas, ſi malleo legis cor frangeret, & non balſamo Euangelii idem ſanaret? Itaque.

1. Ante omnia & ſupra omnia ſtudeamus veræ humiliationi. Nam qui hanc non habet, cætera non poteſt accipere, & qui hanc habet, de cæteris ad ſalutem neceſſariis poteſt eſſe ſecurus. Sicut vas plenum aqua non poteſt repleri vino; ita cor non humile & evacuatum, ſed plenum opinione propriæ juſtitiæ & potentiæ, non poteſt repleri gratia Euangelii. Immo ſicut plenus ſtomachus, cibum non

non tantum non recipit, ſed etiam reſpuit & nauſeabundus evomit; ita vera cauſa propter quam multi non poſſunt adigi ad fiduciam in Chriſtum,& non tantum doctrinam Euangelii de fide in Chriſtum non recipiunt,ſed etiam eam calumniantur& perſequuntur eſt hæc, quia injuſtitiam & corruptionem ſuam non ſentiunt cum aliquo dolore cordis, ſed propriç juſtitię& ſufficientię opinione turgidi ac repleti ſunt. Evacuemus corda noſtra abnegemus merita & vires, oſtendamus nos Deo ſitientes ac eſurientes gratiæ, proſternamus nos coram eo jejuniis & deprecationibus.

II. Solatium hinc capiant omnes infirmi, qui præter veram humiliationem & cor contritum nihil gratiæ in ſe ſentiunt, qui ſe fidem & fiduciam non habere conqueruntur, nec in ſanctimonia vitæ proficere. Modo habeas veram humiliationem, famem ac ſitim juſtitiæ tum imputatæ tum inhærentis, eamque jejuniis & precibus apud Deum quæras, non deerit tibi, quod præterea neceſſarium eſt ad ſalutem. Fer patienter tuam famem, nec exſtingue per delicias mundanas, Deus neminem eſurientem & contritum aſpernabitur. Vide promiſſionem Matth. 5. 3, 4, 5, 6.

II. Quod Angelus qui apparuit habuerit veſtem ſplendidam. Non dicit ἐσθῆτα λευκὴν albam, ſed λαμπρὰν ſplendidam. Splendor enim eſt albedo luce illuſtrata. Hinc Matth. 28. 3. dicuntur veſtes & λευκαὶ, & ὡς ἀστραπή. Hic eſt veſtitus aulicorum Dei, & erit omnium eorum qui in cœlum recipientur, Matth. 13. 43. Erunt enim

1. Albi ſeu puri, induti juſtitia & ſanctitate, quod in hac vita incipit, ſed ibi perficietur, Apoc. 3.

2. Splendentes fulgore & radiis divinę gloriæ, Phil. 3. 21. Hic fuimus tenebræ, ibi erimus lux. Felicitas cœli conſiſtit in Urim & Thummim. Utrumque in hac vita incipit. Noſtrum Thummim ſeu noſtra juſtitia & ſanctitas hic incipit. Noſtrum Urim ſeu noſtra lætitia & gloria hic incipit. Sed neutrum hic perficitur. Juſtitia mixta peccatis. Gloria mixta cruce. Utrumque tamen perficitur in cœlo.

DE SECUNDO.

GRatias agit Petro quod venerit. Bene feciſti quod veniſti, q. d. pro beneficio agnoſco, & me tibi obligatum fateor. Eccleſia Miniſtris Dei gratiam debet pro fideli adminiſtratione. Eſt enim beneficium, immo omnium beneficiorum maximum. Si obligatus es parentibus, qui vitam dederunt, ſi præceptoribus qui eruditionem, ſi Magiſtratui qui pacem, ſi medicis, qui ſanitatem procurant, quanto magis illis, qui media ad ſalutem animæ adminiſtrant. Vide Paulum, Philem. 19. 1 Corinth. 11. 14. *Object.* 1. Si ſine ſtipendio concionaremini ſicut Paulus, tum gratiæ deberentur. Sed vobis ſolvitur ſtipendium. Si quis medico ſolvit pretium medendi, non debet gratias. *Reſp.* Quæ quæſo proportio eſt inter mercedem quam nos tradimus, & mercedem quam vos rependitis? æterna tradimus, temporalia rependitis, & vix tanta, unde vivere poſſumus. Si quis dives te hæredem faciat omnium ſuorum bonorum, & hoc ei rependis ut vitam ejus cures ac ſuſtentes, an per hoc ſolutus es ab omni debito gratitudinis? Sic nos vos facimus hæredes cœli, & vobis tradimus jus omnium bonorum ſpiritualium. An igitur omni vos gratitudinis debito exſolvitis, ſi datis ſtipendium unde vix vivere poſſumus?

Object. 2. At non dant de ſuo quod dant. Gratis acceperunt, gratis debent dare. Si ſunt inviti ad faciendum quod faciunt, ſciant quod neceſſitas incumbat faciendi, & væ illis ſi non faciant. Eſt enim à Deo ipſis injunctum, 1 Cor. 9. v. 16, 17. *Reſp.* Pater tuus qui te hæredem facit omnium bonorum ſuorum, etiam non dat de ſuo quod dat, ſed accepit gratis, & gratis dare tenetur, & væ illi, ſi bona ſua diſperdit & non reſervat ſtudioſe ſuis hæredibus. An igitur tu ſolutus à gratitudinis lege? Paulus illo dicto auditores non abſolvit à debito gratitudinis, ſed ſeipſum ſolatur contra eorum ingratitudinem. Deus vult te obligatum ad gratitudinem etiam iis, per quorum manus & labores ſua dona in te derivat, non tanquam bonorum autoribus, ſed tanquam inſtrumentis Dei. Qui vos rejicit, me rejicit, qui vobis ingratus eſt, mihi ingratus eſt. Vide 1. Sam. 8. 7. Non dicimus hoc, quaſi ſtipendio noſtro non contenti aliquid doni & redhoſtimenti cupiamus extorquere. Poſſumus bona conſcientia ſecundum Paulum dicere, quod non veſtra, ſed vos quærimus. Poſſumus ferre ut ſitis non grati, modo non ſitis ingrati, bona malis compenſantes. Non gratum eſſe, eſt bonum bono non compenſare; ſed ingratum eſſe, eſt bonum malo compenſare. Hic nobis cauſa querendi, quod miniſterium noſtrum vilipenditis, dona noſtra contemnitis, defectus nulla patientia toleratis, immo obſtinata malitia exhortationibus noſtris vos opponitis, vel ideo tanto magis quod malum eſt facientes, quia à miniſtris interdicitur, atque ita

ita animas noſtras torquentes, ut non poſſimus non conqueri, ut eſt 1 Theſſ. 3. 5. Eſa. 53. 1.

DE TERTIO.

PRomittit Petro ſe facturum, ut non fruſtra venerit. In hac promiſſione duo habes: 1. declarationem ſui propoſiti 2. confirmationem hujus declarationis. Sumus hic ut audiamus quęcunque Deus præcepit tibi.

I. Sumus præſentes ut audiamus. Te vocavimus ut loquaris, nos venimus ut audiamus. Audire hic non eſt ſimpliciter ſpeculative accipiendum, ſed practice, q. d. ſumus hic, ut abs te diſcamus intelligere & facere quæcunque nobis in nomine Domini præceperis. Hic debet eſſet ſcopus, hoc propoſitum omnium eorum, qui templum frequentant. Qui ſine hac intentione veniunt, fruſtra veniunt. Cur venis ad templum, cur domi non manes? *Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ*, queritur Poëta de puellis comœdias frequentantibus. Id merito querimur de multis auditoribus. Non veniunt ut audiant, ſed ut audiantur & videantur, non ut diſcant, ſed ut innoteſcant & habeantur pro honeſtis, piis, utque frequentatione templi tegant impuritatem vitæ. Alii veniunt ut diſcant intelligere, ſed non ut diſcant facere, ſimiles illis ſpeculatoribus, Iacob. 1. v. 23. In templum inferenda intentio & propoſitum diſcendi & faciendi quod didiceris.

II. Sumus parati facere omnia. Neceſſarium requiſitum boni auditoris, ut habeat propoſitum omnibus ſe ſubjiciendi quæ præcipientur. Templum eſt emporium ubi emitur & venditur Margarita cœleſtis vitæ. Concionatores ſunt venditores, qui hanc nobilem mercem oſtendunt, offerunt, & commendant. Sed qui in templum veniunt? alii veniunt animo licitandi, alii animo emendi. Illi ſpeculantur mercem, quæ oſtenditur & offertur, concipiunt quandam delectationem & cupiditatem habendi, acquieſcunt dare quæ ſine difficultate poſſunt, ſed non adſcendunt ad univerſalem conſenſum totius pretii. Hoc vero pacto auditione verbi nihil efficitur, ſed veniendum cum propoſito emendi, quanticunque conſtet, ſi vel vita, honore & omnibus bonis temporalibus. Non valet licitatio in templis. Concionatores non ſunt proprietarii mercis, quæ ibi venditur, ſed factores, ut vocantur, qui vendunt ſecundum pretium à Domino conſtitutum. Nec minoris poſſunt vendere quàm Dominus præſtituit.

III. Non dicit, ſumus parati facere quæcunque præceperis, ſed quæcunque tibi Deus præcepit à nobis exigere. Cornelius & Socii non erant Papiſtæ, qui ſuam conſcientiam ſubmitterent arbitrio & voluntati ullius hominis, ſed obedientiam miniſtris debitam reſtringebant ad voluntatem Dei. Hæc propria eſt poteſtas Antichriſti quam nactus eſt ſuper homines, quod obedientiam ipſi promittunt cœcam & abſolutam, parati facere quicquid præceperit. Hinc tantum ſibi regnum erexit, ut homines ad abſurdiſſima quæque credenda & facienda paratos invenerit, in tantum, ut non male dixerit, quiſque dixit; ſacrificulorum in hominum conſcientias tantam fuiſſe vim, ut ſi non veniſſet Reformationis obſtaculum, homines adegiſſent ad ad comedendum fœnum inſtar boum. Nos obedientiam requirimus, ſed limitatam ſecundum inſtructionem, quam à Deo habemus. Noſtrum eſt præcipere, ſed veſtrum eſt antequam obediatis, examinare, an doctrina quam præcipimus, ex Deo ſit. Cum nos præcipimus, exigite à nobis commiſſionem & inſtructionem præcipiendi: Demonſtra eſſe voluntatem Dei quæ præcipis. Examinate veſtros Prophetas, an ex Deo ſint, & ex Deo loquantur, 1 Ioh. 4. 1.

IV. Sed cur addit: *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*? *Reſp.* Duobus modis ea phraſis in ſcripturis uſurpatur:

1. Localiter, q. d. ſumus in loco, in quo Deus nos juſſit exſpectare nuntium verbi ſui. Iuſſerat enim Deus Petrum eo vocare, & adventum ejus ibi exſpectare. Erant igitur in loco ad quem Deus promiſerat verbum ſuum mittere, & ideo dicunt ſe eſſe coram Deo, quia in nomine Dei ad mandatum ejus congregati. Sic uſurpatur hæc phraſis, Iudic. 20. 23, 26, 27. Levit. 1. 3. Deus ubique eſt, ſed non ubique loquitur, nec ubique audit, ſed eloquium oris ſui promit certis locis, quæ ſibi eligit. In V. T. non loquebatur niſi in terra Sancta, & in templo ſpecialiter, 1 Reg. 8. In N. Teſt. loquitur ubicunque duo vel tres ſunt in nomine ejus congregati. In congregatione ſanctorum igitur cum ſumus, ſumus *ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*. Hoc eſt argumentum comparandi in Eccleſia. Ibi enim ſumus coram Deo, ibi Deus loquitur.

2. Specifice ad exponendum modum præſentiæ; q. d. ſumus hic coram tua facie, ita attenturi ad ea quæ dicturus es, ac ſi ipſe Deus eſſet præſens & loqueretur. Deus ubique eſt apud nos, ſed nos

non ſemper & ubique ſumus apud Deum, ſed tum demum cum corda noſtra ad Deum attolimus, illumque nobis ante oculos ponimus. Mens noſtra & cor noſtrum ſolet abire à Deo, & eſt ad Deum revocanda. Declarant igitur ſe non ſolis auribus audituros, ſed & corda ſublevaturos ad Deum, atque cum attentione audituros. Eſt ſimile à ſervis, qui cum Dominus præſens non eſt, negligenter agunt ſuum opus, ſed præſente hero ſedulo attendunt ſuo operi. Sic Cornelius promittit ſe diligentem & ſincerum fore in audiendo & faciendo verbo Petri tanquam in conſpectu Dei. Hoc eſt eſſe coram Deo. Sic uſurpatur hæc vox, Gen. 17. 1. Pſal. 119. 9. 1. Reg. 8. 25. 1Reg. 2. 4. & 3. 6. & 20. 3. Immo eſt quædam proteſtatio ſinceritatis in hac formula, ſicut Gal. 1. v. 20. Hæc promiſſio Cornelii probe conſideranda & imitanda, quoties ad templum venimus, præſertim cum recipimur inter membra Eccleſiæ. Dicendum miniſtro verbi: Sum hic coram te, cum ſublatione cordis ad ipſum Deum, facturus omnia non ſecus ac ſi Deum ipſum conſpicerem, ſicut te conſpicio. Si tali cum voto homines ſe ad Templum & Eccleſiam reciperent, largior eſſet fructus verbi prædicati. Sed eheu multi tales ſunt auditores, quales deſcribuntur, Ezech. 33. v. 31, 32. ubi tales auditores comparantur cum ſpectatoribus comœdiarum, qui coram hiſtrionibus ſedent profanæ delectationis cauſa. Si ſic ſedemus coram Deo, fiet nobiſcum, ut eſt Luc. 1. verſ. 26. coram Deo ſedentes erimus quaſi oblivioni dati, nec benedicemur. Immo recordabitur noſtri in ira ſua, & conſumet nos ita accedentes ut ſtipulas. Verbum erit ordor mortis ad mortem.

Actor. 10. v. 34, 35.

CONCIO CXXV.

Vidimus Petri alloquium & Cornelii reſponſum. Sequitur Petri replica, qua exſequitur id, cujus gratia ad Cornelium vocatus, miſſus & ingreſſus erat. Hujus replicæ habemus modum & materiam.

Modus eſt in his verbis: Petrus vero aperiens os dixit. Aperto ore locutus eſt. Deſcribitur παῤῥησία Petri in promulganda hac doctrina. Hactenus fuerat ſcrupuloſus, nec auſus fuerat gentibus Euangelium loqui. Veniens in locum ubi ſe videbat cinctum multitudine incircumciſorum, obmutuit quaſi, nec quid diceret, habuit, niſi quod ſuum ad incircumciſos ingreſſum excuſans, interrogat quo fine ipſum vocaverint. Si veniſſet in conclave plenum Iudæis, ſtatim paratus fuiſſet ad prædicandum Euangelium, ſed mixtus incircumciſis obmuteſcit, neſciens quid dicere fas ſit. Poſteaquam tamen Cornelium audit loquentem, eumque & totam ejus domum divinitus donatum percipit tanto deſiderio Euangelii, & cum hoc comparat prægreſſam viſionem & revelationem Ioppæ ſibi factam, ut παῤῥησιαζόμεν@ & aperit os. Cum Deus cor noſtrum replevit agnitione veritatis, debemus habere os apertum, ad eam confitendam. Qui enim corde credit ad juſtitiam, ore quoque confitetur ad ſalutem, Rom. 10. Cum Aſaph recordaretur verbi revelati Jacobo & Iſraëlitis, vide quomodo aperiat ſuum os, Pſal. 78. 2, 3, 4, 5, 6 Sic cum Petrus diſcit idem beneficium nunc etiam Ethnicis datum, aperit & ipſe os ad enarrandum. Sic & nos debemus. Si quod lætum audivimus nuncium de rebus belli & pacis, non poſſumus concludere intra pectus, ſed quærimus cui narremus Quod autem lætius nuncium, quam quod populo ſedenti in umbra mortis exorta eſt lux magna? Narremus igitur aperto ore.

Materia hujus replicæ ſeu concionis conſiſtit.

1. In propoſitione.

2. In ἐξηγήσει ſeu declaratione & demonſtratione hujus propoſitionis.

In propoſitione.

1. Rejicit & repudiat ac confitetur Petrus errorem quo hactenus fuerat imbutus, v. 34.

2. Profitetur veritatem quam nunc didicerat, v. 35. Error Petri fuerat, quod Deus eſſet acceptor perſonæ, non admittens quenquam ad ſalutem niſi Iudæus eſſet, vel ſaltem Iudæus fieret per προσήλυσιν ſeu receptionem Iudaicæ religionis, atque ita per inſitionem in iſtum populum. Nunc autem fatetur ſe vere comprehendere, quod res ita ſe non habeat, ſed quod etiam incircumciſis Ethnicis pateat aditus ad ſalutem, ſi modo Deum timeant & juſtitiam operentur. Legerat quidem Petrus hoc antea in prophetiis Vet. Teſt. de futura vocatione gentium, audiverat ex ore Chriſti mandatum dantis de docendis omnibus gentibus, ſed rem non comprehenderat, non intellexerat, convictus non erat, non crediderat, donec non ſolum per viſionem ex cœlo eſſet inſtructus, ſed etiam propriis oculis videret hunc incircumciſum Cornelium à Deo donatum initiis veræ con-

converſionis. Nulla eſt veritas, quam non ſæpe homines audiant propoſitam, declaratam, demonſtratam, & tamen centeſima tandem concione vix intelligant, comprehendant, credant. Diſcamus hinc

1. Etiam regenitos poſſe graves errare errores in re religionis. Non eſt quod adducam exempla Apoſtolorum ante mortem Chriſti, cum infirmi eſſent. Vide Petrum ipſum errantem poſt adſcenſionem Chriſti. Gravis erat error & manifeſte Scripturæ contrarius, quod Deus eſſet Judæorum ſolorum Deus ac Salvator, & non etiam gentium, & tamen Petrus hunc errorem tenuit poſtquam non ſolum regenitus & ad Apoſtolatum vocatus, ſed etiam tot modis confirmatus erat. Sic amici Iobi, inſignes in re Theologica viri, tenuerunt illum gravem errorem, quod gravis Dei caſtigatio ſit ſignum converſionis non ſinceræ. Sic Aſaph ſimiliter tenuit, quod Deus non poſſet plus temporalis benedictionis largiri impiis quam piis, Pſal. 73. In fundamento quidem errare fideles non poſſunt. Nam ſine fundamento fides non eſt fides, quippe quæ ſua natura nil eſt aliud, quàm innixio cordis deſperabundi ſuper fundamentum ſalutis à Deo poſitum. Sed tamen in gravibus materiis graviter poſſunt errare etiam pii, ut in officio & ſolatio multum impediantur. Obſervetur hoc 1. ad refutandos Pontificios, qui ſucceſſorem Petri, quem volunt Papam, adeo immunem cenſent, ut in Cathedra ſedens errare non poſſit. An igitur Papa perfectior Petro? 2. Ad tolerandos eos, qui fundamentum ſalutis tenentes in cæteris alicubi hallucinantur, Rom. 14. 1. Gal. 6. 1. 1. Cor. 9. verſ. 22 Non quaſi tales errores oppoſitionem nullam debeant habere, ſed ne tales errantes eadem ſeveritate premantur ac illi, qui fundamentum ipſum ſalutis ignorant ac repudiant. 3. Ad coërcendam propriam ſecuritatem & ſuperbiam. Scientia inflat, 1. Cor. 8, 1. Id ne nobis contingat, cogitemus nos nunquam tantum ſcire, quin poſſimus graviter errare. Simus igitur perpetui in frequentanda Schola Chriſti, ut magis magiſque erudiamur. Sicut oculi ſine ſole videre non poſſunt, ita etiam regeniti ſine continua illuminatione Dei non poſſunt eſſe immunes ab erroribus. Precemur igitur ut Pſal. 119. 18, 27, 33. Eph. 1. v. 17, 18.

2. Pios errores ſuos agnitos facile confiteri. Quantumcunque diu ſuos errores tenuerint, & pertinaciter defenderint, tamen agnitos libenter fatentur. Vide Paulum, 1 Tim. 1. 13. Si hoc conſiderarent qui novas doctrinas incautius defendunt, facile deſinerent controverſiæ. Sed quia erubeſcunt fateri ſe erraſſe, ideo malunt errores incruſtare & palliare quam revocare. Sic in communi converſatione lites facile ceſſarent, ſi pars altera errorem quem erravit, non erubeſceret fateri. Sed quia malunt negare aut excuſare quam fateri, hinc lites durant, & fit lapſus ex peccato in peccatum. Cor ſincerum eſt adeo amans veritatis, ut falſum & malum in ſe ipſo quoque damnet libenter. Sequamur adhortationem Ioſuæ, Ioſ. 7. 19. Eſt perverſa ſuperbia & ambitio, quod quis formidat per confeſſionem erroris ſe pudefacere coram hominibus, cum tamen hoc ipſo pudefiat coram Deo & toto mundo. *Object.* Sufficit Deo confitear, etſi non hominibus. *Reſp.* At aliquando neceſſarium ut coram hominibus non diffitearis. Qui poteſt autem Deo grata eſſe confeſſio, ſi id quod coram Deo confiteris, coram hominibus diffiteris? Petrus hactenus etiam fuerat Arminianus, quantum ad hanc opinionem, quod Deus ideo Iudæos præ cæteris populis ſibi elegiſſet in peculium, quod eſſent populus cæteris populis nobilior, probior, melior & ad ſalutem magis diſpoſitus. Sed ubi melius eruditur, non erubeſcit hunc Arminianiſmum confiteri & rejicere. Utinam hoc multi imitarentur!

Sed quid eſt προσωποληψία, & quare de Deo dicitur quod non ſit? *Reſp.* Perſona hominis hic non ſignificat ſubſtantiam hominis, ſed illum ſtatum, illamve conditionem hominis, qua homo homini præſtat. *Homo homini quid præſtat?* inquit Terentius. Qua in re homo homini præſtat vel alius alium excellit? 1. Dotibus corporis: alius alio ſanior, robuſtior, pulchrior. 2. Animi: Alius alio ingenioſior, prudentior, doctior, probior. 3. Dotibus fortunæ. Alius alio nobilior, ditior, potentior, honeſtior. Et hoc diſcrimen non tantum eſt perſonale, ut alius homo alium hominem his modis excellat, ſed etiam nationale, ut alius populus aliave natio aliam taliter excellat. Hæ dotes diſcriminantes, quibus alius alium excellit, vocantur perſona hominis, ſeu facies hominis, quia ſunt id, quo alius ab alio, alia perſona ab alia dignoſcitur & diſcernitur. Accipere autem perſonam hominis, eſt propter has excellentias alium alio magis æſtimare, diligere & curare. Sed an hoc peccatum eſt? Annon licet unum hominem plus diligere, honorare,

re,

curare, quam alterum? Annon licet plus diligere parentes, magiſtratus, præceptores, benefactores, &c. quam alios? annon licet hominem nobilem, eruditum, virtute & honore ac divitiis conſpicuum plus honorare, quam ruſticum & plebejum? *Reſp.* Non ſemper eſt peccatum, ſed tum demum, cum eſt contra juſtitiam & contra noſtram obligationem, cum ſcilicet huic do, quod alteri debeo, idque propter iſtas perſonales excellentias, e. g.

1. Cum propter has perſonales excellentias jus flecto, injuſtis dans quod juſtis debeo, Lev. 19. 15. Prov. 18. 5. & 28. 21. *Dat veniam corvis vexat cenſura columbas.*

2. Sic in electione ad officia publica proſopolepſia eſt, cum propter amicitias eligimus indigniores præ dignioribus.

3. Sic cum parentes propter pulchritudinem aut ſimiles naturales differentias liberorum alteri eripiunt & alteri dant.

4. Sic cum in publicis congregationibus divites ita honorantur, ut pauperes contemnantur, Iac. 2. 1. In his & ſimilibus caſibus proſopolepſia peccatum eſt, quia eſt contra juſtitiam & obligationem ejus, qui aliquid dat vel facit: Dat enim uni, quod alteri injuſte eripit. Verum cum ſine injuſtitia & violatione officii vel debiti fieri poteſt, ut excellentiores præ cæteris honorem conſequantur, non tantum licitum, ſed & neceſſarium eſt ad implendum quintum præceptum, ut excellentiores præ inferioribus honoremus. Sed cur de Deo dicitur quod non ſit Proſopoleptes, ſicut & Deut. 10. 17. Deus non recipit faciem, 2. Chron. 19. 17. Rom. 2. 11. & alibi? *Reſp.* Deus dicitur non reſpicere perſonam propter duas cauſas.

1. Quia in diſtributione gratiæ regenerantis non ſequitur iſtas excellentias naturales, ſed liberum ſuum beneplacitum. Non dat aliis præ aliis quia ſunt nobiliores, ditiores, potentiores, ingenioſiores, ſapientiores, probiores, & melioris indolis ſed cujus vult miſeretur, quem vult indurat, Rom. 9. Vide etiam, Matt. 24. 40, 41. *Object.* At 1. Cor. 1. v. 27, 28. quod ſtultum, infirmum, ignobile, contemptum eſt in mundo, elegit Deus, ſed quod ſapiens, potens, nobile, præteriit. Annon hoc eſt reſpicere perſonas? *Reſp.* Non eſt. Nam receptio perſonæ eſt alterius præ altero dilectio propter id, quo alios excellit, non propter id quo aliis inferior eſt. Cum Deus propter id quo quis aliis inferior eſt, eum præ aliis æſtimat, gratia eſt & beneplacitum, non acceptio perſonæ.

2. Quia in exercendis judiciis non reſpicit perſonales excellentias, ut propter illas vel juſtum lædat, vel injuſto parcat. Etiamſi rex ſis, tamen ſi impius es, damnaberis. Etiamſi mendicus ſis, tamen ſi probus es, ſalvaberis. Etiamſi ſis honeſtiſſimus & civiliſſimus, tamen ſi non convertaris & juſtificeris per Chriſtum & regenereris per Spiritum S. damnaberis. Etiamſi ſis maximus omnium peccatorum, tamen, ſi ſis converſus, ſalvaberis 1. Petr. 1. v. 17. Eph. 6. 8, 9. *Object.* At Deus improbis ſæpe plus boni facit quam piis? *Reſp.* Lege modò, Pſal. 73. ubi Aſaph quidem queritur ſibi ita viſum fuiſſe aliquando, ſed re penitius examinata correxiſſe judicium, videns quod Deus illis bene faciat, ut præcipitentur hac lubrica via in promeritum exitium, hos vero affligat, ut hoc pharmaco curentur ab infirmitatibus, & probati tandem recipiantur in gloriam.

Apud Deum igitur non eſt perſonæ receptio. Et cum hoc ita ſit,

1. Qui alios aliqua in re naturaliter excellit, ne glorietur in eo, ſive ſit excellentia perſonalis, ſive nationalis. Ne dicas: Sum dives, ſum nobilis, ſum Princeps. Ergo Deus mihi parcet nec mecum aget ſicut cum plebejis. Deus talia non reſpicit. Ne dicite: Germaniam quidem & Angliam & Daniam Deus caſtagavit plagis, ſed nos ſumus natio polita, ſagax, dives, potens, munita. Non reſpicit Deus talia. Si eminetis in cognitione Domini & vera ac fervida pietate, eſt, quod præ aliis gloriemini, ſed ſi non, metuite eaſdem plagas. Nam Deus non eſt reſpector perſonarum, ubi peccatur, ibi punit. Cum comparemus in precibus noſtris coram Deo, ne nos ornemus allegatione alicujus eminentiæ, qua naturaliter excellamus alios, ſicut Phariſæus, Luc. 18. 11. Deus enim talia non reſpicit: pro luto hæc habenda, Phil. 3. Nudos nos ſiſtamus judicio Dei, dicentes: Domine, non eſt in me quicquam quo ſim melior aliis. Gratiam tuam imploro. Tu me fac meliorem, & tum tua dona in me corona. Multo minus qui alios excellunt, inferiores contemnant, aut ſuperbe tractent. Applica, Epheſ. 6. 9. Coloſſ. 3. 25. Tu ipſe coram Deo non es melior, ſed pari naturæ fœditate corruptus, æque care à Chriſto emptus ille alter, æque carus Deo. In ſepulchro nulla erit differentia, nec in cœlo. Ne elevet vos veſtra excellentia naturalis. Nam Deus eam non reſpicit.

2. Qui in talibus dotibus aliis ſunt inferiores, ne putent ſe ideo Deo minus charos. Dicunt pii in anguſtiis ſuis, cum inſpiciunt proſperitatem aliorum:

Ceret

Certe Deus eos plus amat quam me. Non enim ſunt in miſeria ſicut alii, nec ut alii affliguntur, &c. Pſal. 73. 4, 5. Ex his nec amor noſcitur, nec odium, Eccleſ. 9. 1. Cura modo ut ſis dives in fide & pauper Spiritu, & dives in bonis operibus, & tum cogita quod externa tenuitas non impediat Dei amorem, Gal. 3. 28. 1. Cor. 1. 26.

3. Sicut Deus non eſt proſopoleptes, ita nec nos ſimus. Caveant hoc vitium

1. Magiſtratus

a. In exercendis judiciis, Deut. 1. 17.

b. In diſtribuendis officiis publicis. Ne hic valeat cognatio, affinitas, nobilitas, ſed dignitas & aptitudo. In hac cauſa proſopolepſia eſt vitium valde noxium.

2. Miniſtri Euangelii, Marc. 12. 14. 1. Tim. 5. v. 21. Michæ 3. 11.

3. Auditores qui 1. verbum recipiunt: ſi prædicetur ab hoc miniſtro, rejiciunt ſi ab alio contra, 1. Cor. 3. 4. 2 qui in electione religionis non reſpiciunt qualis doctrina doceatur, ſed quales ſint qui illam docent & recipiunt. Sicut Chriſti doctrina rejiciebatur propter tenuitatem docentis, Matt. 13. v. 55. Marc. 6. 3. Sic etiamnum Papatus recipitur, quia doctores ejus ſunt magni prælati, viri docti, quia tot Reges & Principes ei adhærent, & pura religio repudiatur, quia miniſtri ſunt homines tenues, & confeſſores ejus pauci. 3. qui in congregationibus publicis peccant contra lectionem Iacobi, Iac. 2. Denique quia videmus Deum noſtras perſonas & facies non reſpicere nec recipere, adhæreamus illi cujus perſonam & faciem non repudiat, ſcil. Chriſto. Vide 2. Reg. 3. 14. Idem nobis diceretur, ſi non Chriſtus compareret pro nobis. Nulla enim res eſt qua flecti Deus poteſt ad gratiam erga peccatorem; niſi ſolus intuitus faciei Ieſu Chriſti.

Actor. 10. v. 35.

CONCIO CXXVI.

CONcionem hanc Petri diviſimus in propoſitionem & confirmationem. In propoſitione fatetur errorem quo hactenus fuerat imbutus, & tum confitetur veritatem quam nunc didicerat. Confeſſionem erroris videmus, v. 34. Sequitur nunc confeſſio contrariæ veritatis, hoc v. 35. Error Petri fuerat, quod ſalus & felicitas ſolis Iudæis eſſet parata, gentibus plane excluſis. Putaverat Deum tantam in Iudæis præ cæteris nationibus inveniſſe excellentiam, eamque ita reſpexiſſe, ut propter eam ſolos Iudæos in populum peculii acceptaſſet, in tantum ut nemo ſalvus fieri poſſet, niſi qui aut Iudæus natura eſſet, ut ſaltem per receptionem Iudaicæ legis Iudaico populo insereretur & Iudæus fieret. Huic errori contrariam veritatem ex revelatione Dei didicerat, ſcil. quod in omni populo gratus ipſi ſit quicunque Deum timeat & juſtitiam operetur. Deus in N. Teſt. in diſtributione ſalutis non reſpicit differentiam nationum, an quis ſit Romanus, Græcus, Iudæus, &c. Sed tantum hoc reſpicit, an quis Deum timeat & ſalutem operetur, ut habet dictum Pauli, Gal. 3. 26, 27, 28. Col. 3. 11. Ideo diſſimulatis temporibus ignorantiæ, quibus omnes gentes ſivitire ſuis viis, nunc mandat omnibus ut ſe convertant, Act. 14. & 17. Tempore Vet. Teſt. gentes erant impuri. Iudæi erant filii in domo Dei, gentes erant canes, Matt. 15. & per murum cæremoniarum à republica Iſraelis ita excluſæ, ut nec partem nec ſortem haberent in ſalute, niſi per receptionem & obſervantiam Iudaicarum cæremoniarum purgarentur, ut audivimus v. 28. non quia gentes in ſe impuriores eſſent Iudæis, ſed quia ſolos Iudæos Deus hac prærogativa dignabatur ex ſingulari gratia, ut divinam ſuam libertatem in diſpenſanda ſalute manifeſtaret. Sed nunc Deus tranſverſum illum murum cæremoniarum dejecit, & gratiam ſuam hactenus gentibus illuceſcere fecit, ut inter eos quoque gratus ſit Deo quicunque Deum timet & juſtitiam operatur. Debet hoc nos, natura gentes

1. Exhilarare & gratos facere. Si Iudæi obligati erant ad alacrem & lætam ac gratam receptionem hujus gratiæ, multo magis nos. Si quis Paterfamilias dona dat liberis, obligantur ad gratitudinem. Sed ſi eadem & paria, immo majora dat ſervis, quanto magis illi obligantur? Sic quod Deus ſalutem dat illis, qui inde ab initio revelati Euangelii fuerunt domeſtici Dei, populus peculii, filii & hæredes, requirit hoc quidem gratitudinem. Sed quid tandem non requirit quod idem dat nobis, qui eramus canes reſpectu illorum. Nunquam debemus obliviſci quid fuerimus, antequam ad Euangelium vocaremur.

2. Terrere & ad timorem adigere. Si Deus ingratitudinem liberorum ferre non potuit, ſed tam horrendis judiciis ultus eſt, ut noſtis; an feret ingratitudinem ſervorum & canum, quibus liberorum portionem objecit, immo quos longe liberalius tractavit,

ctavir, quam ipſos filios? Cum enim filios regni aluiſſet umbris & exiguo prægustu bonorum futurorum, nos peregrinos & canes dignatus eſt alere ipſo corpore, ipſo nucleo gratiæ, mittens Filium in carne, effundens Spiritum abundanter, Hebr. 10. 1. Quantum igitur offendet & quantopere punietur noſtra ingratitudo? Vide Rom. 11. 20, 21. Tempora ignorantiæ in gentibus quidem diſſimulavit, ſed graviter puniet, ſi diem viſitationis paternæ non agnoſcemus. Aperuit Deus nobis gratiæ januam.

Ne negligamus intrare. Sed quid faciendum ut intremus ad ſalutem? Debetis timere Deum & operari juſtitiam. His duabus vocibus totus cultus deſcribitur, quo quis peccator poteſt acceptus fieri Deo, ut his verbis tale comprehendatur compendium Theologiæ Practicæ, quale eſt Eccleſ. 12. v. 13.

Timor Dei aliquando accipitur

1. In ſenſu lato, pro toto Dei cultu ſeu modo Deum colendi, Pſal. 34. 12.

2. In ſenſu ſtricto, pro initio & prima parte cultus, ſcilicet pro humiliatione hominis ſub potentem Dei manum, Prov. 1. 7. Et ſic hic quoque ſumitur, notatque illam diſpoſitionem cordis, qua homo Deum ob majeſtatem ejus veretur, & propter peccata ſua à facie ipſius pavet ac tremit. In his enim duobus verus Dei timor conſiſtit:

1. In veneratione divinæ magnitudinis & bonitatis, qua homo ſe ipſum cum Deo comparans Dei ſupra ſe eminentiam & erga ſe bonitatem tanta cum admiratione agnoſcit, ut ſe reſpectu Dei pro cinere & pulvere habeat, Gen. 18. 27. & exclamet cum Pſalmiſta, Pſal. 116. & 2 Sam. 7. quid rependam Domino, quis ſum ego, & quid eſt homo? Pſal. 8.

2. In tremore & humiliatione ob peccata, qua peccator ſua peccata cum juſtitia ac ſeveritate Dei comparans, turpitudinem & reatum ſuum ita comprehendit, ut à facie Dei tremat & ſe ipſum deteſtetur, Prov. 28. 14. Iob. 42. 6. Prior gradus timoris Deum reſpicit ac veneratur ut Deum. Nam Deum ipſum ideo quia Deus eſt, debemus ſanctificare in cordibus noſtris, eumque facere noſtrum terrorem, Eſa. 8. 13. Poſterior gradus Deum reſpicit ut judicem impiorum, eumque ideo metuit non quia Deus eſt, ſed quia punit & lædit. Hi duo gradus timoris Domini non tantum ſunt diſtincti, ſed etiam poſſunt eſſe & ſæpe ſunt ſeparati. Nam

1. In hominibus perfectis invenitur gradus prior ſed non poſterior. Adam in Paradiſo ante peccatum non timebat Deum ut judicem, nec ulla paleſcebat culpa, niſi poſtquam peccaſſet, Gen 3. 10. Nimirum Adam quidem venerabatur Deum ob majeſtatem & bonitatem, ſed non timebat à facie Dei ob ſuam culpam. Sic in vita æterna non deſinet timor Domini, & tamen non ita tremenus à facie Dei ut nunc, quippe qui tremor in perfecto gaudio locum habere non poteſt. In Adamo igitur ante peccatum, & in beatis in cœlo erat & erit prior gradus timoris Domini, ſed non poſterior.

2. In peccatoribus inconverſis aliquando invenitur poſterior gradus timoris Domini, ſed non prior. Tremunt à facie Dei conſcientia culpæ ac reatus, ſed non venerantur Deum vera humiliatione ob majeſtatem & bonitatem ipſius. Hic timor eſt ſervilis, non fluens ex ingenuo erga Deum corde, ſed potius ex philautia, ut timeant Deum non propter Deum ſed propter ſe. Verus Dei timor, qui in peccatoribus converſis reperitur, compoſitus eſt ex utroque gradu, nimirum ex veneratione: (ontſach:) divinæ majeſtatis ac bonitatis, nec non ex pudore ac tremore ob peccatum & promeritam pœnam. Talis timor Domini eſt initium ſapientiæ, & prima pars cultus ac converſionis, & in quo corde talis timor non eſt, ex illo non poteſt proficiſci ulla operatio juſtitiæ aut obſervatio mandatorum Dei. Nam

1. Ubi timor Domini non eſt, ibi non eſt humilitas ſed arrogantia, & ſpiritualis ambitio ac ſuperbia, nec abnegatio ſui, ſed confidentia in ſe ipſo, ubi autem hæc ſunt, ibi nulla operatio juſtitiæ, nulla communio cum Deo. Ubi autem timor Domini, ibi ceſſat arrogantia, Rom. 11. 20. Prov. 3. 7. Sicut metus faciebat Iacobum ſe incurvare coram Eſau, Gen. 33. v. 3. ita timor Domini nos dejicit coram eo.

2. Ubi timor non eſt, ibi non eſt fames & ſitis juſtitiæ, & ubi hæc non eſt, ibi nullum ſerium ſtudium operandi juſtitiam, ſed contentio in ſtatu præſenti. Qui nihil metuit, nihil curat. Si Deum non metuis, juſtitiam non curas. Sed ſi corde compungaris ad timorem Domini concipiendum, illico quæris juſtititiam. Vide exemplum latronis in cruce Luc. 23. v. 40, 42. & illorum de quibus Actor. 2. v. 37.

3. Ubi timor Domini non eſt, ibi non eſt flexibilitas cordis ad obedientiam. Sicut metallum non poteſt cudi ad certas formas niſi fiat molle per calorem,

lorem, ita cor non poteſt flecti ad cavenda peccata & ſectandam obedientiam, niſi fiat molle per timorem Dei. Patet hoc in liberis noſtris. Qui filius nullo ducitur Patris timore, nullaque veneratione, nullam ei præſtabit obedientiam, nec cavebit offendere. Ioſeph non adulterabatur, quia timebat Deum, Gen. 39. 9. Obſtetrices Ægyptiacæ abſtinebant ab infanticidio, quia timebant Deum, Exod. 1. v. 17. Nehemias abſtinebat ab oppreſſione populi, quia timebat Deum, Nehem. 5. 15. Hinc dicitur, Ierem. 32. 40. quod quibus Deus timorem ſui in cor dedit, illi nunquam recedant à Deo. Qui Deum non timent, timore hominum facile abducuntur à Deo. Vide exempla, 1. Reg. 12. 26, 27. Ioh. 11. 47, 48, &c. Ioh. 19. 12, 13, 14. qui vero Deum timent, hoc ipſo timore retinentur, ne à Deo diſcedant. Quicunque igitur cupiunt communionem habere cum Deo, timeant Dominum. Nam timor Dei initium hujus communionis. Vide Eſa. 8. 13. & votum illud, Deuter. 5. 29. Et qui hunc timorem in ſe ſentiunt, ne ferant ægre ejus moleſtiam, nec ſibi potius optent cor audax & ἀναίσθητον, timoriſque expers. Sciant enim hunc timorem eſſe initium beatitudinis, modo addant quod ſequitur, ſcilicet, ut operentur juſtitiam. Iuſtitiæ vocabulum dupliciter accipitur in Scriptura:

1. In ſenſu lato, pro omnibus illis actionibus, quas homo facere tenetur vi divinæ legis & præceptionis. Vide Matth. 3. v. 15. Decet nos implere omnem juſtitiam: Iacobi 1. 20. Ira viri non operatur juſtitiam Dei.

2. In ſenſu ſtricto, pro virtute particulari unius aut alterius præcepti; e.g. æquitate & manſuetudine, Matth. 1. 19. præſertim pro virtute octavi & noni præcepti in negotiationibus & judiciis. Hoc loco ſumitur in ſenſu lato pro omnibus illis actionibus, per quas homo peccator redditur juſtus coram Deo, ſeu pro omnibus illis juſtis & ſanctis actionibus, quas juſtus Deus in verbo ſuo ab homine requirit, pro omnibus juſtis operibus quæ homo operari debet ad ſalutem. Timor Domini eſt potius paſſio & diſpoſitio cordis quam actio. Sed juſtitia notat omnes actiones, quas juſtum verbum Dei juſte injungit hominibus. Et hæc juſtitia duplex eſt

1. Iuſtitia Euangelii, ſcil. merita, ſatisfactio & obedientia Chriſti. Hæc eſt juſtitia quam omnes operari & habere debent, qui cupiunt accepti eſſe Deo. Hæc illa juſtitia quæ proprie juſtificat, i.e. Deo reconciliat & gratiam ac favorem Dei confert, Rom. 10. 3, 4. Hanc juſtitiam operamur dupliciter.

a. Per abnegationem noſtri ipſius. Nam qui in ſeipſis confidunt quod ſint juſti, diſcedunt à Deo non juſtificati, Luc. 18. 9. 14.

b. Per fidem ſeu fiduciam cordis in Chriſtum crucifixum. Vide Iohan. 6. 27, 28, 29. & Phil. 3. v. 8, 9.

2. Iuſtitia legis. Sicut nos decet vera fide apprehendere omnem juſtitiam, quam Chriſtus pro nobis Patri ſuo præſtitit; ita nos decet operari omnem juſtitiam quam lex præcipit. Non enim Chriſtus nos ita à lege redemit, ut non teneamur legi Dei impoſterum obedire, ſed potius ideo redemit à maledictione legis, ut impoſterum membra noſtra ei ſiſteremus arma juſtitiæ, Rom. 6. Hæc quidem juſtitia legis proprie nos non juſtificat, reconciliat, adoptat, ſed tamen juſtificatos & reconciliatos per juſtitiam Euangelii, Deó magis magiſque acceptos facit, & paternam ejus ſuper nos benedictionem promovet. Quomodo operamur hanc juſtitiam? Non dicit juſtitiam facientes, ſed juſtitiam operantes acceptos eſſe Deo. Operator juſtitiæ poteſt aliquando facere quandam injuſtitiam, ſcil. imprudenter, & ex infirmitate, nec tamen ideo deſinit eſſe operator juſtitiæ. Operator injuſtitiæ poteſt aliquando facere aliquem actum juſtitiæ, ſcil. mundani alicujus boni reſpectu & ex hypocriſi, nec tamen ideo deſinit eſſe operator injuſtitiæ, ut patet ex Luc. 13. 26, 27. Operarius igitur juſtitiæ eſt qui ſe ipſum & omnem ſuam operam elocavit ad faciendum quod juſtum eſt, qui ſe ipſum elocavit in vineam Domini ad faciendum opus ejus diligenter, Matth. 20. qui membra ſua ſiſtit arma juſtitiæ, Rom 6. Sicut operarius injuſtitiæ eſt, qui ſe ipſum vendidit ad faciendum malum, 1. Reg. 21. 20. 25. ita operarius juſtitiæ eſt, qui ſe ipſum Domino elocavit, & aurem ſibi perforari paſſus eſt, ut Domino ſe ſervum juſtitiæ traderet. Quomodo autem operamur juſtitiam legis? *Reſp.* Dupliciter.

a. Per mortificationem veteris hominis & libidinum pravarum. Qui enim vult eſſe operator juſtitiæ, non debet eſſe operator, ſed deſtructor injuſtitiæ, nec poſſumus juſtitiam operari, niſi cum perpetua lucta contra injuſtitiam quæ habitat in noſtris membris, Rom. 7. quæ lucta peragitur perpetua vigilantia contra inſidias tentatoris, prudenti vitatione occaſionum peccandi, ſerio uſu verbi & precum.

b. Per vivificationem novi hominis, ut ſcilicet nitamur nos non ſolum purgare ab omni impuritate & injuſtitia, ſed etiam nos ipſos magis magiſque conformes reddere legi Dei & imagi-

ni

ni Chriſti, nos ipſos ornantes omni bono opere.

Qui ſic operatur juſtitiam, acceptus eſt Deo. Hæc enunciatio dupliciter poteſt accipi.

1. Ut prædicatio adjuncti de ſubjecto, ſeu ſigni de ſignato, q. d. Si quis Deum timet & juſtitiam operatur, ſignum eſt quod ſit inter illos, in quibus Deus beneplacitum habuit, & quos ſibi in populum peculiu elegit. Oportet enim fuerit Deo acceptus, antequam potuit timere Deum & operari juſtitiam. Nam timor Domini & operatio juſtitiæ ſunt dona Dei, fluentia ex æterno beneplacito, quod habuit in nobis in Chriſto.

2. Ut prædicatio effecti de cauſa, q. d. qui operatur juſtitiam, per illam fit acceptus Deo. Nam poſtquam Deus vi æterni ſui, quod in nobis habuit, beneplaciti, nos fecit timentes ſui & operatores juſtitiæ, per hoc ipſum evadimus Deo plene reconciliati & magis magiſque accepti. Prius ſit per operationem juſtitiæ Euangelicæ, poſterius per operationem juſtitiæ legalis. Demus igitur operam ut ſimus operatores juſtitiæ. Nam qui Deo acceptus eſt, nulla re egebit. Eſt enim amor infinitus, paternus, providus. Qui Dei gratiam habet, non eſt quod curet odium cujuſquam. Vide dicta moventia, Pſ. 4. 6. Pſ. 11. 7. 1. Ioan. 3. 7. Pſal. 15. 2. Pſal. 5. 5, 6.

Actor. 10. v. 36.

Concio CXXVII.

HActenus propoſitio hujus orationis. Sequitur ejus ἐξήγησις ſeu confirmatio & declaratio. Propoſitio ſeu theſis, quæ confirmanda, fuit hæc: quod Deus in diſtributione ſalutis non reſpicit illas naturales eminentias, qua natio nationem, vel homo hominem ſuperat & excellit, ſed quod in omni populo & natione is eſt acceptus Deo, qui Deum timet & juſtitiam operatur. Hanc theſin probat argumento ſumpto à generalibus promiſſionibus Euangelii, quod Deus Iſraelitis annunciavit per prophetas, quippe quæ ſic ſonant, quod Ieſus Chriſtus, ut Dominus omnium hominum, tum Iudæorum, tum gentium, ſit miſſus ad faciendam pacem inter Iudæos & gentes, & quod quicunque in Chriſtum crediturus eſt, ſive ſit Iudæus, ſive gentilis, per Chriſti nomen ſit habiturus remiſſionem peccatorum & acceptus futurus Deo. Hæc probatio Theſeos continetur v. 36. Sed quia Petro res erat cum gentilibus, quos non poterat præſupponere in Scriptura multum exercitatos, facile prævidebat ſe interrogatum iri, quod illud verbum, quis ille Chriſtus, per quem pax annunciata, & per cujus nomen poſſit haberi pax, & quæ illa pax, quæ per Chriſtum annunciata? Ideo Petrus Cornelium refert ad ipſam hiſtoriam Chriſti, prout recens geſta, à Iohanne & Apoſtolis inſpecta ac teſtata erat. q. d. eſt illud ipſum verbum, cujus impletionem vos hoc ipſo veſtro tempore experti eſtis, & Deus nos annunciare juſſit. Habemus igitur 1. argumentum quo theſis probatur, & 2. declarationem hujus argumenti, quo termini ejus explicantur. Argumentum, quo theſis probatur, ſumitur à definitione Euangelii. Hoc verbum quod miſit filiis Iſrael, τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε. Hebraiſmus, pro οὗτος ὁ λόγος. Hoc illud verbum, id eſt, hoc patet & manifeſtum eſt ex illo verbo, quod Deus miſit Iſraeli. Ex Verbo Iſraelitis à Deo per Prophetas miſſo clarum & manifeſtum eſt, quod Deus in diſtributione ſalutis non reſpiciat nationales vel perſonales excellentias hominis præ homine, ſed quod in omni populo acceptus ſit Deo, quicunque Deum timet, juſtitiam operatur, & in Chriſtum credit. Sed ex quo verbo hoc patet? Deus duplex verbum miſit Iſraelitis: 1. Verbum legis quo inimicitiam quæ inter Deum ac homines eſt, revelavit & annunciavit. 2. Verbum Euangelii, quo annunciavit pacem per Ieſum Chriſtum Dominum omnium. Ex utro horum verborum patet, quod ex omni populo acceptus ſit Deo, quicunque Deum timet? Ex poſteriori ſcil. ex Euangelio, quo pax annunciatur per Chriſtum Dominum omnium. Hæc deſcriptio Euangelii, prout miſſum eſt Iſraelitis in V. Teſt. per Prophetas.

Certum enim eſt, quod Euangelium Iſraelitis in V. Teſt. ita eſt miſſum, ut Ieſus Chriſtus iis annunciaretur, non tantum ut pacificator, per quem Iudæi pacem haberent, ſed ut pacificator, redemptor & Dominus omnium, æque gentium ac Iudæorum. Tres partes habuit Euangelium Iſraelitis miſſum:

1. Annunciabat illis, quod ab inimicitiis & inquietudine, cui per peccatum ſuberant, liberati pacem eſſent habituri.

2. Annunciabat illis, quod auctor hujus pacis ſit Ieſus Chriſtus.

3. Annunciabat illis, quod hic Ieſus Chriſtus eſſet futurus Dominus & Salvator omnium gentium æque ac Iudæorum.

DE PRIMO.

QUod Iſraclitis fuerit annunciata pax & reconciliatio ſpiritualis, patet non ſolum ex ſacrificiis hilaſticis, ſed etiam ex variis clariſſimis Scripturæ vaticiniis. Vide fœdus pacis, Eſa. 57. 16. &c. & 54. 10. Hinc Eccleſia Iſraelitica habuit concionatores pacis, Eſa. 52. 7. Malach. 2. 5. Sed qualem pacem Deus annunciavit & dedit Iſraelitis? Utique plus de ipſorum bellis, quam de ipſorum pace legimus. *Reſp.* Non loquitur Petrus de pace corporali ſed ſpirituali. Pax corporalis poteſt adimi piis & obtingere impiis, nec eſt illa pax, quæ per Chriſtum annunciata eſt, ſed potius quæ per Chriſti adventum tollitur, etſi non *vitio Chriſti* ſed *vitio hominum*, Matth. 10. 34. Pax quam Deus Iſraelitis annunciavit, fuit pax ſpiritualis & æterna, oppoſita ſpirituali illi inimicitiæ, quæ per ſeductionem ſerpentis in humanum genus pervenit, Gen. 3. verſ. 14, 15. Qua autem in re conſiſtit illa pax ſpiritualis? Qualis inimicitia, talis pax. Inimicitia autem ſpiritualis ex peccato nata quadruplex eſt:

I. Inter Deum & homines. Deus hominibus iratus maledixit tanquam tranſgreſſoribus etiam ab utero, Eſa. 48. 8. Iſraelitæ viciſſim odium, immo bellum ſpirituale gerebant adverſus Deum, Actor. 7. verſ. 51. Hanc inimicitiam annunciavit Deus ſe ſublaturum, Ier. 33. 8. & 31. 31. &c. & 32. 38, 39.

II. Inter homines & homines. Sicut enim peccata ſepararunt hominem à Deo; ita etiam homines mutuis odiis & inimicitiis inflammarunt, ut erga ſe invicem eſſent ſicut lupi & urſi, præcipue magna erat inimicitia inter Iudæos & Ethnicos. Hanc quoque inimicitiam promiſit ſe ſublaturum. Promiſit enim ſe illud odium, quod erat inter Iudæos & Ethnicos, ſublaturum, & ex utriſque collecturum ſuas oves, eaſque mutuo amore ita colligaturum ut inſtar fratrum ſe amarent. Pacem inter Diabolum impioſque & inter pios homines non promiſit, ſed bellum prædixit, & victoriam promiſit piis tandem conſequendam. Promiſit quidem fore, ut & pii erga hoſtes ſe gerant pacifice, quantum poſſibile eſt, Rom. 12. veruntamen vitio impiorum nunquam erit pax inter pios ac impios, ſed perpetuum bellum ac odium. Interim tamen promiſit, ſe tam ex Iudæis, quàm ex gentibus collecturum ſuas oves, eaſque quantumvis natura mutuis odiis inſtar ferarum accenſas, ita uniturum vera pace veroque amore, ut ſe invicem ut fratres ament, & mutuas infirmitates tolerent. Vide promiſſiones, Eſa. 11. 6, 7, 8, 9. quod impletum, Eph. 2. 14, 15.

III. Inter homines & creaturas irrationales. Inter hos etiam erat inimicitia. Maledicta terra propter hominem, cum prodeſſe deberet, tribulas ipſi tulit, Gen. 3. oves, boves & omnia quæ pedibus hominis erant ſubdita, Pſalm. 8. contra hominem rebellant & tanquam exercitus maledictione armatus hominem oppugnant, & quæ, ut prodeſſent creata erant, homini nocent & vitam ejus perdunt. Hanc quoque inimicitiam Deus ſe ſublaturum promiſit, reſtiturus homini ſuum jus in has creaturas, iiſque ad hominis uſum benedicturus, in tantum, ut etiam quod in iis noxium eſt, in hominis uſum ſit converſurus, & ipſam mortem, quæ eſt ultimus hominis hoſtis, 1 Corinth. 15. facturus januam vitæ. Vide quod extat Hoſ. 2. 17, 20, 21. Iob 5. 23. Ezech. 34. 25. quorum dictorum ſenſus explicatur, Marc. 16. 18. Pſalm 91. 12. 13. Non eſt ſenſus, quaſi Deus à terra ſit ablaturus omnem noxam, ut nil ſit, quod piis ægre faciat, eoſque caſtiget, ſed quod omnia mala ſit mitigaturus, & quæ non auferi ſit ſanctificaturus, & homini in medicinam converſurus, donec tandem univerſa creatura purgetur a vanitate cui propter peccatum ſubjecta eſt, & vindicetur in libertatem filiorum Dei, Rom. 8.

IV. Inter hominem & proprium ejus cor. Hic etiam inimicitia, Rom. 2. 15. 1 Ioh. 3. 20. Proprium cor factum eſt vermis rodens, Eſa. 66. 24. factus tortor & carnifex. Verum quidem quod in hac vita libidinum dominio ſuffocatum ſubinde non mordet, non rodit, ſed tamen niſi placetur & ſanetur, evigilabit & æternum mordebit. Hanc quoque inimicitiam promiſit ſe ſublaturum, & loco condemnationis pacem ac gaudium conſcientiæ largiturum, Eſa. 57. 15, 18, 19, 20, 21. Non quidem in hac vita pax conſcientiæ ita perficitur, ut deſinat omnis titubatio & terror ac metus & accuſatio, ſed tamen ſenſim proficitur, ut tandem fiat mera pax, & merum gaudium, Rom. 14. 17. En hæc illa pax quam Deus Iſraëlitis annunciavit. Non eſt putandum, fœdus cum Iſraëlitis non habuiſſe alium fructum quam pacem terreſtrem in terra Canaan, ea enim non duravit, & paucis Iſraëlitis contigit, & ne ipſi quidem Abrahamo aut Iacobo. Præcipua pax Iſraeli promiſſa fuit hæc ſpiritualis pax. Hæc pax eſt legatum veteris & novi Teſtamenti.

Teſtamenti. Nam quod Chriſtus dixit in N. Teſt. Iohan. 14. 27. *Pacem lego, Pacem do*, idem ſancti Vet. Teſt ſibi habuerunt promiſſum, Pſal. 4 v 7, 8, 9. comp. cum Deuter. 33. 27, 28, 29. Fuit igitur V. & N Teſt. eadem ſubſtantia, idem ſcopus ſcil. Pax ſpiritualis cum Deo, cum piis, cum omnibus creaturis, cum propria conſcientia. Sicut igitur Iſraëlitarum ſpes fuit Pax illa ſpiritualis; ita eadem ſit noſtra. Sunt hæc noſtra tempora quibus multus ſermo, multi tractatus de pace, *Pacem te poſcimus omnes*. Sed quam pacem quærimus? Corporalem illam, qua ſine metu hoſtium poſſideamus noſtra bona, uſque in ſanitate & jucunditate fruamur, ſicut nunc facimus? Eſt illa quidem pax optabilis. Sed ſi hanc ſolam quærimus, parum eſt quod quærimus. Quid enim? Ac in pace non poſſumus ægrotare, in paupertatem vel ignominiam incidere, triſtibus tentationibus angi, peſte & fame conſumi? An ille ſolus fructus quem ex religione ſperamus, ut terram poſſideamus in pace? Exigua ſane felicitas, & brevis & incerta, quia nuſpiam promiſſa piis niſi cum hac limitatione, quantum ſtare poteſt cum Dei ſapientia & cum Eccleſiæ ſalute. Quæramus pacem ſpiritualem & cœleſtem, ut ſcilicet habeamus propitium Deum in cælo, amicam Eccleſiam in terris, quietam in ſinu conſcientiam. Si hanc pacem habemus, corporalis illa quantum opus eſt, adjicietur, & ſi quando juſto Dei judicio à terris auferetur, habebimus pacem in bello, in perſequutione, in litibus, in luctu conſcientiæ, in agone mortis. Hæc pax Dei, quæ ſuperat omnem intellectum, & corda ac ſenſus noſtros tanquam præſidium cuſtodit in communione Chriſti, Phil. 4. 7.

DE SECUNDO.

SEd quo pacto ad hanc pacem pervenimus? Annunciavit Iſraëli pacem per Chriſtum. Hoc dupliciter intelligi poteſt.

1. Per Chriſtum annunciavit pacem Iſraëli futuram eſſe, ſeu Iſraelitas habituros pacem. Chriſtus enim Iſraëlitarum Propheta fuit, qui pacem ipſis prædicavit, Eſa 61. 1, 2. Epheſ. 2. 17.

2 Annunciavit Iſraëli pacem, quæ per Chriſtum futura, acquirenda ac efficienda eſt. Chriſtus enim auctor hujus pacis. Hinc hoc loco vocatur Dominus hujus pacis, plane ut Eſa 9. 6: Princeps pacis, Eſa. 53. 5. Mich. 5. 5. Hic erit Pax, id eſt, auctor pacis, Luc. 1. 78, 79. Luc. 2. v. 14. Vide Geneſ. 12. 3. Sciverunt Iſraelitæ, hanc pacem non fieri per ſacrificia hilaſtica V. T ſed per Chriſtum. Et quare Chriſtus auctor hujus Pacis?

Reſp. a Quia ſui ſanguinis merito placavit iram Dei, & inimicitiam ejus contra nos abſtulit, Deumque nobis reconciliavit, 2. Cor. 5. 19.

b Quia per ſui Spiritus efficacem operationem nos reconciliat Deo, id eſt, ex corde noſtro tollit odium & inimicitiam ac rebellionem, quam gerimus erga Deum, facitque ut Deum ex animo diligamus, ei confidamus, & filiali reverentia ac obedientia eum honoremus. Item quia per eundem Spiritum fraternum erga proximum amorem in nobis operatur nec non pacatam conſcientiam, Eph. 2. 14, 15. 16, 17, 18.

c Quia ille eſt ille Deus pacis, qui Satanam & omnes noſtros hoſtes ſub pedibus noſtris conculcat, Rom. 16 20. Hinc itaque concludimus, quod quicunque pacem cupit, Chriſtum habere debeat. Qui Chriſtum habet, pacem habet, qui extra Chriſtum eſt, extra pacem eſt, Ioh. 16. 33. Ratio eſt, quia qui Chriſtum habet, à peccato mundatus eſt. Chriſtus enim fons quo abluitur omne peccatum, Zach. 13. v. 1. Ubi autem peccatum non eſt, inimicitia locum non habet. Iuſtificati igitur per fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pacem habemus cum Deo, Rom. 5. 1. Cum nos Chriſtum habemus, pœna noſtra recumbit in ipſo, & nos pacem habemus, Eſa 53. 5. Qui autem ſunt illi qui Chriſtum habent? Quis eſt qui cum veritate gloriari poſſit ſe Chriſtum habere, & in Chriſto eſſe?

Reſp. 1. Qui in ſe ipſo non confidit, ſed ſe ipſum abnegat. Qui ſuper ſe ipſo ſtat, in Chriſto non eſt. Quiſquis igitur vult habere Chriſtum, debet ſe ipſum eradicare ex ſe ipſo, id eſt, debet propriam indignitatem & omnipotentiam cum humilitate & pudore ita ſentire, ut nihil confidat ſuis meritis. Nam qui hoc facit, Chriſto excidit, Galat. 5. 2, 4. Non eſt putandum nos diſputare de re nihili, cum fiduciam in propria merita diſſuademus. Agitur enim de ſumma rei. Nec tantum requiritur, ut partim in Chriſtum partim in noſtra opera confidamus. Hoc enim docebant illi contra quos Paulus hoc pronunciat. In nihil quod noſtrum eſt nulla fiducia ponenda.

2. Qui in Chriſtum confidunt. Non per hoc Chriſti es, quod in te non confidis, ſed per hoc quod abs te abſtractus Chriſto ſuperſtrueris, inniteris, confidis. Non eſt abjicienda fiducia, ſed abs te transplantanda in Chriſtum. Nam qui non confidit, æque

æque infidelis eſt, ac qui in ſe ipſum confidit. Doctrina igitur de dubitationibus eſt contraria paci. Dubitationes quidem invitæ, quæ contra voluntatem in nobis ſunt, non impediunt pacem, ſed voluntariæ & deſtinatæ ſunt, pura puta infidelitas & rejectio Chriſti oblati. Qui autem Chriſtum per infidelitatem rejicit, Chriſtum non habet, nec eſt in Chriſto. Quam neceſſarium igitur eſt ſe ipſum abnegare, tam neceſſarium eſt vera fiducia Chriſtum tenere, & dubitationes carnis oppugnare. Nam per hanc fiduciam obtinetur remiſſio peccatorum, propitiatio Dei, revocatio condemnationis, & quicquid ad pacem noſtram conducit.

3. Qui per Spiritum opera carnis mortificant & Chriſto fideliter ſerviunt. Qui hoc non faciunt, non ſunt Chriſti, Gal. 5. 24. Rom. 8. 9. Nemo poteſt ſervire duobus Dominis contrariis & hoſtilitatem erga ſe invicem exercentibus, ſed dum uni ſervit, alterum oppugnat. Chriſtus & caro ſunt duo hoſtes. Dum igitur peccato militamus, Chriſto contrariamur & ſumus ejus inimici. Ideo Chriſtus vocatur Princeps & Dominus pacis, ut ſciamus neminem per Chriſtum habiturum pacem, niſi qui Chriſto ſervit. Quiſquis igitur cupit pacem cum Chriſto, inimicitiam ſuſcipiat contra peccatum, & ſit diligens in eo oppugnando & mortificando. Per hoc bellum obtinetur pax. Qui verè poteſt dicere, quod peccato indixit bellum, idem vere poteſt dicere, quod cum Chriſto habet pacem. Non qui uni aut alteri peccato, ſed qui omni peccato bellum indixit. Nam uni alicui peccato inimicum eſſe non facit pacem cum Chriſto, quippe quod fieri poteſt ex amore alterius peccati. Nam e. g. qui prodigalitatem amat, avaritiam odit. Sed ille demum verus peccati hoſtis eſt, qui unum peccatum æque odit ac oppugnat atque alterum, parvum æque ac magnum, contrarium ſuæ naturæ ac non contrarium, utile ac non utile, difficile ac non difficile.

Object. At ego hæc omnia ſedulo facio, & tamen pacem non habeo, ſed conſcientiam accuſantem ac terrentem propter infirmitates & imperfectiones meas. Quomodo pacem habeam qui ſum in perpetua lucta? Nonne fideles æque ac infideles ſunt in perpetua inquietudine & pugna. Iob. 7. 1. nonne in fidelibus perpetua lucta inter carnem & ſpiritum, Gal. 5. 17. Quoties fideles tentantur & oppugnantur à Diabolo, & annon habent hoſtem illum ultimum, quo cum agonizabunt, ſcilicet mortem? Quomodo igitur habent pacem? *Reſp.* Hæc lucta & inquietudo fidelium non eſt ſignum inimicitiæ paci contrariæ, ſed eſt ſignum pacis nondum perductæ ad ſummam perfectionem. Sicut duo hoſtes poſt multas invicem exhibitas injurias recens conciliati pacem quidem habent & inimicitiam deponunt, ſed tamen tardi ſunt ad fiducialem amicitiam: ita nos Deo recens reconciliati, memoria tot injuriarum, Deo à nobis exhibitarum, ægre adducimur ad filialem & fiducialem *παῤῥησίαν* erga Deum, etſi inimicitiam ſincere omnem depoſuimus. Sicut corpus ægrotum fracta vi morbi convaleſcens, & medici ſententia à vitæ periculo abſolutum, languidum tamen eſt & debile, ſub onere fatiſcens; ita animus, cui fracto peccati dominio Dei ſententia adjudicata eſt vita, ſub reliquiis tamen peccati fatiſcit, & ad functiones ſpiritualis vitæ minus alacris eſt. Sicut ejectis & victis Cananitis Iſraelitarum pax erat certa ac tuta, quamvis adhuc eſſent reliquiæ oppugnantes: Sicut rupta hoſtili acie victoria certa eſt & triumphus canitur, etſi hoſtis fugiens adhuc pugnat: ita fideles ſententiam juſtificationis nacti, & à dominio peccati liberi triumphum canunt, Pſal. 6. 9, 10, 11. etiamſi pugna adhuc durat. Pax enim tuta in promiſſione Chriſti, modo lucta & pugna noſtra ſit vera & reciproca pugna, qua non tantum oppugnemur, ſed & fortiter oppugnemus. Conclude hortatione Pauli, 2 Cor. 5. 18, 19, 20.

Actor. 10. v. 36.

CONCIO CXXVIII.

TErtia pars Euangelii, Iſraëlitis in V. T. revelati, eſt, quod ille Ieſus Chriſtus, qui illam promiſſam pacem eſſet acquiſiturus, eſſet Dominus omnium. οὗτος enim eſt pro ὃς, demonſtrativum pro relativo, quo definitio connectitur cum definito, Iſraëlitis non tantum erat annunciatum, quod eſſet aliquis Ieſus Chriſtus, ſed etiam quis eſſet. Non enim tam cœca erat Iſraëlitarum fides, ut neſcirent quis eſſet in quem credebant, 2. Tim 1. 12. Sciebant illum Ieſum Chriſtum, per quem pax ſpiritualis ipſis erat promiſſa, eſſe Dominum omnium. Quatuor ſunt cauſæ propter quas Chriſtus in Scriptura vocatur *Dominus & Dominus omnium:* 1. quia eſt Deus ejuſdem cum Patre majeſtatis & gloriæ. 2. quia eſt caput omnium creaturarum. 3. quia eſt Judex omnium hominum. 4. quia eſt Salvator omnium populorum.

I. Quia eſt Deus infinitæ majeſtatis & gloriæ. Majeſtas & gloria facit Dominum. At Chriſtus infinitæ majeſtatis & gloriæ. Merito igitur Dominus. Hinc vocatur *Dominus gloriæ*, 1.Cor 2. 8. & ab omnibus fidelibus debet invocari ut Dominus, 1.Cor. 12. 3. Hoc in V. Teſt. non fuit incognitum. Vide Hoſ. 12. 4, 5, 6. Mal. 3. 1. Pſal. 110. 1. & nihil uſitatius, quam quod Chriſto in V. T. tribuitur nomen *Iehovah*, quod per Κύριος in N. T. vertitur. Vide Ier. 23. 6. Vide etiam quomodo Paulus hoc probet, Hebr. 1 ex diverſis V. T. locis. Hoc eſt fundamentum adorationis & fiduciæ. Nam qui non novit Chriſtum eſſe natura Deum & Iehovam, is aut Chriſtum non adorat, nec in ipſum credit, aut, ſi adorat & credit, proprio judicio eſt idololatra, quia fiduciam collocat & cultum confert in id quod habet pro mera creatura & carne. Si igitur Iſraelitæ non credidiſſent Meſſiam eſſe verum Deum, ſperare in illum non potuiſſent. Habet Chriſtus etiam ut homo ſuam gloriam ac majeſtatem. Sed hanc habet ab unione cum Deitate, & ab exaltatione Dei. Non habet natura, ſed dono.

II. Quia eſt caput omnium creaturarum, per quem Pater omnia gubernat Sicut Pater per Filium omnia creavit; ita ipſum conſtituit hæredem & Dominum mundi, per quem omnia gubernat. Vide Hebr. 1. 2, 3. Matt. 21. 38. Vide etiam Col. 1. v. 15, 16, 17. Neque hoc in V. T. plane fuit incognitum, ut patet ex applicatione Pſal. 102. quam habet Apoſtolus, Hebr. 1. 10, 11, 12. nec non Pſalmi octavi ibidem.

III. Quia eſt judex omnium hominum. Non tantum habet poteſtatem in pios, ſed eſt conſtitutus judex omnium, Act. 10. 42. & 17. 31. Matt. 28. v. 18. Matt. 11. 27. Ioh. 3. 35. & 5. 22. Col 2. 10. Apoc. 19 16. Neque hoc in V. T fuit incognitum, Prov. 8. 15, 16. Pſal. 2. 7, 8, 9, 10. Pſal 72. v. 1, 2, &c. ubi ſane exprimitur judicialis illa poteſtas quam Chriſtus habet æque in impios ac pios.

IV Quia eſt Salvator omnium populorum. Hinc vocatur *Dominus domus Dei*, Hebr. 3. 6. Huc pertinet, Phil. 2. 9, 10, 11. Epheſ. 1. 20, 21, 22. Act. 5. 31. quo ſenſu eum in ſymbolo Apoſtolico *Dominum noſtrum* confitemur. Hoc nomen in Vet. quoque Teſt. nactus fuit, Pſal 110. 1, 2, &c. Mal. 3. 1. Mich. 5. 1. Eſa. 6. 5, 6. Neque tantum cognitum fuit in V. Teſt. quod Chriſtus eſſet Princeps & Dominus, qui remiſſionem peccatorum & converſionem daret Iſraëli, ſed etiam quod eſſet Dominus pacis ſuper omnes erecturus ſibi & Patri ſuo regnum & Eccleſiam inter omnes gentes, ut inter alia loca quam plurima probat illuſtris ille, Eſa. 49. 6. Et in hoc ultimo ſenſu, vox Domini hic ſumitur. Chriſtus eſt *Dominus omnium*, id eſt, eſt Salvator omnium, quia non ſolum Iudæos ſalvat, ſibique in ſubditum & populum peculii efficit, ſed & gentes. Sic accipitur etiam, 1.Cor. 8. 6. Eph. 4 5. Actor. 2. 34.

Quæſt. An igitur Chriſtus Salvator omnium & ſingulorum hominum? *Reſp*. Non poteſt proprie ita vocari, quia eorum demum Salvator eſt, quos ſalvat, eorum Dominus, quos ut ſuos poſſidet. At non omnes ſalvat, immo ne omnibus quidem in Euangelio ſalutem offert, quia non ad omnes mittit ſermonem Euangelii. Vocatur igitur Dominus & Salvator omnium, quia non ex ſolis Iudæis, ſed ex omnibus populis & nationibus Deo colligit Eccleſiam, Apoc. 5. 9, 10.

At enim quæ ſunt cauſæ propter quas Chriſtus vocatur Dominus eorum quos ſalvat, Dominus Eccleſiæ. Cur Chriſtus magis Dominus Eccleſiæ, quam Pater aut Spiritus S.

Reſp. Quia Pater Eccleſiam Chriſto dedit in peculium & hæreditatem, Pſal. 2. 8. Ioh. 17. 6 Tui erant & mihi dediſti. Tibi elegeras in filios & mihi dediſti. Sicut Pater ſuam Filiam quam ſibi genuit, alteri dat in Sponſam & uxorem; ita Chriſto ſuos electos Deus dedit.

2. Quia Chriſtus Eccleſiam magno pretio ſibi acquiſivit, Actor. 20. 28. Sicut Saul filiam ſuam dabat Davidi, ſed prius acquirendam centum Philiſtæorum præputiis & occidione Goliath, 1 Sam. c. 17. v. 25. & 18. 25. Sic Deus electam Eccleſiam Chriſto dedit in Sponſam, ſed redimendam ac acquirendam ſanguinis lytro & occidione infernalis Goliath.

3. Quia eam ſibi adſcivit & deſponſavit in uxorem. Maritus eſt uxoris Dominus, Geneſ. 18 v. 12. Iud, 19. 26. 1 Petr. 3. 6. Iam autem Chriſtus non ſolum pretio ſanguinis Eccleſiam ſibi uxorem emit, ſed etiam vi Spiritus eam ſibi deſponſavit, Hoſ. 2. v. 18 Sicut David uxorem quam vitæ periculo emerat, cogebatur poſtea ſubtrahere Paltieli cui nupſerat, 2 Sam. 3. v. 13, 14, 15, 16 ita Chriſtus Eccleſiam quam vitæ diſpendio emerat, infernali Paltieli eripere & ſibi adſciſcere, animumque ejus per verum amorem ac fidem ſibi debuit deſponſare. Vides igitur cauſam, propter quam Chriſtus Eccleſiæ Dominus, ſcil. ſpirituale illud conjugium, quo Chriſtus Eccleſiam à Patre datam ex manibus divinæ

divinæ juſtitiæ ſanguinis lytro redemit, Diabolo nuptam virtute Spiritus eripuit, ſibique conciliavit & deſponſavit, Eph. 5. 25, 26, 27.

Uſus: I. Si Chriſtus Dominus omnium, nemo habet jus in ullam creaturam, niſi qui Chriſti eſt. Chriſtus enim id, cujus eſt Dominus, non dat niſi ſuis ſervis. *Object.* At impii etiam fruuntur. *Reſp.* Non jure ſuo, ſed per conniventiam.

II. Si Chriſtus eſt Dominus omnium, ne quæramus alium Dominum, ſcil. Papam.

III. Ex his omnibus patet noſtrum erga Chriſtum officium, quod exprimitur, Pſal. 45. 11, 12. Quale officium uxoris erga maritum, tale Eccleſiæ erga Chriſtum, Eph. 5. 22, 23, 24. Chriſtus Dominus, nos ſervi. Hæc relatio parit obligationem ſubjectionis, Mal. 1. 5. Coloſſ. 1. 10. Luc. 6. 46. Luc. 12. 47. Sed longe majorem ſubjectionem requirit connubiale illud dominium. Quid autem uxor debet marito?

1. Amorem eumque præter omnia.

2. Fidem, qua ipſi fidelis ſit, & ipſum fidelem æſtimet.

3. Studium placendi ac delectandi. Sicut uxor ſtudet ut placeat marito, 1. Cor. 7. ita Eccleſia ut Domino.

IV. Si Chriſtus noſter Dominus, quanta noſtra eſt libertas & ſecuritas! Servus qui habet divitem Dominum non metuit famem, ſubditus qui habet potentem regem non metuit tyrannos, uxor quæ habet bonum & potentem maritum, non metuit injurias. At hæc omnia habemus in Chriſto. Quis Dominus qui patiatur injuriis affici ſervum? quis maritus qui patiatur male tractari uxorem? Eph. 5. v. 29. Quomodo igitur Chriſtus patietur male tractari Eccleſiam, quam non centum præputiis, ſed jactura vitæ ſibi deſponſavit? Vide Roman. 14. v. 7, 8.

V. Si Chriſtus Dominus, patiamur fieri ejus voluntatem, & ſimus contenti ejus gubernatione, 1. Sam. 3. 18. Pſal. 39. 9. 2. Sam. 15. 26. Abnegemus noſtram voluntatem, & faciamus ejus voluntatem, quæ eſt 1 ut credamus, Iohan. 6. 40. 2 Ut ſancti ſimus, 1. Theſſ. 4. 3. ita vivamus ut poſſimus rationem reddere ipſi Domino.

VI. Si Chriſtus Dominus omnium, nos omnes ſumus conſervi. Non igitur quæramus dominium in alios, ſed ſimus ut fratres, nec ſcindamus domum Domini diſcordiis, Mal. 2. 1.

Actor. 10. v. 37.

CONCIO CXXIX.

HActenus argumentum quo Apoſtolus probat theſin ſuæ orationis: Deus olim Iſraëlitis annunciavit adventum Ieſu Chriſti, qui ut Dominus & Salvator omnium, pacem faceret inter gentes & Iudæos. Ergo Deus non eſt acceptor perſonarum, qui ſolis Iudæis ſalutem concedat, gentibus æternum excluſis. Sequitur hujus argumenti declaratio. Quoniam enim Petro res erat cum incircumciſis, quibus Prophetarum ſcripta non admodum erant nota, ideo expectandum ipſi erat, ut interrogaretur, quæ illa Euangelizatio, quis ille Ieſus Chriſtus, quæ illa pax quam per hunc dixerat euangelizatam Iſraëlitis? Hanc quæſtionem ut occupet & ſolvat, remittit auditores ſuos ad ipſam hiſtoriam Chriſti, ſicut illa ſecundum vaticinia Prophetarum eo ipſo tempore contigerat tam publice, ut & ipſis Gentibus circa Iudæam habitantibus incognita non eſſet. Vos ſcitis inquit, verbum quod factum eſt per totam Iudæam inceptum in Galilæa poſt baptiſmum quem Iohannes prædicavit.

I. Vos ſcitis verbum. Verbum hic idem eſt quod res. Non enim dicit ῥῆμα λεγόμενον, ſed ῥῆμα γινόμενον. Scitis hiſtoriam quæ contigit. In V. T. Euangelium erat ῥῆμα λεγόμενον, prædictum. In N. Teſt. Euangelium eſt ῥῆμα γινόμενον, verbum factum, impletum. Olim Prophetia, nunc hiſtoria.

II. Hæc hiſtoria cœpit in Galilæa, & facta eſt per totam Iudæam. In Galilæa enim Chriſtus educatus, prima ſua fecit miracula, quibus ſuam gloriam manifeſtavit, Iohan. 2. primaſque conciones habuit, Matth. 4. à v. 12. ad fin. cap. Poſtea vero totam Iudæam peragravit, ibique docuit & miracula patravit, præſertim in urbe Ieruſalem. Duo hic quæri poſſunt.

1. Quare Chriſtus noluerit extra fines Iudææ & Galilææ Euangelium prædicare & miracula facere? Venerat utique ad ſalvandum æque gentes ac Iudæos. Cur ergo non æque gentibus prædicavit ac Iudæis? *Reſp.* Chriſtus dum in carne eſſet non ſolum ipſe extra terram ſanctam non exiit, ſed etiam Apoſtolos ire non ſivit, Matth. 10. 5, 6. & vix Ethnicos in Iudæam ad ſe venientes alloquio ullo voluit dignari, Matth. 15. 24, 26. idque propter has cauſas: 1. quia opus redemptionis debuit peragi & perfici,

perfici, antequam Ethnicis aperiretur aditus ad templum Domini. Chriſto paſſo ſciſſum eſt velum, & apertus aditus ad Sanctum Sanctorum. Spiritus S. debuit prius ſanguine Chriſti acquiri, antequam ſuper omnem carnem effunderetur. 2. quia Chriſtus, etſi Iudæorum & Gentium Salvator eſt, voluit tamen propter antiqua Iſraelitarum privilegia, & quia ortum ſuum ex illis habebat ſecundum carnem, Iſraelitis hunc peculiarem honorem, & hanc ſingularem exhibere gratiam, ut illis prius annunciaret Euangelium, antequam ſe ad gentes converteret, utque illos ſolos proprio ore doceret, quod pro magno privilegio habetur, Hebr. 1. 1. ut ita pateret, ſe non à Deo deſertos, antequam finali impœnitentia & obſtinatione cordis Deum ſuum deſeruiſſent. Hoc illud Act. 3. 26. & 13. 46. Hinc Rom. 15. 8. Paulus hortatur Gentes, ne deſpiciant Iudæos hoc argumento, quia Chriſtus circumciſioni, id eſt, Iudæis exhibuerit hunc peculiarem honorem, ut ipſorum Miniſter & Doctor factus ſit proprio ore. Hoc privilegium Paulus facit fundamentum hortationis, ut Iudæi tanto magis obediant Euangelio, Hebr 2. 1, 2, 3. compar. cum Heb. 1. 1. Quibus Deus peculiarem gratiam & honorem exhibet, eorum contemptum & ingratitudinem peculiari ſeveritate vindicat.

2. Cur Chriſtus in Galilæa cœpit ſuum miniſterium? Hoc utique videtur eſſe contra Scripturam Luc. 24. 47 Eſa. 2. 3. *Reſp.* Hæc loca non loquuntur de Miniſterio Chriſti, ſed de Miniſterio Apoſtolorum. His præſcriptis fuit hic ordo, ut prius Hieroſolymis, poſtea in Judæa, tunc in Samaria, denique inter Gentes prædicarent, Actor 1. v. 8. Sed hanc legem Chriſtus ſibi non poſuit, verum ſuum Miniſterium in Galilæa voluit incipere, idque propter has cauſas:

1. Vt oſtenderet ſe eſſe illum Solem, cujus ortus promiſſus erat Patribus. Sicut ſol in extremis & infimis terræ partibus oriens ſenſim elevatur ad verticem; ita Chriſtus oriens ab alto curſum ſuum orſus eſt in extremitate & ſenſim adſcendit, donec inſtar meridiei totam terram Iudææ illuſtravit.

2. Voluit ſe oſtendere Dominum omnium, incipiendo ſuum miniſterium in Galilæa Gentium, i. e. in ea parte Galilææ, quæ vicina erat Tyro, & Sidoni, & cujus viginti urbes pertinebant ad regem Tyri, datæ ipſi à Salomone, 1. Reg. 9. v. 11. adeoque Gentibus & Iudæis mixta erat inhabitatio hujus regionis. His igitur cœpit docere, ut ſe oſtenderet Gentium & Iudæorum Doctorem.

3. Quia ita requirebat vaticinium Scripturæ, Eſa. 8. 23. & 9. 1. uti ſpecialiter eo accommodatur Matth. 4. 14.

4. Vt oſtenderet ſe gratiam ſuam non dare propter merita & ſecundum diſpoſitiones hominum. Patet ex variis locis Scripturæ, quod populus Galilææ præ cæteris fuerit populus rudis, adeoque contemptus. Vide Iohan. 7. 52. Iohan. 1. 47. Actor. 2. v. 7. Voluit igitur rudibus & contemptis prius apparere, ut doceret ſe non propter ſapientem & eruditionem & divitias, &c. dare gratiam. Sicut natus primo omnium Paſtoribus voluit annunciari; ita Miniſterium ſuum voluit incipere apud contemptos Galilæos. Hoc animum addat humilibus & contemptis. Apud tales omnium libentiſſime habitat Chriſtus, modo quæratur.

III. Dividit autem Apoſtolus τὸ ῥῆμα γενόμενον, ſeu hiſtoriam Chriſti in tres partes: 1. in eam quæ facta eſt ante Chriſtum. 2. In eam quæ facta à Chriſto ipſo. 3. In eam quæ facta poſt Chriſtum per Apoſtolos. Ante Chriſtum fuit baptiſmus Iohannis, v. 37. De Chriſto ipſo proponit vid.

1. Ejus vitam, v. 38.
2. Ejus paſſionem, v. 39.
3. Ejus exaltationem, v. 40. 41.

Poſt Chriſtum ſequitur Miniſterium Apoſtolorum Chriſtum prædicantium, & prædicationem ſuam teſtimonio Prophetarum confirmantium.

Orditur Apoſtolus hiſtoriam Chriſti baptiſmate Iohannis. Cur non potius à nativitate Chriſti? Annon Cornelio æque ſcitu neceſſarium erat, quod Chriſtus eſſet Filius Dei, natus ex Maria Virgine? *Reſp.* Apoſtolus provocat ad ea, quæ Cornelius ſciebat, quæque tempore ipſius contigerant. At vero nativitas Chriſti non niſi paucis patefacta, & longitudine temporis fere obſcurata, adeoque poſtea docenda erat, ubi ex iis, quæ ipſe viderat, convictus foret. Præterea nativitatis hiſtoriam non omnino ſilet, dum eum ait à Deo unctum & imbutum Spiritu S. quod in nativitate præcipue contigit. A Iohannis autem Miniſterio merito orditur, quia ille præcurſor Chriſti, viam ipſi parans, ſecundum vaticinium Malach. 3. 1. Matth. 11. 10. & Malach. 4. 5. cum Matth. 11. 14. Vide etiam, Iuh. 1. v. 76 Refutat hic locus Anabaptiſtas docentes, quod Iohannes Baptiſta non fuerit Miniſter Novi teſtamenti, ſed Miniſter legis, ut præcepta ejus non ſint Euangelica, quæ obligent Chriſtianos. e. g. cum ex teſtimonio Johannis, Luc. 3 14. confirmamus militiam eſſe licitam, rejiciunt hoc

teſtimonium tanquam legale, non obligans Chriſtianos. Sic docent baptiſmum Iohannis non valuiſſe ad ſalutem. Sed Petrus hic expreſſe N. Teſt. tempus orditur à Iohanne. Vide Matth. 11. 12. & Luc. 16. 16. Hinc Matth. 11. 9, 10, 11. non reputatur inter Prophetas, ſed dicitur aliquid plus fuiſſe, quàm Propheta, etſi minor iis, qui in N. Teſt. Quare hoc? quia non prædicabat venturum, ſed digito oſtendebat præſentem, & ipſi operi ſalvationis accinctum, Ioh. 1. 29. Apoſtolis tamen minor erat, quia non prædicabat opus ſalutis peractum ac perfectum. Sed hoc non derogat ejus doctrinæ, quin ſit Euangelica Chriſtianos obligans. Præterea in ſe ipſa falſa eſt Anabaptiſtarum theſis, quod ante Chriſtum non fuerit niſi lex, & Euangelium demum incipiat à Chriſto vel ab Apoſtolis. Habuerunt & veteres Euangelium, ſed tectum cortice cæremoniarum, quo nunc nudatum eſt.

IV. Quodnam autem officium Iohannis, & qua in re conſiſtebat ejus Miniſterium? *Reſp.* Prædicabat baptiſmum. Quid hoc eſt? Baptiſmus utique non prædicatur ſed adminiſtratur, & Marcus c. 1. 4. expreſſe diſtinguit inter baptizare & baptiſmum prædicare. *Reſp.* Baptiſmus Iohannis hic ſumitur pro doctrina Iohannis, ſicut etiam fit, Matt. 21. 25. Actor. 18. 25. & 19. 3, 4. Quæ autem erat doctrina Iohannis? Meſſiam olim exſpectatum jam veniſſe in mundum, & propediem eſſe revelandum. Tempus igitur eſſe, ut unuſquiſque per veram pœnitentiam ſe paret ad filium Dei vera fide recipiendum, Matth. 3. 2. Hinc dicitur Domino viam paraſſe, aſpera complanaſſe, corda filiorum convertiſſe ad Patres. Chriſtus promiſſus erat, & à Judæis quoque exſpectabatur. Sed non qualis erat, ac qualem imaginabantur, redemptor corporalis. Spiritualem redemptorem animæ nemo exſpectabat, quia peccatum non ſentiebant, pleni imaginatione propriæ juſtitiæ, vel contemnentes iram Dei. Miſſus igitur Johannes ut Miniſterio ſuo homines percuteret ſenſu iræ divinæ, indicans jam veniſſe ultimum tempus patientiæ divinæ erga Judæos. Iam ultimum exhibitum iri beneficium, Dominum enim, hactenus πολυμέρως καὶ πολυτρόπως loquutum Patribus, loquuturum per proprium filium. Si hunc rejiciant, adeſſe terribilem illum diem reprobandi totius populi, Mal. 4. 1. Hoc Miniſterium Iohannis non fuit ita proprium Iohanni, quin ſit commune Miniſtris Euangelii N. T. poſt Chriſtum, præſertim iis, in quos finis mundi pervenit. Illorum enim eſt præparare Chriſti viam ad adventum ſecundum, ad ſecundum illum terribilem diem. Primus adventus Chriſti fuit dies terribilis propter Iudicia in Iudæos. Secundus terribilis omnibus. Noſtrum igitur eſt induere zonam Iohannis. Vide etiam quæ dicentur, in Actor. 13. 24, 25.

Actor. 10. v. 38, 39.

CONCIO CXXX.

POſtquam Apoſtolus argumento ſumpto à generalibus promiſſionibus pacis Ieſum per Chriſtum, quas dudum Iſraelitis Deus euangelizaverat, demonſtraſſet, Deum non eſſe acceptorem perſonæ, (id eſt, Deum non propter naturales aliquas eminentias Iudaicum populum præ cæteris populis ita adoptaſſe, ut cæteras omnes Gentes à participatione ſalutis æternum excluſerit, ſed quod pax & ſalus, per Chriſtum parta, ſit æque Gentibus ac Iudæis parata) exſpectandum ipſi erat, ut à Cornelio & cæteris incircumciſis, Scripturæ, non admodum gnaris, interrogaretur, quænam illa pax eſſet & quis ille Ieſus Chriſtus, de quo loqueretur? Hanc interrogationem ut occuparet, argumentum ſuum declaraturus remittit eos ad rem Euangelicam, non ut olim in V. T. præfigurata, ſed ut nuper ante oculos ipſorum facta & practicata erat.

Hanc hiſtoriam Euangelicam tribus capitibus comprehendit:

I. Acta & miniſterium Iohannis ante Chriſtum.

II. Acta ipſius Chriſti dum in terris viveret.

III. Acta Apoſtolorum poſtquam Chriſtus è terris exceſſiſſet.

Hiſtoriam Iohannis nuper quantum opus erat, declaravimus. Accedimus nunc ad acta Chriſti, quæ Petrus quatuor capitibus complectitur, enarrans Chriſti

1. Vocationem.
2. Vitam.
3. Paſſiones.
4. Exaltationes.

Poſt hæc ſequuntur acta Apoſtolorum, quæ ad duo revocantur capita:

1. Quod prædicant Chriſtum eſſe conſtitutum à Deo judicem vivorum & mortuorum.

2. Quod prædicant unumquemque, qui in Chriſtum crediderit, habiturum remiſſionem peccatorum, & hanc ſuam prædicationem teſtimonio Prophetarum confirmant.

Cur

Cur Petrus hiſtoriam Euangelii non ordiatur à nativitate & infantia Chriſti, ſed ab anno ejus circiter trigeſimo, quando officium ſuum Mediatorium cœpit exſequi, ratio ſupra reddita eſt. Vocationem Chriſti Petrus deſcribit his verbis: quod Deus Ieſum Nazarenum unxerit Spiritu Sancto & potentia ſeu virtute, id eſt, virtute Spiritus S. Hebraiſmus.

1. Conſtructio & connexio videtur duriuſcula, ſed eſt tamen recta. Vos noſtis verbum, quod factum eſt, Ieſum Nazarenum, quomodo Deus eum unxit. Ieſus Nazarenus eſt verbum illud quod factum eſt, quia Chriſtus eſt centrum & meta, ad quam tendunt omnia cætera quæ ſunt in Euangelica hiſtoria. Habes in Euangelio hiſtoriam de Iohanne Baptiſta, de Angelis, de Apoſtolis, de fidelibus mulieribus, de Iudæis, Pilato, Herode, &c. Sed omnia hæc tantum ideo referuntur, ut Chriſtum inde diſcamus. Eſt Euangelica hiſtoria ſicut diſcus jaculatorum. Sicut enim in illo multi quidem colores & varii circuli, ſed una exigua meta, quam qui non tangit, nihil lucratur: ita in Euangelio multa leguntur, ſed ideo tantum ſcripta ſunt, ut Chriſtus per ea innoteſcat. Chriſtus meta legis & Scripturæ, Rom. 10. 4. Qui Scripturam legit & omnium Sanctorum hiſtorias inde diſcit, Chriſtum autem ignorat, ſimilis eſt qui in magna aula omnia pretioſa ſpeculatus eſt, Principem autem ipſum non vidit.

II. Chriſtum prædicaturus Cornelio, appellat eum Ieſum Nazarenum, ſeu Ieſum à Nazareth, quia hoc erat illud nomen, quo vulgo in Iudæos appellabatur. Hoc nomen Chriſtus accepit tum à malitia Iudæorum, tum à providentia Dei. Iudæi Chriſtum appellabant Nazarenum, non quia ibi natus, ſed quia ibi educatus erat, idque ideo, ut hoc nomine eum redderent contemptum, & ipſo nomine populo perſuaderent quod non Propheta, ſed impoſtor eſſet, cum ſecundum vulgarem opinionem ex Galilæa Propheta nullus ſurgeret, Ioh. 7. v. 52. Sed quamvis ex malitia Phariſæorum originem traxerit hæc appellatio Chriſti, fuit tamen à Deo ipſo ita conſtitutum & ordinatum, Matth. 2. v. 23. Quæritur quo loco hæc appellatio à Prophetis ſit prædicta, cum nuſpiam in Prophetis hæc prædictio inveniatur? Reſpondent docti, quod Euangeliſta Matthæus reſpexit loca, ubi Chriſtus appellatur *Netzer*, quodque doceat, Spiritum hac appellatione alluſiſſe (ὑπαινίξαι) ad ipſum illud nomen, quo Chriſtus tempore ſuæ carnis à Iudæis foret appellandus. Prophetæ Ieſum nuſquam appellant Nazarenum, nec uſpiam aperte prædicant ipſum ſic appellatum iri. Sed tamen dum toties ei tribuunt nomen *Netzer*, Euangeliſta à Spiritu S. edoctus, ait hoc ideo factum, ut non obſcure ſignificaretur, nomen quo Chriſtus in diebus carnis ſuæ eſſet appellandus. Semel quidem tantum ab uno Prophetarum ipſi tribuitur nomen *Netzer*, ſcil. Eſa. 11. 1. ſed tamen valde commune nomen Chriſti eſt *Tſemach*, quod idem ſignificat, Eſa. 4. v. 2. Ierem. 23. v. 5. & 33. v. 15. Zach. 3. v. 8. & 6. 12. habemus igitur hic exemplum providentiæ divinæ, etiam ſuper peccata hominum. Ex malitia Iudæorum factum, ut Chriſtus Nazarenus appellaretur, & tamen fuit voluntas & prædictio Dei ut ita fieret. Providentia Dei omnia gubernat, in tantum ut & hominum malitia ab ea pendeat. Hoc ſolatio eſt omnibus, qui ab hominibus malis ſibi aliquid metuunt. Si modo inter te & Deum Pax eſt, ut à Deo nil opus habeas metuere, ab hominibus nil metue. Horum enim omnia conſilia & machinationes peſſimæ pendent à providentia Dei.

III. Hunc Ieſum Nazarenum Deus unxit virtute Spiritus S. Chriſtus à Deo inſtitutus, unctus, miſſus, obſignatus, Pſ. 2. 6 Eſa. 61. 1. Ioh. 5. 27. & 6. 27. Hæc omnia idem ſignificant, videlicet quod Chriſtus à Deo Patre acceperit

1. Auctoritatem & poteſtatem officii Mediatorii. Chriſtus natura Deus, natura quoque eandem habet cum Patre auctoritatem ac poteſtatem, Matt. 28. v. 18. Quomodo igitur aliquam auctoritatem à Patre accepit? *Reſp.* Salvare peccatores non eſt proprietas divinæ naturæ, ſed opus liberi conſilii. Non igitur ſequitur: Chriſtus habet divinam naturam. Ergo non poteſt à Patre accipere poteſtatem ſalvandi peccatores. Conſilium enim ſalvandi peccatores originem habet à miſericordia & libera gratia Patris, qui ex humano genere lapſos ad ſalutem elegit quos voluit, eoſque dedit filio ſuo unigenito, ut ſuo ſanguine à Diabolo & peccato liberatos & per Spiritum ſanctificatos ad unionem & communionem Dei reduceret, ut patet Ioh. 6. & 17. paſſim, cui etiam conſilio Patris Chriſtus libere & ſponte ex amore erga nos ſe ſubjecit. Hæc illa Sancta Oeconomia & diſpenſatio trium Deitatis perſonarum inter ſe, quam adeo clare Scriptura teſtatur, & contra quam ſe non debet efferre carnalis intellectus.

2. Robur, vires & potentiam, qua humana natura

tura Chriſti indigebat ad functionem hujus tanti officii. Quia enim utraque natura in hoc officio agit quod ſuum eſt, debuit humana natura apta reddi ad tanti officii functiones, Eſa. 42. 1.

Object. At ſecunda perſona Deitatis perſonaliter ei unita erat & corporaliter in ea habitabat. Quid igitur opus habebat Spiritu S. *Reſp.* Sanctificare non eſt opus ſecundæ, ſed tertiæ perſonæ Deitatis. Debuit igitur humana natura Chriſti, quantumvis ſecundæ perſonæ Deitatis perſonaliter unita, etiam à tertia perſona, ſcilicet Spiritu S. ſanctificari, ideoque virtute ejus ungi & ſuperfundi. Sed hic difficultas eſt. Apoſtolus hic ſuſcepit narrare quæ Chriſto contigerunt poſt baptiſmum Iohannis. At vero annon Chriſtus unctus eſt ab æterno & ab utero matris? *Reſp.* Chriſtus unctus ab æterno, quia ab æterno ad officium Mediatorium electus eſt illudque in ſe ſuſcepit, 1 Petr. 1. 20. Unctus quoque ab utero Matris cum ex Sp. S. conciperetur. Opus enim Spiritus S. in conceptione carnis Chriſti, non tantum fuit carnem Chriſti ſine viro ex carne Mariæ formare, quod natura non poterat, ſed præcipue eam à peccato præſervare & dono ſanctitatis imbuere, ut inde ab ineunte ætate creverit in ſapientia, ſtatura & gratia apud Deum & homines, Luc. 2. v. 52. in tantum, ut in ipſa infantia dona Spiritus S abundanter ſe oſtenderent, Luc. 2 46, 42. Sed tamen tum quoque recte dicitur unctus, quando hæc æterna unctio per ſolennem inaugurationem manifeſtata eſt in die baptiſmi, deſcendente ſuper ipſum Spiritu S. in forma viſibili, & voce ex cœlo audita, hic eſt filius meus, &c. Matth. 3. v. 16, 17. unde Chriſtus dicit, Luc. 4. 17. eo ipſo tempore, quando ſuum miniſterium cœpit, impletum eſſe vaticinium Eſaiæ de ſui unctione, Eſa. 61 v. 1. De hac externa & viſibili inauguratione Chriſti Apoſtolus hoc loco proprie loquitur, quæ non tantum in die baptiſmi Chriſti publice facta eſt, ſed etiam privatim paucis diſcipulis repetita, Matth. 17. 5. Hæc enim fuit declaratio majeſtatis Chriſti, ut exponit Petrus, 2 Petr. 1. 16, 17. De hac unctione Chriſti quoties cogitamus, auctoritatem ejus meditemur, & conſideremus mandatum quod Deus cum hac inauguratione conjunxit, Matt. 17. v. 5 *Audite ipſum.* Hinc Pſal. 2. hiſtoriæ ſeu promiſſioni unctionis Chriſti, v. 6, 7, 8, 9. ſubjungitur hortatio, v. 10, 11, 12. Chriſtus natura Deus eſt, & propterea terribilis, quia poteſt punire. Sed præterea eſt unctus Salvator, & propterea colendus, quia poteſt ſalvare. Et hæc demum vera ratio & cauſa movens ad quærendum & colendum Chriſtum, quia poteſtatem habet ſalvandi. Ipſe Deus ſalvare nos non poteſt, quia Deus juſtus eſt, qui non poteſt non punire peccatores Chriſtus eſt Deus incarnatus & paſſus, & ideo poteſt ſalvare omnes, qui per eum accedunt ad Deum. Merito igitur audiendus. Ipſe magnus ille Dei ſervus, per cujus manum ſuccedit propoſitum Domini, Eſa. 53. Ipſe magnus Angelus fœderis, & unctus Domini. Reges, Sacerdotes, Prophetæ V. Teſt. fuerunt uncti Domini, ſed eo modo quo pictura hominis homo appellatur. Fuerunt enim typi & umbræ hujus uncti. Hic major rex eſt quàm Salomon, major Sacerdos, quàm Aaron, major Propheta quàm Moſes. Hunc audite, ne in vos quadret quod eſt, Heb. 12. 15.

Object. Si Chriſtus in terris eſſet & doceret, vellem ipſum audire. *Reſp.* Etſi Chriſtus non eſt in terris ſecundum carnem, docet tamen in terris per verbum ſuum & ejus miniſtros, legitime per Eccleſiam vocatos, de quibus dixit. *Qui vos audit me audit*, Luc. 10. 16. Hi enim non tantum loquuntur in Chriſti nomine & mandato, ſed etiam Chriſti verbis, quæ inſtinctu ſui Spiritus per os & manum Prophetarum & Apoſtolorum nobis deſcripſit, neque tantum Chriſti verbis, ſed & Chriſti Spiritu & virtute. Conciones enim miniſtri legitime vocati non ſunt merum opus humanæ animæ, ſed eſt loquela hominis conjuncta cum virtute Chriſti. Si ſecus eſſet, noſtro verbo nunquam quiſquam homo regeneraretur & Chriſto lucrifieret. Vide Matt. 10. v. 20. Quicunque igitur non audit eos qui in nomine & verbis & Spiritu Chriſti loquuntur, Chriſtum ipſum non audit.

Sed quid eſt Chriſtum audire, & quomodo nos poſſumus audire Chriſtum, qui ſumus ſpiritualiter ſurdi & auribus æque ac corde incircumciſi? Annon abſurdum foret, ſi quis alicui ſurdo acclamaret, Audi me? *Reſp.* An foret abſurdum, ſi quis artis medicæ peritus in foro ſtaret & ſurdos omnes invitaret ut ſe audirent, & conſilio ſuo ſe ſubmitterent, ac unguento ejus uterentur. Hoc eſt audire Chriſtum, videlicet verbo Chriſti ſe ſiſtere cum hac intentione & deſiderio, ut per illud tanquam per unguentum aurium ſanemur à ſurditate, qua natura ſumus onerati. Chriſtus eſt unctus Dei, quem unxit potentia & Spiritu. Quo fine? Vt nos peccatores hujus ſui unguenti participes redderet, atque per illud nos curaret à noſtra cœcitate & ſurditate ſpirituali. Vide Apoc. 3. 18. 1 Ioh. 2. 27.

Hic verus modus audiendi Chriſtum, cum eum accedimus cum hac confeſſione: O Domine! Ego non ſum dives, nec nulla re indigeo, ſed ſum miſer, miſerabilis, cœcus, pauper, nudus. Tu autem ille unctus Domini, qui habes unguentum quod facit ad ſanitatem gentium. Fac me hujus participem, & ero ſanatus. Utinam ſic audiremus! Sed eheu, quot ſunt qui aut non veniunt ad audiendum, aut non veniunt cum hac intentione & confeſſione, ſine qua audire non poſſunt, aut etiam rejiciunt & reſiſtunt ei quod audiunt, immo aures obturant ne audiant, aut cum reprehenſionibus concionatorum tanguntur, adverſus eos grunniunt inſtar porci.

Hactenus vocatio Chriſti, ſequitur ejus vita, quæ dupliciter deſcribitur:

1. Generaliter, quod tranſiit benefaciens.

2. Specialiter, quod hæc ejus beneficentia.

Præcipue ſe exſeruit per ſanationem eorum, qui à diabolo devicti erant, nec non per alia quæ fecit Hieroſolymæ & in terra Iudaica, quæ Apoſtoli, quippe à ſe viſa, teſtari poſſunt. Chriſti vita non fuit fixa habitatio in uno aliquo loco, ſed tranſitus & circumambulatio per univerſam Iudæam & Galilæam. Quid ante cœptum miniſterium egerit non deſcribitur. Probabile, quod tum Nazaretæ habitaverit. Sed poſt cœptum miniſterium vita ejus non fuit habitatio, ſed ambulatoria. Hoc enim Chriſto & Apoſtolis peculiare, quod non unius alicujus Eccleſiæ Paſtores fuerunt, ſed hinc inde tranſeuntes ubique ſemen Euangelii ſparſerint & Eccleſias plantaverint. Sed deinceps ordinatum à Chriſto, ut qui Euangelium annuntiant, ita dividerentur inter Eccleſias, ut Eccleſia quælibet ſuos haberet miniſtros peculiares & proprios. Nihil igitur hic fundatur vita circumcurſitantium monachorum & monacharum, qui abjecta omni vocatione huic tantum ſe dant, ut perrepant ædes, &c. 2 Tim. 3. 6. Nec vita Ieſuitica, qui vovent *Votum circumcurſitationis*, quocunque mittuntur à ſuo Generali. Hoc enim illud quod Phariſæis exprobratur, Matth. 23. v. 15.

Obambulabat autem non otioſus aut curioſitatis cauſa, sed *εὐεργετῶν*, vel *ἀγαθοποιῶν*, Actor. 14. 17. Facere bene vel bonum dupliciter uſurpatur in Scriptura, aliquando generaliter pro omni bono opere quod Deus à nobis requirit, Pſal. 34. 15. Aliquando ſpecialiter pro una aliqua virtute, & uno aliquo bono opere. Ut melius intelligas, bona opera divide in quatuor claſſes:

1. Opera cultus, e. g precari, legere verbum, intereſſe ſacris, &c.

2. Opera vocationis, ut quis diligenter laboret in eo ad quod vocatus eſt.

3. Opera juſtitiæ, ut ſuum cuique tribuas, neminem lædas.

4. Opera charitatis ac miſericordiæ, ut miſeris ſubvenias auxilio corpus & animam ſpectante, ut hoſtibus peccata condones, &c.

Quartum genus operum, vid. opera charitatis & beneficentiæ hoc loco Chriſto tribuuntur præcipue. Fuit enim diligens in cultu, vocatione, operibus juſtitiæ, ſed tamen hic præcipue reſpicitur beneficentia ejus, ad redarguendam ingratitudinem Iudæorum. Patet etiam ex particulari exemplo quod ſubjungit. In eo enim Chriſtus quadriennium ultimum ſuæ vitæ conſumpſit, quod homines docuit viam ſalutis, & miraculis ſuis neceſſitatibus ipſorum ſubvenit ſanando ægros, cibando eſurientes, ejiciendo Dæmones, &c.

Hanc beneficentiam Chriſti ponamus nobis ob oculos ut imitemur. Poſſem eam multis commendare argumentis, ſed ſufficiat una Pauli hortatio, quæ eſt Gal. 6. 9. 10. Iam habemus tempus benefaciendi. Iam enim 1. nos ſoli fere ſumus in beato illo ſtatu, ut poſſimus dare nec indigeamus accipere. 2. Dominus opus habet. Tot nunc ſunt qui indigent ac vix ullo alio tempore. Ne defatigemini benefaciendo; ne dicite, Tantum fecimus, tamdiu durat, non eſt mendicationum finis. Si ipſi non debent defatigari patiendo malum, cur vos defatigamini faciendo bonum? Facilius utique eſt patientibus benefacere quam pati. Si jam non vultis benefacere, quando igitur? An cum omnibus bonis eritis ſpoliati? An cum Eccleſiæ paci reſtitutæ ope veſtra non indigebunt? Benefacite dum tempus habetis.

Actor. 10. v. 38. 39.

CONCIO CXXXI.

SUbſtitimus in hiſtoria vitæ Chriſti, quæ deſcribitur 1. Generaliter, quod tranſiens benefecerit. 2. Specialiter, quod ſanaverit à dæmone oppreſſos, quodque multa alia fecerit, quæ Apoſtoli teſtentur. Vidimus nuper deſcriptionem generalem, ſequitur particularis. Præcipua actio vitæ Chriſti fuit ejectio dæmonum. Nam 1. hoc maximum beneficium quod hominibus præſtare poterat. A

morbo, peſte, &c. liberare magnum beneficium, ſed maximum liberare à Diaboli obſeſſione. Hoc maxime pertinebat ad ejus officium, quia venerat ut opera Diaboli deſtrueret, 1 Ioh. 3. 8. Gen. 3. 13. Contra cæteros morbos communes medici remedia ſciebant: ſed contra hunc morbum & hoſtem nemo noverat conſilium, niſi Chriſtus.

Vox, qua exprimitur tyrannis Diaboli ſuper homines, quam Chriſtus fregit, eſt καταδυναστεύειν, nuſquam uſurpata niſi hoc loco de Diabolo, & Iacob. 2. 6. de divitibus & potentibus mundi pauperum oppreſſoribus, quippe Diabolo maxime ſimilibus. Tyrannis autem & poteſtas quam Diabolus habet in homines, fluit quidem ex ejus malitia & odio erga humanum genus, Ioh. 8. 44. Sed tamen recte etiam de Diabolo dixerimus quod Chriſtus de Pilato, Ioh. 19. 11. Nihil enim habet niſi quod divinitus datum aut conceſſum eſt. Eſt autem ea poteſtas duplex.

I. In hominum animas, ad eas à ſpirituali communione cum Deo avertandas, & ſub dominio peccati retinendas. Hoc præcipuum opus Diaboli, quod hominum animas per peccata ſibi ſtudet habere captivas, 2 Tim. 2. 26. Et hæc ſpiritualis Diaboli poteſtas triplex eſt.

1. Omnibus hominibus communis. Natura enim omnes homines ſunt ſub dominio peccati, adeoque Diaboli poteſtati obnoxii, 1 Ioh. 3. 8. Hebr. 2. v. 14, 15.

2. Peculiaris piis & fidelibus ac converſis. In hos quidem poteſtatem proprie non habet, quia hi ex poteſtate tenebrarum tranſlati ſunt in regnum lucis, 1 Petr. 2. 9. ſed tamen maxime habere nititur. Nos maxime oppugnat & quærit ſeducere. Inconverſos ſtudet tantum retinere, ſed pios laborat recipere & recuperare. Hi ejus hoſtes contra quos omnem ſuam vim & malitiam exſerit, 1 Pet. 5. v. 8. Luc. 22. 31. Apoc. 12. 10. & 12. Varias habet tentationes quibus oppugnat. Modo tentat ad deſperationem, modo ad libidines, &c. Eſt quidem impiorum quoque hoſtis & tortor æternus, ſed tamen pios præcipue hoſtiliter oppugnat.

3. Peculiaris induratis & contemptoribus Euangelii. In hos peculiarem habet poteſtatem. Hos enim Deus plane deſeruit, & in poteſtatem Diaboli tradidit. Hi ejus mancipia. In his quaſi officinam ſuam habet, Eph. 2. 2. Horum dorſo inequitat. Hi canes ejus venatici, quibus alios venatur. Hi aves illices per quas alios ſeducit. In his operatur omnem nequitiam & ſævitiam ad alios ſeducendos vel affligendos. Sicut enim Iudæ dedit in cor ut Chriſtum proderet, ita omnibus talibus dat in cor ut ſtudeant pios vel ſeducere vel affligere.

II. In hominum corpora. Sicut enim in ſanctiſſimum corpus Chriſti videtur habuiſſe eam poteſtatem, ut modo huc modo illuc tranſportaret, Matth. 4. ita in alios quoque homines ipſis conceditur ſecundum voluntatem Dei. Eſt autem ea corporalis Diaboli poteſtas duplex:

1. Temporalis. Sic videmus, quod homines affligat in bonis, in corpore, in animo. Sic videmus factum Iobo, ſic in Euangelica hiſtoria legimus, quod alios effecerit cœcos, alios mutos & ſurdos, alios lacerat & contundit miſerabiliter, Luc. 9. 39, 42. alios reddit inſanos, ut abjectis veſtibus vivant inter ſepulchra, ſe ipſos lapidibus contundant, modo in aquam modo in ignem proſiliant, &c.

2. Æterna. Nam poſtquam ultimum judicium erit finitum, omnes damnati erunt cum Diabolo in eodem loco, Matth. 25. 41. & quæ tum tormenta à Diabolis ſint experturi, noſtrum eſt horrere potius quam dicere.

Ab hac poteſtate Chriſtus ſanavit multos temporæ ſuæ carnis, ſed tamen præcipue à corporali poſſeſſione. Nam liberatio à ſpirituali poteſtate per mortem Chriſti facta eſt, ſed hic præcipue agitur de tali ejectione Diaboli, qua illi, qui corporalibus afflictionibus & morbis, e. g. ſurditate, cœcitate, &c. à Diabolo premebantur, ab hoc corporali malo liberabantur, quæ liberatio hic appellatur, ſanatio. Chriſtus triplici modo liberat à Diabolo:

1. Suo ſanguine. Hoc enim illud lytrum eſt, quo divinæ juſtitiæ præſtatur ſatisfactio pro noſtris peccatis, quoque obtinetur revocatio ejus poteſtatis, quam Deus Diabolo in nos dederat propter peccata. Sicut judex, accepta ſatisfactione à ſponſore vel ipſo captivo, revocat & reſcindit poteſtatem quam dederat lictori, ita Deus accepta ſatisfactione juſtitiæ per merita mortis Chriſti, annihilat poteſtatem Diabolo conceſſam in fideles. Hæc poteſtas erat ſpiculum & vis Diaboli præcipua, quam Chriſtus ei ademit & nos ab ea liberavit, 1 Cor. 15. v. 55, 56, 57.

2. Suo Spiritu. Etiamſi reſciſſa eſt ſententia judicis, tamen quamdiu non ſolvuntur vincula lictoris, captivus non eſt liber. Sic etſi Deus nos propter mortem Chriſti abſolvit, tamen ſi peccata in nobis manerent integra, non foremus liberi à Diabolo. Sanatio igitur Chriſti ab oppreſſione Diaboli etiam in eo conſiſtit, quod juſtificatis à Deo

propter

propter ſuam mortem dat ſuum Spiritum, cujus virtute evigilant ex laqueo Diaboli quo ad voluntatem ejus erant captivi, 2.Tim. 2. 26. Sicut filiæ Lothi patrem ſuum ebrietati quaſi laqueo vinciverant, ut cum haberent ſuæ libidini obſequentem, ex quo laqueo concoctis vaporibus Loth tantem evigilavit, & tum filiæ non habuerunt amplius poteſtatem abutendi ejus corpore, Gen. 19. v. 31. &c. Ita Diabolus peccato quaſi dulci venenato poculo lethargum nobis induxit, cujus vi noſtris animabus corporibuſque ad ſuam voluntatem abutitur. Sed Chriſtus medicus Spiritum Sanctum nobis largitur, cujus virtute & incomprehenſibili operatione vis peccati frangitur, diſcutitur, conſumitur & quaſi concoquitur, ut redeamus ad nos ipſos, ut reſpiciamus & exerceamus functiones vitæ ſpiritualis, & tum non amplius poteſtatem in nos Satan habet. Et hoc vere eſt ſanare ab oppreſſione Diaboli.

3. Potentia ſuæ divinitatis. Poſtquam Diabolus merito ſanguinis Chriſti amiſit poteſtatem, qua Deus ipſum contra nos armaverat, & poſtquam virtute Spiritus Chriſti amiſit laqueum corruptionis, quo animam noſtram ligaverat, nihil reſtat quo nos oppugnet, præter proprium ejus robur, propriam aſtutiam & malitiam. Eſt enim natura Spiritus aſtutiſſimus & potentiſſimus, & habet iram ingentem contra nos, ut inſtar leonis rugientis nos aſſultet & niſi haberemus Salvatorem, qui potentior eſſet Diabolo & omni creatura, nos devoraret. Sed tamen Chriſtus adhibet potentiam dextræ ſuæ omnipotentis, & Satanam calcat ſubter noſtros pedes, Rom. 16. 20. Tenet eum manu ſua tanquam canem mordacem, quem ſubinde in nos immitit ad nos terrendos, ad fidem noſtram & preces noſtras excitandas, ad Chriſtum melius quærendum, ſed tandem ligatum catenis æternæ caliginis abjiciet in abyſſum, Apoc. 20. 10. & 14. Dat nobis tantam auctoritatem in oculis Satanæ, ut noſtrum conſpectum vix ſuſtineat, ſed à nobis increpatus fugiat, Jac. 4. 7.

Sed qui fit quod Chriſtus tantam habeat in Diabolum poteſtatem? Nam Deus erat cum illo. Noverat Nicodemus neminem talia poſſe, niſi Deus ſit cum ipſo, Joh. 3. 2. Videmus enim quanta fecerit Chriſtus circa Satanam. Fugat ipſum verbulo, ut cogatur abſcedere, Matt. 4. 10. Increpabat impuros ſpiritus, ut cogantur exire, & gratiam ab ipſo petere, ſe victos fateri, & veniam faciendi quod volebant ab ipſo petere, cum eſſent integra legio, Marc. 1. v. 25. & 9. 25. & 5. 6. Talia certe non potuiſſet facere, niſi Deus fuiſſet cum ipſo. *Object.* At Deus etiam eſt nobiſcum, nec tamen poſſumus ejicere Dæmones. Chriſtus enim vocatur Immanuel, id eſt, Deus cum hominibus. Deus eſt cum omnibus fidelibus, Roman. 8. 31. Deus erat etiam cum Joſepho, Gen. 36. 2, 21. Actor. 7. 9. nec tamen ejiciebat Dæmones. *Reſp.* Alia eſt præſentia, qua Deus eſt nobiſcum, alia, qua cum Chriſto. Nobiſcum eſt Deus, quia nos amat, nos defendit, noſtro labori benedicit, noſtriſque donis, quæ ab ipſo habemus, utitur ut mediis & inſtrumentis ad voluntatem ſuam faciendam. Sed cum Chriſto Deus erat non tantum per amorem, gratiam & aſſiſtentiam, ſed præcipue

1. Per perſonalem inhabitationem. Nam Deitas habitat in Chriſto corporaliter per perſonalem unionem, Coloſſ. 2. ita ut Deus non tantum eſſet cum Chriſto ſed etiam in Chriſto, 2. Cor. 5. 19. immo ut Chriſtus eſſet Deus, qui Dæmones ejiceret non ut inſtrumentum, ſicut Apoſtoli, ſed ut cauſa efficiens principalis, nec opus haberet Diabolis mandata dare nomine alterius, ut Paulus Act. 16. v. 18. Sed nomine proprio, Marc. 9. 25. & 1. 25. Hoc mirabile & peculiare, Marc. 1. 27.

2. Per conſenſum & conceſſionem poteſtatis & auctoritatis. Si Chriſtus ſuſcepiſſet Diabolum ex hominibus ejicere, non impetrato prius conſenſu & voluntate Dei; Deum habuiſſet contra ſe. Deus enim Diabolum manutenuiſſet, dicendo: Ego Diabolo hanc poteſtatem dedi, & meo nomine & juſſu poſſidet ac torquet hominem, quia contra me peccavit. Sed quia Chriſtus erat talis, qui receperat juſtitiæ divinæ pro peccatis hominum pleniſſime ſatisfacere, ideo Deus erat cum ipſo, ut de voluntate & conſenſu ejus Diabolum poſſet ejicere. Alio igitur modo Deus erat cum Chriſto, alio eſt nobiſcum.

Antequam Apoſtolus ab hiſtoria vitæ Chriſti diſcedat, addit ea quæ de vita Chriſti dixerat, non eſſe incerta, ſed ſe & cæteros Apoſtolos eſſe teſtes autoptas. Sed quia hoc denuo dicit, v. 41. & 42. commodior erit occaſio ibi de hoc Apoſtolorum teſtimonio agendi.

Poſſemus de hac ejectione Diabolorum, per Chriſtum facta, movere varias quæſtiones e. g. 1. quæ ſint cauſæ propter quas Deus aliquando Diabolo permittit horribilem illam corporalem obſeſſionem & torturam hominum? 2. Quare præcipue Chriſti tempore tot fuerint obſeſſi? 3. An mini-

miniſtri Euangelii etiam poſſint ejicere dæmones, & qui hoc non poſſint, non ſint veri miniſtri Euangelii? 4. An Diabolus per exorciſmum ſit ejiciendus ex infantibus baptizandis? &c. Sed non poſſumus omnia uno loco dicere. Pergamus ad brevem applicationem.

Diſcamus hinc

I. Quam miſerabilis ſit ſtatus hominum, qui ſunt in ſtatu naturæ. Sunt mancipia diaboli, æternum ab ipſo vexandi, ſicut videmus quoſdam in hac vita corporalibus ejus obſeſſionibus vexari. Non quidem omnes in hac vita ita vexantur, ſed tamen qui non evadunt ex laqueo peccati, æternum ſic vexabuntur. Et quid gravius hoc? Grave eſt à Deo deſeri. Teipſum enim juvare non potes. Gravius in manus ferarum & malorum hominum incidere. Hi enim poſſunt vexare & tandem occidere. Sed graviſſimum omnium in Diaboli poteſtate eſſe. Hic enim & occidere poteſt, & poſt mortem juſtitia Dei reſuſcitatos æternum cruciare. Recordemur, quo ſimus in ſtatu, ut eluctemur tempeſtive. Multi ſunt Sadducæi, qui non credunt Angelos aut Diabolos eſſe. Deus igitur ſubinde tam horrenda exempla corporalis obſeſſionis proponit, ut infideles terreat, & omnes ad Chriſtum pellat. Sicut magiſtratus aliquando carnificem in publicum producit theatrum, ut unum alterumve malefactorum cruciet vel occidat, ut cæteri terreantur; ita Deus ſubinde hunc infernalem lictorem ſinit prodire, & horrendum aliquod exemplum edere in uno aut altero peccatorum, ut omnes terreantur. Reſipiſcamus igitur aliorum exemplis, ne in nobis aut noſtris experiri hæc gravia Dei judicia opus ſit. Quotquot vivunt ſub dominio peccati, ſciant ſe ſpiritualiter poſſeſſos à Diabolo, 1. Ioh. 3. 8. & qui ſpiritualiter obſeſſus eſt, facile obſeſſioni corporali obnoxius fit, ſi non in hac, ſaltem in altera vita.

II. Quo Pacto à Diabolo liberari poſſint qui ſe ab ipſo vexatos ſentiunt, ſcil. per Chriſtum; Chriſtus deſtructor operum Diaboli. Quoties igitur preſſuris diaboli, ſive ſpiritualibus ſive corporalibus affligeris, ſis bono animo, & dicas quod eſt, 1. Ioh. 4. 4. Multi nimis ſunt qui per Beelzebub conantur ejicere Diabolos, e. g. in Papatu Diabolum & ejus noxas expellere conantur per res conſecratas à Sacerdote, e. g. per aquam luſtralem, ſal, candelas, imagines conſecratas, per ſignum crucis, per reliquias Sanctorum. Hoc eſt ejicere diabolum per Beelzebub, quia ſunt media quæ non Chriſtus ſed diabolus docuit. Sic increduli & impatientes inter nos, qui cum aliquid amiſerunt, vel aliquid ſcire cupiunt, vel aliquo malo premuntur, conferunt ſe ad mulieres incantatrices ſeu ſagas. Hoc eſt deſere eum cum quo Deus eſt, & ſe conferre ad illum, quo cum Diabolus eſt. Hoc eſt Chriſtianam fidem abnegare, quia recuſamus credere Chriſto quod venerit ut opera Diaboli deſtruat, Vide Eſai. 8. 19. & 1 Chron. 10. 13, 14. Cum igitur diabolus vel ſpiritualibus tentationibus vel corporalibus afflictionibus nobis moleſtias faceſſit, accedamus ad Chriſtum, proponamus fidelibus precibus ejus ipſi officium, & finem cur in mundum venerit. Non accedamus timide ut ille, Marc 9. 22. *Si quid potes juva*, ſed fortiter cum confidentia, ſicut Matth. 8. v. 2. *Si vis potes juvare*, immo dicamus, *Tu potes & vis.*

Actor. 10. v. 39.

CONCIO CXXXII.

Hactenus vocatio Chriſti & vita: Sequitur paſſio ejus his verbis: Quem ſuſtulerunt ſuſpendentes à ligno. Duo hic dicuntur.

1. Quis & à quo paſſus ſit: οἱ ἀνεῖλον. De multis loquitur.

2. Quid paſſus ſit: mortem & ſuſpenſionem à ligno, quo poſteriori modus mortis explicatur.

I. Ipſe Chriſtus, ille ipſe qui tantum boni fecerat, quo cum Deus erat, immo qui Deus ipſe erat, qui opprimentes Diabolos tam potenter ejecerat, paſſus eſt mortem & ſuſpenſionem à ligno. Videtur impoſſibile & implicare contradictionem, idque propter tres cauſas: 1. quia Deus eſt, adeoque immortalis qui mori non poteſt. 2. quia bonum fecit & ſine peccato eſt, ergo morti non obnoxius, quippe quæ locum non habet niſi in peccatoribus. 3. quia ipſis Diabolis potentior, eorumque victor ab hominibus vinci & occidi non potuit. *Reſp.* Sunt certe rationes non contemnendæ, ſed tamen eſt articulus fidei, quod Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris ſecundum Scripturam. Hoc Euangelium in quo ſtamus, per quod etiam ſervamur, 1. Cor. 15. 1. 2, 3. Quid igitur? An Euangelium valebit contra rationem, an ratio contra Euangelium? Retineamus Euangelium, & diſcutiamus rationes talibus reſponſionibus, quas Scriptura ſuppeditat.

1. Chriſtus eſt quidem immortalis Deus & Dominus gloriæ, & tamen hic Deus mortuus & crucifixus

cifixus eſt, Actor. 20. v. 28. 1. Cor. 2. v. 8. Quia carnis & ſanguinis eſt particeps factus, ut per mortem, mortem poſſet deſtruere, Heb. 2. Deus incarnatus, ſeu caro factus, non eſt omni modo immortalis. Eſt immortalis ſecundum Deitatem, ſed non ſecundum carnem, 1. Pet. 3. 18.

2. Chriſtus quidem non habet peccata, quæ ipſe fecit, habet tamen peccata quæ in ſe recepit. Siſtitit enim ſe judicio Dei ſponſorem pro nobis, voluitque peccata noſtra ſibi imputari, ſic Paulus peccata Oneſimi, Philem. v. 18. 19. Iuſte igitur occidi potuit, etſi peccator non erat, peccatorum tamen ſponſor erat, 2 Cor. 5. 19. & 21.

3. Chriſtus non potuit quidem vinci & occidi ab hominibus propter ſuam infirmitatem; potuit tamen propter ſuam liberam voluntatem. Occiſus & victus eſt, non quia vim vincendi ſuos oppugnatores non habuit, ſed quia quam habuit cohibuit, nec ea uſus eſt. Victus eſt, quia voluit vinci, Ioh. 10. v. 17, 18. *Object.* Atqui Chriſtum oportuit pati, Luc. 24. 26. *Reſp.* Hæc erat neceſſitas; quam Chriſtus libera voluntate & promiſſione ac prædictione ſibi ipſi impoſuerat, quæ proinde libertatem paſſionis non ſuſtulit. Ex his quæ dicta ſunt, tria fiunt manifeſta:

1. Duæ naturæ in Chriſto. Chriſtus vicit & ejecit Diabolos, & tamen ipſe victus & occiſus eſt. Ergo Deus eſt & homo. Nam Diabolum vincere nemo poteſt niſi Deus. vinci & occidi, hominis eſt, non Dei. Diſcenda igitur diſtinctio illa Scripturæ, qua utitur, 1 Petr. 3. 18. Rom. 1. 3, 4. Rom. 9. verſ. 5.

2. Sufficientia mortis Chriſti ad nos redimendos. Chriſtus bonum fecit & tamen occiſus eſt. Fuit ergo homo innocens. Qui pro nobis mortuus eſt, eſt is qui Diabolos vicit ac ejecit. Eſt ergo Deus. Et talem Mediatorem oportebat nos habere, qui eſſet verus ac perfecte juſtus homo, & tamen omnibus creaturis potentior, ſcil. verus Deus. Talis Mediatoris mors perfecte ſufficit ad redimendum. Eſt enim mors ejus naturæ, quæ peccavit & pro peccatis ſolvere tenetur. Eſt mors ejus qui proprii peccati culpa non tenetur, & proinde aptus eſt ad moriendum pro aliis. Eſt denique mors ipſius veri Dei, cujus infinita dignitas valorem lytri efficit, ut à Dei juſtitia repudiari non poſſit.

3. Noſtra erga Chriſtum obligatio. Chriſtus Deus & innocens homo pro nobis mortuus eſt. Ergo non eſt mortuus ex infirmitate naturæ aut merito culpæ, ſed ex mero amore erga nos. Hoc nos obligat. Ad quid?

a Ad humilitatem erga proximum Phil. 2. v. 3. ad 8.

b Ad gratitudinem erga Chriſtum, 2. Cor. 5. v. 15.

c Ad fiduciam in adverſis & tentationibus, Rom. 5. v. 6. ad 11.

II. Chriſtus paſſus eſt à Iudæis. Petrus quidem Judæos expreſſe non nominat, ſed facile intelligitur quod Iudæos præcipue arguat, Ideo etiam opponit beneficia quæ Chriſtus fecit, & malum quod Chriſtus paſſus eſt, ut arguat ingratitudinem eorum, qui beneficia à Chriſto acceperant. At hi erant Iudæi. Auctores mortis Chriſti ſunt triplices:

1. Deus ipſe ut Iudex. Is enim condemnavit & propter peccata noſtra punivit, ſeu peccata noſtra in ipſo punivit.

2. Pilatus ut infidelis & injuſtus amicus. Pilatus Chriſto hoſtis non erat, ſed tamen metu & favore Iudæorum paſſus eſt ſe induci ad Chriſtum occidendum, ſicut milites mercenarii ſe patiuntur induci ad occidendum pro pretio quoſvis, etiamſi nunquam ab illis acceperint injuriam.

3. Iudæi ut hoſtes ex malitia & invidia, quod ferre non poſſent ſuos mores à Chriſto argui, ſuamque doctrinæ corruptionem refelli. Et hos proprie notat Petrus, accuſatque apud Cornelium, ut Chriſti occiſores. Deus ex juſtitia, Iudæi ex invidia, Pilatus ex avaritia vel ambitione, ſine ira aut odio, tantum ut retineret favorem Iudæorum & Cæſaris.

At enim Iudæi non occiderunt, cum expreſſe fateantur ſibi non eſſe poteſtatem quenquam occidendi, Ioh. 18. 31 *Reſp.*

1. Invidia, odium & accuſatio ac calumniatio Chriſti reputatur pro homicidio. Vide 1 Ioh. 3. 15. Diſcant hinc calumniatores invidi, quod non ſint minus quam homicidæ, & ſibi applicent illud Matt. 5. 22. Sunt enim homicidii radix & gradus, & ſexti præcepti interdicto continentur

2. Merito dicuntur occidiſſe, qui Pilatum ad occidendum adegerunt, & tantum non coëgerunt. Quod quis facit per alium, per ſe feciſſe putatur. Si Pilatum ſponte proclivem non repreſſiſſent ſanctis adhortationibus, fuiſſent homicidæ, multo magis cum tam valide incitarunt. Vide exemplum Achabi, qui dicitur occidiſſe, 1 Reg. 21. v. 19. Item Davidis, qui dicitur occidiſſe Uriam,

2 Sam. 11. 15. & 12. 9. Non tantum peccatum facere, ſed communionem habere cum peccantibus, peccatum eſt. Sic Paulus ſe ipſum condemnat, quod lapidantium Stephanum veſtes cuſtodivit, Act. 22. 20. Vide ad Rom 1. 32. Caveamus ne quo pacto accedamus ad culpam alieni peccati, præcipue illi quibus eſt poteſtas in alios. Hi peccant ſi peccantes quantum, in ſe eſt, non cohibent, ſive ſint doctores, magiſtratus, præceptores, heri, parentes.

Obſervemus hic exemplum ingratitudinis bonum malo compenſantis. Ideo hic opponuntur Chriſti benefacere erga Iudæos, & Iudæorum occiſio Chriſti, ut ingratitudo hæc nobis inculcetur. Chriſtus circumibat & totam ſuam vitam inſumebat bene faciendo Iudæis, cibans famelicos, ſanans ægrotos, liberans poſſeſſos, excitans mortuos: Ipſi contra hunc benefactorem non tantum odio & invidia proſequuntur, non tantum calumniantur & accuſant, ſed non deſinunt donec occiderunt. Merito Chriſtus dixerit, quod eſt Ioh. 10. 32. Diſcamus vitare ingratitudinem. Præcipue diſcamus patienter ferre cum bonum noſtrum compenſatur malo. Sic factum Chriſto. Si quis bonus & pius eſt, bene vivens, & aliis benefaciens, & propter hoc cogitur pati, & patitur libenter, hoc pium & Chriſtianum eſt, 1 Petr 3. 17. & 4. 16. Sic patiebatur Abel, qui occidebatur quod opera ejus eſſent bona, 1. Ioh. 3. 12. Obſervemus hanc lectionem. Nam non raro contingit, ut pro beneficiis patiendum ſit.

III. Quid autem Chriſtus paſſus eſt? Mortem, & quidem mortem in ligno.

1. Ἀνεῖλον. Complectitur hæc vox omnia mala quibus Iudæi Chriſtum perſequuti ſunt, donec tandem vita privarunt. Sed quæritur, an hoc recte dici poſſit, quod Judæi Chriſtum occiderint, cum Chriſtus dicat Iohan. 10. quod nemo vitam ejus abſtulerit, ſeu eum privarit vita, ſed quod ipſe eam depoſuerit, quod etiam colligitur ex modo mortis, qui deſcribitur, quod inclinato ſponte capite altum clamans Spiritum reddiderit, unde patet, quod non vita privatus, atque ita occiſus ſit Chriſtus, ſed ſponte vitam efflaverit. Occidere eſt, vi alicui vitam eripere, quod Chriſtus ſibi factum negat. *Reſp.* Utrumque recte dicitur, & quod occiſus ſit Chriſtus, & quod ſponte vitam depoſuerit. Occiſus eſt, quia illata ipſi omnis illa vis, quam mors per naturam neceſſario ſequitur. Sponte vitam depoſuit, quia cum eſſet Dominus naturæ, potuiſſet vitam retinere, etiam deficientibus naturæ viribus. Mortuus igitur eſt, non quia occiſus eſt & naturali vivendi facultate privatus, ſed quia voluit mori. Nam ſi mortuus non eſſet, pro peccatis non ſatisfeciſſet. Mors enim per mortem debuit vinci, Heb. 2. 14. mors ſcilicet peccatoris. Mors noſtra peccati ſtipendium, mors Chriſti peccatoris lytrum. Etſi omnia paſſus eſſet, & mortuus non eſſet, pro peccato non ſatisfeciſſet. Sed poſtquam ſponſor mortuus eſt, peccator neceſſario vivit, alioquin injuſtus eſſet Deus. *Object.* At etiam peccatores, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, moriuntur. *Reſp.* Non moriuntur, ſed in vitam tranſeunt. Moriuntur enim, ut deſinant eſſe mortales. Mors fidelium non eſt mors, quia non eſt ſtipendium peccati, & quia non eſt deſtructio vitæ, ſed veræ demum vitæ initium.

2. Exprimit Apoſtolus modum mortis: κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου. Crucifixio in ligno non erat ſupplicium Iudæis uſitatum, & ſi Iudæi per ſe & ſua poteſtate ipſum potuiſſent occidere, non ſuſpendiſſent è ligno, ſed lapidaſſent, quia ipſum condemnaverant blaſphemiæ in ſuo conceſſu, quali peccato lapidatio erat ordinata à Deo. Dicuntur tamen ipſum ſuſpendiſſe è ligno, quia prætextu ſeditionis contra Cæſarem Pilato perſuaſerunt, ut Romano more ipſum crucifigeret, clamantes, *Crucifige, crucifige.* Factum hoc ſecundum conſilium Domini, qui in V. T. præfiguraverat hunc modum mortis Chriſti. Ideo enim Iſaac à Patre mactandus ponebatur ſuper lignum, ideo omnia ſacrificia ponebantur ſuper lignum, ideo ſerpens æneus erigebatur in ligno, ut Chriſti crucifixio præfiguraretur. Sic expreſſe hic modus mortis prædicitur, Pſalm 22. 17, 18. & ab ipſo Chriſto, Matth. 20. 19. Sed quare Deus voluit hoc genere mortis Chriſtum mori?

Reſp. 1. Ut hoc peſſimo & infami mortis genere ſponſor noſter doceret, quod peccatis plus meriti eſſemus quam communem & naturalem ac temporalem mortem, ſcilicet mortem maledictam & æternam. Hoc fine Deus in V. T. mortem in ligno peculiari ſtigmate inſigniverat, eamque declamaverat maledictam, Deuter. 21. v. 23. Quomodo omnis ſuſpenſus è ligno maledictus, an igitur latro cum Chriſto ſuſpenſus fuit maledictus, an omnes blaſphemi maledicti? *Reſp.* Non erat maledictio legis moralis, ſed legis cæremonialis. Non quæ facit maledictos, ſed quæ declarabat maledictos. Maledixit Deus huic generi mortis; tum,

tum ; ut eo omnium hominum maledictionem doceret, tum ut doceret Chriſti mortem eſſe hujus maledictionis remedium, ut ait Paulus, Gal. 3. v. 13.

2. Ut mors Chriſti tanto melius omnibus innoteſceret. Cum enim in morte Chriſti ſita tota noſtra ſalus ſit, neceſſarium erat ut veritas & certitudo ejus quam maxime eſſet explorata. Debuit igitur in ligno ſuſpendi, ut à toto Iudaico populo mortuus conſpiceretur, & eſſent teſtes qui refutarent mendacium Mahumedis & aliorum, dicentium, non Chriſtum ipſum, ſed Simonem Cyrenum loco Chriſti mortuum eſſe.

3. Addunt nonnulli & hanc rationem, quia voluit in arbore & ligno vincere diabolum, qui per arborem humanum genus vicerat, quo accommodant illud, Coloſſ. 2. 14, 15. ubi lignum hoc comparatur cum curru triumphali, quo Chriſtus ſuper diabolo triumphavit.

Diſcamus ex hoc mortis genere naturam peccati recte æſtimare. Maledictio legis & comminatio eſt ſpeculum unde agnoſcitur, quam abominabile ſit peccatum. Sed revera Chriſtus in ligno pendens, adhuc clarius hujus rei ſpeculum eſt. Nam quod Chriſtus paſſus eſt, docet quid nos ſimus meriti. Adſpice Chriſtum pendentem & clavis affixum ligno, & ira Dei accenſum, & cogita quid ſis meritus, & gratias age quod peccata noſtra ſuſtulerit in arbore, 1 Petr. 2. 24. quod ad mortem immo mortem crucis voluit humiliari, Phil. 2. 8. quod in cruce omnia reconciliavit, Coloſſ. 1. 20. quod in cruce Gentes & Iudæos reconciliavit in unum, Epheſ. 2. v. 15, 16. Inſpiciamus ſæpe crucem Chriſti, ut hac inſpectione cum ipſo crucifigatur vetus noſter homo. Rom. 6 5. 6. Σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου αὐτοῦ ϗ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεσταυρώθη. Reſpicitur ad erectionem crucis, cum inſtar arboris in terram plantata ac fixa eſt. Cum Chriſtus cruce ſua in terram plantaretur, figeretur & erigeretur, nos una plantati, cum ipſo una planta facti ſumus, trahentes ex illo ſuccum & vitam.

Actor. 10. v. 40. 41.

CONCIO CXXXIII.

Vidimus Chriſti vocationem, vitam & paſſionem: Sequitur ejus ſurrectio nec non hujus reſurrectionis manifeſtatio. De reſurrectione ipſa nihil nunc dicemus, quia in cap. 2. 24. eam materiam late tractavimus. Manifeſtatio reſurrectionis Chriſti ita deſcribitur,

1. Quod manifeſtata quidem ſit, v. 40.

2. Veruntamen non omni populo, ſed ſolis teſtibus à Deo electis, v. 41.

I. Oportuit reſurrectionem Chriſti fieri manifeſtam. Et hæc ratio, cur non ſtatim poſt reſurrectionem adſcendit in cœlos, ſed per quadraginta dies in terris manſit, ut ſcilicet ex tam diuturna converſatione certitudinem reſurrectionis haurirent diſcipuli. Non debuit articulus fidei de reſurrectione Chriſti occultus & ignotus, ſed manifeſtus & certus eſſe in Eccleſia. Nam

1. Si certi non eſſemus Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe, non poſſemus eſſe certi, quod debita noſtra ſint perfecte ſoluta. Cum enim ſponſor manet in carcere debitor, non eſt certus ſuæ liberationis.

2. Si non eſſet certus articulus de reſurrectione Chriſti, fidem vix poſſemus in Chriſtum collocare. Quis enim vitam quæreret apud mortuum? Citius cibum quæreres in ore devoratoris rapaciſſimi, quam vitam apud mortuos, Iud. 14. 14. Sed poſtquam certi ſumus Chriſtum mortem viciſſe, & de morte triumphaſſe, jam credere poſſumus, factum eſſe Principem vitæ, apud quem tuto vita quæritur. Quamdiu in morte erat Chriſtus, quantum deliquium patiebatur fides omnium ejus diſcipulorum? Talis foret omnium fidelium fides, ſi de reſurrectione non conſtaret. In eo poſitum ſolatium Iobi & Eccleſiæ, quod ſcit ſuum redemptorem vivere, & cum mortem colluctatus ultimus in arena ſubſtitit, quod victoris eſt, Iob. 19. 25. Et hic finis propter quem, poſtquam paſſus eſſet, ſe ipſum vivum exhibuit Apoſtolis, multis cum ſignis, &c. Actor. 1. 3.

II. Non tamen voluit reſurrectionem ſuam toti populo manifeſtam facere. Antequam moreretur, publice ambulabat in plateis civitatum, publice docebat in Templo & Synagogis, ut ab unoquovis conſpiceretur. Sed poſtquam reſurrexiſſet, non ambulavit publice coram populo, nec viſus in plateis, Templo, Synagogis, ſed paucis & per intervalla modo huic modo illi, modo paucis, modo pluribus ſe conſpiciendum exhibuit, & præſentiam ſuam ſtatim iterum ſubduxit, vix ferens ut quiſquam eum tangeret, Ioh. 20. 17. Quærat quis cur ita fecerit? Cur non ſe potius triumpho publico oſtendit toti popolo? Si reſurrexiſſet in

in conſpectu militum cuſtodum, ſi intraſſet Templum, & denuo inter Phariſæos ac Scribas ſediſſet, eoſque redarguiſſet, &c. nonne mirum in modum confuſi eſſent hoſtes & amici recreati? *Reſp.* Merito hic dicas quod eſt Eſa. 55. 8. Si noſtro conſilio uſus eſſet, aliter egiſſet. Sed quod Deo placuit facere, id à nobis debet haberi ſapiens ac juſtum. Subſunt graviſſimæ rationes, cur ita maluit, videl.

I. Vt nos doceat longanimitatem, tarditatem ad vindictam. Si cui noſtrum talis inferretur ab hoſtibus injuria, qualis Chriſto, non diutius differremus vindictam, quam donec poſſemus eam exercere. Chriſtus cum ſe poſſet hoſtibus exhibere vivum, eoſque publice confundere, noluit tamen, ut exemplum longanimitatis præberet quod imitaremur, Rom. 12. v. 19. quo & accommodari poteſt illud, 1. Cor. 4. 5. Nihil difficilius homini quam concoquere injurias, cum ulciſci poſſunt. Diſcamus imitari Chriſtum. Vide Matth. 18. 20.

2. Noluit denuo ſanctiſſimum ſuum corpus exponere impiorum ludibrio. Sicut enim de iis, qui Moſi & Prophetis non credunt, dicitur, quod crediturn non ſint, ſi vel quis ex mortuis veniret & ipſis Euangelium prædicaret, Luc. 16. v. 31. ita præcipue pervicacia Iudæorum tanta erat, ut Chriſto non credidiſſent, ſi vel ex mortuis reſurrexiſſet, ſed denuo ipſum ludificati eſſent. Noluit autem Chriſtus glorificatum ſuum corpus poſt reſurrectionem denuo exponere injuriis hoſtium, ideoque conſpici ab iis non voluit, donec in ultimo judicio venientem in gloria conſpicerent cum tremore & horrore, ut cogerentur exclamare, ſicut eſt Apoc. 6. 16. O montes! abſcondite nos ab ira agni. Hoc ita Chriſtus prædixerat, Matth. 23. 39. non videbitis me donec dicetis, i. e. donec cogemini dicere: Benedictus qui venit, &c. Sic etiam Matth. 26. v. 64.

3 Voluit hoc pacto oſtendere quod non venerit ad erigendum regnum mundanum ſed ſpirituale. Si voluiſſet regnum mundanum erigere, poſt victoriam ſuam mundano more triumphaſſet & ſe populo exhibuiſſet, ut eum metuerent & honorarent. Nunc vero ſe abſcondit à populo, ut non videant, & paucis quibuſdam abjectis ac contemptis hominibus ſe oſtendit, ut ſignificaret ſe non eſſe regem, qui vellet regnare per externam pompam & potentiam, ſed per ſpiritualem gladium verbi & ſceptrum Spiritus. Vere dixit ſuum regnum non venire cum pompa & obſervatione, Luc. 17. 21. ſed eſſe inſtar grani ſinapi, quod à parvis initus creſcat, donec grandeſcat, Matth. 13. v. 31. Ne quæramus regnum Chriſti, ubi eſt externa pompa cæremoniarum, externuſque ſplendor eorum, qui ſe regni Chriſti officiarios appellitant. Eſt hoc contra naturam regni Chriſti, qui cum inciperet erigere ſuum regnum, non venit cum pompa, ſed cum ſimplicitate. Vbi igitur invenimus purum & ſimplex verbum Dei, efficax per Spiritum ſapientiæ & ſanctificationis, ibi quæramus regnum Chriſti.

III. Sed cur Apoſtolis potius quam aliis vivum ſe exhibuit? *Reſp.* Exhibuit ſe Chriſtus vivum ſine dubio omnibus fidelibus, ut fidem ipſorum, morte Chriſti graviſſime vulneratam & concuſſam, refocillaret corporali ſui conſpectu, unde legimus, quod poſt varias & particulares apparitiones tandem una vice à pluribus quam quingentis fratribus conſpectus ſit, 1 Corinth. 15. 6. Sed tamen præcipue Apoſtolis ſe exhibuit per crebras & iteratas apparitiones, & diuturniores converſationes, Actor. 1. 3. idque propterea, quia Apoſtoli erant teſtes illi antea à Deo electi, & præcipue teſtes reſurrectionis, ut vocantur Actor. 1. 22 Sunt teſtes προκεχειροτονημένοι. Actor. 10. 41. χειροτονία proprie explicat modum quo vocantur miniſtri ordinarii qui per Eccleſiam vocantur, Actor. 14. 23. 2 Cor. 8. v. 19. Etſi autem in electione Apoſtolorum non intervenit χειροτονία quædam humana, niſi quadantenus in Matthia, Actor. 1. vocantur tamen κεχειροτονημένοι, quia quaſi manu & digito Dei deſignati ſunt. Vide vocem quæ eſt Actor. 22. 14. & 26. 16. Erant à Deo ſeparati ante jacta mundi fundamenta & ab utero matris, Roman. 1. 1 Gal. 1. v. 15. Erant quoque à Chriſto ſelecti ante mortem ipſius, præter Matthæum & Paulum, quorum prior ab Eccleſia per ſortem electus, alter ab ipſo Chriſto immediate ex cœlo vocatus. Mirabilis electio, non facta ſecundum eruditionem, eloquentiam, auctoritatem, ſed ſecundum infirmitatem, ut virtus non eſſet ipſorum, ſed Dei. Hi omnes debuerunt Chriſtum videre vivum poſt reſurrectionem ipſius, in tantum, ut etiam Paulus poſt adſcenſionem ad Apoſtolatum vocatus ipſum omnino videre debuerit, 1 Corinth. 15. 8. quia hi erant illi teſtes in quibus Deus voluit revelare filium ſuum, ut illum per Euangelium inter Gentes prædicarent, Gal. 1, 16. Debuerunt igitur vivum videre, ut reſurrectionem ejus annuntiantes, poſſent omnes dicere quod eſt, 1 Iohan. 1. 1 ut eſſent teſtes αὐτόπται, Luc. 1. v. 2. Hi duodecim viri debuerunt

runt

runt eſſe illi teſtes, quorum teſtimonio niteretur fides totius Eccleſiæ. Ideo debuit filius Dei in illis probe revelari. Gal. 1. 16. debuerunt τὰ πράγματα, περὶ ὧν ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν, eſſe ἐν αὐτοῖς πεπληροφορημένα, ἵνα ἐπιγνῶσιν οἱ κατηχούμενοι περὶ ὧν κατηχήθησαν λόγων τὴν ἀσφάλειαν, Luc. 1. v. 1 2, 3, 4. Hoc fine Chriſtus eos per integrum quadriennium ſecum circumduxit & tanquam in Schola inſtituit, hoc fine poſt reſurrectionem per integros 40. dies creberrimis apparitionibus & converſationibus eos inſtituit, hoc fine poſt adſcenſionem viſibili copia Spiritus Sancti eos unxit, ut ipſorum teſtimonium eſſet tutum fundamentum cui ſuperſtrueretur noſtra fides, Eph. 1. v. 20.

Object. At Chriſtus eſt fundamentum cui ſuperſtruimur, & lapis angularis, 1. Corinth. 3. Eph 2. *Reſp.* In fide noſtra ſunt duo diſtincti actus, qui requirunt duplex fundamentum. Eſt enim in fide

1. Certitudo intellectus, ut de veritate ejus, quod credimus, ſimus certi & indubii. Hujus certitudinis fundamentum eſt teſtimonium Apoſtolorum. Cum alicui doctrinæ aſſentimur, eamque pro vera habemus, debemus habere aliquod fundamentum cur credimus. At nullum aliud fundamentum hujus aſſenſus habemus quam teſtimonium Prophetarum & Apoſtolorum.

2. Fiducia cordis, qua cor oneratum, feſſum & onere peccati anhelans acquieſcit & ſe ſuſtentat. Hujus fundamentum eſt Chriſtus. In Chriſtum enim collocatur hæc fiducia, & nequaquam in Apoſtolos. Certitudo autem intellectus, qua ſcimus & pro veris habemus quæ de Chriſto ſcienda ſunt, nititur teſtimonio Apoſtolorum & Prophetarum. Ideo Apoſtoli audiverunt, viderunt, palparunt, ut nos ipſorum teſtimonio niteremur. Valeant igitur Romani ſacrificuli, qui hoc Apoſtolico teſtimonio remoto volunt ſuum teſtimonium haberi pro fundamento certitudinis in negotio religionis. Teſtantur, jurant, animam oppignerant, Apoſtolicum vero teſtimonium extenuant, contemnunt tanquam obſcurum, incertum, imperfectum. Sunt ordinarii quoque miniſtri teſtes Chriſti, nam qui Apoſtolos dedit, dedit etiam Paſtores & Doctores, Epheſ. 4. Sed non tales teſtes, qui cupiant auditores dependere à ſuo teſtimonio, nec dicunt quod Apoſtoli, 1 Ioh 1. v. 1. ſed remittunt ad teſtimonium Apoſtolicum. Et ſic nos æſtimet omnis homo, non ut Apoſtolos, ſed ut Apoſtolici teſtimonii de Chriſto præcones & proclamatores. Retinete veſtrum privilegium, examinate quod teſtamur ad teſtimonium Apoſtolorum.

IV. Qua autem re Apoſtolos ſuos Chriſtus reddidit certos, quod vere reſurrexiſſet & vivus eſſet? Edit & bibit cum ipſis poſtquam ex mortuis reſurrexiſſet Multis ſignis hanc certitudinem confirmavit, Actor 1. v. 3. e. g. quod toties ſe videndum exhibuit, quod manus, pedes, cicatrices exhibuit, quod loquutus eſt, ut corda arderent, &c. Sed præcipue quod ſæpe cum illis comedit. Cum enim viſis manibus & pedibus nondum ſatis crederent præ gaudio, majoris confirmationis cauſa poſtulavit cibum & edit cum illis, Luc. 24. 41. Sic in vico Emaus edit cum duobus, Luc. 24. 30. Sic cum aliis, Joh. 21. 2. cum 13. Sic cum omnibus, Marc. 16. 14. Quæritur, quomodo Chriſtus potuerit edere, poſtquam corpus eſſet glorificatum & immortale, nutritione non indigens? *Reſp.* Edit, non quia opus habuit, ſed quia voluit. Quid igitur factum de hoc cibo quem edit? an ceſſit in nutrimentum corporis, an vero annihilatus eſt? *Reſp.* Curioſa quæſtio. Si quid vis diſcere, diſce, quod Chriſtus etſi glorificatus, tamen nondum voluit uti ſua plena gloria, ſed accommodavit ſe hominibus, & cum illis ut homo converſatus eſt, cum non indigeret Hoc imitare, cum requirit ædificatio proximi 2. Diſce etiam quod Chriſtus per glorificationem corporis non depoſuit proprietates veri corporis, ſed fuit viſibilis, palpabilis, habens corpus noſtris corporibus ſimile. Ante mortem tale fuit, fuit quoque poſt reſurrectionem, quod per adſcenſionem mutatum ſit, in Scriptura non legimus. Adſcenſio fuit corporis ſublatio, non corporis mutatio. 3. Diſcamus denique appetere, deſiderare iſtam felicem familiaritatem cum Chriſto, qua uſi ſunt & fruiti Apoſtoli, ut ſcilicet cum Chriſto edamus & bibamus. Nam & nobis promiſſum & omnibus fidelibus, Matt. 26. v. 29. & 8. 11. *Object.* At regnum Dei non cibus & potus. Rom 14. *Reſp.* Non eſt potus cibus corporalis, eſt tamen cibus & potus ſpiritualis, quo anima ita ſatiatur, & omnia ejus deſideria ita explentur, ut ſit plene contenta, nec ullo fruſtraneo deſiderio torqueatur. Vide Apoc 3. 20. Ioh. 4. 13, 14. Pſalm 16 11. Sed qui cupiunt in cœlo cum Chriſto edere & bibere, debent in terris edere & bibere. In terris Chriſtus præparavit cœnam, & invitat ut ſecum comedamus, qui hanc cœnam recuſat, non comedet cum Chriſto in cœlo. Matth. 22 Luc 14.

quomodo cum Chriſto edimus & bibimus in terra?

Reſp. 1. Dum Chriſtum ipſum edimus & bibimus per fidem. Chriſtus agnus Dei, ira Dei aſſatus, panis vitæ à Patre ſignatus, medicina ſanans animam, juſtificans meritis ſuæ juſtitiæ, ſanctificans Spiritu, quo repletus eſt ſine menſura. Hunc cibum debemus edere, Iohan. 6. Quomodo? Ore? nequaquam, ſed per fidem. Fide editur Chriſtus, & ſic fide juſtificamur. Dicimur juſtificari & ad vitam paſci per Chriſtum, ejuſque juſtitiam, carnem, ſanguinem. Dicimur etiam per fidem juſtificari. Quomodo hoc conciliandum? Non quod fides nutrit, paſcit, juſtos facit, ſed quod cibum & juſtitiam applicat. Sicut cibus nutrit & pharmacum ſanat, ſed τὸ edere & bibere dicitur nutrire & ſanare, quia cibum & pharmacum applicat; ita fides applicat id quod juſtificat, & ideo vocatur eſus & bibitio, quia eſt ex corde eſuriente propoſiti cibi apprehenſio & applicatio.

2. Cum edimus cibum quem Chriſtus comedit, id eſt, cum facimus voluntatem Patris noſtri. Hic enim cibus & potus Chriſti, Iohan. 4. v. 18. quia dulce inſtar cibi. Dicimur voluntatem Dei edere & bibere, quia quaſi eſurimus & ſitimus ac appetimus & deſideramus facere voluntatem Dei, delectationem percipientes cum efficimus, dolorem fami & ſiti ſimilem cum deficimus. Sicut impii dicuntur peccata bibere, Iob 15. 19. Sic Eph. 4. 19. ita pii voluntatem Dei: Eſurite juſtitiam, Matth 5. Facere voluntatem Dei plus gaudii eſt in cordibus fidelium, quam cum impii ſaturantur muſto & tritico, Pſal. 4. 8.

3. Cum edimus verbum Dei. Verbum enim paſcuum animæ, Pſal. 23. lac nutriens, 1. Petr. 2. cibus dulcior melle, Pſal. 19. Hic igitur cibus appetendus & cum delectatione comedendus. Sicut infans edit & bibit cum Matre, cum ſugit Matris ubera; ſic fideles edunt cum Chriſto cum ſugunt ubera verbi. Chriſtus noſter cibus, quomodo igitur verbum noſter cibus? Verbum ſunt ubera per quæ Chriſtus ſe ipſum nobis communicat, per quæ Eccleſiam ſuam nutrit, donec grandeſcat & per mortem temporalem ablactata comedat cœleſte Manna in regno Dei in cœlis. Ne ſit in nobis nauſea ac faſtidium hujus cibi.

Actor. 10. v. 42.

CONCIO CXXXIV

HActenus acta Iohannis, & acta Chriſti in terra viventis: Sequuntur acta Apoſtolorum poſt exceſſum Chriſti ex mundo, quæ ſunt, quod mandato Chriſti prædicarunt, Chriſtum à Deo ordinatum eſſe judicem vivorum & mortuorum, quodque ex Prophetis demonſtrarunt per Chriſtum remiſſionem peccatorum habituros quicunque in nomen ejus crediderint. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam non voluit amplius à populo videri; idque propter rationes ſuperiori concione explicitas: Voluit tamen populo prædicari Populus enim noſſe Chriſtum debebat. Nam qui Chriſtum non novit, ſalvari per Chriſtum non poteſt, 2. Theſſ. 1. 8. At qui poſſunt noſſe, ſi è terris egreſſus à nemine videtur? Eligit ſibi κήρυκας, prædicatores, qui ipſum notum facerent, deſcriberent, annunciarent, populumque ad communionem cum ipſo invitarent. Non vult videri, ſed tamen vult prædicari, Luc. 24. v. 46, 47. De hac prædicatione duo ſunt in textu: 1. Origo prædicationis: Dominus mandavit prædicare. 2. objectum v. 42. & 43. Concionari & prædicare in Eccleſia eſt inſtitutio Dei. Deus mandavit populo prædicare teſtibus à ſe electis. Duo hic ſunt dogmata.

I. Prædicare & concionari in Eccleſia eſt mandatum & inſtitutio Dei & Chriſti. Non eſt inventio humana, ſed inſtitutio divina. Vide ſolennem ejus inſtitutionem in V. T. Eſa. 40. 6. Ierem. 1 6. Ezech. 3 1, 11. Ion. 3. 2. 2. Petr. 2 5. Sic Salomon fuit concionator, Eccleſ. 1. & in N. Teſt. Matt. 10. 7. Matt. 28. 16. Marc. 16. 15. 1. Cor 9. v. 16. 2. Corinth. 5. 18, 19. Hinc etiam fuit quotidiana Apoſtolorum praxis, Actor. 5. 42 Prædicatio igitur eſt inſtitutio Dei.

Exceptio: Non vocatur in dubium, quod Apoſtoli habuerint mandatum prædicandi, & deinde Euangelium deſcribendi ſacris libris. Sed unde probas, quod iſtud prædicare ordinarium Miniſtrorum, quod hodie in uſu eſt, quo pars aliqua Scripturæ Apoſtolicæ pro concione explicatur & applicatur ad redargutiones, conſolationes, doctrinam, adhortationem, ſit inſtitutionis divinæ. Sunt hodie multi, qui has prædicationes vellent abrogatas, & conciones miniſtrorum accuſant ut tubas bellorum, ſchiſmatum, ſeditionum. Sufficere Chriſtianis, ut legant

legant doctrinam, quam Apoſtoli prædicarunt, & deinde libris & Epiſtolis ſuis deſcripſerunt, & ceſſatura ſchiſmata, bella, tumultus, ſeditiones, ſi abrogentur conciones. Hujus farinæ ſunt 1. Ambitioſi Prælati Papatus, qui, cupidi dominandi potius quam laborandi, conciones extenuant, & muta Miſſarum ſpectacula & cantilenas precularum ac homiliarum iis præferunt. 2. Multi politici & aulici, qui concionatores verentur & improbant ut reprehenſores ſui reginunis & vitæ. 3. Moderni ſectarii, qui ſpecioſo prætextu pacis fervidos pro veritate concionatores, & pro fide ſanctis tradita cum Zelo contendentes accuſant ac inſectantur, ut concionibus pro fide ſublatis ſine impedimento ferant ſuas hæreſes. Probandum igitur, quod & hic modus concionandi, cum ordinarii Miniſtri partem ſacri textus populo explicant & applicant, ſit inſtitutionis divinæ, & tum retundenda ſophiſmata contradicentium.

Probatur praxis ordinariorum Paſtorum.

1. In V. T. non tantum fuerunt Prophetæ, qui prædicarunt inſtinctu Dei, & Scripturas ſacras ſcripſerunt, ſed etiam ordinarium Miniſterium, quod legem à Moſe & Prophetis datam cuſtodiret & labiis ſuis per illam multos converteret, Mal. 2. 6, 7. Erant interpretes, Nehem. 8. 8, 9, 10. idque non tantum extraordinarie, ſed ſingulis Sabbathis in Synagogis, Luc. 4. 16, 17. Matth. 23. 2. Compara, Actor. 15. 21. cum Actor. 13. 15. Vide etiam, Deut. 17. 10, 11. item Matth. 13. 52. Hinc ordinarii Levitæ vocantur νομοδιδάσκαλοι & νομικοί.

2 In inſtitutione prædicationis additur mandato talis promiſſio benedictionis, quæ ſe extendit uſque ad finem mundi, Matth. 28. 20. Ergo ex hujus inſtitutionis vi munus prædicandi ſemper debet durare.

3. Munus ordinarium Paſtorum & Doctorum æque eſt inſtitutionis divinæ, ac munus Apoſtolorum, Actor. 20. 28. Epheſ. 4. 11. 1. Corinth. 3. 10. Coloſſ. 4. 17. 1. Cor. 14. 29, 30, 31. Apoſtoli Architectones fundamentum ponentes. Ordinarii ſuperſtruunt. Vide etiam, 1. Petr. 5. 1, 2. At vero quis finis propter quem hoc munus ordinarium in Eccleſia inſtitutum, & qua re conſiſtere debet ipſorum functio? An in ſola prælectione Scripturæ? Plura certe ab ipſis requiruntur, e. g. Verbum veritatis ὀρθοτομεῖν, 2. Timoth. 2. 15. paſcere gregem, Actor. 20. 28. 1. Petr. 5. 1, 2. Prophetare ſecundum analogiam fidei, Rom. 12. 6. loqui ad ædificationem, adhortationem, conſolationem, 1. Cor. 14 v. 3. prædicare ſermonem Dei, inſtare tempeſtive intempeſtive, arguere, exhortari, objurgare cum omni lenitate & doctrina, 2. Timoth. 4. 2. eſſe didacticum, ut poſſit exhortari doctrina ſana & contradicentes convincere, 1. Timoth. 3. 2. Tit. 1. 9. inſtituere in ſermone, Galat. 6. 6. quod idem eſt ac Scripturam aperire, Luc. 24. 32. vel interpretari Scripturas, ibidem v. 27. Debent eſſe potentes in Scriptura, ut poſſint docere res Domini & per Scripturas probare ac convincere quod Ieſus ſit Chriſtus, Actor. 18. 24, 25, 28. Ideo Scripturæ datæ, & à Miniſtris legendæ ſunt, ut ex illis reddantur ſapientes & perfecte inſtructi ad doctrinam, ad redargutionem, adhortationem, conſolationem, 2. Timoth. 3. 15, 16, 17. Hæc certe omnia plus ſonant quàm nudam prælectionem Scripturæ, ſcilicet efficacem & prudentem Scripturæ interpretationem & applicationem.

4. Deus vult per vivam vocem docere homines & movere, videl. per prædicatores à ſe miſſos. Hos enim elegit in inſtrumentum generandæ fidei, Rom. 10. 14, 15, 17. 1 Corinth. 3. 5. ubi Apollos ordinarius Miniſter vocatur inſtrumentum fidei per quod fideles credunt ac fidem accipiunt. Vox Scripturæ debet ſonare & audiri, Pſalm. 95. 7, Hebr. 3. 7. Luc. 10. 16. Eph. 4. 11, 12. Medium & inſtrumentum fidei ac pietatis debet ſemper eſſe in Eccleſia. At talis prædicatio ſeu interpretatio & applicatio Scripturæ, quæ fit per vivam vocem paſtorum & Doctorum, medium fidei. E. Ipſa quoque experientia ſatis teſtatur, quantum hæc viva interpretatio & applicatio Scripturæ valeat; Ubi enim non eſt, quid aliud invenis inter homines, quam torporem & frigiditatem in negotio religionis? Sicut cum ceſſat flare ventus, molæ quieſcunt nec moventur: ita cum non ſpirat viva prædicatio verbi, flacceſcit omnis pietas, Prov. 29. 18. E contra ubi eſt efficax prædicatio & viva, quis veſt um eſt qui non ſenſerit vim ejus talem, qualis deſcribitur, Hebr. 4. v. 12. quis eſt qui non ſæpe dicat quod eſt, Luc. 4. 32. quis eſt qui non per vivam verbi Dei annunciationem elevetur ad tale gaudium & ſolatium, ut exclamet ſicut eſt, Eſai. 52. 6, 7, 8, 9 & Pſalm. 27. v. 4. Videtis igitur ex his argumentis, qualis & quanta ſit neceſſitas prædicationis, quæ etiamnum viget in Eccleſia.

At enim non deſunt ſpecioſæ objectiones, quibus hæc neceſſitas & utilitas vivæ prædicationis verbi Dei oppugnatur.

Object. 1. Habemus Scripturam, quam ſi legamus

mus aut prælectam audiamus, poſſumus proficere ad fidem & ſalutem.

Reſp. 1. Eunuchus etiam habebat & legebat Scripturam, & tamen dicit ſe indigere interprete ſeu manuductore ut intelligat quod legit, Act. 8. v. 30, 31. An nos omnes ſumus Eunucho tanto ſapientiores, ut non opus habeamus tali ὁδηγῷ ad Scripturam intelligendam? 2. Cum Deus res duas inſtituit, an tuum eſt unam recipere, alteram contemnere? Inſtituit Deus baptiſmum, inſtituit & cœnam. Inſtituit Prophetas & Apoſtolos, qui Scripturas ſcriberent, inſtituit & Paſtores ac Doctores qui Scripturas aperirent, explicarent & applicarent, ut ſupra oſtendimus. An tuum jam eſt Scripturam recipere, & vivum Miniſterium contemnere?

Object. 2. At conciones non ſunt purum verbum Dei, ſed ſola Scriptura eſt verbum Dei, conciones tantum ſunt meditationes & cogitationes hominum, qui falli poſſunt, unde etiam experientia probat, quod concionatorum conciones plenæ ſunt pugnis & contentionibus, quibus Paſtores diverſarum Eccleſiarum, immo ſæpe ejuſdem Eccleſiæ ſibi invicem contradicunt, tum in doctrina, tum in deciſione caſuum conſcientiæ: idque etiam contingit inter illos concionatores, qui volunt audire Euangelici. Quomodo illæ conciones poſſunt eſſe verbum Dei, quæ tam plenæ ſunt controverſiarum?

Reſp. 1. Scriptura eſt verbum Dei in ſe & per ſe, ſed conciones ſunt verbum Dei propter Scripturam ex qua factæ ſunt. Conciones & Scriptura non differunt alio modo, quam Pannus & Pallium ex Panno factum, Farina & Panis ex farina factus. Sicut ars medici & apothecarii non demit naturam & vim ſimplicium ex quibus pharmaca componuntur, ſed tantum, ut vis & virtus eorum melius in hominum corpus penetret, efficit: ita dona & officium Miniſterii non deſtruit Scripturam, ſed doctrinam Scripturæ eruit, colligit, ordinat, ut tanto melius ab auditoribus intelligatur, percipiatur, ſentiatur.

2. Non dicimus omnes conciones eſſe verbum Dei, ſed eas tantum, quæ ſunt deſumptæ ex ſcripto Dei verbo, & ſuper illo fundatæ, & quatenus cum verbo ſcripto conveniunt, συμβιβάζοντες, ut explicuimus Actor. 9. 22. Fatemur quod concionatores ſæpe ſunt apoſtatæ qui à fide deficiunt, & loco Scripturæ inſtitutiones hominum & dogmata inanis philoſophiæ inculcant, fatemur etiam eos, qui fundamentum retinent, huic fundamento ſæpe ſuperſtruere ſtramen, fœnum, ſtipulas 1 Corinth. 3. ſed inde non ſequitur neceſſitas aut licentia Miniſterii laborem contemnendi aut negligendi, ſed tantum eorum dogmata probandi, ne unicuilibet credamus, ſed probemus Spiritus, an ex Deo ſint, 1 Ioh. 4. ut ſcrutemur Scripturas an ita ſe habeat ut concionator dicit, Actor. 17. ſicut Beroënſes. Sicut concionatoribus injunctum ut videant quomodo concionentur; ita auditoribus injunctum ut videant quomodo audiant. Luc. 8. 10. Auditorum aures ſæpe caſtiores ſunt, quam docentium linguæ, & ſicut epar bene ſanum ex chilo extrahit utiliora, fœculenta rejicit; ita animus Spiritu S. imbutus ſæpe ex puris monachorum concionibus haurit quod ædificat. Sicut ovis in promiſcuo paſcuo novit edere quod prodeſt, & relinquere quod nocet, ita oves Chriſti in concionibus ex veritate & mendacio mixtis per Spiritum diſcretionis poſſunt agnoſcere vocem Chriſti, Ioh. 10. 4. 5.

Except. Sed ad hanc probationem unuſquiſque non eſt idoneus. Qui errantibus concionatoribus adhærent, etiam probant. *Reſp.* Qui animo docili ac humili & pacifico, cum invocatione divini nominis, & cum ſeria intentione faciendi voluntatem Domini Scripturas legit, ſcrutatur, meditatur, cum articulis fidei & concionatorum explicatione confert ac comparat, is non poteſt errare ad jacturam ſalutis. Hoc enim foret contra promiſſionem Chriſti, Ioh. 7. 17. Poteſt manere infirmus in cognitione, poteſt errare in uno altero ve puncto ad ſalutem minus neceſſario, ſed non poteſt manere plane cœcus, & veræ ſalutis vix ignarus, ſed ſi quid aliud ſentit, Deus ipſi tandem revelabit, modo ſecundum hanc regulam ambulet, Phil. p. 3. 15, 16. Si modo ad talem probationem poſſemus adigere noſtros Papicolas & hæreticos, lucrati eos eſſemus. Sed quamdiu ſe vendunt ſub cœcam obedientiam ſacrificulorum, & probationem dogmatum rejiciunt, vel quamdiu non dogmata concionatorum ad Scripturam, ſed Scripturam ipſam ad normam humanæ rationis exigere ſatagunt, quid mirum eos errare!

Object. 3. Conciones ſunt periculoſæ. Plus Pacis foret, ſi quæ reſpublica eſſet ſine concionatoribus. Illa prophetandi & prædicandi libertas multa parit incommoda. Omnium hominum actiones carpunt, miſcent ſe politicis, œconomicis, commerciis, conviviis, veſtitui, in ſumma omnibus volunt dominari actionibus. Injungunt onera contra honorem & utilitatem, fovent ſchiſmata, excitant bella. *Reſp.* 1. Quoniam in omnibus actionibus

poteſt

poteſt contra Deum peccari, mirum non eſt, Deum & ejus miniſtros omnium actionum defectus & vitia prohibere & reprehendere. Quod ſi inde factiones, ſimultates, ſchiſmata, bella; vitium non eſt concionatorum, ſed auditorum, qui concionatorum monitis non obediunt. Vide quid Chriſtus de ſe dicat, Matth. 10. 34, 35, 36. Prophetis quoque hoc impactum, ſed immerito, 1 Reg. 18. 17. Amos 7. v. 10. Ier. 15. 10. *Reſp.* 2. Libertas Prophetandi, in Eccleſiis bene conſtitutis, ubi viget legitimus modus vocandi Miniſtros, non eſt tanta ut poſſit magnum creare periculum. Habent enim Miniſtri ſat multa fræna quibus continentur in modeſtia & timore. Nam

α. Sunt obligati per conſcientiam & promiſſionem, juramento haud inferiorem, quod nil ſint dicturi nec docturi præter ſacram Scripturam.

β. Ipſorum Miniſterium eſt ſub Magiſterio Spiritus S. quem ſi precabuntur auditores, ut extrudat in meſſem ſuam operarios aptos, quorum Miniſterium ſit ſine periculo, preces eorum non erunt ſine exauditione.

γ. Miniſtri legitime vocati ſunt ſub regimine Eccleſiaſtico, & Spiritus Prophetarum coguntur eſſe Prophetis ſubditi, ad retinendam unitatem Spiritus & vinculum Pacis.

δ. Gerunt omnia ſua ſub oculis Magiſtratus Politici, qui cum ſit cuſtos pacis & legis, ſatis curabit, ne quid reſpublica detrimenti capiat ex tranſgreſſionibus Miniſterii.

ε. Habent Miniſtri ſuos adverſarios, hæreticos, ſchiſmaticos, Antichriſti miniſtros, quibus tanquam cotibus acuuntur ad prudentiam & attentionem, quippe qui perpetuo cum ipſis agunt, ut Phariſæi & Iudæi cum Chriſto, Matth. 22. 15.

ζ. Denique ab ipſis ſuis auditoribus ſatis carpuntur, quibus nunquam ex ſententia funguntur ſuo munere, & tam audacibus reprehenſionibus reprimuntur, ut ſæpe cogantur gemere. Habent certe Miniſtri fideles Magiſtros auſteriores quam quiſquam diſcipulus in ſchola. His frænis ſatis continentur, ut non ſit tantum ab iis periculum. *Reſp.* 3. Et ſi forte aliquid à miniſtris, ſive ob pervicaciam eorum, qui Miniſtrorum adhortationibus credere nolunt, ſive ab ipſorum Miniſtrorum infirmitate aliquando patiendum ſit, præſertim temporibus confuſionis, quibus nec Eccleſia nec reſpublica bene conſtituta eſt, cogitate quod utilitas & ædificatio animarum, quam ex Miniſterio ipſorum accipitis, ſuperet omnia incommoda hujus vitæ, quæ ab illis metuere poteſtis. Noluit vos Deus gubernare per Angelos, ſed per homines, qui infirmitatem habent. Sitis contenti, & date Deo honorem. Habent Miniſtri quod etiam à vobis patiantur & ferant. Quis enim plus contemptui & illuſionibus mundi & populi ſubjectus, quis minus fruitur deliciis mundi, quam orthodoxus & fidelis paſtor? Ne ſitis ſicut illi ægri, qui nolunt Chirurgum vel Medicum, quod ægre facit & dolores creat ac moleſtias. Ne ſitis ut Gadareni, qui nolebant concionatorem, quod nocumenta daret in porcis.

Obect. 4. Conciones plerunque ſunt adeo tædioſæ. Sunt quidem aliqui concionatores docti, eloquentes, efficaces, qui audiuntur cum voluptate, ſed cæteri ut plurimum ſunt adeo ſomnolenti ac tædioſi, ac balbutientes, ut in quavis re plus delectamenti poſſis capere, quam ex eorum concionibus, immo ut ipſi videamur melius poſſe concionari, quam ipſe paſtor? *Reſp.* Hæc objectio dupliciter peccat:

1. Quia plena eſt ingratitudinis. Cum pater filios cibat, & non cibat ſic, ut illi appetunt, murmuratio filiorum & contemptus cibi appoſiti gravis eſt ingratitudo. Sic cum Deus nobis ex mera gratia mittit prædicationem Euangelii, ſed non mittit tam delicatis donis, quæ appetitui noſtro ſatisfaciant, & nos murmuramus ac contemnimus, qui poteſt hæc ingratitudo excuſari? Quot ſunt homines, quibus nullos dat Paſtores? Quis dat & diſtribuit concionatorum dona? Spiritus S. unicuique ſicut vult, 1 Corinth. 12. Cum habetis Miniſtros legitime vocatos, & fideliter ac diligenter officium facientes, nec tamen labor ejus vobis ſapit, ne accuſate Miniſtrum, qui vobis dat quod à Deo accepit, ſed accuſate veſtram duritiem cordis, degenerem veſtrum ſtomachum, febricitantem veſtram linguam.

2. Quia eſt plena ſuperſtitionis. Putatis enim vim ædificationis ſitam eſſe in donis, cum ſit ſita in benedictione Dei, & dona non ſint niſi media. Sicut homo non vivit ex pane, ſed ex verbo oris Domini, Matth. 4 ita auditores non ædificantur donis, ſed benedictione Domini ſuper dona Miniſtrorum. Sicut autem Deus alium lautius cibat, alium parcius & craſſius, & tamen eos, quos parce cibat, ſæpe robuſtiores reddit, quam quos laute cibat: ita Deus Eccleſias diverſis paſcit donis, & tamen quos lautioribus paſcit donis, ſæpe minus roborat in fide, quam quos parcioribus. An putatis in

pagis, ubi plerumque ſunt Miniſtri minus dotati, non æque eſſe pios Chriſtianos ac in urbibus, ubi magis dotati? Deponite hanc ſuperſtitionem, & non tam reſpicite dona quam vocationem & fidelitatem miniſtrorum veſtrorum. Vide 1. Cor. 3. 4, 5, 6, 7, 8. Licet petere Miniſtros bene dotatos, ſed quos precati impetraſtis, iis eſtote contenti. Ex his omnibus oritur hortatio

1. Ad Magiſtratus Eccleſiæ nutritios, ut, ſi reipublicæ ſuæ cupiant eſſe bene, ante omnia hoc curent, ut prædicatio Euangelii in ea floreat, utque omnia media iſthuc pertinentia procurent. Non incumbit ipſis nunc, quod faciebant reges Perſiæ, Eſdr. 6. v. 3. ad 10 Non eſt Euangelium adeo ſumptuoſum, ut olim erat Leviticum Miniſterium, & nunc Hierarchia Papalis. Ideo paucum quod requiritur, libentius debebant dare.

2. Ad Miniſtros, ut ſcientes ſe facere opus Domini, non ſint negligentes nec timidi, ſed alacres & confidentes. Fidelis eſt Deus qui vocavit, ille & faciet, 1 Theſſ. 5. v. 24. Sæpe meditentur illud Pauli, 1 Cor. 9. 16, 17.

3. Ad auditores, ut conciones vocatorum Miniſtrorum æſtiment ut divinam inſtitutionem, & ſacrum medium ſuæ regenerationis & beatitudinis. Non commendamus vobis nunc concionatores, ſed conciones. Non quis concionetur, ſed quid prædicetur, reſpicite. Audite, ſed videte quomodo audiatis, ſcilicet cum devota attentione ad intelligendam rem quæ dicitur, & ſincera intentione ad obediendum iis quæ intelligitis.

II. Alterum dogma hujus textus eſt, quod concionari non eſt cujuſvis, ſed illorum qui ſunt à Deo electi teſtes. Chriſtus poſt reſurrectionem non voluit apparere toti populo, ſed ſolis electis teſtibus, eo fine, ut per hos populo prædicaretur. Qui igitur dicere non poteſt, ſe eſſe teſtem à Deo electum, & habere mandatum prædicandi, ne currat antequam mittatur, nec ſibi ſumat honorem ad quem non eſt vocatus, Heb. 5. Redarguitur igitur Spiritus Anabaptiſticus, qui munus concionandi non vult habere pro vocatione peculiari, ſed pro opere caritatis, licito omnibus qui poſſunt aliquo modo garrire, etiã ſartoribus & ſutoribus, forte etiam ipſis mulieribus. Redarguitur etiam arrogantia illa popularis idiotarum ſemidoctorum, qui non tantum concionari præſumunt, ſed concionatorum ariſtarchi & cenſores eſſe volunt, qua re multi Pontificii ſcandalizantur, ut dicant, ſe malle manere in Papatu, ubi homines ſimpliciter in negotio religionis ignorantes ſunt & ſe judicio Paſtorum ſuorum ſubjiciunt, quam ubi ipſæ etiam mulierculæ tam ſciolæ ſunt, & opus Doctoris aggrediuntur, contra illud Iacobi 3. 1. Nos non hortamur idiotas, ut maneant in ignorantia, ſed potius ut ſedulo laborent indies magis in notitia proficere: nec ſumus ex illis qui ſciolis & naſutulis naſum illico amputandum eſſe judicant: ſed tamen monemus eos, ut ſcientia ſua, ad quam pervenerunt, utantur prudenter & modeſte, non ad docendum publice, ſed ad inſtruendam familiam, & ad obſervandas particulares occaſiones lucrandi proximum. Si ſic collocas tua dona, liberas tuam conſcientiam à culpa, etiamſi non concioneris. Vide 1. Cor. 14. 34, 35.

Actor. 10. v. 42.

CONCIO CXXXV.

Sequitur objectum prædicationis Apoſtolicæ, ſeu res quæ prædicanda, quæ reducitur ad duo ſumma capita:

1. Quod Chriſtus ordinatus judex.

2. Quod in Chriſto fideles habebunt remiſſionem peccatorum.

Priori parte continetur lex, poſteriori Euangelium. Iudicium enim ultimum eſt actio tota legalis, ubi non judicatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem & legis opera. Sed remiſſio peccatorum eſt actio tota Euangelica, quæ fit ex mera gratia, ſine meritis ejus cui remittitur, propter merita Sponſoris Chriſti. Chriſtus igitur & judex eſt, qui omnes peccatores ſiſtet ſuo tribunali, eoſque ſecundum opera ipſorum judicabit, & eſt quoque Sponſor & Advocatus; qui ſe ipſum pro peccatoribus ſiſtit tribunali Dei, iiſque impetrat remiſſionem peccatorum. Utrumque igitur de Chriſto debet prædicari.

Chriſtum à Deo eſſe ordinatum judicem, qui omnes peccatores magno illo die citet coram ſuo tribunali, eoſque omnes judicet ſecundum ipſorum opera, non hoc ſolum loco, ſed & alibi affirmatur. Clariſſima loca ſunt, Geneſ. 18. 25. Matth. 25. 31, 32, &c. Iohan. 5. v. 21. 22, 27. Act. 17. 31. Rom. 2 v. 16. Rom. 14. 9. 2 Corinth. 5. 10. 2 Theſſ. 1. 8. 1 Theſſ. 4. 15, 16. &c. 2 Tim. 4. 1 & 8. 1 Pet. 4. v. 5. De hoc judicio & judiciali poteſtate Chriſti quatuor quæſtiones ventilandæ nobis ſunt

I. Cur Chriſtus magis judex viventium & mortuorum, quam Pater & Spiritus S. Nonne tota Dei-

tas, tota Trinitas noſter Iudex? Qui nos creavit, qui legem dedit, contra quem peccavimus, nonne is noſter judex? *Reſp.* Immo Deus Pater, Filius, & Spiritus S. omnium hominum judex. Sed Pater judicabit mundum per Chiſtum, Rom. 2. 16. Act. 17. v. 31. Loquitur textus de ultimo judicio in fine mundi, quo omnes homines congregabuntur, & in duo genera diſtribuentur, videl. in oves & hircos, & cuilibet ſua pronunciabitur ſententia, & ſecundum hanc ſententiam quiſque ibit in locum ſibi ab æterno paratum. In hoc judicio judex erit Chriſtus Deus & homo ſedebitque in viſibili throno, ut conſpiciatur ab omnibus & audiatur pronuncians ſententiam, Luc. 21. v. 27. Actor. 1. 11. Quæ autem ratio quod hoc judicium Filio Dei mandatum eſt? Quomodo hoc convenit cum Ioh. 3. 17. ubi dicitur non miſſus ad judicandum. *Reſp.* Dictum Iohannis loquitur de primo adventu Chriſti, quando non venit ad judicandum, ſed ad moriendum, ſatisfaciendum, redimendum, &c. Cum autem venerit ſecundo, non veniet denuo in humilitate ad patiendum, ſed in gloria ad judicandum. Cauſæ autem propter quas hoc ſolenne ultimum judicium magni illius diei Filio Dei commiſſum eſt, ſunt hæ:

1. Quia viſibile debet eſſe judicium, viſibilis etiam eſſe debet judex. Non igitur Deus inviſibilis, ſed Deus manifeſtatus in carne apparebit, unde adventus Chriſti ad judicium appellatur *apparitio*, 2 Tim. 4. 8. Tit. 2. 13.

2. Quia æquum eſt, ut qui pro mundo judicatus & condemnatus eſt, etiam mundum judicet; qui in mundo ambulavit humilis & contemptus, a toto mundo conſpiciatur in ſua gloria, ut ita impleatur prædictio Chriſti facta iis, qui ipſum tempore exinanitionis contemnebant, Matth. 26. v. 64. q. d. vos jam me judicatis, ſed veniet tempus quando & me videbitis venturum ad vos judicandum.

3. Quia hoc judicium pertinet ad plenitudinem officii Mediatoris. Mediatoris enim erat non tantum lytron pendere juſtitiæ divinæ, non tantum redemtos per Spiritum S. à mundo ſeparare & ad Deum convertere, ſed etiam Diabolum & illos hoſtes, ex quorum manu Eccleſiam ſuam liberaverat & contra quos in hoc mundo pugnavit ac Eccleſiam ſuam defendit, tandem judicare & in æternas pœnas conjicere, Eccleſiam autem ſuam publice coram toto mundo juſtificare, eamque in gloriam partam transferre, & Patri ſuo regnum à ſe partum tradere, 1 Cor. 15. 24. Si hoc non faceret, non plene fungeretur officio Mediatoris, 2 Theſſ. 1. 6, 7, 8, 9. 2 Pet. 2. 9.

II. Quomodo mortui & vivi poſſunt vere dici in ultimo die judicari, cum tamen omnes homines judicentur antequam moriuntur. Nam qui moriuntur, aut moriuntur fideles aut infideles. Si fideles, juſtificati ſunt & ſententia juſtificationis ſuper illos lata eſt, & non veniunt amplius in judicium. Si infideles, jam tum condemnati ſunt, Ioh. 3. 18. & 36. *Reſp.* Verum eſt, hoc ultimum judicium, in quo Chriſtus judex eſt, non fiet ad juſtificandos fideles, neque ad condemnandos infideles. Hi enim jam tum juſtificati & condemnati ſunt. 1. à Deo, qui peccata ipſorum vel vere remiſit vel vere retinuit, & ſic juſtificavit vel condemnavit. 2. à verbo Dei; nam lex Moſis condemnat impios, Ioh. 5. 45. & Euangelium juſtificat omnes fideles. 3. à propria conſcientia; nam impiorum conſcientia condemnat & accuſat, fidelium vero accuſat quidem ut humiliet, ſed viciſſim & abſolvit. Si itaque omnes mortui jam tum judicati ſunt, quomodo judicabuntur in ultimo die? *Reſp.* Iudicium ultimi diei erit

1. Iuſtificationis & condemnationis promulgatio publica. Sicut in curia fit publica promulgatio ſententiæ jam tum latæ; ita hic talis fiet promulgatio, ut partes coram toto mundo tales declarentur, quales ſunt, ut ita qui condemnati ſunt juſtificent eos qui juſtificati ſunt à Deo, ſicut eſt Sap. 5. v. 1, 2, 3, 4.

2. Iuſtificationis & condemnationis exſequutio. Ideo enim Chriſtus hujus judicii judex, quia *κρίσιν ποιεῖ* Iohan. 5. 27. judicium exſequitur, ab omni captivitate liberans & in libertatem filiorum Dei conſtituens eos, qui ſunt juſtificati, in carcerem vero & æternam mortem conjiciens eos qui condemnati.

III. Quare autem Apoſtoli, antequam in Chriſti nomine remiſſionem peccatorum prædicent, jubentur prius prædicare, quod ſit conſtitutus judex vivorum & mortuorum? *Reſp.* Ut homines terreant, & ad ſenſum peccatorum adigant. Nam qui non terretur, nec peccata ſua ſentit, non curat nec quærit remiſſionem peccatorum. Fides non eſt niſi in corde contrito & territo. Nullum autem aliud eſt terrendi medium, quam ſi prædices ſeverum illud judicium Chriſti ſuper omnes peccatores, quod omnes citandi & condemnandi, ſi non poſſint ſe ipſos juſtificare. Sic facit Paulus 2. Cor. 5. v. 10, 11.

Habakuk meditans ultimum judicium ſubtempora-

poralium judiciorum figura terretur & tremit, Hab. 3. v. 1. ad 17. Sicut Noach, prædicando interitum mundi per aquam, ſe & ſuos ad filialem terrorem & obedientiam diſpoſuit per annos 120. Hebr. 11. 7. ita interitus mundi, per ultimum judicium prædicandus, ut filii Dei terreantur & quærant arcam ſalutis, i. e. Chriſtum. Sicut oblivio hujus judicii eſt cauſa ſecuritatis, Matth. 24. 48. 2 Pet. 3. ita continua prædicatio & meditatio hujus judicii fovet filialem tremorem & ſollicitudinem. Applica etiam Ioh. 16. 8. Vide etiam, Pſal. 119. 120. Si David meditatione particularium judiciorum ita territus, quidni terreat prædicatio magni illius judicii?

IV. Quonam autem modo hoc judicium exercetur, ad quod Chriſtus ordinatus eſt judex?

Reſp. Præcipuæ proprietates hujus judicii ſunt ſequentes:

1. Erit ſubitum. Veniet inſtar furis noctu, cum homines ſunt ſecuri & minime putant, Luc. 21. 35. Matth. 24. 44. Non veniet lente & diu prævisum, ut concedatur tempus reſipiſcendi & ſe emendandi, ſed obruet tales quales inveniet.

2. Erit judicium glorioſum. Sicut cum in regno vel imperio aliquis Princeps vel magnus eſt ſupplicio ultimo afficiendus, tota Majeſtas & gloria illius regni ſolet produci in publicum. Iudex regis perſonam repræſentans indutus ſplendidis veſtibus ſecum habet nobiles & Principes regni, equites, milites, apparitores, lictores, carnifices, confluxum populi, ut judicium ſit magnificum & aliis terribile: ita cum totus mundus erit judicandus, judex Dei filius apparebit in plena ſua gloria, ſecum ducet totum exercitum cœleſtem Angelorum, evocabit omnes Diabolos judicii lictores ac carnifices, congregabit omnes homines ex quatuor mundi angulis, qui unquam vixerunt & fuerunt, parvos & magnos cujuſcunque conditionis, eoſque ſiſtet coram tribunali in mediis nubibus erigendo.

3. Erit judicium terribile. Erit enim conjunctum. 1. cum terribili ſono, qui vocatur tuba Archangeli, immo cum ipſius Chriſti voce tanta ac tam robuſta, quam & mortui audient, Ioh. 5. 2. cum terribili conflagratione totius mundi; ita ut totus mundus igne ſit conſumendus, vel ſaltem purgandus, & cœli cum fragore liquefaciendi, idque erit tam terribile, ut dicantur omnium animi defecturi, Luc. 21. 1. Petr. 3. &c.

4. Erit judicium ſeverum & ſtrictum. Erit enim judicium ſine omni miſericordia & clementia, ubi omnia exigentur uſque ad ultimum quadrantem; nec erit locus ullis artibus aut mediis, quibus homines in hoc mundo ſolent declinare ſeveritatem judiciorum. Iudicabuntur omnia opera, Eccl. 12. 14. omnia verba, Iudæ 15. Matth. 12. 36. immo & inanes cogitationes cordis & omnia ſecreta cordis exigentur, 1. Cor. 4. 5. Non licebit quicquam diffiteri. Aperientur enim libri conſcientiarum, & ipſi nos teſtabimur contra nos. Nihil licebit excuſare. Excuſationibus & prætextibus non ſubſiſtitur in tanto judicio. Nulla exemptio, nullum privilegium. Omnes enim citabuntur, parvi ac magni. Non licebit comparere per procuratorem, ſed quilibet ipſe debet adeſſe. Ipſa mors non excuſabit. Siſtentur enim & mortui. Nec dabitur appellatio aut provocatio ad aliud judicium. Erit enim ultimum.

V. Quid igitur conſilii? Quomodo quiſquam hominum poterit ſubſiſtere in judicio iſto? Si quis malefactor ad ſupplicium ducitur, tremit & vix poteſt incedere. Si tonitru & fulgur cum procellis nos perſtringunt, vix ſubſiſtimus. Quomodo igitur tum ſubſiſtemus? *Reſp.* Nemo certe ſubſiſtere poſſet, qui culpæ ſuæ conſcius ſententiam abſolutionis non jam tum antea accepiſſet in conſcientia. Qui hoc habent poſſunt ſubſiſtere. Quis metuat judicium, qui abſolutionem judicis jam ante habet in manu? At hanc habent omnes qui in hac vita per fidem in Ieſum Chriſtum juſtificati ſunt. Talibus enim nulla condemnatio, Rom. 8. 1. ideoque tales judicium illud non metuunt, ſed ſpiritus fidei, per quem remiſſionem peccatorum conſequuti ſunt, teſtabitur illorum conſcientiis, quod ſint filii Dei, & cum cæteri clamabunt, Montes cadite ſuper nos, illi attollent capita & lætabuntur quod liberatio ipſorum tam prope eſt. Qui igitur vult ſubſiſtere in hoc judicio, curet ut juſtificetur ante hoc judicium. Gratia enim ibi non habebit locum, ſed illi tantum ſubſiſtent qui erunt perfecte juſti. Sed quis perfecte juſtus in hoc mundo, & quomodo poſſumus ita juſtificari?

Reſp. 1. Qui injuſtitiam ſuam ſentit, fatetur, dolet, oppugnat. Non tantum qui negat bona ſua merita, nec in propriis operibus & virtutibus aut ſatisfactionibus confidit, ſed qui mala merita & inhærentem injuſtitiam profunde & dolorifice ſentit, fatetur, pœnitet & toto corde oppugnat, nec patitur eam dominari ſibi amplius. Patet Luc. 18. in publicano.

2. Qui Chriſti juſtitiam applicat & accipit per fidem

fidem. Sunt qui propria merita abnegant, & ſe corruptiones ſuas humilitate vera agnoſcere glorientur & minime in ſe ipſis confidere. Sed dum hic ſubſiſtunt, & hac ipſa humilitate ſe juſtos & tutos fore putant in hoc judicio, nec de alia juſtitia ſunt ſolliciti, illi revera ſeipſos non abnegant, ſed in ſe ipſis confidunt. Sicut prius eſt Pontificium & Antichriſtianum; ita hoc eſt hæreticum & Socinianum. Addenda igitur fides qua Chriſtum induas. Ille tunica juſtitiæ qua debes eſſe tectus. Qui Chriſtum per fidem non induit, injuſtus eſt, nec poteſt ſubſiſtere in judicio. Immo eſt inobediens Euangelio, & juſtitiam Dei repudiat, adeoque judicium ſuum aggravat.

3. Qui toto corde juſtitiæ legis dat operam. Etſi enim hæc juſtitia legalis, quam per fidem in Chriſtum juſtificati in hac vita inchoant, imperfecta eſt, nec nos coram Deo juſtificat, tamen Deus hanc juſtitiam à nobis requirit, fides eam, ſi vera eſt, neceſſario parit, ut Deus quoque eam propter Chriſtum gratam habeat non ſecus ac ſi perfecta eſſet, in tantum, ut juſtos, & ſanctos appellet qui eam habent, eamque in ultimo judicio coram mundo celebrabit, & ex illa tanquam ex ſigno nos pronunciabit juſtos & regni Dei hæredes, Matth. 25. Iudicemus igitur nos ipſos, ne à Domino judicemur, 1. Cor. 11. 31. Quomodo nolmet judicabimus? *Reſp.*

1. Noſmet citantes & ultimum judicium nobis reducentes in memoriam, dicentes nobis ipſis ut eſt Eccleſ. 12. Recordare te pro his omnibus venturum in judicium.

2. Noſmet examinantes, peccata, culpas & merita noſtra nobis ob oculos ponentes, ut ea ipſi videamus & ſentiamus, nos ipſos condemnemus.

3. Culpam Deo confitentes eamque precibus fidelibus deprecantes. Vide Hoſ. 14. 2, 3. Hoc conſilium ſequamur, & ſtabimus in judicio quantumcunque ſit futurum ſubitum, glorioſum, terribile, & ſeverum.

Diſcamus perpetuo ob oculos habere hunc magnum articulum fidei de reditu Chriſti ad judicandum vivos & mortuos. Nam ſi ſic facimus

α. Habebimus perpetuum calcar in corde, & perpetuum ſtimulum ad terrorem & tremorem, ac filialem ſollicitudinem vitam noſtram ita inſtituendi, ut ſimus parati & poſſimus ſtare coram filio hominis. Si vero hunc articulum obliviſcimur, ſecuritas nos corripiet, & dies ille nos obruet imparatos, ut fatuas virgines, Matth. 25.

β. Habebimus ſolatium contra omnes injurias quas hic patimur, nec licite ulciſci & vindicare poſſumus. Si vindictam cupis, exſpecta modo. Hæ injuriæ non manebunt inultæ, Phil. 4. 5. Iac. 5. 7. Eccl. 5. 7.

γ. Habemus ſpem bene fundatam recompenſationis noſtræ pietatis. Vivimus pie & manus lavamus in innocentia, nec quicquam tamen privilegii habemus præ impiis, ſed potius plus calamitatis. Mordet hoc. Sed meditare judicium, quo diſtribuetur corona gloriæ. Tunc erit differentia.

Actor. 10. v. 43.

CONCIO CXXXVI.

CUm quis graviter & ſæpe peccavit contra aliquam legem, & novit, ſentit ac vere credit eſſe aliquem judicem, qui hæc peccata certe & ſevere puniturus ſit & punire poſſit, ei homini nullum poteſt eſſe ſolatium, nulla pax conſcientiæ, niſi afferatur nuncium, quod detur via ad conſequendam remiſſionem peccatorum. Nos omnes peccavimus ſæpe & graviter, & tranſgreſſi ſumus legem non hominis, ſed ipſius Dei, ejuſque æternam & intolerabilem maledictionem meriti ſumus. Præterea Apoſtoli nobis prædicarunt ſuperiori concione, quod Ieſus Chriſtus à Deo ordinatus eſt judex viventium & mortuorum, qui omnes peccatores citabit coram ſuo tribunali, & unicuique tribuet ſecundum opera, & hoc judicium eſſe adeo futurum ſubitum, ut nullum concedatur momentum ſe emendandi, adeo glorioſum & terribile, ut ſit futurum intolerabile humanis viribus, adeo denique ſeverum, ut nec ullis ſubterfugiis, quæ in humanis judiciis ſubinde locum habent, nec etiam gratiæ & clementiæ ac miſericordiæ ſit futurus ullus locus, ſed omnia exigenda ſint ſecundum ſtrictum jus & legis divinæ tenorem. Si hoc revera ſcimus & ita credimus, ut à Prophetis & Apoſtolis prædicatum, & ex illis ſuperiori concione à nobis probatum eſt, qui fieri poteſt, ut ulla quies, ulla pax, ullum ſolatium, ullum gaudium, ulla delectatio intrare poſſit noſtrum cor, niſi juxta prædicationem hujus judicii etiam accipiamus prædicationem de remiſſione peccatorum? Sed eſtote bono animo omnes contriti peccatores. Sicut Apoſtolis mandatum prædicare, quod Chriſtus à Deo ordinatus eſt judex vivorum & mortuorum; ita iiſdem mandatum prædicare & cum omnibus

bus Prophetis teſtimonium perhibere, quod in Chriſto remiſſionem peccatorum habituri ſint, quotquot in nomen ejus crediderint. Et hæc altera pars actorum Apoſtolicorum. Hanc partem explicabimus ſequentium quæſtionum ſolutione.

I. Quid illud quod Apoſtoli ad remiſſionem peccatorum conferunt? Non ſunt illi qui remittunt peccata, ſed ipſorum officium eſt remiſſionem peccatorum prædicare & teſtari. Vide Luc. 24. v. 46, 47. Actor. 13. 38. 1. Ioh. 2. 12. Apoſtoli & miniſtri teſtantur, annunciant, ſcribunt, prædicant quod peccata remiſſa. Eſt blaſphema & impia ſacrificulorum Romanenſium audacia, qui ſibi adſcribunt poteſtatem remittendi peccata. Fingunt quod ſicut Pilatus erat conſtitutus Iudex à Romano Imperatore per Iudæam, habens poteſtatem occidendi & dimittendi, Ioh. 19. 10. ita ſe eſſe conſtitutos à Deo judices ſuper conſcientias hominum, qui Dei nomine peccata remittant vel retineant. Et tanto pejor eſt hæc audacia, quod hac ſua potentia hominibus perſuaſa, ea abutuntur ad tyrannidem & temporales nundinationes, nolentes cuiquam remiſſionem peccatorum concedere, niſi qui omnia ſua peccata, interna & externa, cum omnibus circumſtantiis in aurem ſacerdotis fuerit confeſſus, & talem ſatisfactionem pro peccatis præſtiterit, vel, ſi præſtare ipſe non poſſit, vel nolit, nummis à ſacerdote redemerit, qualem ſacerdos impoſuerit, & poſtquam ſatis carè emit, petendus eſt adhuc ſacerdos, ut largiatur abſolutionem. Non eſt certe hæc poteſtas à Deo data, ſed tyrannis & uſurpatum in conſcientias dominium, pugnans contra officium miniſtrorum Euangelii, qui non ſunt conſtituti Iudices Eccleſiæ, ſed miniſtri Eccleſiæ, quibus omne dominium in gregem prohibitum eſt & turpe lucrum, 1. Petr. 5. Involant in officium Jeſu Chriſti, qui ſolus à Deo conſtitutus eſt ſuper Eccleſiam Iudex ad dandam Iſraeli converſionem & remiſſionem peccatorum, Act. 5. 31. Marc. 2. 10. Remiſſio peccatorum eſt honor Dei, quem non dabit alteri, & qui hunc ſibi tribuit, proprietatem divinam ſibi rapit, Eſa. 43. 25. Judaici certe Sacerdotes pro blaſphemia habebant ſibi tribui poteſtatem remittendi peccata, Luc. 5. 21. Et ſi ſic judicare potuerunt ſuperſtitioſi & ſuperbi ſacerdotes Iudæorum, annon poſſunt idem judicare ſordidi concubinarum ſacerdotes in Papatu? Hinc Sancti in Scriptura remiſſionem peccatorum cupientes, nunquam ſacerdotes adierunt & ab illis petiverunt, ſed directe ad Deum ſe contulerunt, Pſalm. 32. 5, 6. Pſal. 51. 6. Nullum exemplum in tota Scriptura, quod ullus ſanctorum remiſſionem peccatorum petierit vel à Prophetis vel ab Apoſtolis, nedum ab ordinariis ſacerdotibus vel Paſtoribus.

Object. At clara ſunt loca, Matth. 16. 10. & 18. v. 17, 18. Iohan. 20. 21, 22, 23. Hic Chriſtus, inquiunt, inſtituit ſacramentum pœnitentiæ, quo ſacerdotibus tradit jus abſolutionis.

Reſp. Cum Chriſtus dicit, ſe dare claves regni cœlorum, an eſt proprius loquendi modus, an figuratus? Si figuratus, cur tanquam proprius intelligitur, cur non quæritur interpretatio articulis fidei & claris Scripturæ locis conformis? Quis unquam audivit claves regni cœlorum eſſe Sacramentum? Cum Apoſtolis & Paſtoribus Eccleſiæ dantur claves regni cœlorum, non conſtituuntur judices Eccleſiæ, qui peccata remittant vel retineant, ſed conſtituuntur miniſtri, qui prædicent & annuncient Dei nomine remiſſionem peccatorum iis quorum peccata Deus retinet. Hoc patet ex ipſo modo loquendi. Loquitur enim Chriſtus de duplici remiſſione & retentione peccatorum, ſcilicet de ea quam faciunt miniſtri, & de ea quam facit Deus. Hæ duæ remiſſiones & retentiones non ſunt ejuſdem naturæ, ſed una propria eſt, altera impropria, una miniſterialis, altera judicialis. Solus Deus remittit vel retinet ut judex; Paſtores vero ut Dei miniſtri teſtantur, annunciant & obſignant remiſſionem vel retentionem iis, quibus Deus remittit vel retinet. Sicut olim in lege veteri ſacerdos neminem liberabat à lepra, ſed tantum puros renunciabat quos Deus liberaverat & purgaverat, adeoque judicabat quinam in urbem eſſent recipiendi, qui excludendi, idque ſecundum ſigna quæ Deus ipſe ordinaverat, Lev. 13. Ita miniſtris Euangelii non eſt data poteſtas remittendi vel retinendi peccata proprie & per modum Iudicis, ſed tantum data eſt iis poteſtas juſtificatos vel condemnatos pronunciandi eos, quorum peccata Deus vel remiſit vel retinuit, eoſque ab externa communione Eccleſiæ arcendi vel in eam recipiendi, idque ſecundum ſigna quæ Deus ipſe in verbo ſuo præſcripſit, videl. confeſſionem peccati, profeſſionem fidei, & pœnitentiam vitæ. Verum eſt quod hoc ſimile Romano Catechiſmo diſplicet; & ſacrificuli velint majorem poteſtatem circa peccata ſibi commiſſam, quam habuerunt olim ſacerdotes circa lepram, verum nobis non eſt reſpicienda ſacrificulorum cupiditas, ſed divini verbi præſcriptum. Peccator quilibet peccando ſeipſum ligat & ad pœnam obligat, nec quiſquam eſt

qui

qui hoc vinculum ſolvere & peccatorem juſtificare ac peccata ei remittere poſſit, niſi ſolus Deus. Miniſtrorum officium in eo tantum eſt poſitum, quod ſunt antiſtites domus Dei in terris & viſibilis Eccleſiæ, qui curent ne unuſquiſque ad externa ſacra perrumpat, ne ſacra ipſa profanentur, & homines condemnationem ſuam ſibi aggravent. Tota igitur ipſorum cura in eo conſiſtit, quod ſecundum ſigna divinitus præſcripta examinant & judicant, an quis ſit pius vel impius, fidelis vel infidelis. Si fidelem inveniunt, annunciant ipſi, quod peccata à Deo ipſi remiſſa, eumque ad communionem Eccleſiæ recipiunt, & ſolatium Euangelii ipſi applicant: Sin infidelem inveniunt, annunciant ipſi quod peccata ipſi, quamdiu talis manet, à Deo ſint retenta, adeoque à ſignaculis ſalutis ipſum arcent, &, ſi res ita exigit, virga excommunicationis ipſum feriunt. Hoc ſenſu & non alio dicuntur miniſtri Euangelii peccata remittere vel retinere.

At enim quonam modo miniſtri Euangelii hanc prædicationem, annunciationem & teſtificationem remiſſionis vel retentionis peccatorum perficiunt? *Reſp.* Dupliciter:

1. Generaliter, cum in concionibus ſuis toti Eccleſiæ annunciant & ſedulo inculcant ex verbo Dei, omnes, qui ſic & ſic vivunt, ſalvatum iri, omnes vero qui contrarium agunt, manere ſub peccatis & ira Dei.

2. Particulariter, cum per diſtributionem Sacramentorum capitatim unicuique, confeſſionem peccatorum, & ſanæ fidei confeſſionem edenti, emendationemque vitæ promittenti, nec factis contrarium oſtendenti remiſſionem peccatorum obſignant, vel alioquin per particularem applicationem promiſſionum Euangelicarum ſolatium ipſi ſuppeditant: vel cum è contrario uni vel alteri, in peccatis notoriis pertinaciter perſeveranti negant applicationem ſolatii vel obſignationem ſalutis, eumque etiam, ſi res patitur & exigit, Eccleſiaſticæ excommunicationis gladio feriunt ad pudefactionem carnis. *Object.* Hoc poteſt quilibet idiota. *Reſp.* Non quilibet idiota habet poteſtatem obſignandi remiſſionem peccatorum per ſacramenta, nec facultatem ac aptitudinem ſolandi per verbum, nec promiſſionem divinæ benedictionis ſuper id quod facit, ſed ii ſolum qui vocati ſunt. En hæc tota poteſtas miniſtrorum Euangelii circa remiſſionem vel retentionem peccatorum, quam ſi recte homines intelligerent, mox caderet tota nundinatio & tyrannis Romani cleri, quippe quæ tota fundata eſt in falſa illa opinione, quam hominibus perſuaſerunt de ſua circa remiſſionem vel retentionem peccatorum ampla potentia. Ideo quærenda paterculorum amicitia, ideo danda ipſis pinguiſſima & opima quæ Patria ſuppeditat, ideo leganda ipſis in teſtamentis pecunia, ideo obſervanda omnia ipſorum abſurda inventa, ne forte recuſent & negent nobis ſuas indulgentias, ſua ſacrificia, & abſolutionem à peccatis. Nam ſi non habes abſolutionem ſacerdotis, pereundum ſcilicet eſt in peccatis.

II. Sed an nihil aliud prædicant Apoſtoli de Chriſto, quam quod à Deo ordinatus eſt judex viventium & mortuorum, & quod credentes in illum remiſſionem peccatorum habituri ſint? An credentes in Chriſtum nil aliud habent, quam remiſſionem peccatorum? Scriptura utique alibi dicit, quod qui in filium Dei credunt, ſint habituri vitam æternam, Ioh. 3. Quod ſint habituri vivam aquam Spiritus S. quæ fiat in ipſis fons ſcaturiens ad vitam æternam, Ioh. 4 Cur igitur Apoſtolus Cornelio nil aliud prædicat quam remiſſionem peccatorum? *Reſp.* Qui unum nominat, alterum non excludit. Nos opus eſt ut ſimul prædicemus quæ prædicare juſſi ſimus, ſed poſſumus ſervare eum ordinem, ut magis neceſſaria inculcemus prius. Habebat Apoſtolus auditorem contriti cordis & fracti Spiritus, cui peccata erant onus & defatigatio, qui nihil aliud anhelabat, quam liberationem à peccatis. Præcipuum quod cor contritum appetit non eſt vita æterna, ſed reconciliatus Deus. Etiamſi in multis defectibus, vivendum eſſet, etiamſi non niſi mercenariorum cibo paſcendus eſſet filius perditus poſt contritionem, tamen acquieſceret, modo reconciliatum Deum haberet. Sicut filius nil minus ferre poteſt quam iratam faciem Patris; ita peccator contritus nihil magis ſitit & appetit quam placatam faciem Dei, & appetitus ejus nulla re ſatiatur, quam nuncio remiſſionis peccatorum Si hanc habet, facile adigitur ad fidem vitæ æternæ & omnis alius neceſſariæ opis, facile diſcit concludere ut Paulus, Rom. 5. v. 10. Si modo ſimus reconciliati, tum facile ſervabimur, Rom. 8. v. 32. Noſtri homines plerunque aliter judicant de his rebus. Remiſſionem peccatorum æſtimant rem facilem, de qua non valde ſunt ſolliciti, ſed vitam æternam, immo præcipue quæ ad vitam temporalem neceſſaria ſunt, hæc ſunt de quibus maxime ſolliciti ſunt, maxime dubitant, ægerrime Deo confidunt. Quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, cætera adjicientur, Matth. 6 quærite modo remiſſionem peccatorum

&acci-

& accipietis Spiritum S. Actor. 2. 41. & omnia neceſſaria. Quamdiu ira Dei ſuper vos manet, nihil boni à Deo ad vos poteſt proficiſci. Si Deus vobis placatus & propitius factus ac reconciliatus eſt, nihil eſt tam magnum, quod non facile impetrare ab eo poſſis. Utrum majus eſt, an remittere peccata, an vero dicere ſurge & ambula, Marc. 2. 9. Si remiſſionem peccatorum obtinuiſti, facile erit obtinere cætera neceſſaria. Hanc igitur maxime appetite & quærite.

III. At enim quid eſt remiſſio peccatorum? In Papatu etiam dicunt ſe prædicare remiſſionem peccatorum, & tamen exigunt ſtrictam ſatisfactionem pro peccatis. Quid igitur eſt remiſſio peccatorum? *Reſp.* Eſt actio Dei judicialis, qua peccata, ab hominibus contra legem & verbum ejus commiſſa, peccatoribus non imputat, nec pœnam peccatis promeritam ab iis exigit, ſed omnia condonat.

1. Eſt actio Dei judicialis. Frater fratri, homo homini etiam remittit peccata, Matth. 18. 35. Sed hæc remiſſio non liberat ab ira Dei, nec tollit pœnam peccato promeritatem apud Deum, ſed tantum eſt officium homini à Deo injunctum erga ſuum proximum. Etſi frater tibi remittat, Deus tamen poteſt punire, Actor. 7. 60.

2. Eſt non imputatio peccati, & non exactio pœnæ, ſed plena depoſitio iræ contra peccatorem conceptæ, in tantum, ut peccator habeatur tam innocens, ac ſi nunquam peccaſſet. Breviter: Eſt condonatio debiti, ſeu condonatio ſolutionis. Sicut creditor debitori debitum ita remittit, ut nec ſolutionem exigat, nec ob ſolutionem non præſtitam debitori iraſcatur, ita Deus peccata ita remittit, ut nec ſolutionem ullam à peccatoribus exigat, nec ob peccata peccatoribus iraſcatur, Luc. 7. 42. Remiſſio peccatorum non eſt apographum, quo fit confeſſio ſoluti debiti, ſed eſt gratuita debiti quaſi oblivio & non exactio, unde ſæpe remiſſio peccatorum ita deſcribitur, Eſa. 38. 17. & 43. 25. Heb. 10. 17. Quod ſit quædam oblivio & non recordatio peccati. Vbi igitur ulla exigitur à peccatoribus pro peccatis ſatisfactio & pœna, ibi non prædicatur remiſſio peccatorum, ibi non eſt Euangelium. Et hoc fit in Papatu, ubi

1. Prædicant multa peccata non indigere remiſſione, ſcilicet concupiſcentiam in renatis reliquam poſt baptiſmum, & omnia peccata venialia, quæ non fiunt deliberate. Hæc quidem ajunt eſſe præter legem, ſed non contra legem, diſplicere Deo, ſed non reddere peccatorem Deo diſplicentem, ideoque non opus habere remiſſione. Omnes internas paſſiones malas, quantumvis infinitas, non curant, & ſi dicere poſſunt ſe ab externis liberos, ſicut Phariſæus, Luc. 18. putant ſe remiſſione non indigere.

2. Prædicant nulla peccata remitti, niſi interveniente peccatoris ſatisfactione, & remiſſa quoque peccata puniri donec fiat ſatisfactio. Culpam remitti ſed pœnam retineri, & ſatisfactionibus eſſe expiandam. Hæc vero non eſt remiſſio. Nam ubi remiſſio peccati, ibi ceſſat omnis ſatisfactio & omnis pœna pro peccatis remiſſis, Rom. 8. 1. Hebr. 10. v. 18. Ibi enim pax, Rom. 5. 1. In Papatu igitur non prædicatur remiſſio peccatorum, ſed ſolutio peccatorum.

Object. At enim David accepta remiſſione puniebatur, 2. Sam. 12. 14. & omnes fideles accepta remiſſione peccatorum moriuntur. Vide etiam Num. 20. 12. & Num. 14. 19, 20. cum Exo. 32. v. 35. Sicut & eventus probavit, quod propter hoc peccatum omnes mortui in deſerto.

Reſp. Ex omnibus his exemplis non probatur, poſt remiſſionem peccatorum remanere aliquam pœnam, quæ propriis ſatisfactionibus redimenda ſit. Pœna enim eſt actio judicis irati in peccatorem non reconciliatum. At ubi remiſſio peccatorum, ibi non eſt ira, ſed plena reconciliatio. Exercet quidem Deus aliqua judicia contra peccata fidelium, ſed hæc judicia non ſunt pœnæ, quia non proficiſcuntur ex ira Dei, ſed à paterno ejus amore, ad peccantium emendationem, probationem vel liberationem, vel etiam ad aliorum fidelium commonefactionem. Hæc igitur judicia non ſunt gladius judicis, ad exigendam ſatisfactionem juſtitiæ, ſed ſunt virga benigni Patris ad medicinam peccatoris, quæ judicia cum pii volunt effugere, non ſatisfactione opus eſt, ſed humili deprecatione & emendatione vitæ. Sunt, fateor, illæ afflictiones, quas Deus fidelibus immittit, vera judicia, quæ fidelibus immittuntur, propter peccata, & hoc habent cum pœnis commune, quod peccata habent pro cauſa meritoria & procatarctica, Deum ad judicandum irritante, ſed tamen à pœnis differunt dupliciter: 1. Quod non fluunt ex irritatione hoſtili, quæ ſit ſine amore & gratia, Pſal. 89. 34. 2. Quod alium habent finem quam pœnæ. Non enim infliguntur ad peccata ulciſcenda, ſed tantum ad peccata deteſtanda, ad oſtendendam Dei diſplicentiam contra peccata, ad excitandam pec-

peccatorum in peccatoribus agnitionem, ſenſum, confeſſionem, deplorationem. Habent ſæpe fideles peccata, quorum obliviſcuntur ſine pœnitentia & confeſſione. Mittitur igitur caſtigatio, ut excitetur peccati recordatio & deploratio. Quicunque igitur propriis ſatisfactionibus ſtudet placare ſua peccata, is deficit ab Euangelio, & rejicit remiſſionem peccatorum quæ in illo prædicatur.

IV. Quomodo tandem fit remiſſio peccatorum, & quomodo à nobis obtinetur? *Reſp.* Fit per nomen Chriſti, & recipitur per fidem in Chriſtum. Quid eſt per nomen Chriſti? *Reſp.* Propter Chriſtum, merito Chriſti, dignitate Chriſti. **Door Chriſti aengenaemigheyt by Godt.** *Per* hic notat cauſam meritoriam. Sicut paſſim jubemur precari in Chriſti nomine, ita in Chriſti nomine, ſeu propter gratiam, quam Chriſtus apud Deum habet, accipimus remiſſionem peccatorum, Actor. 4. verſ. 12. Etſi enim remiſſio peccatorum eſt debiti gratuita condonatio, tamen non fit ſine interventu ſatisfactionis & ſolutionis. Non exigitur ſatisfactio à debitoribus, ſed tamen præſtatur à ſponſore Chriſto, Eph. 1. 7. Coloſſ. 1. 14. Juſtitia Dei non patitur, ut peccata remittantur ſine pœna & ſatisfactione juſtitiæ, nec veritas comminationis Dei id patitur. Nuda miſericordia Dei non parit remiſſionem peccatorum. Ea enim nihil poteſt contra juſtitiam. Sine ſacrificio & effuſione ſanguinis non poterat fieri peccatorum remiſſio, Hebr. 9. 22. Mactatus igitur eſt Agnus Dei in ſacrificium pro peccatis, ut juſtitia Dei placata, peccata poſſent remitti ſine læſione juſtitiæ veritatis. Ideo Deus Chriſtum propoſuit in hilaſterium per ſanguinem, ut in remiſſione peccatorum juſtitiam ſuam oſtenderet, Roman. 3. 25. Non igitur ex mera & nuda miſericordia fit remiſſio peccatorum, nec propter inhærentem nobis ſanctitatem, meritave noſtrorum operum, ſed propter Chriſtum in cruce mactatum in ſacrificium pro peccatis.

Sicut autem ex Dei parte ad remiſſionem peccatorum dandam & concedendam requiritur interventus Chriſti ſatisfacientis, ita ex parte peccatoris requiritur fides in Chriſtum. Sicut ſine ſatisfactione mortis Chriſti non fit remiſſio, ita ſine fide in Chriſtum non fit remiſſio peccatorum. Remiſſio peccatorum per Chriſtum promerita & parta, a nobis accipienda eſt, nec aliter accipitur quam per fidem, Actor 26. 18. Hic jam diſcutiendum, quid ſit fides in Chriſtum, & quam illa vim habeat ad remiſſionem peccatorum. Sed hæ quæſtiones peculiarem requirunt concionem. Recordemur modo nunc quam neceſſaria res ſit remiſſio peccatorum. Eſt enim illud unicum per quod pacem habere poſſumus cum Deo, & evadere iram & pœnam divinam. Nec negatio peccati, nec excuſatio peccati, nec expiatio peccati locum habet apud infinitam Dei juſtitiam. Sola remiſſio peccatorum ſalvat & tutos præſtat. Ubi remiſſio peccatorum eſt, ibi pax eſt, Matth. 9. 2. Roman. 5. 1. Sola remiſſio peccatorum largitur ſolatium contra accuſationes conſcientiæ, contra terrores mortis, & præcipue contra terribile illud judicium Chriſti, quod ſuperiori concione explicuimus. Ubi enim remiſſio peccatorum, ibi non amplius locum habet judicium condemnationis. Præterea remiſſio peccatorum eſt, quæ facit peccatorem humilem & Dei timentem, Pſalm. 130. 3, 4. facit amantem Dei, Luc. 7. 47. facit lætum & gratum, Pſalm. 1. 203, 3. Quæramus igitur remiſſionem peccatorum, & cætera omnia nobis adjicientur, ipſa vita æterna adjicietur. Diſcite intelligere Orthodoxam doctrinam de remiſſione peccatorum. Facile enim erratur in hac materia. Sit hæc quotidiana quæſtio & inquiſitio, an etiam peccata remiſſa. Nam cui peccata retinentur, retinetur æterna maledictio. Beatus autem homo, cui Deus non imputat injuſtitiam, cujus tranſgreſſiones ſunt remiſſæ, peccata tecta, Pſalm. 32. 1, 2. Nihil crebrius petamus à Deo, quam remiſſionem peccatorum. At enim unde ſciam peccata mihi eſſe remiſſa. Sæpe ſe decipiunt impii, remiſſionem peccatorum ſibi imaginantes quam non habent, Prov. 16. 2. & 30. 12. Viciſſim ſæpe accidit ut fideles remiſſionem habentes, timeant ne non habeant. Unde igitur me habere ſciam? *Reſp.*

1. Si quæſiviſti, inveniſti. Modo dicere poſſis te uſum medio per quod remiſſio obtinetur, certum eſt te obtinuiſſe. Poteſne dicere, te ex vero ſenſu peccati ſollicite & ſincero deſiderio remiſſionem peccatorum à Deo quotidie & ſedulo petiiſſe, peccata confitendo, deplorando, & hilaſticum Chriſti ſacrificium in clypeum contra peccata apprehendendo? Si non quæſiviſti, certum eſt quod non obtinuiſti.

2. Si peccata remiſſa ſunt non dominantur. Sicut mulier αἱμοῤῥοοῦσα ex exſiccatione & ceſſatione fluxus ſentiebat ſe ſanatum, Marc. 5. 29. Ita cui peccata ſunt per remiſſionem ablata, is ſentit curſum & fluxum peccatorum magis magiſque ſiſti

ac ceſſare. Non quidem omnino ceſſat, ſed ſenſim tamen exareſcit fons peccati, & notabile decrementum capit.

3. Si Deus tibi reconciliatus peccata remiſit, tu quoque Deo reconciliatus Deum amas, & filiali obedientia Deo placere ſatagis, 1. Ioh. 4. 9, 10, 11. Luc. 7. 47.

4. Si ſentis te poſſe fratri tuo remittere, concludе tibi quoque eſſe remiſſum. Nam hæ duæ remiſſiones inſeparabiliter cohærent, Luc. 6. 37. Remitte & remittetur, Matth. 18. v. 35. Si non remittetis, non remittetur, Luc. 11. v. 4. remitte, nam remittimus.

Actor. 10. v. 43.

CONCIO CXXXVII.

RESTANT duæ quæſtiones ſuper hunc textum enucleandæ:

I. Quid ſit illa fides, per quam remiſſionem peccatorum accipimus, & quæ ejus virtus ac facultas.

II. Cur Apoſtolus in hac materia provocet ad teſtimonium Prophetarum, & quomodo hoc verum, quod omnes Prophetæ teſtentur, quod in nomine Chriſti remiſſionem peccatorum habiturus ſit quiſquis in nomen ejus crediderit.

DE PRIMO.

HÆc quæſtio ſubdividitur in duas quæſtiones, videl. 1. quid ſit fides, & 2. quæ hujus fidei virtus ac facultas. Dupliciter enim doctrina de fide ſalvifica apud heterodoxos corrupta eſt.

I. Reſpectu naturæ fidei, ut non recte reſpondeant ad quæſtionem, quid ſit fides. Quæras enim ex Papiſta, Sociniano, Arminiano, quid ſit fides in Chriſtum? Reſpondent ita, ut aut præcipuum quod in fide eſt, ſcil. fiduciam cordis in Chriſtum omittant, aut ſi fidem per fiduciam deſcribunt, per fiduciam illam nihil aliud intelligant, quàm incertam quandam & nullo fundamento nixam ſpem vitæ æternæ, vel fiduciam conditionalem, ab incerto noſtro arbitrio dependentem. Nos deſcriptionem ſalvificæ fidei rogati reſpondemus, fidem ſalvificam dupliciter poſſe deſcribi. 1. Generaliter, i. e. deſcriptione tali, quæ totam circumferentiam fidei, ſeu totam naturam, omnes proprietates & operationes ſalvificæ fidei comprehendat, quæ ei in Scriptura tribuuntur. 2. Particulariter, deſcriptione tali, quæ ſolum illum actum fidei primarium exponat, quo juſtificamur coram Deo, & remiſſionem peccatorum accipimus.

Generalis deſcriptio fidei eſt, quod ſit talis motus cordis humani, per Spiritum S. excitatus, quo totum verbum Dei recipimus. Sic deſcribitur, Act. 2. 41. Quotquot recipiebant verbum ejus. Sicut infidelitas eſt verbi Dei rejectio, Actor. 13. 46. Luc. 7. 30. Ita fides eſt receptio verbi Dei & Euangelii, Actor 11. 2. Euangelium paſſim vocatur fœdus, quia in eo & per illud Deus nobis offert fœdus & pactum, præſcribens conditiones quas à nobis requirit, & dans promiſſiones, quas ex ſua parte præſtiturus eſt ad noſtram ſalutem. Cum nos hoc fœdus à Deo oblatum recipimus, dicimur credere Deo, teſtimonium verbi recipere, & obſignare quod ſit verax, Ioh. 3. 31, 32, 33. Dico ſpecialiter

1. Quod fides ſit motus cordis. Non eſt ſolius oris confeſſio vel gloriatio, nec eſt ſolius intellectus notitia & aſſenſus, quæ tamen etiam ad fidem requiruntur, ſed eſt ipſius cordis conſenſus in totum verbum Dei. Corde enim creditur, Rom. 10. v. 10. Actor. 8. 37. Hæc ratio eſt, propter quam fides habet tot mirabilia effecta in cor, ut ſcil. corda noſtra per fidem purgentur, Actor, 15. ut per fidem homo vivat, i. e. totam ſuam vitam virtute fidei dirigat, Gal. 2. 20. quia ſcil. eſt radix in cor plantata, totum cor gubernans, unde dicimur eſſe in fide, 2. Corinth. 13. quia ſumus ſub dominio fidei. Sicut gubernaculum in poſtrema parte navis firmatum ideo totam gubernat navem, ita fides in imo cordis radicata regit totum cor & totum hominem.

2. Quod fides ſit motus à Spiritu S. excitatus. Non eſt motus naturalis, per arbitrii libertatem elicitus ex viribus naturæ, ſed eſt ſupernaturale opus à Spiritu S. excitatum. Spiritus S. enim & vires credendi infundit, & ipſam creditionem efficaciter excitat & operatur, Eph. 2. 8. Eph. 1. 19. Et hæc cauſa eſt, quod fides eſt res adeo firma & ſtabilis, ut non poſſit deſinere, nec exſtingui, ſed vincat mundum, nec vincatur à portis inferni, quia ſcil. eſt opus ipſius Dei, qui eximia magnitudine potentiæ ſuæ illam in nobis operatur & eadem potentia nos in fide cuſtodit, 1. Pet. 1. 5.

3. Quod fides ſit receptio totius verbi. Non ſolarum promiſſionum verbi, ſed totius verbi. Verbum Dei habet præcipue quatuor partes,

4 Do-

a Doctrinas, quibus narrat Deus quis & qualis ſit, quid fecerit & operatus ſit; e. g. Deum eſſe, eſſe unum, omnipotentem, omniſcium, omni præſentem, juſtum, &c. Scripturam eſſe verbum Dei, Deum omnia creaſſe, Chriſtum veniſſe in mundum, &c. Hanc verbi partem credimus, cum toto corde obſignamus, quod hæc omnia vera ſint, & de veritate horum omnium dogmatum intime convincimur contra dubitationes. Hæc pars prima fidei, quam Spiritus S. operatur.

b Comminationes, quibus nobis annunciatur, quam ſimus peccatis noſtris turpes ac abominabiles coram Deo, & quibus pœnis ac miſeriis ſubjecti. Has comminationes verbi debemus obſignare noſtro aſſenſu, quo nos tales toto & commoto corde revera fatemur. Hæc quoque pars fidei.

c Promiſſiones, quibus Deus promittit ſalutem, & omnia in eum finem neceſſaria. Has promiſſiones debemus obſignare, pro veris habere & iis niti ac confidere. Hæc quoque pars fidei.

d Mandata, quibus Deus exigit quid velit à nobis fieri. Hæc mandata debemus obſignare, aſſentientes ac affirmantes quod ſint recta, juſta, ſancta, ad quorum obedientiam ſimus merito obligati, adeoque ea recipientes per conſenſum totius cordis, ſeu toto corde in obedientiam eorum conſentientes. Hæc quoque pars fidei.

Nam hoc quoque pertinet ad obſignationem teſtimonii divini, ad receptionem verbi divini, ad receptionem fœderis divini. Hæc deſcriptio fidei ſalvificæ generalior, complectens omnes actus motus cordis, qui ad ſoliditatem & integritatem ſalvificæ fidei concurrunt. Et hæc cauſa propter quam fides dicitur perfici ex operibus, Jac. 2. 22. Fides enim eſt contractus, quo totum Dei verbum recipimus. Sicut autem contractus nullus eſt ac mortuus, niſi perficiatur per exſequutionem ejus quod per contractum in nos recepimus: Ita fides nulla eſt ac mortua, niſi perficiatur per exſequutionem omnium eorum operum, in quæ per fidelem receptionem divini verbi conſenſimus.

Sed nobis ſpecialiter nunc conſideranda eſt ea pars fidei, per quam remiſſionem peccatorum accipimus. Hæc enim eſt materia noſtri textus, qui non aliter de fide agit, quàm quatenus eſt medium, per quod remiſſionem peccatorum accipimus. Et hic eſt præcipuus fidei actus. Nam ſi vel omnibus verbi doctrinis aſſentiremur, ſi vel intimo corde comminationum divinarum vim in nobis ſentiremus, ſi vel in omnia mandata conſentiremus, tamen miſeri maneremus & ſub ira ac maledictione Dei, niſi etiam remiſſionem peccatorum acciperemus. Non abs re itaque dico, quod ille demum præcipuus ſit & nobiliſſimus fidei actus, per quem accipimus remiſſionem peccatorum & juſtificamur coram Deo.

Sed qui ille actus fidei? *Reſp.* Eſt ille, quem appellavimus receptionem & obſignationem promiſſionum. Hanc fidem, ſeu potius hunc actum fidei hunc in modum deſcribimus, quod ſit fiducia cordis contriti ac dejecti, per quam promiſſiones de Chriſto apprehendens ſeipſum nititur erigere ad ſolatium & certitudinem remiſſionis peccatorum, adoptionis, & hæreditatis æternæ.

Hæc deſcriptio fidei ſpecialis, in qua ſequentia:

1. Fides juſtificans eſt fiducia cordis. Nun juſtificamur per aſſenſum nudum intellectus, ſed per fiduciam. Hinc paſſim juſtificatio & beatitudo illis tribuitur, qui in Deum confidunt, Pſal. 2. 12. Pſal. 34. 9. Prov. 16. 20. Hoc vult crebra illa Scripturæ phraſis, cum credentes non dicuntur credere Deo tantum, ſed credere in Deum, quæ ſane phraſis non aſſenſum ſed fiduciam exprimit. Sic aliæ voces: θάῤῥος, πεποίθησις, παῤῥησία, πληροφορία, quæ omnes voces notant quandam fiduciam, confidentiam & innixionem cordis ſe ipſum ſuſtentantis.

2. Fides juſtificans eſt fiducia cordis contriti & dejecti in ſenſum iræ ac maledictionis divinæ. Finis enim fidei eſt erigere quod dejectum eſt. Sicut autem corpus non dejectum non poteſt erigi; ita cor non contritum non poteſt erigi ad ſolatium & certitudinem ſalutis. Animus erectus ad certitudinem ſalutis ſine antegreſſa dejectione, contritione, fractione, ſollicitudine & deploratione peccatorum, non habet fidem, ſed carnalem ſecuritatem. In vita æterna non erit fides, quia non erit cor contritum, ſed perfecta oblivio miſeriæ, & animus omni gaudio plenus, ut fides locum non habeat nec uſum. Hinc Chriſtus ad fidem vocans & hortans, non vocat niſi feſſos, contritos. Matth. 11. 28. Eſa. 55. 1. Matth. 5. v. 3. 4. Inane eſt gloriari de quiete conſcientiæ, ſi nunquam fuiſti nec etiamnum es inquietus ob peccata.

3. Fides eſt talis fiducia, qua cor contritum ſe nititur erigere ad certitudinem & perſuaſionem remiſſorum peccatorum, adoptionis & hæreditatis vitæ æternæ. Hic enim finis, hæc virtus fidei, ut cor contritum & deſperationi vicinum ſe erigat non ad aliquam infirmam ſpem remiſſionis, ſed ad fir-

mam ac immotam certitudinem remiſſionis. Non quidem erigimur ad certitudinem plenam, perfectam, quæ ſit ſine omni dubitatione. Quoniam enim fiducia fidei noſtræ infirma & imperfecta eſt, etiam certitudo remiſſionis & vitæ æternæ non poteſt eſſe perfecta. Sed tamen hoc opus fidei eſt, quod cor dejectum laborat & nititur ſe erigere ad certitudinem remiſſionis, & luctatur contra dubitationes, conaturque toto corde ſibi firmiter perſuadere, quod peccata ſibi ſint remiſſa, quod ſit adoptatus in filium Dei ad hæreditatem vitæ æternæ. Hæc fiducia ſpecialis miſericordiæ eſt forma & eſſentia fidei, ſine qua fides non eſt fides; nec juſtificat peccatorem. Non poſſunt hoc ferre Papiſtæ, Hæretici, Sectarii, quod fides ſit tam ſpecialis fiducia remiſſionis peccatorum. Ajunt eſſe fiduciam, quod Deus poſſit remittere, & bonam ſpem quod velit, vel eſſe fiduciam conditionalem, quod Deus ſit remiſſurus, ſi nos fuerimus conſtantes in pietate uſque ad finem vitæ. Sed quod nos omnia corda contrita hortamur ad tam firmam & immobilem fiduciam ſpecialis miſericordiæ & remiſſionis, id vero ferre non poſſunt, ſed clamant eſſe ſuperbam præſumptionem, quæ homines faciat ſecuros & impediat praxin pietatis. Poſſem hic adferre argumenta, quibus nos ex Scriptura probamus, fidem juſtificantem eſſe talem particularem fiduciam remiſſionis, nec non objectiones Pontificiorum & aliorum contra eam. Sed ſit hoc concionibus catecheticis. Sola exempla Sanctorum vobis propono, Pſal. 32. 1, 2, 6. Pſal. 27. v. 1, Iob 19. 25, 27. Rom. 8. 31. ad finem, Gal. 2. 20. Fides conditionalis in impiis Diabolis poteſt habere locum. Fides ſine ſpecialis miſericordiæ fiducia eſt inanis fides, non applicat Chriſtum ac ejus juſtitiam & proinde non juſtificat, nec ſanctificat, nec dat ſolatium in vita & in morte, nec vincit mundum, nec ſuſtentat animum contra tentationes, nec incendit cor ad gratitudinem & dilectionem Dei. Si nihil certum & ſpeciale credis, non potes recitare Symbolum, nec dicere, *Credo in Deum*, &c. Quicunque igitur eſtis corde contriti, ne deponite conatum hujus ſpecialis fiduciæ, ſed laborate, ut vos erigatis ad hanc fiduciam, quod vobis remiſſa peccata, quod Chriſtus vos dilexit, &c.

4. Fides eſt talis fiducia cordis, qua illud ſe nititur erigere ad certitudinem remiſſionis peccatorum per apprehenſionem promiſſionum de Chriſto, ſeu per amplexum Chriſti in verbo promiſſi & annunciati. Si quis dejectus ac proſtratus corpore ſe vult erigere, ſi quis ex undis, in quas conjectus eſt, vult enatare, is debet ap prehendere, tenere, amplecti aliquod fulcrum per quod ſe erigat, alioquin non erigetur, quantumcunque luctetur & laboret corpore proprio: ita cor contritum ſeſe ex dejectione ſua erecturum ad certitudinem remiſſionis, debet amplecti, apprehendere, ac tenere Chriſtum, & per innixionem in Chriſtum ſe erigere. Qui hoc fulcrum non apprehendit, non erigetur, quantumcunque propriis viribus conetur ſe erigere, vel quæcunque alia fulcra apprehendat. Papiſtæ nullo ſe ajunt indigere fulcro alieno, ſed in ſe ipſos confidunt, & propria juſtitia ſe nituntur erigere. His merito occinas illud notabile verbum quod eſt, Prov. 28. 25, 26. qui in Deum confidit pingueſcit, qui in proprium cor confidit ſtultus eſt. Alii nudam Dei miſericordiam pro fulcro apprehendunt quo ſe nituntur erigere. Sed hoc fulcrum non ſuſtentat quenquam contra procellas divinæ iræ & ſeveritatis. Solus Chriſtus eſt fulcrum, quod debemus amplecti ad nos erigendos. Ideo jubemur in Chriſtum confidere, ad Chriſtum accedere, Chriſtum recipere, Iohan. 1. & 6. Ideo Chriſto ſuperſtrui, 1. Corinth. 3. tanquam Petræ & arci, Matth. 16. Chriſtum apprehendere, Phil. 3. immo Chriſtum edere & bibere, Iohan. 6. Sicut enim qui edunt & bibunt, hoc faciunt ideo, ut corpus debile & dejectum erigant; ita qui in Chriſtum confidunt, per hoc ipſum contritum ac dejectum cor erigunt ac reficiunt, implentque certitudine & ſenſu remiſſionis peccatorum & æternæ ſalutis. Hæc praxis non debet negligi ab illis, qui quærunt remiſſionem peccatorum, ſed perpetuo debent confugere ad Chriſtum & dicere, Domine, in te confido, in te conjectus ſum ab utero, tu Deus ſalutis meæ, tu lapis angularis, qui me ſuſtentas, tu arx, propugnaculum, &c. Pſalm 18. 2, 3, &c. Et hæc illa vera fides in Chriſtum, per quam remiſſio peccatorum accipitur. Hæc fides exercenda in tentationibus, hæc exercenda in precibus. Remiſſio enim peccatorum non ſolum per fidem accipitur, ſed etiam per preces petitur, ut docemur in oratione Dominica. Quomodo hoc conſiſtit? Si per fidem accipitur, quomodo preces? *Reſp.* Preces nihil aliud ſunt, quam fidei exercitium & confeſſio coram Deo, nec aliter remiſſionem peccatorum impetrant, quam quatenus ſunt fidei exercitium, Iacob. 1. v. 6, 7. In precibus eſt confeſſio, deploratio, deteſtatio peccati, ſine qua remiſſio peccatorum non obtinetur, quia ſine his fides non eſt vera,

ſed

ſed mortua fides, ſed tamen medium & cauſa per quam preces noſtræ remiſſionem peccatorum obtinent, non eſt niſi fides, ſeu fiducia in Chriſtum crucifixum. Sicut culter non ſcindit niſi per aciem; ita preces non impetrant niſi per fidem.

II. Reſpectu uſus fidei. Vidimus quomodo erretur à multis circa naturam fidei & quid proprie ſit vera fides, ſeu, quæ ejus vera deſcriptio Sed non minus erratur circa uſum fidei, cum quæritur ad quid proſit fides, ſeu quam vim habeat in negotio ſalutis? Textus noſter hoc explicat, cum dicit, quod per fidem accipiamus remiſſionem peccatorum. Fides in Chriſtum eſt id, per quod peccator accipit remiſſionem peccatorum; & proinde etiam adoptionem & jus vitæ æternæ. Vide Actor. 26. v. 18. Hic paſſim dicimur per fidem juſtificari. Et quidem juſtificatio peccatoris ita tribuitur fidei, ut operibus plane adimatur, Rom. 3. 20, 28. Quæritur autem, quis ſit hujus loquutionis ſenſus, quo ſenſu remiſſio peccatorum dicatur accipi per fidem? Hic attendenda eſt reſponſio

1. Heterodoxa, quæ duplex eſt:

a. Papiſtarum, qui dicunt fidei ideo tribui remiſſionem peccatorum, quia fides ſit initium iſtius juſtitiæ propter quam peccata remittuntur, & peccator juſtificatur. Sanctificationem, converſionem & bona opera ajunt eſſe juſtitiam & cauſam meritoriam, propter quam peccata remittuntur. Fidem autem eſſe initium iſtius converſionis, per quod homo ad juſtitiam ſeu ſanctitatem diſponitur. Iuſtificationem igitur tribui fidei, quia fides initium juſtitiæ per quod primam juſtificationem peccator accipit, ſic ut deinde per ſanctitatem magis magiſque ſanctificetur. Falſum hoc. Fides non eſt noſtra juſtitia, nec initium illius juſtitiæ, propter quam juſtificamur, ſed Chriſtus.

b. Hæreticorum aliorum, qui dicunt fidei ideo adſcribi remiſſionem peccatorum, quia ſit id quod Deus acceptat loco juſtitiæ, propter quam peccata remittit. Vident fidem non poſſe eſſe veram juſtitiam, quæ mereatur remiſſionem peccatorum, ſed tamen ajunt fidem, cum bonis operibus conjunctam, à Deo gratioſe acceptari loco juſtitiæ, propter quam peccata remittit. Falſum hoc quoque. Nam Chriſtus eſt illa vera juſtitia, quæ nobis imputatur loco noſtræ propriæ juſtitiæ, & propter quam nobis peccata remittuntur. Sicut Deus non juſtificat peccatorem ſine juſtitia; ita non acceptat loco juſtitiæ id, quod non eſt vera ac plena ſatisfactoria ac meritoria juſtitia.

2. Orthodoxa. Quare igitur fidei tribuitur remiſſio peccatorum? *Reſp.* Nos retinemus propriam ſignificationem vocis, qua textus utitur, & dicimus ideo tribui, quia ſit id, per quod juſtitia & remiſſio peccatorum à Deo donata accipitur. Sicut mendicus nihil poteſt conferre ad ſuſtentationem & conſervationem ſui, niſi ut extenſa manu eleemoſynam donatam ac oblatam accipiat; ita peccator contritus nihil poteſt conferre ad remiſſionem peccatorum & juſtificationem ſui, quam ut extenſa fide juſtitiam & remiſſionem donatam accipiat. Sicut æger nihil confert ad ſanitatem, niſi ut pharmaca bibat; ita peccator nihil ad juſtificationem, niſi ut juſtitiam accipiat. Juſtitia propter quam peccata remittuntur, eſt purum donum, remiſſio ipſa eſt purum donum. Fides eſt manus, quæ hæc dona accipit. Accipit enim

1. Ieſum Chriſtum, qui juſtitia noſtra eſt, Ioh. 1. v. 12. Sicut medicinam, per quam ſanamur, edendo & bibendo accipimus vel recipimus; ita Chriſtum per quem juſtificamur, quaſi edimus & bibimus, Iohan. 6.

2. Remiſſionem peccatorum propter Chriſtum promiſſam & oblatam. Sicut enim qui magna dona donat, apocham requirit, qua donum acceptum fatemur; ita fides eſt quædam apocha, qua obſignamus, quod promiſſio Dei vera ſit & in nobis impleta. Et hæc eſt ratio, quod fides in Scriptura non tantum dicatur juſtificare, ſed & ſanctificare ac cor purgare, & conſcientiam pacare, Actor. 15. Roman. 1. Hoc fides facit non tam ratione ſui quam ratione Chriſti, quem recipit. Sicut enim vinum generoſum & ſalutaris medicina, per eſum potumve aſſumpta, non poteſt non roborare ac reficere corpus; ita Chriſtus per fidem ita acceptus, aſſumptus, applicatus, & in cor noſtrum tranſlatus, ut ibi habitet, non poteſt non cor replere ſanctitate, ut abundemus bonis fructibus, itemque ſolatio & gaudio. Ubi enim Chriſtus eſt, ibi eſt non tantum ejus juſtitia ad juſtificandum, ſed & ejus Spiritus ad ſanctificandum & conſolandum. Probatio & vindicatio hujus Orthodoxæ doctrinæ de uſu fidei, nec non heterodoxarum opinionum refutatio præſtatur in concionibus catecheticis. Concludo nunc per adhortationem duplicem. 1. ut quilibet laboret hanc fidem accipere. Nam non habemus ex nobis, & niſi habeamus, non accipimus remiſſionem peccatorum. Neceſſarium igitur eſt, ut laboremus accipere. 2. ut quilibet ſe ipſum probet an hanc fidem habeat, & an ea

quam habet, ſit vera & ſalvifica fides, quæ vere remiſſionem peccatorum conſequatur. Eſt enim deceptioni locus, & loco veræ fidei obrepere nobis poteſt carnalis ſecuritas & fides inanis ac mortua. Quomodo autem & quibus mediis hæc fidei acquiſitio & probatio fieri debeat, alibi erit occaſio docendi & ex antecedentibus non obſcure colligitur. Eſt etiam in hiſce verbis quoddam ſolatium contra infirmitatem fidei. Ne putes qui imbecillis fidei es, vel tenuis ſtatu ac conditione, quod propter hanc imbecillitatem fidei & tenuitatem ſtatus non ſis accepturus remiſſionem peccatorum. Dicit enim textus: πᾶς ὁ πιςεύων, quiſquis crediderit, accipiet. Sed & hoc alibi latius.

DE SECUNDO.

Reſtat explicanda ultima quæſtio, quare ſcilicet Apoſtolus prædicationem remiſſionis peccatorum confirmet teſtimonio Prophetarum, & quo modo hoc probari poſſit, quod omnes Prophetæ teſtentur de remiſſione peccatorum in Chriſto. Vide quæ diximus in Actor. 3. 24. quæ non repetam Provocat ad Prophetas, 1. ut oſtendat ſe nihil novi docere ſed antiquum Euangelium de remiſſione peccatorum per nomen Chriſti. 2. ut tanto fortius Iudæos convincat. Prophetarum enim teſtimonium apud Iudæos pro indubitato, apud ſaniores Ethnicos pro magno habebatur. 3. ut doceat omnes Doctores in docendo ſtricte ſe continere intra limites eorum quæ ſcripta ſunt. Nam ſi Apoſtoli nihil docuerunt extra quod ſcriptum eſt, Actor. 26. v. 22. Immo ſi ipſe Chriſtus id fecit, Luc. 24. v. 27. quanto magis ita facere debent Doctores ordinarii?

Actor. 10. v. 44, 45, 46, 47, 48.

CONCIO CXXXVIII.

Hoc decimo capite Actorum nobis deſcribitur Converſio Cornelii, & eorum qui cum ipſo erant. In hac hiſtoria Cornelii quatuor ſunt quæ ſeſe conſiderationi noſtræ objiciunt:

1. Deſcriptio perſonæ quæ converſa eſt, v. 1. 2.
2. Media per quæ converſus eſt, quæ ſunt,
   1. Apparitio Angeli, v. 3, 4, 5, 6.
   2. Miniſterium Petri. De hoc habes
   a. Quomodo Petrus ad hoc miniſterium vocatus ſit.
      I. Per viſionem à Deo præparatus, v. 9 ad 17.
      II. Per ſervos à Cornelio miſſos vocatus, v. 7. 8. 17. ad 23.
   b. Quomodo hoc Miniſterium exſequutus ſit: Hic iterum duo
      I. Petri & Cornelii congreſſus, v. 23, 24, 25.
      II. Congreſſorum συνομιλία, ſeu colloquium, à v. 29. ad 44.
3. Converſio ipſa, quæ horum mediorum effectus eſt, v. 44.
4. Converſionis hujus conſequentia, quatuor numero:

1. In comitibus Petri, qui mirati ſunt Spiritum Sanct. etiam cadere ſuper Gentes, v. 45. 46.

2. In Petro, qui lapſum & influxum Spiritus S ſuper Gentes animadvertens juſſit addi ſignaculum converſionis, ſcil. baptiſmum, v. 47, 48. p. pr.

3. In Cornelio & ſociis, qui converſi & baptizati Petrum rogarunt ut aliquot diebus ſecum maneret, v. 48.

4. In Apoſtolis & Fratribus abſentibus, qui ingreſſum Petri ad incircumciſos audientes, ſuper eo ſcandalizati ac offenſi, cum Petro expoſtularunt, cap. 11. v. 1. ad 19.

Breviter hac vice, quæ in hoc capite reſtant recenſebimus. Habentur in reſiduo hujus capitis ipſa converſio Cornelii & tria priora converſionis conſequentia.

I. Ipſa converſio Cornelii & Sociorum, quæ Miniſterii Petri fructus & effectus, eſt ſic deſcribitur, v. 44. quod Petro loquente Spiritus S. lapſus ſit ſuper omnes audientes, quo etiam pertinet quod v. 46. additur, videl. quod illapſo Spiritu loquuti ſunt linguis & magnificarunt Deum. Hic duo habes inſignia dogmata.

1. Converſio hominis conſiſtit in illapſu Spiritus Sancti ſuper homines.

2. Illapſio Spiritus fit per prædicationem & auditionem verbi. Petro loquente cecidit ſuper audientes.

Prior doctrina explicari poteſt per ſimile. Sicut fœcundatio terræ fit per influxum aſtrorum in gremium terræ; ita cor hominis natura aridum & ſaxeum non fert fructus, niſi influxu Spiritus S regeneretur. Illapſus Spiritus eſt influxus Spiritus, ſeu efficax ejus operatio, qua intellectum illuminat, voluntatem flectit, affectus circumcidit, conſcientiam ſolatur & pacat, repletque ſpirituali lætitia ac ita totum hominem fœcundum reddit ad ferendos fructus juſtitiæ. Hoc ſimile uſurpat ipſa Scriptura, Eſa-

Eſa 29. 17. & 60. 1. Ezech. 34. 26. Oſe. 6. 3. & 10. v. 12. præcipue, Eſa. 32. 15. 16. & Luc. 1. 78, 79. Imputatio ſanguinis Chriſti comparatur adſperſioni guttularum in nos cadentium, 1. Pet. 1. 2. Sic & effuſio Spiritus S., Joel. 2. & hoc capite, v. 45. Hoc ſimile ſemper nobis ſit ob oculos, ut ſterilitatis noſtræ memores precemur ſicut David, Pſal. 143. 6. Sciendum autem, quod illa vis & operatio Spiritus S. quæ in cor hominis illabitur, ſit triplex: 1. Spiritus ſervitutis. 2. Spiritus adoptionis. 3. Spiritus Prophetiæ. Habuerat autem Cornelius initium ſpiritualium donorum, ſcilicet Spiritum contritionis, & forte etiam aliquam generalem illuminationem Euangelicam. Iam autem accipit incrementum hujus Spiritus, & ſine dubio etiam Spiritum Propheticum, & dona miraculorum, quæ ſub initium Eccleſiæ N. T. pleruumque fidelibus ſolebant conferri, idque viſibili aliqua ſpecie in eos deſcendendo. Sed hæc late ſuperius explicata ſunt ſuper verſum 1. & 2. hujus capitis. Dubitari tamen poſſit, utrum donatus, an vero Spiritus viſibili aliqua ſpecie ſuper hos homines deſcenderit, cum v. 46. alia allegetur cauſa, ex qua ſcitum eſt, Spiritum S. ſuper eos veniſſe, quia ſcil. extemplo loquebantur linguis & magnificabant Deum? Sed utrumque fieri potuit, ut & viſibiliter deſcenderit, & audibiliter ſe manifeſtaverit. Ubi Spiritus S. eſt in corde, ſtatim ſe exſerit in lingua. Ex plenitudine cordis os loquitur, Matth. 12. Exſerit ſe per manus, pedes, oculos, aures ad omnia bona opera, ſed præcipue per linguam in precibus, gratiarum actionibus, proximi inſtitutionibus. Per hoc membrum ſe propagat ad alios. Ideo ſuper Apoſtolos venit in ſpecie linguarum, Act. 2. ut doceret linguam eſſe inſtrumentum ſuum per quod præcipue ſuas exſerit operationes. Quicunque igitur Spiritum in corde habet, is habet linguam loquentem, eo modo ut hortatur Paulus, Phil. 4. 8. Sicut qui habet cor impurum, ſemper habet linguam impuram, niſi ſit hypocrita venenum retinens donec nocere poſſit; ita qui cor purum habet, ejus lingua eructat ſapientiam, & eſt inſtar plectri muſici, Pſalm. 25. 1. At enim, ut hoc ſtatim addam, quid faciebant ſuis linguis poſtquam accepiſſent Spiritum S.? Loquebantur linguis peregrinis, & magnificabant Deum. Patet hinc, quem Spiritum acceperint, ſcil. 1. Spiritum Prophetiæ & miraculoſorum donorum. 2. Spiritum adoptionis, per quem ſalutis ſuæ perſuaſi magnificarunt Deum. Sed quid eſt Deum magnificare? An igitur Deus eſt parvus & ab homine major fieri poteſt, quam eſt? *Reſp.* Sicut homo Deum parvum facit; ita facit magnum. Quomodo autem facit parvum?

Cum ſibi tam vilem & tenuem, injuſtum, impotentem, inſipientem imaginatur, ut Deum non vereatur, non metuat, non tremat ab ejus facie, non amet, non fidat ei, non ſanctificet in corde ſuo, ſed coram facie Dei ambulat & vivit tam diſſolutus & petulans ac ſi Deus non eſſet qui videat & punire poſſit? Sicut ſpeculum corruptum vitiat faciem quam repræſentat, repræſentans eam parvam cum ſit magna, deformem cum ſit formoſa & plena majeſtatis: ita corruptus hominis intellectus Deum ter opt. max. ſibi imaginatur tam tenuem, vilem & infirmum, ut homo naturalis mundanum aliquem Principem plus timeat & honoret quam Deum. Hoc vere eſt Deum parvum facere. Econtra autem Deum magnificat homo, cum Majeſtatem & gloriam, juſtitiam, ſeveritatem, potentiam, bonitatem Dei ita prædicat & annunciat, ut & ſibi ipſi & aliis Deum proponant adeo potentē, juſtum, magnum, bonum, ut revera eſt. Hoc illud *Magnificat* Mariæ, Luc. 1. 46. Hoc eſt ſanctificare Deum in corde ſuo, 1. Petr. 3. 15. Hæc præcipua occupatio eorum qui acceperunt Spiritum adoptionis. Hæc prima petitio orationis Dominicæ.

Poſterior doctrina eſt, quod Spiritus in homines illabitur per prædicationem & auditionem verbi. Petro loquente & illis audientibus cadebat Spiritus. Sicut aſtra cœli non ipſa ex cœlo in terram cadunt ad fœcundandam terram, ſed virtutes ſuas imprimunt in aërem & meteora atque nubes, & ita per has in gremium terræ virtutem ſuam & operationem inſinuant; ita Spiritus S. non ipſe ex cœlo in terram cadit ut homines convertat, eſt enim infinitus, ubique præſens, nec poteſt mutare locum, ſed prædicationem Euangelii, quæ fit per os miniſtrorum in terris, quando & ubi vult radiis & operatione ſua quaſi imprægnat, atque ita per verbum cor regenerat & fœcundat. Vide Eſa. 55, 10, 11. Gal. 3. v. 2. Hinc præcones Euangelii vocantur Miniſtri Spiritus, 2. Cor. 3. 6. 2 Cor. 4. 6. Patet hinc dignitas SS. Miniſterii. Eſt enim potentia Dei ad ſalutem, i. e. organum potentiæ Dei, Rom. 1. Nulla ars hanc habet eminentiam. Medica largitur ſanitatem, juriſprudentia Pacem, cæteræ artes commoditates & refectiones corporales. Sola Sacroſancta Theologia eſt inſtrumentum Spiritus. Obſervent hoc qui contemnunt, & qui Spiritu indigent, prædicationem Euangelii diſcant audire. Qui

medium contemnit, gratiam ipſam rejicit. Si infirmus ille Iohan. 5. 6. per tot annos non reformidavit jacere ad Betheſdam, & exſpectare ſanitatem corporis; quid nos formidamus ſedere ad pedes Miniſtrorum, audire ipſorum Euangelium, & exſpectare Spiritus ſuper nos illapſum?

II. Hactenus ipſa converſio Cornelii & Sociorum. Pergimus ad converſionis conſequentia, quæ tria ſunt hoc capite:

Primum eſt admiratio eorum qui cum Petro erant. Vide qui & quales illi fuerint, v. 23. hujus capitis, ſcil. Fratres Ioppenſes. Erant Chriſtiani neophyti, natura Iudæi, quibus tenaciſſime inhærebat ſuperba illa imaginatio, quod ſoli Iudæi capaces eſſent ſalutis Et tamen hi, qui tam craſſe errarunt, dicuntur eſſe fideles. Ergo in fidelibus quoque error locum habet. Sunt, fateor, errores, qui in fidelibus locum non habent, illi ſcil. qui fundamentum tollunt quo fides nititur, e. g. qui tollunt doctrinam de Deitate & ſatisfactione Chriſti pro peccatis, qui ipſam fidem & fiduciam in Chriſtum prohibent. Cum his erroribus fides non poteſt conſiſtere, & qui hos errores errant, fideles eſſe non poſſunt. Sed ſunt tamen errores præter & extra fundamentum, qui etiam in fidelibus locum habent, 1. Cor. 3. 11, 12, 13, 14. Quinam autem ſint errores qui cum fide conſiſtere poſſunt vel non poſſunt, non eſt facile definire, ideo tanto major opera danda, ut vitemus omnes errores & in indagatione veritatis ſimus diligentes. Si hi fideles Ioppenſes verbum Dei de prædictione convertendarum Gentium diligentius ſcrutati eſſent, hunc errorem non erraſſent. Si quos tamen videmus fundamentum tenentes, & huic fundamento fœnum, ſtramen, ſtipulas ſuperſtruentes, eos debemus manſuete ferre, Deum pro iis orare, fraterno amore & longanimitate iis occurrere, ſic tamen ut veritas nullum inde patiatur præjudicium.

Secundum conſequens eſt inſitio converſorum in Eccleſiam per baptiſmum. Cum enim Petrus videret Spiritum S. in illos cecidiſſe, concludit inde, etiam eſſe baptizandos, jubetque baptizari. Cap. 11. v. 16. dicit Petrus ſe hoc judicium hauſiſſe ex verbis Chriſti, Actor. 1. 5. Cum enim Chriſtus ibi dicat Miniſtros tantum baptizare aqua, ſe autem baptizare Spiritu, inde ſe ait concludiſſe, quod non poſſet recuſare baptizare aqua illos, quos Chriſtus baptizaverat Spiritu. Firmum certe argumentum: Quos Chriſtus baptizavit Spiritu, eos debemus nos baptizare aqua. At hos, &c. E. Ratio conſequentiæ eſt, quia baptiſmus aquæ eſt ſignum & ſigillum obſignans baptiſmum Spiritus. Vbi autem res obſignata eſt, ibi ſigillum non debet negari. Hinc Actor. 11, 17. ſignanter ait: Quis ego ſane eram, qui poſſem prohibere Deum? q. d. Cum ipſis oculis viderem, Deum effuſis Spiritus S. donis hos homines velle ſervare, an meum erat ſubtractis & negatis externis mediis eorum ſalutem impedire? His verbis continetur efficax argumentum, refutans

1. Papiſtas, docentes baptiſmum Iohannis & Apoſtolorum non eſſe ejuſdem naturæ. At vides hic quod Petrus à baptiſmo Iohannis argumentum ducat quo concludit quomodo & quos ille baptizare debeat.

2. Papiſtas docentes, quod vis & uſus baptiſmi ſit juſtificare, regenerare, Spiritum S. conferre. Contrarium patet 1. exemplis Iudæ, Simonis Magi & aliorum, qui baptizati, & tamen non ſanctificati ſunt. 2. exemplo Cornelii, qui juſtificatus, ſanctificatus & omnes gradus Spiritus S. ſcil. Spiritum ſervitutis, adoptionis & prophetiæ adeptus eſt, antequam baptizatus. Sicut igitur Abraham juſtificatus in præputio poſtea demum circumciſus eſt in ſignum & ſigillum juſtificationis & ſanctificationis antea acceptæ, ut hoc ſigillo in certitudine juſtificationis confirmaretur, & in ſanctitate creſceret; ita & Cornelius juſtificatus & regenitus ac fidelis factus demum baptizatus eſt, unde ſimul conſtat, quod ſacramentorum V. & N. T. ſit eadem natura, & neutra juſtificent non juſtificatos, ſed tantum juſtificatis & ſanctificatis juſtificationem & ſanctificationem ſuam obſignent.

3. Anabaptiſtas baptiſmum recuſantes infantibus. Atqui eodem argumento, quo Petrus Cornelium baptizandum eſſe concludit, nos quoque concludimus infantes eſſe baptizandos. Quomodo prohibebimus baptiſmum aquæ iis quos Chriſtus Spiritu baptizavit? Marc. 10. 13, 14. Hi homines quantum in ſe eſt, prohibent, ne Deus ſalvet & ſervet fidelium infantes, plane ut notanter hoc eodem verbo deſcribitur, Marc. 10. 13, 14. ἄφετε ϗ μὴ κωλύετε, ita ut Petrus hoc loco videatur digitum intendere, & oppugnatores ſuos & ſimul modernos noſtros Anabaptiſtas quaſi digito remittere ad hiſtoriam illam, quæ Marc. 10. 13, 14. deſcribitur, quippe in qua hic caſus ſit præjudicatus. Verum hæc latius in concionibus catecheticis inculcantur

4. Ludificationes Veronii & aliorum, qui ajunt nullum dogma ex ſcriptura poſſe probari, niſi expreſſis verbis in eo legatur, & conſequentias non

eſſe

ſe verbum Dei. An Petrus expreſſis verbis legit in Bibliis, vel audivit à Chriſto, incircumciſos eſſe baptizandos. Immo non legit, ſed tantum per legitimam conſequentiam concludit ex verbis Chriſti, Actor. 1. 5.

5. Denique quia hic Petrus jubet hos converſos baptizari, & vero præter Petrum nemo videtur affuiſſe vocatus Miniſter, ſed meri Laici, inde concludunt Papiſtæ, quod in caſu neceſſitatis quilibet Laicus, etiamſi ſit fœmina poſſit adminiſtrare baptiſmum. Sed Reſpondeo. 1. Sic hoc loco adminiſtratus eſt baptiſmus à Laico, tum adminiſtratus eſt extra caſum neceſſitatis & præſente Epiſcopo, quod apud Papiſtas habetur pro illicito. 2. Non igitur Petrus baptizandi laborem aliis mandavit, ſed tantum juſſit, illi converſi ut aquam adferri curarent, & ſe ad baptiſmum recipiendum accingerent, & ſic ipſe baptizavit. Meditemur uſum baptiſmi à nobis recepti, nec ſimus contemptores Sacramentorum. Addendum aliquid foret de formula baptiſmi. Iubet enim baptizari non in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſed ſimpliciter in nomine Domini videlicet Chriſti. Sed vide quid hac de re dictum, in Actor. 2. 38.

Tertium conſequens hujus converſionis eſt Cornelii & ſociorum deſiderium ac petitio, ut Petrus per aliquot dies cum ipſis maneret. Cauſa hujus deſiderii eſt, 1. ut ſe gratos declararent pro beneficio. Etſi enim Miniſtri non ſunt auctores ſed inſtrumenta converſionis & ſolatii, tamen Dei voluntas & piorum indoles ita fert, ut illis quoque gratitudo exhibeatur, quæ ad vitam eorum temporalem ſuſtentandam neceſſaria eſt, 1 Corinth. 9. 14. & 11. 2. Ut fruerentur ulteriori inſtitutione ad confirmationem fidei. Sicut enim infans recens natus ſtatim cupit lac matris; ita fideles regeniti cupiunt lac verbi, 1 Petr. 2. 2. nec ſtatim ſatiantur auditu divini verbi. Sicut diſcipuli ardorem verbi Chriſti ſentientes rogabant & quaſi cogebant Chriſtum ut ſecum maneret, Luc. 24. 29. 32. ita quoque hi faciunt. Multi cum Gadarenis mallent rogare Chriſtum & Miniſtros verbi ut abirent ex finibus ſuis. Fidelium alia indoles. Sciunt enim quam infirmi ſint, quot tentationibus obnoxii, quanta vis verbi ſicut ad regenerandum, ita ad confirmandum.

Actor. 11. à v. 1. ad 19.

CONCIO CXXXIX.

Reſtat breviter explicandum quartum Conſequens Converſionis Cornelii, videl. Expoſtulatio quorundam fratrum Hieroſolymitanorum ſuper hoc negotio cum Petro. De hac expoſtulatione tria ſunt in textu: 1. Accuſatores & accuſatio Petri. 2. Apologia Petri, 3. Apologiæ hujus fructus

DE PRIMO.

1. Accuſatores Petri fuerunt illi, qui erant ex circumciſione, i. e. illi Chriſtiani, qui natura Iudæi ad Chriſtianiſmum erant converſi. Atqui tales erant omnes Chriſtiani tum temporis. Omnes erant ex circumciſione, i. e. ex Iudæis Chriſtiani facti. An igitur omnes cum Petro expoſtularunt? *Reſp.* Euangeliſta diſtincte dicit, quod Apoſtoli & fratres qui in Iudæa erant, audiverint gentes Euangelium recepiſſe, & quod qui ex circumciſione erant, cum Petro expoſtulaverint. Diſtinguit igitur inter manifeſtationem converſionis Cornelii, & inter expoſtulationem ſuper ea converſione. Manifeſtationem tribuit omnibus, tum Apoſtolis tum cæteris fratribus in Iudæa, hanc vero illis qui erant ex circumciſione. Qui igitur illi? Probabile eſt, intelligi eos, qui quidem à Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum tranſierant, ſed tamen Iudaicis cæremoniis ſuperſtitioſius adhuc adhærebant, putantes etiam Chriſtianis circumciſionem eſſe neceſſariam, quales tum temporis multi erant, ut patet ex Actor. 15. 1. Gal. 2. v. 12. Et hi ſuperſtitioſiores Chriſtiani cum Petro expoſtularunt ſuper ingreſſu ad circumciſos. Apoſtolis quidem & omnibus fratribus in genere tribuitur, quod audiverint gentes recepiſſe verbum Dei, ſed ſolis illis, qui cæremoniis ſuperſtitioſius erant dediti, tribuitur expoſtulatio illa cum Petro. Ex hac parte textus ſequentia obſervari poſſunt.

1. Integrum corpus alicujus Eccleſiæ dividitur in Apoſtolos & fratres, i. e. antiſtites ſeu ſeniores & fratres. Sic enim Actor. 15. 23. Non ſolum Apoſtoli ſed & omnes ſeniores à fratribus diſtinguuntur. Corpus Reipublicæ diſtinguitur in dominantes & ſub-

ſubditos, ſed corpus Eccleſiæ diſtinguitur in ſeniores & fratres. Hinc patet quodnam ſit diſcrimen inter regimen Eccleſiaſticum & Politicum. Debet in Eccleſia eſſe regimen, debent eſſe antiſtites. Eſt enim domus Dei, in qua omnia debent fieri εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, 1 Cor. 14. 40. Sed tamen qui reguntur, non ſunt regentium ſubditi, ſed ſunt regentium fratres. Fraternum igitur debet eſſe regimen, quo fratres ſeniores (non annis ſemper ſed donis, ſcilicet ſcientia, experientia, pietate, zelo, dexteritate) juniores fratres docent, regunt, defendunt. ſicut Ruben in ſe ſuſcipiebat curam Benjaminis fratris ſui minorennis, Geneſ. 42. 37. Si hæc relatio recte conſideretur, non facile regentes deflectent ad dominium & tyrannidem ac auſteritatem ſuper regendos, nec redigendi facile declinabunt in contemptum eorum qui regunt, ſed tanquam fratres ſeniores eos reſpicient. Etiam Chriſtianis Magiſtratibus hoc aliquo pacto debet eſſe commendatum, ut quamvis dominentur, tamen cogitent ſe dominari fratribus. Applica illud Philem. 16.

2. Hi Apoſtoli ſeu ſeniores & fratres audiebant Cornelii converſionem; ſcilicet cum gaudio & delectatione. Hoc addendum. Nam alioquin & inconverſi audiebant Cornelium eſſe factum Chriſtianum. Propagatio regni Dei eſt lætum nuncium, quod pii libenter audiunt. Non ſunt contenti regnum Dei eſſe in ſe & apud ſe, ſed & dilationem ejus ad alios deſiderant, & ubi fit, cum gaudio audiunt. Sicut in cœlis gaudium eſt cum peccatores convertuntur, Luc. 15. 10. ita etiam inter pios in terris: Sicut pii plorant & triſtes ſunt, cum vident alios eſſe impios, 2 Petr. 2. 7, 8, 9. Pſalm. 119. 158. ita cum gaudio audiunt quod alii verbum Dei recipiunt. Sicut petunt ut veniat, i. e. propagetur regnum Dei; ita cum vident venire, gaudent, & nomen Dei pro eo celebrant tanquam pro beneficio quod ad ſe pertinet, ut patet ex v. 18. Proficiſcitur hoc gaudium

α. Ex amore Dei. Cum filius audit Patris gloriam & honorem creſcere, nonne gaudet? Sic cum fideles audiunt multas animas per Miniſterium verbi adduci, ut nomen Chriſti ſanctificent, nonne gauderent? Phil. 1. 18.

β. Ex amore proximi. Qui aliquem vere amat nuncio proſperitatis ipſius vere gaudet, præſertim ſpiritualis, 3 Ioh. 2. Quod ſi igitur volumus oſtendere nos eſſe veros fratres, & membra veræ Eccleſiæ, non debemus eſſe contenti, quod nos ſumus reformati à Papatu, & Euangelium recipimus, ſed & deſiderium & gaudium noſtrum eſt, ut ab aliis recipiatur, contribuimuſq; & preces & quicquid poſſumus ut ita fiat. Precamur jam & tractamus Pacem. Si aliam non habemus intentionem & laborem, quam ut nos retineamus verbum Dei, nec precamur & laboramus quantum in nobis eſt, ut ad alios veniat regnum Dei, parum Chriſtiane agimus nec oſtendimus nos vere gaudere de propagatione regni Dei. Sed an aliquid ad hoc contribuere poſſumus? Non miſcebo me conſiliis Politicorum, nec quid illi in ſua vocatione poſſint vel non poſſint, definiam, ſed ad vos me converto, & preces vobis commendo pro iis, qui ſedent in tenebris aut per vim hoſtium luce Euangelii privantur. Vide Pſalm. 126. 4. ubi qui de ſui liberatione ex Babel lætantur, fratrum quoque liberationem precantur. Vide etiam Pſalm. 14. 7.

3. Converſio Cornelii deſcribitur, quod ſit receptio verbi Dei: Verbum Dei eſt conſilium, quo Deus nobis media oſtendit & præſcribit quibus ſalvari poſſimus. Cum nos hoc conſilium ſequimur & exſequimur, dicimur verbum Dei recipere, cum non ſequimur, dicimur conſilium Dei erga nos rejicere, Luc. 7. Verbum Dei eſt ſemen quod per prædicationem in nobis plantatur, Iacob. 1. 21. Sicut autem inſitio, plantatio, inculcatio inanis eſt, ſi non ſit vis attrahens in agro vel trunco; ita prædicatio verbi fruſtranea eſt, niſi ſint auditores qui recipiant. Verbum Dei eſt uber lactis, 1 Petr. 2. 2. Sicut autem non ſufficit ad nutritionem ut ſit mater lactens, niſi ſit etiam infans lactens; ita ad fœcunditatem verbi non ſufficit concionator prædicans, ſed auditor recipiens requiritur. Redarguit hoc auditores noſtros otioſos, qui putant ſufficere ad fœcunditatem verbi, ſi pulpitum verbum Dei ſpargat, & ipſi ſub pulpito quomodocunq; ſedeant, ut verbum in caput eorum incidat. Sicut cum cœlum pluit & vos ſub dio ſedetis, madeſcitis; ita putatis vos converſum iri, ſi modo ſedetis ſub pulpito. Prædicatio non ſufficit, ſed receptio requiritur, & attractio verbi prædicati, attentio ad ea quæ dicuntur, intentio & deſiderium diſcendi, conjunctum cum invocatione Spiritus S. ut verbum inſcribat cordibus. Si non ita imbibitis verbum, ſicut terra arida pluviam, ſicut infans ſugens lactet ubera matris, otioſi eſtis auditores & quales veniſtis, diſceditis. *Object.* Atqui hoc præſupponit homines non converti per prædicationem verbi, ſed prius debere eſſe converſos, quam verbum recipiant. Nemo enim poteſt hunc in modum attrahere

here & recipere verbum, niſi habeat cor converſum. Sicut enim infans mortuus non poteſt lactere, ſicut terra ſaxea non poteſt imbibere pluviam; ita homo naturalis, corde durus, in peccatis mortuus. non poteſt recipere verbum Dei, niſi convertatur. Quod ſi auditores debent eſſe converſi, antequam verbum Dei poſſint recipere, tum per verbum Dei non convertuntur. *Reſp.* Nos non prædicamus vobis quid poſſitis facere, ſed quid debeatis facere. Recipere & vivo deſiderio attrahere verbum prædicatum, eſt officium quod debetis facere. Quod ſi ſentitis vos hoc non poſſe facere, niſi prius per verbum convertamini, non debetis adhortationes ad officium debitum illudere, ſed debetis veſtram impotentiam agnoſcere, fateri, deplorare, & vires præſtandi debitum officium à Deo precari.

Inſtans. At ne precari quidem poſſumus antequam convertamur. *Reſp.* Ideo te hortamur ad precandum quia tu non potes precari. Si ex te poſſes, hortationibus noſtris non admodum indigeres. Sed quia ſcimus te non poſſe, ideo te hortamur ad faciendum quod debes, ut per hortationes noſtras, quæ habent promiſſionem Spiritus S. & divinæ benedictionis, ad conatum precandi excitatus impotentiam precandi ſentias, experiaris, deplores, confitearis, atque ita vires præſtandi quod debes, à Deo accipias. Cum eo uſque perveniſti, ut per conatum precandi experiaris & ſentias impotentiam precandi, habes jam in te, per quod verbum incipis recipere & attrahere, & ſicut vinum generoſum bibitum non tantum nutrit ſed & appetitum nutrimenti ingenerat ac roborat; & ſicut candela cerea ab igne parum accenſa ipſum ignem ſeu flammam roborat; ita cor, ſenſu impotentiæ, à verbo accenſum, verbum ipſum magis magiſque ad roborationem noſtri attrahit & recipit. Hactenus accuſatores Petri.

4 Etiam puriſſimam Eccleſiam non eſſe ſine diſcordiis. Quæ unquam purior Eccleſia quam hæc primitiva tempore Apoſtolorum? Et tamen in hac ipſa erant qui circumciſionis neceſſitatem affirmabant, alii qui negabant, quod etiam ſchiſma multis poſthac annis duravit, ut patet Gal. 2. v. 12. quamvis hic error ſub initium ab Apoſtolis toleratus, poſtea Eccleſia jam confirmatiore acrius oppugnatus eſt, Gal. 5. 2. Sic quot diſcordiæ & ſchiſmata fuerint in Eccleſia Corinthiaca, oſtendit Paulus in ſua ad illam Epiſtola. Perperam igitur Pontificii hoc pro ſigno habent, Proteſtantes Eccleſias non eſſe veras Eccleſias, quia tot diſcordiis vexentur & ſcindantur, cum potius neceſſarium adjunctum ſit veræ Eccleſiæ, in qua oportet hæreſes & ſchiſmata eſſe, ut, qui ſinceri ſunt, manifeſti fiant, 1. Cor. 11. verſ. 18, 19. Væ quidem pronunciatur contra illos, per quos veniunt, ſed tamen oportet ut ſint in Eccleſia; eſt ſapiens Dei conſilium ut ſint, Matth. 18. 7. Sicut erat peccatum Iſraelitarum quod eſſent Cananæi reliqui in terra Sancta, ſed tamen erat conſilium Dei ut eſſent, ut per eos Iſraelitæ acuerentur in vigilantia, Iudic. 2. 21, 22, 23. Sic etiam non impedit, ſed permittit ſectarios eſſe in Eccleſia, qui veritatem oppugnent, ut ita Eccleſia ſit tanto diligentior in veritatis indagine. Ne igitur ſcandalizemur multitudine diſcordiarum, quæ ſunt in Eccleſia, ſed potius iis excitemur ad ſcrutinium Scripturæ. Habetis hujus rei recens exemplum in his oris. Væ illis per quos hoc nuperum ſchiſma venit! Sed laus Deo qui tantam lucem ex his tenebris eduxit, tantumque Eccleſiæ reformatæ incrementum.

II. Accuſatio Petri erat, quod ad viros præputium habentes introiſſet & cum iis comediſſet. Hac de re expoſtulabant cum ipſo. An introire in ædes incircumciſorum, & cum iis cibum capere fuerit peccatum contra legem Dei, an vero ſuperſtitioni Iudæorum tantummodo contrarium, explicuimus in Actor. 10. verſ. 28. Nimia familiaritas cum incircumciſis Iudæis lege Dei erat interdicta. Sed tamen Iudæorum ſuperſtitio præceptum illud æquo longius extendit, & ex minima quoque converſatione cum incircumciſis peccatum fecit. Diſcimus iterum ex hac parte:

1. Nemo tam pie & prudenter officium facit quin ſint quibus diſpliceat & à quibus reprehendatur, ut actiones quæ laudem merentur, ſæpe maximas experiantur criminationes: Ergo qui pie vult officium facere, diſcat ſimul iniquas actionum ſuarum cenſuras ferre, ut ita per laudes & convitia fidelis eſſe poſſit, 2 Cor. 6. 8. Si vero iniquas cenſuras & convitia pro benefactis decet æquo animo ferre, quanto plus decet boni conſulere reprehenſiones male agendo promeritas?

2. Vide ingenium ſuperſtitioſorum. Non reprehendunt Petrum quod Ethnicos converterit. Hoc enim non poterant non laudare. Sed reprehendunt quod cum Ethnicis ederit. Sic cum Papicolis proponimus noſtram doctrinam, nihil habent quod culpare poſſint, ne tamen aſſentiri cogantur, in ceremonialibus hærent & culpam inveniunt. Non procidítis in genua cum precamini, cum ſacramentum accipitis, non feriamini feſtos dies, non jejuna-

tis quadraginta diebus ante Paſcha, non flectitis genua cum nomen Ieſu appellatur, non facitis crucem cum ſcinditis panem. Viva ſuperſtitionis pictura, plane ut Coloſſ. 2. 21. Da tu Domino tuum cor, & quod in ceremoniis corporalibus adiaphorum eſt, liberum eſto, nec cogatur quiſquam ad id quod Deus non præcepit.

3. Habes hic exemplum præcipitis judicii, quo actiones proximi damnantur, antequam examinantur. Simile exemplum habes, Ioſuæ. 22. 10, 11, 12. Eſt hæc res multarum offenſarum & bellorum quoque cauſa: Diſcamus linguam aſſuefacere ad tarditatem in pronunciandis judiciis, Iac. 1. 19. O quoties hoc peccamus peccatum.

DE SECUNDO.

PEtrus accuſatus ingreſſum ſuum ad incircumciſos tuetur & juſtificat duobus argumentis: 1. à mandato Dei. Hoc fine repetit viſiones illas cœleſtes, quibus partim Cornelius, partim ipſe Petrus à Deo erant commoniti. Exprobrationi Papiſtarum, quod non ſervamus traditiones antiquorum, opponendum eſt mandatum Dei. 2. ab exemplo Chriſti. Si Chriſtus eos baptizavit Spiritu Sancto, quis ego eram qui prohiberem aquam externi baptiſmi, qui prohiberem Deum? Reſpicit dictum Chriſti, Marc. 10. 13, 14. Vide quæ dixi, in Actor. 10. v. 47. Hæc vero explicatione prolixiori non indigent, quia omnia ſunt repetita ex Act. 10. Diſcamus ex hac Apologia Petri, quod fideles miniſtri iis, qui actionibus ipſorum offenduntur & ſcandalizantur, ſcandalum adimere debeant per longanimem facti excuſationem. Iudex Politicus, cum videt actiones & ſententias ſuas ab aliis ægre ferri, non ſatisfacit querentibus per rationes, ſed ſimpliciter dicit ut Pilatus, Ioh 19. 22. Sed miniſtrorum eſt offenſis & ſcandalum paſſis fratribus non de poteſtate, ſed de ratione ſatisfacere, ut loquitur quidam ex antiquis. Quod Petrus aliis ſuaſit, ipſe facit, paratus ad reddendam rationem, 1 Pet. 3. v. 15. ſic ſe patitur judicari à Paulo, Gal. 2. v. 11. Fratres fratribus debent eſſe ſubjecti, mutuas reprehenſiones fraterne ferre, & quod non poſſunt juſtificare, debent emendare. Sic non facit Papa Romanus, qui de ſe dicit, quod quantumvis omnes perderet ſecum in gehennam, nemo debeat dicere, *Papa quid facis?* Sic ſe omni fratrum judicio eximit. Faciunt idem Pontificii Paſtores, qui quod docent demonſtrare recuſant, ſed cœcam obedientiam volunt recipi. Hoc non eſt rationem reddere ſuorum factorum. Ratio tamen reddenda quamdiu homines ſunt rationis capaces, ſed ſi ſunt adeo perverſi ut rationi non cedant, utendum etiam auctoritate.

DE TERTIO.

FRuctus Apologiæ eſt, quod qui offenſi erant acquieſcunt & gratias agunt Deo, quod etiam gentibus dederit converſionem ad vitam. Nota hinc breviter

1. Veri Chriſtiani ſunt εὐπειθεῖς & cedunt rationibus. Offenduntur ſubinde doctrina vel actionibus fratrum, quæ bonæ ſunt, ſed tamen cum informantur, cedunt rationibus. Vide Iacob. 3. 17. O quantus defectus hujus virtutis inter nos, tum quantum ad publicas de religione controverſias, tum quantum ad privatas rixas & expoſtulationes. Nemo cedit rationibus & demonſtrationibus clariſſimis. *Object.* Qui tam facile cedunt, facile ſeducuntur & bonæ cauſę defenſionem dimittunt. Dura capita bonam cauſam defendunt. *Reſp.* Seductio non prævenitur duricie & pertinacia cerebri, ſed cuſtodia & inſtitutione Dei, quam impertit humilibus & docilibus, Pſal. 25. 9.

2. Fideles non tantum pro ſua, ſed etiam pro aliorum ſalute Deum glorificant. Sed de hoc ſupra. Hi Iudæi gratias egerunt Deo pro converſione gentium, quid nobis non eſt faciendum?

3. Reſipiſcentia eſt donum Dei. Dedit converſionem ad vitam, Non tantum Deus dat occaſiones, tempus, media, vires ſe convertendi, ſed ipſam actualem reſipiſcentiam, Actor. 5. v. 31. Iuſtificat hoc reformatam Eccleſiam contra omnes Pelagianorum & Semipelagianorum accuſationes.

4. Ubi pœnitentia, ibi vita. Lex dicit, *fac hoc & vives*, Euangelium dicit, *convertatur & vivat*, Ezech. 11. verſ. 32. Quid autem ſit converſio, & qua in re conſiſtat, alibi diximus. Hactenus hiſtoria Cornelii.

Actor. 11. v. 19, 20, 21.

CONCIO CXL.

CApite 1. v. 8. hujus libri Chriſtus prædicit Apoſtolos fore ipſius teſtes, qui de Chriſto teſtaturi ſunt: 1. Hieroſolymis. 2. In tota Iudæa & Samaria. 3. Uſque ad fines terræ, ſeu extra terram Iudaicam inter omnes gentes. Secundum filum hujus præ-

prædictionis diviſimus hunc totum librum, dicentes in hoc libro, tria nobis deſcribi. 1. Quomodo Apoſtolorum teſtimonio Euangelium plantatum ſit in urbe Hieroſolyma. 2. Quomodo hinc propagatum ſit in totam Iudæam & Samariam. 3. Quomodo inde diſperſum ſit per totum mundum.

Vidimus priora duo, ſequitur tertium, ſcilicet propagatio Euangelii extra Iudæam inter gentes. Hæc propagatio habet duos gradus: 1. Propagatum eſt ad Iudæos extra Iudæam inter gentes habitantes. 2. Tandem etiam ad ipſas gentes propagatum eſt. Prior gradus deſcribitur v. 19. Qui diſperſi erant perſequutione, ſuper Stephano, i.e. qui occaſione & metu perſequutionis, quæ Stephano ſuperveniebat, diſperſi erant, ut legimus, Actor. 8. 4. non tantum Iudæam peragrabant & Samariam, Euangelium annunciantes, ſed quidam etiam eorum in Phœniciam, Cyprum & Antiochiam veniebant, ſed tamen non niſi Iudæis verbum Euangelii loquebantur. Propagatio igitur Euangelii ad Iudæos extra Iudæam habitantes cœpit fieri antequam Petrus Cornelio prædicaret Euangelium, ſicut eo etiam referendum, quod Paulus in urbe Damaſcena jam tum Chriſtianos invenit, & per integrum triennium in Arabia Euangelium Iudæis annunciavit, & apud Tarſenſes quoque ad tempus. Huic igitur propagationi Euangelii extra Iudæam ad ſolos Iudæos Euangeliſta non multum inſiſtit, ſed ſe confert ad deſcribendam illam propagationem Euangelii, qua ad ipſos gentiles extra Iudæam Euangelium pervenit, quam tamen hiſtoriam ita pertexit, ut non negligat interſerere, quæ interea in ipſa Iudæa notabilia occurrerunt. Primum exemplum propagati ad gentes extra Iudæam Euangelii contigit Antiochiæ, per viros quoſdam Cyprienſes & Cyrenæos, qui Antiochiam venientes verbum Euangelii loquuti ſunt Græcis, i. e. gentilibus. Ante converſionem Cornelii, cum Stephanus Martyrium pateretur, ſtatim Antiochiæ collecta eſt Eccleſia, v. 19 Sed non niſi ex Iudæis. Sed cum hoc antea factum eſſet, nunc poſt converſum Cornelium quidam Antiochiam veniunt atque ibi etiam Græcis prædicarunt Euangelium.

Scio quoſdam interpretes, quoniam hoc loco non uſurpatur vox *Hellenes* ſed *Helleniſtæ*, per hos Helleniſtas nolle intelligere gentiles ſed Iudæos Græca lingua utentes, ſicut hæc vox ita ſumitur, cap. 6. 1. & 9. 29. Sed quoniam hi Cyprienſes & Cyrenæenſes, qui Helleniſtis prædicarunt Euangelium, expreſſe opponuntur iis, qui antea in eadem urbe & alibi ſolis Iudæis Euangelium prædicaverant, non poſſumus non intelligere per hos Helleniſtas veros gentiles à Iudaiſmo æque ac Chriſtianiſmo alienos, Rom 2. 9. Deſcribitur igitur à v. 20. ad finem capitis prima Eccleſia ex gentibus collecta, ſaltem ex Iudæis ſimul & gentibus in urbe Antiochia. Cæſareæ una aliqua familia gentilis ad fidem fuerat converſa, ſed Antiochiæ colligitur integra & magna Eccleſia. In hac hiſtoria Eccleſiæ Antiochenæ tria hoc capite deſcribuntur: 1. Prima plantatio hujus Eccleſiæ, v. 20, 21. 2. Confirmatio hujus Eccleſiæ recens plantatę v. 22, 23, 24, 25, 26, 27. 3. Nobile exemplum beneficentiæ hujus Eccleſiæ Antiochenæ erga fratres in Iudæa habitantes. Non eſt nobis propoſitum omnia minutim ſectari, ſed tantum elegantiores & prægnantiores phraſes & loquendi formulas, quæ ſunt in hac hiſtoria, nonnihil elucidare.

I. Qui per perſequutionem Stephani erant diſperſi, paſſim quidem prædicabant Euangelium, ſed tamen non niſi Iudæis. Difficile dictu eſt, utrum male an bene fecerint, quod gentibus noluerunt prædicare Euangelium? Habebant ex una parte interdictum Chriſti, Matth. 10, 5, 6. Habebant ex altera parte mandatum Chriſti, Matt. 28. 19. & Marc. 26. 15. Iudicamus tamen quod bene fecerint, qui ſpeciale mandatum & inſtinctum, ſicut Petrus, non habentes, Euangelium gentibus incircumciſis non prædicarunt. Etiamſi enim Apoſtoli juſſi erant omnibus populis prædicare, voluit tamen Deus hoc fieri ſuo tempore, poſtquam prius in Iudæa Eccleſiæ eſſent plantatæ, & Euangelium Iudæis oblatum, pertinacia eorum rejiceretur, ut videbimus, Actor. 13. 46. Diſcimus hinc, quod miniſtri Euangelii debent eſſe ſcrupuloſi & cauti in annuncianda Euangelica gratia, ne forte annuncient iis ad quos non pertinet. Legem & maledictionem licet annunciare cuivis, licet etiam generaliter annunciare quod Chriſtus venerit ad ſalvandum peccatores, ſed particularis annunciatio, qua alicui annunciamus, quod ad ſe pertineat gratia Euangelii, fieri debet cum ſcrupulo & caute, Matth. 3. 7, 8. 9. & 7. 6. Cum enim inconverſis annunciamus gratiam Euangelii, non tantum profanamus quæ ſacra ſunt, ut impuris tangantur manibus, ſed etiam homines decipimus, & in ἀναισθησίᾳ miſeriæ ac ſecuritate carnali eos confirmamus. O ſi vos ſciretis, quam difficile ſit miniſtro pio Euangelium annunciare! Tanta de hoc vel illo audimus facinora, quæ quidem duobus vel tribus teſtibus evincere ſemper non valemus, ſed

tamen tam circumſtantialiter & probabiliter audimus narrata, ut ne dubitare quidem de veritate audeamus. Et tamen talibus hominibus debemus per ſacramenta ſalutem obſignare, in morbo & periculo mortis ſolatium annunciare. Convincere eos non poſſumus. & ſi ſine teſtibus objicimus, ſatis audaces ſunt ad diffitendum id de quo dubitari non poteſt. Sciant tales, noſtros ſcrupulos, cum quibus illis annunciamus gratiam Euangelii, fore ſaxa, quæ aliquando ipſorum conſcientiis incumbentia æternum eos prement. O quam jucundum & ſalutare eſt, cum in tales incidimus auditores, quibus ſine ſcrupulo & cum confidentia gratiam Dei poſſumus annunciare & obſignare! Hebr. 6. v. 9, 10. Nobis ſæpe contrarium dicendum: Deus non eſt injuſtus, ut obliviſcatur malorum operum veſtrorum, ſc. adulterii, ſcortationis, perfidiæ, malarum artium, oppreſſionis, infidelitatis in officio, cujus inſimulamini, & cujus probabiliter rei eſtis. Quid non tentamus, ut verbum exhortationis prope admoveamus veſtris conſcientiis, præcipue eorum, qui communi rumore ſuſpecti ſunt Et vos tamen non tangimini, nec ſentitis vos excluſos ex numero eorum ad quos pertinet Euangelium.

II. Hanc nobilem Eccleſiam, de qua tantum boni refertur in hiſtoriis, Deus non plantavit per Apoſtolos, ſed per viros obſcuros, quorum ne nomina quidem recenſentur, ſed tantum dicitur, quod fuerint quidam Cyprienſes & Cyrenæi. Patet hinc, quod non ſolum Apoſtoli, ſed omnes à Deo vocati miniſtri ſint; inſtrumenta Spiritus S. per quæ ſalutem & converſionem hominum operatur. Vide Actor. 20. 28. Eph. 4. 11, 12. 1. Petr. 5. 1, 2. Obſervo hoc, ut os obtundam iis, qui, cum id quod dicunt Apoſtoli ad commendationem ſui officii, noſtro quoque Miniſterio applicamus, ut illud auditoribus commendemus, reſponſant, nos non eſſe Apoſtolos. Etſi non ſumus Apoſtoli, ſumus tamen à Deo vocati ad idem opus faciẽdum quod faciebant Apoſtoli, videlicet, convertendas per prædicationem Euangelii hominum animas. Apoſtoli quidem à Deo vocati erant immediate, nos à Deo mediate vocamur per Eccleſiam Euangelicam. Apoſtoli in totum orbem miſſi, nos à Deo uni Eccleſiæ præfecti. Apoſtoli majora & miraculoſa habebant dona Spiritus S. nos minora & communia. Apoſtoli immediate docebãtur à Spiritu, S. nos à Deo docemur per Scripturam, & ex Apoſtolorum ſcriptis promimus pabulum quo Eccleſias paſcimus. Sed hoc omne diſcrimen accidentale tantum eſt, & in gradibus ac circumſtantiis poſitum. Interim quantum ad ſubſtantiam, ſumus miniſtri & operarii Dei, per quos homines credunt ac convertuntur, æque ac Apoſtoli, & proinde quibus argumentis Apoſtoli ſuum officium Eccleſiis commendant, iiſdem noſtrum merito commendamus, exigimuſque ut pro ſervis Dei agnoſcamur in omnibus illis, quæ ſecundum inſtructionem noſtram in Eccleſia gerimus. Æque Apollos ac Paulus ſervi, 1. Cor. 3. 5. ad 10.

III. Hi Cyprii & Cyrenæi Antiochenſibus hoc medium adhibebant ad converſionem eorum, quod annunciabant Dominum Ieſum, ſcil. perſonam, officium, beneficia Domini Ieſu erga nos, nec non noſtra erga illum officia, per quæ ipſius poſſumus fieri participes, ſicut hæc latius explicuimus in Act. 9. verſ. 20. Ibi vide quid ſit Chriſtum vel Ieſum prædicare & annunciare.

IV. Effectus & ſucceſſus hujus prædicationis deſcribitur, quod magnus numerus crediderit & converſus ſit. Credere & converti ſunt duæ partes pœnitentiæ & reſipiſcentiæ, Marc. 1. 15. Hæc duo ſemper conjuncta, quorum altero juſtificamur, altero ſanctificamur. Sicut Chriſtus ad homines venit cum ſanguine & aqua, 1. Ioh. 5. Ita homo ad Chriſtum venit per fidem & pœnitentiam. Per fidem apprehendit ſanguinem Chriſti ad juſtitiam, per pœnitentiam oſtendit aquam Spiritus S. ſuper ſe eſſe effuſam. Hæc duo faciunt Chriſtianum & filium Dei.

Poſito quod homo infidelis ſe ita poſſet à peccato ad Deum convertere, ut imposterum viveret ſine omni peccato in perfecta obedientia legis, tamen non eſſet filius Dei, ſed maneret maledictus peccator. Nam ſubſequens legis obedientia non poteſt expiare ac tollere antegreſſam inobedientiam, nec ullus peccator poteſt juſtificari per opera legis, Roman. 3. Ergo non ſufficit ad ſalutem ſola converſio ad obedientiam legis, ſed requiritur fides per quam apprehenſa juſtitia Chriſti nos juſtificet, & acceptos reddat Deo, ut converſio noſtra poſſit eſſe grata Deo, & imperfectio illius acceptationem ejus non impediat. Viciſſim, ſi quis glorietur ſe credere in Chriſtum, & tamen non ſe convertat à peccato ad Deum & obedientiam voluntatis ipſius, non eſt Chriſtianus nec filius Dei Nam qui ſe non avertit à peccato, & convertit ad Deum, ipſo opere teſtatur ſe non credidiſſe quod Deus per Chriſtum ſibi ſit propitius. Nam ſi hoc credidiſſet toto corde, amor Chriſti ipſum cogeret judicare, quod non ſibi ſed Deo debeat vivere, 2 Cor. 5. & ſanguis Chriſti fide apprehenſus purgaret ipſum ab omni peccato,

non

non tantum abſtergendo reatum, ſed etiam eluendo maculam peccatorum,& fœcundando eam ad omne bonum opus. Qui igitur vult eſſe filius Dei, & oſtendere quod ſit, non ſeparet quod Deus conjunxit, vid. fidem & converſionem. Fidem in Deum, & converſionem ad Deum. 'Επὶ enim hic idem quod πρὸς. His ipſis particulis oſtenditur diſcrimen inter naturam fidei & pœnitentiæ. In Deum enim notat quandam reclinationem cordis, qua cor onere gravatum in Deum ſe conjicit, tanquam in fulcrum quo quieſcat. Ad Deum vero notat reditum ad amorem & obedientiam ejus quem per perfidiam deſeruerat, Luc. 15. 18. Sed utrum horum duorum prius eſt? Hoc loco ponitur fides ante pœnitentiam, ſed *Marc.* 1. 15. ponitur pœnitentia ante fidem. Utrum igitur prius? *Reſp.* Marci primo, verſ. 15. ἐπιστρέψις πρὸς τὸν θεὸν non ponitur ante fidem contritio, pœnitentia, ſed μετάνοια. Aliud autem eſt μετάνοια: (boete of berouw:) aliud converſio, ſi ſtricte velis uſurpare vocabula, etſi aliquando unum pro altero ponitur. Μετάνοια proprie ſignificat id, quod Luc. 15. 17. vocatur εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν. Filius perditus, antequam cœperat conſilium redeundi ad Patrem, dicitur prius rediiſſe ad ſe ipſum. Quid hoc? Cor ejus cogitationes ſuas reflexit in proprias actiones, ut eas examinaret, condemnaret, & miſerum ſuum ſtatum agnoſcens cum dolore & pudore deploraret. Poſtquam ita rediiſſet ad ſeipſum, tum demum cœpit conſilium redeundi ad Patrem ſuum, ſcilicet per fidem & converſionem. Tota igitur converſio peccatoris conſiſtit in reditu ad ſe ipſum, & tum in reditu ad Deum. Et hoc poſterius iterum habet duo membra, ſcil. fidem & pœnitentiam. Et hoc ſenſu converſio fidem ſequitur, unde textus notanter dicit: πιστεύσας ἐπέστρεψεν. Rediit ad ſeipſum per contritionem: (Hæc μετάνοια fidem antecedens:) Credidit deinde in Deum, & ſic reverſus ad officium, quæ eſt converſio fidem ſequens.

V. Adjungitur cauſa hujus ſucceſſus. Etſi enim *hæc* converſio Antiochenſium tribuitur viris quibuſdam Cypriis & Cyrenæis; additur tamen, quod non ſua ſed Dei virtute hoc opus perfecerint: Et manus Domini erat cum ipſis. Supra cap. 10. 38. ubi Chriſto tribuuntur magna effecta, ratio eorum effectorum hæc redditur: quia Deus erat cum ipſo, Sed hic, ubi miniſtris hæc effecta tribuuntur, redditur hæc ratio, quia manus Dei erat cum ipſis. Cum Chriſto eſt Deus ipſe, ſed cum miniſtris eſt tantum manus Dei. Dicitur quidem, Matth. 28. 20. Ecce ego vobiſcum, ſed hoc ita interpretandum ut hic, manus mea vobiſcum. Solus enim Chriſtus verus Immanuel, in quo plenitudo Deitatis corporaliter habitat; ſed miniſtri non niſi manum Dei ſecum habent, i.e. efficacem Dei operationem, per quam ipſorum labor fœcundatur ad conſequendum ſuum ſcopum. Efficax operatio Spiritus S. per quam miniſtri corda hominum ad fidem convertunt, vocatur *Manus Dei*. Sic 2. Reg. 3. 15. Ezech. 1. 2. Chron. 30. 12. Luc. 1. 66. Quare vocatur manus Dei? Quia Lex Dei per hanc virtutem Spiritus S. ſcribitur in cordibus hominum tanquam in tabulis. Sicut Deus dicitur legem digito ſuo ſcripſiſſe, Exod. 31. 18. in tabulas lapideas, ita idem dicitur eandem legem quaſi manu & digito inſcribere cordibus, Jerem. 31. v. 33. Sicut homo ſcribit per manum, manus per calamum & atramentum, ita Deus nos regenerat per Spiritum, Spiritus autem utitur miniſterio concionatorum, Vir ſcribit, manus ſcribit, calamus ſcribit, atramentum ſcribit. Sic Deus regenerat, Spiritus S. regenerat, miniſtri regenerant, verbum Dei regenerat. Deus eſt auctor qui opus facit. Operatio Spiritus S. eſt manus per quam opus fit. Miniſtri ſunt calamus quo hæc manus utitur. Verbum externum eſt atramentum, quod miniſtri nobis inſcribunt. Vide 2 Cor. 3. 2, 3. Spiriti Sancti operatio eſt illa manus, qua Chriſtus nos prehendit, & nos Chriſtum prehendimus, Phil. 3. 12. Docet hoc, converſionem non fieri per ſolam moralem ſuaſionem miniſtrorum & verbi, ſed requiri efficacem operationem Spiritus S. Quam parum calamus poteſt ſcribere ſine manu, tam parum miniſtri poſſunt convertere ſine efficaci operatione Spiritus S. Converſio peccatoris eſt opus quod manus Dei operatur. Vide Eph. 2. 10. Sicut cœlum & terra dicuntur opus manuum Dei, Pſal. 8. 4. Ita converſio peccatoris eſt ποίημα, opus digitorum Dei. Vide Hebr. 11. v. 10. Sicut Deus eſt τεχνίτης καὶ δημιουργὸς noſtræ glorificationis; ita etiam noſtræ ſanctificationis. Adde quod eſt, Eph. 1. v. 19. Uſus hujus dogmatis eſt,

1. Commonefactio, ut non habeamus converſionem pro re liberi arbitrii, putantes quod nosmet poſſumus convertere quando volumus. Eſt opus Dei. Niſi is nos convertat, nunquam convertemur. Modo evacuemus nos opinione propriarum virium, & imploremus manum Dei: Crea in me cor mundum, Pſalm. 51. nec prohibeamus Deum,

nec

nec opus ejus impediamus indulgendo libidinibus, tum Deus operabitur in nobis & velle & perficere, Phil. 2. Dum manus ejus ad nos extenditur, eam non repellamus.

2. Solatium eorum, qui ſe converſos ſentiunt. Quis opus Dei deſtruet, quis eradicabit plantam, quam Deus plantavit? Is qui manu ſua nos convertit, eadem manu nos tenet & cuſtodit, Ioh. 10. 28. Eſa. 49. v. 16. Quem metuis? An Diabolum vel mundum? An illi prævalebunt contra manum Dei? An propriam carnem? Annon illi ipſe Deus manum ſuam admovit ut eam deſtruat? An igitur contra manum Dei prævalebit caro? Qua manu Chriſtus nos fecit ſuas oves, eadem manu nos cuſtodit. Spiritus S. eſt manus Dei in quam commendamus noſtrum Spiritum, Pſalm. 31. Solemur nos contra infirmitates fidei & pietatis, quas in nobis ſentimus. Manus Dei nobiſcum eſt. Solemur nos contra vires carnis & affectuum pravorum in nobis reliquas. Manus Dei nobiſcum. Hac formula Deus Gideonem animabat ad pugnam, Iud. 6. verſ. 12. eadem tu te animes ad pugnam ſpiritualem.

Actor. 11. v. 22, 23, 24, 25, 26.

CONCIO CXLI.

HActenus prima Eccleſiæ Antiochenſis plantatio. Sequitur ejuſdem in fide Confirmatio, in cujus explicatione ſequemur inſtitutum noſtrum, non niſi prægnantiores phraſes explicaturi.

I. Cum Eccleſia Hieroſolymitana perciperet famam de converſione Antiochenſium ad Euangelium, miſerunt Barnabam. Simile exemplum habuimus ſupra cap. 8. v. 14. Quæras quid hoc ad Eccleſiam Hieroſolymitanam? An illi erat mandatus Epiſcopatus ſuper alias Eccleſias? An una Eccleſiæ alteri debet mittere doctores? Nonne quælibet Eccleſia ſuos ſibi debet vocare miniſtros, non autem ab alia miſſos accipere? *Reſp.*

1. In Hieroſolymitana Eccleſia erant plerique Apoſtoli, & multi Apoſtolici viri ac Euangeliſtæ, qui non uni alicui Eccleſiæ docendæ ac regendæ erant præfecti, ſed quorum erat omnes curare Eccleſias, & ubique plantare Euangelium, præſertim ubi videbant Spiritu ductore januam ſibi aperiri. Ideoque ſtatim atque audiebant alicubi locorum ſcaturire aliquem fontem ſalutis, & Spiritum S. ſe manifeſtare, advolabant & opportunitati invigilabant, ordinabant miniſtros, per impoſitionem manuum dona Spiritus S. communicabant, & attendebant, ut omnia recte gererentur.

2. Requirit etiam communio ſanctorum, ut Eccleſiæ inter ſe colant communionem, ſibi invicem ſuccurrant, mutuos defectus ſuppleant. Sunt enim membra & partes ejuſdem corporis, & omnes unam faciunt Chriſti ſponſam ac uxorem, quæ propenſa ad fœcunditatem omni occaſione marito ſuo prolificare ſatagit. Cum igitur Hieroſolymitana doctoribus abundaret, recte fecit, quod vicinæ Antiochenſi de abundantia ſua ſuccurrit. Utinam nos ita faceremus. Habemus nos abundantiam. In vicinis noſtris provinciis, item in Indiis paſſim ſe exſerit gratia Spiritus, & ſcaturiunt venæ aquæ ſaluti-feræ. Utinam multos Barnabas eo liceret mittere, qui, ſi non publice, ſaltem privatim opus Domini promoverent.

II. Barnabas Antiochiam veniens vidit gratiam Dei. Per gratiam Dei intelligit converſionem & pietatem Chriſtianorum, quam Deus per manum Spiritus operatus erat in Antiochenſibus ex mera gratia. Hæc pietas Antiochenſium erat viſibilis & incurrebat in oculos. Videbat enim Barnabas homines cognitionem Chriſti habentes, Deum laudantes, peccata exſecrantes, charitatem exercentes, crucem patienter ferentes, in ſalute Domini lætantes per fidem. In vera Eccleſia gratia Dei & operatio Spiritus S. eſt viſibilis. Ibi enim videntur & inveniuntur homines pietatem colentes. Vide Eſa. 60. v. 4, 5.

Object. Atqui nos Reformati docemus Eccleſiam ſecundum internam ſuam formam, per quam eſt vera Eccleſia, eſſe inviſibilem. Cum enim Papiſtæ quærunt, ubi vera & pura Eccleſia fuerit ante Lutherum, reſpondemus, *Quod fuerit inviſibilis.* Quomodo igitur Barnabas vidit gratiam Dei & operationem Spiritus, quæ eſt interna Eccleſiæ forma? *Reſp.* Nos Reformati non dicimus, Eccleſiam ſecundum internam ſuam formam, ſcilicet pietatem & fidem, eſſe plane & omni modo inviſibilem & inperceptibilem. Sed dicimus, Eccleſiam ſecundum hanc formam eſſe aliquando magis viſibilem, aliquando minus. Habet Eccleſia ſuos dies, habet etiam ſuas noctes. Interdum eſt in eo ſtatu, ut in cathedris Eccleſiarum nihil audias præter veritatem Euangelicam, & in vita hominum clariſſime obſerves ſanctam converſationem. Interdum vero eſt in tali ſtatu, ut nihil videas nec audias niſi ſuperſtitionem, falſam doctrinam, idololatriam, impietatem,

ſam, & non niſi pauci hinc inde inveniantur, qui tanquam candelæ nocturno tempore hinc inde luceant in tenebris. Et hic poſterior ſtatus fuit Eccleſiæ ante Lutherum. Nunquam Eccleſiæ ſtatus in mundo eſt tam felix, quin ſit lolium inter triticum, tenebræ inter lucem. Nunquam tam infelix, quin ſint candelę in tenebris, quę hinc inde luceant, & gratiam Dei conſpicuam reddant. Quicunque igitur non vult dedecorare, ſed ornare Eccleſiam Dei, is exemplo horum Antiochenſium, ſequatur adhortationem Chriſti, Matth. 5. 16. & Pauli, Philip. 2. 15.

III. Videns gratiam Dei lætabatur. Hoc exemplum confirmat doctrinam quam nuper propoſuimus in v. 1. hujus capitis, quod ſcil. pii libenter & cum gaudio vident ac audiunt etiam alios converti ac verbum Dei recipere.

IV. Videns converſos hortatur eos ad perſeverantiam, ut propoſito cordis manerent apud Dominum. Venerant ad Dominum per fidem. Hortatur igitur propoſito cordis apud Dominum maneant. Pii precantur Chriſtum ut apud ſe maneat, Luc. 24. 29. Chriſtus viciſſim nos hortatur ut apud ſe maneamus, Ioh. 15. v. 4. &c. Chriſtus manet in nobis, cum manum illam, ſeu operationem Spiritus Sancti, qua nos ſemel apprehendit, & qua legem ſuam in corda noſtra inſcripſit, ut dictum, v. 21. non retrahit, nec Spiritum ſuum Sanctum à nobis tollit, *Pſalm.* 51. 13. ſed influxum gratiæ ac operationis in nos continuat. Nos manemus apud Chriſtum vel in Chriſto. 1. Cum petulanti peccatorum indulgentia Chriſtum non repellimus, nec Spiritum Sanctum contriſtamur, & quaſi fœtore abigimus, ſed potius ſollicite removemus omnes cauſas, propter quas Chriſtus non libenter nobis adſit. 2. Cum tentationibus mundi, carnis & Satanæ non cedimus, ut eſt, Hebr. 10, 38, 39. ſed ſumus προσκαρτεροῦντες, i. e. magna vi, conatu & labore nos firmantes in fide, amore & obedientia Chriſti, ſicut hanc vocem explicuimus, Actor. 1. 14. & 2. 42. 3. Cum Chriſtum abituritentem ac influxum gratiæ paulo retrahentem, vel nos etiam à ſe abigentem robuſtis & fidelibus precibus, nec non humiliatione & pœnitentia quaſi cogimus ut nobiſcum maneat, Luc. 24 29. Gen. 32. 26. cum Hoſea 12. 4. Matth. 15. 23, 24. ad 28. Sicut enim mater aliquando ſe ipſam ſubducit, vel mammam recuſat infanti, ut infans fortius deſideret & ſugat; ita Deus, &c. 4. Cum perſeveramus in domo Chriſti, ubi Chriſtus habitat, & ſe præſentem fore promiſit, ſcilic. in Eccleſia & auditu verbi, Matth. 28. ult. Sed quomodo poſſumus manere apud Chriſtum? Tot ſunt tentationes quæ nos retrahunt, mundi, carnis, Satanæ, ipſius Dei & Chriſti, quis poteſt has omnes tentationes vincere & Chriſto conſtanter adhærere? *Reſp.* Habeamus modo propoſitum cordis, i. e. ſincerum manendi propoſitum, conatum, laborem, luctam. Qui habent hoc propoſitum manendi, apud illos Chriſtus manebit & faciet, ut ipſi in ipſo maneant, Ioh. 7. 17. Iohan. 15. 7. Si vultis manere, & petitis ut maneatis, manebitis. Perſeverantia enim non tantopere noſtrum eſt quam Dei opus, qui propoſito cordis perſeverare volentes facit perſeverare, eoſque cuſtodit non tantum ne abripiantur ex manu Chriſti per vim & inſidias ſerpentis, ſed etiam ne ipſi propria voluntate recedant, Ierem. 32. 30. Sit nobis hoc propoſitum manendi in Chriſto quam commendatiſſimum. Nam 1. qui bene cœpit & male finit, qui in Spiritu cœpit & in carne deſinit, fruſtra cucurrit & laboravit. 2. tanto abominabilior eſt coram Deo, Matth. 10, 22. Luc. 9. 62. 2. Petr. 2. 20. Hebr. 6. 5. Apoc. 2. 10. & 3. 11. Dictum hoc multis inter nos, qui quamdiu ſunt in ſtatu tenui, bene ſe gerere incipiunt; ſed ubi ad honores & res lautas pervenerunt, deſinunt. Alii bene agunt quamdiu licet ſine periculo, ſed cum perſecutio ingruit, deſinunt.

V. Præſertim notabile eſt illud encomium Barnabæ, v. 24. Hoc encomium additur per modum αἰτιολογίας, qua redditur ratio antecedentis. Cujus autem rei ratio hic redditur? *Reſp.*

1. Poteſt referri ad proxime antecedens: Lætabatur & adhortabatur quia erat vir bonus. Sic hæc doctrina hinc elicitur: Vir bonus lætatur & laborat ut alii quoque ſint boni. Eſt enim omne bonum communicativum ſui, & qui plenus & prægnans eſt Spiritu S. nunquam deſinit parturire, & ſpiritum ſuum propagare ad alios. Hoc ſignum boni viri.

2. Poteſt referri ad remotius: Miſerunt Barnabam. Erat enim vir bonus. Sic inde diſcimus, quod in miſſione & vocatione miniſtrorum præcipue reſpiciendum ſit, ut habeamus viros bonos. Non prædicatur quod eſſet vir doctus, eloquens, &c. ſed bonus. Etſi enim priora ipſi non defuerunt, tamen hoc potiſſimum Eccleſia reſpexit. Nam qui nihil boni in ſe habet, aliis nihil boni communicabit. Qui bonus non eſt, vita plus nocet, quam doctrina ædificat. Qui bonus non eſt, non habet promiſſionem benedictionis divinæ in ſuo opere.

At quid eſt *vir bonus*? Et quomodo Barnabas vocatur bonus, cum Chriſtus nolit hunc titulum dari, niſi ſoli Deo, Marc. 10. 18. Matth. 19. 17. *Reſp.* 1. Ex ſe nemo bonus, niſi ſolus Deus. Quos tamen Deus bonos creavit, revera boni ſunt, Gen. 1. 12. 2. Natura hominum nemo bonus, Pſalm 14. 3. Quos tamen Deus per bonum ſuum Spiritum bonos fecit, ii vere boni ſunt. Quid autem vir bonus? An qui nihil mali in ſe habet, nec quicquam mali fecit? Talis bonus poſt lapſum non fuit in mundo niſi ſolus Chriſtus. Vir bonus eſt vir ſincerus & juſtitiam amans, in cujus corde non eſt fraus nec falſitas, qui juſtitiæ dat operam, qui bonum amat ac ſectatur, & malum odit ac oppugnat. Vulgus viros bonos appellat eos, qui natura habent temperamentum mite ac molle, ut non ſint auſteri, nec ad iracundiam & alias libidines ita proni ut alii. Sed in Schola Chriſti ſæpe magis bonus eſt qui pejus temperamentum naturale habet. Is enim hic bonus eſt, qui, quamtumvis natura malus, malitiam ſuam intelligit, odit, deplorat, oppugnat, & ſincere ſeipſum emendare & bonum reddere ſtudet. Is autem nequaquam bonus, qui lenius & mitius natura temperamentum habens præ aliis in eo ſibi placet, per illud ſe juſtum prædicat, nec emendationi ſui ipſius dat operam. Hic revera vir malus, quia malum ſuum, in quo natus & conceptus eſt, & quo ſe quotidie polluit, non videt nec oppugnat, ſed malus eſt & bonus videri vult hypocrita.

Erat præterea plenus Spiritu S. & fide. Notantur per hoc dona & aptitudines requiſitæ ad felicem functionem miniſterii. Poteſt quis eſſe vir bonus & ſincerus, bonuſque adeo Chriſtianus, qui tamen non eſt aptus ad officium aliquod gerendum, quippe deſtitutus ea fide, zelo, ſapientia, prudentia, aliiſque donis Spiritus S. quæ ad officii functionem requiruntur. Sed hanc phraſin explicuimus, Actor. 6. 5. & 8.

V I. Illud quoque notabile, quod turba dicitur addita eſſe Domino, προσετέθη. Sic etiam, Actor. 2. v. 41 Eſt Belgicum aenſetten/ apponere, inſerere. Per converſionem enim Domino inſerimur tanquam membra. Hæc additio vel inſitio duplex eſt:

1 Externa, cum recipimur in Eccleſiam, eique per profeſſionem fidei & receptionem baptiſmi immatriculamur.

2. Interna, cum per ſinceram fidem myſtice & ſpiritualiter unimur cum Chriſto tanquam capite, & cum Eccleſia tanquam corpore. Humana natura Chriſti cum divina unita eſt perſonaliter, ſicut corpus & anima hominis, ſed fideles cum Chriſto per fidem Chriſto myſtice, ſicut membrum cum corpore, palmes cum vite, uxor cum marito, ut fiamus unus Spiritus cum ipſo, & una caro cum ipſo, ſeu caro de carne illius, 1. Cor. 6. Eph. 5. 1. Cor. 12. Ex hac unione omnis noſtra ſanctitas & beatitudo. Quoniam enim tanta nobis cum Chriſto unio eſt, tanta etiam nobis cum illo communio eſt, qua participamus ſanguinem ſeu juſtitiam Chriſti ad juſtificationem, Spiritum Chriſti ad novam vitam, & gloriam Chriſti ad ęternam beatitudinem, ut nobis merito applicemus illud Pauli, Eph. 5. 29. 30. Hæc unio ne per mortem quidem ſolvitur, non magis quam unio perſonalis duarum naturarum in Chriſto per mortem ejus fuit ſoluta. Uniti enim Domino, morimur in Domino, & ſicut vivi, ita etiam mortui Domini ſumus & in Domino, Roman. 14. Apoc. 14.

V I I. Id quoque obſervandum, quod commoratio Apoſtolorum apud Antiochenſes deſcribitur per vocem συναχθῆναι, v. 26. Integrum annum cœtus egerunt in Eccleſia & populum docuerunt. Præbet hoc argumentum probans, quod crebra Eccleſiæ congregatio ad audiendam doctrinam verbi Dei ſit neceſſaria & utilis, & ab Apoſtolis inſtituta, adeoque ſedulo ab omnibus frequentanda.

V I I I. Denique illud in hac parte memorabile eſt, quod in hac urbe diſcipuli primo ſunt appellati *Chriſtiani*. Antea diſcipuli, nunc Chriſtiani. Non quod diſcipulorum nomen nunc quoque non competat Chriſtianis, ſed quia Deus tale nomen voluit indere ſuo populo, ex quo pateret, quod Chriſtus plus ſit quam merus Doctor & Ludimagiſter, viam ſalutis tantum docens ac commonſtrans, non autem ipſam ſalutem dans & operans. Quis hoc nomen inter homines indiderit, incertum eſt. Fieri poteſt, ut ipſi Chriſtiani hoc nomine delectati, illud ſibi ipſis impoſuerint. Fieri etiam poteſt, ut hoſtes ludibrii cauſa eos ita vocitaverint, qui etiam non intellecto vocabuli ſenſu, *Chriſtianos* eos ſolebant appellare. Hinc etiam ab Agrippa uſurpatur, Act. 26. v. 28. Hoc certum, quod conſilio Dei ita factum. Ideo enim divinitus in Scriptura annotatur hæc appellatio, ut divinitus facta eſſe intelligatur. Hinc etiam à Petro uſurpatur ut nomen excellens, 1. Petr. 4. v. 16. Quare autem à Chriſto Chriſtiani nominantur? *Reſp.*

1. Quia participes unctionis Chriſti: Sumus enim

nim à Deo ordinati & viribus inſtructi, ut tanquam Prophetæ nos invicem doceamus & laudes Dei annunciemus, ut tanquam ſacerdotes nos ipſos & vitulos labiorum noſtrorum Deo offeramus in hoſtiam gratitudinis, ut denique tanquam reges pugnemus contra Satanam, mundum, & dominemur noſtris affectibus, & tandem in æterna gloria ſuper omnes noſtros hoſtes cum Chriſto triumphemus.

2. Quia participes ipſius Chriſti. Sicut enim mulier, quæ Regi nubit, regina inde nuncupatur, & ſicut omnis uxor tranſit in nomen & familiam viri, amiſſo nomine patrio; ita nos propter ſpirituale noſtrum cum Chriſto conjugium à Chriſto Chriſtiani appellamur. Has rationes itemque uſus ex hac appellatione fluentes late poſſem diducere; ſed fit hoc cum explicamus trigeſimam ſecundam quæſtionem noſtri Catechiſmi. Si Chriſtiani ſumus, diſcamus vivere ut Chriſtiani, & pati ut Chriſtiani. Omnes hodie, qui nec Turcæ nec Iudæi, nec Ethnici ſunt, appellantur Chriſtiani. Sed qui doctrinam Chriſti non habent, qui unctionis Chriſti non ſunt participes, & qui ſalutem ſuam non quærunt in vera unione & communione cum Chriſto per fidem, non ſunt quod appellantur.

Actor. 11. v. 47. *ad fin.*

CONCIO CXLII.

TErtium in hiſtoria Eccleſiæ Antiochenæ eſt nobile opus charitatis, ab Eccleſia Antiochena exercitum erga fratres in Iudæa. De hoc duo ſunt in textu, videl.

1 Occaſio operis.
2. Opus ipſum.

Occaſio operis & prædictio famis, ſub Claudio Imperatore, futuræ ſuper totum terrarum orbem, facta à quibuſdam Prophetis Hieroſolyma Antiochiam venientibus, præſertim uno eorum Agabo.

I. Quid Prophetæ? An in N. T. etiam Prophetæ. Annon omnis Prophetia per Chriſtum impleta eſt? ad quid igitur Prophetiæ in N. T.? *Reſp.* Officium Prophetarum duplex eſt, generale & particulare.

1. Generale eſt prænunciare iram Dei impœnitentibus, & gratiam Dei converſis. Qui ſive ex immediata revelatione & inſtinctu Dei voluntatem Dei homines docent, & pœnitentibus remiſſionem peccatorum, impœnitentibus iram & condemnationem prænunciant, ſive Scripturam ſacram, divina inſpiratione deſcriptam, legitima vocatione Eccleſiæ Dei interpretantur ac applicant, & ex illa pœnitentibus remiſſionem peccatorum, & impœnitentibus condemnationem annunciant, vocantur Prophetæ. Quia aguntur eodem Spiritu, quo olim agebantur Prophetæ, & quia hominibus futurum ſuum ſtatum prænunciant. Hoc ſenſu omnes Miniſtri verbi divini ſunt Prophetæ. Chriſtus ſummus Propheta, Deuter. 18. qui cæteros docet & jubet prophetare, eorumque Prophetias complet. Cæteri docent & prophetantur Chriſti nomine ac mandato. Hoc ſenſu ſumitur vox prophetare, Rom. 12. 6. 1. Corinth. 14. 1. 3. 29, 30, 31. Et hoc ſenſu omnes fideles Miniſtri de ſe apud populum dicere poſſunt illud Ezech. 2. 5. *Scient*, i. e. experientur reipſa *Prophetam inter eos fuiſſe*.

2. Singulare ſeu particulare eſt, particulares quaſdam revelationes rerum futurarum, immediato Spiritus S. inſtinctu acceptas, populo prænunciare. Sic Ioſeph prænunciavit charitatem annonæ in Ægypto futuram; ſic Eſaias captivitatem Babylonicam & ſolutionem ejus per Cyrum; ſic omnes Prophetæ V. T. prænunciarunt Chriſti adventum, nativitatem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, adſcenſionem, reditum ad judicium, & particulariſſimas quaſque ſingulorum circumſtantias; ſic Daniel quatuor Monarchias mundi, &c. Hoc donum habuerunt etiam quidam Miniſtri N. T. in primitiva Eccleſia. Sic Paulus & præſertim Iohannes prænunciarunt adventum, revelationem, perſequutiones ac flagitia, & denique deſtructionem Antichriſti. Sic Agabus prænunciavit famem, ſicut idem, Actor. 21. prænunciavit Pauli vincula, verſ. 10. Hoc donum ad tempus fuit in Eccleſia N. T. ſed paulo poſt ceſſavit. Iactatur quidem à multis in ſchola Anabaptiſtica & aliis, ſed quales ſint Prophetiæ quæ ab aliis proficiſcuntur, eventus docet. Habemus tot Prophetias in Scriptura, quot ad fidem noſtram in tentationibus firmandam ſunt neceſſariæ, nec eſt quod præter has ſectemur aut attendamus alias.

II. Ex his Prophetis unus, nomine Agabus, cujus etiam mentio, cap. 21. ſurrexit & per Spiritum prædixit, famem magnam futuram ſuper totum terrarum orbem. Duo hic nota:

a. Cur Prophetæ dicuntur loqui & vaticinari per Spiritum, cum tamen Spiritus proprie loquatur & vaticinetur per Prophetas, Actor. 2. verſ. 18.? *Reſp.* Utrumque verum eſt, ſed diverſo modo. Pro-

phetæ loquuntur per Spiritum, tanquam per cauſam principalem, quia Spiritus S. indit ſuo inſtinctu ori illorum quod loquuntur. Spiritus loquitur per Prophetas, tanquam per cauſam inſtrumentalem, quia per humana verba exprimit divinam voluntatem. Hinc patet natura divini verbi, quod prædicatur ab iis, quos Spiritus S. conſtituit Epiſcopos ſuper Eccleſiam. Eſt verbum quod loquuntur homines, ſed eſt etiam verbum quod loquitur Deus. Sicut quod fiſtula loquitur & ludit, id homo loquitur; ita quod concionator loquitur in nomine Dei, & ex verbo Dei, id Deus ipſe loquitur. Vide 1. Theſſ. 2. v. 13. Hoc redarguit eos, qui pias concionatorum doctrinas & adhortationes exſibilant & illudunt. Illi enim Deum ipſum exſibilant eique reſiſtunt. *Object.* Hoc ſimile non quadrat. Fiſtula enim nihil canit, niſi quod indit homo, ſed concionatores ſæpe loquuntur, quod Spiritus S. non inſpiravit, nec ex Scriptura hauſtum eſt. Quadrat quidem ſimile in Apoſtolos, quos Spiritus S. immediate inſpiravit, & per quorum os loquutus eſt, ſed non quadrat in Miniſtros ordinarios & communes. *Reſp.* Cum ordinarii Paſtores loquuntur cum Scriptura & ex Scriptura, cum loquuntur idem quod Spiritus S. per os Prophetarum ac Apoſtolorum loquutus eſt, & per manus eorum conſignavit, non minus loquuntur per Spiritum S. ac ipſi Prophetæ & Apoſtoli, nec Spiritus minus loquitur per eos, quam loquutus eſt per Prophetas & Apoſtolos, & qui ipſis in talibus reſiſtit, non minus reſiſtit Spiritui Sancto quam qui Prophetis & Apoſtolis reſtiterunt. Scimus equidem fieri poſſe, ut Miniſter ordinarius, etiam legitime vocatus, aliquando aliquid doceat ac præcipiat quod ſit præter aut etiam contra Scripturam. Sed inde non ſequitur, vobis liberum eſſe dogmata concionatorum exſibilare, rejicere, & contemnere antequam ea probaſtis & examinaſtis. Et tamen ſic vos agitis, quotieſcunque concionatores veſtri aliquid docent, quod eſt contra Praxin mundi, & propriæ veſtræ carnis libidinem, vos non examinatis an habeant cauſas graves, quibus hæc ſua dogmata & præcepta ex verbo Dei demonſtrent, ſed ſimpliciter contemnitis & rejicitis, dicentes; Non poſſumus eſſe tam ſcrupuloſi & præciſi. Immo non tantum parvam noſtram Theologiam, ſcilicet caſualem, qua caſus cõſcientiæ circa particulares quaſdam actiones deciduntur, contemnitis, & obedientiam illi negatis, ſed etiam Theologiam magnam & univerſalem, quæ articulos fidei, & prima principia praxeos pietatis continet, hanc quoque, inquam, contemnitis & in dubium vocatis. Hinc fit, ut non tantum in dubiũm vocetis, an peccatum ſit, hiſtrioniam exercere, ſaltare, aleatorem eſſe, aſſueſacere os levibus & impuris jocis, gaudere amicitia malorum, Sabbatho convivia agere, &c. Sed totam fere Theologiam in dubium vocatis, agitis quicquid libet, & tum quæritis, an hoc tantum peccatum, an hoc tam male factum?

1. Non curatis preces, negligitis lectionem Scripturæ, Sacramenta vel contemnitis, vel irreverenter & ſine præparatione uſurpatis, & tum quæritis, an hoc tantum peccatum? non ſumus Eccleſiaſtici nec concionatores.

2. Apoſtaſiam facitis à religione, & tum quæritis, an hoc tantum peccatum, annon poſſumus in omni religione ſalvari?

3. Iuratis, pejeratis, Deum blaſphematis in alea atque vino, & tum quæritis, an hoc tantum peccatum? facio bono corde, & incogitantia & conſuetudine.

4. Fovetis & inter amicos colitis homines aperte atheos, & hoſtes omnis juſtitiæ, & quæritis an hoc tantum peccatum? ſunt homines civiles & honeſti.

5. Potatis & luxuriamini donec evomatis cibum canibus, & pedibus conculcetis bona dona Dei, & tum quæritis, an hoc tantum peccatum? eſt mos juventutis.

6. Scortamini & adulteria committitis, & quæritis, an hoc tantum peccatum, an hoc tam male factum? Iocus eſt & ludus.

7. Utimini fraudibus & injuſtis mediis diteſcendi, & quæritis, an hoc peccatum? ſunt tantum artes ingenioſæ, quas ſi alii noſſent, non minus exercerent ac nos.

Hæc certe non eſt Chriſtiana circumſpectio in recipiendis Doctorum & Paſtorum dogmatibus, ſed eſt purus putus atheiſmus & impietas. Ideo anima veſtra rea erit coram Deo, & maledictio infeſtabit familiam veſtram, & memoria nominis tui eradicabitur. Cogitandum nobis quod labia Sacerdotum cuſtodiant legem, &c. Mal. 2. 7. Verum eſt, non debemus nos Sacerdotum labiis ſubjicere cæca obedientia ſine examine & probatione, ſed tamen etiam non debemus tam leviter contemnere ſine examine quod docent & monent, præſertim quod omnes pii paſtores omni ævo unanimi conſenſu in Theologia caſuali decidunt & ex Scriptura demonſtrant.

6. Quod ad vaticinium de fame, fames hic non

notat

notat appetitum cibi, ſed defectum cibi qui appetitur, cum deſideramus expleri, & non explemur, Luc. 15 verſ. 16. Hæc afflictio humani generis triplex eſt

1. Fames cibi corporalis, Levit. 26. 19. & 29 Deut. 21. 23, 24. 28.

2. Fames conſilii & ſolatii, Amos 1. 11 Triſte cor, ſine verbi divini ſolatio, major plaga eſt, quam eſuriens ſtomachus ſine pane.

3. Fames juſtitiæ, Matth. 5. 6. Qui enim corde ſunt contriti, & de maledictione ſua convicti, & opinione propriæ juſtitiæ vere evacuati, magno cum dolore eſuriunt juſtitiam. Et quam juſtitiam?

(1.) Chriſtum Ieſum, qui juſtitia noſtra eſt, & nos juſtificat à peccatis, & ab ira Dei liberat, quique eo fine in cruce pro nobis ſitivit, ut ab æterna ſiti ac fame nos liberaret. Hunc cibum eſuriunt omnes contriti, nec ſatiantur donec hunc comedant, Iohan. 6. 35.

(2.) Facere voluntatem Domini Hic cibus omnium credentium quem appetunt, & ſine quo non ſatiantur, Iohan. 4. 18. & cum habent appetitum ac voluntatem faciendi quod bonum eſt, nec tamen perficere inveniunt, eſt hæc fames plaga, quæ fideles urit inſtar famis quę non expletur.

Nos in præſentiarum, Dei gratia, his in oris pauca fame torquemur, ſed proh dolor! noſtra culpa nihil ideo feliciores ſumus. Cibi potuſque nec appetitu nec abundantia deſtituimur, ſed hoc nos infelices reddit, quod plenitudine panis abutimur ad voluptuoſam intemperantiam, quæ Deum offendens, bellum, peſtem, & famem certo certius ſuper nos inducet. Pabulo & paſcuo divini verbi non deſtituimur, ſed hoc nos infelices reddit, quod hoc ſalutare pabulum in tantum non appetimus, ut nauſea ejus ducamur, quod certo certius Deum movebit, ut illud à nobis auferat. Fames juſtitiæ minime omnium nos torquet. Nam aut propriæ juſtitiæ opinione turgemus, aut pauco & frigido exercitio cultus externi tam facile ſatiamur, ut defectus juſtitiæ & ſanctitatis, qui in nobis eſt, nunquam ægre nobis faciat. Et hoc certe aut æternam illam famem ac ſitim ſuper nos inducet, quæ impios in inferno torquet, Luc. 16 24. aut ſaltem illam temporalem, quæ cruciabat filium prodigum, Luc. 15. 15, 16. Quamvis igitur fames plaga eſt & afflictio, tamen qui eſuriunt, ſive corporaliter ſive ſpiritualiter, & temperate à Deo cibantur in ſua fame, longe beatiores ſunt, quam qui fame omni deſtituuntur. Hi enim ſua plenitudine & ſatietate pereunt. Precandum igitur, ut Prov. 30. 8, 9. O infelices, qui laborant βυλιμίᾳ terrenorum bonorum. Scio divites & magnates noſtros dicere; Nobis ſatis pecuniæ ut famem poſſimus arcere quicquid fiat in Republica. Sed 1. quomodo arcebitis æternam famem quæ in inferno erit? 2. quomodo arcebitis ſpiritualem famem cordis contriti & anxii ac ſolatio deſtituti? hęc certe fames pane & nummis nō ſiſtitur. 3. An in aliis regionibus non ſunt multi qui fuere divites, & tamen nunc famem patiuntur? Itaque ſi quid apud vos poſſum, hortor vos quicunque eſtis, utimini moderate & cum gratiarum actione ac timore Domini cibo potuque, quem Deus largitur, mortificate nauſeam verbi divini, & excitate in vobis famem juſtitiæ.

III. Addit Euangeliſta, quod quæ fames fuerat ab Agabo prædicta, ſub Claudio Imperatore ita ut prædicta erat, evenerit, quod ipſe etiam Suetonius teſtatur, rationem reddens continuam ſiccitatem cœli. Sed qui per Prophetam ſuum famem illam prædixit, etiam cauſam famis, ſcilicet ſiccitatem cœli efficit. Claudius Imperator in Biblia venit, ſicut Pilatus in Symbolum, non ut Divus propter virtutes ſuas, quas paucas habuit aut nullas, ſed propter impietatem ſuam, ut indicet Spiritus S. impios & voluptuoſos magiſtratus eſſe cauſas plagarum epidemicarum. Caligula, Claudii anteceſſor, fuerat Imperator impius, qui ſe ipſum Deum fecerat & paſſim adorari volebat & ſacrificiis coli. Sequutus eum Claudius homo ſegnis, ſtultus & voluptuoſus, qui cum Princeps junior eſſet, omnibus erat contemptus, propria mater *Monſtrum* eum appellabat & *Stultum*, ſoror Livilla indignabatur populum Romanum hunc aliquando habiturum Imperatorem. Imperator factus pauca fecit Imperatore digna, comœdias ſcripſit, ſpectacula edidit, cōvivia ſplendida celebravit hæ fere laudes ſunt, quibus poſteritati commendatus eſt. Hunc ſtultum, ſegnem, voluptuoſum Imperatorem voluit Spiritus S. digito notare, cum epidemicam famem nobis vaticinatur & deſcribit, ut intelligamus inde, quod Imperatoris peccata ſint plagæ epidemicæ cauſa. Cajus voluit adorari ut Deus. Deus mittit famem populo, ut videant an panem dare poſſit quem adorarunt. Claudius profundit & perdit bona dona Dei voluptuoſa vita: Ideo Deus famem mittit in totum orbem. *Quidquid delirant Reges*, i. e. cum delirant, *plectuntur Achivi*. Cum David præ ſuperbia contra edictum Dei populum numeraret, aut fames, aut peſtis, aut bellum paratum erat populo, 2 Samuel 24.

muel. 24. Cum Reges Iſraëlis, & tandem etiam Iudæ fierent impii, nec cederent admonitionibus Prophetarum, peribat totus populus, 2.Chron. 36. Vide Prov. 29. 4. Eccleſ. 4. 13. Eccleſ. 10. 16, 17. Eſa. 3. 4. Et ratio in aptico eſt. Cum enim populus peccat, pœnam quidem meretur, ſed quamdiu Pineas pro gloria Dei zelum habet, quamdiu Moſes & Samuel reſiſtunt Deo in ſciſſura muri, movetur Deus ut parcat. Sed cum ipſi illi, qui ad impietatem populi reprimendam à Deo conſtituti ſunt, impietatem promovent, fluctus iræ Dei perrumpunt in magiſtratus & populum. Quomodo magiſtratus promovet impietatem, ſeu, quænam ſunt illa peccata, quibus magiſtratus terram devaſtat? 1. cum malæ vitæ exemplo populo præit. Magnorum peccata ſunt ſubditis peccandi exempla & calcaria. 2. cum malum non impediunt nec puniunt. Magiſtratus non abſolvit officium ſuum, cum nihil mali facit, ſed cum malum quod faciunt alii, non impedit vel punit. 3. cum largiuntur publicum conſenſum & publicam approbationem mali. Connivere ad malum grave eſt, ſed diplomate conſentire, & tantum non jubere abominatio eſt, quam non poſſunt ferre oculi Domini. 4. cum eos, qui pietatem colunt, & zelo ardent contra malum, non tantum non defendunt, ſed averſantur, perſequuntur, & antiſtites impietatis iis præferunt, eoſque in amicitiam ſuam recipiunt, cæteros contemnentes & repellentes. Hæc ſunt peccata magiſtratus, quatenus magiſtratus, quibus non tantum ſe, ſed totam terram cui præſunt, ruinæ implicant, & plagis epidemicis exponunt.

Object. An autem hoc juſtum quod Deus ita facit? Nonne David contra illud proteſtatur tanquam contra rem iniquam, 2. Sam. 24. 17? *Reſp.* Quod David agnoſcit, reatum ſui peccati non poſſe imputari populo, bene facit. Sed nec Deus ita facit, verum ex peccato regis occaſionem ſumit puniendi peccata populi. Propter peccata Regis punire populum innocentem & peccati expertem, foret injuſtum, ſed propter peccata regis non amplius parcere peccatis ſubditorum, non eſt injuſtum. Subditi ſuis peccatis dudum erant meriti pœnas. Sed tamen quandiu rex faciebat officium, Deus parcebat populo. Sed poſtquam rex ipſe, qui populi peccata debet reprimere, fit peccatorum antiſtes, perrumpit ira Dei, nec amplius parcit. Vide Ierem. 5. 4, 5, 6. Admoneantur hinc

1. Ipſi magiſtratus & magnates, ut tanto magis peccata caveant. Ipſorum enim peccata ſunt totius terræ ruina. Et cum tota terra perit ipſi non erunt ſine ruina. Capiant exemplum in hoc Claudio. Etſi enim is tempore famis famem non pateretur, tamen à communi plaga non fuit immunis. Teſtatur enim Suetonius tanto obnoxium fuiſſe ſtomachi dolori, ut eo correptus etiam de conſciſcenda morte cogitaverit. Fames eſt dolor ſtomachi, ſed Claudius quantumvis non famelicus, tamen non fuit ſine ſtomachi dolore. Teſtatur idem Suetonius, tempore hujus famis Claudiũ medio foro detentum à turba convitiis, ac ſimul fragminibus panis ita inſtratum, ut ægre, nec niſi poſtico evadere in palatium valuerit. Sic populi fame fere periiſſet dives Imperator, qui propria fame non laborabat.

2. Eccleſia, ut pro magiſtratu oret aſſidue, quo Deus Spiritu ſuo S. eos regat, ac à vita diſſoluta præſervet, 1. Tim. 1. 1, 2, 3. Sed proh dolor! tam parum peccata magnatum deprecamur, ut omni ope conemur imitari quicquid vitii in magnatibus deprehendimus, in tantum ut vix quicquam excogitare poſſint magnates, quo ſupra cœteros emineant, quin ſtatim imitentur cœteri.

Hactenus occaſio hujus operis. Opus ipſum eſt hoc, quod Antiochenſes Chriſtiani, vaticinio de fame audito, decernebant, quantum quiſque valebat, ſubſidium mittere fratribus qui erant in Iudæa, quod & fecerunt, miſeruntque per Paulum & Barnabam ad Seniores. Nota breviter:

1. Quam ſint faciles ad bonum opus. Fame tantum vaticinio prædicto, ſtatim volunt juvare. Nos hodie miſeriam & famem Eccleſiarum exterarum non à longinquo prædicimus, ſed præſentem digito monſtramus, & tamen vix movemur ad mittendum ſubſidium. Si unquam, certe nunc hoc exemplum nobis imitandum.

2. Hoc opus non tantum eſt exemplum beneficentiæ ac miſericordiæ, ſed etiam gratitudinis. A Iudæis acceperant Euangelium. Implent igitur quod Paulus monet, 1. Cor. 9. 11. Videte, annon hoc etiam nomine Eccleſiis, quæ jam in miſeria ſunt, ſitis obligati? Saltem inde diſcite, quanta ſit ingratitudo Miniſtris Euangelii non ſuppeditare neceſſarium victum. Antiochenſes quod ex quibuſdam Iudæis veritatem didiciſſent, toti ſe genti debitores eſſe agnoſcunt. Annon igitur turpe, inter vos Miniſterium, præſertim in pagis, tantum non penuria panis laborare?

3. Beneficentia modum ſuum accipere debet à facultate. Dabant quantum quiſque valebat. Eleemoſyna non debet eſſe coacta, ſed hilaris, 2. Cor. 9. 7. ut quilibet det non quantum æſtimatur

tur ab aliis, ſed quanti ſeipſum æſtimat, 2. Corinth. 8.12,13.

4. Sed cur mittunt ad ſeniores per Paulum & Barnabam? Nonne Apoſtoli & Barnabas ſe abdicaverant cura pauperum, & hanc rem Diaconis commiſerant? *Reſp.* Abdicaverant ſe ab ordinaria moleſtia, ſed non ab inſpectione & extraordinariis actionibus hujus operis. Vox *Diaconia* communiter hic uſurpatur, ut conſtet omnes, qui ſunt de Eccleſia, debere eſſe Diaconos. Membra Eccleſiæ ſunt Diaconi, quia largiuntur & contribuunt quod pauperibus ſubminiſtretur. Diaconi conſtituti ad colligendum & diſtribuendum. Presbyteri tamen Diaconiæ curam non abjiciunt, ſed curant & inſpiciunt, an res recte geratur, moventque ad liberalitatem, patet exemplo Pauli, Gal 2.10.

Actor. 12. v. 1, 2, 3, 4.

CONCIO CXLIII.

Cœperat ſuperiori capite Evangeliſta deſcribere acta Apoſtolorum extra Iudæam inter Ethnicos, incipiens ab Eccleſiæ Antiochenę plantatione. Hoc capite per modum digreſſionis regreditur in Iudæam, inſerens hiſtoriam novæ perſecutionis, quæ Eccleſias in Iudæa premebat. Poſt converſionem Sauli Eccleſiæ per totam Iudæam, Galilæam, & Samariam habebant pacem, & ædificatæ ac ambulantes in timore Domini & conſolatione Sancti Spiritus multiplicabantur, cap. 9. 31. Sed poſtquam hæc pax per aliquot annos duraſſet, nova perſequutio eas corripuit, quam Evangeliſta non putavit prætereundam, ſed per modum digreſſionis hic inſerendam. Tria ſunt in hoc capite de hac perſecutione conſideranda.

I. Perſecutio ipſa, v. 1, 2, 3, 4.

II. Remedium quod Eccleſia contra hanc perſecutionem adhibuit, v. 5.

III. Perſequutionis exitus & eventus, conſiſtens

1. In liberatione Petri captivi & perſecutionem paſſi, v. 6. ad 19.

2. In deſtructione perſequutoris Herodis, v. 19. ad 25.

3. In proſperiori ſucceſſu Evangelii & Eccleſiæ perſecutionem paſſæ, v. 25.

Hac vice agendum de ipſa perſequutione, de qua deſcribitur

1. Perſequutionis tempus.
2. Perſequutionis auctor.
3. Perſonæ perſecutionem paſſæ.
4. Perſecutionis modus.

I. Tempus perſequutionis: Circa illud tempus, ſcilic. circa tempus cum terrarum orbis premebatur fame, & Eccleſia Antiochena proſpere agebat ac ædificabatur per miniſterium Barnabæ, Pauli & Prophetarum, qui ex Iudæa iſthuc advenerant. Hæc periodus docet

1. Quod pax Eccleſiæ in terris non ſit diuturna. Sauli perſequutio vix præterierat, ſequitur perſequutio Herodis, ut pax intercedens vix fuerit ſeptem vel octo annorum. Patet hujus rei veritas ex continua hiſtoria Sacræ Scripturæ, præſertim inde à tempore, quo Eccleſia in Canaan fuit introducta. Sub judicibus quoties pax ejus turbata à Moabitis, Ammonitis, Philiſtæis? Sub regibus quoties pax turbata vel inteſtinis motibus, vel exterorum regum bellis uſque ad captivitatem Babylonicam? Quid poſt eam captivitatem factum, indicant Maccabæorum libri. In N. Teſt. idem contigiſſe nemo ignorat, niſi qui hiſtorias ignorat. Nec probabile futuro tempore aliter futurum. Etſi enim Chiliaſtæ aliter ſomniant, iſtud tamen ſomnium nullum habet in Scriptura fundamentum. Ratio quare hoc ita ſit, eſt, quia ad incrementum Eccleſiæ ita conducit. Sicut ad fœcunditatem terræ, & ad ſanitatem hominum non conducit, ut ſit perpetuo ſerena facies cœli, ſed ut ſerenitas cœli ſæpe interrumpatur pluviis & ventis variiſque tempeſtatibus; ita ad incrementum Eccleſiæ conducit, ut pax ejus ſæpe interrumpatur perſequutionibus. Si Eccleſia & ejus membra eſſent merus Spiritus, ſine carne & corruptione, perpetua pace poſſent eſſe pii, ſed quia carnem habent, quæ Spiritum oppugnat, perſequutionibus indigent, quibus caro reprimatur & dometur, ne contra Spiritum prævaleat. Conſideremus nos hoc tempore iſtud thema. Diu in his oris proſpere & pacifice vivimus, & jam in eo ſumus, ut æternam paciſcamur cum hoſtibus noſtris pacem. Ea ſi ſuc-

ſi ſucceſſerit, an putas impoſterum perpetuam nobis fore pacem ſine perſecutionibus? Si nos ipſos judicaverimus, & ſancta vita dies pacis condecorabimus, nullum equidem dubium eſt, quin prolongare pacem noſtram poſſimus. Sed quia experientia docet, quantum jam tum, durante proſpero bello, pietas decreſcat & impietas prævaleat, quoniam Satanas adhuc vivit, Antichriſtus adhuc regnat, hoſtes veritatis pilo mitiores aut meliores non ſunt, quam patrum veſtrorum tempore, ne deponamus arma ſpiritualia, ſed ſemper novas metuamus turbas, ne nos ſecuros ex improviſo obruant ſed armatos, Luc. 22. 36. Quomodo nos armabimus contra perſecutiones?

a. Curemus ut cor noſtrum maneat ſolutum à bonis mundi quæ poſſidemus, nec iis agglutinetur. Talibus enim cordibus perſequutiones duplo graviores ſunt, Pſalm. 62. 11. 1. Cor. 7, 29, 30, 31. Non ſemper ſatisfaciamus appetitui, ne ſimus nimis delicati, ſed diſcamus eſſe temperantes in cibo & potu & aſſueſaciamus nos jejuniis religioſis. Præterquam enim quod talibus exercitiis impetratur à Deo perſequutionum mitigatio, adſueſcit quoque corpus ad ferendas neceſſarias perſecutiones.

b. Inſtruamus animam cognitione Euangelii & ſpiritualium promiſſionum, ſolatio ac certitudine ſalutis, ut poſſit diſcere, ſicut Pſ. 23. 1. Qui eouſque pervenit, tutus eſt in perſequutionibus. Solebat Ethnicus Philoſophus Bion dicere: *Omnia mea mecum porto*, cum nihil portaret niſi aliquam cognitionem Philoſophiæ. Multo magis hoc dicant Chriſtiani, Theologiæ ſalutari cognitione, & ſalutis certitudine imbuti. Qui hoc fecit, poteſt in perſequutione triumphare, ut eſt Rom. 8. 35.

c. Sit pars quotidianarum precum, ut ineptitudinem noſtram, ad ferendas perſequutiones, Deo confitentes ac querentes petamus, ut aut parcat, aut roboret. Hoc pacto cavebimus illam præſumptionem, quæ Petrum ineptum reddidit ad ferendam perſequutionem, Matth. 26. 35.

2. Diſcimus etiam hinc, quod una calamitas raro ſola eſt. Circa illud tempus, quo fames premebat Eccleſiam, premebat etiam perſecutio. Cum homines in terris perſequuntur, Deus etiam cœlum claudit & famem immittit, & ubi hæc duo ſunt, vix poteſt abeſſe plaga tertia, videlicet peſtis, ut hodierna quoque tempora abunde probant. Hoc facit Deus, ut teſtetur, quod perſequutiones hominum non ſolum ab hominibus, ſed ab ipſo Deo veniant, ut in illis non tam hoſtes mordeamus, quam Deum imploremus. Facit hoc etiam, ut hoc pacto obſtruat effugia humanæ ſapientiæ, & hominem ſuperbum coram ſeſe proſternat, ut agnoſcat digitum Dei eſſe. Si ſola perſequutio premeret, fuga ſibi multi conſulerent, ſi ſola fames, artibus & fraudibus multi ſe eriperent. Conjungit igitur Deus plagas omnes, ut impleatur illud Ieremiæ, 29. 17, 18. Ezech. 33. 27. & homo agnoſcat, ſe contra Deum nihil poſſe, nec occipiat fugere, vel malis artibus ſe liberare, ſed dicat ut Pſal. 139. 7, 8, 9, 10, 11. Optimus modus evadendi plagas eſt proſternere ſe coram Deo, & ſe cum illo reconciliare.

3. Diſcimus ſapientiam Dei & bonitatem quam exercet tempore perſecutionis, quod dum una Eccleſia floret, alteram affligit, ut una poſſit alterius eſſe diverſorium & ſuſtentatrix, ut dum una indiget accipere, altera poſſit dare, Actor. 20. 35. ſic floruit Antiochena eo tempore, quo patiebatur Palæſtina Eccleſia. Sic hodie floruit Belgica, dum paſſa eſt Germanica. Alio tempore forte vice verſa. Agnoſcamus magnam beatitudinem, eamque impendamus ei fini propter quem conceſſa eſt, ne forte nobis fiat, quod eſt Eſther. 4. 14.

II. Auctor perſequutionis Herodes Rex. Quatuor Herodes in Sacra Scriptura noti. 1. Aſcalonita ſub quo Chriſtus natus eſt, infanticida, alias Herodes Magnus. 2. Antipas tetrarcha, qui Iohannem Baptiſtam occidit, Matth. 14. Marc. 6. 3. Herodes Agrippa Rex. Hic Romæ cum eſſet Cajo erat familiaris nondum Cæſari, optabatque Tiberio Cæſari celerem mortem, ut Cajus cito ad imperium veniret, quo nomine à Tiberio in carcerem conjiciebatur. Cajus autem Imperator factus eum carcere liberatum fecit Regem Iudææ. 4. Agrippa Iunior, prioris Agrippæ filius, de quo, Actor. 25. v. 13. qui tamen in Scriptura non Herodes, ſed ſimpliciter Agrippa appellatur. Intelligitur hic tertius Herodes, ſcilicet Agrippa. Ad hunc melius noſcendum additur cauſa, qua motus eſt ad hanc perſecutionem ſuſcipiendam, quia ſcil. videbat populo placere. Sæviit igitur hic Rex in proprios ſubditos, ut ſe approbatum redderet cæteris. Auctor igitur perſequutionis hujus non ſolum Herodes, ſed Iudaicus populus. Nam qui malum facit, & facienti applaudet eodem cenſu ſunt apud Deum, Rom. 1. 32. Diſcamus hinc.

1. Exemplum impii Principis, qui ut populo placeat Eccleſiam & veritatem perſequitur. Eſt certe ſapientia Magiſtratus, ut ſtudeat placere populo, nec n ore gerat illud tyrannicum: *Oderint dum*

dum metuant. Sed non minus eſt impium & tyrannicum facere quod injuſtum eſt, ut populo placeas, & ab eo ameris. Grave erat quod Pilatus ad odium populi effugiendum poſt tantam luctam, denique conſenſit in necem Chriſti. Grave quod Herodes Aſcalonita in necem Baptiſtæ conſentit, ne opinionem levitatis apud convivas incurreret, Matth. 14. 9. Sed longe gravius quod hic Herodes ſolo ſtudio delectandi populum perſequutus eſt Apoſtolos, ſicut olim Philiſtæi pium Samſonem affligebant ad delectandum populum, Iud. 16, 25. Sicut Imperatores Ethnici, utinam nulli Chriſtiani Magiſtratus! populo ſolebant ludos ſcenicos adhibere, ut laſciviæ eorum indulgentes eorum affectus lucrarentur; ita hic Herodes meri ſpectaculi cauſa ad oblectandum populum, & ad explendam eorum invidiam Apoſtolos necavit, ut patet ex phraſi quæ eſt v. 4. βυλόμεν@ ἀναγαγεῖν αὐτὸν τῷ λαῷ, q. d. proponere in ſpectaculum, uſque μετὰ τὸ πάσχα, in gaudium feſtivale, quale in feſtis, finitis ſacris, ſolebat exerceri, quo etiam ſine dubio alludit Paulus, 1. Cor. 4. 9. Hebr. 10. 32, 33. θέατρον, θεατριζόμενοι. Ingenium mere Politicorum, ut religionem ſimulent, & interim religionem & pietatem non vereantur perſequi, cum conducit ad retinendam Majeſtatem mundi & favorem populi.

2. Exemplum impii populi, qui nece piorum delectatur tanquam ſpectaculo. Cum Chriſtus ad necem rapiebatur, erant in populo qui plangebant & lugebant, Luc. 23. 27. Sed jam tanto pejores facti, ut nece Apoſtolorum delectarentur tanquam ſpectaculo & ludo. Simile eſt ingenium populi Papiſtici, teſte experientia & Apoſtolo, Apoc. 11. 10. Conſule Janſenæ Pariſienſis hiſtoriam, & recens Hyberniæ exemplum, nec crede meliores factos ex illo tempore.

III. Perſonæ hanc preſequutionem paſſæ. Hæ 1. deſcribuntur generaliter: οἱ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. & 2. duæ earum ſpecialiter nominantur, ſcilicet Iacobus frater Iohannis, & Petrus. Οἱ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας dupliciter poteſt exponi: 1. pro membris Eccleſiæ. 2. pro Eccleſiaſtis, i. e. Eccleſiæ antiſtitibus. Sicut dicitur οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς, ἀπὸ τῆς ἀκαδημίας, pro iis qui in illis ſcholis docent; ita οἱ ἀπὸ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ſunt illi qui Eccleſiam docent, unde fluit doctrina, quod, qui Eccleſiam docent, perſequutioni præ omnibus ſint obnoxii; Novit enim Diabolus quod 1 ſi tales perſequutionem non ſuſtineant ſed ſuccumbant ac deficiant, eorum exemplo multi in fide labaſcant. 2. ſi horum præſidio Eccleſia nudetur, facile poſſit ſeduci. Hi igitur præ omnibus ſibi debent proſpicere de conſtantia. Quæritur autem quis ille Iacobus, & cur Iacobus occiſus, Petrus autem captus tantum? *Reſp.* Catalogus Apoſtolorum duos habet Iacobos. Prior eſt Iacobus frater Iohannis, filius Zebedei, in ordine Apoſtolorum tertius, à Theologis vocatur Iacobus Major, & à Marco cap. 3. 17. Boanerges. Alter eſt Iacobus frater Domini, Gal. 1. 19. filius Alphei, in ordine Apoſtolorum nonus, Matth. 10. ab aliis vocatur Iacobus Minor, ex Marc. 15. 40. & eſt is, qui Hieroſolymitanæ Synodi Præſes fuit, Actor. 15. cujus mentio, v. 17. hujus capitis, habeturque pro auctore epiſtolæ, quæ Iacobi vocatur. Hic intelligitur Iacobus prior, Iohannis frater, ut expreſse additur. Sed cur hic prior omnium Apoſtolorum occiſus eſt, & cur non potius Petrus quam Iacobus? *Reſp.* 1. Reſpectu Herodis & Iudæorum cauſa putatur fuiſſe, quod præ aliis eſſet Boanerges, i. e. igneus & fulmineus, fervidus & ſedulus increpandis Iudæorum vitiis. 2. Reſpectu Dei rationes quærere, quare hunc citius, alium tardius è terris auferat, non decet; aut ſi rationem vis, hanc ſolam habe, ne quis ob majorem dignitatem, ob majora dona, ob majus robur ſe tutiorem à morte putet quàm alium, ſed omnes ſemper ſint parati. Iacobus primus omnium Apoſtolorum mortem obiit, Iohannes alter ejus ultimus. Qui plura de hoc Iacobo cupit ſcire, abeat Compoſtellam in Hiſpaniam, & experietur Hiſpanos plus ſcire de Jacobo quam de Chriſto, & plus eum colere. Sed mittamus hos fabulatores.

IV. Modus perſequutionis fuit, quod Iacobum gladio ſuſtulit, Petrum carceri incluſit, & quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum tradidit. Gladio decollare ſupplicium fuit inter Iudæos non uſitatum, quod legimus, ſed à Romanis acceptum, ſicut & Iohannes Baptiſta gladio decollatus eſt, Matth. 14. 10. Tot militibus Petrum cuſtodiri curavit, quia veritus eſt, ne miraculoſe evaderet, ſicut fecerat antea Actor. 5. 19. Addidit igitur quatuor quaterniones militum, ut ſingulis noctium excubiis una quaternio circa ipſum vigilet, nec ſomno impedirentur ab arcta cuſtodia. Indignum profecto facinus & ſors tremenda, viros Sanctos affici iis ſuppliciis, quæ proprie ſceleratis & flagitioſis inventa ſunt, quod non ſine cauſa Chriſtus miratur ſibi quoque contingere, Luc. 22. 52. Venitis ad me tanquam ad latronem! Sed cum hodie quoque piis idem contingit, cum ſuppliciis his &

carceribus comparent & conferant inferuum quem meriti ſunt, & cœlum quod per gratiam Dei poſſi debunt, & ſtatim evaneſcet horum ſuppliciorum acerbitas.

Actor. 12. v. 5.

CONCIO CXLIV.

TRia diximus hoc capite & hac digreſſione contineri. Primum eſt acerba perſequutio, quæ Eccleſias in Judæa preſſit. Secundum eſt ſanctum remedium quod Eccleſia contra hanc perſequutionem adhibuit. Tertium eſt felix exitus perſequutionis, quem Eccleſia hoc remedio impetravit & conſecuta eſt: Nuper perſequutionem ipſam vidimus, & ex ea didicimus, Eccleſię pacem in terris non eſſe diuturnam, ſed ſæpiſſime perſequutionibus interrumpi. Hoc dogma ſemper habendum ob oculos. Nam ſi nihil ad nos pertinent perſequutiones, nihil curabimus remedia contra perſequutiones. Si pacem, quam habemus, vel nunc cum hoſtibus paciſcimur, putamus fore tam æternam, ut nullis novis bellis & perſequutionibus interrumpi poſſit, fruſtranea erit tota hæc concio, quam de remedio, quod Eccleſia contra hanc perſequutionem adhibuit, vobis loquuturi ſumus. Quodnam autem illud remedium? Precatio. Dum enim Petrus in carcere ſervabatur, fiebant preces continuæ pro eo ab Eccleſia ad Deum. Carcer eſt locus ſervandis flagitioſis exſtructus. Etſi enim honeſtiore vocabulo vocatur verſ. 7. *οἴκημα*, ſive domus; tamen erat locus & ignominioſus & incommodus. Quam miſerum autem ſit in loco flagitioſis ſervandis deſtinato ſervari viros honeſtos, ſanctos, pios, quibus mundus non eſt dignus, Hebr. 11. 38. ſuperius lamentati ſumus. Pergamus nunc ad ipſam precationem, quam pro Petro incarcerato Eccleſia fudit, de qua precatione ſequentia ſunt in textu: 1. à quo. 2. ad quem. 3. pro quo. 4. quo modo hæc precatio facta.

I. A quo? Fiebant ab Eccleſia. Eccleſia dividitur in triumphantem, quæ in cœlis eſt, & militantem quæ in terris eſt. Intelligitur hic poſterior. Triumphantem enim pro militante & ejus perfectione generaliter quidem orare verum eſt, ſicut proprii Martyrii ultionem deſiderant, Apoc. 6. 9. 10. Sed ſingulorum fidelium particulares neceſſitates noſſe, & pro iis intercedere, è Scripturis non conſtat, nec naturæ nudæ creaturæ, quantumvis glorificatæ, conſentaneum eſt. Eccleſia igitur in terris, cujus membra perſequutionem patiebantur, precata eſt pro iis, qui patiebantur. Quibuſdam enim de Eccleſia manum injecit Herodes ad eos affligendos: pro his cæteri, qui liberi erant, precati ſunt. Pars Eccleſiæ militantis proſpera & pacata tenetur orare pro parte afflicta & perſequutionem patiente. Etſi enim tota Eccleſia militans, etiam illa, quæ in proſpera vivit Pace, variis eſt ſubjecta calamitatibus domeſticis, tamen quæ Pace publicâ fruitur, præcipue tenetur curam gerere ejus partis, quæ publicas & epidemicas patitur calamitates. Hoc illud Matth. 25. 36. Eſa. 58. 7. Iacob. 2. 15, 16. 2. Timoth. 1. 16. Hebr. 13. v. 3. 1. Corinth. 12. 23, 24. 26. Rom. 12. 15. Habes hic dicta, quibus iis eccleſiæ membris, quæ in proſperitate ſunt, injungitur cura pro iis, quæ ſunt in adverſitate & oppreſſione vel perſequutione, ex quibus dictis facile colligitur, quod ii, qui proſpere agunt, præcipue precibus debeant ſuccurrere iis, qui in adverſitate ſunt. Si enim opibus & armis ſubvenire tenentur, multo magis precibus. Eſt hæc lectio hoc tempore neceſſario ioculcanda Eccleſiis Belgicis. Noſtræ Eccleſię ſedent in Pace, & diuturna Pace fruitę ſunt, & ſunt jam conſtitutæ in magna ſpe finiendi bellum cum hoſtibus, & adipiſcendi Pacem ſine bello. Eccleſię vero Germanicæ & vicinę fuerunt in diuturna oppreſſione, & etiamnum ſunt, & quanto propior fit noſtra Pax, tanto improbabilior fit ipſarum reſtitutio. Annon igitur noſtrum eſt in hac noſtra libertate & proſperitate curam gerere veritatis & Eccleſię in illis partibus, ubi tantam patitur oppreſſionem? Non inculco vobis eam curam oppreſſæ veritatis & Eccleſię, quę conſiſtit in reali opitulatione per eleëmoſynas & arma, ea enim adhortatio intempeſtiva forte foret. Committimus hoc prudentiæ & conſcientiæ Magiſtratus, Deum unanimiter orantes, ut ipſis largiatur zelum ac prudentiam agendi in hac cauſa quantum ſufficit ad avertendam à nobis Dei iram, & juſtas Eccleſiarum querelas. Sed eam inculcamus opitulationem, quam textus noſter docet, conſiſtentem in precibus. Si ne precari quidem pergitis pro oppreſſa veritate & Eccleſia, qui poteſtis ſperare pacem veſtram fore diuturnam, qui poteſtis vos ſubducere illi comminationi quę eſt, Eſther 4. 14.? Eſther pro Eccleſia apud regem intercedebat cum periculo vitæ & glorię ſuę, nos apud Deum pro Eccleſia afflicta intercedere poſſumus ſine omni periculo, ſi non mera deſidia & incuria nos retrahit. Et tamen quam pauci ſunt inter nos, qui huic officio

officio ſatisfaciunt, quot ſunt qui ſilent,& ne verbulum quidem habent,quod pro eccleſia erogent! Fratrum naufragia quaſi per luſum ex portu ſpectant, ne ſuſpirio quidem ipſis ſubvenientes: cum propter contritionem Ioſephi ſe ipſos affligere deberent contritione & jejuniis,in libidinibus ſe volutant,Amos. 6. Regina quædam Angliç tantopere dolebat jacturam Caleti oppidi Gallici,ut ſi cor ejus finderetur, Caletum in eo ſcriptum inventum iri affirmaret. Utinam nobis ita cordi foret exciſio veritatis & oppreſſæ eccleſiæ in vicinis oris? Vide exemplum,Pſalm.137 .5. &c.Beati certe ſunt qui lamentantur & lacrymis veræ contritionis ac pœnitentiæ deflere poſſunt oppreſſionem veritatis in aliis terris. Hi enim in propriis eam deflere non opus habent. Sed qui in aliis hanc oppreſſionem contemnunt,in ſe & ſuis eam ſentire,tanto durius cogentur. Precemur Pſalmos calamitatis (de Noot-Pſalmen) in calamitate aliorum, ut in propria precari eos calamitate non ſit neceſſe, quales Pſalmi ſunt, Pſalm. 13. 42, 43, 79, 80, 85, 89, 126, 137, &c.

II. Ad quem? Ad Deum. Non ad Regem.Nam ſi voluiſſent pro ejus liberatione apud regem intercedere, ſe ipſos in exitium præcipitaſſent. Humano igitur auxilio deſtituti ad Deum ſe converterunt, qui etiam regum corda in manu habet, & flectit quo vult, vel aliis mediis ſuccurrere poteſt miſeris. Chriſtiani non faciunt preces niſi ad Deum. Solum enim Deum adorant, Matth. 4.

Object. Annon ad Chriſtum quoque Mediatorem preces ſuas dirigunt? *Reſp.* Chriſtus vel ut Deus vel ut Mediator conſideratur. Si ut Deus, dirigimus preces noſtras ad eum. Adoramus enim Deum Patrem, Filium & Spiritum S. ſi Mediator, preces noſtras facimus per & propter Chriſtum, i. e. rogamus Deum, ut propter mediationem, ſatiſfactionem & interceſſionem Chriſti nos audiat,quod eſt precari Deum in nomine Chriſti, Ioh. 14. v. 13, 14. & 16. 24. Scholaſticas lites de hac quæſtione hic non attingimus. Romanenſium vero idololatria, qua Sanctos adorant, penitus hic convellitur. Nam aut ipſis Sanctis ſuas preces offerunt, & ſic loco unius Dei multos Deos habent, aut vero in nomine Sanctorum Deum adorant, & ſic in locum unici Mediatoris Chriſti plures Mediatores eligunt.

III. Pro quo? Pro Petro, ὑπὲρ αὐτοῦ.

1. Cur non etiam pro Iacobo qui occiſus erat, ut Deus animæ ejus eſſet propitius? Nimirum, non credebat eccleſia tunc temporis, pro mortuis eſſe orandum. Nec mortuos adorare, nec pro mortuis orare, Chriſtianum eſt. Illud idololatricum eſt, hoc hæreticum. Negat enim plenam remiſſionem peccatorum & plenam reconciliationem peccatoris cum Deo per fidem in hac vita; Mortui in Domino beati ſunt & quieſcunt à labore ſuo, Apoc. 14. v. 13. Eſa. 57. 1, 2. Abſolverunt curſum & pugnam, ſervarunt fidem & bonam conſcientiam, 2. Timoth. 4. ſunt in Paradyſo, Luc. 23. adeoque precibus eorum, qui in terris ſunt, non amplius indigent.

2. Cur pro Petro potius orant quam pro aliis quibus Herodes manum injecerat, plures enim fuiſſe patet ex v. 1. *Reſp.* Non quod pro ſolo Petro orarunt,ſed quod præcipue pro Petro, qui ut in vita ſervaretur eccleſiæ multum intererat. Sicut enim eccleſia miniſtros ſuos probos & fideles defunctos deplorat, 2. Reg. 2. 12. & 13. 14. Sic pro vivis in periculo orat. Sicut orandum pro Magiſtratibus, 1. Tim. 2. 1, 2, 3. Ita etiam pro miniſtris & eorum miniſterio, Actor. 4. 20. Epheſ 6. 19. 2. Theſſal 3. 1. Coloſſ. 4. 2, 3. Matth. 9. 38. Rom 15. 30, 31. 2. Cor 1. 10. 11. Philip. 1. 19. Rom. 16. 4. Sicut qui Medicis & Pharmacis vult uti, Deum debet precari ut proſint, ita qui miniſterio noſtro. Non enim ex nobis quicquam poſſumus, ſed quantum Deus noſtro labori benedicit per preces noſtras & eccleſiç.

IV. Quomodo precati? Fiebat precatio ἐκτενής. Huic adjungendum, quod eſt verſ. 12. Multi erant congregati & precantes. Duo hic dicunt:

1. Congregabantur membra eccleſiæ ut precarentur pro Petro,idque noctu. Nox enim erat cum egrederetur ex carcere, & eos inveniret congregatos, v. 6. Non tantum quiſque privatim precabatur pro Petro, ſed fiebant congregationes ad precandum. Non omnes in uno loco fuerunt congregati, ſed diverſis locis multi, ἱκανοὶ, competens numerus. Sicut ordinarie debet fieri convocatio populi ad audiendum verbum Dei & fundendas preces, ita præſertim tempore extraordinariæ neceſſitatis. Sic tempore belli Aſſyriaci Propheta Ioel monet,ut ſacri cœtus inducantur ad precandum, Ioël. 2. 16, 17. Magnæ & publicæ difficultates Rempublicam & eccleſiam concernentes non expediuntur feliciter ſolis Conſiliis Politicis, ſed vocandæ in auxilium ſunt preces eccleſiæ, præſertim in cauſis dubiis & perplexis, ubi conſilia nulla ſunt ſatis liquida & evidentia, ſed in omnem partem periculoſa. Quare autem noctu congregati erant? Quia ſcilicet interdiu

non licebat propter perſequutionem. Non habet hic fundamentum Pontificiorum ſuperſtitio, qua nocturnis ſuis cantillationibus & Miſſis peculiarem vim adſcribunt. Non enim hi Chriſtiani ideo noctu congregabantur, quod preces nocturnæ efficaciores, quam diurnæ, ſed quia aliter non licebat. Decet ſane nocturnas quoque vigilias ſi quæ contingunt, precibus impendere, Pſal. 22.3. Sed non ſuperſtitioſe temporum vis diſtinguenda eſt.

Sed an Chriſtianis licita ſint ejuſmodi clandeſtina & à Magiſtratibus interdicta conventicula? Sunt certe licita, ſi ſunt neceſſaria & innocua. Innocua debent eſſe, ſine intentione turbandi Rempublicam & legitimam authoritatem Magiſtratus. Neceſſaria quoque debent eſſe. Nam ſi per publicam authoritatem licet publicas frequentare congregationes, quibus bona cum conſcientia potes intereſſe, temerarium & turpe eſt ſolo ſtudio ſingularitatis & ſchiſmatis clandeſtina ſequi conventicula. Quæ neceſſitas urget noſtros ſectarios ſequi, prohibita conventicula? Doctrina quæ in publicis prædicatur congregationibus, preceſque quæ ibi fiunt, nonne tales ſunt, ut bona cum conſcientia iis poſſint intereſſe? Nam ſi maxime quædam docentur, quæ improbant, non tamen coguntur ad ullam communionem eorum, quæ non approbant nec quicquam reſpicitur niſi audiant & judicent ea, & interim audiunt tam multa utilia, quibus contradicere non poſſunt, & quæ ad ædificationem ac conſolationem ſufficiunt, ſi recte applicentur. Si noſtris domeſticis fidei in hoſtilibus terris illa modo libertas procuraretur conſcientiæ, quam ſectarii hic habent, & ſi conciones ac preces Pontificiorum tam immunes eſſent ab idololatria ac ſunt noſtræ, eſſet in quo acquieſcerent, nec prohibita conventicula ſectari opus tantopere haberent.

2. Qualitas precum exprimitur voce ἐκτενῶς, quæ dupliciter poteſt exponi, ἐκτενὴς enim

α. Idem eſt quod extenſus, prolixus, continuus, perdurans. Tales preces Chriſtianis neceſſariæ ſunt, præſertim tempore neceſſitatis extraordinariæ. Non ſemel precandum, nec raro & interdum, ſed continuo. Vide adhortationes, Luc. 18. 1. 5. Epheſ. 6. v. 18. Coloſſ. 4. 2. Roman. 12. 12. 1. Theſſal. 5. 17. Luc 21. 36.

Object. Quomodo poſſumus ſemper precari? Si ſemper precandum, abjiciendæ omnes ſunt occupationes vocationis, & concedendum in monaſterium, ut nihil agamus, niſi precemur, immo naturæ quoque refectioni per cibum & ſomnum nihil dandum eſt. *Reſp.* Senſus non eſt, ut nil aliud agamus quam ut precemur, ſed ut ſimus conſtantes ac diligentes, in precando, obſervantes omnia tempora in Scripturis ad precandum ſtatuta ac definita, omneſque commodas occaſiones, & ut precemur tantum, quantum infirmitas naturæ & vocatio noſtra patitur, geramuſque animum in pectore, qui habitu & perpetua inclinatione precandi imbutus ſit.

β. Idem eſt quod intenſus, vehemens. Sic ſumitur, Luc. 22. 44. ubi Chriſtus dicitur precatus ἐκτενέστερον, quod ibi non notat prolixitatem precum, ſed fervorem & vehementiam, ut exponitur, Hebr. 5. 7. Sicut arcus inter jaculandum intenditur; ita anima & Spiritus debet intendi inter precandum. Preces ſunt jaculum in cœlum uſque evibrandum. Sicut jaculum non extollitur niſi intenſo arcu, ita precatio non penetrat nubes, niſi vibretur ab anima intenſa. Ζέοντες τῷ πνεύματι, Roman. 12. 11. Cum ſervitis Domino, cum eſtis in cultu divino occupati, eſtote fervidi Spiritu. Sic Iac. 5. 16. requiritur δέησις ἐνεργουμένη, i. e. vi magna expreſſa. Eſt enim verbum medium, & paſſive poteſt exponi. Quæ talis non eſt, eſt precatio tepida & frigida, Deo non grata. Qua autem in re conſiſtit intenſio illa precum? Scilicet ut omne quod eſt iu nobis, Dominum laudet & precetur, Pſalm. 103. 2. Non tantum ut os & labia loquantur, & lingua ſit inſtar calami prompti Scribæ, Pſalm. 45. (tales enim ſunt preces puerorum) ſed

1. Ut intellectus noſter meditetur & conquirat ſedulo omnem materiam Deum laudandi, rationeſque eum movendi, & quicquid requiritur ad materiam precum, ne preces ſint inanis verborum ſonus. Sicut enim vanus eſt concionator, qui meris verbis Eccleſiæ illudit ſine materia & rebus, ita vanus precator, qui non meditatur materias. Precatio eſt meditatio, Gen. 24. 63. Pſal. 45. 2.

2. Ut quod petimus vehementi deſiderio appetamus, ne ſimus ſicuti qui ſine & appetitu edunt. Hæc illa ebullitio vel eructatio precum de qua, Pſalm. 45. 2. Sicut olla vi ignis ebullit, ita precatio ex corde ebullit ac extraditur vi affectuum & ferventium deſideriorum. Precatio debet eſſe clamor, qui fit præ ſiti & vi interni appetitus, Pſal. 42. 2, 3. Pſalm. 143. 6. Extenſio manus & cordis. Apertio oris, ſicut ſolent pulli corvorum, Pſal. 81. 1. & 147. 9. Qui petit ſine intenſo deſiderio & [illegible]u, cum petit, is frigide petit. Qui petit remiſſionem peccatorum & eam non appetit fervido deſiderio,

fluente

fluente ex ſenſu iræ divinę contra peccatum,qui petit mortificationem peccati, & eam non appetit deſiderio fluente ex vera nauſea peccati in ſe habitantis, qui petit diſſolutionem ex hac vita, eam vero non appetit deſiderio fluente ex vero tædio hujus calamitoſæ vitę, qui petit liberationem Eccleſię, eamque non appetit deſiderio fervidô fluente ex vero amore Eccleſię, &c. Hæ omnes ſunt frigidæ preces. Deſideria rei petitę faciunt precationem *calidam*.

3. Ut quod petimus petamus cum intenſione fidei, amplexantes Chriſtum ut cornua altaris, & vehementer nitentes ac incumbentes promiſſionibus Euangelii, ſicut Iacob Geneſ. 32. 26. & ſicut David Pſal. 25. 2 In hac intenſione fidei præcipua vis impetrandi, Iacob. 4. 6, 7. Sicut Creditor, qui debitum flagitat, inefficaciter flagitat, ſi non teneat chirographum in manu, illudque debitori obtendat; ita qui ſine fide in Chriſtum & promiſſione precatur. Fides eſt apprehenſio & obtentio juſtitiæ & obligationis, quæ petitionis noſtræ fundamentum eſt, eamque reddit æquam & juſtam, ut non poſſit denegari à Deo. Qui debitum flagitat quantumvis petat, ſuadeat, immo ejulet, quiritetur, ploret, nihil efficiet, ſed ſi chirographum manu teneat, & debitori oſtendat & obtendat, hoc demum urget & conſtringit ad ſolvendum, ſic qui inter precandum per fidem apprehendit & Deo obtendit merita Chriſti & promiſſiones Euangelii, is efficaciter precatur. Det vobis Deus Spiritum gratiæ & precum, ut ita poſſitis precari. Sic eſtis armati contra omnes perſequutiones.

Actor. 12. v. 6, 7, 8, 9, 10.

CONCIO CXLV.

SEquitur felix eventus hujus perſequutionis, quē Eccleſia ſuis precibus impetravit, cujus prima pars eſt miraculoſa liberatio Petri ex carcere. De hac duo ſunt in textu. 1. Liberatio ipſa. 2. Liberationis manifeſtatio, qua ea cognita fecit primo ipſi Petro, deinde Eccleſiæ, denique Herodi. Liberatio ipſa deſcribitur ſequentibus circumſtantiis. 1. Quando liberatus: ea ipſa nocte, cum ſequenti die erat producendus ad ſupplicium. 2. In quo ſtatu erat cum liberaretur: Dormiebat inter duos milites vinctus duabus catenis, & extra fores cuſtoditus ab excubitoribus. 3. A quo liberatus: ab Angelo Domini. 4. Quomodo Angelus hoc opus exſequutus: Conſtitit juxta Petrum, colluſtravit totum carcerem lumine, percuſſit latus Petri, cumque expergefecit, & juſſit ſurgere, & ſolutis catenis ſe cingere, ſandalia induere, pallium circumponere, & Angelum ſequi Petrus in his omnibus Angelo obediens fuit, ſed inſenſibiliter, non ſentiens rem in veritate ita geri, ſed putans ſe viſionem videre; ſic itaque omnes excubias non animadverſi, prætergreſſi venerunt ad ferream portam, qua aula Herodis ſeparabatur ab urbe, quæ cum ſponte ſe aperuiſſet, eam tranſgreſſi venerunt in urbem. Sequemur veſtigia textus, & enucleabimus prægnantiores loquutiones:

1. Ea ipſa nocte liberatus eſt, cum proximo die eſſet afficiendus ſupplicio. Diſtulit Deus exauditionem precum & oſtenſionem auxilii uſque ad ultimum articulum temporis, cum jamjam pereundum erat Petro. Hoc Deo in more poſitum, patet ex hiſtoria Iſaaci, Gen. 22. 9, 10, 11. ex hiſtoria Iſraëlitarum, Exod. 14. v. 9, 10. ex hiſtoria Samariæ, 2. Reg. 6. à 25 ad 30. & 7. 2. &c. ex hiſtoria Hiskię Eſa. 36. 1. 8. & 37. 27. 36. Sinit Deus Eccleſiam & fideles mergi, donec aqua ad labia uſque pertingat, Pſalm. 60. 2, 3, 4. Matth. 8. 24, 25. & 14. 30. Cur Deus ita facit?

1. Propter hoſtes, ut deludat ipſorum exſpectationem. Videntur ſibi jam obtinuiſſe faſtigium deſideriorum, & cum jam feſſi ſunt exſpectando, fruſtrantur & excidunt ſcopo, quod ægre ipſos habet. Vide Eſa. 29. 7, 8.

2. Propter pios, ut ſit locus exercendis precibus & patientiæ, quod non foret, ſi ſtatim ſub initium precum liberatio veniret ex Sione.

3. Propter ſe ipſum, ut liberationis laus & gloria ſit Dei; Quia enim auxilium Dei incipit poſtquam omne hominum auxilium diſperiit & diſparuit; nemo ex liberatione poteſt laudem habere niſi ſolus Deus Obſervemus hoc, ne turbemur, cum in morbo, paupertate, timore, triſtitia, perſequutione conſtituti non audimur precantes. Noli ceſſare à precibus. Non negatur auxilium, ſed differtur, ut tanto efficacius preceris. Acquieſce in Domino, & videbis auxilium, Exod. 14. 13 *Object.* Sæpe differtur auxilium & fruſtratur exſpectatio atque ſpes, donec perimus & mortui ſumus. *Reſp.* Hæc omnium optima liberatio & perfectiſſima. Cæterę omnes liberationes imperfectæ ſunt & novis obnoxiæ preſſuris. Sola mors fidelium, inter precandum ac exſpectandum morientium, perfecta eſt liberatio, finiens omnē miſeriam, in qua maxime eſt

 acqui-

acquieſcendum. Non fruſtra exſpectaſti, nec precatus es, ſi hoc tantum obtines, ut in Domino moriaris Hi enim beati ſunt, Apoc. 14 13.

II. Apparuit liberatio Petri, cum ipſe dormiret in catenis inter duos milites, qui ſine dubio iiſdem catenis erant ligati quibus Petrus, ut ita ſurgere aut movere ſe Petrus non poſſet, quin hos ſimul moveret & expergeſaceret. Duo hic notanda

1. Fideles poſſunt dormire in catenis imminente jam morte. Habes exemplum hic, & Pſal. 3. 6, 7. & 4. 9. Ratio eſt, quia carent mala conſcientia. Conſcientia enim ipſorum per fidem in ſanguinē Chriſti & per teſtimonium Spiritus S. ſanata eſt, ut mordere amplius non poſſit & quietem turbare, Heb. 9. v. 14. & 10. 20, 21, 22. Hoc imitemur in noſtris triſtitiis & ſollicitudinibus, periculis ac terroribus, ut ea parte oſtendamus nos vere fideles eſſe, quibus non deſit bona conſcientia Non decet quidem in judiciis & terroribus Altiſſimi eſſe *ἀναίσθητον καὶ ἀκίνητον*, verum tremere, humiliari, precari & magna ſollicitudine Deum placare, & in precibus vigilare, Eph. 6. Sed tamen non ita immoderate curis ac ſollicitudinibus indulgendum, ut naturæ negemus quietem ac refectionem neceſſariam: Vide Actor. 27. v. 33, 34, 35, 36. *Object.* At dormiendo poſſe tranſmittere horas angoris & calamitatis, non tam virtus eſt quam felicitas, ad quam fruſtra hortamur. Quis poteſt dormire cum pericula & calamitates premunt? Præterea vitio vertitur diſcipulis Chriſti, quod præ triſtitia dormiverunt, Matth. 26. v. 40. Sic Ionæ 1. 5, 6. Et ſi virtus eſt horas periculi & calamitatis poſſe tranſmittere dormiendo, impii & infideles hanc virtutem melius ſæpe callent quàm pii & fideles. *Reſp.* Objectio habet tria membra ad quæ ſigillatim reſpondendum.

α. Non poſſum. *Reſp.* Non ideo debemus te non hortari. Secus ad nullum officium es adhortandus, quia nullum ex te potes. Tu modo tolle impedimentum, nempe malam conſcientiam, & Deus dabit ut poſſis dormire quantum opus eſt. Tuum eſt velle, conari, non recuſare prætextu impotentiæ. Hoc cum facis, Deus dabit ſucceſſum quo opus eſt.

β. Diſcipulis vitio vertebatur. *Reſp.* Non vertitur vitio quod dormierunt poſtquam fecerant officium quantum opus erat, ſed quod ſomno indulſerunt antequam feciſſent officium. Non decet ita ſecurum eſſe in triſtitia; ut ne horulam quidem poſſimus dare vigiliis, precibus & aliis officiis neceſſariis. Sed tamen poſtquam fecimus quantum Deo ſufficit, virtus & laus eſt quieto animo Deo committere eventum, & dare naturæ ſuam neceſſariam refectionem. Sic fecit David, 2. Sam. 12. 16, 20, 21. Vitium eſt deficere in ſollicitudine neceſſaria. Vitium quoque eſt excedere limites ſollicitudinis.

γ. Impii ſæpe melius poſſunt. *Reſp.* Hic vero ſomnus alterius plane generis eſt. Eſt enim lethargus, ſomnus ſecuritatis, ortus ex ſtupore & *ἀναισθησίᾳ* periculi, & ex ſomno conſcientiæ. Qui vero vigilantem, ſtimulantem ac compungentem habet conſcientiam, ſentiens & conſiderans atque ob oculos habens non ſolum ſua corporalia & temporalia pericula, ſed præcipue ſuum naturalem ſtatum reſpectu Dei, & ex ea conſideratione, timens ac tremens eſt, & tamen per fidem in Ieſum Chriſtum hunc ſuum tremorem ita poteſt temperare, ut non dejiciatur ad extremam triſtitiam, nec naturam privet neceſſaria refectione, is vero ſummus eſt laudabilis, qualis deſcribitur, Cantic. 5. 2. q.d. etſi habebam conſcientiam vigilantem & ſtimulantem ad ſollicitudinem propter peccata, tamen non negabam corpori meo neceſſariam refectionem; Impii vero cum dormiunt, corpore & anima dormiunt, qui eſt verus lethargus contra quem fit admonitio, Epheſ. 4 14. Præterea ad tempus quidem dormire poſſunt impii in periculis, ſed tandem ita excitabuntur, ut quietem amplius capere non poſſint, Eſa. 48. 22. & 57. 21.

2. Liberatio fidelium dormientibus contingit. Petrus dormiens liberatur. Vide Pſal. 127. 2. Cum in miſeriam devenimus, Deus obdormiſcit, Matth. 8. 24. idque ut nos vigilemus & precemur. Poſtquam vero nos vigiliis & precibus fatigati tandem ſomno concedimus, Deus expergiſcitur & vigilat ſuper nobis ne mala noſtra prævaleant. *Object.* Ergo indulgeamus ſomno & quieſcamus; Deus enim ſuper nobis vigilabit. *Reſp.* Hoc eſt quod volo, ut ſcil. poſtquam vigilaſti & precatus es quantum decet & ſufficit, ſine ſcrupulo obdormiſcas, nec objicias, ut fieri ſolet à puſillanimis, qui auderem dormire in tanta calamitate & tanto periculo? Immo quanto ſecurius poſt factum officium in Domino obdormiſcis, tanto propior eſt tua liberatio, tanto magis pro te vigilat Dominus, quanto immoderatior eſt tua cura & ſollicitudo, tanto minus accipis. Deus dat bona ſua illis, qui officio, quantum ſatis eſt, peracto, quieto animo horam ejus exſpectant.

III. Liberatio facta eſt per Angeli miniſterium.

Dubium

Dubium enim non eſt, quin omnis illa vis, quæ ad liberationem Petri eſt adhibita, ſcil catenarum ſolutio, carceris & ferreæ portæ apertio, effecta ſit per vires Angeli, quippe quorum tanta eſt vis, ut unus una nocte 185000. armatos milites potuerit occidere. Niſi forte in eo aliquid divinum ſit & ſupra vires Angeli, quod excubitorum ſenſus adeo fuerunt detenti, ut prætereuntem Petrum non viderint. Videmus hinc quantum præſidii in eo poſitum ſit, ut quis habeat Angelum miniſtrum ſibi à Deo additum, ut loquitur Scriptura, Hebr. 1. v. 14. Sed de hoc plura dicendi locus erit in verſ. 15. hujus capitis.

IV. Quid facit autem Angelus ad Petrum liberandum? Lucem accendit in carcere, i. e. propria claritate carcerem colluſtrat, percutit latus Petri, eumque jubet velociter ſurgere & ſe veſtire pallio & ſandaliis, & ipſum ſequi, ſimulque facit ut catenæ quibus vinctus erat, à manibus excidant. Si Ieſuita eſſem vel monachus, multa hic poſſem Philoſophari vel fabulari potius de Petri pallio, ſandaliis, cingulo & catenis, qua quantitate, qua forma fuerint, ubi etiamnum cuſtodiantur, quæ miracula fecerint, an ſacerdotes Miſſam facientes ad exemplum Petri debeant ſandaliis eſſe induti, an Clerici & religioſi ad exemplum Petri ſupra tunicam debeant habere pallium, &c. Sed non ſumus illi qui artificioſas ſectamur fabulas: Non poſſumus melius hanc totam actionem Angeli circa liberationem Petri conſiderare, quam ſi eam inſpicimus ut emblema & ſpeculum actionum Spiritus Sancti, quibus nos liberat à catenis peccati. Dum enim in morte peccati ſecure & profunde dormimus, Spiritus S. percutit latus noſtrum per prædicationem verbi, jubetque ut ſurgamus & faciamus officium quod mandat.

Sed dum ita jubet & monet, ipſe quoque nos erigit, catenas peccati frangit ac ſolvit, & luce ac radiis ſuæ claritatis nos colluſtrat, facitque ut faciamus quod à nobis requirit. Requirit à nobis ſurgamus & faciamus officium, & dum jubet ut nos illud faciamus, ipſe nos erigit, atque in nobis operatur & velle & perficere, Phil. 2. 12, 13. Cum hoc ita intuemur, diſcendum nobis inde eſt, quod de perfectione noſtri officii debemus eſſe ſolliciti, & velociter curare ut illud præſtemus, ſed tamen cum præſtitimus, laudem Deo tribuere & non nobis. Sicut & Petrus fecit, verſ. 11. Diſcere etiam hic poſſumus, quod liberatio Eccleſiæ ab hoſtibus fit perfecte. Sicut Iſraëlem ex Ægypto ita liberabat Deus, ut ne ungulam quidem pecudis poſt ſe relinquerent, Exod. 10. 26. Ita Petrum tam perfecte liberat, ut ne ſoleam quidem calcei poſt ſe relinquat.

V. Succeſſus denique hujus liberationis eſt, quod Angelus & Petrus excitatus & veſtitus pertranſeunt vigiliam primam ac ſecundam, & tum venerunt ad portam ferream, quæ ducit in Civitatem, quæ ſponte ſe illis aperuit, ut ita ex aula in vicum civitatis exiverint. Duo hic miracula. 1. quod vigilum oculi ita detenti ſunt, ut Angelum atque Petrum vel non viderint vel non agnoverint. 2. quod ferrea porta ſponte ſua aperta eſt. Duo hinc poſſumus dicere.

1. Novum emblema noſtræ regenerationis quæ fit per Spiritum S. Facit ut corda noſtra aperiantur automata; Corda noſtra clauſa ſunt Deo & Chriſto. Stat Chriſtus ante oſtium cordis & pulſat, cupitque intromitti, Apocal. 3. Sed nunquam intromitteretur Chriſtus, niſi Spiritus S. ita pulſaret ineffabili ſua operatione, ut corda noſtra automata ſe aperirent. Non vi coactiva & violenta corda noſtra aperit contra noſtram voluntatem, ſed dulci & nihilominus potenti & efficaci operatione corda noſtra ita afficit & diſponit, ut ſponte ac lubenter ſe aperiant, & Chriſtum intromittant. Eſt ſimile ab horologiis vel aliis machinis artificioſis, quæ arte humana ita diſpoſita ſunt & ordinata, ut ſine humana vi & manu ſuo pondere ſeſe moveant, & librentur, quamvis fatendum ſit, hoc ſimile, à machinis petitum, non eſſe perfectum. Simile ejus ſpontanei ac liberi motus, quem efficit Spiritus S. in cordibus fidelium circa res ſpirituales. Vide Ierem. 31. 18 Converte & convertar, Thren. 5. 24. Converte ad te & erimus converſi, Cantic. 1. v. 4. Trahe & curremus. Perfectius ſimile hujus αὐτοματίας habes, Marc. 4. v. 26. 28. Sicut Deus per virtutes cœli gremium terræ ita poteſt fœcundare, ut αὐτομάτη καρποφορῇ, ita Spiritus S. cor hominis ita ſua potenti operatione poteſt afficere, ut libere ac ſponte proferat fructus juſtitiæ, converſione dignos.

2. Exemplum & argumentum, quod liberatio aliqua, precibus à Deo impetrata, non poteſt impediri ulla vi humana, quantumvis magna & ferrea. Petri liberatio ab Eccleſia erat impetrata per preces ad Deum; Deus Petrum ipſorum precibus donaverat. Obſtabant cuſtodiæ militum, catenæ, ferrea porta. Sed hæc omnia in tantum non impediunt liberationem Petri, ut virtute Dei ſponte ſe aperiant, ac Petrum dimittant. Precemur igitur diligenter, nec deſiſtamus, donec à Deo impetraverimus liberationem & libertatem reformatæ Eccleſiæ in Germania-

mania. Opponunt ſe quidem ferreæ portę omnium poteſtatum Germanicarum, nec ſupereſt ulla humana vis, quæ aut velit aut poſſit has ferreas portas aperire, ut purum Euangelium ſuum nanciſcatur tranſitum. Ne deſperemus tamen, ſed perſeveremus in precibus. Tandem ſua ſponte ſe aperient. Ne rideas aut impoſſibile putes. Ante centum annos contigit. Cum Lutherus, Calvinus, alii puram Euangelii doctrinam adferrent, omnes ferreæ portæ publicarum poteſtatum ſeſe oppoſuerunt, ut intrare non poſſent, nec ullus erat, qui vi illas aperiret, Deus tamen effecit, ut multę earum αὐτομάτως fuerint apertæ & Euangelium intromiſerint. Quod antehac factum eſt, poteſt fieri denuo, ſi quando Deus pronunciabit illud verbum quod eſt, Pſal. 24. v. 7. 9.

VI. Attamen dum Petrus ita catenis ſolvitur, ex carcere educitur, & liber ambulat, facit hæc omnia dubitabundus, & ſine vero ſenſu, putans rem ita ſe non habere in veritate, ſed ſe viſionem videre. Similia exempla habes, Pſal. 126 1. Gen. 45. 26. ubi multi pro *defecit* habent *dubitavit*. Talis fere eſt ſenſus noſtræ ſpiritualis liberationis quem habemus in hac vita. Miſit Deus Ieſum Chriſtum filium ſuum & nos liberavit à peccato, ut juſtificati ambulemus in novitate vitæ, liberi à peccati dominio. Hæc liberatio vera eſt, & à nobis quoque cum aliquo gaudio percipitur ac ſentitur, ſed tamen ille ſenſus cum tot dubitationibus eſt permixtus, ut gaudium inde ortum ſit quaſi gaudium ſomnii alicujus, quo magnam felicitatem ſomniamus. Tantum certitudinis & ſenſus habemus, & in tantum in cordibus noſtris ſentimus lucem ac motum Spiritus S. ut evigilemus, ſurgamus ex morte peccati, & ambulemus in mandatis Domini idque cum alacritate & gaudio, ſed tamen adeo infirmus & interruptus eſt ille ſenſus, ut ſæpe neſciamus an verus ſit ille ſenſus, an ſomnium & imaginatio, immo ut ſæpe pereat gaudium ſalutis, Pſal. 51. & putemus nos etiamnum vinctos ad voluntatem Diaboli, donec tandem ex ſomno mortis temporalis in ultimo judicio evigilantes perfecte & ſine omni dubitatione ſentiemus nos vere liberatos eſſe. Vide 1. Cor. 13. 12. Hoc infirmo ſenſu, & hac infirma certitudine ſalutis in hac vita debemus eſſe contenti, & interim nos ſuſtentare per fiduciam, quæ in ſe ipſa eſt perſuaſio quanta ad ſalutem ſufficit. Eſt enim labor ac conatus ſe ipſum perſuadendi ac certificandi de ſalute ſua.

Actor. 12. v. 10. *ad* 18.

CONCIO CXLVI.

EXplicatum eſt, quomodo liberatio Petri facta ſit: ſequitur quomodo manifeſtata ſit, & cognita, idque

1. Ipſi Petro, v. 10. 11.
2. Eccleſię, v. 12. ad 18.
3. Cuſtodibus & Herodi, v. 18. 19.

I. Ipſe Petrus liberabatur & ſe liberari ſentiebat; ſed tamen liberationis ſenſus adeo erat infirmus, ut dubitaret utrum vere ita fieret, an vero ſomnium eſſet vel viſio. Poſtquam vero Angelus eum ex carcere in urbem deduxerat, & per vicum unum cum ipſo ambulaverat, ſubito ab ipſo diſceſſit, & per hoc Petrus ad ſe ipſum rediens agnovit & confeſſus eſt, vere Deum miſiſſe Angelum, & liberaſſe, &c. Angelus incorporeus viſibili corpore aſſumpto Petro apparuit. Functus autem officio corpus illud iterum ſolvit in ſua principia, ex quibus conflatum erat, & ſic diſparuit, quamvis fieri poteſt, ut Petro porro quoque Dux & cuſtos adhæſerit. Hac ſubita Angeli diſparitione Petrus ad ſe ipſum rediit: Erat quaſi ſemidormiens, nec perfecte ſentiebat quæ ſibi fiebant, ſed ſubitus Angeli diſceſſus ita diſcutit ſomnolentiam, ut jam penitus cognoſceret, quod hactenus cum dubitatione quadam perceperat. Sentiens autem beneficium ſtatim erupit in confeſſionem & δοξολογίαν.

Diſcimus hinc

1. Etſi ſenſus noſtræ liberationis in hac vita eſt imperfectus & dubitabundus, tamen ſubinde firmior eſt & clarior. Obſervamus hoc in hunc textum, non quod ibi ſit argumentum, hoc demonſtrans, ſed quia eſt egregium emblema & figura declarans. Demonſtratur autem aliis exemplis. Sic David, qui querebatur ſe plane à Deo derelictum, Pſalm. 22. 1. & amiſiſſe gaudium ſalutis, Pſalm. 51. immo in angores inferni & prope deſperationem veniſſe, Pſalm. 116. Alia vice pleno ſenſu ſuæ liberationis triumphat, Pſalm. 16. 9. 10. 11. Pſalm. 23. 1. Pſalm. 27. 1. Sic Iob, qui querebatur quod Deus nec audiat precantem ſe nec juvet, Iob. 30. v. 10, 21, 22, 23. Alia vice pleno ſenſu ſalutis triumphat, cap. 19. 25. Sic Paulus qui alias dubitabundus quiritabatur: O me miſerum quis me liberabit! Roman. 7. alia

alia vice in pleno ſenſu ſalutis triumphat, Rom. 8. v 28. Diſcamus hinc non deſperare, ſi quando gratiam Dei in nobis operantem non ſentimus. Qui ſenſiſti aliquando, ſuo tempore denuo ſenties. Sicut ſol nunquam perit, ſed tamen per nubes ſæpe tegitur ut ad tempus non videatur, ita opus gratiæ in nobis cœptum nunquam perit, ſed tamen peccatorum & tentationum nubibus ſæpe tegitur, ut ad tempus non ſentiatur. Penetrabit tamen & ſe manifeſtabit cum maxime indigebimus, præſertim in hora mortis. Vide Pſalm. 42. v. 6, 12. Dum non ſentis, ſpera & confide, donec facies Dei paterna tibi illuceſcat.

2. Et hoc plerumque fit per ſpiritualem defectionem & ſubtractionem viſibilis gratiæ. Angelo diſcedente Petrus demum vere cognoſcit fuiſſe Angelum. Sic Chriſto diſparente diſcipuli demum fere agnoſcunt fuiſſe Chriſtum, Luc. 24. Sic fit in ſpirituali noſtro ſtatu. Cum Deus nobis adeſt externis beneficiis, & ſinit nos ambulare in pace & quiete, parum admodum ſentimus hanc Dei in nobis gratiam nec ſumus ea contenti, ſed murmuramus & quiritamur & levibus incommodis contriſtamur & ejulamus. Sed cum ad tempus nos deſerit & ſenſum gratiæ nobis ſubtrahit, per hoc ipſum ſenſus gratiæ magis in nobis acuitur. Sic enim deſerti tremimus & concutimur, ut redeamus ad nos ipſos, & excutiatur ex nobis ſomnolentia & ſecuritas, quæ tempore pacis, & quietis nobis aderat. Sic ſtatum noſtrum probe examinamus, & ex fundamentis certitudinem ſalutis excitamus, Pſa. 30. 7, 8, 9, 12, 13. Hic uſus & ſcopus ſpiritualium deſertionum, quæ piis ſubinde in hac vita contingunt.

3. Certitudo ſalutis parit δοξολογίαν. Petrus ad ſe ipſum rediens, & liberatione ſua certior redditus, erumpit in laudes Dei: Nunc ſcio & grato animo confiteor, quod Deus me liberaverit. Poſſem hanc doctrinam multis probare exemplis, & inde deducere, quanta fiat reformatis Eccleſiis injuria quæ, dum laborant fideles adigere ad certitudinem ſuæ liberationis & ſalutis, calumniam patiuntur, quod per hoc ipſum deſtruant pietatem, cum tamen nulla ſit alia ratio adigendi homines ad veram gratitudinem & pietatem, niſi prius adigas ad certitudinem ſalutis. Sed hoc fit alias.

4. Vera gratiarum actio pro beneficiis, quantumvis miniſterio creaturarum accepta, non ad creaturas, ſed ad Deum dirigenda eſt. Petrus ab Angelo erat liberatus. Et tamen non Angelo ſed Deo agit gratias, qui Angelum ad liberandum miſerat. Refutatur Pontificiorum Idololatria in Angelos & Sanctos commiſſa. Poſito quod Sancti in cœlis eſſent noſtri interceſſores vel opitulatores, qui nobis vel impetrarent vel conferrent bona neceſſaria corporis & animæ, quod tamen verum non eſt, non tamen ideo forent adorandi, ſed ſolus Deus, cujus juſſu & beneficentia hæc beneficia nobis conferunt. *Object.* An igitur nullam gratitudinem debemus Angelis pro ea cura, quam pro nobis gerunt. Sunt enim vigiles excubantes in noſtram ſalutem, Pſal. 34. 8. Pſal. 91. 11, 12. An pro tanta cura nihil gratitudinis iis debemus? *Reſp.* Debemus ipſis eam gratitudinem, quam lex charitatis requirit, ſcil. ut bonum malo non compenſemus, i. e. ut non contriſtemur & offendamus peccatis noſtris illos, qui tam fideliter pro noſtra ſalute excubant, quod etiam debemus miniſtris Euangelii, Hebr. 13. v. 17. Miniſtris Euangelii duplicem debemus gratitudinem: 1. ut ex annuntiatione Euangelii vivere poſſint, 1. Cor. 8. 11. 2. ut Dominum ipſorum, à quo miſſi ſunt, non offendamus, lædamus, & opus ipſorum, quod nomine Dei faciunt, non conemur impedire. Hoc enim facit ut gemant, Eſa. 53. 1. Si Angeli corporei eſſent, & victu indigerent, illum etiam deberemus, ut Hebr. 13. 2. Sed quia nulla corporea ope indigent, hoc ſolum gratitudinis ipſis poſſumus exhibere, ut eos non contriſtemur peccatis contra Deum, quem tantopere amant & cui ſerviunt. Sunt enim ſpiritus ſancti, ac caſti, & Deum amantes, qui peccati turpitudinem & Dei offenſionem ſine dolore & triſtitia non poſſunt intueri. Huc pertinet 1. Cor. 11. 10. propter Angelos, i. e. ne Angeli contriſtentur inordinatis veſtris actibus

5. Conſiderandum etiam, quomodo Petrus deſcribat ſuum ſtatum, in quo erat ante ſuam liberationem. Erat in manu Herodis & expectatione populi. Exſpectatio populi hic ſanguinolentus appetitus, & quaſi ſitis & fames ſanguinis Petri, qualis erat in populo cum Chriſtum cupiebant crucifixum. Erat aliquando tempus, cum ſeniores & magiſtratus quidem ſitiebant ſanguinem Apoſtolorum, ſed populus ipſis favebat ut cæteri non auderent eos adoriri, Actor. 5. 13. Sed nunc tyrannis Magiſtratus contra Apoſtolos ſecum habet applauſum & beneplacitum populi. Hoc præbet ſolatium iis, qui perſequutionem patiuntur ab omnibus. Tales quoque liberare poteſt Deus qui nuſpiam inter homines favorem inveniunt, ſed ab omnibus ſunt deſerti & omnibus exoſi. Eccleſia in mundo præda ſuorum hoſtium

eſt, quam aperto rictu cupiunt comedere ſicut panem, Pſalm. 14. Si quis in deſerto vivit inter urſos & leones, qui carnem ejus perpetuo appetunt, in periculoſo ſtatu eſt. Atqui talis eſt ſtatus Eccleſiæ inter hoſtes. Sed Deus, qui Paulum ex ore leonis liberavit, 2. Tim. 4. 17. eos quoque poteſt liberare. Vide Pſal. 107. 2. Dicant hoc qui ex ore Diaboli & ab ejus exſpectatione liberati ſunt.

II. Poſtquam Petro ipſi innotuit liberatio, per Petrum etiam cognita Eccleſiæ, cujus magna pars congregata erat in domo Mariç. In hac parte hiſtoriæ non ſunt multa prægnantia: Breviter igitur percurram.

1. *Συνιδὼν*, conſiderans. Relictus erat ab Angelo media nocte in platea, nec inſtitutus quo ſe deberet conferre. Anxius igitur, ne denuo in manus Herodis incideret, ſtudioſe ſecum ipſe deliberat, quo jam ſe conferet. Sic Deus ſubinde ſuos ſuis relinquit conſiliis, ut in dubiis caſibus conſtituti, neſciant quo ſe vertant, aut quod ex multis eligant. Quid in talibus caſibus agendum? Conſideratione opus eſt. Quid conſideratio?

α. Ratiocinatio, qua argumenta ſuadentia & diſſuadentia inter ſe invicem nobiſcum ponderamus.

β. Conſultatio, qua conſilia hominum exquirimus, vel directionem Dei per preces imploramus.

γ Reſolutio, ut loquuntur, ſeu determinatio, qua fluctuationem mentis tandem abrumpimus formatione propoſiti, & electione ejus quod videtur commodiſſimum & optimum. Non enim hærendum eſt in fluctuatione, ſed poſt ratiocinationem & conſultatiouem eligendum, & quod ſic elegeris pro optimo habendum, quantumvis videatur male cedere, nec cor vexandum inani pœnitentia, dicendo, *utinam ſic vel ſic fuiſſem!* Tandem enim conſilium tuum proſperabitur, Prov. 4. v. 25, 26.

2. Re perpenſa abiit ad domum Mariæ matris Iohannis, qui & Marcus vocatur. Quare huc potius quam alio ſe contulerit, non eſt quod inquiramus. Sine dubio quod iſti domui probe notus, benignam ſibi pollicitus eſt hoſpitam, vel quod conſuevit pios ibi invenire congregatos, ſicut & nunc invenit. Redit ad ſuos, ut Actor. 4. 23. ſed de hac congregatione actum ſuperius.

3. Cum pulſaſſet, prodit Rhode ancilla ad auſcultandum, *ὑπακοῦσαι* eſt, interrogare pulſantem, ut ex reſponſione ejus audiat, quis adſit. Quæritur, cur hæc ancilla ita nomine tenus conſignetur in Scriptura? Quid poſteritatis intererat noſſe, quomodo appellata fuerit hæc ancilla? Ut ſcil. ancillis eſſet exemplum diligentiæ in audiendo verbo. Quia enim hæc tam facile agnovit vocem Petri, apparet, quod fuerit diligens Petri auditrix. Noſtræ ancillæ ſæpe tam parum curant auditum verbi Dei, ut concionatores nec de facie nec de voce norint. Patet quoque hujus ancillæ pietas ex gaudio quod percepit & præſentia & liberatione Petri. Voluit igitur Deus nomine tenus eam conſignari in catalogo Sanctorum, ut Matth. 26. 13.

4. Cum hæc ancilla Petrum adeſſe nunciaret, fideles potius credunt eam inſanire quam Petrum adeſſe. Cum tamen inſtaret aſſerendo, tandem ajunt Angelum ejus adeſſe. Ex hoc loco, necnon ex Matth. 18. v. 10. Ieſuitæ nobis volunt obtrudere hanc ſententiam, quod quilibet homo duos habeat circum ſe Angelos, alterum malum, qui oppugnet, alterum bonum qui defendat, quem vocant Angelum defenſorem (Engel Guardiaen.) Nos credimus, omnes Angelos eſſe noſtros Angelos, qui mittuntur ad nos cuſtodiendos prout Deo libet. Omnibus piis unus Angelus tribuitur, Pſalm. 34. 8. & uni pio omnes Angeli, Pſalm. 91. v. 11. ſicut & legimus quod multi Angeli unum Iacobum & Eliſæum protexerint, Geneſ. 32. 2. Reg. 2. Infinitæ ſunt fabulæ & ſuperſtitiones Papicularum circa Angelum defenſorem. Nos iis miſſis ſolemur nos præſidio Angelorum quod eſt circa nos, & dicamus ut eſt 2. Reg. 6. v. 16. Nullius regis filii tot ſunt cincti præſidiis & cuſtodibus ac filii Dei. Ipſe Chriſtus in ipſorum corde ſedet tanquam rex in throno, Epheſ. 3. Spiritus S. eſt præſidium *φρουρεῖ τὰς καρδίας αὐτῶν*, Phil. 4. Miniſtri verbi vigilant pro animabus eorum, Hebr. 13. Angeli Dei ſunt murus & caſtrametatio circa illos, Pſalm. 34. & 91.

5. Quæri hic etiam poteſt. 1. Annon ſit contra præceptum Chriſti, Matth. 5. 22. quod huic ancillæ inſaniam exprobrant? *Reſp.* Chriſti præceptum loquitur de exprobratione quç fit ex ira & odio. Quæ vero ſine ira fit ad redargutionem, non eſt illicita, ut patet ex Matth. 23. 17. 19. 2. annon ſit contra præceptum Chriſti, Matth. 5. v. 37. quod ancilla hæc ſuum ſermonem ita *διϊσχυρίζετο* verſ. 15? *Reſp.* Chriſtus non prohibet niſi juramenta levia, vehementem autem aſſeverationem vel argumentationem qua proximum perſuadere ſatagimus, non improbat.

6. Petrus tandem intromiſſus, rem, ut geſta erat, expo-

exponit, præſentibus & abſentibus quoque ut nunciettur imperat, præſertim Iacobo, qui ſolus ex Apoſtolis forte fuit tum in civitate. Beneficia Dei nobis exhibita aliis exponenda, idque, 1. ut à multis Deo agantur gratiæ, 2. Corinth. 1. 10. 11. 2. ut alii in ſimili periculo diſcant Deo confidere.

7. Re enarrata exiit domo & urbe, & ſeceſſit in alium locum. Quorſum abierit tacet Euangeliſta & proinde ſtulte aſſerunt Romanenſes, quod ab eo tempore Romam profectus ſit, particulatim enumerantes loca quæ pertranſiit. Nos hic diſcimus, non illicitum eſſe Miniſtris Eccleſiæ fuga ſibi conſulere & tyrannorum manus evadere. Non enim liberatus erat ut denuo ſe in periculum conjiceret. Licet fugere cum præſentia noſtra aliquo in loco non eſt ſumme neceſſaria, & cum alibi utilior eſt noſtra opera, Matth. 10. 33.

Actor. 12. v. 18, 19.

CONCIO CXLVII.

Sequitur quomodo liberatio Petri manifeſta ſit facta hoſtibus, ſcilicet militibus, cuſtodibus, & Herodi perſequutori. De ingruente non exigua perturbatio orta eſt inter milites cuſtodes, quid Petrus eſſet factus, i. e. quid de Petro eſſet factum, à quo & quo pacto eſſet ablatus. Nihil tamen Herodi nunciarunt, ſed exſpectarunt donec eum quæreret & non inveniret. Milites igitur quæſtioni ſubjecit Herodes, & tandem abduci juſſit, ſcilicet ad ſupplicium, ut volunt plerique interpretes. Hæc pars hiſtoriæ etiam poteſt conſiderari, ut prius membrum pœnæ, quæ venit ſuper perſequutores. Sicut enim poſtea deſcribetur deſtructio principalis auctoris hujus perſequutionis; ita hic deſcribitur pœna & deſtructio inſtrumentorum hujus perſequutionis. Pœna hujus perſequutionis non incipit à præcipuo auctore, ſed ab iis, qui præcipuo auctori in hac perſequutione inſervierunt. Herodes ad tempus immunis manſit à pœna, ſed miniſtri perſequutionis ſtatim ſuam conſequuntur pœnam. Quæritur an hoc juſtum? Annon prius debuiſſet ad pœnam rapi perſequutionis auctor, quam miniſtri? *Reſp.* Iuſtum eſt. Nam 1. Milites erant ex illis, quibus grata erat Eccleſiæ perſequutio, v. 3. & qui ſuo deſiderio, ſuaq; exſpectatione, ut eſt v. 11. tyrannum ad perſequutionem quaſi invitaverant, adeoque in peccato perſequutionis ordine priores erant. 2. Exſequutio tyrannica ſemper crudelior & deteſtabilior eſt, quam tyrannicum conſilium & mandatum. Crudele eſt perſequutionem piorum decernere & mandare, ſed crudelius alienę libidinis & ſævitiæ ſervum ſe præbere, nec mirum quod Deus hoc citius vindicavit. Etſi enim & qui malum opus facit, & qui malum opus ſuadet vel jubet reus eſt, gravior tamen eſt peccati patratio, quam ſuaſio vel juſſio, quæ ſæpe in factum ipſum non erumperet, ſi tam prompte ad mali exequutionem alii parati non eſſent, ut patet ex Iohan. 7. 32. comparat cum, v. 45. 46. Simile exemplum puniti miniſtri ante auctorem, habes Daniel. 3. 20, 21, 22. Item Iud. 9. 24. Notent hoc omnes aulici, ne ſerviant injuſtis libidinibus ſuorum Principum, ſicut Doëg, Ziphitæ & alii adulatores Saulis contra Davidem, quorum laus exprimitur, Pſalm. 52. Notent quoque milites, qui animas habent venales, & parati ſunt ad quodcunque bellum ſuſcipiendum, ubi majora ſtipendia poſſunt exſpectare. Verum eſt, milites non eſſe judices & conſiliarios, qui teneantur aut poſſint accurate examinare cauſas belli, ſed eſſe alienæ ſententiæ exſequutores: attamen in cauſa manifeſte injuſta, quæ religioni & juſtitiæ ſine dubio contraria eſt, ſine ſcelere nemo ſe poteſt exequutorem præbere. Mandatum enim Domini mundani neminem excuſabit coram Deo. Cogitent hoc omnes ſervi & qui ſunt ſub aliorum obedientia, Actor. 4. 19. Sic ne ea peccata impunita apud Deum, quæ non puniuntur à Magiſtratu.

Quænam autem pœna quæ venit ſuper milites Petri cuſtodes?

I. Perturbatio non exigua, i. e. valde magna. Quare ita perturbati? Duplici ex cauſa.

1. Ex fruſtrato deſiderio & exſpectatione. Summopere appetiverant mortem Petri. Sed cum vident eum evaſiſſe, non parum turbantur animo. Prava & injuſta deſideria tandem pariunt perturbationem animi. Ad tempus quidem afficiunt ac delectant, & titillant, ſed cum tandem, quod ſemper fit, fruſtrantur, pariunt perturbationem animi. Sic Achab injuſto deſiderio vineæ Naboth ita turbatur ut ægrotet, 1. Reg. 21. 4. Sic Ionas cum impotentius deſideraſſet exitium Ninivæ, fruſtratione ejus incidit in tantam perturbationem animi, ut ipſi Deo iraſcatur, Ioh. 4. 1. Sic Achitophel, cum cupide ſuaſiſſet, internecionem Davidis, & non ſuccederet, incidit in tantam perturbationem animi, ut præ indignatione ſe ipſum ſuſpendio necaret, 2. Samul. 17. v. 23. Diſcamus deſideria noſtra infigere objectis honeſtis & licitis, Phil. 4. v. 7. Hæc

enim omnia deſideria tandem explentur & mutantur in gaudium. Cætera omnia tandem fruſtrantur & deſinunt in perturbationem animi, Prov. 10. v. 24. & 13. 19. cum impius habet malum propoſitum vel malum deſiderium, & cogitur inde diſcedere, eſt ipſi abominatio & perturbatio, Pſ. 112. ult. *Object.* Sed an deſideria noſtra ſunt in noſtra manu, ut poſſimus ea locare ubi volumus? *Reſp.* 1. In manu irregeniti non ſunt deſideria cordis ejus. Sunt enim collocata in malum naturaliter, nec poſſunt humana ope inde divelli, Tit, 3. 3. ſervit deſideriis, ut ſubditus. 2. Sed regeniti habent deſideria ſua mortificata & crucifixa, Gal 5. 24. poſſunt dominari in ſpiritum ſuum, Prov. 19. 32. non tamen ſic, ut non amplius opus habeant aſſidua precatione Davidis, Pſalm. 119. 36.

2. Ex metu tyranni Herodis. Scientes enim tyrannidem & crudelitatem Herodis, ſibi ipſi ſtatim formant ſententiam mortis. Sic faciunt omnes mali ſervi. Anticipant judicium & pœnam ſuam metu, Luc. 19. 21. 22. Act. 16. 27. Erant hi omnes innocentes reſpectu Herodis: Nihil enim intermiſerant quod ad cuſtodiendum Petrum erat neceſſarium, nec Petrus evaſerat vitio ipſorum & negligentia, ſed tali divina ope, quam illi omni ſua vigilantia & diligentia prævenire & avertere non potuerant, Si fuiſſent homines bonæ conſcientiæ, hac ſua innocentia ſe ſolati, nec tam immodice perturbati fuiſſent. Sed quia ſunt homines mali, & malæ conſcientiæ, turbant ſe ipſos ſuper cauſa juſtiſſima, in qua erant innocentiſſimi. Iuſtitia cauſæ non poteſt ſiſtere perturbationem ejus, qui deſtituitur juſtitia perſonæ. Iuſtitia cauſæ eſt, cum quis in eo, ſuper quo accuſatur, eſt innocens. Iuſtitia perſonæ, cum quis non tantum in una particulari actione innocens eſt, ſed per ſinceram ac fidelem applicationē Iuſtitiæ Chriſti ab omnibus ſuis peccatis coram Deo juſtificatus eſt. Hanc diſtinctionem Paulus adhibet. 1. Cor. 4. v. 4. Nullius mihi quidem conſcius ſum, ſc, eorum quorum à vobis accuſor, ſed ideo non ſum juſtificatus coram Deo. Sic hi milites nullius quidem negligentiæ, cujus ab Herode accuſandi erant, ſibi erant conſcii, ſed tamen metuunt & turbantur, quia cum Paulo præter juſtitiam cauſæ non habebant juſtitiam perſonæ. Si hi milites fuiſſent coram Deo juſti, potuiſſent perturbationem animi ſui ſiſtere, etiamſi aliqua negligentia coram Herode fuiſſent rei. Sed quia non ſunt juſti coram Deo, ne per innocentiam quidem ſuam poſſunt conſiſtere inturbati. Ne acquieſcamus igitur in juſtitia externa & innocentia coram hominibus, cum poſſumus dicere ſicut Publicanus, Luc. 18. v. 11, 12. Nam ſi non melior erit noſtra juſtitia quam fuit Phariſæorum & Scribarum ac horum militum, nec in regnum cœlorum introibimus nec ſine metu & terrore coram Deo vel hominibus poterimus conſiſtere, Matt. 5. v. 20. Quomodo poteſt eſſe melior? 1. Si non eſt particularis ſed univerſalis, ſi non in uno ſed in omnibus, non in externis tantum operibus, ſed etiam in internis cordis affectibus & motibus demus operam juſtitiæ & pietati. 2. ſi non tantum legalis, ſed etiam Euangelica eſt. Nam ſi aliam juſtitiam non habemus, quam quæ in obedientia legis conſiſtit, non juſtificamur à peccatis, nec nomine juſtorum digni habemur, ſed hoc demum nos facit juſtos & innocentes, ſi vera fide amplectimur & induimus juſtitiam Chriſti pro nobis crucifixi: Hoc nos adeo reddit juſtos ac innocentes, ut etiam tum poſſimus eſſe imperturbato animo, cum ex infirmitate contra voluntatem aliqua negligentia & peccato nos coram Deo vel hominibus reddimus ſontes ac reos, & Dei caſtigationes vel hominum ſupplicia tenemur ſuſtinere. Cum vero hac juſtitia deſtituimur, terremur & perturbamur etiam tum, cum in ea cauſa, ſuper qua in judicium vocamur, ſumus juſti & innocentes. *Quæſtio.* An autem juſtum eſt apud Deum, quod divina liberatio Petri, quam illi nulla vigilantia & diligentia prævenire poterant, hos homines induxit in periculum vitæ? *Reſp.* Iuſtum. Etſi enim hac in cauſa nihil commiſerant, quo mortem eſſent meriti, tamen erant peccatores, & quidem impœnitentes, qui Petrum diligenter quidem ſecundum Herodis mandatum cuſtodierant, ſed crudeliter contra Dei mandatum afflixerant, adeoque juſte poterant à Deo puniri & occidi tali modo, qui ipſi videbatur optimus.

II. Iudicium & ſupplicium. Quod metuebant veniebat ſuper illos, juxta quod ſcriptum eſt, Prov: 10. 24. Herodes Petrum quærens & non inveniens, cuſtodes in judicium pertrahit, ſine dubio etiam torturæ ſubjecit, & quamvis nihil, quod mortem mereretur, in ipſis inveniret, tamen jubet eos abduci ad ſupplicium. Duo hinc diſcimus.

1. Exemplum ſtultæ exacerbationis contra divina judicia. Herodes divino miraculo ab exſpectatione & cupiditate ſua dejectus ſævit & exardeſcit in homines. Debuiſſet hoc miraculo terreri, & inanitatem ſuorum conſiliorum contra Eccleſiam Chriſti agnoſcere, ſed loco hujus exacerbatur & ſævit contra homines. Sicut furioſi canes mordent la-

pidem quo petuntur;ſic tyranni & libidinoſi homines à Deo verberati ſæviunt in homines, in quos aliquem culpæ prætextum poſſunt conjicere. Si hiſtoriam ſacram conſulis, invenies multas miraculoſas Eccleſię liberationes, ſed pauca exempla emendatorum, ſed potius exacerbatorum hoſtium. Fit hoc juſto judicio Dei, ut qui contra Deum pugnare auſi ſunt, à Deo excæcentur & in reprobum ſenſum tradantur, ut in media luce videre non poſſint. Tam grave peccatum eſt perſecutio veritatis & Euangelii. Paulus quidem perſequutor miſericordiam accepit, 1. Timoth. 1. ſed pauca alia ſuppetunt exempla, ut rationem habeant ſibi cavendi qui ad hoc peccatum inclinant. Vivimus quidem per Dei gratiam in tali nunc Rep. ubi nemo Eccleſiam & veritatem perſequi aperte audet, ſed quanta tamen apud multos ſit inclinatio ad hanc perſequutionem, patet ſatis ex multiplici inimicitia, petulantia & blaſphemia contra miniſtros, Euangelium, Eccleſiam, qua non obſtantibus magiſtratus legibus animadvertitur. Pontificii à nobis petunt miracula quod ſimus vera Eccleſia, ſed ſi vel mille miracula edere poſſemus, ſicut ſane Eccleſia Reformata non deſtituitur miraculoſis ex cœlo teſtimoniis, quid prodeſſet hoc ad convincendos excæcatos illos & induratos perſequutores Euangelii tam clare micantis?

2. Exemplum juſtitiæ talionis. Exſpectabatur à populo ad recipiendum ſupplicium Petrus, ſed ecce prodeunt & ſupplicium accipiunt cuſtodes Petri. Cupiverat populus, ut enſis Herodis ſæviret in Petrum, ſed coguntur nunc ſpectare, ut Petro erepto ſæviat in eos, qui erant ex populo. Vera impletio illius quod eſt, Prov. 11. 8. & 21. 18. Eſaiæ 43. v. 3. Quomodo impius lytron juſti, cum tamen ſciamus, quod ſolus Chriſtus ſit lytrum quo redemptus juſtus? *Reſp.* Chriſtus proprie lytrum eſt, ſed hæc loquutio metaphorica. Impius eſt quaſi lytrum, quia ſicut Deus, ut nobis parceret, Chriſtum noſtro loco punivit; ita, cum homines aliquid mali contra juſtum machinati ſunt, Deus ita amat juſtum, ut noxam juſtis intentatam deducat in caput impiorum machinatorum, Pſalm. 7. 16, 17. & 9. 16. & 10. 2. Caveant nocere aliis qui ſibi ipſis nocere non volunt, Eſth. 7. v. 9. Daniel. 6. 25.

Hactenus liberatio Petri captivi, quomodo ſcil. facta & quomodo revelata ſit, ipſi primum Petro, mox Eccleſiæ, denique cuſtodibus carceris & Herodi. Sequitur ſecunda pars felicis eventus hujus perſequutionis, quem Eccleſia precibus ſuis impetravit, nempe terribilis deſtructio perſequutoris. De hac ſequentia ſunt in textu.

1. Tædium & indignatio quam ex hac liberatione Petri hauſit perſequutor, & quo remedio eam pepulerit, v 19. part. poſt.

2. Proſperitas quæ inter peccatum & deſtructionem ejus interceſſit, v. 20.

3. Peccatum novum quo hac proſperitate abuſus exitium ſuum acceleravit, v. 21, 22, 23.

4. Exitium ipſum & pœna horribilis, qua è medio ſublatus eſt, v. 23.

Quod ad primum, non ſolum militibus, ſed ipſi quoque Herodi contigit ille fructus injuſtus deſiderii, quem ſupra docuimus. 23. perturbatio & gravedo animi. Ex hac Herodes ſe extricare ſatagit per diverſionem ut loquimur, ſeu per mutationem loci, deſerens Hieroſolymam & Iudæam, ubi hoc opprobrium ipſi contigerat, & ubi quotidie aliqua monumenta illius neceſſe habebat intueri, & Cęſaream ſe conferens, ibique ad tempus degens, &, ut ait Ioſephus, lib. 19. antiq. cap. 1. ſolemnibus ludis in honorem Cæſaris tempus terens. Hoc remedium unicum, quod impii & mundani adhibent levandæ perturbationi & gravedini animi, quod ſcilicet iter ſuſcipiunt, & locum mutant, vel hilares quærunt confabulatores & ſodales, ſectantur convivia vel muſicam & ludos, ut ita animum divertant ab objecto quod cruciat, ut melancholiam frangant, ſicut fecit Saul tempore ſuæ tentationis, 1. Sam. 16, 17. Iudæi tempore calamitatis & contritionis Ioſephi, Amos 6. v. 6. & tempore peſtis, ut videtur Eſaiæ 22. v. 12, 13. Pii norunt hanc animi triſtis diverſionem per corporalia quædam exercitia non eſſe illicita, ſi non excedat modum, & exceſſu ſuo incraſſet animum ad carnalem ſecuritatem, & ἀναισθησίαν, nam alioquin David ſuam artem Muſicam hoc ſine non commodaſſet Sauli, 1. Sam 16. ſed ſciant etiam hanc diverſionem animi per exercitia corporalia non tollere perturbationem animi, ſed tantum ad tempus diſcutere. Medium quod tollere poteſt illam eſt pœnitentia peccati, & reconciliatio cum Deo, per quam conſcientia efficitur bona ac ſerena, 2. Sam. 11. 16. cum 20. Cum enim conſcientia ſerena eſt, omnis perturbatio animi facile perit. Sicut jucundiſſima æſtate ſubinde nubes quædam cœlum obducunt, ſed quia cœlum tunc ſerenum & vis ſolis ac aſtrorum potens eſt facile nubes conſumuntur, ſed tempore hyberno, cum ſol ſuccumbit, procella ex procella naſcitur. Sic ubi per ſeriam pœnitentiam & fidem in Chriſtum conſcientia facta eſt ſerena ac bona,

bona, facile diſcutitur omnis perturbatio animi; ſed ubi conſcientia infecta eſt regnantibus peccatis, perturbatio animi ad tempus forte, per corporales diverſiones interrumpitur, ſed tandem ſuperat omnem vim hujus medicamenti & mergit in deſperationem, ſicut Saulo contigit. Hæc Prov. 18. 14. bona conſcientia omnia portat, omnia conſumit. Cujus conſcientiæ incumbit reatus aliquis non agnitus, nec per pœnitentiam expiatus, libido non mortificata, ſed continuo exercitio fluens, vel denique debitum aut promiſſio non præſtita, is quantumcunque animum divertat corporalibus exercitiis & mundanis occupationibus vel delectationibus, non franget ſuam perturbationem animi, quin tandem in deſperationem deſinat. Itaque qui horum trium aliquid habet ſuę conſcientiæ incumbens, pœniteat de offenſis Dei & proximi eaſque per confugium ad Chriſtum expiet, abrumpat exercitium & curſum pravæ libidinis vel mali propoſiti, perficiatque & exſolvat, quod debet ex lege vel promiſſione. Tria enim ſunt quæ conſcientiam reddunt malam

1. Si quis aliquod factum contra legem commiſſum non agnoſcit, confitetur, deplorat, odit, ſed excuſat, juſtificat, extenuat, Pſal. 32. 3, 4, 5.

2. Si quis quod ſcit & fatetur malum eſſe pergit exſequi, ſine ſincera & vehementi reluctatione. Multi ſunt qui ebrietatem, ſcortationem, &c. ſciunt & fatentur eſſe peccata, nec excuſant, ſed dicunt ſe dolere, nec tamen ſedulo oppugnant, verum in confeſſione mali acquieſcunt. Hoc pacto non tollitur mala conſcientia, Prov. 28. 13. ſed qui fatetur, & abrumpit, ac peccare deſinit.

3. Si quis quod ex lege vel promiſſione debet non præſtat. Nam non ſolum facere malum, ſed & bonum debitum Deo vel proximo non præſtare peccatum eſt. Qui igitur damnum famæ, bonis, valetudini proximi illatum, non reparat, debita ſua non exſolvit, pro injuriis non ſatisfacit, promiſſiones non exſequitur, non habet bonam conſcientiam, Pſ. 15. 4. Matth. 5. 23, 24, 25. Multi ſunt, qui de injuriis proximo illatis fatentur ſe male egiſſe, nec faciunt amplius, ſed de ſatisfactione proximo præſtanda non ſunt ſolliciti, Levit. 6. 1. ad 9. Luc. 16. 8. Luc. 12. 58. Sicut Iudex non abſolvit nec acquieſcit, niſi actori vel accuſatori ſatisfecerit; ita Deus, quantumvis injurias contra proximum ei fatearis, teſteriſque te de iis pœnitere, non remittet, niſi proximo læſo ſatisfeceris, eumque placaveris. Etiamſi enim donum ad altare tuleris ad placandum Deum, Deus illud non reſpiciet, niſi ſatisfeceris proximo. Sequere igitur conſilium Eſaię, cap. 1. 16, 17, 18.

Actor. 12. v. 20.

CONCIO CXLVIII.

Vidimus remedium, quod Herodes adhibuit ad pellendam ac diſcutiendam melancholiam & indignationem animi, hauſtam ex liberatione Petri, per quam adeo pudefactus & Iudæorum riſui erat proſtitutus, ſcilicet quod relicta Iudæa Cæſaream ſe contulit.

Sequitur proſperitas, ſeu proſper caſus, qui inter peccatum & pœnam ejus interceſſit. Cum enim animo agitaret bellum contra Tyrios & Sidonios, res adeo feliciter ei ſucceſſit, ut hoſtes potentiam ejus extimeſcentes pacem peterent. Summa certe felicitas hæc eſt, qua animo magnatum hujus mundi quam maxime ſatisfit, ſi non tantum metuantur à ſubditis, ſed etiam à vicinis. Hoc unum eſt quod quærunt. *Oderint dum metuant.* Et hoc faſtigium felicitatis, quod Principes omnes quærunt, adeptus eſt Herodes poſt patratam contra Eccleſiam perſequutionem; unde generatim hanc obſervamus doctrinam, quod Deus peccatores exitio maturos, ante lapſum ſolet extollere & proſperitatem ipſis concedere. Exempla ſunt in Pharaone, Exod. 9. verſ. 16. Exaltavi te hominem durum & pertinacem ad regnum, ut in te per judicia mea manifeſtarem meam gloriam. Sic in Nebucadnezare, Habac. 1. 13. fundaſti eum ad pœnam, non tantum dandam, ſed & accipiendam. Sic in Antiocho, Dan. 11. 39. Rationes cur Deus ita facit, ſunt ſequentes.

1. Ut piis ſint objectum patientiæ, per quod invidiam ſuam diſcant compeſcere. Eſt communis piorum infirmitas, quod non poſſunt ferre proſperitatem impiorum, quin ſtatim optent, ut pereat Ninive intra triduum, ut cadat ignis ex cœlo & conſumat omnes. Vide Ierem. 12. 1. Deus vero ut hanc invidiam compeſcat, & ſuos doceat eandem longanimitatem & manſuetudinem, qua ipſe contra peccatores utitur, eo ipſo fine extollit impios, eoſque proſperos reddit, ut invidia piorum ita mortificetur, & longanimitas in iis accendatur. Vide Pſal. 73. v. 3. & 37. 1. Prov. 23. 17. & 24. 1.

2. Ut impii ipſi habeant tempus & incitamentum ad pœnitentiam, Rom. 2. 4. 2. Petr. 3. 9. 1. Petr. 3. 20. ipſo facto oſtendens, quod non delectetur exi-

exitio impii, ſed ut convertat ſe & vivat. Ezech. 18. v. 32. & 33. 11.

3. Ut juſtitia divina in pœna infligenda ſit tanto evidentior. Etſi enim Deus morte peccatoris non delectatur, ſed pœnitentiam illius exoptat, eaque delectatur, tamen eos, quos novit & videt impœnitentes, eo ipſo fine ad pœnitentiam per beneficia invitat, ut impœnitentiam eorum tanto juſtius & ſeverius puniat. Hoc illud Pſalm, 73. 18. lubricæ proſperitati pedes eorum imponit, ut cadant. Sicut Salamon maligno Simei, pœnam juſtam dudum promerito, & etiamnum impœnitenti, dabat talem immunitatem, qua ſciebat eum facile abuſurum ad novam transgreſſionem, ut tanto juſtius poſſet à Salamone puniri, 1. Reg. 2. 36. ita Deus peccatores, qui dudum pœnam promeriti ſunt, & etiamnum ſunt impœnitentes, collocat in proſperitatem, qua novit eos abuſuros ad nova peccata, quibus pœna ipſorum fiat tanto juſtior & evidentior, qua in re, qui hanc doctrinam ſigillant, nunquam ullam demonſtrabunt injuſtitiam. Diſcamus hinc proſperitatem temporalem ſemper habere ſuſpectam, & tum maxime Deum metuere, cum ſumus in proſperitate. Scriptura paſſim adverſitates temporales beatiores prædicat quam proſperitates, Iacob. 1. 2, 9, 10. Quæ ratio? 1. Quia adverſitas utilius medium converſionis quam proſperitas. Quos Deus amat, eos corripit, ne pereant cum mundo, 1. Corinth. 11. quos vero non vult præſervare à perditione, eos ſinit ire in via lata. Per adverſitatem impii minus indurantur, quam per proſperitatem. Per adverſitatem multi impii facti pii. Per proſperitatem autem pii quidem moventur, ut ſe magis convertant, 2. Sam. 7. 18 ſed impii per eam non fiunt pii. 2. quia adverſitas eſt certius ſignum paterni amoris quam proſperitas. Sicut enim inter homines amor parentum ſincerus & ſapiens erga liberos in ſollicita ſeveritate magis animadvertitur, quam in laxa indulgentia; ita Dei verus amor magis noſcitur & ſollicitis ac vigilantibus caſtigationibus, quam ex proſperitate diuturna, Hebr. 12. 5, 6, 7. &c. Licet deſiderare & petere proſperitatem, eſt etiam proſperitas temporalis præmium pietatis, 1. Timoth. 4. Sed tamen hoc ex aſſertione Scripturæ firmum manet, quod proſperitas plus nobis debet eſſe ſuſpecta quam adverſitas, & quanto proſperiores ſumus, tanto magis ſollicite debeamus examinare nos ipſos, ne non iratus nobis ſit Deus, & ruinam nobis paret propter aliquod peccatum, in quo nobis indulgeamus. Moveat hæc res omnes incolas hujus patriæ, quæ jam præter omnes nationes alias proſpera eſt: & felix, ut diligenter inquirant, an etiam ex vero amore profluat hæc ſingularis felicitas, & non potius ſignum ſit, quod Deus, diuturna noſtra impœnitentia offenſus, nobis det vias lubricas, quibus properemus ad dignum exitium. Moveat præcipue eos, qui in hac proſpera Rep. præ cæteris ſunt proſperi, ut aliis, paupertate, ignominia, morbo aliiſque calamitatibus depreſſis, ipſis omnia fluant ex voto. Si continuę & quotidie creſcenti proſperitati reſpondet continuatio & incrementum pietatis, nihil quidem periculi eſt, ſed ſi ſecus, cave tibi ne ſis exitio vicinus. Precare diligenter precationem Salomonis, Prov. c. 30. 8. 9.

Videamus jam particulariter hiſtoriam ipſam, in qua ſunt res quatuor quæ ſe noſtræ conſiderationi offerunt.

I. Propoſitum Herodis: ἦν θυμομαχῶν Τυρίοις ϗ Σιδωνίοις. Tyrus & Sydon duæ liberæ civitates Anſeaticæ, emporia celeberrima, tum temporis quidem poſt devaſtationes Alexandri Magni non æque potentes ac olim, ſed tamen etiamnum liberæ & nulli Principi, præterquam Imperatori, ſubjectæ, quarum ſæpe mentio in Scripturis, Eſaię 23. Ezech. 26. 27, 28. His civitatibus Herodes erat θυμομαχῶν, infenſus, & bellum parans. Nam ſi bellum non paraſſet, pacem illi non petiiſſent. Quæ cauſa fuerit hujus θυμομαχίας Scriptura non indicat. Conjiciunt docti, quod non fuerit cauſa alia, quam illa communis, quod ſcilicet magnis regibus & liberis rebuspub. raro bene convenit. Liberæ enim reſpub. libertate ſua elatæ, contemnunt imperium regium, ac ſubditos regum ut mancipia vilipendunt, ſe ſolos putantes albæ gallinæ filios. Contra autem reges, aliis ſuam libertatem invidentes cupiunt ſuum imperium ſuper eos extendere. Accedit quod hic Herodes, homo inops, ſceleratus, & mera adulatione in Claudium ad regnum evectus tanto contemtior fuit vicinis ſuis, & ideo ipſis infenſior. θυμομαχία non eſt legitimum bellum. Eſt enim bellum quod animi cauſa geritur, ad explendam perturbationem & iracundiam, ſicut illud bellum Amaziæ, 2. Reg 14. 18. Bellum non aſt actus iracundiæ & laſciviæ ſed actus juſtitiæ, nec debet ſuſcipi, niſi contra eos, qui graviſſime læſerunt juſtitiam. Quam difficile erit Regibus reddere rationem de iis bellis, quæ gerunt ex mera θυμομαχίᾳ, ſine gravi cauſa!

II. Conſilium Tyriorum & Sidoniorum. Herode bellum parante ipſi pacem petunt. Quia nulla juſta

cauſa

cauſa belli ſuberat, ſupplices fiunt Herodi, & petunt pacem. Exemplum hic eſt prudentiæ, conſiderandum iis, quia petulantibus & iracundis hominibus provocantur ad rixas, pugnas, duella, ut furori furorem non opponant, ſed furori cedant, & furentem conentur placare. Satius enim eſt aliquid irritationis patienter ferre, & provocantem adverſarium contemnere, quam pari animoſitate periculum bonæ conſcientiæ ſubire. Inverte illud Pſalm. 120 7. *Cum ipſi bellum parant, egò Pacem poſtulo.* Ignominiæ ſibi quidem hoc ducunt homines juvenes ſed revera honor eſt. Eſt enim prudentia omnibus prudentibus grata. Neceſſaria pericula fortiter ſubire virtus eſt, ſed inani alicujus inſultatione pati ſe provocari ad periculum vitæ & conſcientiæ ſtultum eſt. Præſtat ſui hoſtis iracundiam placamento aliquo ſedare quam periculoſa oppoſitione ulciſci.

III. Ratio hujus conſilii: quia regio & ditio ipſorum victum ſuum neceſſe habebat petere ex ditionibus regi ſubjectis. Si bellum contra Herodem ſuſcepiſſent, commeatu ſtatim fuiſſent intercluſi. Fuit igitur prudentia, quæ ex neceſſitate profecta eſt, non ex amore virtutis. Erant mercatores, quibus non tam honeſtas, & honor cordi erat, quam utilitas. Non igitur fuit vera ac Chriſtiana virtus. Ea enim non ex coactione & neceſſitate committitur, ſed ex amore honeſtatis, legis Dei, & proximi. Verum quidem, quod Matth. 11. 21. legitur, ſi Tyri & Sidone factę eſſent virtutes, quæ factæ in civitatibus Galilææ, futurum ut reſipiſcerent, unde quidam concludunt, cives Tyri & Sidonis fuiſſe probiores & magis pios, quam Galilæos. Sed inde nihil concluditur pro probitate Tyriorum, verum in tantum, quod Galilæorum pervicacia contra Euangelium major ſit, quam pervicacia Tyriorum & Sidoniorum fuiſſet, ſi ipſis prædicatum fuiſſet Euangelium. Tyrii & Sidonii mali erant, Galilæi quoque mali, nec quiſquam horum ſola externa prædicatione Euangelii ad veram converſionem edoctus fuiſſet, vel adigi potuiſſet, ſed tamen pervicacia Galilęorum adhuc major erat quam Tyriorum & Sidoniorum. Illi enim per tot miracula potuiſſent adigi ad aliquam externam humiliationem, ſed hi quanto pluribus miraculis videbant Euangelium confirmari, tanto obſtinatius illud rejiciebant & perſequebantur. Non igitur hi Tyrii & Sidonii nobis ſunt verum exemplum Chriſtianæ εἰρηνοποιΐας, quia pacem petiverunt ex neceſſitate & utilitatis cauſa, non autem ex vero amore pacis & odio contentionis. Nobis vero expetenda pax & quærenda pax cum proximo, quia ſcimus mandatum à Deo eſſe, ut pacem ſectemur, Hebr. 11. 14. Roman. 12. 18. 2. Timoth. 2. v. 22. Noſtrum ſtudium pacis debet proficiſci ex mortificata vindictæ cupiditate, ex vero amore proximi, & ſtudio imitandi Deum & Chriſtum, qui Deus Pacis, Princeps Pacis. Noſtri hoſtes jam etiam petunt Pacem, ſed non ex amore erga nos, quod nobis tam bene cupiant, & nollent nos amplius perſequi, aut quod pœnitent de priori ſua crudelitate contra nos, ſed quia eorum regio ex noſtra cibatur. Videndum ut nos ſuperemus noſtros hoſtes in ſtudio Pacis, & Pacem petamus à Deo ut non amplius perſequutionem patiatur Eccleſia & Euangelium, ut veritati aperiatur aditus ad omnes Provincias, ut ſcandala bello nata ſupprimantur & reſtituatur bona diſciplina inter homines. Alioquin non male monent pii interpretes, ut reſpectu Dei hanc motivam obſervemus. Quæramus Pacem habere cum Deo, quia noſtra terra ex ejus manu omnem commearum debet accipere. Si ille cœlum claudat & victum non det, fame pereundum nobis omnibus, Pſalm. 104. v. 26, 27, 28. Pace igitur nobis opus cum Deo.

IV. Inſtrumentum, quo uſi ſunt ad hoc ſuum conſilium exſequendum: Perſuaſerunt Blaſtum cubiculo Regis præfectum. Rationes quibus ipſum perſuaſerunt, ſine dubio fuerunt aureæ & argenteæ, non petitæ ex locis inventionis Rami vel Ariſtotelis, ſed ex loculis divitum mercatorum. Sed cur cubicularium perſuaſerunt, & quæ ejus ope opus erant ab Pacem conſequendam? Erat ille regi familiariſſimus, & continua familiaritate regis favorem in ſe tranſtulerat, ut ex ejus conſilio rex omnia magna ageret. Eſt hæc calamitas, cui ſæpe ſubjecti ſunt qui regibus & Principibus parent, quod non tam ſunt ſubditi Regum ac principum ſuorum, quam eorum, in quos reges & Principes ſuum favorem conjiciunt. Hi ſunt qui reges & Principes cubitum ducunt, & tum in ſoliis eorum confident ac regnum adminiſtrant pro lubitu, & cum plerumque ſint homines nequam, multum à talibus patiuntur regna & ſubditi, donec hi Blaſti juxta Hamanis exemplóm puniantur. Magnum eſt beneficium, habere tales reges, qui non alienis oculis & humeris regimen regni imponunt, ſed propria utuntur vigilantia, juxta bonorum conſilia, ſed hujus doctrinæ in Hollandia exiguus uſus.

Sequitur tertia pars hujus hiſtoriæ, ſcilicet novum peccatum, quo exitium ſuum acceleravent.

Hoc

Hoc enim ſucceſſu inflatus certo vel ſtatuto quodam die prodit in publicum, ornatus regia veſte & conſidens in tribunali ad Legatos Tyriorum ac Sidoniorum (id enim ex v. 21. ex voce πρὸς αὐτοὺς colligitur) orationem habuit, ad oſtentandam ſcilicet magnificentiam & eloquentiam ſuam. Materia orationis ſine dubio fuit deprędicatio ſuę clementię, quod, quantumvis juſtam cauſam belli haberet, tamen parceret, &c. Cum autem peroranti populus acclamaret, quod hæc vox eſſet Dei non hominis, ipſe ad hanc blaſphemam acclamationem populi tacuit, & hos divinos honores admiſit, nec Deo hanc gloriam dedit, ut populum increparet, ut fecit Paulus & Barnabas, Act. 14. 14, 15. & ſicut Angelus, Apoc. 19. v. 10. & Petrus, Act. 10. 26. Hoc peccato ad peccatum perſequutionis accedente, Deus non amplius pepercit, ſed extemplo pœnam immiſit. Et ſunt certe duo inſignia peccata, perſequi Eccleſiam Dei, & divinos honores ſibi rapere. Etſi enim non juſſit ſe adorari, ut Cajus Caligula; tamen quod oblatos à populo divinos honores non repulit, hoc ipſum peccatum Deum adeo exacerbavit. Duo hic obſervanda.

1. Quantum ſit peccatum proſperitate & bono ſucceſſu ſuperbum fieri. Pii proſpero ſucceſſu humiliantur & pudefiunt, 2. Sam. 7. v. 18. Sciunt enim eſſe à Deo ex mera gratia, præter & contra meritum, adeoque non ad ſuperbiam, ſed ad gratitudinem iis utuntur.

2. Quantum ſit peccatum honores divinos affectare vel ſaltem admittere. At quis hoc hodie facit? *Reſp.* 1. Magiſtratus qui ſibi cupiunt obediri in iis quę Deus vetuit. 2. Papa Romanus, qui ſe patitur appellari Deum, adorari ut Deum, & ſibi adſcribi remiſſionem peccatorum. 3. Qui ſuis meritis, & ſui arbitrii virtutibus adſcribunt juſtificationem, ſanctificationem & alios ſucceſſus bonos, qui non ſunt niſi à Deo, Habac. 1. 11. 4. Concionatores, qui laudes & admirationes populi ſectantur & in ſe patiuntur reſidere, contra illud Actor. 3. 12.

Ultima pars eſt pœna ipſa, qua punitus eſt hic perſequutor. Extemplo percuſſit eum Angelus Domini, ut à vermibus comeſtus ſpiritum redderet. Quales fuerint vermes, an lumbrici qui ventrem corroſerint, an pediculi ex putredine nati, non definio. Horrendum certe mortis exemplum. Quantum ad materiam, tale mortis genus etiam bonis contingere poteſt, ſed maledictio, quæ in hac morte eſt, apparet inde, quod extemplo & ſubito in ipſo peccato correptus eſt. Ioſephus ait, eos cruciatus duraſſe per quinque dies, ſed verę pœnitentiæ & converſionis ad Chriſtum, quem perſequutus erat, non meminit. Sit hoc exemplum pœnę calcar ad vitanda Herodis peccata. Hactenus ſecunda pars illius felicis eventus, quem Eccleſia in hac perſequutione precibus impetravit, videl. deſtructio perſequutoris. Sequitur tertia ejus eventus pars, ſcil. tanto proſperior ſucceſſus Euangelii, qui deſcribitur, v. 24. & 25. His autem non inſiſtam, quia verba verſus 24. ſunt explicata, Actor. 6, 7. & quod v. 25. dicitur, ex ſuperioribus hujus capitis ſatis clarum eſt, & ad ſequens caput magis pertinet.

Actor. 13. v. 1, 2, 3.

CONCIO CXLIX.

Cœpimus videre cap. 11. verſ. 19. 20. quomodo Apoſtoli, poſtquam intra Iudæam non ſolum Iudæis & proſelytis, ſed etiam incircumciſis Ethnicis Euangelium prędicaſſent, eoſque baptizaſſent, & illud factum contra quoſdam murmuratores coram Eccleſia juſtificaſſent, tandem etiam cœperint egredi extra fines Iudææ, & Euangelium transferre ad ipſos Ethnicos, in urbes & terras ubi habitabant. Verum quidem, quod cum veniebant in urbes & terras Ethnicas, ſemper prius ſe conferebant ad Synagogas Iudæorum, qui inter gentes diſperſi vivebant peregrini, ſicut vocantur, 1. Petr. 1. Sed tamen etiam ipſis Ethnicis incircumciſis non minus prædicabant, præſertim cum à Iudæis rejicerentur. Initium prædicationis Euangelii inter gentes factum Antiochiæ, quæ Syriæ civitas eſt, ubi inſignem Eccleſiam tum ex Iudæis tum ex Ethnicis erexerunt, quam Paulus & Barnabas, una cum aliis Paſtoribus & Doctoribus per integrum annum docuerunt. Antequam autem Euangeliſta pergeret in deſcribendo

Euangelii inter gentes ſucceſſu, cap. duodecimo, per formam digreſſionis interſeruit hiſtoriam certæ cujuſdam perſequutionis, quæ Eccleſiam in Iudæa corripiebat eo tempore, quando Eccleſia Antiochena ita florebat, per quam Apoſtolorum unus è medio ſublatus, & alius mortem intentatam miraculoſa liberatione Angeli feliciter evaſit. Hac digreſſione abſoluta redit hoc capite ad pertexendam hiſtoriam prædicati inter Gentes Euangelii, quomodo ſcilicet illud per Miniſterium Pauli pręcipue in variis terris & civitatibus ſit prædicatum magno cum fructu. Non enim Euangeliſta in reliquo hujus libri deſcribit, quid cæteri Apoſtoli fecerint, ubi, quando, & quamdiu illi Euangelium inter gentes prædicaverint, ſed ſolum Paulum eligit, & illius peregrinationes & Miniſterium inter Gentes cum iis comitibus ac ſociis, quos ſubinde ſibi adjunxit, uſque ad finem libri deſcribit. Si quæris, quare magis inſiſtat actus Pauli quam cæterorum Apoſtolorum, reſponſum habe, quia hoc ſatis viſum Spirit. S. ad noſtram de Eccleſiæ origine inſtitutionem. Si plura judicaſſet neceſſaria, plura curaſſet deſcribi. Nec opus eſt hinc concludi, Scripturam non eſſe ſufficientem ad ſalutem, ſed nos indulgere verbo aliquo non ſcripto quod doceat quid cæteri Apoſtoli egerint, quas Eccleſias plantaverint, quo genere Martyrii ſublati ſint, &c. ſi vel horum nihil ſciremus, nulla deeſſet ſcientia ad ſalutem neceſſaria, & quod de his antiqui ſcriptores Eccleſiaſtici teſtantur, valeat apud nos, quantum humana teſtimonia in rebus divinis valere poſſunt. Hiſtoria autem Miniſterii Paulini, quam porro uſque ad finem libri Lucas deſcribit, commode dividitur in quatuor itinera quæ Paulus ſuſcepit ex terra Sancta Orientali verſus Occidentem ad terras Ethnicorum. Sicut enim docti opinantur quod Petrus, circumciſionis Apoſtolus, iter ſuum inſtituerit in eas Ethnicorum regiones, quæ erant verſus Orientem Iudææ; ubi plurimi Iudæi habitabant, e. g. in Meſopotamiam, Chaldæam, Aſſyriam, Babyloniam, &c. 1. Petr. 5. 13. ita Paulus verſus Occidentem profectus eſt. Quater autem Paulus à limitibus terrę Sanctæ egreſſus eſt verſus occidentem, & ter ex occidente in orientem rediit, an vero quarta vice etiam redierit incertum eſt.

1. Primum igitur iter fuit iter Aſiaticum, quod una cum Barnaba, ſpeciali miſſione Spiritus S. ſuſcepit, quo Antiochia in Cyprum, ex Cypro in Pamphiliam delatus, Lycaoniam, Piſidiam & alias provincias Aſiæ minoris peragravit, & plantatis ibi Eccleſiis reverſus eſt Antiochiam Syriæ, unde digreſſus erat, & mox ab Eccleſia Antiochena mittitur cum Barnaba & quibuſdam aliis ad Synodum Hieroſolymitanam, ad decidendam quandam controverſiam ſuper Iudaicis cæremoniis, quæ in Eccleſia Antiochenſi orta erat, ut hoc primum iter deſcribitur, cap. 13, 14 & 15. ad v. 36.

2. Secundum iter Pauli fuit iter Græcum, quod à Barnaba propter contentionem aliquam diviſus, perfecit cum Sila & Timotheo, quo itinere per Eccleſias Aſiaticas, antea plantatas, penetravit in Europam, & in civitatibus Græcię & Macedoniæ, Philippis, Berea, Theſſalonica, Athenis, Corintho Eccleſias plantavit, & ad Illyricum uſque omnia ſuo Euangelio replevit, Rom. 15. v. 19. & ſic per Epheſum rediit in Syriam & Iudæam. ſicut hoc iter deſcribitur, à v. 36 cap. 16. ad v. 22. cap. 18.

3. Tertium iter Pauli fuit iter Epheſinum. Cum enim ſuperiori itinere Epheſum quidem veniſſet, ſed manere diu ibi non poſſet, promiſit ſe, perfectis Hieroſolymæ negotiis, ad eos rediturum. Redut igitur, & cum ad tempus ibi manſiſſet, & poſtea ad reviſendas & confirmandas Eccleſias Europęas iviſſet, ex Macedonia tandem per Aſiam & Syriam rediit in Iudæam, ubi à Iudæis gravem perſequutionem paſſus, & tandem à Romanis officiariis, qui in Iudæa erant, in captivitatem deductus eſt. Hoc iter deſcribitur, à verſ. 22. cap. 18. uſque ad cap. 27.

4. Quartum denique Pauli iter fuit iter Italicum, ſive Romanum, quo à Romanis Iudææ præfectis navigio Romam miſſus fuit ad cauſam dicendam apud Cęſarem, ad quem appellaverat. Hoc iter deſcribitur, cap. 27. & 28.

Incipitur jam iter primum, cap. hoc 13. Pauli cum Barnaba in quo conſideranda

1. Miſſio ad hoc iter, verſ. 1, 2, 3.
2. Exitus, v. 4.
3. Expeditio, v. 3. ad v. 26. cap. 14.
4. Reditus, v. 26. c. 14. ad v. 37 c 15.

De miſſione habemus

1. Mandatum mittendi, datum à Spiritu Sancto, v. 1, 2.
2. Ipſam formam modumque miſſionis.

De mandato habetur. 1. Cui factum. 2. Quando factum.

3. A quo.
4. Quid illo mandato injunctum.

Factum hoc mandatum illis Prophetis & Doctoribus, qui erant in Eccleſia Antiochena, ad eam docendam

cendam & regendam, quorum nomina recenſentur, videl. Barnabas, Simeon vocatus Niger, Lucius Cyrenæus, Manaën educatus cum Herode tetrarcha, & denique Saulus.

Quæritur.

1. Quid differentiæ inter Prophetas & Doctores? *Reſp.* Omnes erant Doctores Eccleſiæ. Sed Prophetæ erant tales Doctores, qui non ſolum habebant ordinaria dona Eccleſiam inſtruendi ex Scriptura, ſed etiam extraordinarium donum prædicendi futura.

2. Cur hi Doctores & Prophetæ ita nominatim recenſentur? *Reſp.* Fit hoc. 1. ut memoria ipſorum propagetur ad poſteritatem. Eſt enim Dei mos, ſtrenuos operarios in ſuo opere remunerari bona fama etiam apud poſteros, ut patet in exemplo Mariæ ſororis Lazari, Matth. 16. 13. quæ res etiam apud pios non parvi æſtimatur, Pſal. 112. 6. Prov. 10. 7. nomen impii putreſcet & fiet fœtidum. Omnes hoc appetimus ut poſt funera vivamus. Demus operam virtuti & juſtitiæ, tum nomen noſtrum erit immortale. 2. ut appareat Deum per avocationem Pauli & Barnabæ non deſtituiſſe Eccleſiam Antiochenam Doctoribus, ſed tantum de abundantia eorum proſpexiſſe aliis. Hic etiamnum debet eſſe modus, in tranſlatione Miniſtrorum ab una Eccleſia ad aliam, prudenter obſervandus, ne ſcil. una Eccleſia aliam ſpoliet ſua neceſſitate, ſed tantum ſibi proſpiciat de alterius abundantia, ut ita ſicut in corporalibus, ita etiam in ſpiritualibus obſervetur illud Paulinum, 2. Cor. 8. 13, 14.

3. Cur Manaën ſpecialiter commendatur ab eo, quod cum Herode tetrarcha fuerit educatus? Herodes hic intelligendus non Rex ille qui Iacobum occidit, & Herodes Agrippa nuncupatur. de quo ſuperiore capite, ſed *Antipas* ille, qui Iohannem Baptiſtam occidit, Matth. 14. & tempore Pilati Chriſtum ludificatus eſt, Luc. 23. Fit autem hujus educationis cum Herode mentio, ut Manaën nobis ſit exemplum aulici, qui in aula maxime impia pius fuit, ne valeat illa multorum exceptio: Vivendum mihi inter aulicos, non poſſum eſſe pius. 2. Vt ſit exemplum hominis magni ſecundum mundum, qui tamen functionem S. S. Miniſterii non eſt dedignatus, quæ vulgo pro tam vili opificio habetur, ut indigna æſtimetur quæ ab homine aliquo magno ſuſcipiatur. 3. Vt ſit exemplum veri amatoris Dei ac Chriſti, quippe qui, ſicut Moſes, Hebr. 11. 24, 25. 26. maluit exul Chriſti vocari propter Euangelium, quàm ſodalis magni Principis in aula vivere. Vide Pſal. 34. v. 11.

II. Quando datum hoc mandatum? Λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ, καὶ νηστευόντων. Hic Pontificii fundant ſuam Miſſam. Λειτουργεῖν, inquiunt, quid aliud eſt quam Miſſam facere? *Reſp.* Λειτουργεῖν eſt vox generaliter ſignificans publicum miniſterium obire, ſive in Politia ſive in Eccleſia. Sic Angeli dicuntur Λειτουργοὶ Hebr. 1. ult. qui tamen Miſſam non faciunt. Sic Politici Magiſtratus, Rom. 13. 6. qui tamen Miſſam non faciunt. Dare eleemoſynas, & alicui officium charitatis exhibere, eſt λειτουργία, Philip. 2. 30. 2. Cor. 9. 12. quod tamen non eſt Miſſam facere ſeu ſacrificare. Omnes Miniſtri publici dicuntur λειτουργεῖν. Quale igitur eſt ipſorum miniſterium, talis eſt eorum λειτουργία. Si ſunt Miniſtri Reip. liturgia ipſorum eſt Politica aliqua functio, e. g. cauſas audire, ſententiam pronunciare, bellum gerere, pecuniam exigere, &c. Si ſi ſunt Miniſtri Eccleſiæ N. Teſt. poſtquam Chriſtus ſuo ſacrificio finem impoſuit omnibus ſacrificiis hilaſticis, liturgia ipſorum non conſiſtit niſi in publica prædicatone verbi, precibus publicis adminiſtratione ſacramentorum, &c.

Additur quod non tantum miniſtraverint, ſed etiam jejunaverint, jejunare non eſt pars liturgię publicæ, ſed tantum aliquando adhibetur ad liturgiam publicam in Eccleſia, ut ea tanto ſit efficacior ad movenda hominum corda nec vis liturgiæ impediatur per ſomnolentiam & ſatietatem corporis. Verum de natura & uſu veri jejunii dictum abundanter in Actor. 10. 30.

III. A quo hoc mandatum factum? Dixit Spiritus S. Quomodo dixit? Sine dubio non per externa verba, ſed per internum inſtinctum. Spiritus Sanct., loquitur hominibus. Hoc enim proprium ejus officium, quod quaſi os eſt, per quod Deus hominibus loquitur, quique in Chriſti nomine hominibus loquitur, Ioh. 16. Chriſtus verbum Patris & inter pres, qui voluntatem ejus nobis annunciavit, Iohan. 1. & per quem Deus nobis loquutus eſt, Hebr. 1. 1. Sed hoc intelligendum de alloquio externo. Deus autem non tantum externe in aures loquitur, ſed etiam interne ad animum ac cor. Hoc internum alloquium hominum eſt proprium opus Spiritus ſancti, per quem Pater & Filius nobis loquuntur. Hinc quicquid Prophetæ audiverunt, Spiritus S. eis dixiſſe dicitur, Actor. 28. 25. & Chriſtus quicquid poſt adſcenſionem ſuam nobis habet

 dicere,

dicere, promittit ſe dicturum & docturum per Spiritum S. Ioh. 16. Nec putandum Spiritum S. olim tantum in Eccleſia loquutum eſſe, & nunc tacere, ut Eccleſia hodie non amplius doceatur per Spiritum S. ſicut olim, ſed tantum per os ordinariorum Paſtorum. Nam etſi hodie non amplius fiunt ejuſmodi immediati inſtinctus, quibus miniſtris aliquid revelatur quod non eſt in verbo Dei ſcripto, tamen duobus modis adhuc loquitur Spiritus S. in Eccleſia, videlicet

1. Loquitur Miniſtris. Cum enim miniſtri laborant in opere Domini, & ſincero animo, cum invocatione Dei, meditantur & ſcrutantur verbum Dei ſcriptum, ut inveniant quo gregem Domini paſcant, Spiritus S. meditationes eorum regit, oculos eorum aperit, ut myſteria Euangelii clare & ſalutariter intelligant, clare itidem, dextre & fideliter enuncient. Hæc illa præſentia, quam Chriſtus Miniſtris promittit, Matth. 28. 20. & quam ab ipſo petunt, Eph. 6. 19 & clarius, Matt. 10. 19, 20. Hoc etiamnum verum eſt. Spiritus Dei eſt qui loquitur in miniſtris. Etſi enim miniſtrorum conciones non ſunt ſine defectibus, qui non ſunt a Spiritu S. ſed à carne & ſanguine & judicio auditorum cum Scriptura comparari, ac à veritate diſcerni debent, tamen verum eſt de legitime vocatis & pie fungentibus officio, quod Spiritus Dei per illos loquatur. Miniſtri ſunt ſicut Scholaſtici, qui quicquid juxta regulam & normam verbi ſcripti loquuntur, loquuntur ex dictamine Præceptoris, qui dicit: Sic & ſic debes loqui.

2. Loquitur auditoribus. Cum enim illi ſincero corde, cum invocatione Dei, ex ſiti & fame juſtitiæ ac inſtitutionis ſpiritualis miniſtrum Dei loquentem audiunt, vel ſacra Biblia legunt, Spiritus S. per miniſtrum ad eos loquitur, verbumque prolatum cordibus eorum inſcribit, aperit cor eorum ut attendant iis quæ dicuntur, facit ipſis verba miniſtri tam clara, ut cum delectatione cordis percipiant myſteria ſalutis, convincit conſcientias eorum quod verbum prædicatum ſit veritas, perſuadet corda eorum, ut veritati agnitæ obediant, & tum dicit animabus eorum, quod Deus ſit Deus ſalutis eorum, teſtaturque cum Spiritu eorum, quod ſint filii Dei, Rom. 8. Pſal. 35. Immo ſæpe etiam cum non audiunt verbum Dei, loquitur fidelibus, iiſque perſuadet ad faciendum quod bonum eſt, & tandem in articulo mortis, cum externi ſenſus jam tum clauſi ſunt, ut nullam inſtitutionem ex ore Paſtoris amplius admittant, Spiritus S. eſt Doctor, qui immediate alloquitur animam eamque ſolatur uſque ad finem. Si hoc alloquium Spiritus Sancti non fieret, nemo auditorum noſtras conciones audiret ſalutariter.

IV. Ipſum denique mandatum ſeu res mandata: Separate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod eos vocavi. Ego eos vocavi, vos mihi eos ſeparate ad hoc opus. Annon ſufficiebat à Spiritu S. eſſe vocatos, quid ſeparatio? *Reſp.* Vocatio miniſtrorum eſt operatio Spiritus S. in corda eorum, per quam redduntur apti & proni ad opus miniſterii. Hoc Spiritus jam tum operatus erat in cordibus Sauli & Barnabæ: Separatio autem miniſtrorum eſt externa & ſolennis dimiſſio & commiſſio, qua à miniſterio Eccleſiæ Antiochenæ dimiſſi per invocationem Dei & impoſitionem manuum ad miniſterium inter gentes mittebantur. Vbi Eccleſia aliqua conſtituta eſt, ibi ab Eccleſia illa & per eam miniſtri ejus eliguntur ac vocantur, idque eo ordine & modo, qui in verbo Dei & exemplis Apoſtolorum præſcriptus eſt. Vbi vero nulla Eccleſia conſtituta eſt, electio quidem aliqua & vocatio per Eccleſiam fieri non poteſt, requiritur tamen non tantum interna vocatio Dei, ſed etiam externa aliorum miniſtrorum ordinatio, quod ex hoc exemplo clarum eſt. Sed nos hoc præcipue hic obſervabimus, quod Spiritus S. dicit: ego vocavi, ſeparate mihi: unde diſcimus argumentum efficax, quo Deitas Spiritus S. probatur. Qui miniſtros Euangelii vocat, & cui miniſtri Euangelii ſerviunt, is eſt Deus. At Spiritus S. vocat & ei ſerviunt. E. Debet hoc maximopere movere nos omnes, qui gloriamur quod ſimus templa Spiritus S. Sunt enim Dei templa, 1. Cor. 6. 19. & 3. 16. Quantopere igitur metuenda nobis illa cominatio, quæ eſt 1. Cor. 3. 17. Quanta etiam eſt conſolatio ſcire, quod Spiritus S. ſit in nobis. Ipſe enim Deus in nobis. Dicit Paulus. Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Addo. *Si Deus in nobis, quis contra nos?* Vide promiſſionem reſurrectionis ex hoc fundamento fluente, Rom. 8 11. Quare reſurrectio corporis noſtri tribuitur Spiritui S. 1. Quia Spiritus S. eſt arrhabo & pignus noſtræ reſurrectionis, & cauſa impellens propter quam reſuſcitamur, per quam reſuſcitatio nobis quaſi oppignorata eſt, ut negari non poſſit. 2. Quia Spiritus S. eſt verus Deus, fons vitæ, balſamus vitæ, ipſa vita, qui illa corpora, quę ſibi inhabitaculum præparavit, non poteſt non vivificare, & omnem mortalitatem abolere in iis in quibus habitat. Nec negligendum hoc loco quod miniſterium Euangelii dicitur

opus

opus, ſicut & 1. Tim.3. 1. Non eſt inanis titulus & dignitas, ſicut ſunt officia Prælatorum in Papatu, ſed laborioſum opus. Diſcendum etiam, quod opus, ad quod quiſque vocatus eſt, ad id per Spiritum S. vocatus eſt. Ego vocavi ad opus. Simus igitur fideles, & concludamus ſicut, 1. Theſſal. 5. v. 24.

Hactenus mandatum mittendi: Sequitur forma miſſionis: Tunc jejunantes, precantes, & manus imponentes dimiſerunt eos. Non opus habebant vocatione & miſſione ut poſſent prædicare legitime Euangelium. Erant enim miſſi, vocati miniſtri, qui olim acceperant impoſitionē mānuum, & diu jam functi erant miniſterio, Actor.9.17. Sed opus habebant ſpeciali vocatione & miſſione ad prædicandum gentibus, ut nos gentes certi eſſemus, nobis Euangelium prædicare de voluntate Dei, contra inſolentiam Iudæorum, qui etiamnum contendunt Euangelium & S. Scripturam ad nos nihil pertinere, nec nos eſſe Dei populum, cum non ſimus ſemen Abrahæ, nec poſteri Iacobi. Ne vos aliquando hæc tentatio turbet, conſiderate hanc ſpecialem miſſionem Apoſtolorum ad gentes. Gravis erat tentatio mulieri Cananææ objecta, Matth.15.26. quam tamen ſuperavit hac fide & fiducia divinæ miſericordiæ, quod ſicut aliquis pater familias de eſca filiorum aliquas micas impertit canibus, ſub menſa exſpectantibus, ita Deus ſibi. Nos longe facilius jam poſſumus vincere hanc tentationem, qui jam dicere poſſumus, filios regni eſſe ejectos, ramos naturales eſſe decerptos, Matt.8. Rom.11. & ſpeciali miſſione ac vocatione Spiritus S. Apoſtolos eſſe ſeparatos ad prædicandum nobis gentibus Euangelium, per quam miſſionem impletum eſt illud Pauli, Gal.2.7. Non ſumus ſemen Abrahæ ſecundum carnem, ſumus tamen ſecundum promiſſionem. Vi enim ejuſdem promiſſionis, qua Iſaac natus eſt ex carne Abrahæ, nos quoque renati per Spiritum Sanctum ad imaginem Dei ſicut Abraham. Denique hinc diſcimus, quod omnia magna opera cum precibus & jejuniis debeant ſuſcipi. Præſertim qui vocant & qui vocantur ad magnum aliquod munus, ſive in Politia ſive in Eccleſia, hac re opus habent. Sicut cum gravia patimur, precibus & jejunio opus eſt, ita etiam cum gravia agere ſuſcipimus, Eſdræ 8.21. & 10.6 Eſther. 4. 16, 17. Actor. 14.23. Matth 4.2. Per hoc enim teſtamur, quod nos ipſos abnegemus, & omnem aptitudinem apud Deum quæramus. Sunt certe nunc apud nos graviſſima opera præ manu, ex qua tota Reipubl. & Eccleſiarum harum ſalus dependet. Dolendum profecto, quod cum tam paucis jejuniis & precibus ſuſcipiantur. Dicendum etiam aliquid erat de impoſitione manuum, ſed uſus & natura hujus cæremoniæ ſatis explicata eſt, Actor. 6. verſ.6. & 8. v. 17.

Actor. 13. v. 4, 5, 6, 7, 8.

CONCIO CL.

VIdimus miſſionem Pauli ac Barnabæ ad hoc primum iter, ſequitur eorum profectio & expeditio. Mitti enim & ire, vocari & vocationi extemplo, alacriter, fideliter & ſine tergiverſatione obedientem eſſe, neceſſarium eſt, niſi velis incurrere indignationem Dei, Exod. 3. 13, 14. Ierem. 1. 6, 7. Matth.8.21, 22. Deus enim Dominus noſter eſt, cui debemus abſolutam obedientiam, nec ſine magno periculo iræ Dei mandanti poſſumus opponere conſilia carnis & ſanguinis, ſuppeditantis multa argumenta diſſuadentia, petita à periculis, quæ obedientia divini mandati ſecum trahit. Profecti autem ſunt Antiochia Seleuciam, Seleucia in Cyprium Inſulam, ex Cypro in Pamphiliam, v.13. ex Pamphilia in Piſidiam, verſ.14. ex Piſidia in Lycaoniam v.15. ad v.21. cap.14. ubi incipit hiſtoria reverſionis.

I. Antiochia iverunt Seleuciam, quæ eſt urbs Syriæ, condita à Seleuco, uno ex Principibus Alexandri M. vicina Antiochiæ, unde commodus dabatur in Cyprum trangreſſus. An illam urbem ſimpliciter tranſierint, nec ibi Euangelium prædicaverint, Spiritus S. non dicit, nec nos indulgebimus conjecturis. Spiritus S. tantum de hac hiſtoria nobis conſignavit, quantum ipſi ſatis viſum ad noſtram ſalutem.

II. Hinc trajecerunt in Cyprum, Inſulam maris Mediterranei, Ciciliæ & Syriæ objectam, vicinam Candię, quæ hodie ita vexatur à Turcis. Hæc olim *Macaria* dicta, ob beatam rerum omnium corporalium abundantiam, ſed nunc demum beata facta, per communicationem Euangelii. Per abundantiam enim rerum corporalium adeo erat infelix facta, ut ſe totam Veneri conſecraſſet, nec tantum nomine Veneri ſacra eſſet, ſed etiam re ipſa impuris libidinibus adeo eſſet dedita, ut omnis turpitudo in illa Inſula honor eſſet. Sic ſolet abundantia panis parere laſciviam, ut homines ſe efferentes, faciant abominabilia coram facie Domini, Ezech. 16. v 49, 50. Det Deus, ne nobis idem accidat, quibus ſane rerum

rum omnium corporalium tanta abundantia, ut Cypro nunquam major. Optima pax & abundantia rerum corporalium ſtatus periculoſus. Eſt enim ſicut culter in manu furentis, quo ſibi facile ſalutem intercludant homines, niſi verbo Dei domentur,& Spiritu oris ejus. In hanc tamen corruptiſſimam & impuriſſimam Inſulam Deus omnium primo Euangelium ſuum miſit,& Eccleſias ibi plantavit. Eſt enim Cyprica Eccleſia prima ex tranſmarinis. Quod ſane argumentum eſt, vocationem per Euangelium non fieri ſecundum merita. Qui enim omnium erant ſpurciſſimi, non certe præ aliis meriti ſunt, ut primi vocarentur ad Euangelium. Non eſt currentis ſed miſerentis Dei, Roman. 9. cui nos quoque debemus,quod præ aliis luce Euangelii donati ſumus.

III. Additur,quod in hoc itinere Iohannem habuerint miniſtrum. Quis ille Iohannes? Non Apoſtolus qui Euangelium ſcripſit & Apocalypſin. Apoſtolus enim non ſervit Apoſtolo, cum eſſent paris poteſtatis omnes, ſed is qui *Marcus* cognominatus, filius Mariæ, de quo Actor. 12. v.12. & 25. quorundam opinione is, qui ſcripſit Euangelium, quod vocamus ſecundum Marcum. Sed an Paulus & Barnabas tanti Domini, ut opus haberent famulo, vel miniſtro, cum ipſi non eſſent niſi miniſtri? *Reſp.* Servus hic non eſt idem quod famulus, qui in corporalibus ſerviret, ſed coadjutor in Domino, ut appellantur Epaphroditus, & Timotheus, Philip 2. v.22. & 25. qui ſub directione Apoſtolorum una cum Apoſtolis Euangelium prædicabant,qualeſcoadjutores Apoſtolorum vocabantur Euangeliſtæ. Non igitur hic fundatur ſuperba Hierarchia Prælatorum,quod ſe gerunt ut Domini, multis miniſtris ſtipati, in quos onus & laborem conjiciunt, ſibi dominium & dignitatem reſervantes. Paulus & Barnabas ſe non ſubtraxerunt labori, cum ſocios laborum ſibi adjunxerunt, qui ſub ipſorum directione una laborarent.

IV. In hac Inſula primo omnium appulerunt ad urbem Salamine, quæ putatur eadem, quæ poſtea dicta *Famaguſta*. Et quid ibi egerunt? Ingreſſi Synagogas Iudæorum ibi docuerunt verbum Dei.

Annunciarunt verbum Dei. Proprietas boni concionatoris nil prædicare niſi quod Deus loquutus eſt. Non enim ſunt miniſtri Dei, nec veri Theologi,qui ſua phantaſmata vel *διδασκαλίας ἀνθρώπων* concionantur, Coloſſ. 2. verſ. 22. *διδασκαλίας δαιμονίων*, 1. Timoth. 4. v. 1. Quid autem eſt verbum Dei prædicare? Duobus modis prædicatur verbum Dei:

1. Cum quis prædicit divinos inſtinctus, divinaſque ac immediatas revelationes. Sic Prophetæ, prę́ſertim primi, qui non ex ſcripto aliquo libro depromſerunt, quod populum docuerunt, ſed ex immediata Dei revelatione, quamvis Prophetæ poſtimi ſemper reſpexerunt ad Prophetas & Patriarchas primos ut nihil ab illis diverſum docerent, ſed Deum Patrum ſuorum annunciarent poſteris. Sic etiam Chriſtus & Apoſtoli prędicarunt divinos inſtinctus & revelationes. Etſi enim Chriſtus & Apoſtoli ita ſe geſſerunt in ſuis concionibus: ut nihil docerent extra id quod ſcriptum eſt in lege & Prophetis populoque Scripturas aperirent, Luc. 24. 27. Actor. 24 14. & Actor. 26. 22. recte tamen dicitur, quod Apoſtoli & Chriſtus divinos inſtinctus prædicaverint, divinaſque revelationes. Etſi enim nullas novas doctrinas prędicarunt, antea incognitas & non revelatas: tamen prædicarunt res antea non factas, & à Deo acceperunt per inſtinctum Spiritus S. clariores revelationes doctrinarum antea obſcurius revelatarum, eaſque non tantum divino juſſu, ſed etiam divino ductu, ſine errore & ſine periculo erroris eloquuti ſunt & deſcripſerunt.

2. Cum quis prędicat divinam Scripturam. Tales fuerunt & ſunt ordinarii Paſtores & Doctores tum Veteris tum N. Teſt. Horum enim officium non eſt revelationes captare, ut faciunt fanatici noſtri temporis, ſed Scripturam ſtudere, ac ſcrutari, ſenſuſque ſuos in illa legenda ac conferenda bene exercere, cum invocatione Dei ex puro corde, & tum doctrinam in Scriptura traditam populo proponere, inculcare & inplantare, & doctrinam, quam proponunt, ita *συμβιβάζειν* ſeu coagmentare Scripturę, ut populus Scripturam legens poſſit videre quæ ex Scriptura deprompta ſint quę docent, ut ita Eccleſia Dei ædificetur ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, nec loco verbi Dei accipiat inventiones & traditiones hominum, quibus à vero fundamento abducatur. Omnium quidem Chriſtianorum officium eſt ſcrutari Scriptura, Ioh. 5. Sed non omnes poſſunt feliciter & tuto hoc præſtare, *ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ αὐτούς*. Actor. 8 31 Ideo conſtituti ordinarii Paſtores & Doctores Eccleſiarum, ut gregi ſint *τύποι ἐν λόγῳ*, 1. Timoth 4. 12 1. Petr. 5. 3. ut labiis ſuis cuſtodiant puritatem legis contra errantes & condicentes, Mal. 2. 1. Tim. 3. Tit. 1. Hoc diſcrimen inter miniſtros Chriſti & Antichriſti: Quoniam populus ſine multa difficultate

tate & variis erroribus Scripturam non poteſt legere, ideo miniſtri Antichriſti ad hos errores populi præveniendos Scripturam eis plane eripiunt, & lectionem ejus prohibent ac diſſuadent, immo ipſi vix legunt, & loco Scripturæ placita Papæ concionantur, & neſcio quod verbum non ſcriptum: Miniſtri vero Chriſti gregi ſe ſe præbent πιστοὺς καὶ ὁδηγοὺς in legenda Scriptura, & ſic populum non abducunt à Scriptura, ſed in eam introducunt. Qui ſic docent, gregem recte dicuntur docere verbum Dei. Etſi enim etiam tales Doctores adhibent ſcripta humana, tanquam adminicula aperiendi Scripturam, immo etſi non ſunt abſque omni errore in aperienda Scriptura, tamen qui ſic populum in Scripturas introducunt; legitime vocati & ſincero corde Deum invocantes, habent promiſſionem Spiritus S. quod opus ipſorum ſit futurum fructuoſum in Domino, & idoneum ad convertendas animas, Ioh. 15, 16. Hodie igitur verbum Dei prædicare nihil eſt aliud, quam Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta populo aperire & viva voce inculcare.

Cur autem in Synagogis Iudæorum docuerunt? *Reſp.* 1 Quia Iudæis primum oportuit annunciari v. 46. ut appareret Deum non deſeruiſſe Iudæos, ſed Iudæos deſeruiſſe Deum. Deus non rejecit niſi rejectus. Deus non venit ad populum aliquem rogatus & bonis meritis invitatus, ſed ex mera & libera gratia, ſed cum ex gratia ad aliquem populum venit, non diſcedit niſi deſertus. Sic ipſe juſtus & fidelis eſt in fœdere ſuo ſervando, ſed populus eſt fœdifragus, qui Deum deſerunt & alium ſalvatorem eligunt. 2. Quia Iudæi erant occaſio qua Apoſtoli gentibus innoteſcebant. Apoſtoli ut Iudæi veniebant ad Iudæos inter gentes habitantes, & ſic ſine difficultate admittebantur ut in Synagogis Biblia Iudæorum exponerent. Cum autem Iudæi percipiebant, quod Apoſtoli Scripturam exponerent alio modo quam in corruptis eorum Synagogis fieri ſolebat, & omnia applicarent ad Ieſum Nazarenum, odio veritatis indignabantur Iudæi, & Apoſtolos apud Ethnicos, inter quos habitabant, accuſabant, quod novam doctrinam referrent, ab antiqua lege deficerent, & novum aliquem Prophetam annunciarent. Hac delatione Iudæorum accendebatur Ethnicorum curioſitas ad inquirendum in Apoſtolorum doctrinam, & ſic Iudæorum lapſus factus eſt Ethnicorum ſalus, qui per eum ad zelum & æmulationem excitati ſunt, Roman. 11. 11, 12. Sic Deus ex tenebris creavit lucem, 2. Cor. 4 Sic per perſequutionem hoſtium propagavit Euangelium, Philip. 1, 2. Idem factum tempore graviſſimarum perſequutionum ſub Imperatoribus Ethnicis. Cum enim perſequutionem viderent homines, movebantur ad inquirendum in perſequutionis cauſam, & hac occaſione Euangelium diſcentes per Spiritum Dei convertebantur ad fidem. Idem factum in reformatione Eccleſiæ à Papatu. Cum enim docti quidam viri, à Prælatis Romanis ad verbum Dei docendum vocati, illud ita docerent ut in Scriptura docetur, & hoc pacto erroribus quibuſdam Romanis contradicerent, Prælati & Monachi, veritatis odio incenſi, eos cœperunt perſequi & apud populum accuſare quod novam adferrent doctrinam verbo Dei contrariam. Hac occaſione populus cœpit in eorum doctrinam inquirere, eamque cum Scriptura conferre, & ſic ad agnitionem veritatis pervenit. Ne offendimini igitur, cum videtis in Eccleſia etiamnum oriri ſectas, quæ veritati contradicunt. Talibus enim contradictionibus gratia Dei aperiuntur hominibus oculi, ut fiant cupidi ad audiendum Paulum & Barnabam, ſicut hic Sergio Paulo contigit, qui cupidus erat audiendi. Non enim neceſſe eſt ſtatuere, Sergium Paulum jam tum habuiſſe aliqua initia Spiritus Sancti, per quæ verum ac ſpirituale deſiderium verbi & ſalutis in eo fuerit accenſum, nec opus eſt credere, hanc cupiditatem eſſe quandam naturalem probitatem, quæ Deum moverit ad dandam ei gratiam converſionis præ aliis. Fuit enim mera curioſitas carnalis, per odium Iudæorum contra Paulum accenſa, qua motus eſt ad audiendum illud verbum, per quod poſtea converſus eſt. Non fuit hæc cupiditas audiendi in Sergio vel initium converſionis, vel cauſa Deum impellens ad dandam converſionem, ſed fuit externa occaſio, qua adductus eſt ad audiendum verbum per quod converſus eſt.

IV. Poſtquam Salamine ad tempus docuiſſent, totam Inſulam peragrarunt uſque ad urbem Paphos, & præcipuum quod Apoſtoli hac in urbe fecerunt, eſt converſio Sergii Pauli proconſulis Romani, qui Inſulam Cyprum Romanorum nomine regebat. De hac converſione habetur,

1. Occaſio converſionis.
2. Impedimentum converſionis.
3. Media converſionis.
4. Converſio ipſa.

Occaſio converſionis fuit, quod Sergius vir prudens advocavit Paulum ac Barnabam, & deſideravit verbum Dei audire. Dixi jam tum, quod hæc cupiditas audiendi Paulum & Barnabam, non fuit ſincerum,

cerum, ſpirituale deſiderium Euangelii, ortum ex initio converſionis, ſed curioſitas carnalis ſciendi aliquid novi. Ad hanc curioſitatem in Sergio Paulo acceſſit prudentia Politica, quæ in Sergio erat major, quam in Barbaris Cypriis, qua prudentia tanto magis edoctus fuit ad inquirendum in id, contra quod Iudęi tantopere tumultuabantur. Non fuit tamen hæc prudentia & curioſa ſimul, ac prudens inquiſitio Sergii in doctrinam Pauli cauſa impellens, quæ Deum movit ad Sergium convertendum. Deus enim ſapientes & curioſos hujus mundi ſcrutatores plerumque præterit, & invenitur ab iis qui non quærunt ipſum, 1. Cor. 1. 20. Rom. 10, 20. Sed fuit tantum occaſio, qua inductus & illectus eſt ad audiendum verbum, converſionis ſemen ac medium.

Impedimentum hujus converſionis fuit quidam Pſeudo-Propheta, nomine Barjeſus, cognomine *Elymas*, quod exponitur magus, qui erat cum Sergio Paulo, quoque Sauli & Barnabæ concionantibus reſiſtebat, & quærebat proconſulem avertere à fide. Duo ſunt in hoc paragrapho.

1. Nomina & tituli hujus hominis. Fuit Pſeudo-Propheta, natione Iudæus, qui vel Deum ipſum ſe eſſe, vel Filium Dei & Meſſiam promiſſum, vel denique magnum aliquem Dei Prophetam jactitabat, quique ſub prętextu divinæ miſſionis venenum falſæ doctrinæ propagabat. Nomen ejus erat Barjeſus, quod alii legunt Barjehu, alii Barſuma. Barjeſus autem ſignificat filium ſanationis vel ſalutis, quia forte inter alia jactitavit donum ſanandi morbos. Titulus ſeu cognomen ejus fuit Elymas, quod Lucas ait ſignificare magum. De hoc nomine multum diſputatur inter commentatores, cujus ſit originis, & in qua lingua ſignificet magum, an in Hebræa, Syriaca, Arabica vel Cyprica. Nobis vero hæc diſputatio non videtur tantæ utilitatis, ut ei ſit inhærendum in Cathedra populari. Sufficit auctoritate Euangeliſtæ conſtare, quod Elymas ſignificet magum.

2. Actionem ejus. Reſtitit, & quæſivit avertere conſulem à fide. Incipiebat verbum Dei operari in cor Proconſulis, quod magus animadvertens omni ope reſtitit, & vim ejus quæſivit exſtinguere. Quomodo reſtiterit, non dicitur. Tres tamen ſunt viæ ordinarię, quibus Pſeudo-Prophetæ veritati Euangelii reſiſtunt: 1. Tyrannis & eluſio impudens, exſecratio, maledictio, comminatio. 2. Subtilis ſophiſticatio & ſpecioſa ſeductio ac deluſio. 3. Falſa ſigna & prodigia, magica arte effecta. Hæc tria ſe egregie produnt in ſacrificulis Pontificiis, & hac triplici oppoſitione ſine dubio etiam hic magus eſt uſus. Diſcamus hinc quam ſit difficile ad veritatis agnitionem & receptionem venire, ac in ea perſeverare. Veritas Myſteriorum Euangelii in ſe ipſa eſt res ardua & captum humanæ rationis ſuperans. Eſt prętereà in nobis agnata cœcitas & odium veritatis, quod nos intrinſeca illectione & tentatione à veritate ſatagit abducere. Sed ſunt præterea tot falſi Prophetæ, qui tam variis artibus laborant homines à fide avertere, ut Chriſtus non immerito dixerit, ſi poſſibile eſſet, etiam electos ſeductum iri nec ullam carnem ſalvatum iri, Matth. 24. 24. Adam qui carnem & ſanguinem in ſinu non geſtabat, ſed perfectus erat in ſanctitate, nec multiplicibus ſectis & falſis Prophetis fuit circumdatus, unica tentatione Diaboli tam facile fuit ſeductus: Quid igitur nobis non fiet, qui internas carnis tentationes in ſinu gerimus, & fide ac ſanctitate infirmi ſumus, & circumdari tot ſeductoribus? *Object.* Si ſic ſe res habet, quis poteſt ſalvari, Matth. 18. 25.? *Reſp.* Quod apud homines eſt impoſſibile, apud Deum eſt facile. Hæc doctrina de difficultate converſionis & perſeverantiæ non ideo proponitur, ut Deo diffidamus, ſed ut diſcamus nóbis ipſis diffidere, falſam illam doctrinam de viribus liberi arbitrii abnegare, de propria impotentia triſtari, & ſuper ea humiliari. Qui per hanc doctrinam eo adiguntur, iis delata eſt promiſſio divinæ opis ac cuſtodiæ, quod ſcilic. virtute Dei ſint cuſtodiendi fide, 1 Petr. 1. quod nemo eos eripiet ex manu Chriſti, Ioh. 10. quod portæ inferorum eos non vincent, Matth. 16. Euſque extimeſcendi ſunt ſeductores, ut cum timore & tremore impotentiam noſtram agnoſcamus, fateamur, deploremus, ſed non euſque, ut etiam divinæ cuſtodiæ diffidamus, ſed potius ut fiduciam in promiſſiones fœderis opponamus terroribus ſeductorum.

Actor. 13. v. 9, 10, 11, 12.

CONCIO CLI.

SEquitur medium, per quod converſus eſt Sergius, videl. acris reprehenſio & pœna, qua Paulus Elyman adortus eſt, & conatum ejus in impediendo Sergii converſione ſuperavit. Quatuor hic conſideranda: 1. Mutatio nominis, quæ Saulo occaſione hujus operis contigit. 2. Deſcriptio zeli Paulini, quem in hoc opere oſtendit. 3. Acris reprehenſio, qua

qua Elyman corripuit. 4. Corporalis pœna, quam ei miraculoſe inflixit.

DE PRIMO.

SAulus qui & Paulus. Hebræus Hebraico vocabulo appellabatur *Saulus*, ſed poſtquam Romanum Proconſulem convertit ad fidem, cui nomen erat Sergius Paulus, ipſe quoque loco Sauli *Pauls* nomen accepit. An ipſe hoc nomen ita mutaverit, an gentiles Romani, quibus Pauli quam Sauli nomen uſitatius erat & notius, eum ita appellaverint, non refert. Sine providentia tamen hæc mutatio facta non eſt, ſed ideo gentile nomen Saulo impoſitum, ut per hoc confirmaretur vocatio ejus ad docendas gentes, & ipſum nomen ei eſſet monitorium, ut diligenter in hoc incumberet, unde etiam nomen hoc ipſe uſurpavit in omnibus ſuis Epiſtolis ad gentes, & in ſola ad Hebræos Epiſtola omittit.

Foret hic campus dicendi de impoſitione nominum, quam illa originem & quem uſum habeat, & an licitum nomen ſemel acceptum mutare? Sed ſit hoc alibi. Ex hoc nomine patet, Paulum fuiſſe præcipuum doctorem gentium in fide & veritate, 1. Tim. 2. v. 7. non autem Petrum, ut ſi cuiquam competeret eſſe caput Eccleſiæ, ex Ethnicis collectæ, non Petro competeret, qui Hebræum ſuum nomen retinens, fuit doctor circumciſorum, ſed Paulo, qui nomine Hebræo depoſito Ethnicum aſſumpſit, ut vocetur doctor præputiatorum, Gal. 2. v. 7, 8, 9.

DE SECUNDO.

REpletus Spiritu S. oculos intendit. Apoſtoli duplici modo dicuntur repleri Spiritu Sancto. I. Cum imbuuntur donis ſpiritualibus, Actor. 2. v. 4. II. Cum à Spiritu S. excitantur ad aliquid cum zelo & fervore agendum, Actor. 6. 8. & 7. 55. Sic hoc loco ſumitur. Dona Spiritus S. non ſemper actualiter operantur in homine, ſed ſe exſerunt in occaſionibus quę obtingunt. Sic cum Paulus videret injuſtitiam & malitiam hujus magi, exardeſcit divino zelo; ſicut Chriſtus cum videret hominum incredulitatem, Ioh. 13. v. 38. Eſt ſignum boni concionatoris exardeſcere zelo, cum videt homines malitioſe peccantes. Sic Chriſtus, Ioh. 2. v. 14, 15. Sic Paulus, Actor. 17. v. 16. Sic Loth, 2. Petr. 2. v. 7 Propter hunc zelum, boni miniſtri vocantur, *ſal terræ*, & qui hanc ſalſedinem non habent, inutiles ſunt ad miniſterium, Matth. 5. v. 13. Eſt indicium veri amoris, quem gerunt erga gregem ſuum, ſicut qui amat, facile exardeſcit zelo, ſeu ſancta iracundia, cum ii, quos amat, ſunt in periculoſa actione. Sicut gallina, videns pullos periculoſe circum-curſitare, non deſinit glocitare cum iracundia donec reduxerit, ita miniſtri, Matth. 23. v. 37. Hinc comparantur vigilantibus canibus, qui heros excitant & in fures involant, Eſa. 56. v. 10, 11. Debent quidem Sal zeli miſcere manſuetudine & pace, Marc. 9. v. 50. 2 Tim. 2. v. 24. Sed tamen non ita debent amare pacem, ut deponant zelum; utrumque malum eſt, & ſi nimis ſis auſterus, & ſi nimis ſis manſuetus: Sed gravius tamen eſt excedere in lenitate, quam excedere in zelo, quod patet ſi compares Exod. 32. 19. cum 1. Sam. 3. v. 12, 13. Eli punitur, Moſes non punitur. Potius igitur precemini, Deus det miniſtris veſtris hunc zelum, quam ut propter eum eos odio habeatis. Par ratio eſt magiſtratuum. Hi quoque debent excandeſcere zelo, cum audiunt crimina patrata. Si non faciunt, Spiritus S. non eſt in iis. Vide 2. Sam. 12. 5. Idem debent omnes Chriſtiani, 1. Cor. 5. 2. Pſal. 119, 136.

DE TERTIO.

INcrepatio & objurgatio eſt graviſſima. Salutat eum valde inhumaniter, appellatque plenum omnis doli, i. e. verſutum. Verſutia, aſtutia, calliditas, fraudulentia (**liſtigheydt / verſlaghentheydt / argheydt**) eſt vitium, quo homines malitiam ſuam tegere, & quod malum eſt ſub ſpecie boni patrare poſſunt. In eo enim differunt prudentia & aſtutia, quod illa bonum docet facere ſine ſpecie mali, hæc vero malum novit patrare ſub ſpecie boni. Quod bonum eſt ſæpe habet ſpeciem mali, & ideo oppoſitionibus impeditur. Hanc ſpeciem mali ab actionibus bonis poſſe removere, & oppoſitiones feliciter vincere prudentiæ eſt. Malæ actiones induere poſſunt ſpeciem boni. Malas igitur actiones probe poſſe colorare & tingere, ut non diſpliceant populo, malamque cauſam ſpecioſis rationibus poſſe juſtificare, verſutiæ eſt. Qui ſinceri ſunt & bonum amant, id agunt, ut vitent ſcandala & ſpeciem mali, ideoque ſunt ſtudioſi prudentiæ. Qui mali ſunt & malum amant, etiam conantur ut vitent ſpeciem mali, & malum ſuum veſtiant ſpecie boni, ideoque ſunt ſtudioſi aſtutiæ. Vide exemplum, Gen. 3. ubi ſerpens, calliditate ſua Evam ſeducturus ad faciendum

malum prohibitum, variis Sophiſmatis malum illud palliat, ut habeat ſpeciem boni. Contrarium exemplum ſapientię, vide Actor. 23. 6, 7. &c. Ubi Paulus, volens effugere periculum à Sadducæis & Phariſæis, communibus hoſtibus, imminens per verum, juſtum, & nihilominus prudenter excogitatum prętextum communes hoſtes inter ſe dividit, & ſic diviſione eorum ſalvatur. Hæc illa ſimplicitas columbina cum prudentia ſerpentina, Matth. 10. v. 16. Columbæ neminem provocant, neminem laceſſunt, nemini injuriam faciunt, ſed nec ab aliorum injuriis ullo modo ſe defendere norunt. Serpentes vero pugnant & laceſſunt omnes, & cum nocuerunt, norunt curvis ambagibus (door kromme ſprongen) ita evadere, ut noceri ipſis non poſſit. Nos debemus columbas imitari in hoc ut nemini faciamus injuriam, ſerpentes vero in hoc, ut injurias hoſtium ſapientibus & innocuis artificiis poſſimus effugere. Sic erimus prudentes. Si vero hoc tantum ſtudemus ut ſerpentinam malitiam ſpecioſis artibus pingamus, erimus callidi & falſi. Vide Rom. 16. 19. 34. plenam *πάσης ῥᾳδιουργίας*, i. e. audaciæ. *ῥᾳδιουργὸς* eſt facilis ad patrandum & deſignandum, i. e. audax. Qui callidus eſt ſine audacia, parum nocere poteſt. Sic & qui prudens eſt ſine fortitudine, parum ſe defendere poteſt. Sicut calliditatis comes eſt audacia; ita prudentiæ fortitudo. *οἱ αὐθάδεις* ſunt *τολμηταί*, 2. Petr. 2. 10. Quid differunt audacia & fortitudo? Id docetur 2. Chronic. 17. v. 6. Fortitudo eſt elatio ſeu obfirmatio cordis in viis Domini. Sed audacia eſt elatio cordis in viis Diaboli. Fortitudo eſt conſtantia & obfirmatio cordis in bono, orta ex fide & amore in Deum. Audacia eſt conſtantia & obfirmatio cordis in malo, orta ex impudentia & atheiſmo. Cum homines non credunt eſſe Deum mali vindicem, & cum ita occalluerunt, ut nulla turpitudine pudefiant, tum quidvis audent.

Secundo appellat eum filium Diaboli. Omnes homines, qui non ſunt per Spiritum S. regeniti, poſſunt appellari filii Diaboli, quia Diabolus iis dominatur, eoſque quaſi ex ſe genuit, i. e. naturæ & malignitatis ſuæ eos fecit participes, 1. Iohan. 3. v. 10. Matth. 13. v. 38. ſicut Deus, regenerando naturæ ſuæ per infuſionem Spiritus S. nos facit participes, & dominium ſuper corda noſtra capeſſit, 2. Petr. 1. v. 4. ita Diabolus venenum ſuum in nos evomit, & per id, tanquam per laqueos, animę noſtræ dominatur. Sed ſpeciali modo illi ſunt filii Diaboli, qui Diabolo ſimiles ſunt in odio Dei & veritatis, in Eccleſiæ perſequutione. Vide Iohan. 8. 44. & 39. 40. qui ideo etiam appellantur generatio viperarum, Matth. 3. 7. quia in ſe gerunt venenatum illud & amarum odium veritatis divinæ, ut bellum gerant adverſus Deum & Eccleſiam. Illi quoque ſpeciali modo ſunt filii Diaboli, qui expreſſum fœdus pacti ſunt cum Diabolo, ſeipſi totos tradentes & eum pro Patre ſuo agnoſcentes, Deo penitus abnegato. Talis fuit Elymas & omnes venefici ac magi, nec non idololatrę. Hi enim Diabolum ſibi in Deum & Patrem eligunt, Actor. 8. v. 23.

Tertio appellat ipſum inimicum omnis juſtitiæ. Duplices ſunt hoſtes juſtitiæ. I. Qui naturalem habent averſionem à juſtitia & delectantur in injuſtitia. Hoc ſenſu omnes homines natura ſunt hoſtes Dei, Rom. 5. v. 10. & 8. v. 7. Coloſſ. 1. v. 21. II. Qui ipſo intellectu juſtitiam omnem improbant, & toto corde oderunt ac perſequuntur. Cæteri homines luce naturæ approbant quod bonum eſt, & meliora vident, probantque etiamſi deteriora ſequantur. Sed hi penitus deteſtantur quod juſtum eſt & ſanctum. Cæteri, ſi ipſi non ſunt probi, poſſunt tamen pati ut alii ſint, ſed hi alios ob probitatem perſequuntur.

Quarto denique ipſum appellat perverſorem rectarum viarum Domini. Viæ Domini ſunt doctrina ſalutaris, quam Deus in verbo ſuo revelavit de modo & mediis accipiendi ſalutem. Hæ viæ ſunt rectæ, id eſt, veræ & infallibiles, quia infallibiliter ad ſalutem ducunt. Sed Diabolus per ſua inſtrumenta hanc veram doctrinam adipiſcendi ſalutem ita pervertit, ut homines non adipiſcantur ſalutem. Quomodo homines poſſunt pervertere quod rectum eſt? An homines quod rectum eſt poſſunt facere curvum? An quod verum eſt poſſunt facere falſum? *Reſp.* Non hic ſenſus eſt; ſed quod homines zizania injiciunt tritico, fermentum maſſæ, veritati miſcent errores & humanas traditiones, per quas veritatem in verbo revelatam obſcurant, ut non videri nec recipi poſſit ab hominibus. Sic hic Elymas Iudæus cum eſſet, & rectas vias Domini è ſcriptis Prophetarum miſcuit, fabulis & ſomniis ſuis eas miſcuit, & ea per miracula & ſophiſmata callida confirmavit, ut homines, putantes ſe recipere vias Domini, revera reciperent vias Diaboli.

Uſus.

I. Sit hoc ſpeculum in quo contemplamur modernum clerum Romanum. Ovum, ovo ſimilius non

non eſt, quam Elymas & Clerus Romanus, præſertim, quod à præcipuis Romanenſibus conceditur, Ieſuitæ.

1. Si illi ſunt filii Diaboli, qui Idolis ſacrificant, veritatem & Eccleſiam perſequuntur; quomodo hunc titulum negabimus Clero Romano, cum cogitamus horrendam illorum idolomaniam & crudeliſſimas lanienas, eorum ſuaſu in Eccleſia Dei inſtitutas.

2. Calliditas eorum & falſitas, in mala ſua cauſa pallianda & juſtificanda, non poteſt eſſe ignota iis, qui aliquo modo exercitatos habent ſenſus in eorum ſcriptis, & quotidiana converſatione.

3. Audacia ipſorum quanta ſit, præſertim in conviтiandis & reſiſtendis poteſtatibus, oculis noſtris quotidie conſpicimus & auribus audimus.

4. Sed quo prætextu facies eos inimicos omnis Juſtitiæ? *Reſp.* Duplex eſt juſtitia, Euangelica & Legis. Quam acerbi hoſtes ſint juſtitię Euangelicæ, clarum eſt ex eo, quod nihil magis oderint & perſequantur, quam doctrinam de juſtificatione peccatoris per fidem in merita Ieſu Chriſti. Quod etiam ſint hoſtes juſtitiæ legalis, non ſolum patet ex impia vita Sacerdotum & Monachorum in cœnobiis, ſed etiam ex impia poteſtate, quam ſibi ſumunt in præceptis legis per diſpenſationem ſuam & traditiones ſuas annullandis & ſolvendis, quoties id vident inſervire ſuo uſui in materia conjugiorum, juramentorum, fœderum, &c.

5. Quis autem non videt, quod rectas vias Domini pervertant, qui verbum Dei è manibus hominum eripiunt, ne legant ac examinent, qui loco verbi tot humanas traditiones porrigunt, qui vera Sacramenta tanto cœremoniarum jugo contaminant, & in ſumma id unum agunt, ne populus ſciat jura & vias Domini in libro legis ſcriptas.

6. Denique ſi ideo Elymas tam acriter reprehenſus quod Sergium conatus eſt à fide avertere; quid clarius. quam quod Ieſuitę & Monachi eandem reprehenſionem mereantur? Qui enim homines avertit à regula fidei, à fundamento fidei, à materia fidei, à forma fidei, is certe à fide avertere dicendus eſt. At Clerus Romanus homines avertit.

1. A regula fidei, non docens credere quicquid ſcriptum in Prophetis & Apoſtolis, ſed quicquid definierit & docuerit Romana ſedes.

2. A fundamento fidei, docens non confidere in Ieſum Chriſtum ejuſque Juſtitiam, ſed in ſe ipſum & merita propriorum operum ac ſatisfactionum.

3. A materia ſeu objecto fidei, docens non in ſolum Deum credere, ſed credere in Angelos, Mariam & alios Sanctos. Quos enim docent adorare, in eoſdem docent credere.

4. A forma fidei. Vera forma & natura fidei in eo conſiſtit, quod contrita & dejecta corda totis viribus recumbant in Dei miſericordiam, Chriſti merita, verbi promiſſa, Sacramentorum obſignationem, & ſeipſos ſalutis certiores reddere laborant. Ab hac forma fidei Romanus Clerus ſatagit homines avertere, condemnans eam ut præſumptionem, docens dubitare potius & incerta ſpe contentum eſſe.

Quoniam igitur Clerus Romanus tam ſimilis huic Elymæ; quid mirum quod nos Miniſtri ſubinde in concionibus noſtris eodem lixivio caput ejus perfundimus? quid mirum, quod Magiſtratus noſtros hortamur, ut pleni Spir. S. oculos ſuos in eum intendant & peſſimis ejus conſiliis vigilanter attendant? quid mirum, quod auditores dehortamur à nimia & periculoſa cum iis converſatione & communione? Non facimus hoc ex ira, ſed ob eaſdem rationes, ob quas Paulus Elymam ita tractavit.

II. Sit hoc ſpeculum in quo nos ipſos contemplemur, & quales natura fuerimus obſervemus. Demus operam, ut hac reprehenſione utamur pro ſpeculo, in quo ſæpe contemplemur naturalem noſtram miſeriam. Omnes natura ſumus pleni calliditate & audacia, Ierem. 17. v. 9. Omnes ſumus natura filii Diaboli, Qui enim ex Deo non eſt genitus, Diaboli filius eſt, Iohan. 3. v. 10. Omnes natura ſumus hoſtes juſtitiæ, Rom. 4. v. 10. Omnes erramus ſicut oves à rectis viis Domini, Eſai. 53. v. 6. & corrupimus vias noſtras, Gen 6. 12. Ierem. 9. 3. 19. Elymas in his omnibus fuit confirmatior per conſuetudinem & ſpontaneam malitiam quam nos, ſed omnes tamen ita corrupti ſumus ut hi omnes tituli optimo jure in nos quadrent, cum conſideramus quales ſumus in naturali noſtro ſtatu extra gratiam Chriſti. Exclamandum nobis cum illo bubulco qui conſpectu bufonis, movebatur ad exclamandum & gratias agendum Deo, quod talis non eſſet. Contemplemur igitur nos ſæpe in hoc ſpeculo, ut intuitu noſtræ corruptionis ac miſeriæ doceamur & excitemur ad effugiendam iram Dei, Matth. 3. v. 7. idque non ut Phariſæi & Sadducæi, ſed ſicut monemur ibidem, v. 8. ferendo fructus dignos pœnitentia. Nec majus eſt ad ſolatium hauriendum argumentum, quam ſi in talibus ſpeculis intueamur miſeriam à qua liberati ſumus. Hoc enim facit nos eſſe

contentos ſtatu gratiæ in quo ſumus. Etſi is ſtatus non eſt perfectus, ſed omni genere calamitatum permixtus; tamen ſi comparetur cum hoc ſpeculo naturalis noſtræ miſeriæ, excitat patientiam & gratitudinem.

Hactenus reprehenſio Elymæ, ſequitur corporalis ejus punitio. Poſtquam enim reprehendiſſet, denunciat manum Domini fore contra ipſum; ita ut cęcus factus, ad tempus ſolem non conſpecturus ſit, & quod denunciat, confeſtim ita impletum eſt. Diſciplina Eccleſiaſtica conſiſtit in duabus Clavibus: prior eſt *Clavis verbalis*, quæ conſiſtit in denuntiatione pœnæ. Poſterior eſt *Clavis realis*, quæ conſiſtit in inflictione pœnæ. Hæc poſterior non tantum eſt privativa, conſiſtens in eo, quod quis arcetur ab officiis eccleſiaſticis, & à participatione Sacramentorum, ſed etiam poſitiva, conſiſtens in eo, quod quis pronuntiatur maledictus ac maranatha, & ſic diabolo traditur *ad corruptionem carnis*, 1. Cor. 5. v. 5. id eſt, ad frangendum dominium peccati per tentationes & terrores diaboli. Sed hæc diſciplina, quantumvis ſit realis & poſitiva, tamen non eſt niſi ſpiritualis pœna. Priſtinis autem temporibus, cum Eccleſia nondum eſſet ſub Magiſtratu Chriſtiano, cujus gladio defenderetur contra hoſtes, Deus ſuis Apoſtolis aliquando conceſſit poteſtatem corporali ſupplicio exercendi diſciplinam in impios hoſtes, ut aliquorū exemplis absterrerentur cæteri à perſecutione Apoſtolorum, ut patet ex hoc exemplo & ex exemplo Ananiæ, Act 5. nec non exemplo Eliſæi 2. Reg. 1. 9. Hoc igitur cum ſit extraordinarium, nihil aliud inde poſſumus diſcere quam hanc generalem doctrinam, quod qui non vult videre lucem Euangelii oculis ſuis oblatam, percutietur cæcitate. Id olim verum fuit, verum etiam nunc eſt: Non quod miniſtris hodiernis detur poteſtas talis percutiendi cœcitate corporali, ſed tamen ſpirituali; vide Ioh. 9. v. 39. Actor. 28. v. 25. 26.

Sequitur converſio ipſa, conſiſtens in eo, quod Sergius hæc videns credidit, perculſus ſuper doctrina Domini. Hæc verba non continent deſcriptionem totius converſionis, ſed tamen continent duo illa principia, quibus poſitis, tota converſio ſequitur. Poſita enim fide & contritione neceſſario ſequitur emendatio & ſanctitas vitæ. Contritio enim parit metum & timorem, qui peccatum compeſcit; fides vero parit amorem, qui obedientiam producit. Quoniam autem de natura contritionis & fidei alibi clarius dictum eſt, nolumus hoc loco ei rei inhærere. Perculſio ſuper doctrina Domini ſic non notat admirationem, ſed terrorem & contritionem cordis excitatam per doctrinam Euangelii, quippe quæ paſſionem Chriſti enarrans, ita dat materiam ſolatii, ut ſimul oſtendat terribile ſpeculum iræ divinæ contra peccata.

Actor. 13. v. 13, 14, 15, 16, 17, 18.

CONCIO CLII.

PAulus 1. Corinth. 3. ſe & cæteros Apoſtolos comparat cum Architecto, qui fundamentum ponit, nec non cum hortulano, qui plantat, ordinarios vero particularium Eccleſiarum Miniſtros comparat cum iis, qui fundamento poſito ſuperſtruunt, & qui germina plantata humectant. Id enim erat officium Apoſtolorum, ut hinc inde peregrinantes, & terrarum orbem peragrantes, Eccleſias plantarent, uſque deinde præficerent ordinarios Paſtores, Doctores, Rectores, & Diaconos, qui cuilibet particulari Eccleſiæ ab Apoſtolis plantatæ, ædificandæ præeſſent, ut firma maneret; immo creſceret & propagaretur.

In hac peragratione orbis eminens fuit Apoſtolus Paulus, cujus quatuor itinera ex Oriente in Occidentem reliqua parte hujus libri nobis explicantur, cum particularibus illis contingentibus, quæ in ſingulis itineribus ipſi obvenerunt. Nos adhuc ſub manu habemus hiſtoriam primi itineris, quod in egreſſum & regreſſum dividitur. In egreſſu ex Oriente verſus Occidentem, ſequentia ipſi obvenerunt. I. Primo omnium venerunt in Cyprum Inſulam, & præcipuum quod ibi occurrit, eſt conflictus ille cum magno Mago, qui converſionem proconſulis Sergii Pauli cupiebat impedire. II Cum ex Cypro transfretaturi eſſent in terram firmam, Iohannes Marcus qui miniſtrandi cauſa cum Paulo & Barnaba egreſſus erat, eos deſerit, & in patriam revertitur. III. Ipſi nihilominus pergentes in itinere venerunt Antiochiam Piſidiæ, ibique Synagogam Iudæorum ingreſſi, & à præfectis Synagogæ ad loquendum impetrati, egregiam habuere concionem de IeſuChriſto, cujus verba & effectus deſcribuntur à v. 16. ad finem hujus capitis. IV. Ex Antiochia tandem ejecti, venerunt in Provinciam Lycaoniam, & quid ibi eis obtigerit deſcribitur Cap. 14. v. 21.

Hac vice primum paucula dicemus de diſceſſu Ioannis ſive Marci, quo Paulum ac Barnabam quibuſcum egreſſus erat, deſeruit v. 13. Si hiſtoriam & libros

libros N.T. inter ſe comparamus, multa ſunt, quæ de hoc Iohanne ſive Marco deſcribuntur. 1. Familia ejus, quod fuerit filius Mariæ fœminæ piæ, quæ domum ſuam commodabat in templum, ubi congregabantur Chriſtiani, Actor. 12. v. 12. 2. Bonum ipſius propoſitum & initium in opere Domini faciendo. Exiit enim cum Apoſtolis, ut ipſis miniſtraret in prædicatione Euangeli inter gentes, Act. 13. v. 5. 3. Defectus ejus in hoc bono cœpto. Pertæſus enim operis Apoſtolos deſeruit, & Hieroſolymam in gremium matris reverſus eſt, Actor. 13. 13. 4. Diſſidium quod propter hanc deſertionem ortum eſt inter Paulum & Barnabam. Cum enim ſub præparationem ſecundi itineris Barnabas ſuaderet, ut hunc Ioannem Marcum denuo ſecum ſumerent, & Paulus non judicaret æquum denuo comitem ſumere, qui ſemel tam turpiter eos deſeruerat, tum acris contentio orta eſt inter Paulum & Barnabam, ut à ſe invicem ſepararent ſe, & quiſque ſua via proficiſceretur ad viſitandas Eccleſias inter gentes plantatas, Act. 15. v. 37, 38. 5. Deſcribitur etiam cauſa propter quam factum, ut ſuper hoc Marco Apoſtoli ita inter ſe contenderent & diſcordarent, quia videlicet Marcus erat Barnabę cognatus, cui Barnabas nonnihil impenſius indulgebat, Coloſſ. 4. 10. 6. Reditus hujus Ioannis Marci ad officium quod deſeruerat, ejuſque cum Paulo reconciliatio, 2. Tim. 4. v. 11. Philem. 24.

Ex his inter ſe comparatis, multa diſci poſſent, ſed nobis tenendum, quod hic textus ſuppeditat, videlicet, quod fideles, poſtquam bene cœperunt, ſæpe ad tempus deficiant & flacceſcant in bono opere Domini. Non dico, quod qui bene cœperunt tandem penitus deficiant, ſed quod qui bene cœperunt, ad tempus flacceſcant in bono opere Domini. Ioannes non penitus defecit, ut audiviſtis ex 2. Tim. 4. v. 11. ſed tamen ad tempus remiſit de zelo & fervore in opere Domini & commoda mundi reſpexit. Debebant filii Dei quotidiane creſcere & ferventiores fieri in opere Domini, ſed loco ejus ſæpe decreſcunt & refrigeſcunt. Sicut in media æſtate, arbores cum maxime debebant creſcere, aliquando flacceſcunt, marceſcunt, folia amittunt & vix circa finem ęſtatis revireſcunt: Ita fideles ad novam vitam regeniti, ſubinde ad tempus ita flacceſcunt, ut fere nova regeneratione indigeant. Exemplum habes in Davide, qui cum eſſet filius Dei, qui regenerationem ſuam tot egregiis documentis manifeſtaverat, tamen ſpiritualis vitæ tantum paſſus eſt deliquium, & in patratione graviſſimorum peccatorum tamdiu ſuccubuit, ut neceſſe habuerit novum cor, & quaſi novam regenerationem ſibi à Deo petere, Pſalm. 51. Patris exemplum ſequutus eſt filius Salomo, qui poſtquam in pietate a parentibus tam bene educatus eſſet, ut patet Prov. 30. & per apparitionem Domini in vera ſapientia confirmatus, per uſum vani mundi adeo vanus factus eſt, ut in vanitate fere conſenuerit, antequam vanitatem mundi recte cognovit & abnegavit, ut patet ex ejus Eccleſiaſte. In N.T. habes exemplum Galatarum, de quibus quid Paulus dicat, vide Gal 3. 3. 4. & 5. v. 7. In Spiritu cœperant, admodum ferventer veritati obedierant, ſed poſtea adeo flacceſcebant, ut fere toti fierent iterum carnales. Similiter Demas Pauli fidelis comes & cooperator, Philem. 24. vide quid fecerit 2. Timoth. 4. v. 10. non quod plane à fide defecerit, ſed quod plane ſicut Marcus commoditatem vitæ magis amavit, quam tœdioſa itinera in opere Domini. Sic Epiſcopos & Eccleſia Epheſina, Apoc. 2. v. 4, 5. Non defecerant plane à fide, dat enim iis teſtimonium fidelitatis, v. 2. & 6. ſed tamen flaccidi facti erant in ſpirituali vita. Hæc exempla nobis non proponuntur ad imitationem, ſed ad commonefactionem, ut aliorum caſu, diſcamus eſſe cauti, ne & nos deficiamus. Etſi enim fideles habent promiſſionem, quod virtute Dei ſint cuſtodiendi in fide, ne fides eorum deficiat, Luc. 22. 1. Petr. 1. tamen non habent promiſſionem quod non poſſint graviter flacceſcere, & gravibus corripi ſpiritualis vitæ deliquiis, niſi ſibi ipſis bene attendentes hunc caſum præveniant. Caveamus igitur. Nam 1. Graviſſime Deus hortatur ad perſeverantiam, Actor. 11. v. 23. 1. Corinth. 10. v. 12. 2. Graviſſime caſtigat retrogrados, Luc 9. 62. Si non creſcimus & proficimus in gratia eſt damnabile peccatum, nedum ſi decreſcimus, & deficimus. Nec tantum Deum offendit, ſed nos ſolatio & certitudine regenerationis noſtræ ſpoliat. Conſtantia enim ſolatii plane dependet à conſtantia noſtræ pietatis. Hac deficiente, illa deficit: Quomodo autem cavebimus hoc decrementum & deliquium vitæ ſpiritualis? *Reſp.* Per quotidianam pœnitentiam & quotidianam αὐτοεξέγερσιν. Quotidie peccamus & deficimus, declinamus, deſcendimus à culmine gratiæ, ad quod elevati ſumus per regenerationem. Itaque per quotidianam pœnitentiam, humiliationem, & precationem nos debemus elevare ac retrahere, & propoſita vota, deſideria, conatuſque noſtros quotidie renovare. Sicut pila per vim ſurſum impulſa innata gravitate perpetuo tendit deorſum, niſi

niſi perpetuo repellatur. Sicut pondera horologii perpetuo ſua gravitate deſcendant, & quotidie retrahenda ſunt; Ita cor noſtrum per regenerationem Spiritus ſemel elevatum ad quærenda cœleſtia, innato appetitu, rerum terreſtrium perpetuo deorſum nititur & plane deſcendit, niſi quotidiana pœnitentia elevetur. Sedulo igitur hunc defectum caveamus & ſequamur conſilium Apoſtoli, Hebr. 12. v. 12. ubi reſpicit ad hiſtoriam Moſis, Exod. 17. 12. Si ſic faciemus conſtans erit noſtrum ſolatium & certitudo ſalutis & Deus nos inveniens in conſtanti labore, tandem transferet in eam vitam, in qua ſine omni labore & reluctatione poſſimus eſſe ſancti & pii.

Tertium contingens quod Paulo in hoc primo itinere obvenit, fuit in urbe Antiochia, non illa Syriæ, ex qua egreſſi erant, ſed Piſidiæ, in Aſia minore. Huc enim cum veniſſet, & Iudæorum Synagogam die Sabbathi ingreſſus eſſet, à præfectis Synagogæ invitatus eſt, ut aliquid conſolationis vel adhortationis loqueretur ad populum, in quem finem egregiam ibi habuit concionem, quæ hoc capite deſcribitur. Quatuor ſunt autem de hac concione in textu. 1. Occaſio concionis. 2. Præparatio ad concionem. 3. Concio ipſa. 4. Concionis effectus. Occaſio concionis fuit, quod die Sabathi Synagogam Iudæorum ingreſſus poſt lectionem Moſis & Prophetarum invitatus fuit à præfectis Synagogæ, ut ſi quid conſolationis haberet, loqueretur ad populum. Publicus Iudæorum cultus duplex erat, qui in templo fiebat & qui in Synagogis. Templum non niſi unum erat, idque in civitate Hieroſolyma. Synagogæ autem erant in ſingulis urbibus, non ſolum in Iudæa, ſed etiam extra Iudæam in urbibus gentium ubi Iudæi habitabant. Templum erat typus ac figura ſacramentalis Chriſti & cœli, ideoque præcipuus cultus in eo peragendus conſiſtebat in ſacrificiis, mortem Chriſti præfigurantibus, & in muſicis cantilenis, tum vocalibus, tum inſtrumentalibus, quæ gaudia cœli ſignificabant. Synagogæ autem nullum alium habebant finem, quam ut in die Sabbathi ibi fieret publica lectio & prædicatio Moſis & Prophetarum, ut eſt Actor. 15. 21. una cum precibus. Nam quod ad Sacramenta Paſcha & circumciſionem, ea domatim adminiſtrabantur. Hæ Synagogæ habebant ſuos præfectos, qui erant quaſi conſiſtorium Eccleſiaſticum qui lectiones & adhortationes peragebant, diſciplinam exercebant, & ordinem curabant. His in more poſitum erat, ſi quos viderent Iudæos peregrinos lectioni intereſſe, ipſis copiam facerent loquendi ad populum exhortationes & conſolationes (hæc enim duplex vis voculæ παράκλησις) ſi vellent. Et ex hoc more etiam Paulus fuit invitatus. Diſcendum nobis hinc erat. 1. Quis ſcopus omnium concionum, nimirum adhortatio & conſolatio. 2. Quæ forma cultus publici, videl. lectio & explicatio Scripturæ, cui ſine dubio preces publicæ fuerunt adjunctæ. 3. Nihil agendum contra ordinem & decorum. Ideo Paulus conſedit & exſpectavit, donec ad loquendum fuit invitatus. Sed properemus ad alia.

Invitatus, ſe præparat ad loquendum, idque 1. Per poſtulationem ſilentii annuente manu, qui mos eſt ad populum dicturis, Actor. 13. v. 17. & 19. 33. & 21. 40. unde diſcimus, quod modeſti & honeſti geſtus in concionando non ſunt improbandi. 2. Per humanam compellationem, quæ eſt v. 16. & recurrit, verſ. 26. quam propterea hic præterimus. Compellat eo nomine quod libenter audiebant; Putabant enim ſatis beatos, ſi modo Iſraëlitæ & filii generis Abrahami appellarentur, ſi vel multum abeſſent ab operibus Abrahæ. Sicut hodie multi ſe ſatis beatos putant, ſi modo *Chriſtiani* appellentur, etiamſi doctrina & vita æque diſtent à vero Chriſtianiſmo ac Turcæ & Iudæi. Oratio ipſa tota conſiſtit in una antitheſi qua inter ſe opponit beneficia, quæ Deus Iſraëlitis in V. Teſt. exhibuit, & beneficia, quæ exhibuit in N. Teſtamento, hoc ſenſu: Etſi Deus Patribus noſtris in V. T. multa magna exhibuit beneficia; maximum tamen omnium hoc eſt, quod ex ſemine Davidis ſecundum promiſſionem Ieſum Chriſtum excitavit. Vos populo in Synagogis veſtris proponitis illa corporalia beneficia, quæ Deus Patribus noſtris exhibuit: ego vero prædicabo illud magnum ſpirituale beneficium, quod Deus Patribus olim promiſit, & nobis nunc exhibuit.

Ita igitur concio habet duo membra, videlicet Protaſin & epitaſin, ſeu anterius membrum antitheſeos, & tum poſterius membrum.

Prius membrum Apoſtolus amplificat recenſendo beneficia V. Teſt. quæ ſunt. 1. Quod populum elegit. Magnum beneficium; cum tot eſſent homines, tot populi; ſolos tamen Iſraëlitarum Patres elegit ſibi in populum qui non minus quam cæteri colebant alienos Deos, Ioſ. 24. 2.

2. Populum exaltavit, id eſt, celebrem reddidit, dum eos tam mirabili occaſione tempore Ioſephi ex terra Canaan evocavit, & in Ægyptum induxit,

omnium

omnium oculos in eos convertit, ibique brevi temporis ſpatio ita multiplicavit, ut ex ſeptuaginta animabus prodierint ſexcenta virorum millia præter liberos, Exod. 12. v. 37. Hæc illa exaltatio populi per quam adeo celebres facti ſunt, ut magna multitudo Ægyptiorum & aliorum populorum cum ipſis exierit & ſe illis conjunxerit, Exod. 12. 28. ut impleretur tum temporis, illud Zachar. 8. 23. id quod tantò mirabilius eſt, quod hæc multiplicatio facta eſt cum commoraretur populus in Ægypto, ubi tot machinę adhibebantur ad multiplicationem hujus populi impediendam.

3. Populum eduxit ex Ægypto *alto brachio*, velut eſt Exod. 14. v. 7. *alta manu*, id eſt per decem illa miracula, quæ adeo mirabilia & adeo terribilia fuerunt, ut ſimilia vix unquam contigerint. Pharao fuerat audax & elata manu contra Dominum peccaverat, Num. 15. v. 30. Sed manus Domini ſupra ejus manum ſeſe extulit.

4. Per annos fere quadraginta mores eorum tulit in deſerto. Magnum erat beneficium, quod ita præter meritum eos elegit, multiplicavit, & tam miraculoſe eduxit, ſed longe majus, quod cum poſt omnia illa beneficia tam ingrati eſſent, toties contra Dominum murmurarent, & ſemper Ægyptum repetere cuperent, Dominus hoſce perverſos eorum mores per quadraginta annos in deſerto tam patienter tulit, nec propter eos hunc populum penitus ut merebatur, abjecit aut perdidit. Hæc vox ἐτροποφόρησεν digna eſt explicatu. Sunt qui malunt legere ἐτροφοφόρησεν, nutrivit, ſeu nutrimentum attulit, quod ſane unum fuit ex beneficiis in deſerto exhibitis; per quadraginta annos in deſerto, ubi nec cibus, nec potus erat, cibum & potum illic immediata manu attulit. Sed quoniam omnes codices ita legunt & eadem vox à LXX. interpretibus uſurpatur Deuteronom. 1. verſ. 31. non eſt quod aliter vertamus, quàm *mores eorum tulit*, moribus eorum ſe accommodavit.

Per *mores* intelligit Iudæorum peccata, non tamen illa communia, ſed peculiarem illam σκληροκαρδίαν, qua Deum per quadraginta annos in deſerto tentarunt, Pſalm 95. Hæc peccata appellat Iudæorum mores, quia agnata & conſueta ac quotidiana erant, oriebantur ex agnata ipſis perverſa indole, & perpetrabantur uſitate ac quotidie. Hos mores, hæc peccata dicitur tuliſſe, ſeu pertuliſſe, verdragen. Peccata hominum dicuntur ab aliquo ferri ſeu portari tribus modis.

1. Homo ipſe fert ſua peccata, cum patitur pœnam peccatis promeritam, Ezech. 18. 19, 20. Ezech. 23. v. 35, 49.

2. Chriſtus fert & portat noſtra peccata dum pœnam eorum noſtro loco fert, Eſa. 53. 11, 12. Ioh. 1. 49. 1. Petr. 2. 24.

3. Deus Pater fert hominum peccata quatuor modis.

1. Per longanimem dilationem, dicitur ἀνέχειν peccata impiorum, dum eos ad pœnitentiam invitat & pœnitentiæ ſpatium concedit. Hæc illa ἀνοχὴ, de qua Rom. 2. 4. 2. Pet. 3. 9.

2. Per patientem exſpectationem, cum peccata Patrum in V. T. remiſit ſine pretio & ſatisfactione, patienter exſpectans (gedult met haer hebbende. Patiens ipſis erat, Matth. 18. 29.) illud tempus, quo Chriſtus venturus & pro peccatis eorum ſatisfacturus erat. Sicut bonus & benignus mercator emptori pauperi merces venales tradit non pro pretio ſed pro chirographo ſolutionis futuræ: Ita Deus erga Patres V. T. erat tam longanimis, ut pro nullo pretio, ſed tantum pro chirographo futuræ ſatisfactionis concederet remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Sacrificia enim Patrum, pro quibus remiſſionem peccatorum accipiebant, non erant vera ſatisfactio, ſed tantum chirographum ſatisfactionis futuræ per Chriſtum. Hæc illa ἀνοχὴ τῶν ἁμαρτημάτων, de qua Rom. 3. 25. Hebr. 9. v. 15.

3. Per ſapientem conniventiam, cum aliqua peccata non admodum reprehendit nec punit, & legem contra illa peccata non admodum curat urgeri in Eccleſia, ſed connivet ad talia peccata, quaſi non animadverteret. Talis fuit ἡ ἀνοχὴ τῆς πολυγαμίας, de qua Matth. 19. 8. Quoniam Iudæi erant populus durus & pravus uxoreſque quæ diſplicebant male tractabant, & contra legem iis divortium dabant; voluit Deus ad talia divortia connivere, ne nimis miſera eſſet Iudaicarum mulierum conditio.

4. Per Paternam caritatem & accommodationem, cum ſe noſtris moribus accommodaret. Nos debebamus abnegare noſtros mores & nos accommodare moribus Dei; ſed ſicut amans Pater ſe accommodare ſolet moribus filii quem amat; ita Deus. Scimus quam difficile ſit parentibus ferre mores puerorum. Cum puerorum mores vincere non poſſunt debent ſe ipſos vincere. Filius potius, quam ut Patrem offenderet, debebat abnegare omnes ſuas libidines & pati jacturam ejus, in quo beneplacitum habet. Sed quia hoc filii Dei ſæpe non faciunt,

faciunt, Deus tam bonus eſt, ut potius devorare velit filiorum injurias quam filios perdere. Hæc illa τϱοποφοϱία qua uſus eſt erga populum in deſerto. Dicat aliquis, quomodo hoc conveniat cum eo quod eſt Pſalm. 95. 10. & Hebr. 3. 10. ubi dicitur, & hiſtoria ipſa teſtatur, quod ipſorum moribus exacerbatus & iratus juraverit illam generationem non introituram in quietem. Quomodo igitur mores eorum dicitur tuliſſe? *Reſp.* Hęc illa ipſa accommodatio, qua ſe Deus ipſorum moribus accommodat, quod ſcilicet videns eos non velle emendari, iraſcitur quidem & ſinit ſibi diſplicere quod agunt, immo etiam temporalibus plagis eos corripit, ſed tamen ſe vincit, iram moderatur, ne penitus pereant. Mores Iſraëlitarum ipſi diſplicebant & ægre faciebant, ſed tamen per amorem didicit ferre eouſque ut non penitus ipſos deleret. Accommoda illud Deut. 1. verſ. 31. ſecundum verſionem LXX. Si non ſentit Pater nec caſtigat filiorum pravos mores, lentitudinis vitium committit, 1. Sam. 3. Sic Deus luctatur cum noſtris moribus. Non opus habebat quicquam ęgritudinis capere ex noſtris malis moribus, ſed poterat indulgere iracundiæ ſuæ, & exclamare, ut eſt Eſa. 1. verſ. 24. Sed propter amorem, quem in Chriſto erga nos gerit, retrahit ſe, luctatur ſecum ipſo, vincit ſe ipſum, & nos non penitus perdit. Hac Tropophoria Deus erga nos utitur quamdiu in hac carne ſumus, & ſi hac non uteretur periremus quoties peccamus: ſumus enim in ſpiritualibus infantes, male morati, quamdiu hic vivimus, & niſi Deus patienter noſtros mores ferat, actum eſt de nobis. Gratias igitur ei pro hac agamus & diſcamus eadem uti erga fratres, Epheſ. 4. v. 2, 3. Accommodate vos moribus parentum, liberorum, conjugum, amicorum. Si mores eorum ſunt ſubinde tædioſi, ferte, & cogitate quales ſint veſtri erga Deum! Quam Deo veſtri mores difficiles ſunt portatu! Præſertim illi qui debent alios regere, diſcant τϱοποφοϱεῖν. Nam qui hoc non novit, aptior eſt ad perdendum quam ad regendum; optima ars bene regendi tum in Politia, tum in Eccleſia, tum in Oeconomia, poſita eſt in eo, ut diſcas τϱοποφοϱεῖν. Quam difficulter hanc artem diſcunt ipſi etiam conjuges.

Actor. 13. v. 19, 20, 21, 22.

CONCIO CLIII.

5. QUintum beneficium, quod Deus Patribus V. T. exhibuit, eſt inductio illorum in terram Canäan, quæ hunc in modum facta eſt, quod ſeptem populos ex illa terra ſuſtulit, & terram eorum Iſraëlitis, in hæreditatem diſtribuit per ſortem, quemadmodum hiſtoria illa in libro Ioſuæ nobis deſcribitur. Deus non omnes populos ex terra Canäan ejecit, ſed tantum ſeptem. Manſerunt enim Moabitę, Ammonitæ, Medianitæ, &c. Et ne illos ſeptem quidem omnes ejecit, ſed tamen omnes ejicere juſſit, & quod non omnes ejecti ſunt, factum eſt Iſraëlitarum culpa ac negligentia, quamvis non ſine Dei providentia, ut Iſraëlitæ haberent per quos exercerentur in pietate & virtute, & per quos caſtigarentur ob peccata, Iudic. 2. 21, 22. 33. Quod autem hos ſeptem populos ejecit, non factum eſt ex tyrannide, ſed ex juſtitia, ob horrenda illorum ſcelera, Levit. 18. v. 25, 26, 27. Deuter. 18. v. 9, 12. Quod autem Iſraëlitas in terram hanc plantavit, non factum ex juſtitia & vi meritorum, ſed ex gratia, Deuteron. 6. v. 10, 11. Diſcimus hinc, quod diſtributio terræ inter populos fit divinitus. Videmus quidem homines ſibi invicem per vim terras ac regiones eripere, & alios ſe in aliorum locum intrudere, ut patet ex migrationibus gentium Gallorum in Græciam, Helvetiorum in Galliam, Cimbrorum, Hunnorum & Getarum in Italiam, Pannoniam, &c. Turcarum & Saracenorum in Europam, &c. Item ex ſubjugationibus & victoriis potentium Monarcharum Nimrodi, Nebucadnezaris, Cyri, Alexandri M. Iulii Cæſaris &c. Sed tamen omnes hæ confuſiones fiunt divinitus, cujus eſt terra & omnia quæ ſunt in ea, Pſalm. 24. qui proinde definit, quouſque debeant habitare gentes, Actor. 17. v. 26. quique propter peccata unum populum exſcindit, & ex gratia cui vult locum eorum concedit. Huic quoque gratiæ vos debetis, quod hanc amœnam, fœcundam & optime munitam terram poſſidetis: Hujus Domini vaſallos vos agnoſcite & huic laudemium debitum diligenter exhibete, Dominoque ſervite de fructibus veſtræ terræ, ne & vos exſcindat, & terram veſtram det aliis, ut minatur, Matth. 21. 41. Terribile eſt cum Deus tot gentes exſcindit ut Eccleſiæ ſuæ locum faciat; ſed triſtiſſimum, cum Eccleſiam exſcindit, & bar-

barbaros in locum ejus inducit. Et tamen hoc factum olim in Iſraelitis, 2. Reg. 17. poſtea in Judæis & in Orientalibus, nec non hodie in Germania.

6. Sextum beneficium eſt, quod per annos quadringentos & quinquaginta eos tanquam liberum populum & liberam Rempub. rexit per Iudices & vindices uſque ad Samuelem Prophetam. Hi judices alias vocantur *Salvatores*, Iudic. 3. 9. id eſt vindices. Non enim erant ordinarii Magiſtratus, qui juſtitiam adminiſtrabant in criminalibus & civilibus. Nec erant Reges vel ſupremus Magiſtratus populi. Nam Iſrael tum erat Reſpub. libera, cujus ſuprema & regalis poteſtas erat penes Deum quem in caſibus difficilibus immediate conſulebant. Sed erant belli duces, extraordinarie à Deo vocati tempore magnæ oppreſſionis, qui hoſtes populi fortitudine ſua domabant, & quod negligentia populi in politia & Eccleſia corruptum erat, reformabant, & poſtea quamdiu vivebant, auctoritatem & prudentiam ſuam omnibus gravibus negotiis Reipub. interponebant. Tempus horum Iudicum dicitur duraſſe circiter. 450. annos uſque ad Prophetam Samuelem: ſed in hoc numero magna difficultas eſt. Nam 1. Si computes omnes illos annos, quos liber Iudicum tribuit ſingulis judicibus à Ioſua uſque ad Samuelem, non invenies niſi circiter 360. 2. Si conferas quod ſcriptum eſt, 1 Reg. 6. 1. & ab illis 480. annis demas 4. annos Salomonis. 40. Davidis, 40. Sauli & Samuelis, 40. Moſis in deſerto, non manebunt pro Iudicibus niſi anni 356. Quomodo igitur hic judicibus tribuuntur anni 450? *Reſp.* 1. Hæc difficultas quibuſdam tanta videtur, ut agnoſcenda ſit aliqua corruptio textus, facta librariorum vitio qui pro 350. ſcripſerunt 450. Quod ſane facile potuit contingere in numeris & nominibus, quæ per abbreviationes & figuras ſcribuntur, quod etiam Spiritus S. non impedivit, ſed ad exercendos noſtros ſenſus in Scriptura fieri permiſit, cum non faciat ille error quicquam ad periculum ſalutaris doctrinæ. 2 Alii tamen ajunt tempus judicum non eſſe incipiendum à Ioſua ſed à Moſe, ſtatim poſt exitum ex Ægypto, & ab hoc numero non excludendos, ſed includendos eſſe annos Samuelis, etſi poſtea ſeorſim nominentur. Velle enim Spiritum S. hoc numero exprimere totum illud ſpacium, quod populus Iſraeliticus fuit populus liber, nullis ſubjectus Regibus. At hoc incipit ab exitu AEgypti, cum populus, antea Regni AEgyptiaci membrum, factus fuit populus ſui juris, & durat uſque electionem Saulis, quæ incidit in poſtrema tempora Samuelis, 1. Reg. 8. 1. & ſic totum hoc ſpatium eſt annorum circiter. 454. comprehendens quatuor annorum centurias fere cum dimidio, **ten naeſten bp vyftehalf hondert Iaer.** Nos vero ex hac periodo diſcamus, qua in re conſiſtat vera felicitas nationum & populorum, videlicet non in eo, quod terræ & Reſpublicæ, etiam illæ, quæ Eccleſiæ Dei præbent hoſpitium, habent perpetuam pacem, ſed ea ipſarum pax eſt, qua debent eſſe contenti, ſi quando nanciſcantur heroës & ſalvatores, quorum ſingulari & eminenti virtute ab oppreſſione hoſtium eripiuntur & reſtituuntur, ut ad tempus floreant. Deus non ſinit ullas Reſpub. in perpetua pace, & ea felix Reſpub. eſt, quæ ſubinde heroës nanciſcitur, qui collapſa, vaſtata, corrupta reſtituunt, vindicant, reformant. Sic factum Iſraelitis per annos 450. Sic factum poſtea ſub Regibus. Sic omnibus undique ſemper factum eſt Rebuſpub. & Regnis, ut notum ex hiſtoriis & quotidiana experientia. Habet Deus hujus rei juſtas cauſas ſcil. 1. ut impios in incremento malitiæ impediat. Sicut poſt Diluvium perpetua pace ita creſcebat malitia hominum, ut in cœlum niteretur aſcendere, & Deus eam malitiam fregit per confuſionem linguarum, & per diſperſionem eorum, qui hactenus in malitia ſocietatem coluerant, Geneſ. 11. Ita etiamnum Deus homines, per pacem coaleſcentes & ſe invicem ſeducentes ad mala per vaſtationes & bella conſumit, deprimit, diſſipat, donec fracta malitia per heroës & ſalvatores ad tempus eos reſtituat. 2. ut pios & Eccleſiam purget. Vide Matth. 3. 12. Sicut triturator ad purgandum triticum à palea per vannum illud diſſipat; ita Deus Eccleſiam per bella ſubinde diſſipat, ut à paleis hypocriſeos & vitiorum purgetur. Sicut ut vinum purgetur, deducitur à fœcibus, Ier. 41. 11. ita Eccleſia. Hæc ideo monemus, ne pacem habentes cor ei apponamus, ſed nos ad exitia & vaſtationes paremus. Si hactenus habuimus pacem, valde probabile eſt, poſtea habituros vaſtationem, præſertim poſteros noſtros. Quorſum igitur immoderata illa cura, ædificandi, & corradendi bona temporalia? Si pie, juſte, temperanter vivimus, & quod Deus juſtis mediis largitur, eo bene utimur, non quidem in perpetuum præveniemus omnes vaſtationes & confuſiones Patriæ ſed eæ tamen erunt nubes tranſientes. Deus dabit judices vindices, heroës, liberatores. Experientia propriæ patriæ vos hoc docuit, & inde à reformatione bis experti eſtis.

7. Septimum beneficium populo Iſraëlitico in V. Teſt. exhibitum eſt hoc, quod cum tandem ex libera Republica erexit in ſplendidam & celebrem Monarchiam atque regnum. Diſputatur inter doctos, an Reſp. libera, an vero Regnum & Monarchia ſit melior forma gubernationis? Præterquam quod plerique Monarchiam Reipub. præferant, hoc ſaltem certum eſt, quod Regna ſint ſplendidiora, glorioſiora quam Reſpub. Hanc gloriam Iſraëlitis denique Deus etiam conceſſit; quod fecit Regnum, cujus Reges toto orbe erant celebres, legibus, divitiis, ſapientia & potentia ſua. Eſt autem hæc mutatio Reip. facta deſiderio & rogatu populi, 1. Reg. 8. Cum enim Samuëlis filii patri in officio ſucceſſuri, eſſent impii & populo graves, noluerunt amplius per judices regi, ſed Regem petierunt, more cæterarum gentium, quæ plerque per Reges gubernabantur, quod ſane deſiderium mutationis non ſolum ex tædio vitiorum in filus Samuelis profectum, ſed præcipue ex ſuperbia, quod nollent eſſe minus glorioſi cæteris gentibus. Porro negotium hujus mutationis hunc in modum geſtum eſt.

1. Diſplicuit Domino hoc deſiderium populi adeo, ut interpretetur illud rejectionem Dei: *Me rejecerunt, ne ſim Rex ſuper eos.* Deus Regalem & ſupremam poteſtatem ſibi reſervaverat in hunc populum, ipſe Rex ejus futurus, ut peculiari modo eſſent ejus populus. Hoc conſilium Dei cum populus aſpernaretur, merito Deo diſplicuit, unde & fatentur precatum eſſe, 1. Sam. 12. 19. Dicat quis, quomodo hoc potuerit Deo diſplicere, cum ab æterno decreverit, & olim prædixerit eos habituros Reges, & ſceptrum, promiſeritque ex Regibus ſe ſuſcitaturum Chriſtum, Gen 17. 6. Immo videtur permiſiſſe electionem Regis, Deut. 17. 14. 15. *Reſp.* Quod Deus juſte decrevit & fieri permittit, homines injuſte poſſunt petere, cum ſcil. petunt ex diſplicentia & diffidentia erga gubernationem divinitus inſtitutam, nec non ex ſuperbia, aliiſque illicitis reſpectibus: Prædixerat quidem Deus, ipſos habituros Reges, & electionem eorum permiſerat; ſed illi debebant exſpectare tempus Domini & ejus voluntatem, nec mutationem illam appetere ex ſuperbia, & tædio regiminis divini, idque Deo non conſulto, & ſine ſubmiſſione ſuæ voluntatis ſub Dei voluntatem. Diſcamus, non tantum non precari mala, ſed etiam non precari male, Iac. 4. 3.

2. Etſi Deus iratus fuit, dedit tamen in ira ſua quod petierunt; Regem ipſis dedit ſcil. Saulum per 40. annos, ſed non dedit Regem, qui Domino placebat, qui eſſet ſecundum cor Domini, verum in ira ſua, Hoſe. 13. 11. Saul non regnavit annos quadraginta, ſed includuntur in hoc numero anni Samuelis, quibus ille ante & cum Saulo regnavit vel potius judicavit. Quamdiu Saul proprie regnaverit, & an ad tempus poſt Samuelem ſolus regnaverit, Scriptura Sacra non exprimit, plerique putant eodem anno mortuos. Notabile, quod Deus dedit quod diſplicuit. Nam 1. petitio Regis diſplicebat, & tamen fecit quid petebant. 2. Rex ipſe ipſi diſplicebat, & tamen populo dedit quod ſibi non placebat, & quod bonum non erat. Quare Saul non placebat Deo? 1. Quia non erat ex tribu Iuda, ex qua tribu, Deo decretum erat, Reges excitare, ex quibus Meſſias naſceretur, Gen. 49. 2. Quia erat homo impius, hypocrita, contemptor verbi, invidus perſequutor Davidis & miniſtrorum Dei, infidelis Apoſtata, Diaboli auxilia quærens, & deſperabundus ſibi ipſi vitã adimens, ideo etiam Deus ipſum depoſuit; Toleravit quidem in Regno donec moreretur, ſed tamen annunciavit ei depoſitionẽ, & ſucceſſorem ei domo ejus non dedit. Diſce 1. Reges & magiſtratus eſſe à Deo, Deus dedit Saul. Ergo honoremus, Rom. 13. 1 Pet. 2. 2. Omnes formæ regiminis ſunt à Deo, æque ariſtocratia ac regnum. Dedit Deus Iudices, dedit etiam Reges, 1. Petr. 2. 13. 14. Omnibus igitur obediendum. Etſi eſt ordinatio humana, tamen etiam eſt divina, quia à Deo per homines erecta. 3. Non tantum pii, ſed etiam impii Reges & judices ſunt à Deo. Sic filii Samuelis, ſic Saul à Deo datus. Ferendi igitur, & obediendum injuſtis, donec divinitus deponantur. 4. Impii Reges tandem divinitus deponuntur. Sic Saul, filii Samuelis, Ezechias, &c. *Object.* At depoſitio filiorum Samuelis & tota mutatio prioris formæ fuit ab hominibus & Deo diſplicuit, ergo non fuit à Deo. *Reſp.* Diſplicuit Deo non in ſe, ſed quod fiebat malis affectibus. Idem opus ſæpe fit à Deo & ab hominibus, ſed homines faciendo quod vult Deus, peccant, quia faciunt malo animo. Hoc plerumque accidit in mutatione rerumpub. & depoſitione Regum. Caveant igitur magiſtratus ne ſint impii. 5. Deus ſæpe dat, quod male petimus, ſed in ira. Sic hic dat Regem, ſic Iſraëlitis dat coturnices, Num. 11. Sic profanis hominibus, mundana avare quærentibus, dat mundana bona, ſed ut pereant per ea, tanquam in lubrica via, Pſalm. 73. 18. Sint igitur vota noſtra in temporalibus moderata, & divinæ voluntati ſubmiſſa ac ſubjecta.

3. Amoto Saulo ſubſtituit Davidem, virum ſecundum

cundum voluntatem & cor Dei. Verba deſcripta, 1. Sam. 13. 14. & Pſalm. 89. 21. Sed quomodo ſecundum cor Dei, qui tantopere peccavit? *Reſp.* 1. Quia diligens in cavendo peccato & faciendo bono. 2. Quia in defectibus deplorandis & humiliter reparandis ſedulus. 3. Quia ex ea tribu, ex qua Deus voluit Reges. Sit ſolatio, quod videmus imperfectiones, quantumvis magnas, non impedire, quominus ſimus grati & accepti Deo, modo ſint veræ imperfectiones & infirmitates, non autem dominantes malitiæ, quod patet, ſi ſint conjunctæ cum deploratione & pœnitentia. Sed quomodo dicitur inveniſſe Davidem? An Davidem invenit meliorem aliis? Idem dicitur de Noa, Geneſ. 7. verſ. 1. *Reſp.* Deus dicitur aliquem juſtum invenire, cum eum talem facit & manifeſtat. Deus nihil boni poteſt invenire, niſi quod prius tale facit. Nam ex injuſto quis inveniet juſtum? *Inveni* igitur hic idem eſt quod elegi, paravi, adoptavi. Deus non invenit, niſi quos quærit: Non quærit autem, niſi quod ſit amiſſum. Nos omnes ſumus amiſſæ oves; non quod Deus nos amiſit, ut neſciat ubi & quales ſimus; ſed quod noſmet perdidimus, & erravimus à via ſalutis. *Quærere* igitur Dei non eſt circumſpicere ubi & quales ſimus; ſed quærere Dei in eo conſiſtit, quod nos perditos ſibi eligit, ſegregat, vocat ad ſe, & ad ſuum cultum adoptat. Sic quærit, ſic invenit Davidem & omnes pios.

Actor. 13. v. 23, 24, 25.

CONCIO CLIV.

Hactenus anterius membrum Antitheſeos, qua hæc concio Pauli conſtat, quo enumerabantur beneficia Dei erga Eccleſiam in V. Teſt. exhibita: Sequitur membrum ejus poſterius, quo prioribus beneficiis opponitur beneficium Eccleſiæ Dei exhibitum in Nov. Teſtamento. Hoc membrum primo proponitur, v. 23. & deinde amplificatur, verſ. 22. ad 41.

Membrum ipſum Antitheſeos eſt hoc: Deus ex ſemine Davidis ſuſcitavit Ieſum Servatorem Iſraëli.

Verbum ἐγείρω varia ſignificat in Scriptura. 1. Naſci facio eum qui non eſt, ſimulque in officium voco ac pono, Rom. 9. 17. Lucæ 3. 8. 2. Ex morbo erigo ægrotum, Iac. 5. v. 15. 3. Ex ſomno expergefacio, Matth. 8. 25. 4. Ex morte ſuſcito in vitam 2. Cor. 4. v. 15. Hic primam habet ſignificationem, notatque incarnationem (active die Menſchmaeckinghe) Chriſti, ejuſque vocationem ad officium mediatorium. Hæc excitatio tribuitur Deo. Competit enim Deo Patri, qui hanc excitationem decrevit, filio ſuo injunxit, Spiritumque S. miſit ad eam perficiendam. Competit Deo Filio qui carnem humanam aſſumſit, cum Deitate ſua univit, & officium mediatorium in ſe recepit. Competit denique Spiritui S. qui humanam naturam Chriſti obumbratione ſua formavit & ſanctificavit, eamque donis ſuis unxit. Non autem hæc excitatio facta eſt ex nihilo, ſicut mundi, nec ex terræ limo, ſicut Adæ, ſed ex ſemine Davidis Potuiſſet Deus Chriſtum facere verum hominem ex nihilo, vel ex alio fruſto terræ, ita ut non derivaretur caro ejus ex carne noſtra & nihilominus eſſet æque verus homo ac nos. Sed Deus ita non fecit, verum ex ſemine Davidis ſuſcitavit Ieſum. Dicunt Anabaptiſtæ, quid opus ſit inquirere, unde caro Chriſti habeat ſuam originem, an ex cœlo facta vel aëre, an ex nihilo, an ex terra vel lapidibus, an ex ipſa Dei ſubſtantia? Verum omnino opus eſt hoc ſcire, & tanquam articulum fidei firmiter tenere, quod ex ſemine Davidis facta ſit ejus caro, idque propter duas rationes. 1. Alioquin neſciremus Ieſum eſſe illum Meſſiam, quem Deus in V. Teſt. promiſit, & quem in Novo Teſtamento nobis deſcribit. Promiſit enim Meſſiam, qui eſſet ſemen mulieris, Gen. 3. Semen Abrahæ, Geneſ. 12. Semen Davidis, 2. Sam. 7. Surculus ex radice Ieſſe, Eſai. 11. Deſcribit Meſſiam, qui eſt filius Mariæ, fructus ventris ejus, factus ex muliere, filius hominis, Gal. 4. 4. Luc. 1. 42. Ex patribus ſecundum carnem. Vide Actor. 2. 30. Rom. 9. v. 5. & v. 3. Hebr. 7. 14. 2. Alioquin Chriſtus non eſſet aptus ad nos redimendos. Sicut enim juſtitia Dei requirit, ut peccatum noſtrum non puniatur in Angelis, nec in ulla alia creatura quæ non peccavit; ita non permitit eadem juſtitia, ut puniretur in homine, qui non eſſet ex cæteris hominibus. & ejuſdem naturæ ac eſſentiæ non eſſet cum iis qui peccarunt, Hebr. 2. v. 11. 14. Peccator quidem non debebat eſſe Salvator, ſed tamen ejus naturæ, quæ peccaverat particeps. *Object.* Si ex ſemine Davidis natus eſt, cur Deus eum dicitur excitaſſe magis quam alios homines? *Reſp.* Natus quidem ex ſemine Davidis, ſed non naturaliter, verum per immediatam operationem Spiritus S. ſine interventu viri, quæ cauſa eſt, quod ex ſemine polluto peccatis ipſe natus eſt ſine peccato.

Addit textus, quo fine Ieſum excitaverit Deus, ſcilicet, ut eſſet Salvator Iſraëlis. Vox Salvator dupliciter uſurpatur. 1. Pro eo, qui quod ſemel factum eſt conſervat ne pereat, & in nihilum recidat. Sic Deus conſervat homines & beſtias, Pſalm 36.7. Sic Deus Servator omnium hominum, 1.Tim.4.10. 2. Pro eo, qui quod periit ex perditione eripit & ſalvum facit. Sic medicus qui ægrum ex lethali morbo eripit; Sic Paſtor, qui ovem ex faucibus leonis liberat; Sic Princeps, qui ſubditos ex hoſtium manibus eruit; conſervatores ſunt. Et hoc ſenſu Ieſus factus eſt ſervator Iſraëlis, ut amiſſas oves domus Iſraël ex faucibus infernalis lupi eriperet, à lethali morbo peccati ſervaret, & pedes eorum in viam pacis conſtitueret ac ſalutis. Cuinam autem hunc ſalvatorem Deus exhibuit? Iſraëli. Non Iſraëli ſecundum carnem. Ille enim Iſraël maxima ex parte rejectus eſt, Rom.9. Sed Iſraëli ſecundum Spiritum, qui ex quacunque gente ſecundum carnem natus ſit, intus anima ſua circumciſus eſt, & tali fide Deum prehendit & quaſi vincit, quemadmodum Abraham, Iſaac & Iacob. Hoc autem non ita intelligendum, quaſi Chriſtus ideo Servator ſit, quod iis, qui virtute liberi arbitrii cor circumcidunt, & in Deum credunt, ſalutem dat. Talem quidem Theologiam Schola Pelagiana vellet. Verum ſic præcipua pars ſalutis homini tribuitur. Chriſtus ideo Salvator Iſraëlis. 1. Quia, qui non ſunt Iſraël tales facit. 2. Quia, quos tales fecit, iis ſalutem dat. Hæc tota doctrina valde utilis eſt ad agnitionem Chriſti, quæ ſecundum pietatem eſt. Doctrina de beneficiis Dei Eccleſię in Veteri Teſtamento exhibitis, utilis quidem eſt ad pietatem, ſed non tam efficax ac illa de Ieſu ex ſemine Davidis excitato in Salvatorem ab infernali & ſpirituali miſeria. Beneficia Veteris Teſtamenti quibuſdam tantum Iſraëlitis contingebant, non omnibus, durarunt ad tempus, non ſemper. Sed hoc beneficium omnibus Iſraëlitis veris & ſpiritualibus in perpetuum contingit. Excitavit Deus Iſraëlitis in V. Teſt. Servatores, judices, Reges, qui eos eduxerunt è domo ſervitutis, per mare rubrum & deſertum in terram Canäan, ibique ſæpe liberarunt ab hoſtibus & pacem iis reſtituerunt, & hæc erat illa materia, quam prædicabant corrupti Iudæorum Theologi: Sed alia eſt materia quam in templis Chriſtianorum auditis prædicari. 1. Illi prædicabant de electione illa, qua Deus Abrahamum ab idololatris ſeparatum juſſit exire ex Chaldæa, & ſemen ejus ſibi in populum aſſumſit; Nos de illa electione de qua, Eph.1.v.4,5,6.

2. Illi de multiplicatione populi carnali. Nos de ſpirituali illa filiorum Dei multiplicatione, de qua, Pſal.110.v.3. Hoſe.1.v.10.

3. Illi de ductione populi ex Ægyptiaca ſervitute per mare Rubrum. Nos de eductione & liberatione ex ſervitute Diaboli & peccati per lavacrum juſtificationis & regenerationis baptiſmate obſignatę. Sanguis enim & Spiritus Chriſti, ſunt verum illud & ſpirituale mare Rubrum per quod ducimur & quo baptizamur, 1.Cor.10.v.1,2,3,4.

4. Illi de circumductione, cibatione & liberatione 40. annorum in deſerto: Nos de paterna Dei providentia ſuper vocatam Eccleſiam, dum in hoc mundo eſt, quomodo eam in hoc deſerto mundi inter feros homines protegit, conſervat, affligit, ſolatur, tolerat, ducit ſecundum conſilium ſuum, donec ad gloriam recipit, Pſal.73.v.24.

5. Illi de inductione in Canäan per Iordanem: Nos de inductione in cœlum per mortem temporalem, de qua, Hebr.11.v.15,16.

6. Illi de gubernatione Iſraëlis per Iudices & Reges. Nos, quod nos ipſi futuri Iudices ac Reges, ita ut noſtrum quilibet glorioſior futurus ſit, quam fuit Salomon in omni ſua gloria, idque ſub uno illo ſummo Iudice ac Rege Chriſto Ieſu, qui poſtquam vivos & mortuos judicaverit, nobiſcum regnabit, & nos cum ipſo in æternum, Matt.19.v.28. 1.Cor.6.2,3. Apoc.1.6. & 5.10. Hæc illa glorioſa & magnalia, quæ prædicantur in urbe Dei, Pſ.87.3. Actor 2.11. Cum purior erat Iudaica Synagoga, hæc ibi quoque docebantur, & terrena V. Teſt. beneficia tanquam umbræ & figuræ, applicabantur ad docenda hęc ſpiritualia. Sed tempore Chriſti & Pauli corrupti doctores, in hoc cortice hęrentes nucleum negligebant, nihil aliud prædicantes, quam talem Meſſiam, qui antiquam gloriam terrę Canäan inſtauraret. Nobis meliora prædicantur, beati ſi attendimus.

Præcipue ex hac excitatione Domini Ieſu, quæ facta eſt à Deo ex ſemine Davidis in Servatorem Iſraëlis, haurienda nobis eſt

1. Fiducia obtinendi quod à Chriſto & in ejus nomine à Deo petimus. Nam ſi Deus ipſe hunc Ieſum excitavit & conſtituit, ut eſſet Salvator Iſraëlis; qui poteſt ſalutem denegare iis qui ſalutis cauſa ad ipſum confugiunt? An Deus non acquieſceret in ſatisfactione ac interceſſione illius, quem ipſe dedit in ſatisfactorem & interceſſorem, & de quo ipſe dixit, quod eſt, Matth.17.5. quem ipſe obſignavit, Ioh.6.27.

2. Fidu-

2. Fiducia accedendi. Accedimus enim non ad ignem conſumentem, ſed ad eum qui nobiſcum eandem carnem habet & ſanguinem, ad filium Davidis, filium hominis, filium Mariæ, fratrem noſtrum. Papicolæ, infidelis generatio, negant ſe audere accedere immediate ad Chriſtum, ſed ad Sanctos homines. Sed eho! annon Chriſtus etiam verus homo? annon ideo natus ex ſemine Davidis, ut nos per illum ad Deum accedere poſſemus? Ne quæramus igitur alios mediatores, præter eum, quem Deus excitavit nobis & conſtituit; ipſe enim poteſt perfecte ſalvare, qui per ipſum ad Deum accedunt, Hebr. 7. Cum indignitatem & peccata veſtra cum dolore ſentitis, ne ſinite vos abſterrere ab acceſſu ad Deum prætextu indignitatis, ſed clamate ad Chriſtum ut ille cæcus, Marc. 10. v. 47. 48. Petamus ab ipſo, quod Iſraelitæ petebant à Moſe, Exod. 19. v. 19.

Amplificatio hujus Theſeos fit duobus modis.

1. Fundat eam in teſtimoniis.

2. Applicat præſentibus auditoribus.

Paulus, etſi Apoſtolus, qui immediata inſpiratione Spiritus S. regebatur, tamen noluit doctrinam de Chriſto fundare ſimpliciter in ſua authoritate, ſed fundat in promiſſionibus Prophetarum, & teſtimonio Iohannis Baptiſtæ. Si hoc fecit Apoſtolus, cur recuſant ita facere ſacrificuli Romani? Si ab his fundamentum doctrinæ, quam proponunt, poſtules, indignantur, quod ſibi & Eccleſiæ Romanæ non credas ſine fundamento & demonſtratione, & loco demonſtrationis animam ſuam oppignorant. Si hoc pignore non vis eſſe contentus, abeas, inquiunt in malam crucem, nos ex noſtra parte fecimus quod potuimus. Quantum differunt hi Doctores ab Apoſtolis? Ad quænam autem Teſtimonia provocat Apoſtolus?

I. Ad Promiſſiones Prophetarum. Non annuncio vobis aliquod novum & inauditum, ſed quod eſt ſecundum promiſſiones, patribus ſcil. factas in V. Teſt.

Triplices hac de re ſunt promiſſiones in V. Teſt.

1. Deum Iſraelitis excitaturum talem Salvatorem, qui non contra corporales hoſtes tantum eos defenderet, & terreſtrem felicitatem acquireret, ſed qui eſſet Salvator animarum à ſpirituali miſeria ad ſpiritualem, cœleſtem & æternam felicitatem, idque per ſanguinem & ſpiritum ſuum. Vide tales promiſſiones, Eſa. 53. Dan. 9. &c.

2. Illum Salvatorem excitatum iri ex genere humano, ut ſit verus filius hominis, Gen. 3. Semen mulieris, Gen. 12. Semen Abrahæ Deuter. 18. Propheta ex fratribus veſtris. Filius virginis Eſa. 7.

3. Illum ſpecialiter ex ſemine Davidis excitatum iri, 2. Sam. 7. Eſai. 11. Ier. 23. Pſal. 89.

Ecce has de Ieſu Salvatore promiſſiones habuerunt Patres Veteris Teſtamenti. Et quoniam tot promiſſiones de Ieſu habuerunt, habuerunt quoque fidem in Domino Ieſu. Fides enim non requirit exiſtentiam aut præſentiam ejus in quem credimus, ſed tantum promiſſionem, ſive aliquid abſens ſit ſive præſens, ſive præteritum, ſive futurum modo promiſſum, fides illud apprehendit & tenet. Hinc Chriſtus Patribus dicitur idem fuiſſe, qui eſt nobis, Heb. 13. 7. quia illis æque promiſſus ac nobis. Hinc dicuntur & Chriſtum ediſſe & bibiſſe, 1. Cor. 10. quia per promiſſiones oblatum fide ſibi applicarunt. Doctrina igitur de ſalute per fidem in Ieſum Chriſtum antiqua eſt, quia patribus V. Teſt. promiſſa. Si illa doctrina, quam Romana Synagoga tenet à nobis diverſam, in promiſſionibus, V. T. eſſet fundata vere eſſet antiqua.

II. Ad προκήρυξιν Iohannis. Iohannis Baptiſtæ teſtimonium apud Iudæos multum valebat, quia erat homo ſanctus, & habebatur pro Propheta, Matth. 14. 5. & 21. 26. Marc. 6. 20. Merito igitur Paulus ad teſtimonium ejus provocat. Nos nos met non immergemus in hiſtoriam Ioannis Baptiſtæ, quippe quæ ad Euangeliſtas pertinet, & non niſi incidenter hic allegatur, ſed tamen prægnantiores phraſes, quibus Apoſtolus noſter in hac materia utitur, breviter excutiemus.

1. Dicit quod Ioannes προκηρύξει πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, prædixit ſeu prænunciavit in ipſa facie adventus Ieſu. Ioannes non erat Euangeliſta vel Apoſtolus, qui hiſtorice narraret quid de Chriſto factum eſſet. Hoc tamen diſcriminis erat inter Prophetas V. Teſt. & Ioannem Baptiſtam, quod illi Ieſum, diu poſt futurum, procul prænunciarent, hic vero in ipſa facie, id eſt, in ipſa præſentia & in conſpectu Chriſti ſuas de Chriſto Prophetias populo propoſuit, digito demonſtrans quis eſſet ille Ieſus, de quo tantum cæteri Prophetæ promiſerant. Hinc vocatur præcurſor Chriſti, qui ante faciem ejus præceſſit, Luc. 1. 76. Mal. 3. 1. Sicut oriturum Solem Phoſphorus antecedit, & ortum ejus prænunciat; ita Ioannes Chriſti miniſterium paululum anteceſſit, & eum adeſſe nunciavit. Hanc ob cauſam dicitur maximus Prophetarum, Matth. 11. 11. quia nullus antecedentium Prophetarum tam clare Chriſtum cognovit, ut oculis corporalibus aſpiceret, nec tam

clare de Chriſto docuit, ut ipſis digitis perſonam ipſam oſtenderet ac Ioannes.

2. Dicit, quod Ioannes prædicavit Baptiſmum pœnitentiæ. Hic

1. Sciendum quo ſenſu vox *Pœnitentiæ* hoc loco ſumatur. Sumitur aliquando late, aliquando ſtricte. Late comprehendit omnes tres partes converſionis, ſcilicet contritionem, fidem & novam obedientiam. Stricte, ſolam primam partem converſionis, ſcilicet contritionem. Et ſic hoc loco ſumitur. Ioannes prædicavit pœnitentiam, id eſt, contritionem, humiliationem & fractionem cordis; docuitque homines induere dolorificum ſenſum peccatorum & miſeriæ, & concipere famem, ſitim ac deſiderium adventantis Chriſti. Hoc officium Ioannis Baptiſtæ proprium; non quod non ſit officium omnium miniſtrorum. Docuerunt hoc Moſes & Prophetæ. Docuerunt Apoſtoli, & docent omnes & fideles miniſtri; Sed quod Ioannes peculiari modo, in eum proprie finem miſſus eſt, ut per contritionem corda hominum præpararet ad recipiendum Chriſtum, ubi is ſe ipſum per proprias precationes & miracula eſſet manifeſtaturus, quæ præparatio cordis ad receptionem Chriſti non fit alio modo, quam per ejus contritionem, humiliationem & dejectionem. Hinc dicitur Iohannes eſſe illa Vox, quæ clamando in deſerto omnes colles depreſſit, Eſai. 40. 3. cum Matth. 3. 3. Hinc duro victu & amictu uſus eſt, Matth. 3. & nec edit, nec bibit, Matth. 8. 18. id eſt, conviviis & ſocietate humana ſe non delectavit, ut oſtenderet ſe eſſe auſterum concionatorem pœnitentiæ.

2. Sciendum, quare non dicat, quod pœnitentiam prædicaverit, ſed baptiſmum pœnitentiæ? Quia ſcilicet non tantum verbo & ſermone ad pœnitentiam hortatus eſt; ſed etiam externo lavacro baptiſmi homines ad pœnitentiam obligavit. Baptiſmus quidem eſt lavacrum regenerationis, id eſt, ſacramentum & ſigillum regenerationem & juſtificationem in ſanguine Chriſti per fidem obſignans; Sed tamen etiam eſt lavacrum contritionis & humiliationis, quia per receptionem baptiſmi homines edunt humilem confeſſionem Deo de impuritate ſua. Hoc nos docet ſubmerſio vel adſperſio aquæ, per quam *Impuritas animarum noſtrarum* nobis ob oculos ponitur, inquit formula noſtra; ut diſpliceamus nobis ipſis & nos coram Deo humiliemus. Sicut circumciſio hominibus in mentem revocabat præputium ſpirituale ad eos humiliandos; ita aqua baptiſmi. Diſcamus hinc quam neceſſarium ſit, ut externum noſtrum baptiſmum ſequatur pœnitentia peccati. Eſt enim baptiſmus pœnitentiæ. Ubi igitur pœnitentia non eſt, baptiſmus non eſt. Qui igitur non pœnitent, non ſunt baptiſati ſed incircumciſi. Si extrinſecus baptiſatus non eſſes, quantum hoc te terreret? Et tamen ſi non pœnites, non es baptiſatus. Nam baptiſmus ſine pœnitentia non eſt baptiſmus. Et ſi tibi tuus baptiſmus non eſt baptiſmus pœnitentiæ, nequaquam eſt baptiſmus regenerationis & juſtificationis, Ablato correlato, ipſum relatum tollitur.

3. Dicit quod Ioannes ἐπλήρου τὸν δρόμον, abſolvit curſum. Vitam & miniſterium Ioannis comparat cum curſu. Sicut Sol habet certam viam, quam ubi decurrit, occidit; ſicut curſores habent certum ſtadium, quod ubi cucurrerunt, præmium accipiunt, 1. Cor. 9. Ita vita Chriſtianorum eſt certa via ac ſemita, à Deo dimenſa ac definita, quam ubi decurrerunt, tolluntur ex hac vita, & transferuntur in cœlum. Crebra eſt hæc ſimilitudo in Scriptura, & duobus modis uſurpatur.

1. De vocatione eorum, qui Deo & Eccleſiæ ſerviunt in publico munere, præſertim doctorum Eccleſiæ, Actor. 20. 24. Gal. 2. 2. Phil. 2. 16. Hi ſunt ſicut Luna, quæ certum habet tempus creſcendi & lucendi, quo peracto, exſtinguitur, & nova luna ſuccedit. Sic miniſtri ubi ad tempus creverunt, & luxerunt, decreſcunt & occidunt, & alii ſuccedunt. Solus Chriſtus perpetuo creſcit & augetur in gloria. Vide Ioan. 3. 30. Hoc debebat eſſe Symbolum omnium concionatorum, præſertim eorum, qui cum aliquo applauſu populi ſuum officium faciunt, ne fiant ſuperbi, ſed quanto magis creſcunt, tanto propius ſciant adeſſe ſuam imminutionem. Immo ſi ſuperbi fient, per hæreſin vel ſcandalum vitæ inſtar ſtellarum de cœlo cadent, antequam curſum ſuum abſolverint, Apocal. 12. 4. Sicut Cometæ ſeu ſtellæ errantes & male currentes, Iudæ 13.

2. De vita omnium Chriſtianorum, Gal. 5. v. 7. Pſalm. 119. 32. Horum tota vita curſus eſt, quo ſectantur præmium vitæ æternæ, 1. Cor 9. 24 Phil. 3. v. 14. Ideo vocatur vita Chriſtianorum curſus, quia eſt talis actio & tale opus, quod non ſegniter & invite, ſed fervide cum ſumma contentione & diligentia, lubenterque debet peragi. Hoc illud, Act. 20. 21. curſum perficere cum gaudio, id eſt, cum voluptate, delectatione & lubentia. Non tantum dulcedine propoſiti præmii, ſed delectatione ipſius operis. Cogitemus hoc, ut ſimus obedientes exhortationibus

tationibus Apoſtoli, Hebr 6.18.20. Hebr. 12.1. Si vitam decurremus cum gaudio, decurremus etiam mortem, 2. Timoth. 4. 7.

Actor. 13. v. 26, 27, 28, 29.

CONCIO CLV.

HActenus fuit demonſtratio hujus thematis: ſequitur ejus applicatio, in qua Apoſtolus

1. Rationem reddit auditoribus Antiochenſibus, cur ad eos veniat annunciatum hanc excitationem Ieſu, v.26. ad 40.

2. Hortatur eos ut hanc annunciationem recipiant, v.40. ad 42.

Viri fratres, inquit, filii generis Abrahæ, &c. quaſi dicat; Objeceris mihi fortaſſis: ſi hoc ita eſt, quod Deus Ieſum illum Nazarenum, de quo vos prædicatis, ex ſemine Davidis excitavit, & fecit eum Servatorem Iſraëli, cur nobis hoc annunciatis potius, qui inter Ethnicos vivimus diſperſi, quam iis, qui in Iudæa habitant? Abite Hieroſolymam, ubi habitant noſtri Sacerdotes, Scribæ, Seniores, qui habent clavem ſcientię & legis, iiſque prædicate hunc Ieſum. Si iis perſuaſeritis, ſi illi receperint hunc ſermonem, nos eorum exemplum ſequemur. Sed non, inquit, ita eſt, non pertinet ſermo hic ſalutis ad eos, qui Hieroſolymę habitant, ſed ad vos, qui adhuc, ut confidimus, eſtis veri ac genuini filii Abrahæ, & quotquot inter vos Deum timent. Nam qui Hieroſolymæ habitant, dudum oſtenderunt, ſe non eſſe genuinos filios Abrahæ. Illi enim hunc, quem Deus excitaverat, rejecerunt, immo occiderunt & ſepeliverunt, ſed Deus occiſum denuo excitavit, videlicet ex mortuis, & nos miſit, ut vobis, qui inter Ethnicos habitatis, annunciemus, quod per hunc ſitis habituri remiſſionem peccatorum & juſtificationem, ſi eum receperitis per fidem.

I. Verbum, inquit, hujus ſalutis miſſum eſt ad vos. Hujus ſalutis, ſcilicet ſpiritualis. In Synagogis Iudęorum docebatur verbum ſalutis, ſcilicet corporalis illius ſalutis, in eo conſiſtentis, quod Deus Patres Iſraëlitarum, per Moſem eduxerat ex AEgypto in Canäan ibique toties per Iudices ſervaverat ab hoſtibus. Huic ſaluti corporali Apoſtolus opponit ſalutem ſpiritualem, conſiſtentem in eo, quod Deus ex ſemine Davidis excitavit Ieſum Salvatorem Iſraëli ſecundum animam. Hujus, inquit, ſpiritualis ſalutis nuncium ad vos miſſum eſt. Euangelium eſt verbum ſalutis. Verbum Dei duas habet partes, legem & Euangelium. Lex Adamo integro erat etiam verbum ſalutis. Docebat enim quomodo ſalutem ſuam poterat retinere & augere. Sed homini peccatori, lex non eſt verbum ſalutis, ſed verbum mortis. Hinc vocatur litera occidens, 2 Cor.3. v. 6. Miniſterium mortis & condemnationis, ibidem v.7. & 9. Non quod prædicatio legis, hominem reum facit mortis & condemnationis, ſed quod ei, qui mortis reus eſt, reatum ſuum ob oculos ponit, ut eum ſciens & ſentiens terreatur ac deſperet. Vide Rom.7.9. quaſi dicat, antequam lex mihi prædicabatur, videbar mihi probe vivere, nec mortis reum me noveram. Sed veniente lege, mortuus ſum, id eſt, me mortis reum eſſe ſenſi. Peccator ante legem eſt ſicut mendicus ſomnians ſe regem eſſe, expergefactus autem, concipit ſenſum paupertatis, Eſa.29 8. Lex igitur omni peccatori verbum mortis eſt, ſolum Euangelium eſt verbum ſalutis, oſtēdens, quomodo peccator ſalvari poſſit, ſcilicet per fidem in Ieſum Chriſtum. *Object.* Atqui Pſal.19. 8, 9. Lex Domini dicitur vivificare animam? *Reſp.* Hoc lex habet per accidens, quatenus cum Euangelio conjungitur. Lex per ſe non eſt niſi miniſterium mortis peccatori; Sed cum lex conjungitur cum Euangelio, quod eſt miniſterium ſpiritus & juſtificationis, 2.Cor.3 8,9. tum per vim Euangelii fit verbum ſalutis. Sicut venenum in ſe ipſo lethale eſt, & tamen à medicis per additionem Pharmacorum vitalium ita corrigitur, ut juvet ſalutem ægri: ita lex in ſe ipſa lethalis eſt, & tamen ſi cum Euangelio, quod in ſe ipſo verbum ſalutis eſt, conjungitur, fit illis, qui morti ſunt obnoxii, gladius anceps, penetrans per medullas & vivificum ſenſum miſerię excitans. Fit illis Pędagogus ad Chriſtum, Gal. 3. Lucerna pedum ac lux viæ, Pſalm. 119 Solum igitur Euangelium eſt verbum ſalutis; lex per ſe eſt verbum mortis, & non niſi per accidens, quatenus cum Euangelio conjungitur, ſalutem peccatoris adjuvat. Euangelium autem eſt verbum ſalutis. 1 Quia revelat ac docet, ubi ſalus quærenda & quomodo. 2. Quia eſt medium per quod Deus ſalutem in nobis operatur, eamque nobis applicat. Eſt enim brachium Dei ad ſalutem omni credenti, Roman.1.16. Eſt ſemen, ex quo ad ſalutem regignimur, 1 Petr. 1.v.23. Eſt lac, quo ad ſalutem nutrimur, 1. Petr. 2.2. At enim quidnam illud Euangelium, ſeu verbum & nuncium ſalutis, & qua in re conſiſtit? *Reſp* Summatim deſcriptum eſt verſu 23. videlicet, quod ſit annunciatio, quod Deus ex ſemine Davidis excitavit Ieſum in Salvatorem omnibus veris Iſraëlitis

Sed

Sed ut clarius rem intelligas, ſciendum eſt, quod verbum ſalutis habeat ſequentes partes.

1. Prima pars eſt hiſtoria ſalutis, qua annunciatur, quid Deus ex ſua parte fecerit ad ſalutem peccatoris. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret Huc pertinet doctrina, de æterna & gratuita electione eorum, quos in Chriſto ſervare vellet; doctrina de miſſione, incarnatione, unctione & perſona mediatoris Ieſu Chriſti; doctrina de exinanitione Chriſti, per paſſionem, mortem & ſepulturam, ſatisfactione pro peccatis, & acquiſitione vitæ, quam per humiliationem ſuam comparavit; Doctrina denique de exaltatione ejusque effectis & fructibus, ſcilic. interceſſione ejus ad dextram Patris, effuſione & miſſione Spiritus Sancti, collectione Eccleſiæ per inſtitutionem miniſterii, verbi & Sacramentorum. Hæc hiſtoria Euangelii & ſalutis ſarta tecta eſt conſervanda in Eccleſia, ſecundum revelationem Scripturæ, nec partibus truncanda vel falſis gloſſis obſcuranda, alioquin non retinemus Euangelium, nec verbum ſalutis. Hæc hiſtoria eſt fundamentum Euangelii, quo diruto, cadit totum Euangelium.

2. Secunda pars eſt conſilium ſalutis, qua docetur, quid homo ex ſua parte facere debeat, ut juſtitiæ & Spiritus Chriſti, quem ſecundum decretum & beneplacitum ſui Patris, per exinanitionem ſuam acquiſivit, & per exaltationem ſuam diſtribuit, fiat particeps, & ſit ac maneat verum ac vivum membrum Ieſu Chriſti & Eccleſiæ ejus. Voco conſilium Dei, ex Lucæ 7. v. 30. quia Deus in Euangelio illud docet ac ſuadet amice, etſi interea non minus vult ac præcipit, Iohan. 6. 28, 29. Quodnam autem illud conſilium Euangelii? *Reſp.* Summatim deſcribitur, Actor. 2. 37, 38. Converſio & baptiſma eſt id, quod Euangelium à nobis requirit. Converſio habet tres partes, 1. Contritionem & verum ac vivificum dolorem peccati ac miſeriæ, quo homo onus iræ Dei ſentit, de offenſione Dei dolet, meritum condemnationis agnoſcit, ſe ipſum abnegat, Ieſum Chriſtum eſurit ac deſiderat. 2 Fidem ut non tantum ſe abneget, ſed & in Chriſtum confidat, illum teneat, illi adhæreat, illum amplectatur, eo nitatur. Non enim ſufficit fiduciam à ſe ipſo abſtrahere, ſed neceſſe eſt fiduciam in Chriſtum ponere, non ſufficit. ſuam juſtitiam abnegare, ſed neceſſe eſt Chriſti juſtitiam recipere. 3. Novam obedientiam ac officia gratitudinis, ut hoſtes peccati facti bellum geramus ſincerum contra peccatum, mundum & Diabolum, ut Deum & proximum amemus, ſecundum præſcriptum legis & verbi, nec non, ut crucem, quam nos Deus in hac vita vult exercere, feramus patienter. Hęc converſio, quam Euangelium requirit & conſulit. Per baptiſmum intelligit Petrus ſedulum uſum omnium externorum mediorum, per quæ Deus vult largiri Spiritum S. & per quę Spiritus S. in nobis vult operari regenerationem, ſanctificationem & conſolationem. Hoc conſilium Euangelii probe inculcandum, ne negligatur, truncetur, vel mixtura humanarum traditionum corrumpatur. Nam ſicut periculoſum eſt ægro, mutare conſilium medici, & Quid pro Quo (ut loquuntur) aſſumere, ita periculoſum peccatori, ſi in ſtudeo ſalutis conſilium Euangelii non ſtricte ſequatur. Cape exemplum ex Saulo, 1. Sam. 15. 21, 22. & juvene illo, qui conſilium quidem Chriſti exquirebat, ſed ei non obediebat, Matth. 19. 21, 22.

3. Tertia pars Euangelii eſt promiſſio Euangelii, qua Deus declarat, quid ſit remuneraturus illis, qui conſilio Euangelii fiunt obedientes. Etſi enim tota doctrina Euangelii gratiam prædicat, & meritum omne excludit ex parte hominis; tamen doctrina & promiſſio gratuitæ mercedis pro obedientia, etiam eſt pars Euangelii, una cum Sacramentis, quibus hæc promiſſio obſignatur. Quidnam promittit Euangelium? Docetur hoc, Act. 2. v. 28. ſcilicet remiſſionem peccatorum & Spiritum Sanctum, per quem doceamur, conſervemur, ſolatium accipiamus in miſeria, ſuſcitemur ex mortuis, vitam æternam vivamus. Hæc promiſſio Euangelii probe tenenda, ne aliud ſperemus ex Euangelio quam promiſſum eſt. Ne ſperemus regnum terrenum quod ſit ſine cruce, imperfectam juſtificationem, quæ requirat adminicula noſtrorum meritorum, perfectam ſanctificationem quæ ſit ſine reliquiis carnis. En hoc verum Euangelium, verum verbum ſalutis. Itaque monemur.

1. Ut petamus à Deo tales Euangeliſtas, qui myſteria Euangelii portant in pura conſcientia, quorum labia legem hanc & hoc verbum ſalutis cuſtodiant purum, atque det iis talia dona, quibus ſplendorem Euangelii, in cordibus eorum per Spiritum S. accenſum, bene poſſint derivare in corda noſtra, ne aliud Euangelium nobis prædicent, ne aliquid reticeant, ſed totum conſilium Dei nobis exponant, ne Euangelii conſilio ſua conſilia miſceant Et cum tales habemus, miniſterio eorum diligenter utamur, & in luce eorum ambulemus, ut myſteria Euangelii cognoſcimus. Sicut enim qui in Sole non ambulat, facile offendit, Iohan. 12 35. Et ſicut qui ſine cibo &

potu

potu ambulat, facile deficit; Ita nobis fiet, ſi ambulemus ſine ſedulo uſu & auditu Euangelii.

2. Ut non tantum hiſtoriam Euangelii diſcamus, ut ſciamus quid Deus propter noſtram ſalutem fecerit, quid promiſerit, ſed etiam obediamus conſilio & præcepto Euangelii. Utrumque requiritur, 2. Theſſ. 1. v. 8. Etſi enim hæc quoque obedientia ad promiſſionem Euangelii pertinet, & ex Dei parte promittitur in nobis efficienda, tamen præcipue pertinet ad ſecundam partem Euangelii, & nobis conſulitur ac præcipitur. Noſtra igitur obligatio nobis agnoſcenda, animus ad obedientiam convertendus, & quod ex nobis non poſſumus, à Deo cum fiducia in promiſſiones ejus petendum, ſicut ille fecit, Marc. 9. 23. 24. Sicut Pharmaca, quantumvis optima, non proſunt, niſi ab ægris aſſumantur; ita verbum ſalutis, quantumvis optime prædicatum, non prodeſt, niſi miſceatur fide, Hebr. 4. 2. Alludit Apoſtolus ad compoſitionem & mixturam Pharmacorum. Sicut potio non bene mixta non ſanat; ita Euangelium & verbum ſalutis, cum fidem non habet pro ingrediente, non ſalvat. Immo ſicut pharmacum non ſanat niſi ſe ei immiſceat calor & vita ſtomachi, illudque digerat; ita Euangelium non ſalvat, niſi ſe immiſceat fides & vita animæ. Simus igitur diligentes tum in uſu mediorum, tum in exercitio conſilii Euangelici ſecundum omnes partes.

II. Declarat deinde Apoſtolus, quibuſdam miſſum ſit verbum hujus ſalutis, videlicet ſuis fratribus, Iſraelitis, filiis generis Abrahami, & quotquot inter illos Deum timent. Filium Abrahæ eſſe, eſt res magni momenti. Abraham enim & ſemini ejus facta eſt promiſſio, Gen. 17. Sed ſciendum, quod Abraham habeat duplices filios.

1. *Filios carnis*, qui ex carne & ſemine ejus per naturalem generationem vitam acceperunt, qui etiam vocantur filii legis, Rom. 4. 16. quia lege naturæ pro filiis ejus habendi. Hoc enim erat magnum privilegium, in quo etiam Iudæi multum gloriabantur, Ioh. 8. 39. Horum enim erant Patres, Teſtamenta, &c. Rom. 3. 1. & 9. 4, 5. Ipſi rami naturales, Rom. 11. 21. bona arbor olivarum, verſ. 24. Filii regni, Matth. 8. 12. Immo etiamnum eſt magnum privilegium; Generantur enim eodem ſanguine, ex quo Chriſtus Dominus noſter ſecundum carnem natus eſt, & eo ſenſu fratres Chriſti propriores, quam nos ſecundum carnem ipſi ſumus. Unde etiamnum habent peculiarem illam promiſſionem, quæ eſt Rom. 11. 23. 25, 26. Oſe. 3. 5.

2. *Filios Spiritus*, ſeu filios fœderis, qui populo ex Abrahæ ſemine carnaliter nato, & per promiſſionem Euangelii in fœdus Dei adoptato, ſpiritualiter inſeruntur, ut communiones cum ipſo habeant. Sicut in Veteri Teſtamento Ethnici Iudaicam religionem profeſſi erant filii Abrahę, & veri Iſraelitæ; ita & nunc quicunque credunt προσήλυτοι ſunt, & pertinent ad familiam Abrahæ.

Hinc Deus dicitur vel ex lapidibus poſſe facere filios Abrahæ, Matth. 3. quia quoſvis homines, undecunque creatos, poteſt ſemini Abrahæ inſerere, ut fiant filii Abrahę. Vide Rom 9. 8. Rom. 4. 16 Luc. 13. 16. & 19. 9. Gal. 3. 29. item v. 7. Ex quacunque natione quis ſit genitus ſecundum carnem, modo credat in Chriſtum, eſt filius Abrahæ. Sed quare nam illi, qui in Chriſtum credunt, vocantur filii Abrahę? Propter tres cauſas.

a. Quia nati virtute ejuſdem promiſſionis Euangelicæ, per quam Abraham factus eſt fœcundus ad generandum Iſaacum. Sicut enim Abraham Iſaacum & ſic ipſum Chriſtum ſecundum carnem non genuit virtute virium naturalium, ſed vi promiſſionis Euangelicæ, fundatæ in gratuito decreto electionis; ita vi ejuſdem promiſſionis regenerantur quotquot regenerantur. Hoc illud Rom. 9. 9. Circumciſi ſunt eadem circumciſione ſpirituali, Rom. 2. v. 28.

b. Quia hæredes ejuſdem teſtamenti, quod Deus cum Abrahamo condidit, ſunt cohæredes Iſaaci in hæreditate illa ſpirituali quam Deus Abrahamo promiſit, Gal 3. 9. Gal. 4. 30, 31, item v. 38. Vide Matth. 8. 10, 11. Hinc dicuntur congregandi in ſinum Abrahæ, Luc. 16. v. 22. Cur cœlum ſinus Abrahæ? Quia ſicut in terra pro filiis non eſt locus tutior & gratior quam ſinus Patris; ita in cœlo erit tutiſſima & gratiſſima illa congregatio, qua filii redibunt ad parentes, & omnes ad primum Patrem, videlicet Abraham.

c. Quia Abrahæ ſimiles, & paternum illud exemplum doctrinę, fidei ac virtutis, qua Abraham præluxit, filialiter imitantur. Vide hoc Iohan. 8. v. 39. 1. Petr. 3. 6. Vide etiam, Rom. 4. 12. Quomodo autem Abrahamum ita imitari & in veſtigiis ejus ambulare poſſumus, ut ſimus veri filii illius?

Reſp. 1. Si imitemur doctrinam illius, ut juſtitiam noſtram non quæramus in operibus legis, ſed per fidem in Ieſum Chriſtum, ut non habentibus juſtitiam imputetur Chriſti Iuſtitia. Hoc eſt Abrahamũ ſequi in fide & doctrina. Has ſemitas Abrahæ deſeruerant Iudæi tempore Chriſti, ideo non erant

veri filii Abrahæ, Rom.9 6,7. Tales non magis ſunt filii Abrahæ, quam Iſmael fuit. Applica noſtris Papiſtis illud Gal 4.22, ad finem. Præſertim imitanda fides ac fiducia Abrahæ in promiſſiones quarum impletio difficilis ac improbabilis eſt. Ut Roman.4. v.17,18.

2. Si imitemur opera illius. Abraham quidem juſtitiam in operibus legis non quæſivit, ſed tamen in operibus bonis faciendis diligens fuit, ut fidem ſuam per opera oſtenderet, & ſic ex operibus juſtificaretur coram hominibus, id eſt, juſtus agnoſcere tur, Iacob. 2. In operibus ſedulo nobis imitandus Abraham, ſi volumus eſſe ejus filii, præſertim illis operibus quæ deſcribuntur, Hebr. 11. 8, 9, 10. 17, 18, 19.

Object. At enim cur magis Abraham noſter Pater & nos ejus filii, quam Adam, Henoch, Noah, & alii antiquiores Patriarchę, cum tamen cum illis eandem habeamus communionem quam cum Abraham? Sumus enim virtute ejuſdem promiſſionis Euangelicæ regeniti qua illi; ſumus hæredes ejuſdem hæreditatis quam illis Deus legavit; imitamur eorum quoque fidem & opera. Cur non igitur & eorum filii? *Reſp.* Hoc non fit, quaſi nulla ratione poſſimus appellari filii Patriarcharum, qui ante Abrahamum fuerant, ſed quia Sacra Scriptura non ſolet fideles appellare, niſi Abrahami filios. Poſſumus etiam appellari filii Iſaaci, Iacobi, immo Iudę, Davidis, Eſaiæ, ſed Scripturæ ſtylus hoc non fert. Cauſa eſt quia Abraham eſt ille Pater, quem Deus in ſenectute ſua poſt mortuam naturalem generandi vim, virtute Euangelicæ promiſſionis, fundatæ in æterno gratuitæ electionis propoſito, fœcundum reddidit ad generandum, ut ex ipſius ſemine ſibi conderet Eccleſiam, & integrum populum peculii, cui communicaret gratiam in Chriſto præparatam, & intra ejus terminos gratia Euangelii eſſet conſtricta. Ante Abrahamum Deus etiam habuit inter homines à quibus colebatur, & quibus gratiam Chriſti & Euangelii communicabat, ſed non erat integer populus, integra Eccleſia, ſed ſingulæ perſonæ vel familiæ hinc inde per orbem terrarum diſperſę. Sed Abrahamum elegit, ut virtute Euangelicę promiſſionis, & æternę electionis ſibi conderet Eccleſiam, quæ eſſet mater ſpiritualis omnium eorum, qui poſtea per Chriſtum ſalvarentur, ut vocatur, Gal.4. v.26. Cum nemine ante hac tam ſolemne fœdus iniit. Gaudeamus quod & nos facti filii Abrahæ, & nobis quoque competat hæc appellatio. Nos certe ex lapidibus facti filii Abrahæ, immo ex canibus, Matth. 15. Nos qui alieni eramus, ſumus prope facti, & in civitatem Iſraelis adſciti. Nemo filius Dei, niſi ſit filius Abrahami; nemo filius veræ Eccleſiæ, niſi qui filius Abrahæ. Retineamus hanc communionem cum Abrahamo, idque tum in doctrina, ne ab Euangelio deficiamus & erigamus juſtitiam legis, tum in operibus, præſertim difficilioribus carni, quorum exempla multa in Abrahamo. Tum ſumus vere antiquæ religionis homines, cum ſumus Abrahamicæ doctrinæ homines. Valeat apud nos hortatio Pauli, Rom. 11. 21. &c.

III. At enim cur addit: & qui inter vos Deum timent? Quomodo poteſt quis eſſe filius Abrahæ, & non timere Deum? Aut quomodo poteſt Deum timere, & adhuc ignarus eſſe Euangelii de Chriſto? Si jam Deum timebant, utique cognitionem Chriſti habebant, ſine qua nullus verus Dei timor. *Reſp.* 1. Quidam accipiunt, ut ampliationem, quaſi per hoc naturalibus Abrahæ filiis addat eos, qui ex gentibus erant advenæ facti. 2. Sed potius eſt reſtrictio, qua declarat, Euangelium non pertinere ad omnes, qui extrinſecus ſint fœderati, ſed ad eos demum, qui Deum timent, qui iram Dei ſentientes trepidant contrito corde ſuper peccatis. Ad hos pertinet Euangelium, Matth. 11. 28. Prov. 28. 14. Eſa. 61. 1. Hiſtoria quidem Euangelii poteſt narrari & proponi omnibus, omnes etiam hortandi ſunt ad conſilii Euangelici partem priorem, videlicet contritionem. Sed promiſſio Euangelii & mandatum fidei, non pertinet niſi ad contritos corde. His mandatum, ut credant Euangelio & ejus promiſſionibus, peccata ſibi eſſe remiſſa, Deum ſibi reconciliatum, &c. Et tales contriti corde, ac viam Dei ob peccatum timentes, redemptionemque deſiderantes, erant etiam inter Iudæos, qui nondum noverant Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam. Talis enim timor Dei poteſt conſiſtere cum ignorantia Mediatoris Chriſti, cum antecedat fidem in Chriſtum. Sed filialis ille timor Dei, quo ſtudemus Deum non offendere, ſed ei grate ſervire, non poteſt conſiſtere cum hac ignorantia. Oritur enim ex cognitione & fide amoris Chriſti erga nos.

IV. Notabile quoque, ſermonem ſalutis ad eos miſſum eſſe. Non dicit, adfertur à me, ſed mittitur per me. Hac voce Paulus ſuam prædicationem refert ad Deum, & indicat, quod prædicatio Euangelii regatur providentia Dei, & non ſolo conſilio miniſtrorum, ita ut illi, ad quos Euangelium venit, debeant agnoſcere ſpecialem Dei providentiam & gratiam, qui illud mittit. Sicut Scriptura

non

non facta eſt τῇ ἰδίᾳ ἐπιλύσει, nec hominis conſilio adfertur, 2. Petr. 1. 20, 21. ita nec ita circumfertur, ſed ſecundum conſilium Dei. Sicut ignea illa nubes, quæ Iſraëlitis lucebat in deſerto, gubernabatur à Deo; ita curſus Euangelii à Deo regitur. Hoc patet ex multis ſpecialibus exemplis in Actis Apoſtolorum deſcriptis, exempli gratia, Actor. 8. 16. & 16. 6, 7. 9. id quod probe nobis ſciendum, ut pro fruitione Euangelii Deo ſoli gratias agamus, & ſi retinere Euangelium cupimus, illum ſtudeamus habere propitium. Homines ſæpe pugnant & bellum gerunt pro religione & Euangelio, ſed tamen Euangelium amittunt, quia Deum non reſpiciunt qui hanc ſtellam in manu habet, & poteſt ſiſtere vel movere ſicut ſolem.

V. Nunc porro Apoſtolus reſpondet ad objectionem Iudæorum, verſu antecedente propoſitam, & reddit rationem, quare non manſerit Hieroſolymis, & ejus incolis atque primoribus Euangelium de Ieſu annunciet; quia ſcilicet illi Ieſum prædicantem & prędicatum rejecerint, eumque crucifixerint & ſepeliverint. His verbis continetur hiſtoria paſſionis Chriſti ſummatim comprehenſa, cui non inſiſtemus quia pertinet ad Euangeliſtas, & ſæpe ante hac explicata eſt. Breviter modo conſideremus ſingulares Pauli in hac materia phraſes.

1. Primores Hieroſolymitani Ieſum judicando, id eſt condemnando, impleverunt voces Prophetarum. Voces Prophetarum ſunt clariſſima & uniformia omnium Prophetarum teſtimonia de futura Chriſti paſſione. Has voces Iudæi impleverunt. Quomodo? utique Deus ſolus implet ſua vaticinia; Et quomodo male agendo poſſumus implere verbum Dei? Annon igitur bene fecerunt, quod Chriſtum condemnarunt? *Reſp.* Aliud eſt mandatum verbi, aliud vaticinium vel promiſſio verbi: peccando non implentur mandata verbi, ſed tamen vaticinia & promiſſiones verbi poſſunt impleri malignis hoſtium peccatis. Hinc alibi dicitur, feciſſe quod manus Dei ſtatuerat, Actor. 4. His locis clariſſime probatur efficax illud dominium, & efficax providentia Dei ſuper peccata hominum, quæ in Reformata Eccleſia docetur, & propter quam tam miſere patimur. Hæc doctrina ſit nobis ſolatio contra terrores & perſequutiones hoſtium. Nihil aliud efficient, quam quod implebunt promiſſiones & vaticinia Dei de futura purgatione & victoria eccleſiæ.

2. Dicit quod Chriſtum ignorantes impleverint vaticinia, ſicut etiam 1. Corinth. 2. 8. Quomodo potuerunt ignorare, quod ſingulis diebus Sabbathi in Synagogis eorum legebatur? *Reſp.* Ignorantia voluntaria, orta ex non attentione ad id quod prælegebatur. Peſſima & maxime culpabilis ignorantia eſt, quotidie doceri & tamen ignorare. Hæc tamen inter nos non rara. Talis ignorantia homines non tantum veritate deſtituit, ſed etiam facit perſequutores Chriſti & veritatis. Apparet hoc in Pontificiis, qui quoniam volentes ignorant, & ne legere quidem Scripturas & Prophetarum & Apoſtolorum voces in ſuis Synagogis volunt, ſunt acerrimi perſequutores Chriſti & membrorum ejus, qui eos occidentes putant ſe facere rem gratam Deo. Caveamus voluntariam ignorantiam, legamus Scripturas, & quæ legimus, iis attendamus, precemurque Deum, ut nobis largiatur cognitionem humilem. Nam ſcientia inflans etiam ignorantia eſt, 1. Corinth. 8. quia facit, ut prę tumore cordis veritatem, quam ſcimus, non conſideremus. Clamant multi, quod ſchiſmata, confuſiones, bella quæ ſunt in eccleſia oriantur ex nimia lectione & ſcrutatione Scripturæ, & ex nimia ſcientia: Immo contrarium verum. Oriuntur enim ex ignorantia, quod homines Scripturæ, quam quotidie legunt & audiunt, tam negligenter attendant, & ſic incidunt in turgidam opinionem ſcientiæ, qua alios damnant, cum ipſi quod damnant neſciant.

3. Cur Iudæorum primoribus, Chriſti hoſtibus & crucifixoribus exprobrat, quod Chriſtum crucifixum ſuſtulerint è ligno & ſepeliverint, cum tamen hoc non ſit factum à Chriſti hoſtibus, ſed à diſcipulis? *Reſp.* Reſpicit non ipſum factum ſed petitionem Iudæorum, quę eſt Iohan. 19. verſ. 31 ubi petunt, ut Ieſus tollatur à cruce. Unde diſci poteſt, quod malum propoſitum ac deſiderium, etſi non peractum, etiam eſt peccatum. Proponebant & deſiderabant crucifixo Chriſto crurifragium addere, & ſicut abominationem in terram eum defodere; ne ſol eum conſpiceret amplius. Etſi ab hujus propoſiti exſequutione impediuntur per Pilatum, tamen hic ipſis exprobratur ut peccatum. Diſcamus non tantum vitare externa mala opera, ſed etiam interna peccandi deſideria ac propoſita.

Actor. 13. v. 30. *ad* 38.

CONCIO CLVI.

DOctrina, quam Apoſtolus hac concione urget, eſt hæc: Quod ſalus Iſraëlis non conſiſtat in corporalibus illis beneficiis & miraculis, Patribus ipſorum olim exhibitis, ſed in eo, quod ex ſemine Davidis Deus excitavit Ieſum, Iſraëli Salvatorem, ſcilicet ſpiritualem. Hanc doctrinam Apoſtolus.

1. Proponit, v. 23.
2. Demonſtrat, v. 24, 25.
3. Applicat ad præſentes auditores. In hac applicatione tria facit.

1. Removet objectionem, qua amovere à ſe hanc doctrinam auditores poterant, prætendendo quod Apoſtoli prius deberent de hac doctrina convincere eos, qui in ipſa Iudæa habitarent, præſertim ſuperiores eorum. Hanc objectionem ſolvit, v. 26, 27, 28, 29.

2. Dat rationem quare omnino prædicandus ſit hic Ieſus illis, quia ſcilicet, quantumvis à Iudæis rejectus & occiſus, tamen à Deo ex morte ſuſcitatus & exaltatus ſit, v. 30. ad 38.

3. Docet quid ſit, quod de hoc excitato, occiſo, & reſuſcitato Ieſu prædicandum & ſciendum ſit, hortaturq; ad receptionẽ hujus prædicationis, v. 38. ad 42. Agit igitur in hac concione ſummatim, 1. De Incarnatione. 2. De Paſſione. 3. De Reſurrectione & exaltatione Chriſti. 4. De Fructu horum omnium, ſcilicet remiſſione peccatorum. 5. Nec non de modo & medio, quo fructu illo frui poſſumus, ſcilicet fide. In verbis nunc prælectis agitur de reſurrectione vel exaltatione Chriſti à Iudæis occiſi & ſepulti, quæ exaltatio primo proponitur, v. 30. & deinde demonſtratur. Iudæi occiderunt & ſepeliverunt. Deus vero excitavit eum ex mortuis. Hic vox ἤγειρε, longe alio ſenſu accipitur, quam ſupra, verſ. 23. Ibi enim notabat excitationem ex ſemine per generationem, hic vero ſuſcitationem ex mortuis. Immo non tantum ſuſcitationem ex mortuis, ſed etiam totam erectionem & exaltationem ex humiliatione, exinanitione & depreſſione. Cur Deus dicitur Chriſtum ſuſcitaſſe ex mortuis, cum tamen ipſe reſurrexerit, ut patet, Ioh. 2. 19. Ioh. 10. v. 18.? *Reſp.* Deſtinguendum eſt inter potentiam reſurgendi & poteſtatem reſurgendi. Potentiam reſurgendi Chriſtus habet à ſe ipſo, ſed poteſtatem habet à Deo Patre, adeo ut vox ἐξουσία, Iohan. 10. 18. uſurpetur impropriè pro potentia, Chriſtus in hoc negotio conſiderandus ut Sponſor, qui reatum noſtrum in ſuſceperat, & ſeſe judicio Dei pro nobis ſtiterat, tamdiu paſſurus noſtras pœnas, donec Pater judex declaraſſet ſibi ſatisfactum, & ſic Chriſtum ex pœnis dimitteret. Hoc igitur ſenſu Deus Pater Chriſtum ſuſcitavit, & ex mortuis Paſtorem ovium eduxit, ut eſt Hebr. 13. Quia ſcilicet poſt acceptam plenam ſatisfactionem ipſum ex carcere mortis dimiſit. Sicut à Patre damnatus & in mortem traditus eſt; ita poſt ſatisfactionem ab eodem ex morte eductus & dimiſſus eſt, Rom. 4. 25. *Propter juſtitiam noſtram ſuſcitatus*, id eſt, propter præſtitam à Chriſto pro nobis ſatisfactionem. Hoc arguit plenitudinem ſatisfactionis Chriſti. Non effregit carcerem per vim & debito non ſoluto egreſſus, ſed ab ipſo judice, per plenam ſatisfactionem pacato, ex carcere honorifice eductus eſt; immo in gloriam, ſibi ſuiſque promeritam, inductus. Et hoc in doctrina reſurrectionis Chriſti præcipue conſiderandum, ut maximum fundamentum ſolatii. Nam ab hac ſuſcitatione Chriſti pendet noſtra ſuſcitatio. Quod enim Sponſori noſtro factum, id nobis factum. Vide Eph. 2. verſ. 5, 6. συνεζωοποίησε τῷ Χριστῷ. Sic Rom. 6. v. 5. & 8. 11. Iam æque de nobis ac de Chriſto verum eſt illud Actor. 2. v. 24. Impoſſibile nos à morte teneri. Vide quæ in illum locum diximus.

Demonſtratio ſeu probatio hujus exaltationis Chriſti fit duobus modis.

I. A teſtimonio eorum, qui redivivum viderunt & per aliquot tempus cum eo converſati ſunt, & reſurrectionem ejus populo teſtati, v. 31. Hiſtoria hujus teſtimonii petenda eſt ex Euangeliſtis, & ex 1. Corinth. 15.

II. A conſenſu Scripturæ veteris Teſtamenti, quæ prædixit, quod nunc impletum filiis. Patribus prædictum & promiſſum, filiis vero impletum. An igitur Patres nihil habuerunt præter prædictiones & promiſſiones? nihil de re ipſa? *Reſp.* Quotquot inter Patres in prædictiones & promiſſiones de Chriſto Ieſu vera fide crediderunt, non habuerunt quidem ipſum Ieſum Chriſtum incarnatum, paſſum & reſuſcitatum, ſed habuerunt tamen fructus, quos Chriſtus venturus ſua incarnatione, paſſione & reſuſcitatione eſſet acquiſiturus, videl. remiſſionem peccatorum, Spiritum regenerationis ac ſanctificationis, & ingreſſum animarum in æternum regnum. Hæc enim illis propter futuram & promiſſam Chriſti ſatisfactionem prænumerata & indulta ſunt

ta ſunt à Deo, Actor. 15. v. 11. Filiis vero Patrum in Novo Teſtamento exhibitus ipſe Chriſtus incarnatus, paſſus & exaltatus ad dextram Dei. Emolumentum igitur, quod filii habent præ Patribus, non in eo conſiſtit, quod filii ſalutem adipiſcuntur, Patres vero ſalutem tantum habuerunt prædictam & promiſſam pro ſuis filiis, ſed in eo, quod Patres non habuerint illud lytrum, quo ſalus à Deo ipſis indulta, acquiſita & firmata eſt. Hoc lytrum Patribus fuit promiſſum, filiis exhibitum.

Quænam autem illa teſtimonia Scripturæ, quibus reſurrectio Chriſti probatur. Tria citantur. Primum eſt ex Pſalmo ſecundo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hic gravis quæſtio inter Theologos, quomodo ex hoc dicto poſſit probari reſurrectio Chriſti ex mortuis, cum tamen illud dictum non agat, niſi de æterna generatione Deitatis Chriſti ex eſſentia Patris, ut patet, ex Hebr. 1. v. 5. ubi ideo major Angelis colligitur, quia Pſalmo ſecundo *Dei Filius* vocatur. Tripliciter hæc difficultas ſolvi poteſt:

1. Quoniam Deus ter Chriſtum genuit, & ter vitam ipſi dedit, videlicet ab æterno ex ſe generando; deinde ex ſemine Davidis excitando, & denique ex mortuis reſuſcitando; ideo putant nonnulli hoc dictum Pſalmi non ſolam æternam generationem, ſed etiam reſurrectionem & mortuis teſtari ac prædicere. Si hanc reſponſionem probemus, inde tamen nequaquam ſequitur, quod hæretici volunt, videlicet quod Chriſtus ſolummodo propter reſuſcitationem ex mortuis appelletur Dei filius. Si enim per hanc generationem etiam intelligitur, reſuſcitatio ex mortuis, tamen per hoc non excluditur, ſed principaliter indigitatur generatio æterna ex eſſentia Patris.

2. Alii putant, quod ideo hoc dictum ab Apoſtolo applicetur ad reſurrectionem Chriſti ex mortuis, quod Spiritus S. eo dicto non tantum intenderit teſtari æternam Chriſti generationem ex Patre, ſed etiam promittere æternæ illius generationis demonſtrationem per reſurrectionem ex mortuis factam, Rom. 1. 4. Sæpe enim in Scriptura dicitur aliquid fieri cum factum eſſe agnoſcitur, Prov. 17. 17 Iohan. 15. 8.

3. Commodiſſime dicitur, quod ſcopus Pauli non ſit ſimpliciter & præciſe in his dictis fundare reſurrectionem Chriſti, ſed totam exaltationem, immo totam exinanitionem Chriſti, qua & electio, & miſſio, & incarnatio, & paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & ſeſſio ad dextram Dei includitur, quodque hoc fine Lucas dicta à Paulo adducta non integra recitet, ſed tantum initia eorum citet, lectorem remittendo ad lectionem eorum quæ ſequuntur. Si hoc obſerves, vides in Pſalmo ſecundo eſſe promiſſionem Patribus factam, in qua fundari potuit miſſio, reſurrectio & exaltatio Chriſti. Promittit enim ſe Filium, quem ab æterno genuit, uncturum ſuper ſanctum montem Tzionis, eumque exaltaturum in Regem, qui pupulos terræ regat virga ferrea, &c. Idem judicandum de Hebr. 5. 5. ubi idem locus citatur ad probandam Chriſti ad ſacerdotium vocationem, quæ ſane ex illo loco probari non poteſt, niſi ſimul ad ſequentia intendatur oculus: Ex hac parte diſcamus verum fundamentum, quare qui in Chriſtum credunt, tam efficaciter ſalvantur, quia ſcilicet eſt Filius ille quem Deus ab æterno genuit, filius unigenitus, filius proprius, filius cum Patre verus Deus, Iohan. 1. Roman. 8. 1. Iohan. 5. Non filius adoptatus, ſed genitus. Hoc enim facit

1. Quod Chriſtus tam potens ad vincendum Satanam, & quicquid ſe regno ejus opponit, quia eſt ejuſdem naturę & eſſentiæ cum Deo, utpote ex Deo genitus.

2. Quod Chriſti merita tam ſufficientia ſunt ad expianda peccata, quia ſcilicet eſt ſanguis unigeniti filii Dei, non meri hominis ſanguis.

3. Quod qui Chriſto ſunt inſiti, tam cari & accepti ſunt Deo, quia ſcilicet ſunt membra & ſponſa filii unigeniti, in quo Patri tantum beneplacitum, ut propter unionem & communionem cum ipſo, in iſto dilecto fiamus accepti, uti eſt Eph. 1. 6. Vides igitur quantum in eo ſitum, ut unionem & communionem habeas cum Chriſto, & ſis in Chriſto, & quantum proinde ſitum in eo: 1. ut recte intelligas & ampleċtaris doctrinam de juſtificatione per fidem in Chriſtum ſine operibus. Nam qui hanc non tenet, ei Chriſtus inutilis factus, Gal. 5. 2, 3, 4. 2. ut non ſervias peccato nec mundo. Nam qui hoc facit, non eſt Chriſti, ſed mundi, Gal. 5. 25. Roman. 8. 9. Hæc duo debent eſſe conjuncta. Solent dicere idiotæ: In Papiſtarum concionibus etiam multa bona docentur, cur non eas æque liceat frequentare ac veſtras? ſed heus! Qui te docet bona opera facere, & ſimul in bonis operibus fiduciam collocare, nihil boni te docet. Item qui te docet ad cultum Dei adhibere quod Deus non præcipit, nil boni te docet. Viciſſim qui te docet in Chriſtum confidere, & bonis operibus non præeſſe, nil boni te docet.

Secundum teſtimonium, quo Apoſtolus probat glorificationem & exaltationem Chriſti, petitum eſt, ex Eſa. 55. 3. De hoc teſtimonio tres ſunt quæſtiones.

1. Quomodo Paulus dicit ex hoc teſtimonio conſtare, Chriſtum ita reſuſcitatum iri ex mortuis, ut non amplius revertatur, ad corruptionem; cum tamen ex Pſal. 16. conſtet, Chriſtum nunquam vidiſſe corruptionem? Qui nunquam in corruptione fuit, non poteſt dici reverti ad corruptionem. Nam qui dicitur vel negatur ad corruptionem reverti, præſupponitur in coruptione fuiſſe. *Reſp.* Corruptio hic idem quod mors. Chriſtus dicitur, non vidiſſe corruptionem, quia non manſit tam diu in morte donec corpus ejus putrefieret. Sed tamen recte dici poteſt in corruptione fuiſſe, quia vere mortuus fuit. Mors enim corruptio vitæ & deſtructio hominis, quam deſtructionem Chriſtus pati debuit, quia nos eam eramus meriti. Templum corporis ejus debuit frangi, Iohan. 2. *Corpus ejus pro nobis fractus eſt,* Matth. 26. 1 Corinth. 11. Eſt enim factus holocauſtum quod totum deſtruebatur. Et hæc corruptio ac deſtructio major, quam cum noſtra corpora tota putreſiunt. Chriſti enim corruptio vera fuit deſtructio, qua Chriſtus ex terra viventium ſublatus in imam mortis abyſſum abſorptus fuit, ad quam corruptionem non revertetur. Rom. 6. 9. Apoc. 1. 18. Sed noſtra putrefactio non eſt niſi benigna mutatio, qua corpus mortale & corruptibile mutatur in immortale & ſpirituale, ſicut cum granum tritici in terra corrumpitur, non ut deſtruatur, ſed ut renovetur & emendetur. Iohan. 12. 24.

2. Cur Apoſtolus locum ex Eſai. 55. ſic citat, quod Eſaias dicat, dabo vobis τὰ ὅσια ſeu ſanctitates Davidis, cum tamen apud Eſaiam ſit *chaſde* ſeu benignitates Davidis? *Reſp.* Apoſtolus retinet verſionem Græcam L X X. interpretum, quibus in more poſitum eſt vocem *cheſed* non tantum vertere per ἔλεος ſeu miſericordiam, 2 Chron. 6, 42. ubi eadem phraſis uſurpatur; ſed etiam per ὅσιος καὶ δίκαιος, Pſalm. 18. 26. Hinc fideles, qui Pſalm. 16. 2. vocantur *Kedoſchi*, ſancti, alibi dicuntur *cheſidim*, gratioſi, Pſalm. 4. 4. Pſalm. 6. 10. quia habent gratiam ſanctificantem & juſtificantem. *Cheſed Adonai*, proprie eſt gratia Dei, ſed eſt gratia data ad juſtificandum & ſanctificandum, ideo promiſcue vocatur gratia & ſanctitas, & qui eam habent vocantur *gratioſi & ſancti.* Alibi vocantur κεχαριτωμένοι, Luc. 1. 28. ἠλεημένοι καὶ ἠλεηθέντες, 1. Pet. 2. 10. ſcilicet ad accipiendam gratiam ſanctificationis & juſtificationis. Eſt enim quædam gratia & miſericordia, quæ etiam impiis contingit, & juſtificationem ac ſanctificationem non adfert: Sed fideles ideo nomen gerunt à gratia & miſericordia Dei, quia acceperunt gratiam juſtificantem & ſanctificantem. Hæc gratia & ſanctitas vocatur *ſanctitates Davidis*, id eſt populi Iſraelitici & eccleſiæ Dei. Sicut enim ille populus vocatur Iſrael; ita hic vocatur David, quia David ejus, Rex & Propheta, per quem Deus hoc fœdus, & has promiſſiones de gratia juſtificante & ſanctificante per Chriſtum clariſſime huic populo annunciavit, 2 Sam. 7. Pſ. 89. Hæ ſanctitates Davidis vocatur etiam πιστὰ, quia eſt gratia perſeverans & æterna καὶ ἀμεταμέλητος, Rom. 11. cujus promiſſiones ſunt πισταὶ καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἀξίαι. 1. Tim. 1. v. 16. Has itidem ſanctitates Davidis, ſeu hoc fœdus, & has promiſſiones gratiæ juſtificantis & ſanctificantis, Iſraelitico populo per Davidem factas, vobis *dabo*, inquit Deus per Eſaiam, id eſt, implebo. Davidis tempore promiſſio erat data ſed poſtea impleta. Impleta quidem etiam Davidi, qui & ipſe gratiam juſtificantem & ſanctificatem habuit, ſed fundum & fontem hujus gratiæ Dominum Ieſum Chriſtum Deus demum dedit eo tempore, de quo Eſaias vaticinatur.

3. Quomodonam autem ex his verbis Eſaiæ Apoſtolus poteſt probare reſurrectionem Chriſti? Quomodo enim ſequitur: *Eſaias dixit: Dabo vobis* ſanctitates Davidis. Ergo Chriſtus ex mortuis ſuſcitatus eſt. *Reſp.* Dicendum hic eſt, quod ad prius teſtimonium dicebatur, ſcilicet, quod Paulus non tantum velit probare reſurrectionem, ſed totam exaltationem & glorificationem Chriſti, & quod teſtimonia ſua ex Veteri Teſtamento non integra recitet, ſed breviter citet, & nos ad integra legenda remittat. Lege jam integrum teſtimonium, *Eſai. 55.* v. 3, 4, & 5. deſcriptum, & videbis ſatis clare, quod Eſaias tum reſurrectionem, tum totam exaltationem Chriſti prædixerit in illo.

Meditemur ſæpe deſcriptionem illius theſauri quem Deus nobis dedit. Dedit gratias & ſanctitates Davidis, id eſt, gratiam ſanctificantem, Iſraëli per Davidem promiſſam. Gratia & ſanctificatio. Gratia notat reconciliationem cum Deo, remiſſionem peccatorum, adoptionem ad gloriæ hæreditatem: Sanctitates Davidis ſunt dona & operationes Spiritus S. peccata noſtra mortificantis, corda noſtra Chriſto unientis, & ad obedientiam mandatorum Dei ſanctificantis. Hæ divitiæ Iſraëlis & Davidis. Habuit

David

David multa beneficia, divitias, victorias, auctoritatem & gloriam apud hoſtes & ſubditos. Sed hæ demum fuerunt illæ beneficentiæ, quibus acquievit, ſcilicet gratia Dei ſanctificans.

Tertium teſtimonium, quo Apoſtolus glorificationem Chriſti probat, petit ex, Pſalm. 16. 10. quod teſtimonium Apoſtolis ita proponit, ut ſimul reſurrectionem & glorificationem Chriſti ex illo efficaciter demonſtret. Poterant enim Iudæi excipere, quod illud teſtimonium nihil loquatur de Chriſto, ſed de Davide. Demonſtrat igitur, quædam in illo teſtimonio dici, quæ non quadrent in Davidem, ſed in ſolum Chriſtum. In hac demonſtratione Pauli, ſuper hoc teſtimonio fundata, ſequentes phraſes breviter veniunt explicandæ.

I. David dicitur ſua ætate ſerviiſſe conſilio Dei. Duplicem hoc ſenſum habet.

1. Quod David tota ſua vita fideliter obedivit verbo Dei, & exſequutus eſt conſilium Euangelii, datum ad conſequendam ſalutem animæ. Verbum Dei, & præſertim verbum Euangelii, eſt conſilium Dei, quia nobis contulit & oſtendit quid faciendum, ut poſſimus ſalvari, Luc. 7. 30. Huic conſilio ſervimus, cum ei morem gerimus & obedimus. Hoc fecit David verſu 22. hujus capitis.

2. Quod David fuit organum, per cujus manum Deus exſequutus eſt ſuum conſilium & beneplacitum in Eccleſia Dei, quæ vixit tempore Davidis. Conſilium & beneplacitum ac decretum Dei fuit, ut illa generatio Iſraëlitarum, quæ Davidis tempore vixit, ab hoſtibus ſuis glorioſiſſimis victoriis liberata viveret in opima pace, & cultus Dei publicus ac privatus optimo & decoro ordine perageretur. Huic conſilio ſervivit David, quia fuit efficax inſtrumentum, per quod, & per cujus manum illud conſilium ac beneplacitum Dei in exſequutionem venit. Fuit electum vas ſeu inſtrumentum Dei ſicut Paulus, Actor 9. Non fuit conſiliarius Dei, ſed decreti divini exſequutor. Hæc duo etiamnum ſunt occupatio omnium fidelium , qua vitam ſuam tranſigunt, & cui attendunt, ſcil. 1. ut ſalutem ſuam quærant ſecundum præſcriptum ac conſilium verbi. 2. ut Deo ſerviant in honeſta aliqua vocatione, ut inſtrumenta conſilii ipſius. Sicut Princeps habet ſubditos qui obediunt, & officiarios qui regunt, ita nos ſumus Dei ſubditi, Deum colentes, & Dei officiarii, in honeſta vocatione laborantes divino conſilio. Deo ſerviendum & etiam proximo, præſertim ſuæ generationi. Deus regit homines, ſed per homines, conſilio ejus inſervientes. Hinc in quarto præcepto utrumque conjungitur, Exod. 20. v. 8, 9. Et Paulus, 2. Theſſ. 3. ac alibi utrumque injungit, ſcil. ſervire Deo ſecundum verbum, & laborare in honeſta aliqua vocatione. Hæc duo nos non ſeparemus. Sunt homines, qui, monachos in Papatu ſequuti, abjecta omni cura vocationis ſolum hoc agunt, ut templum frequentent, &c. Sunt alii qui omne tempus vitæ adeo impendunt labori corporalis vocationis, ut cultui Dei & curæ animæ ſuæ nihil relinquant Utrique damnabiles.

II. David dicitur obdormiviſſe. Fidelium mori eſt obdormiſcere. Frequens appellatio in Scriptura. Eſt enim ceſſatio à labore & dolore, immo animarum delectabile gaudium ac recreatio in cœlo. Non certe eſt ſomnus & ἀναισθησία animarum , qua nec bonum nec malum percipiunt, ſed eſt animarum recreatio, & corporis à labore & dolore ceſſatio. Ubi igitur purgatorium? An ibi dormitur? Diſce etiam hinc quod homines non citius moriuntur, nec diutius vivunt, quam donec non amplius poſſunt ſervire conſilio Dei. David enim mortuus eſt, poſtquam conſilio Dei ſerviiſſet.

III. David congregatus eſt ad Patres ſuos. His quidem verbis proprie indigitatur ſepultura corporis Davidis, ſed tamen non minus reditus & congregatio ad eos qui in cœlis degunt. Mors fidelium duplex habet incommodum. 1. Quod ſeparat corpus & animam. 2. Quod ſeparat Patres ac filios & amicos. Contra utrumque ſolatium eſt in textu; corpus & anima dormiunt, id eſt, quieſcunt & recreantur. Mortuus vero redit ad ſuos, & videt æternum eos, quos per mortem amiſit.

Actor. 13. v. 38, 39.

CONCIO CLVII.

Convincit Apoſtolus ſuos auditores, quod merito prædicandi Chriſti cauſa ad eos venerit, idque 1. ſolvendo objectionem quod in Iudæa deberet prædicare. 2. Allegando rationem, quia, quamvis à Iudæis rejectum, Deus Chriſtum ex mortuis ſuſcitaverit & exaltaverit, ſecundum prædictiones Prophetarum. Additur nunc convictioni inſtitutio, qua exponit, quid de Chriſto prædicet, & quid de Chriſto diſcere debeant auditores. Duo prædicat de Chriſto. 1. Beneficium à Chiſto partum. 2. Medium hoc benefi io fruendi. Beneficium partum eſt remiſſio peccatorum & juſtificatio ab omnibus iis, à quibus per legem non poteramus

tationem juſtitiæ Chriſti, qua peccator à reatu peccatorum abluitur, & vere juſtus fit. Deus, cujus judicia ſunt ſecundum veritatem, Rom. 2. neminem pro juſto habet, niſi per veram juſtitiam vere juſtus eſt. Hanc veram ablutionem peccati, per contrariam juſtitiam ipſa phraſis textus indicat, dum dicit, nos juſtificari ab iis, à quibus non vere poteramus juſtificari per legem, id eſt, à peccatis. Iuſtificari à peccatis eſt ab injuſtitia ita liberari, ut non amplius ſimus injuſti, ſed vere juſti. Injuſtitia & reatus non poſſunt ablui, niſi per veram juſtitiam, ſicut tenebrę tolluntur per lucem; ita injuſtitia per veram juſtitiam, per verum δικαίωμα. Non tantum dicimur & habemur & pronunciamur juſti, ſed etiam reddimur & ſumus juſti, per veram juſtitiam. Hinc Chriſtus dicitur *juſtitia noſtra*, Ierem. 23. quia nos juſtos facit.

III. Sed quare hic juſtificari à peccatis per legem & juſtificari à peccatis per fidem in Chriſtum? ita opponuntur ut duo contraria, quorum alterum impoſſibile, alterum certum? Si hæc oppoſitio non eſſet in textu, tum inter nos & Pontificios nulla eſſet in articulo hoc differentia. Hactenus enim conſentimus, quod juſtificatio non tantum poſita eſt in remiſſione peccatorum, ſed etiam in vera purgatione peccatoris à peccatis per contrariam juſtitiam, ut non tantum dicatur, ſed ut vere ſit juſtus. Qui hoc nos dicunt negare, calumniantur nos, vel doctrinam noſtram non intelligunt. Sed quæſtio, in qua differimus, hæc eſt: Quæ ſit *illa juſtitia*, per quam juſtificamur, purgamur & abluimur à peccatis? Illi dicunt quod ſit juſtitia legis, nos dicimus, quod ſit juſtitia Chriſti. Iam judica, ex utra parte ſtet noſter textus, qui dicit per legem neminem poſſe juſtificari à peccatis, quicunque vero credunt in Chriſtum, eos per hanc fidem juſtificari ab omnibus peccatis. Hæc duo opponuntur tanquam contraria, quæ ſimul vera eſſe non poſſunt; Alterum impoſſibile, alterum certum? Quid eſt per legem juſtificari à peccatis? quid eſt per fidem juſtificari in Chriſto à peccatis?

IV. Quid eſt per legem juſtificari? Per obedientiam & obſervationem legis, per opera legis, per id quod facimus ſecundum legem Domini. Non poteſt hoc aliter exponi, & Apoſtolus ipſe ſic exponit, Rom. 3. 20. & 28. Gal. 2. 16. Per hæc igitur opera, quæ nos ſecundum legem facimus, per hanc juſtitiam, quæ nobis inhæret, non poſſumus juſtificari & purgari à peccatis, Rom. 8. 3. Heb. 7. 18. 19. Ratio, quia

1. Nec opera legis cæremonialis nos poterant juſtificare. Sacrificia, ablutiones, purgationes Moſaicę omnes non tollebant peccata, ſed erant umbræ ac figuræ iſtius agni immaculati, qui tollit peccata mundi, Heb. 9. 9. 10. & 10. 1. 4.

Nec opera legis moralis nos poſſunt juſtificare: 1. Quia ex nobis ea facere non poſſumus, & quæ regeniti per operationem Spiritus S. faciunt, imperfecta ſunt, & multis peccatis inquinata, multiſque tranſgreſſionibus permixta & proinde in tantum non juſtificant & purgant à peccatis, ut ipſa ſint peccata, quæ nos magis inquinant, & pannus impurus carnis maculis pollutus, qui nos magis impuros reddit coram Deo, Eſai. 64. 6. 2. Quia ſunt noſtrum debitum, ad quod natura ſumus obligati, & proinde non poſſunt expiare noſtra debita: Nam uno debito alterum debitum non poſſumus exſolvere. Quod ſi lex Dei non poteſt juſtificare, quid poterunt traditiones hominum, in quibus Pontificii præcipue juſtitiam quærunt? quomodo juſtificabit aqua luſtralis, peregrinationes, Miſſæ, purgatorium, vota, &c.

V. Quoniam igitur per legem & ejus opera non poſſumus juſtificari; per quid tandem juſtificamur? An per gratiam Spiritus S. quam in nos infundit, & qua nos ſanctificat? Nequaquam: Nam 1. Hæc non datur niſi juſtificatis & adoptatis, Actor. 2. 38. Gal. 4. 6. 2. Hęc non eſt niſi imperfecta quædam renovatio noſtræ naturæ ad conformitatem legis, quæ non magis nos poteſt juſtificare, quam opera legis. Quid igitur tandem illud eſt, quod peccatorem juſtificat & purgat à peccatis? Chriſtus. In hoc, id eſt, in Chriſto juſtificamini. Quid eſt in Chriſto juſtificari? id eſt per Chriſtum, per Chriſti merita, ſanctificationem, ſacrificium, quo juſtitiæ divinæ pro noſtris peccatis ſatisfecit, quo iram Dei placavit, debita noſtra ſolvit, & peccata noſtra expiavit. Hic ille fons contra omnem impuritatem, Zach. 13. v. 1. Hęc illa Hyſſopus qua aſpergimur, Pſalm. 51. Hoc illud hilaſterium, quod ſacrificia & cęremonię Veteris Teſtamenti adumbrabant, Rom. 3. 25. Hinc nihil crebrius in Scriptura, quam, quod Chriſtus ſit illa noſtra juſtitia, quę nos juſtificat, & quod ſanguis ejus ſit id quod peccata noſtra expurgat; hæc juſtitia eſt perfecta & ſine macula, & proinde poteſt perfecte juſtificare. Hoc noſtrum δικαίωμα, Rom. 5. 18.

VI. Sed Pontificii non negant quod ſanguis Chriſti nos juſtificet & purget à peccatis. Verum hoc, inquiunt, non obſtat, quo minus etiam gratia ſan-

ſanctificationis, quæ nobis infunditur, & bona opera, quæ ejus virtute facimus, nos coram Deo juſtificent. Iuſtitia enim Chriſti juſtificat à peccatis, quæ ante converſionem commiſſa ſunt, ſed juſtitia inhęrens ab iis quæ poſt. *Reſp.* Etiam hoc refutat textus. Nam 1. opponit juſtificationem per legem & per fidem ut duo contraria, quæ ſimul non poſſunt eſſe vera. 2. Dicit quod in Chriſto juſtificemur ab omnibus. Quod ſi Chriſtus nos ab omnibus purgat, 1. Iohan 1. 10. quid reſtat purgandum per legem? Paulus, in Epiſtolis tam vehementer diſputans contra juſtitiam operum, iſto zelo non utitur contra Iudæos, qui per ſolam legem volebant juſtificari, ſed contra falſos fratres, qui partim per legem, partim per Chriſtum. Obſervent hoc Pontificii, qui dicunt nos per Chriſtum juſtificari quidem à peccatis ante converſionem, ſed à peccatis poſt converſionem nos juſtificari per legis obſervantiam: Contra dicit textus, nos ab omnibus per Chriſtum & nullo per legem juſtificari. Obſervent hoc noſtri puſillanimes & deſperabundi, qui de peccatis ante converſionem nihil ſibi metuunt, ſe ! de quotidianis relapſibus poſt converſionem admodum ſunt anxii. Non improbo, quod de talibus relapſibus eſtis triſtes, anxii & ſolliciti, ſed tamen non debet eſſe angor ſine fide, quæ dejectos & contritos erigat & ſuſtentet, ne mergantur in deſperationem. Cogitate illud Pauli, Rom. 5. 9. 10.

VII. Sed ſi per ſolam Chriſti juſtitiam juſtificamur & purgamur ab omnibus peccatis, & per legem non poſſumus juſtificari à peccatis ullis an non hæc doctrina omnem uſum legis tollit, & omnem pietatis curam excutit? *Reſp.* Etiam hoc textus refutat, dum docet neminem in Chriſto juſtificari à peccatis, niſi qui credit. Cum enim Euangelium fidem ab homine ad ſui juſtificationem requirit, impietati viam præcludit, & hominem ad pietatem accendit. Quid enim eſt Fides? Fides eſt fiducia cordis contriti, qua Chriſto apprehendendo ſe ipſum ſuſtentat contra ſenſum iræ divinę, & de remiſſione peccatorum, reconciliatione cum Deo, ac vita æterna ſe ipſum certum reddere nititur. Ubi talis fides eſt, ibi non poteſt locum habere impietas. Nam

1. Fides eſt fiducia cordis contriti: à nemine enim fides exigitur niſi à contritis corde, Matth. 11. 28. Eſai. 55. 1. Qui ſunt corde duro & incommoto, nec trepidant ab ira Dei, illis Lex prædicanda ad incutiendum timorem, non Euangelium ad exigendam fidem. Fides enim in talibus cordibus locum non habet. Sicut qui pedibus ſuis firmæ inſiſtit telluri, natare non poteſt, ſed natare eſt eorum, qui in tempeſtuoſis ſunt fluentis; ita credere & ſe per fidem ſuſtentare, non eſt eorum, qui ſunt corde duro, ἀναισθήτῳ & incommoto, ſed eorum, qui fluctuant in tempeſtatibus & tentationibus cordis contriti & liquefacti, ac à facie Dei trepidantis. Hi ſe per fidem ſuſtentant, ne per fluctus malæ conſcientię & contriti cordis abſorbeantur in voraginem deſperationis. Ubi autem cor hominis adeo trepidat a facie Dei, & fluctibus vulneratę ac contritæ conſcientiæ jactatur, quomodo ibi locum habere poteſt impietas? Si corporalis jactatio in procellis Oceani adeo impellit ad preces, & facit invocare Deum, Pſalm. 107. v. 23. ad 29. quidni faciet jactatio hominis in procellis & anguſtiis contriti Spiritus?

2. Fides eſt apprehenſio & applicatio Chriſti, qua homo Dominum Ieſum Chriſtum, pro peccatis noſtris crucifixum, amplectitur tanquam rupem ſalutis, qua ſe ſuſtentet, Geneſ. 32. 26. Pſal 18. 2. 3. Iohan. 20. 28. Immo per quam homo, iuſtitiam eſuriens ac ſalutem ſitiens, Chriſtum edit, bibit, tanquam nutrimentum quo ſe exſatiat, tanquam medicamentum quo ſanetur & roboretur, Iohan. 6. paſſim. Immo fides eſt talis apprehenſio Chriſti, qualis eſt in ſurculo inſito vel inoculato, cum ſuccum & vitam arboris ad ſe trahit, & radices agit in trunco vel tellure, Matth. 13. 5, 6. & 20, 21. Coloſſ. 2 v. 7. Rom. 11 24. Ubi autem Chriſtus ita apprehenditur & applicatur, quomodo ibi poteſt locum habere impietas? Homo in procellis maris ſeſe ſuſtentans aliqua rupe, non poteſt eſſe hoſtis illius rupis, qui nitatur eam perdere; ſic qui in angoribus conſcientiæ Chriſtum apprehendit, & ſe Chriſto ſuſtentat, non poteſt ſimul eſſe hoſtis Chriſti, qui Chriſto male cupiat & voluntati ejus reſiſtat. Qui bonum cibum bene comedit, bonum pharmacum bene aſſumit & applicat, qui poteſt non robuſtus & ſanus fieri? Sic qui ſanguinem Chriſti bene applicat per fidem, non poteſt non ablui & ſanari à peccatis, & vivere in Chriſto. Chriſtus non eſt cibus tam inefficax, nec pharmacum tam iners, ut bene aſſumptus & applicatus non roboret nec ſanet. Sanguis Chriſti bibitus & per fidem recte applicatus, non poteſt nos relinquere impuros & mortuos, ſed operatur per ſua merita ad tollendum reatum, & per ſuum Spiritum, quo-cum ſemper eſt conjunctus, ad tollendum peccati damnum atque virus. Surculus bene inſitus & radicatus in bonam arborem non poteſt eſſe

info-

infœcundus. Sic homo per veram fidem Chriſto bene inſitus, non poteſt in ipſa arbore vitæ eſſe mortuus.

3. Fides denique eſt talis fiducia, qua homo certior redditur, vel ſe ipſum certificare nititur de gratia & reconciliatione cum Deo, remiſſione peccatorum & vita æterna. Hęc certitudo in aliquo gradu eſt in omni vera fide ſaltem ſerius, niſus & conatus ad hanc certitudinem conſequendam, eſt in omni vera fide. Qui enim Deum ſic affantur, ut Pſal. 112. 12. dicentes, *Mi Deus & rupes ſalutis meæ*, eo ipſo confitentur, ſe de gratia Dei perſuaſos eſſe. Hinc vide fidem Pauli, Rom. 8. 38, 39. 2. Tim. 1. 12. & Iobi 19. 23. & Davidis, Pſal. 23. 1. Ubi autem talis perſuaſio & certitudo, quod ſis à Deo amatus, quod ſint peccata tibi remiſſa, quod tanta gratia tibi parata, quomodo ibi poteſt habere locum impietas? Nonne hic amor Dei coget te, ut viciſſim ames, & non tibi ſed illi vivas, 2. Cor. 5, 14, 15. Nonne hoc te faciet dicere: *Multum amabo, quia multa mihi remiſſa*, Luc. 7. 47. Nonne hoc te faciet dicere, quod David dicit, Pſal. 116. 7, 8, 9, 10. 12. & Simeon, Luc. 2. 29, 30. &c. Si quem habes amicum hominem, in quo bene confidis, eum non potes non amare. Sed quam primum de ejus in te fidelitate dubitas, aut ſiniſtre ſuſpicaris, labaſcit tuus in ipſum amor. Sic fides in Deum auget amorem Dei, quem dubitatio labefactat.

Habetis jam doctrinam de juſtificatione explicatam, ut videatis quod juſtificatio & ſanctificatio peccatoris ſint duo beneficia, à ſe invicem valde diverſa & diſtincta, ſed minime ſeparata. In Papatu non diſtinguuntur, à multis Proteſtantibus ſeparantur. Nos eam teneamus, ut in textu eſt propoſita, non quæramus juſtificationem in ſanctificatione noſtra, nec quęramus juſtificationem noſtram ſine ſanctificatione. Ne ſinamus nobis interdici aut diſſuaderi hanc fiduciam in Chriſto, quod in ipſo ſimus juſtificati ab omnibus peccatis, nec ſinamus nobis ingenerari hanc fiduciam, quod juſtis noſtris operibus quicquam mereamur apud Deum. Nec ſinamus denique nobis perſuaderi, quod poſſimus eſſe juſti, etiamſi non ſimus ſancti. Vide 1. Ioh. 5. 6. *Venit cum aqua & ſanguine.* Hoc verum Euangelium.

Actor. 13. v. 40, 41.

CONCIO CLVIII.

Quatuor ſunt in hac concione Pauli.

1. Doctrina quam urget, quę eſt hæc: Quamvis Deus Patribus noſtris multa & magna exhibuit beneficia; tamen & eorum & noſtra ſalus in eo uno beneficio ſita eſt; quod Ieſum excitavit ex ſemine Davidis in Servatorem Iſraëlis, verſu 17. ad 23.

2. Confirmatio hujus doctrinę, quæ petitur à promiſſionibus Veteris Teſtamenti, & præſertim à teſtimonio Iohannis Baptiſtæ, v. 24, 25.

3. Applicatio hujus doctrinæ, in qua Paulus

a. Removet objectionem, qua à ſe repellere & ad ſuperiores ſuos in Iudæa remittere Apoſtolum cum ſua prædicatione poterant, v. 26, 27, 28, 29.

b. Convincit eos per rationem demonſtrantem, quod omnino prædicari debeat Chriſtus, quantumvis à ſuperioribus in Iudæa rejectus & occiſus, v. 30. ad 38.

c. Inſtituit eos, quid ſit, quod de hoc Ieſu prædicandum ſit, v. 38, 39.

d. Hortatur, ut hanc de Chriſto prædicationem non rejiciant, v. 40, 41.

4. Fructus hujus doctrinæ & concionis.

Pervenimus ad ultimum membrum, applicationis ſcilicet adhortationem, ne contemnant Euangelium de Chriſto. Videte ne ſuper vos veniat quod ſcriptum eſt, id eſt, cavete ne contemnatis hoc Euangelium de Chriſto, & veſtro contemptu Deum provocetis, ut vobiſcum agat, ſicut olim egit cum Patribus veſtris.

Duo igitur hic conſideranda. 1. Adhortatio, vel potius dehortatio. 2. Hujus dehortationis confirmatio per comminationem. Hortatio ipſa totidem quidem verbis in textu non exprimitur, ſed tamen ex ſcopo facile intelligitur, & per vocem καταφρονηταί indigitatur. Dehortatur à contemptu Euangelii: Per contemptum enim Euangelii, homo duo mala ſibi acceſſit. 1. Facit ut Euangelium ipſi ſit inutile ad ſalutem. 2. Irritat Deum, ut tanto gravius puniat. Punit Deus, quod peccatores ſumus, ſed punit gravius, ſi & ſervari à peccatis non volumus, ſed conſilium ſanationis contemnimus. Quid eſt autem contemnere Euangelium? Et quinam ſunt contemptores Euangelii? Nemo enim vellet talis audire? *Reſp.* Sicut conſilium medicorum

 mul-

multis modis contemnitur; ita etiam conſilium Euangelii; videlicet

1. Odio & nauſea aperta. Sunt qui pharmacorum nauſea adeo ſunt correpti, ut ſint hoſtes pharmacorum; quia ſcilicet adeo aſſueti deliciis, ut quod aliquid acerbi vel amari habet, ferre non poſſint. Sic ſunt homines deliciis mundi & libidinum adeo dediti, ut Euangelium, quod cum cruce conjunctum eſt, & carnales delicias reprehendit, & moleſtam illam mortificationem carnis exigit, oderint, & hoſtili affectu in illud ducantur, & quaſi nauſea ejus corripiantur, Prov. 1. 25. Rejiciunt conſilium, & nolunt caſtigationem. Immo à ſe repellunt, v 46. hujus capitis, & 1. Tim. 1. 19.

2. Infidelitate. Quoniam homines vident medicorum opera non ſemper ſuccedere, medicos inter ſe de morbis diſcordari & diſputare, & multum eſſe incertitudinis in arte medica, & ſæpe conjecturis plus uti, quam certa arte, contemnunt uſum Medicinæ, nec quicquam illi tribuunt. Sic ſunt homines, qui vident quod de Euangelio tantum inter Chriſtianos diſputatur, tot ſunt ſectę & ſchiſmata, quod Euangelium ſæpe caret ſucceſſibus, non parit eam ædificationem ac conſolationem in hominibus quam promittit, opprimitur & vincitur ac ejicitur, &c. Ideo vel omnem religionem contemnunt, nec perinde habent cujuſcunque ſunt religionis, nec quicquam magni & utilis ex Euangelio poſſunt exſpectare aut ſibi promittere. Hic ille contemptus, de quo Hebr. 10. 29. Filium Dei conculcant, ſanguinem teſtamenti communem ducunt, Spiritum gratiæ ignominia afficiunt. Quod quis nihil fidei tribuit vacuis Elementis mundi, quibus Deus primum mundum, ut corporalibus umbris & craſſis literis inſtituit, ſi quis nihil tribuit humanis cæremoniis & inſtitutionibus, in negocio religionis ſuperſtitioſe inventis, vel etiam Philoſophicis artibus & ſophis pharmacis, quibus illi ſalutem ſe poſſe putant impetrare, bene factum. Sed ſi quis eadem infidelitate vult rejicere Euangelium, quid aliud facit, quam quod Filium Dei ejuſque ſanguinem & ſpiritum, prioribus illis nugis parem æſtimat.

3. Superbia. Sicut qui ſibi perſuadent, quod rem medicam ipſi ſatis intelligant, medicorum conſilia contemnunt: ſic cum quis ſibi in proprio conſilio, quod ſemel amplexus eſt in negocio ſalutis, placet, is Euangelium indignum æſtimat, quod audiat aut in quod inquirat. Sic Phariſæi adeo ſibi placebant in pompoſis illis cæremoniis, in propriis meritis & ſplendido cultu ſuo, ut conſilium Dei erga ſe rejicerent, Luc. 7. 30. Idque argumento ſuæ infallibilitatis, Ioh. 7. 48, 49. Sic Philoſophi Athenienſes, Actor. 17, 18. Hic ille contemptus, quo Euangelium à Prælatis Pontificiis contemnitur. Contemnunt ex mera ſuperbia, qua ſibi ita placent in illo faſtigio dignitatis, plenitudine redituum, pompa cæremoniarum, imaginatione propriæ ſapientiæ, ut indigne ferant quemquam eſſe, qui corrigere velit; Sunt ſicut illi, de quibus Pſalm. 4. 7. *Quis nos quicquam boni docebit?* An ex Nazarenis aliquid boni? Qui à mendicis quicquam diſcat? Nos ſumus illi magni, ſapientes, antiqui, ſplendidi, felices, quis nos doceat? Pſalm. 12. 5.

4. Negligentia. Sunt homines morbo onuſti, qui conſilia medicorum non improbant, nec iis reſiſtunt, ſed tamen negligenter iis utuntur, ſinentes ſe impediri vel nauſea pharmaci, vel conviviis & deliciis, vel aliis denique occupationibus, ut eo uſque non utantur, ut prodeſſe poſſint. Sic ſunt homines, qui nihil quidem habent, quod in Euangelio improbent, quin illud habeant pro recto conſilio ſalutis, ſed tamen ſunt negligentes in ejus uſu; ſinentes ſe impediri curis & voluptatibus hujus mundi, ſollicitationibus amicorum, &c. Tales homines putant ſe non eſſe contemptores Euangelii; ſed vide Parabolam, Luc. 14. 16. ad 25. & Matth. 22. verſ. 5. ἀμελήσαντες. (niet te achten/ is verachten.) Hi certe civiliter ſe excuſabant, & tamen ſunt contemptores. Annon eſt verus contemptus, cum quis mundanas curas & delicias præfert æterno gaudio?

5. Ingratitudine. Sunt qui medico utuntur & curantur; ſed ſanati medicum non reſpiciunt. Sic ſunt, qui Euangelio credunt, & inde ſibi ſalutem imaginantur, ſed de gratitudine Chriſto præſtanda non cogitant, Luc. 17. 17. Tales ſunt, ſicut ille, qui invitatus, ad convivium veniebat, ſed convivatori hunc honorem non exhibebat, ut veniret ornatus veſte nuptiali, Matth. 22. 11. 12. Erat hic contemptus tantę cœnæ. En hoc contemnere Euangelium. Grave peccatum. Nam 1. Contemnis magnum illud donum, videlicet Filium Dei & Spiritum gratiæ, & omnes dolores quos Chriſtus, ut te ſalvaret, paſſus eſt, Hebr. 10. 29. 2. Contemnis divitias gratiæ divinæ, Rom. 2. 4. Deus, qui jure te poterat perdere, conſilium ſalutis ex miſericordia tibi ſuppeditat & hoc tu contemnis. 3. Contemnis tantam beatitudinem, Hebr. 2. 3. Si Eſau culpandus, quod primogenituræ pultem prætulit, Hebr. 12. 16.

quo-

quomodo nos evademus ſi terram cœlo præferimus? Caveamus contemptum Euangelii. Nam non tantum impedit ſalutem, ſed aggravat pœnam, quod patet ex comminatione qua Paulus dehortationem ſuam ab hoc contemptu corroborat. Comminatio petita eſt ex Propheta Habacuk, cap. 1. v. 5. Cur igitur non Prophetæ ſed prophetis tribuitur? *Reſp.* 1. Quia deſumpta eſt ex *Megullot*, id eſt, ex libris parvorum Prophetarum, qui duodecim Prophetæ habentur pro uno libro. 2. Alii tamen putant, quod partim ex Habacuk deſumpta ſit, partim ex Eſaia 28. 14. Quoniam enim in originali Habacuk textu non eſt, videte contemptores, ſed videte inter gentes, ideo putant, illud *videte contemptores*, huc translatum ex Eſaia 28. 14. ubi eſt, audite contemptores vel illuſores. Alii tamen malunt ex ſolo Habacuk deſumptam eſſe hanc comminationem, quoniam LXX. hunc locum Habacuk ſic transferunt. Hic ergo quæritur. 1. Qui fit, quod LXX. interpretes tranſtulerunt, videte contemptores, quod apud Prophetam eſt, *videte inter gentes.* *Reſp.* Legerunt *Bogedim*, i. e. contemptores, pro *Baggojim*, i. e. inter gentes, errantes in una litera. 2. Qui fit igitur quod Apoſtolus hunc errorem non correxit, & textum allegavit ſecundum veritatem textus originalis? *Reſp.* Non judicavit hanc correctionem. 1. Neceſſariam, quia illa tranſlatio, etſi non verba, tamen ſcopum Prophetæ aſſequuta eſt. Propheta enim comminationem ſuam eloquitur contra contemptores verbi divini, tempore Manaſſis graſſantes, & his annuntiat horribilem illam devaſtationem, per Chaldæos futuram, volens ut illam intueantur in cæteris gentibus jam tum incipientem, & propediem ad ſe penetraturam. 2. Nec utilem, ne textum, Helleniſtis conſuetum, in dubium vocando intempeſtive eos offenderet. Parvos errores, ædificationi Eccleſiæ non admodum noxios, præſtat tolerare, quam intempeſtivis mutationibus & emendationibus turbarum cauſas dare.

Comminatio ipſa ſic habet: Videte, miramini, & ſtupeſcite, vel evaneſcite, id eſt, videbitis, mirabimini, evaneſcetis. Quare? Nam *operor Opus* in diebus veſtris, *quod non crederetis* ſi quis narraret, id eſt: Nam ego tantas plagas ſuper vos inducam, quæ ſunt incredibiles, in tantum, ut ſi quis illas ſecundum omnes circumſtantias prædiceret, quales ſint futuræ, non ſitis credituri. Per *Opus* intelligit horribilem illam devaſtationem Iudææ per Chaldæos. Hoc erat opus Iudæis incredibile. Quis enim crediſſet, Urbem & Templum adeo deſtructum & populum abductum iri totum, ut ne unus quidem homo ſupereſſet? Hæc plaga ipſis supervenerat, propter contemptum verbi & magnæ illius ſalutis, quam Deus illis præ gentibus exhibuerat. Hortatur igitur Apoſtolus ſuos auditores & nos, ut caveamus à ſimili contemptu, ne ſimilis plaga nos corripiat. Diſce hinc

1. Euangelium etiam habere ſuas minas. Non eſt alienum à manſuetudine Euangelii minari pœnas contemptoribus. Sic Chriſtus Matth. 11. 20, 21. &c. Matth. 23. 13, 14, 15, 16. Luc. 19. 43. 44. Sic Paulus 2. Theſſ. 1. 6, 7, 8 Gal. 5. 2, 3, 4. Sic Iohannes Apocal. 22. 18, 19. Ieſus Chriſtus piorum eſt etiam judex contemptorum. Et hoc ipſum gratia eſt & manſuetudo, quod minis præmonet, antequam plagis corripit.

2. Contemptum Euangelii puniri incredibilibus plagis. Exemplum habes tempore diluvii. Quis crediſſet pluviam & aquam totam terram deleturam? Nonne multi hoc audientes dixiſſent, quod ille ſatrapa, 2. Reg. 7. 2. unde & nemo fuit, qui credidit, 1. Petr. 3. v. 20. & 2. Petr. 2. 5. Quis crediſſet prænuntiatum, quod Iudæis bis factum eſt, per Chaldæos ſemel, & ſemel per Romanos? Quis crediſſet, quod Aſiæ & Græciæ civitatibus contigit? Quis ante triginta annos crediſſet, quod nunc in Germania factum eſt? Quod ſi temporalium plagarum prædictiones & minas homines tam parum credunt, quid mirum, quod æternarum plagarum prædictiones tam parum credunt? Pſalm. 90. v. 11. 2. Petr. 3, 4. Credamus, quæſo, minis Euangelii. Satius eſt minis credere, quam plagis, & qui minis non credit, plagis plerumque induratur, ut ſe non poſſit convertere & ſanari. Ne imaginemur noſtra munimenta, naves, copias, vires eſſe tantas, ut minæ Euangelii non poſſint inter nos effectum ſortiri, Deus levi vento hæc omnia poteſt dejicere.

3. Graſſantibus plagis Epidemicis homines ſtupeſcere & tabeſcere. Vide Luc. 21. 25, 26. Sunt in mediis plagis qui non pereunt, peſte, gladio, fame; Sed illi tamen ſtupore & mœrore contabeſcunt, & lenta morte pereunt. Non egemus demonſtrationes. Res inter vicinos notiſſima eſt, ubi homines incedunt pallidi, fuſci, luridi & mortuis ſimiliores quam vivis. Beati, qui habent intus animum lætum & conſcientiam pacatam! Tales non tabeſcunt, ſed in ipſo deliquio corporis conſcientiam retinent lætabundam.

Actor. 13. v. 42, ad 46.

CONCIO CLIX.

SEquuntur effectus hujus concionis complures, quorum alius ex alio naſcitur, ſicut cum lapillo in aquam conjecto circulus circulum producit.

1. Primus effectus eſt, quod Apoſtolos, ex Synagoga Iudæorum egredientes, rogarunt gentes, ut futuro Sabbatho ſibi verba Dei loquerentur, quodque Synagoga dimiſsa plurimi Iudæi & proſelyti Apoſtolos ſequuti ſunt, & ab ipſis confirmati, ut in gratia Dei manerent, & quod denique proxime ſequente Sabbatho pene tota civitas convenit ad audiendum verbum Dei, verſ. 42. 43. 44.

2. Secundus effectus eſt, quod Iudæi hunc ſucceſſum Euangelii videntes, repleti ſunt invidia, & Euangelio contradixerunt blaſphemantes, verſ. 45.

3. Tertius effectus eſt, quod Apoſtoli hac Iudæorum contradictione ad Parrheſiam commoti, Iudæis denunciarunt, quod impoſterum à Iudæis ad gentes ſint tranſlaturi Euangelium, v. 46, 47.

4. Quartus effectus eſt, quod gentes Antiochiæ habitantes, Euangelium annunciatum, cum gaudio receperunt, quodque Euangelium per totam illam regionem diſſeminatum eſt, v. 48, 49.

5. Quintus effectus eſt, quod Iudæi, magis exacerbati, perſequutionem excitarunt contra Apoſtolos, eoſque ex urbe diſcedere coëgerunt, verſ. 50, 51.

6. Ultimus denique effectus eſt diſcipulorum omnium gaudium & confirmatio, v. 52.

In recenſione horum effectuum multæ occurrunt phraſes, antea explicatæ, quibus proinde non operoſe inſiſtemus, ſed breviter reſiduum hujus capitis perſtringemus.

DE PRIMO.

1. PRimus verſus ambiguus eſt. Poteſt enim ſic legi: Exeuntibus ſcilicet Apoſtolis, ex Synagoga Iudæorum. Poteſt & ſic legi: Exeuntibus Iudæis ex Synagoga. Prior lectio probabilior eſt, propter verſum ſequentem. Iudæi enim non ſunt egreſſi ante ſolutam vel dimiſſam Synagogam. Ergo prior egreſſio Apoſtolorum fuit.

2. Quænam illæ gentes, quæ Apoſtolos rogarunt, ut ſibi Euangelium prædicarent? *Reſp.* 1. Multa exemplaria vocem τὰ ἔθνη non habent, ſed ſimpliciter legunt, quod exeuntibus Apoſtolis eos rogarunt, illi ſcilicet, qui in Synagoga erant, ut illis prædicarent. 2. Poteſt tamen fieri, ut multi fuerint proſelyti ex Ethnicis, vel etiam alii religioſi Ethnici in Synagoga, qui præ Iudæis ita fuerint affecti concione Pauli, ut deſideraverint eum denuo audire.

3. Quid εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον? Dupliciter exponitur. 1. Dies profeſti, qui ſunt inter duo Sabbatha, quaſi eſſet, ἐν τοῖς μεταξὺ σαββάτων. 2. Sabbathum ſequens. Probant enim Theologi ex Ioſepho de bello Iudaico, lib. 6. c. 6. quod μεταξὺ non tantum ſignificet inter vel intra, ſed etiam poſt, poſt Sabbathum, id eſt, Sabbathum ſequens, vide Ludov. de Dieu animadverſ. in Acta, ſuper hunc locum.

4. Quæri hic etiam poſſet, quomodo Proſelyti illi vocentur pii ac religioſi, cum tamen nondum fuerint Chriſtiani? An aliquis, qui Chriſtianus non eſt, poteſt eſſe pius? Sic infra v. 50. Mulieres illæ, quæ Apoſtolos perſequebantur, vocantur mulieres religioſæ. Quomodo religioſæ & piæ, quæ verbum Dei perſequuntur? *Reſp.* 1. Duplex eſt religio, naturalis & ſpiritualis. Naturalis, quæ fluit ex meris principiis luminis naturæ. Per lumen enim naturæ homo inclinatur ad religionem & cultum Dei, & quoniam lux naturæ in quibuſdam per malitioſam peccati indulgentiam minus opprimitur quam in aliis, hinc fit, ut etiam inter homines naturales & irregenitos, multi ſint præ aliis valde religioſi, & multo zelo ducantur religionis ac pietatis. Sed eſt religio impura, & zelus ſine ſcientia, adeoque religio minime ſalvifica, in qua nemo debet acquieſcere, cum ſit cæca, & verbo Dei non conformis, nec proficiſcatur ex corde contrito & divinitus illuminato ac regenito, unde & veræ pietati ac religioni Euangelicæ ſemper inimica eſt, ut poſtea patebit. Spiritualis autem religio & pietas eſt ſtudium colendi Deum ſecundum præſcriptum verbi revelati, accenſum per Spiritum S. in regeneratione. Hæc religio ſalvifica, quæ non fuit in iſtis mulieribus, de quibus v. 50. 2 Sciendum etiam, quod religio & pietas ſpiritualis ac ſalvifica habeat ſuos gradus, quorum aliqui fuerunt etiam in Iudæis, Chriſtum Ieſum nondum noſcentibus. Erant enim tum temporis inter Iudæos viri, qui erant juſti ac Deum timentes, exſpectanteſque conſolationem Iſraelis, Luc. 2. 25. id eſt, homines contriti corde, juſtitiam eſurientes

eſurientes ac ſitlentes, & promiſſum Meſſiam cum deſiderio exſpectantes, etſi nondum noverant illum Meſſiam veniſſe & eſſe Ieſum Nazarenum. Sed de hoc plura diximus in cap.10.1,2.

5. Denique notatu digna eſt illa phraſis, quod Apoſtoli eos, qui ſequebantur, hortati ſunt, ut manerent *in gratia Dei*, id eſt 1. ut doctrinam de juſtificatione per veram Dei gratiam, contrariam doctrinæ de juſtificatione per legem & ejus opera, firmiter retinerent, nec per infidelitatem à Domino recederent. 2. Ut in hac Dei gratia immota fiducia cordis acquieſcerent. Euangelium eſt gratia Dei,& qui ab Euangelio deficit,à gratia Dei excidit, Gal.5.4. Sed explicata eſt hæc Phraſis, Actor. 11.23. & recurrit, Actor. 14 22. Idem enim eſt προσμένειν τῷ Κυρίῳ, ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐμμένειν τῇ πίστει. Sunt hæc tria momenta noſtræ ſalutis, ut maneamus in Deo. Is enim fons ſalutis & ſummum bonum,cujus unione & communione beati ſumus. 2. maneamus in fide, ſcilicet Ieſu Chriſti. Nam qui in Chriſtum non credit, communionem cum Deo non habet, ſed manet per peccatum à Deo ſeparatus. 3. Maneamus in Euangelio, ſeu in doctrina de ſalute conſequenda per veram gratiam Dei in Chriſto ſine aliis meritis.Nam qui Euangelium non habet, nec Deum, nec Chriſtum, nec fidem habet, ſed per falſam doctrinam ut cancro perditur. Euangelium eſt organum Spiritus S. per quod venimus ad Deum & Chriſtum. Diſcamus hinc

1. Quod verbum Dei nunquam prædicetur fruſtra. Etſi ſemper ſint inter auditores, quibus verbum prædicatur ſine fructu, immo qui per prædicationem verbi invitantur ad majorem impietatem, ut patet ex hac hiſtoria: tamen hinc etiam patet, quod ſemper ſint qui verbo afficiuntur. Patet amplius, ex Eſaia 55. 10.11. Cadit quidem pluvia in petras, ubi nihil prodeſt, ſed tamen nunquam ita fruſtrà cecidit, quin alicubi proſit; ſic verbum. Sit hoc ſolatio concionatoribus, cum ſibi videntur fruſtra concionari, pervicacia hominum contra verbum renitente & prævalente, Eſai. 53. v. 1.

2. Videmus exemplum, quod verbi prædicatio etiam ſine miraculis ſit efficax ad colligendam Eccleſiam. Vis verbi non pendet à miraculis, ſed miraculorum vis pendet à verbo. Verbum Dei poteſt eſſe verum & efficax ſine miraculis,ſed miracula ſine vero verbo non ſunt vera miracula,ſed præſtigiæ Diaboli & notæ Antichriſti, Deuteron. 13. v. 1,2,3. 2.Theſſal. 2.9. Notent hoc Pontificii, qui ideo noſtrum Miniſterium contemnunt,quod eſt ſine miraculis. Non diſcutiam nunc, an & qualia miracula ſint in Papatu. Sed poſito quod ſit aliquid præter vires fallentium monachorum, nihil inde auctoritatis, ſi veritatem verbi non habent. Apoſtoli habebebant veritatem & miracula, nos habemus veritatem ſine miraculis;Papiſtę habent miracula ſine veritate. Et qualia hæc miracula? aut ad quid proſunt? Ubi verum verbum Euangelicum,ibi vera Eccleſia & verum miniſterium.

3. Qui vere regenitus eſt, non ſatiatur auditu verbi. Audiverunt, ſed cupiunt audire denuo.Sicut in vita æterna fideles non defatigabuntur ſpectando & contemplando, ſed ambulabunt in contemplatione, 2.Cor.5.7. Ita regeniti in hac vita perpetuo ſunt cupidi audiendi, 1.Petr.2.2. & auditum ac meditationem verbi Dei faciunt præcipuam occupationem vitæ ſuæ. Non quidem regeniti, vivunt in terris, vitam plane contemplativam, ut abjecto labore vocationis, ſoli lectioni, auditui & meditationi verbi ſe dedant, hoc eſt enim ſeparare quæ Deus conjunxit, & hi auditores in textu hoc refutantur,dum nō niſi futuro Sabbatho cupiunt denuo ex verbo inſtitui, ſed tamen tam cupidi ſunt verbi, ut nunquam deſerant auditum verbi; ſicut dum vivimus,eſum & potum nunquam deſerimus,ſcientes vitam noſtram inde dependere. Auditus verbi proprie non eſt cultus, ſed medium accipiendi vires ad Deum colendum. Ergo ſicut tantum edimus quantum ſufficit, ut poſſimus laborare, ita tantum legimus & audimus, quantum ſufficit, ut poſſimus Deum colere.

4. Monemur, ut maneamus in doctrina Euangelii, nec redeamus ad Papatum. Deus nos à jugo intolerabili, non tantum legis divinæ, ſed præcipue cęremoniarum humanarum liberavit, & magni conſtitit hæc libertas. Iam ſpes eſt, finitum iri illud bellum, quod pro Euangelio contra hoſtes noſtros geſſimus. Maneamus tamen in Euangelio, nec patiamur,ut pax cum hoſtibus, faciat in nobis refrigeſcere odium falſæ doctrinæ, quam nobis hoc bello voluerunt obtrudere hoſtes. Ne ſit talis pax, qua differentia religionis tollatur, & pugna ac contentio pro fide Sanctis ſemel tradita, quaque idololatria hoſtium impune inter nos graſſetur.Talis pax perdidit Iſraëlitas, Iudic. 2. 1, 2. 12. &c. Si ab Euangelio ad Papatum revertimur, à gratia Dei deficimus. Nihil enim magis gratię Dei contrarium, quam doctrina Papatus.

Et ſi à gratia Dei deficimus, quomodo ſalvabimur? Gratia Dei enim,per Chriſti merita parta, eſt illud

illud unicum,per quod ſalvari poſſumus, Act 15.11. Eph. 2.8. Tit. 3.4. Teneamus igitur Euangelium, & ſecundum illud vivamus.

DE SECUNDO.

1. IUdæi videntes gentium affectum erga Euangelium, repleti ſunt invidia vel zelo. Zelus proprie eſt fervor contendendi pro aliqua re, ortus ex ejus rei amore. Sic zelus pro veritate & pietate eſt diligentia & vehemens quædam lucta pietatem ſectandi & defendendi contra eos qui oppugnant. Si hoc zelo fuiſſent repleti Iudæi, laudabile fuiſſet. Sed hic *Zelus* potius notat æmulationem & invidiam, qua ægre ferebant, gentibus Euangelium prædicari, & ab iis recipi. Creber in Iudæis affectus, Luc. 15.2. Matth. 9.10, 11. Matth. 21.45, 46. Ioh. 7.26. Vide præſertim quod de phariſæis dicitur, Matth. 23. v. 13. *Non intrant ipſi, & ægre ferunt alios introire*. Oritur hic affectus ex ſuperba æſtimatione ſui ipſius, & ex defectu charitatis ac manſuetudinis erga proximum. Tales ſunt etiamnum homines, qui cum alios vident admitti ad cœnam Domini & converſationem Chriſtianam, qui non ſunt tam fervidi in pietate, ut ipſi ſibi videntur, ſtatim excandeſcunt, & ægre ferunt, quaſi vero noſtrum ſit eos, qui ſunt in via ad pietatem, impedire potius ac repellere, quam invitare & admittere. Tales deinde homines plerumque omnium primi ſunt, qui Eccleſiam Dei gravibus ſcandalis offendunt. Eſt alius quidam zelus, de quo Rom. 11. 11. Hic debuiſſet eſſe in Iudæis, ut dixiſſent, ſi gentes recipiunt Euangelium, quid nos non decet? Lætandum potius erat, cum videmus impios ſe convertere. Vide Luc. 15. 7. & 32.

2. Contradixerunt contradicentes & blaſphemantes. Eſt emphaticus Hebraiſmus, qualis 1. Sam. 6. v. 12. id eſt, perpetua contradictione contradicebant. Contradictio & blaſphematio, duo arma hoſtium veritatis. Quoniam enim teſtimoniis Scripturæ convincuntur, quibus contradicere non poſſunt, Actor. 6. 10. Luc. 21. 15. id eſt, quæ enervare non poſſunt, abjecta auctoritate Scripturæ ex ratione aliquid ogganiunt & oggarriunt, & ſophiſticas conſequentias nectunt, & ſi nihil amplius ex ratione poſſunt depromere, tandem convitiorum plauſtra evomunt & calumniis onerant ſanctam doctrinam, quaſi eſſet impia & Diabolica. Sic Iudæi Chriſto primo contradicebant, quaſi abſurdum eſſet, carnem & ſanguinem ejus edere, in matris uterum redire & naſci, poſtea, cum ratione deſtituerentur, calumnias in ſubſidium vocant & convitia, quod ſit Samaritanus, Diabolum habens, quod ſit impoſtor, ſeditioſus contra Cæſarem. Sic noſtri Pontificii doctrinam de Iuſtificatione peccatoris per gratiam Dei in Chriſto primo ſophiſmatis oppugnant, quod adhortationes verbi fruſtraneæ, quod pietas non neceſſaria, quod lex inutilis, &c. Cum his nihil efficiunt, ad convitia ſe transferunt, quod ſimus Patroni impietatis, hoſtes juſtitiæ. &c. Diſcamus talibus contradictionibus contra Reformatam doctrinam non offendi. Sunt enim veritatis Chriſtianæ perpetuus comes, Vide Luc. 2. 44. Actor. 28. 22.

Actor. 13. v. 46, 47.

CONCIO CLX.

DE TERTIO.

SEquitur denunciatio, qua Apoſtoli libertate uſi Iudæis denunciant, ſe impoſterum Euangelium à Iudæis ablaturos, & ad gentes tranſlaturos, una cum ratione & confirmatione hujus denunciationis. Hic ſequentia declaranda.

I. Apoſtoli vero libertate uſi. Eſt oppoſitio inter Apoſtolorum Parrheſiam & Iudæorum zelum vel invidiam, quaſi dicat: Iudæi putabant ſe invidioſa ſua contradictione & blaſphematione Apoſtolos abſterrituros, ſed illi tanto majori libertate uſi ſunt. Duplex eſt Parrheſia, *communis* filiorum Dei in Chriſtianiſmo, & *ſingularis* miniſtrorum Dei in officio. Prior eſt, cum filii Dei in mediis anguſtiis & terroribus conſcientiæ, beneficio fidei, per preces ad Deum accedunt, in officio pergunt, pede inoffenſo, & de futura ſua glorianturliberatione ac triumphant, Vide Hebr. 4. 16. Pſalm. 116. 10. & 2. Cor. 4. v. 13. Exempla ejus habes, Pſalm. 6. 9. 10. Roman. 8. v. 37, 38, 39. Actor. 20. 24. & 21. 13. Hæc parrheſia Deo gratiſſima eſt, & habet promiſſionem, Hebr. 10. 35. Cum hac Parrheſia utuntur filii Dei in precando Deum, in triumphando & gloriando de divina ope, & fortiter nitendo contra obſtacula officii, ea habet magnam mercedem. Sicut fortitudo militum Duci eorum eſt gratiſſima, 2. Sam. 23. v. 15, 16. Sic filiorum Dei Parrheſia Deo. Per hanc enim obſignant, quod Deus ſit verax, & Deo dant gloriam miſericordiæ, potentiæ ac veritatis; qui ve-

ro trepidant ac ejulant ſine Parrheſia, Dei gloriam in his omnibus obſcurant, & ſibi ipſis oneri ſunt. Non eſt quidem hęc Parrheſia donum perpetuum, ſed eſt ſol qui ſępe magnam patitur Ecclipſin in optimis fidelibus, qui ſæpe amittunt gaudium ſalutis, Pſal. 51. & queruntur in raptu perturbationum ſuarum, quod exciſi ſint à conſpectu oculorum Dei, Pſalm. 31. 13. & 116. 11. Sed tamen annitendum nobis ad hanc παῤῥησίαν. Eſt enim hæc parrheſia non modo magna filiorum Dei felicitas, ſed & eximia eorum virtus, quæ Deo placet & præmium habet, Hebr. 10. 35. Quomodo autem obtinetur hæc Parrheſia? *Reſp.* 1. Per ſtudium bonæ conſcientię, quod peccatum dominans ſit in nobis. Sicut qui ſcrupulum habet in calceo, non poteſt inoffenſo pede pergere: ita qui peccatum dominans in conſcientia habet, non poteſt habere hanc parrheſiam. 2. Per minorem cum Chriſto in fide. Chriſtus enim via illa viva, per quam acceſſum habemus cum fiducia, Hebr. 10. 22. Epheſ. 3. 12. Poſterior parrheſia eſt intrepida & impedita increpatio eorum qui ſe Euangelio Dei opponunt. Vide Act. 28. 31. Act. 4. 13, & 9. 29. Phil. 1. 20. Hæc magna virtuș in concionatore, & qui hanc non habet, eſt ſal inſulſum ac fatuum, Matth. 5. 13 per hanc demum ſunt veri filii tonitrui, Marc. 3. 17. His armis dejiciunt excelſitates quæ ſe efferunt, 2. Corinth. 10. terrent Diabolum ac ejus inſtrumenta hoſtes veritatis, vulnerantque ac frangunt pertinaces conſcientias peccatorum. Sæpe itaque pro nobis fundendæ illę preces, quæ ſunt, Eph. 6. 19. *Object.* At, qui hanc parrheſiam habent in populum veritate & arguendis peccatis, ſunt clamatores, quia ſeditiones excitant & bella. *Reſp.* Fatemur, & in hoc Chriſto ſimiles ſumus, Matth. 10. v. 31. 35. Verum ſicut hoc fit ſine noſtra culpa; ita fit veſtro bono. Dum enim pacem turbat corporalem, promovet pacem ſpiritualem. Cum faber lignarius ſecuri percutit lignum idoneum quod ſecuri cedit, fragor non eſt magnus, ſed cum incidit in duros nodos, magnus fit fragor, magna renitentia, & tamen pergendum ipſi eſt, etiamſi ſecuris frangatur, & ipſi percutienti noceat: ſic nobis fit in hac cauſa. Quod Parrheſia noſtra turbas edat, non eſt in nobis ſed in auditoribus. Debet nobis prudentia & manſuetudo eſſe quam commendatiſſima, ne quavis de cauſa intempeſtivo zelo turbas demus, ſed impleamus illud Chriſti, Marc. 2. 50. *Habete ſalem & pacem*. Veruntamen non debemus eſſe ſine Parrheſia, ne impleatur alterum quod eodem verſu dicitur à Chriſto, nec non quod Luc. 19. 40. Cum deſunt inter homines qui gloriam Dei annuncient, veritatem defendant, peccata redarguant, tum lapides clamant, i. e. tunc Deus creaturas irrationales commovet, ut teſtimonium ſibi perhibeant, & homines ad confitendam veritatem commoveant. Sic factum, Matth. 27. 51, 52. 54. Sic etiamnum per cometas & alia prodigia inſolitoſque motus cœli ac terræ Deus ex cœlo revelat iram ſuam contra peccata hominum, veritatem in injuſtitia detinentium.

II. Dixerunt: Vobis oportuit primum annunciari verbum Dei.

Duo hic quæruntur.

1. Cur Iudæis neceſſe erat Euangelium annunciari, cum tamen verbum Dei dudum ipſis eſſet annunciatum? Ethnici plus indigebant annunciatione verbi Dei quam Iudæi? *Reſp.* Iudęis dudum erat annunciata lex & promiſſio de Meſſia venturo, ſed verbum de Meſſia jam exhibito, & de Ieſu Nazareno Iudæis inter Gentes habitantibus nondum erat annunciatum.

2. Sed cur oportuit Iudæis primum annunciari, quæ illa neceſſitas? An Iudęi aliis tanto meliores, ut hoc privilegium præ cæteris mererentur, ut propter juſtitiam Dei neceſſe eſſet illis primum annunciari verbum Dei? *Reſp.* Nequaquam, non erat neceſſitas juſtitiæ, ſed neceſſitas mandati, non erat neceſſarium reſpectu Dei, quaſi ille Iudæorum meritis obligatus ipſis magis debitor fuiſſet quam Gentibus, ſed erat neceſſarium ratione Apoſtolorum, quibus à Chriſto mandatum erat ita facere, Matth. 10. 6, 7. πορεύεσθε μᾶλλον, i. e. ite primum. Non abſolute prohibetur ne gentibus prædicent, nam alibi hoc etiam mandatur, Matth. 28. v. 19. ſed ut prius Iſraelitis, Actor. 3. v. 26. qui etiam ordo indigitatur, Matth. 22. v. 8, 9. Voluit Deus ex ſingulari gratia erga hunc populum, qui tamdiu promiſſionem Meſſiæ venturi habuerat, etiam prius mittere hiſtoriam Meſſiæ exhibiti, & ſic Miniſtris ſuis mādavit facere. Ideo neceſſe erat ita fieri. Neceſſe eſt ut miniſtri verbi miniſterium ſuum ita exſequantur, ſicut Deus mandavit. Non indulgendum proprii arbitrii intentionibus & inventionibus. Sicut Moſes tabernaculum neceſſe habebat ita conſtituere, ut viderat in monte, & ſecundum illud exemplar omnia accurate conformare; ita nos miniſterium noſtrum debemus ita perficere, quemadmodum Deus in Scriptura ordinavit, Apoc. 22. 18. Qui addit, qui demit maledicitur. Hinc videmus quam ſit neceſſe, ut à Pontificia Hierarchia diſcedamus. Quoniam illi in omni-

bus aliter agunt quam Chriſtus ordinavit; neceſſarium eſt ut illos deferentes ſimus imitatores Chriſti.

III. Etſi autem vobis primum annunciare neceſſe habemus, tamen vobis non ita ſumus adſtricti ut vobis nolentibus fructum Euangelii nullum poſſimus producere. Ecce enim convertimus nos ad gentes. Erat hæc ſuperbia Iudæorum, quod putabant, ſe ſolos eſſe populum Dei, extra quem nulla ſalus plane, ut hodie Romanenſes ajunt ac jactitant, ſe ſolos eſſe Catholicam Eccleſiam, & Sanctam illam matrem extrà cujus gremium nulla ſalus. Quid mirum, ſi eos Deus plane deſerat, & Euangelium ſuum tranſire jubeat ad Turcas, Iudæos & Gentes, ut hi illos ſuperbos operarios in regno Dei antecedant, & primi fiant ultimi, Matth. 20. Sicut delictum Iudæorum Gentibus fuit ſalus, i.e. occaſio ſalutis, Rom. 11. 11. ita pertinacia & perſequutio Papiſtica contra Euangelium, erit occaſio convertendi alios.

IV. Dat autem duas rationes hujus mutationis 1. Quia vos verbum Dei rejicitis & voſmet vita æterna non dignos judicatis. 2. Quia Dominus ſic mandavit.

1. Quid ſit verbum Dei rejicere vel contemnere, dictum eſt verſ. 41. Quomodo autem Iudæi ſe indignos judicarunt vita æterna, & quare hoc facit cauſam auferendi ab illis Euangelii? Ubique Iudæi, ſecura imaginatione ſalutis turgidi, nuſquam ſe vita æterna indignos judicarunt ac pronunciarunt, ſed potius ſuperbe gloriati ſunt, ſe ſolos eſſe populũ Dei, filios Abrahæ, ſemper liberos, qui nullo liberatore indigeant. Et ſi ſeipſos vita æterna indignos judicaſſent, annon hæc fuiſſet cauſa Euangelii ſolatium illis potius applicandi, quam Euangelium ab ipſis auferendi? Vtique qui ſe ipſos condemnant, & ſe vita æterna indignos judicant, ſunt illi ipſi quos per Euangelium juſtificare tenemur. Sic Chriſtus fecit Publicano, Lucæ 18. 13, 14. filio perdito, Luc. 15. 21, 22. Capitaneo illi, Matth. 8. 8. *Reſp.* Iudicare ſeipſum vita æterna indignum hic non eſt illa ſancta αὐτοκατάκρισις & judicatio ſuipſius, quam Apoſtolus requirit, 1. Cor. 11. 31. quaque homo peccator propriam ſuam humilitatem corde ſubmiſſo coram Deo confitetur, ſed eſt impia illa rejectio Euangelii, qua homines Deo juſtam præbent cauſam eos condemnandi & vita æterna privandi. Hæc enim rejectio eſt teſtimonium & argumentum, quo ipſimet juſtitiam ſuæ condemnationis demonſtrant. homines inconverſi natura ſatis ſunt indigni vita æterna, ut Deus in illis juſtam habeat cauſam eos condemnandi; ſed cum per beneficia & judicia Dei, præcipue per externam vocationem Euangelii invitantur ad Deum colendum, & ſalus æterna ipſis offertur, & illi hoc petulantes rejiciunt & à ſe repellunt, hoc ipſo reddunt Deo teſtimonium, quod juſte damnentur & vita æterna priventur. Ideo dicuntur αὐτοκατάκριτοι Tit. 3. 11. eſt ἀναπολόγητοι Rom. 2. v. 1. Quorum perditio non poteſt excuſari, ſed qui condemnationis cauſam & culpam ita in ſe & ex ſe habent ut Deus juſtus ſit in judiciis ſuis ſuper ipſos, nec ullam ipſis faciat injuriam cum eos condemnat. Nemo perit niſi qui ſeipſum perditione dignum judicat, i. e. qui propria malitia oſtendit quod dignus ſit qui condemnetur, Homines ſibi ipſis edunt ac bibunt judicia 1. Cor. 11. 29. Perditio tua ex te. Oſe. 13. Non quidem ſemper in conſcientia ſunt convicti, & proprio ore juſtitiam ſuæ condemnationis teſtantur impii, ſicut Iudas, Matth. 27. 4. Sed tamen vita & actiones eorum ſunt argumentum & teſtimonium, quod juſte pereant, juſtum enim eſt, ut qui male vivit, male pereat. At omnes impii male vivunt, & hoc ipſo teſtantur quod juſte pereant. *Object.* At hoc eſt contra doctrinam Reformatorum, de Reprobatione. Illi enim docent, quod quos Deus ab æterno reprobavit, non ideo reprobavit, quod ſeipſos vita æterna indignos judicant, ſed quia ita voluit. *Reſp.* Verum eſt, Deus non reprobavit, quos reprobavit, propter eorum indignitatem præ aliis, ſed inde non ſequitur, quod ſine indignitate & malis meritis pereant. Reprobatio enim non eſt cauſa condemnationis & perditionis, ſed peccatum hominum & rejectio Euangelii. Non enim condemnantur quia reprobati ſunt, ſed quia malitia & impœnitentia ſe ipſos condemnatione dignos faciunt & oſtendunt. Reprobatio, quantumvis firma & immutabilis, non eſt cauſa, quæ homines facit inſanabiles, iiſque claudit januam ſalutis, ut non poſſint ut ullo modo ſalvari, ſed hoc faciunt ipſi homines ſuis peccatis. Non igitur poteſt culpa perditionis transferri in æternum conſilium Dei, ſed hæret in meritis hominum pereuntium, qui propriis factis teſtantur & oſtendunt quod juſte pereant. Tibi igitur acceptum feras, ſi pereas, & ſi vitare vis perditionem, cave tibi à te ipſo. Ne metue tibi à Deo & ejus conſilio, dicens: ô quid ſi ſim reprobatus! Non quia reprobatus es, ſed quia peccas, peribis. Ne igitur ſcrutare conſilium, ſed cave peccatum. Qui reprobati ſunt, pereunt, ſed non quia reprobati ſunt, pereunt, ſed quia ſeipſos perditionis dignos faciunt & oſtendunt.

Ubi

2. Ubi mandavit Deus, quod Iudæis Euangelium rejicientibus, Ethnicis illud prædicari debeat? Mandatum utique quod Paulus hic allegat, ex Eſa. 49.6. non eſt mandatum factum Apoſtolis, ſed promiſſio facta Chriſto. *Reſp.* Non eſt quidem expreſſum mandatum, ſed tamen eſt fundamentum ex quo concludere poterant Apoſtoli, quod eſſet voluntas Dei, ut etiam Ethnicis Euangelium prædicaretur & non ſolis Iudæis. Non voluntate hominum ad nos Ethnicos venit verbum Dei, ſed eſt voluntas Dei ut ſalus nobis offeratur. Deus quidem antehac ſivit Gentes ire ſuis viis, ſed jam omnibus ubique hominibus annunciat ut ſe convertant. Accedamus igitur ſine Scrupulo, ſumus enim invitati quantumvis Ethnici, & eſt voluntas Dei ut veniamus, etſi non veniamus, voluntati Dei & mandato ejus ſumus inobedientes.

3. Præcipue autem ex hoc textu conſideremus beneficia, quæ ex Chriſto habemus. Factus eſt nobis Ethnicis lux & ſalus. Hæc duo etiam conjunguntur, Pſal. 27. v. 1. & ſunt idem quod lux & gloria, Luc. 2.32. Vrim & Thummim, Exod. 28,30.

a Chriſtus nobis eſt lux, videl.

(1) Lux ſapientiæ. Eramus cœci; ſedentes in umbra mortis, excœcati intellectu, Eph. 4. 18. Eſa. 9. v. 1. Chriſtus nobis factus lux, qua videmus peccata noſtra ut humiliemur, & viam ſalutis, quæ ineunda eſt ad ſalutem conſequendam.

(2) Lux juſtitiæ. Eramus condemnati ad extremas tenebras, in quibus tremor & ſtridor dentium, Matth. 8. Ortus ſuper nos ſol juſtitiæ, qui tenebras carceris noſtri depellit, & radiis juſtitiæ ſuæ coram Deo nos facit coruſcare, Mal. 4. 2.

(3) Lux ſanctimoniæ. Eramus filii tenebrarum, viventes in operibus tenebrarum, & in iis mortui. Oritur ſuper nos Chriſtus, & tanquam lux nos illuminat, ut in luce ambulemus ut filii lucis Epheſ. v. 5. 11.

(4) Lux conſolationis. Dum hic vivimus, magnæ tenebræ ſuper nos oriuntur, præſertim cum devenimus in tenebricoſam vallem mortis. Tum conſolationes Chriſti ſunt ſicut lux, quæ nos reficit, Pſalm. 112.4. Mich. 7,8. Eſa. 58.10. In morte cum vires fractæ, intellectus obfuſcatus, conſcientia onere peccati & ſenſu iræ gravata, amorem Dei non videt nec comprehendit, tum claros radios amoris ſui ſubinde in conſcientiam demittit, ut videat ſemitam qua debet ambulare in vitam.

b Chriſtus nobis eſt ſalus, lux enim ſive ſol juſtitiæ ſalutem habet ſub aliis ſuis, Mal. 4. 2. ideo vocatur cornu ſalutis, Luc. 1. 69. fons ſalutis, Eſa. 12. 3. Eſt autem nobis Chriſtus

1. Salus auxilii. Dum enim in anguſtiis ſumus, nos eripit & liberat ac defendit per potentiam dexteræ ſuæ, ſicut tempore Iudicum Eccleſiæ perpeſſionibus ſæpe dabat Salvatores; ita & nunc, Eſa. 26.1. Hab. 3. 13.

2. Salus gloriæ & æternæ quietis. Hæ illæ veſtes ſalutis, Eſa. 61. 10. Hæc æterna ſalus, quæ non conſiſtit in defenſione contra hoſtes, nec in triſtitiæ ſublevatione & ſolatio, ſed in abolitione omnium hoſtium & omnis triſtitiæ. Eſt igitur 1. ſalus defenſionis. 2. ſalus liberationis.

Actor. 13. v. 48. ad fin.

CONCIO CLXI.

DE QUARTO.

Quartus effectus concionis Paulinæ eſt Ethnicorum Antiochienſium converſio deſcripta v. 48. 49.

1. Ethnici audientes gaudebant. *Object.* Converſio utique non incipit à gaudio, ſed à contritione. *Reſp.* 1. Si accipis vocem de Ethnicis piis illis proſelytis, de quibus, v. 42, 43. illi non jam demum cœperant converti, ſed habuerant jam antea cõverſionis initium & primum gradum, videlicet contritionem, adeoque audito adverſus miſeriam remedio gaviſi ſunt. 2. Sciendum autem, quod duplex ſit in fidelibus gaudium ſuper Euangelio, aliud fidem antecedens, aliud fidem conſequens. Ante fidem gaudent, quod audiunt bonum conſilium, quo à miſeria ſua liberari poſſint. Poſt fidem gaudent, quod per fidem certi ac perſuaſi ſunt, ſe à miſeria liberatos eſſe. Sicut ægrotus homo audiens expertum aliquem Medicum in urbem veniſſe, qui multos ægros ſanaverit à tali morbo, quali ipſe tenetur, ſtatim gaudet & ſpem concipit ſe quoque liberari poſſe, & ſic ad Medicum ſe recipit; ſed poſtquam per Medicum illum ſanatus eſt, & ſe ſcit ſanatũ eſſe, jam demum vere gaudet & ſecure, ſic cum homo contritus percipit nuncium Euangelii, quod Ieſus Chriſtus in mundum venerit ut peccatores ſalvet, gaudet ſtatim talem ſervatorem veniſſe, & ſic lætus ad eum confugit ad conſilium ejus exquirendum & uſurpandum, ſed poſtquam per fidem perſuaſus eſt, ſe per Chriſtum ab omni ſua miſeria ſalvatum eſſe, tum

demum gaudet gaudio illo ineffabili. 1. Petr. 1. v. 1. quod demum eſt gaudium penetrans & cor ſuſtentans, cum prius illud ſit gaudium evaneſcens, Ioh. 5. v. 35. Hebr. 6 4, 5.

2. Et glorificabant verbum Domini. Iudæi dicuntur verbum Domini contempſiſſe & rejeciſſe, v. 41. & 46. Ethnici econtra dicuntur verbum Domini glorificaſſe. Quid *glorificare* verbum Domini? *Reſp.* i. e. Approbarunt, & judicarunt eſſe verbum bonum ac ad ſalutem conſequendam utile ac ſufficiens. Verbum Domini eſt conſilium, quo peccatoribus oſtenditur medium eluctandi ex miſeria ſua; ſupra, v. 16. & Luc. 7. 30. Qui hoc conſilium rejiciunt, medium ſalutis illo præſcriptum judicant eſſe inutile & inſufficiens ad ſalutem conſequendam, Hebr. 10. 29. ubi tales dicuntur filium Dei conculcare, & ſanguinem ejus immundum ducere, & Spiritum ejus ignominia afficere. Qui vero recipiunt Euangelium, glorificant illud, i. e. judicant & confitentur hoc eſſe verum, unicum & tutum ſalutis conſilium quod in verbo Euangelii præſcribitur. Hi ſanguinem filii Dei glorificant, cum judicant & profitentur, quod ſit plenum & ſufficiens lytrum, quo pro omnibus peccatis ſatisfactum, & ſalus acquiſita eſt. Spiritum Dei glorificant, cum judicant & confitentur, quod ſit potens ad corda renovanda; & in Chriſti communione ad vitam æternam conſervanda. Vide etiam Rom. 4. 20. *Dedit Deo gloriam*, i. e. glorificavit verbum ac promiſſionem Dei. Qui vero meritis Chriſti alia merita ſubſtituunt vel addunt, quique ad operationem Spiritus S. addendas eſſe judicant vires liberi arbitrii, ut ad ſalutem producendam poſſit eſſe ſufficiens, illi ignominia afficiunt ſanguinem & Spiritum Chriſti, in Euangelio oblatum.

3. Non tantum laudarunt Euangelium, ſed etiam illi crediderunt, illudque per fidem receperunt: Aliud eſt verbum Dei laudare, aliud verbum Dei recipere, & in illud credere. Fieri poteſt ut quis laudet verbum Dei, nec tamen recipiat ſed rejiciat. Laudare conciones multi poſſunt, ſed credere illis pauci. Quid eſt credere verbum Dei? *Reſp.* Eſt verbum Domini ſibi applicare & in ſuum uſum transferre, conſilium verbo præſcriptum exſequi. Verbum Dei habet ſuas comminationes, promiſſiones & ſua mandata. Comminationes ſunt, quod quiſquis peccaverit, ſit maledictus. Iam facile eſt hoc verbum laudare & dicere; Iuſtum eſt, ut qui peccat ſit maledictus. Sed hoc non ſufficit ad ſalutem, verum requiritur, ut ſentias & credas verbum illud in te verum eſſe & bonum, quod tu ſis maledictus & merito. Promiſſiones ſunt: Quod quiſquis crediderit in filium Dei, ſit habiturus vitam æternam, hoc verbum facile laudatur ut verbum bonum & gratioſum, ſed non tam facile applicatur, ut dicere poſſis in angoribus conſcientię: Ego credo propter Chriſtum peccata mihi remiſſa. Mandata verbi ſunt: ut noſmet abnegemus, crucem noſtram tollamus, & Chriſtum ſequamur in obedientia omnium præceptorum ejus. Hæc mandata facile laudantur, ut juſta, quæ deceat fieri, ſed non facile applicantur, ut dicere poſſis: Ego me abnego, crucem tollo, Chriſtum ſequor. Summa, credere verbum Dei, eſt comminationes verbi mutare in humiles & ſinceras confeſſiones peccati ac miſeriæ, promiſſiones verbi mutare in conteſtationes fiduciæ, mandata verbi mutare in conatus veræ obedientiæ & emendationis vitæ. Vide Pſalm. 27. 8. Verbum jubet quærere; Ego quæro. Sine hac applicatione verbi, verbum eſt ſicut bonum ſemen in horreo, ubi fructum non fert, ſed verbum ſic applicatum, eſt ſicut bonum ſemen in agro, ubi fructum fert. Sine hac applicatione fides non eſt fides qua credimus toto corde, ſed eſt inanis aſſenſus intellectus, qui etiam in impiis, imo in Diabolis locum habere poteſt.

4. Non tamen crediderunt omnes qui audiverunt, ſed quotquot ordinati erant ad vitam ęternam. Tota pæne civitas convenerat ad audiendum. Sed non credunt niſi quotquot ordinati ſunt ad vitam æternam. Eſt certus hominum numerus ad vitam æternam ordinatus, & quotquot ordinati ſunt, vi hujus ordinationis ſuo tempore credunt ac Euangelium recipiunt. Non ordinati ſunt quotquot credunt, ſed credunt quotquot ordinati ſunt. Fides non eſt cauſa electionis, ſed electio cauſa fidei. Sic Epheſ. 1. 4 5. Iohan. 15. 16. Hæc verba ſunt feſtuca & trabes in oculis Ieſuitarum & Pelagianorum, negantium æternam & immutabilem electionem quorundam hominum ad vitam æternam, eorumque electorum efficacem vocationem ad fidem, quæ tamen hoc textu tam clare aſſeritur. Quid enim aliud eſt ordinatum eſſe ad vitam æternam, quam à Deo ad vitam æternam electum eſſe, vel à Deo per regenerationem idoneum redditum eſſe ad credendum & vitam æternam conſequendam? Et annon expreſſe hic dicitur, quod hęc electio & adoptatio ad fidem & vitam æternam non ſit omnium hominum, ſed quorundam, quotquot ordinati ſunt. Vide tamen quomodo ſe in omnes formas vertant

tant adverſarii, ut lucem horum verborum obſcurent:

1. Non poteſt, inquiunt, hic locus accipi de Prædeſtinatione, quia non dicitur προτεταγμένοι, ſed τεταγμένοι. *Reſp.* Omnis ordinatio ad rem eſt præordinatio, quia rem antecedit, unde etiam dicitur in pluſquamperfecto, quod erant vel fuerant ordinati (τεταγμένοι ἦσαν) antequam credebant. Quam parum differunt ὡρισμένοι καὶ προωρισμένοι, tam parum ordinati & præordinati.

2. Non dicit, inquiunt, textus quod fuerint ordinati à Deo, ſed ſimpliciter quod fuerint ordinati; poteſt itaque intelligi diſpoſitio animi & aptitudo ad vitam æternam quæ erat in ipſis & ab ipſis q. d. Crediderunt quotquot erant animo bene diſpoſito, vel qui ſe ipſos bene diſpoſuerant. Sicut Iudæi perierunt Euangelium rejiciendo, quo ſeipſos vita æterna indignos judicaverant v. 46. ita Gentes crediderunt, quia ſeipſos ad vitam æternam bene diſpoſuerant. *Reſp.* 1. τάσσεσθαι nunquam ſignificat diſponi, ſed διατάσσεσθαι. Ordinare in S. Scriptura eſt conſtituere, inſtituere, deſtinare, definire, Rom. 13. v. 1. Actor. 28. 23. & 22. 10, 14. Ordinatum eſt tibi facere, & præordinatus es ut facias. 2. Si fuerunt bene diſpoſiti ad vitam eternam, & vita æterna digni antequam crediderunt, quid opus habebant fide? Ante fidem nemo bene diſpoſitus eſt ad vitam æternam, & ſola fides in Chriſtum homines propter Chriſtum facit dignos vita æterna. Non igitur fuerant vita æterna digni, vel ad vitam æternam bene diſpoſiti ante fidem. 3. Et poſito, quod ante fidem fuerit in his hominibus aliqua bona diſpoſitio ad vitam ęternam, à quo illa bona diſpoſitio ad vitam æternam potuit proficiſci, quam à Deo? Quis enim poteſt nos ſeparare ab hominibus ἀτάκτως incedendentibus 2 Theſſ. 3. 6. vel ab hominibus ἀτάκτοις 1. Theſſ. 5. 14. niſi ſolus Deus? Intelligenda igitur hîc ordinatio ad vitam æternam facta à Deo. Illa ſcilicet ordinatio, qua Deus nos æterno ſuo conſilio conſtituit ad ſalutem conſequendam, 1. Theſſ. 5. 9. quaque nos poſuit ad ferendos fructus, Iohan. 15 v. 16. 17. & per regenerationem ac contritionem fidei & vitæ capaces fecit. Unde Syrus interpres hæc τεταγμένοι ἦσαν vertit: *poſiti erant.*

3. Poſito, inquiunt, quod hic locus de Prædeſtinatione ſit intelligendus, aliud nihil ſequitur, quod ſint electi ad vitam æternam ſi crediderint. *Reſp.* Imo ideo dicuntur crediſſe, quia erant electi. Non electi ſunt quia crediderunt, ſed ideo crediderunt, quia electi. Fides non eſt cauſa & conditio electionis, ſed electio fidei. Ideo enim hæc verba adduntur, ut reddatur ratio, cur aliis rejicientibus hi crediderint, quia ſcilicet à Deo per æternum conſilium ad vitam æternam erant conſtituti, atque ita vi hujus electionis per regenerationem ad fidem adoptati. Teneamus hanc doctrinam, quod nemo credat, niſi qui à Deo ad vitam æternam ordinatus, & ad fidem per regenerationem idoneus factus ac excitatus eſt. Non omnes poſſunt credere, 2. Theſſ. 3. 2. Iohan. 12. 39. 1. Corinth. 2. 14. Non omnibus datum eſt Matth. 13. 11. & 11. 25. Sed fides electorum eſt Tit. 1. 1. Quod autem Pater dat & trahit, id venit, Ioh. 6. Quotquot ad vitam eternam ordinati ſunt, credunt. Hæc doctrina utilis eſt. 1. Ad terrendos & humiliandos pertinaces procraſtinatores pœnitentiæ, qui ſeputant impune differre poſſe pœnitentiam, & ſe in fine vitæ convertere. Si quidem in poteſtate hominum eſſet credere quando volunt aut opus eſt, impunis & ſine periculo foret hæc dilatio. Sed quia nemo poteſt credere niſi à Deo ordinatus & adaptatus, tempeſtive agnoſcite hanc veſtram impotentiam, & implorate gratiam Dei qua ad finem excitemini, ne oleum deſit lampadibus veſtris cum venerit ſponſus. 2. Ad animandos credentes, cum ſentiunt imbecillitatem & magna obſtacula fidei, metuuntque ne deficiant. Heus, non tuo arbitrio nec caſu vel fortuito credidiſti, ſed fides tua dependet ab ordinatione Dei æterna, & ejus vi in te effecta eſt, ideo etiam eadem vi perficietur. Quis impediet conſilium Dei erga te? Qui bonum opus cœpit, perficiet. Vnde tua fides oritur? Non certe ἐξ ἰδίας ἐπιλύσεως, ſed ex ordinatione Dei & efficacia Spiritus S. ut in alia cauſa loquitur Petrus 2. Pet. cap. 1. 20, 21. 3. Ad excitandam gratitudinem. *Quis te diſcrevit? quid habes quod non accepiſti?* Quod ſi ex ſingulari Dei gratia, ſine tuo merito præ cæteris tanta gratia tibi ab æterno præparata eſt, annon præ cæteris obligatus es ut vivas Deo? Sic igitur hęc doctrina de gratuita electione ad fidem & vitam eſt pręcipuum fundamentum noſtrę humiliationis, conſolationis & gratitudinis.

5. Non tantum ipſi crediderunt, ſed & verbum Dei diſſeminarunt per totam illam regionem. Qui in civitate didicerant, per pagos diſſeminabant. Homo regenitus ardet ſtudio propagandi Euangelii. Sicut vita naturalis ſecum fert inclinationem propagandi ſui generis; ita vita ſpiritualis ſecum fert inclinationem propagandi verbi & pietatis. *Converſus, converte fratres* Luc. 22. 32. Redde lætitiam ſalutis, & docebo vias tuas, Pſal. 51, 7, 8, 9. Pręcipue quidem

quidem hæc inclinatio docendi eſt in iis,qui habent Spiritum propheticum, i.e. Miniſtris Euangelii, ſed tamen etiam eſt in iis, qui habent Spiritum regenerationis. Qui igitur commodas occaſiones alios docendi & ad Deum convertendi prætermittunt,præſertim qui proprios domeſticos non docent, nec hortantur ad bonum, oſtendunt quod parum habeant de Spiritu Dei, præſertim qui non concedunt famulis tempus frequentandi templum, nec bono exemplo precandi iis præeunt.

DE QUINTO.

1. IUdæi videntes Euangelium non modo Gentibus prædicari, ſed etiam ab iis recipi,excitant perſecutionem contra Apoſtolos, idque per mulierum religioſarum ac honeſtarum, nec non primorum civitatis, exacerbationem. Mulieres religioſæ non ſunt mulieres vere piæ pietate ſpirituali, ſed intelligitur hic devotio naturalis,ſeu ex lumine naturæ proficiſcens. Vide quæ diximus in verſ.43.hujus capitis. Vera religio non habet acriores hoſtes ac perſecutores quam eos, qui luce Euangelii deſtituti pro lege Moſis & naturæ maxime pugnant. Superſtitio & devotio naturalis, ſeu ſapientia & pietas ſecundum carnem, 1.Corinth.26. Gal. 3. 3. ſpirituali devotioni maxime inimica eſt. Ratio rei non eſt alia, quam quia juſtitia ſecundum legem inflat animum ſpirituali quadam ſuperbia, ut juſtitiam Euangelii deſpiciat. Hinc ſcorta & publicani tales dicuntur antecedere in regno cœlorum, Matt 21.31. quia ſcilicet opinione propriæ juſtitiæ carentes,facilius ad Euangelicam juſtitiam amplectendam perſuadentur. Conſidera exemplum Sauli, qui maximus erat & devotiſſimus Zelotes ſecundum legem, & etiam maximus perſecutor Euangelii. Sic Phariſæi, homines ſatis pii & religioſi, Luc. 18. fuerunt acerrimi perſecutores Euangelii. Ne igitur offendamini, cum & hodie videtis devotiſſimos Papiſtas acerrime perſequi Euangelium, nec putetis tales non mereri abalienationem noſtri amoris, & cautam prudentiam in conſervando, cum ſint homines pii. Pietas eorum inimicitia contra Euangelium eſt, ideo maxime cavenda. Honeſtæ mulieres hic non ſunt tam animo quam ſtatu honeſtæ, primariæ videlicet, & uxores eorum qui hic vocantur civitatis primores. Quo quis potentior ſtatu, tanto difficilior Euangelio. Status enim excelſus animum arcet ab humilitate quæ ſecundum Euangelium eſt. Juſtitia legis & celſitudo mundi Euangelio inimica, 1. Corinth. 1. v.26.Hoc obſervent qui ſunt in ſtatu excelſo,non quod ſit illicitum eſſe ſtatu excelſo,ſed, qui tales ſunt, præcipue opus habent dare operam humiliationi animi.

2. Quomodo Apoſtoli hanc perſecutionem tulerunt? Excuſſo pulvere pedum ſuper illos, venerunt Iconium civitatem Lycaoniæ ad montem Taurum. Excuſſio pulveris inſtituta à Chriſto in teſtimonium contra illos,qui Euangelium oblatum contempſerunt. Finis ceremoniæ eſt talibus ſignificare & teſtari, quod impoſterum propter contemptum Euangelii ſunt excuſſi & dejecti ab omni ſpe ſalutis. Vide Nehem.5. 13. Contemtus Euangelii claudit januam ſalutis, & abrumpit omnem communionem Sanctorum cum talibus. Fit etiam hæc cæremonia ad teſtandum pertinacibus, quod culpa exitii eorum non ſit penes Deum aut ejus miniſtros, Actor. 18. 6. caveamus ne opus habeant Miniſtri verbi hac cæremonia contra nos uti.

DE SEXTO.

1. QUi illi diſcipuli gaviſi? *Reſp.* 1. Quidam intelligunt duos Apoſtolos Paulum & Barnabam. Hi hac ejectione gaviſi, quod digni habiti ſunt propter nomen Chriſti cladem & ignominiam pati, ut Actor.5.41. 2.Sed poteſt etiam intelligi de omnibus qui in urbe hac & circa eam diſcipuli Chriſti facti erant, qui non obſtante perſecutione gaviſi ſunt ob receptum Euangelium. Fideles acceptam Euangelii gratiam tantum æſtimant theſaurum, ut de eo gaudeant, quantumvis propter illam perſecutionem patiantur, Actor. 20. 24. In periculis vitæ cum gaudio curſum perficio, 2.Cor. 7. 4. gaudium habeo in triſtitia, Phil.2.v.17,18.

2. Quid per Spiritum S. hic intelligitur? An gaudium illud etiam non erat donum Spiritus S.? Cur igitur à Spiritu S. diſtinguitur? *Reſp.* Intelligitur *Spiritus parrheſiæ*, ut Act.4.31. quem Deus diſcipulis ſuis dare ſolet tempore perſecutionis, ut conſtanter pergant, ut non reformident etiam ſanguine ſuo, ſi opus eſt, veritatem Dei obſignare, ſecundum promiſſionem Chriſti,Matth. 10.19, 20.

Actor.

Actor. 14.

CONCIO CLXII.

EXplicamus adhuc doctrinam primi itineris Paulini, quod ex Oriente in Occidentem ad converſionem Gentium ſuſcepit, in quo Barnabam ſocium & collegam habuit. Hiſtoriam hujus itineris diviſimus in Egreſſum & Regreſſum. Hoc capite primo aliquid deſcribitur quod ad Egreſſum pertinet ad v.21.deinde hiſtoria Regreſſus incipit deſcribi: Egreſſi erant Antiochia Syriæ. Venerant inde in Cyprum Inſulam. Inde transfretarant in Pamphiliam provinciam Aſiæ minoris, ejuſque metropolim Pergen. Ex Pamphilia profecti ſunt in Piſidiam, aliam Aſiæ minoris provinciam, ejuſque Metropolim Antiochiam. Ex Piſidia profecti ſunt ulterius in aliam Aſiæ provinciam, quæ vocatur *Lyconia*, Tauro monti celebri vicinam, ibique in tribus præſertim urbibus Euangelium annunciarunt, ſcilicet Iconii, Lyſtræ & Derbæ. In ſingulis quid geſſerint videndum. Primum de Iconio.

I. In hac hiſtoria monachi tripudiant. Iconii enim ajunt inter primas Pauli diſcipulas fuiſſe S. Theclam virginem, cujus non tam fidem quam virginitatem laudant, ut hoc exemplo multas divites virgines in monaſteria ſua alliciant. Sed, an hiſtoria hæc ſit an fabula dubium eſt. Textus nihil habet. Et noſtra cura non eſt qui homines in monaſterium, ſed qui in cœlum adducamus. Iconium venientes una ingreſſi ſunt Synagogam Iudęorum. Κατὰ τὸ αὐτὸ idem quod ἐπὶ τὸ αὐτὸ ſimul, una. In hoc itinere ſemper conjunctim incidebant Paulus & Barnabas, qui in ſequenti itinere per contentionem quandam ſuper Iohanne à ſe diviſi ſunt. Alii tamen κατὰ τὸ αὐτὸ vertunt itidem, vel iterum, quod ſicut Antiochiæ; ita & hic initium concionandi fecerint in Synagoga Iudæorum. Sed tum quæritur, cur iterum ad Iudæos iverint cum Euangelio, cum antea declararint, ſe ad Gentes ſe converſuros, poſtquam Iudæi ſe indignos vita æterna judicaverant? *Reſp.* Nō dixerant hoc ideo, quod impoſterum plane negligere & præterire Iudæos vellent, ſed ut ſcirent Iudæi, ſuam pertinaciam laborem Apoſtolorum non reddituram irritam, cum quod à Iudæis impetrare non poſſint, Gentes abunde ſint præſtituræ. Interim ſemper Iudæos prius alloquantur, ut per Iudæos ad Gentes commodum aditum ſibi parent. Eſt hoc exemplum inſignis caritatis in Apoſtolis, quod, quamvis à Iudæis contumelioſe Antiochia ejecti, tamen Genti iſti non fiunt infenſi, ut non amplius ſalutem eorum quærant, ſed denuo illis Euangelium prædicant. Diſſuadeat hoc exemplum nobis omnibus cupiditatem vindictę, ne ſtatim amorem & beneficentiam ſubtrahamus iis, qui nos offendunt & injuriam nobis faciunt. Si Deus vellet deſinere nobis benefacere, quoties illum offendimus, quid de nobis fieret? Quod nobis volumus fieri ab aliis, id aliis faciamus, Matth.7. Atqui ſcis quod tu aliis ſæpe injuriam facis, Eccl.7.22. & cupis tibi ignoſcis. Ergo. Hoc ſingulare illud Chriſtianorum, quo differunt ab aliis. Matth.5.46. Memineritis hujus exempli in die S. Cœnæ. Præſertim Miniſtri Euangelii animum ſuum hoc exemplo moderentur, ſi quando auditorum ingratitudine & pertinacia ad indignationem concitantur. Sic Chriſtus etiam pro crucifixoribus oravit, & ad finem vitę eos ad pœnitentiā hortari non deſiit, ut patet ex, Luc.23.28,29. Vide amorem Pauli in Iudæos pertinaces, à quibus tantum paſſus erat, Roman.9.2,3 & 10.1. Sic & nos, quantumvis multoties fruſtra laboramus, & multa patimur à pertinacibus auditoribus, tamen non debemus deponere amorem illorum & curam ſalutis.

II. In hac Synagoga ita ſunt locuti, λαλῆσαι οὕτως, ut magna multitudo tum Iudæorum tum Græcorum crediderit. Quinam illi Græci, qui erant in Synagoga Iudæorum. Erant gentiles Iconii habitantes, qui Iudaicam religionem amplexi erant, vel ſaltem audiendi cauſa ad Iudęorum converſionem confluxerant. Iudæorum enim Synagogæ apertę erant etiam gentibus ut lectionem verbi audientes populo Iudaico in religione accederent. Hoc differunt verbum & ſacramenta, quod verbum licet prædicare omnibus, ſive converſis, ſive inconverſis; ſed Sacramenta non ſunt conferenda niſi illis, de quibus conſtet idoneis argumentis quod ad fœdus Dei pertineant. Sunt enim ſigilla fœderis, promiſſionem fœderis applicantia & obſignantia illis ad quos pertinent, Rom.4 v. 11. Verbum beneficia Euangelii

omni-

omnibus offert, etiam indigniſſimis Sed ſacramenta beneficia Euangelii obſignant iis, qui ea per fidem receperunt, Ioh. 1. 12. Sed quid hoc eſt: Ita locuti ſunt ut crederent multi? An fides Auditorum ſita eſt in excellentia concionandi? An una concio plus poteſt ad fidem generandam quam alia? An qui bene & excellenter concionantur, plures convertunt quam qui minus bene? Quid ſi paulo aliter quam ita concionati eſſent, an ideo minor fuiſſent numerus converſorum? *Reſp.* Poteſt hæc vox tripliciter exponi:

1. Tam bene & excellenter concionabantur. Unus modus concionandi aptior eſt ad convertendas animas quam alius. Hoc verum eſt, tum ratione materiæ, tum ratione formæ concionis. Qui verbum Dei concionatur pure & Orthodoxe ſine mixtura falſarum gloſſarum, hæreticæ, idololatricę, ſuperſtitioſæ & falſæ doctrinæ, aptior eſt ad convertendum animas, quam qui ſecus. Qui enim aliter faciunt, eorum ſermo eſt ſicut cancer, aptior ad pervertendas animas, 2. Tim. 2. 16, 17. 1. Tim. 1. 4. Purus & verus ſermo ſolus aptus ad ędificandum, paſcuum & pabulum ovium Chriſti; idololatricus, hęreticus & impurus eſt venenum animarum. Nec contemnimus vim donorum quibus Deus Miniſtrum præ Miniſtro ornavit. Non dubitamus, quin qui habet donum verbum recte ſcindendi, prudenter applicandi, clare & ornate eloquendi, fortiter imprimendi aptior ſit ad ædificandum, quam qui id minus poteſt. Sed tamen ab hoc modo concionandi non pendet converſio, ut cum illo ſtet cadatve. Licet optare, ut qui concionantur, concionentur docte, perſpicue, eleganter, præſertim licet & decet impuras conciones declinare, & Orthodoxas quærere ac ſequi, ſed tamen ab externis concionatoris donis & modo loquendi non ita eſt pendendum, ut qui non ſic loquitur ut alius, contemnendus judicetur, & ad ædificandum non idoneus, ſi quis Miniſterio ejus humili corde utatur. Miniſtri, quantumvis optimi, doctiſſimi, diſertiſſimi, non habent vim converſionis in ore ſuo, nec ſint quicquam aliud quam plantatores, rigatores, ſervi per quos credimus, 1. Cor. 3.

2. Tam tempeſtive & opportune concionabantur, & tam congrue ad diſpoſitiones quæ erant in animis auditorum, ut crederent. Hæc gloſſa Pelagianorum, qui docent hanc eſſe cauſam adæquatam converſionis, propter quam fit ut aliis non credentibus alii credant, quia ſcilicet concionatores tam fortunati, ut multos offenderint in ea diſpoſitione animi, ut eſſent idonei ad parendum verbo prędicato. Homines non ſunt omni tempore eodem modo diſpoſiti. Idem concionator, etſi ſemper eodem modo concionetur, tamen non ſemper eodem modo placet. Imo eadem concio uni auditori valde placet; alteri parum placet, vel etiam diſplicet. Hoc inde eſt, quia auditorum animi non ſunt eodem modo diſpoſiti. Alius venit in templum bene ſatur, ſomnolentus, vel quibuſdam occaſionibus animo turbatus, adeoque ad concionem minus attentus quam alius, qui venit ſanus, ſobrius, inturbatus, ad bene audiendum bene paratus. Et certe hoc commendandum auditoribus, ut ad audiendum venturi, caveant turbationes animi, & veniant bene diſpoſiti, ut concionator ita poſſit concionari, ut penetret concio ad animum. Nam optimus quiſque concionator, non eſt potens ut hominem ſaturum, ebrium, ſomnolentum, affectibus turbatum & diſtractum bene doceat & commoveat. Sed tamen hanc bonam Auditorum diſpoſitionem eſſe cauſam, propter quam fit, ut alius præ alio credat, falſiſſimum eſt. Etſi quis concionator ſit tam fortunatus, ut incredulos & inconverſos ac irregenitos ſuos auditores offendat in optima diſpoſitione corporis & intellectus & affectuum, in qua homo naturalis unquam eſſe poteſt, tamen non convertentur ideo, ſi nihil aliud accedat. Cum enim Paulus Philoſophis Athenienſibus concionaretur, qui ſe ad diſcendum bene diſponebant, & etiam virtuti operam dabant, & cupidiſſimi erant diſcendi, Actor. 17. vel cum Chriſtus Phariſæos doceret, qui erant homines valde ſobrii, & multis ſe jejuniis macerantes, Luc. 18. non tamen potuit ita concionari, ut crederent. Debemus nos ad audiendum bene diſponere, ſed ab hac diſpoſitione non pendet converſio.

3. Tam efficaciter & potenter concionabantur, i. e. cum tam potenti cooperatione Spiritus S. concionabantur, ut magna multitudo crederet. Hic pendet vis concionis. Cum Spiritus S. cooperatur concionantibus & audientibus, generatur fides. Si ille non cooperatur, optimus modus concionandi & optimus modus audiendi eſt irritus. Debent Paſtores curare, ut bene concionentur; debent auditores curare ut ſint bene ad audiendum diſpoſiti, ſed ab hac cura non pendet converſio, verum a cooperatione Spiritus S. Sicut optimus Medicus in ægro obedientiſſimo ſæpe nihil proficit, quia Deo non placet cooperari: ſic optimus concionator attentiſſimum auditorem ſæpe non convertit, quia Spiritui S. non placet cooperari. Vide Matth. 13. 11.

Actor.

Actor. 16. 13, 14. Cum optimo modo prædicatur, & optimo modo auditur, nemo tamen convertitur, niſi quotquot Deus advocat & Eccleſiæ addit, Actor. 2. v. 39. 41. quotquot ad vitam æternam ordinati ſunt, credunt, Actor. 13.

Object. Sed annon Deus iſtam efficacem cooperationem per promiſſionem ſuam adſtrinxit bono modo concionandi, & bonis diſpoſitionibus ad audiendum, ut quando concionator bene concionatur, & auditor bene audit, ſive ad audiendum bene diſpoſitus eſt, Spiritus S. neceſſario debeat cooperari? *Reſp.* Deus per ſuum mandatum hiſce officiis adſtringit noſtras conſcientias, ſed ſe ipſum nullis mediis adſtrinxit, per abſolutam promiſſionem, niſi ipſi fidei & converſioni exercitæ. Dona ſua, per regenerationem collata, promiſit coronare, & non poteſt non coronare. Sed quod ad uſum externorum mediorum ante regenerationem attinet, ſicut nos ad eum adſtrinxit, ita ſuæ libertati reſervavit, cujus velit miſereri, quem velit indurare, ut laus & gloria ſalutis eorum, qui ſalvantur, non ſit eorum ſed Dei, Rom. 9. Nos debemus uti mediis, & ſucceſſum mediorum ſi bonus eſt, aſcribere ſingulari gratiæ Dei, ſi malus, noſtræ culpæ. Habetis certe culpam quæ vos vita æterna indignos facit, quaque Deo juſtam datis cauſam uſui mediorum ſuper vos non benedicendi, vos, inquam, qui fera & intemperanti vita corda veſtra incraſſatis, & immodicis curis hujus vitæ affectus turbatis, ut etiam cum venitis ad audiendum, tamen non poſſitis audire & attendere. Hanc culpam vitate, & ſic utimini mediis, & quod proficitis, gratiæ Dei attribuite cum gratiarum actione. Senſus igitur eſt: Ita concionati ſint, i. e. tam potenter & cum tanta cooperatione Spiritus Sancti.

III. Contra hanc efficaciam concionum Pauli ac Barnabæ ſe extulerunt οἱ ἀπειθοῦντες Ἰουδαῖοι, animoſque gentium excitarunt & exacerbarunt contra fratres.

I. Quinam illi ἀπειθοῦντες Ἰουδαῖοι? *Reſp.* Qui non credebant. Quidam Iudæi credebant v. 1. quidam erant inobedientes. Fides & inobedientia ſunt duo contraria. Fides eſt obedientia, & infidelitas eſt inobedientia. Natura omnes ſimus ἀπειθεῖς, Tit. 3. 3. i. e. difficiles, tardi, inviti ad credendum, ſed hic ἀπειθεῖν notat actualem illam inobedientiam & rebellionem, qua ſe actu ipſo contra Euangelium oblatum extulerunt Audivimus, v. 46. c. 13. Quod incredulitas ſit contemptus Euangelii, quo beneficia Euangelio oblata aſpernamur, ſanguinem Filii Dei vilem ac communem ducimus, Spiritum gratiæ ignominia afficimus, & hoc magnum argumentum nos ab infidelitate deterrendi, ſed accedit aliud, quod infidelitas eſt inobedientia & rebellio. Et quod majus peccatum inobedientia, 1 Sam. 15. v. 22, 23? Eſt inobedientia:

1. Non credere veritati. Deus veritatem illam religionis, quam prædicamus vobis, in verbo ſuo revelavit & teſtatus eſt. Ergo qui eam non recipit, is veritati inobediens eſt, 2. Theſſal. 1. v. 8. & 2. 11, 12. Zach. 7. 11, 12. Fabulas & commenta humana facile credunt, veritatem verbo teſtatam repudiant, & cum verbum rationi non reſpondet, malunt verbum torquere & pervertere, quam verbo obedire.

2. Non confidere Deo in tentationibus & anguſtiis, nec in promiſſionibus ejus acquieſcere. Quorundam hominum infidelitas contra Euangelium oritur ex ſuperbia; quorundam ex perverſa humilitate & ſervili timore. Ex ſuperbia infideles ſunt, qui Euangelium contemnunt, qui propriæ dignitatis opinione turgidi juſtitiam in ſe ipſis quærunt, & Filio Dei recuſant dare illum honorem, quod ejus ſanguis ſit ſolum & unicum lytrum ac meritum juſtificationis, & quod ipſe ſolus poſſit ſalvare, qui per eum ad Deum accedunt. Sicut Naaman Syrus aquas Iordanis, ſibi in remedium lepræ ordinatas, contemnebat, & aſpernabatur iis ſe committere, 2. Reg. 5. ita quidam homines, ſanguinem & Spiritum Chriſti præ ſuis meritis & humanitus inventis remediis contemnunt. Hæc infidelitas Phariſæorum & Papalium operariorum. Ex perverſa humilitate & ſervili timore infideles ſunt, qui propter ſuam indignitatem & multitudinem peccatorum non audent accedere ad Deum, ejuſque gratiam & gratiæ ſignacula accipere, & in eo acquieſcere. Talis erat infidelitas Achabi, Eſa. 7. 4. 11, 12. & Caini, Gen. 4. 13. & Iudæ Matth. 27. 4, 5. Ad hanc infidelitatem inclinant etiamnum hodie, qui indignitatis ſuæ prætextu recuſant Deo confidere, & in promiſſionibus ſalutis cum parrheſia acquieſcere, & qui precibus ſuis malunt ad Sanctos, quam ad Chriſtum ipſum accedere, immo hanc infidelitatem excuſant & laudant, quaſi ſit humilitas. Non eſt humilitas, ſed eſt inobedientia. Deus in omnibus paginis ſui verbi ab omnibus illis, qui indignitatem ſuam ſentiunt, & cum dolore confitentur, requirit fidem ac fiduciam; vos illam fiduciam recuſatis. Hæc inobedientia eſt & rebellio. Vide quid reſponſum Iohanni Baptiſtæ & Petro Apoſtolo, ſub prætextu indignitatis fidem

& obedientiam detractantibus, Matth.3.14.15. Ioh. 13 v.8. Si non vultis per ſinceram fiduciam cordis vobis applicare vim meritorum Chriſti ejuſque promiſſiones, non habebitis partem cum Chriſto. Tales committunt peccatum Saulis, præſumentes ſe Deo melius ſervituros ſacrificio humilitatis, quam obedientia mandati de applicatione ſacrificii Chriſti, 1.Sam.15. Qui Deo inobediens eſt in recipiendo Euangelio, erit ipſi quoque inobediens in obſervanda lege. Nam qui per receptionem Euangelii non redditur idoneus, legem nunquam obſervabit. Non ſumus negligentes & ſegnes in exigenda à vobis obedientia legis, ſed & obedientiam fidei requirere tenemur, Rom.1.5.& 16.26. Hinc fides, quoniam obedientia eſt, etiam habet ſuum præmium ſuamque coronam, 2.Tim.4.7,8. *Servavi fidem, ideo mihi repoſita corona*, 1.Petr.1.9. Caveamus infidelitatem & diffidentiam, tum in iis quæ ad æternam, tum in iis quæ ad temporalem vitam pertinent. De iis loquor, qui ſunt corde contrito & de peccatis pœnitent. In ſpiritualibus cur non creditis remiſſionem peccatorem & æternam veſtram ſalutem? Annon ſatis magna Dei miſericordia, annon ſatis digna Chriſti merita, annon ſatis potens Spiritus S. manus? Si ſic judicatis, quid aliud eſtis quam contemptores, qui ſanguinem Chriſti communem ducitis? At mea, inquis, indignitas nimis magna, & non ſentio in me illam fidem & gratitudinem, quam Deus requirit ab iis quibus propter Chriſtum vult eſſe miſericors.

Sed an ideo vis eſſe inobediens Deo, & peccatum peccato addere? Sentis te non habere quod abs te requiritur. Magna certe eſt tua culpa quod hoc non habes. Sed an decet huic culpæ addere aliam, ut Deo mandanti fiduciam talia accipiendi velis eſſe inobediens, eiq; diffidere quod poſſit & velit dare, quæ corde contrito & avido cupis habere? Deplorare decet tuam indignitatem, ſed non diffidere dignitati Chriſti; deplorare tuam infirmitatem, ſed non diffidere promiſſioni & potentiæ Spiritus Sancti Et ſi in ſpiritualibus Deo diffidere peccatum eſt, quanto magis in temporalibus? Qui potuit dicere, Peccata tibi ſunt remiſſa, nonne poteſt dicere, Surge & ambula? Qui æterna dedit, an temporalia negabit? Pelle diffidentiam, ne infidelis reperiaris, contemptor Euangelii, & inobediens Deo fidem mandanti, Eſa.7.9. Marc.1.15.

II. Quid illud: *ἐκάκωσαν τὰς ψυχάς*? *Reſp.* Verbum κακόω proprie ſignificat affligo, vexo, moleſtus ſum. Si ſic hoc loco accipias, ſenſus eſt, quod magna importunitate gentibus adeo fuerunt moleſti, ut non deſinerent eos urgere, donec etiam nolentes fratribus vim facerent. Sic Iudęi afflixerunt & torſerunt Pilatum, donec Chriſtum crucifigeret, Matth.27. Sed hoc loco videtur accipi in ſenſu inuſitato, ut ſignificet, quod non tantum gentes nolentes importunitate ſua ita torſerint, ut inviti fratribus fierent moleſti, ſed quod calumniis & falſis accuſationibus gentium animos exacerbaverint, ut odio fratrum corriperentur. Sine dubio calumniati ſunt ipſum Chriſtum, quod in Iudæa ut maleficus & ſeditioſus eſſet crucifixus, calumniati ipſos Apoſtolos, quod nil aliud quærerent quam ſeditiones excitare, omnem religionem & pietatem evertere, &c. Et ſic occuparunt gentium animos, ut fratribus fierent offenſi. Hæc arma quibus Sathanas & Antichriſtus ſuum regnum defendit, quod ſcil. Euangelium calumniando homines contra Euangelii Profeſſores exacerbat. Sic fecerunt Iudaici Doctores tempore Chriſti, Matth.27.20. Sic Demetrius Epheſinos exacerbavit, Actor.19.v.24,25. Sic olim Imperatores Ethnici exacerbati ad perſecutiones per Philoſophos. Sic hodie prælati Pontificii exacerbant Magiſtratum ad ſupplicia, & populum ad lanienas Chriſtianorum, ut patet ex hiſtoriis Belgii, Galliæ, Angliæ & Hyberniæ.

Object. At hoc idem vos facitis, dum veſtros Magiſtratus animatis contra Pontificios. *Reſp.* 1. Falſum eſt, nos concitare noſtrum populum ad odium illorum, qui ſunt alieni à veritate, multo minus ad lanienas. Concitamus eos ad odium falſæ doctrinæ, ſed non ad odium errantium hominum, ſed potius commendamus illis omnem longanimitatem & amorem erga illos, juxta exemplar Dei, 2.Petr.3.9. & mandatum Pauli, 2.Tim.2.24,25,26. Docemus nimis arctam & non neceſſariam familiaritatem eſſe vitandam, ne quid ſcandali patiantur ab Heterodoxis, ſed non docemus tales lanienas, quales in Gallia & Hibernia factæ. 2. Quod ad Magiſtratum, fatemur nos eos monere ad impedienda exercitia publicæ abominationis & licentioſam diſſeminationem hæreticę doctrinę. Hoc enim officium eſt Magiſtratus Chriſtiani. Sed ad crudelem illam inquiſitionem, conſcientiarum coactionem, & horrenda ſupplicia ob differentiam in religione, qualis à Pontificiis contra nos concitata, minime hortamur.

Object. Nonne concitaſtis Magiſtratum ad puniendum Servetum propter religionis diſſenſum? nonne in Anglia & alibi concitaſtis ad ſupplicia cle-

ricorum,

ticorum, qui diſſeminandi Papatus cauſa eo venerant. *Reſp.* Hoc certe non factum propter diſſenſum in religione, imo nec propter odium veritatis quæ in illis erat, ſed factum ideo, quod odio veritatis euſque indulſerunt, ut intolerabiles contra Deum evomerent blaſphemias, & ſeditionibus Rempub. turbarent. Fures non plectuntur ſuſpendio propter furtum, ſed propter periculum vitæ, quod armata effractione ædium civibus parant: ſic hi non propter falſam religionem, ſed propter periculum Reipublicæ & blaſphemias in Deum, ad quod ſe patiuntur abripi odio veritatis, puniti ſunt. Sicut Simei ędibus ſuis conſtrictus avaritię indultu ſibi ipſi mortem arcerſivit; ita hi legitima libertate conſcientiarum non contenti, ſibi ipſis juſtum accerſerunt per ſeditiones exitium, 1. Regum 2. v. 36. & ſeqq.

Objeƈt. At faciunt *ex Conſcientia*, ſicut Apoſtoli, Act. 4. 19, 20. *Reſp.* Qui Apoſtolos occidebant, etiam faciebant ex conſcientia, Ioh. 16. 2. ſic Paulus ex conſcientia perſequebatur Eccleſiam, Actor. 26. v. 9. An ideo laudandi? Informent ſuam conſcientiam ex Scriptura. Ubi mandatum ipſis propagare Romanas ſuperſtitiones, idololatriam, &c.? Si habent conſcientiam quæ hoc putat, ea conſcientia digna eſt, quæ ſic tractetur, ſi non compeſcant. Propagare cum vitę periculo eam doctrinam, quam Deus in verbo mandavit laudabile eſt. Sed propagare, etiam cum ſeditione, eam doctrinam, quæ Chriſto ignominioſa & verbo ejus contraria eſt, eſt Diabolica pertinacia, quæ meretur coërceri. Non igitur nos pares ſumus Pontificiis ſacrificulis in exacerbādis populi animis contra veritatis Profeſſores, ſed exacerbatio populi contra veritatis profeſſores ad lanienas eſt & manet ſignum Spiritus Antichriſti.

III. Contra quos autem exacerbarunt animas gentium? Contra fratres i. e. Chriſti fidem miniſterio Apoſtolorum amplexos. Chriſtiani ſibi invicem fratres. Crebrum hoc in Scriptura. Cauſa hujus appellationis oritur ex adoptione & regeneratione. Sunt regeniti *ex eodem ſemine*, ſcilicet ſpiritu & veritate, Iac. 1. Et ſunt adoptati filii ac hæredes ejuſdem Patris, & cohæredes ejuſde m fratris primogeniti, Rom. 8. Hoc requirit ab omnibus erga omnes fraternam charitatem & tolerantiam, 1. Iohan. 3. 14. & 4. 11.

IV. Huic exacerbationi gentium Apoſtoli oppoſuerunt Perſeverantiam in opere Domini. Non enim ceſſarunt, ſed manſerunt longo tempore, & libere loquebantur in Domino. De parrhеſia Miniſtrorum, quam opponere debent mundi furoribus, dictum eſt, cap 13. 46.

V. Hæc parrhеſia Apoſtolorum ita placuit Domino, ut verbo gratiæ teſtimonium daret, fierentque ſigna & prodigia per manus Apoſtolorum.

1. Verbum gratiæ eſt Euangelium; Lex verbum iræ. Euangelium verbum gratiæ, quia ſalutem peccatoribus annunciat per gratiam Dei in Chriſto. Gratuitam ſalutem annunciat. Abnegant igitur & corrumpunt Euangelium, qui ſalutem noſtris meritis acquirendam eſſe docent. Si enim ex gratia, non eſt ex merito, ſi ex merito, non ex gratia, Rom. 11. 6.

2. Quomodo miracula fiunt per Apoſtolorum manus? *Reſp.* Quia fiebant per Apoſtolorum fidem & preces. Fide enim faciebat miracula & montes transferebant, 1. Cor. 3. 2. Miracula fiunt per digitum, manum & potentiam Dei. Manus Apoſtolorum nihil ad miracula conferebat, niſi forte externas aliquas cæremonias, cum quarum exercitio Deus potentem ſuam operationem conjungebat. Per fidem autem & preces impetrabant miracula.

3. Quo fine fiebant miracula? Ut teſtimonium darent verbo gratiæ. Miracula quæ fiunt ad confirmationem purgatorii, invocationis Sanctorum, & aliarum ſuperſtitionum, non ſunt divina miracula: hæc enim fiunt ad confirmationem Euangelii.

Sed an Euangelium indiget teſtimonio miraculorum? *Reſp.* Non indiget. Vidimus enim quod Antiochiæ ſine miraculis efficaciter prædicatum & receptum eſt. Voluit tamen Deus ſub initium inter gentes, idololatriæ adſuetas, verbo addere miracula, ut eſſent campanæ, per quas homines convocarentur ad verbum audiendum, & teſtimonium Apoſtolorum, quod Deus eſſet cum ipſis, & doctrina ipſorum ex Deo. Sed poſtquam doctrina Euangelii Apoſtolorum ſcriptis conſignata, & à gentibus recepta eſt, jam non indigemus teſtimonio miraculorum, ſed ſufficit nobis teſtimonium Sacræ Scripturæ. Hoc teſtimonium fundamentum noſtræ fidei, non miracula. Miracula enim poſſunt eſſe falſa miracula, & poſſunt adhiberi in teſtimonium falſæ doctrinæ, Deuter. 15. Matth. 24. 2. Theſſ. 2. Sed teſtimonium Sacræ Scripturæ nunquam fallit. An igitur Deus hodie verbo gratiæ in Scripturis revelato nullum amplius dat teſtimonium? *Reſp.* Immo dat

1. Teſtimonium Spiritus. Spiritus enim teſtatur

tur *quod Spiritus ſit veritas*, 1.Iohan.3.6. per hunc Spiritum Deus præſertim teſtimonium dat promiſſionibus verbi poſtquam eas credidimus, Rom.8.16. Eſt enim *arrhabo ſalutis*. 2.Cor.1.22.

2. Teſtimonium miraculoſæ defenſionis & liberationis Sinit quidem Deus verbum & Eccleſiam Euangelicam valde premi & fere opprimi ab hoſtibus, ſed hoc facit eo ipſo fine; ut præter omnem humanam ſpem miraculoſe liberet, & per hoc teſtimonium det, quod ſit ſuum verbum & ſua Eccleſia. Deus hodie non facit miracula per manus hominum, præſertim Miniſtrorum verbi, ſed tamen facit miracula. Quoties enim miraculoſe liberata eſt Eccleſia præter omnem ſpem hominum? Eſt jam Eccleſia in oppreſſione, & certe vix ulla ſpes liberationis eſt ſed quieſce; dabit Deus teſtimonium ſuo verbo ut antea. Acquieſcite interea in Teſtimonio verbi, cui ſcitis fidem veſtram eſſe ſuperſtructam, & Deus vos ſuſtenſtabit teſtimonio Spiritus, ut poſſitis retinere fidem, donec tandem tempus venerit, quo & miraculoſę liberationis teſtimonium dabit, 2.Pet. 2.v.9. Cum omne conſilium humanum periit, novit Deus liberare juſtos.

V. Quid autem effecerunt Apoſtoli hac ſua manſione & parrheſia in urbe Iconio? *Reſp.* Schiſma. Multitudo enim civitatis diviſa eſt, ita ut alii eſſent cum Apoſtolis; alii cum Judæis. Quæritur hic. 1. Cur Paulus & Barnabas vocentur *Apoſtoli*, cum tamen non ſint in catalogo Apoſtolorum, qui eſt Matth.10. Nec ulla ſolemnitate ad Apoſtolatum ſint vocati, ſicut Matthias in locum Iudæ, Actor.1. *Reſp.* Non fuerunt quidem ex duodecim illis qui Chriſto ſervierunt tempore carnis, ſed tamen poſt adſcenſionem Chriſti fuit Paulus immediate ex cœlo ad Apoſtolatum vocatus, Act.9. Et nunc uterque per Spiritum Sanctum miſſus ad gentes, Act.13.1,2. Hinc paſſim Paulus ſe Apoſtolum vocat, quamvis fatetur ſe propter perſecutionem Eccleſiæ non dignum eſſe hoc nomine, 1.Cor 15.9. 2. An recte fecerint Apoſtoli quod civitatem concordem ſciderunt? Utique ſchiſmata ſunt peccata & opera carnis, 1.Cor.11.18. 1.Cor.3,4. Gal. 5.20. *Reſp.* Aliud eſt Schiſma facere in mundo, aliud in Eccleſia. Mundum ſcindere, non poteſt verti vitio Miniſtris Euangelii: Quoniam enim totum mundum non poſſunt convertere, neceſſe eſt mundum ſcindere, & aliquos à mundo ſeparare, quod dum faciunt, mundus iſtos ſeparatos odit ac oppugnat, & qui oppugnantur ſe defendunt, & ſic neceſſario mundus ſcinditur. Hoc eſt ſecundum illud Chriſti, Matth. 10.34,35. Gen.3.15. Culpa tamen hujus ſchiſmatis non eſt in Apoſtolis, ſed in iis qui veritati ſe opponunt. Sed Eccleſiam ſcindere, & ſchiſmata in ea concitare, peccatum eſt. Illi ſcindunt Eccleſiam, qui populum fundamentales ſalutis doctrinas retinentem novis quæſtionibus turbant, 1.Timoth.1.4. vel propter exiguas quæſtiones, ſalutem non magnopere concernentes, vel propter particularia quædam facta tumultuoſe committunt, ut ſe invicem oderint. Hæc quidem ſchiſmata ſinit aliquando Deus in Eccleſia oriri, 1.Cor.11.v.19. Væ tamen illis per quos veniunt. Ab his Schiſmatibus abſtinendum, & bono ordini ſubſcribendum, ac concordiæ ſtudendum. Non deſunt ea ſchiſmata proh dolor! etiam in noſtris Eccleſiis, ſed tamen damnantur à nobis. Diſtinguendum inter noſtram doctrinam & noſtra vitia. Diſcamus hinc.

1. Quid reſpondendum Pontificiis ſchiſma nobis objicientibus. Fatemur quod nos ſciderimus & ſeparaverimus à Papatu. Sed non ideo ſumus rei ſchiſmatis. Quia fecimus eodem jure quo hi pii Iconienſes à ſuis concivibus ſeceſſerunt ad Apoſtolos, ſcilicet ut Euangelium, quod apud Pontificios non erat amplecteremur & defenderemus. Si Pontificii Prælati ſaltem fundamenta Euangelii habuiſſent, & nos propter profeſſionem Euangelii igne & gladio non eſſent perſecuti, ſchiſmate opus non fuiſſet, ſed quia ipſi ſeceſſerant ad aliud Euangelium, verbum gratiæ corruperant, & mandatis Dei jugum humanarum cæremoniarum & inventionum prętulerant, neceſſarium erat ut ab ipſis ſecederemus & Apoſtolorum verbo nos conformaremus. Propter leves cauſas ſchiſmata facere in Eccleſia res eſt damnabilis, ſed cum res fundamenta fidei concernit, cum alium Deum, alium Mediatorem, aliud ſacrificium, aliam fidem, aliam obedientiam, aliud verbum, alia ſacramenta nobis obtruduntur, quam Deus in verbo præſcripſit, ſi tum nos ſeparamus, non ſecedimus ab Eccleſia ſed à Mundo. At Prælati Pontificii igne & gladio nobis obtrudere conabuntur. 1. Alium Deum, volebant enim cogere ut religioſa devotione coleremus quod Deus non eſt, ſcil. Angelos & Sanctos. 2. Alium Mediatorem & Interceſſorem. Volebant enim cogere ut æque Sanctorum ac Chriſti meritis & interceſſione uteremur pro clypeo in acceſſu noſtro ad Deum. 3. Aliud ſacrificium aliamque juſtitiam. Volebant enim cogere ut juſtitiam & remiſſionem peccatorum quæreremus in ſacrificio Miſſæ, & falſis ſacrificulorum meritis ac propriorum operum. 4. Aliam fidem, Prohibebant

bant enim fiducialem ac immotam acquieſcentiam cordis in meritis Chriſti ad certitudinem ſalutis, & loco ejus obtrudebant generalem aſſenſum ac incertam ſpem ſalutis, in dubitationibus ſibi ſponte indulgentem, multos quoque alios fidei articulos obtrudebant. 5. Aliam obedientiam. Obſtringunt enim & cogunt ad cœcam obedientiam ſedis Romanæ & præſulum ejus. 6. Aliud verbum. Volebant enim cogere ut traditiones Eccleſiæ Romanæ, quas vocant *verbum non ſcriptum*, pari pietatis affectu reciperemus ac verbum Dei ſcriptum & indubitatum. 7. Alia Sacramenta. Quinque videlicet quæ verbum ſcriptum non agnoſcit. Hac violenta coactione compulſi ſumus excedere ex Ægypto, & nos ſeparare ſicut Iſraëlitæ. Minime igitur Schiſmatis rei. Et in tali caſu ſchiſma nobis debet eſſe commendatum, ne maneamus in communione mali. Standum hic aut cum mundo, aut cum Apoſtolis. Non licet claudicare inter utroſque & neutralem eſſe. Qui tepidus eſt, eum Chriſtus exſpuit, Apocal. 3. 15, 16. Qui non confitetur Chriſtum, Chriſto non eſt dignus, Matth. 10. 32. *Qui non eſt mecum, eſt contra me*. Ne reformidemus cum mundo in inimicitiam venire, cum differentia in negocio religionis concernit fundamenta ſalutis. Nam qui mundi amicus vult manere in tali caſu, Dei inimicus conſtituitur, Iac. 4. 4.

VI. Utra tandem pars victoriam obtinuit in hoc diſſidio? *Reſp.* Iudæi, & qui cum ipſis erant lapidationem Apoſtolorum parabant, ſed Apoſtoli re bene perpenſa fugiebant. Victoria non ſemper, imo raro eſt ex parte veritatis & veræ Eccleſiæ, multo minus eſt ſignum veræ Eccleſiæ, ſed plerumque eſt ex parte mundi, & Eccleſiæ perſecutiones paratæ. Victoria piorum erit in ultimo judicio. Iſtic ſtabunt juſti, injuſti confundentur. Sed an recte fecerunt Apoſtoli, quod perſecutione oriente fugerunt? *Reſp.* Recte: nam Chriſtus ita juſſerat, Matth. 10. v. 23. & Apoſtoli qui in Iudæa erant antea quoque ſic fuerant, Actor. 8. 1. & Paulus, Actor. 9. 25. At hoc mercenariorum eſt, Iohan. 10. 12, 13. *Reſp.* Fugere cum neceſſarium eſt manere, mercenariorum eſt. At hic non erat neceſſarium manere. Obtinuerant enim ſcopum, fundamenta Eccleſiæ poſuerant, & opera eorum alibi magis erat neceſſaria. Sed de hoc latius antehac.

Actor. 14. *ab* 8. v. *ad* 14.

CONCIO CLXIII.

SEquitur quid Lyſtræ his duobus Apoſtolis acciderit. Quatuor hic contigere. 1. Præclarum miraculum, v. 8, 9, 10. 2. Turpis abuſus hujus miraculi à civibus Lyſtrenſibus commiſſus, v. 11, 12, 13. 3. Severa cohibitio hujus abuſus ab Apoſtolis facta, v 14. 15, 16, 17, 18. 4. Acerba perſecutio contra Apoſtolos à Iudæis excitata, v. 19.

Miraculo hic non multum inſiſtemus, quia ſimile plane miraculum iiſdem fere verbis deſcriptum habuimus in illo claudo, quem Petrus & Iohannes ſanaverunt, Actor. 3. 2, 3. &c. Differentia ſolum in eo ſita, quod ille claudus de quo Actor. 3. ſanatus eſt ſine fide, hic vero per fidem, ille nil aliud ab Apoſtolis expetebat ac exſpectabat præter eleëmoſynam; hunc vero videbant habere fidem accipiendi ſanitatem. Quæritur quæ fides in hoc claudo fuerit perſpecta, an fides ſalvifica, an fides miraculorum tantum? *Reſp.* Non fuit fides miraculorum, quia illa non erat fides eorum, qui per miracula ſanabantur & beneficia accipiebant, ſed eorum qui miracula faciebant. Hi enim ſingulari inſtinctu Spiritus Sancti moti ad concipiendam fiducialem cupiditatem ac petitionem miracula faciendi, per hanc ipſam fiduciam miraculum à Deo impetrabant, Act. 9. 40. Fuit igitur fides juſtificans, & communis fides in Euangelium, & in Chriſtum prædicatum. Audiebat enim, inquit textus, Paulum loquentem, eique credebat. Unde textus non dicit, quod habuerit *πίστιν τοῦ ἰαθῆναι* ſeu ſanationis corporalis, ſed *πίστιν τοῦ σωθῆναι* ſeu ſervationis ſpiritualis. At ſic etiam ſanationem corporalem credidit, ea fides non fuit abſoluta, ſed conditionata, & cum ſubjectione, qualis illa leproſi, Matth. 8. 2. Si vis, & ſi conducit meæ ſaluti ac tuæ gloriæ, potes me ſanare. Sed unde Paulus ſciebat, quod hic claudus fidem haberet? Fides utique non poteſt videri. *Reſp.* 1. Ex externis ſignis cordis commoti, lacrymis, ſuſpiriis, complicatione manuum, vultu læto, &c. 2. Præcipue per Spiritum Propheticum, ſeu per revelationem ſingularem illius Spiritus, à quo ipſe excitabatur ad illam fidem, qua hoc miraculum impetravit. Sic Petrus noverat Simonem Magum, Act. 8. 21. & Ananiam. Act. 5. v. 3. quod fidem & ſinceritatem non haberent. Diſcamus hinc duo

1. Quod fides in Euangelium non tantum pro-

deſt ad impetranda ſpiritualia & æterna, ſed etiam ad impetranda corporalia bona. Sic hic claudus ſua fide non tantum impetravit ſalutem animæ, ſed etiam ſanitatem corporis. Non exſpectabat à Paulo ſanitatem corporis, ſed audiens eum prædicantem Euangelium, credebat Euangelio, & ſic non tantum ſalutem animæ, ſed etiam ſanitatem corporis obtinebat.

Object. At hinc non poteſt elici generalis Regula, quod fides in Euangelium etiam proſit ad ſanitatem corporis. Multi enim credunt in Euangelium; ſed pauci, immo nulli per hanc fidem impetrant ſanationem à morbis corporalibus. *Reſp.* Pauci vel nulli ſunt hodie, qui per fidem in Euangelium obtinent miraculoſam emendationem corporalium ſuarum difficultatum, ſed tamen quotquot credunt Euangelio, per hanc fidem conſequuntur veram & ſalutarem emendationem etiam corporalium ſuorum malorum. Non ſanantur miraculoſe per tam ſubitam ſublationem mali, quæ per naturam non fieri poteſt, ſed tamen ſanantur vere, eo tempore & modo, qui maxime utilis eſt ad ipſorum bene eſſe. Noſtrum bene eſſe non conſiſtit in eo, ne habeamus difficultates corporales. Nam cum his diſtituimur, peſſime ſæpe habemus, & miraculoſæ ſanationes corporalium malorum ſæpe magis (vitio hominum) obſunt quam proſunt, Iohan. 5. 14. Matth. 12. 43, 44. 45. Matth. 11. 20, 21. &c. Luc. 17. v. 17, 18. Sed in eo conſiſtit noſtrum bene eſſe, quod noſtra corporalia mala nobis proſunt dum durant, & ita à nobis feruntur, ut tandem finiantur & vertantur in noſtram beatitudinem. Et hoc per fidem omnes obtinent qui credunt in Euangelium. Hæc liberatio, etſi non eſt tam ſubita ac miraculoſa atque fuit hujus claudi, tamen eſt æque vera, & ſæpe magis ſalutaris liberatio. Hanc ſanationem per fidem in Euangelium obtinent omnes qui fidem habent. Per fidem enim in Euangelium Deus fit noſter Pater. Si autem Pater, paſcet æque corpus ac animam. Per fidem in Euangelium inſerimur Chriſto, ut fiamus cum ipſo unus ſpiritus & unum corpus, caro de carne ejus, & os de oſſibus ejus. Neceſſe eſt igitur ut fides noſtra æque proſit corpori ac animæ. Animet nos hoc in omnibus difficultatibus corporalibus, ſive morbis, ſive paupertate, ignominia, &c. Etſi hodie miracula non fiunt, nec nos fidem miraculorum habemus, tamen illa fides quam habemus, etiam corporales noſtras difficultates ſanabit. Sic etiamnum noſtris ægrotis licet dicere illud Chriſti, Marc 9. 23. & Luc. 17. 6. Crede modo Euangelio, & applica tibi Chriſtum prædicatum per veram fidem, & ſic non tantum habebis remiſſionem peccatorum, ſed etiam ſi vel montes corporalium difficultatum te premant, per hanc fidem eos ſuperabis & transferes ne noceant ſaluti tuæ. Applica huc illam prædictionem Chriſti, quæ eſt Iohan. 14. v. 12. Quomodo hoc verum? *Reſp.* Non tantum verum de iis qui per fidem miraculorum miracula fecerunt, ſed de omnibus in Euangelium credentibus. Sic etiam intelligendum illud Marc. 16, 17, 18. Per fidem enim omnia noſtra mala aut tolluntur; aut ſanctificantur ne noceant, Pſal. 9. 13. Chriſtus enim miracula ſua terreſtria comparat cum heroica illa pugna, lucta & victoria, quam fideles per Spiritum Sanctum gerunt & obtinent contra carnem, Sathanam, mundum, & omnes ſpirituales ac corporales preſſuras, dicitque opera hujus pugnæ eſſe majora ſuis miraculis, quod & Paulus confirmat, 1. Cor. 12. 31. & 13. 1, 2. Æſtimemus hanc virtutem fidei noſtræ, nec ſimus ut Martha Ioh. 11. 24. quæ æterna credere poterat, temporale auxilium credere non poterat.

2. Quod fides noſtra debet eſſe viſibilis. Paulus videbat fidem claudi. Noſtra quoque debet poſſe videri. At quomodo videtur quod in corde eſt? Actor. 8. 37. *Reſp.* 1. Videtur in confeſſione oris, Roman. 10. 10. 2. Videtur ex operibus ſanctæ vitæ, Iac. 2. 18. Matth. 5. 16. Non ſufficit gloriari de fide per confeſſionem oris, ſed demonſtranda fides per opera. Hoc neceſſarium. 1. Ad tranquillandam propriam conſcientiam de ſinceritate fidei dubitantem. Oſtende ipſi fructus fidei, & ſciet quod fides tua non mortua ſit, ſed vivat. 2. Ad lucrandum proximum, 1. Petr. 2. v. 12. Eſt enim exemplum trahens ad imitationem. Qui inter Reformatos de fide in gratiam Dei meram gloriantur, & per opera bona fidem ſuam non oſtendunt, illi faciunt, ut qui à doctrina Euangelii alieni ſunt, alienentur magis, & eam doctrinam calumnientur tanquam pietati contrariam. Qui autem fidem ſuam per opera oſtendunt, alios ad fidem excitant. Hæc de Miraculo. Cætera enim explicata, Actor. 3.

Sequitur abuſus hujus miraculi. 1. Apoſtolos propter hoc miraculum pro Diis habent, 2. Adducunt ſacrificia ad hos Deos colendos.

1. Ex hoc miraculo colligebant Apoſtolos eſſe Deos. Miracula certe nemo facere poteſt niſi Deus; ſed tamen in miraculis faciendis Deus ſæpe utitur miniſterio hominum, qui etiam dicuntur miracula facere, cum in *nomine Dei*, i. e. per potentem operationem

rationem Dei, fide & precibus impetratam, per externas quaſdam ceremonias vel verba procurant ut aliquid fiat præter vires naturæ. Non igitur ex miraculis recte colligitur aliquem eſſe Deum, & id tanto minus debebant, cum multa exemplaria ſic legant: ***Tibi dico in nomine Ieſu, ſurge.*** Sic Petrus Act. 3. v. 6. & 4. 10. & paſſim Apoſtoli. Chriſtus quidem paſſim provocat ad opera ſua miraculoſa & vult, ut homines propterea ſibi credant, Ioh 14. 11. Verum per hoc non cupit probare ſuam divinitatem, ſed ſuam à Deo miſſionem, Ioh. 5. 36. & ſic recta erat argumentatio Nicodemi, Ioh. 3, 2. Qui propriis viribus miracula facit, is recte concluditur eſſe Deus, ſed Apoſtoli ſemper profeſſi ſunt, ſe non facere propriis viribus, Act. 4. v. 10, 11, 12.

2. Sed quomodo poterant haberi pro Diis, quos videbant eſſe homines? *Reſp.* Putabant Deos hominibus ſimiles factos deſcendiſſe in terram ex cœlis. Frequens erat opinio apud Ethnicos, quod Dii ſæpe venirent in terram ſpecie hominum. Vide inter alias fabulam de Lycaone per deſcenſum Iovis in lupum mutato, apud Calepinum in voce *Lycaon*. Chriſtiana fides ab hac formula loquendi non eſt aliena. Nam 1. Notus eſt Angelorum, qui ſæpe *Dii* vocantur, deſcenſus ex cœlo in ſpecie humana. 2. Cum his Angelis ſæpe etiam ipſe Filius Dei aſſumptâ forma humanitatis in terras venit, Gen. cap. 18. 1, 2. & 32. 24, 25. &c. 3. Sic & metaphorice Deus dicitur *deſcendere*, cum judiciis ſuis ſe in in terra manifeſtat, Pſalm. 18, 10, 11. vel cum præſentiam ſuam ſignis quibuſdam manifeſtat, Exod. 19. 18. 1 Reg. 8. 10, 11. 4. Præſertim notabilis ille deſcenſus filii Dei, cum in utero Mariæ homo factus per 34. annos terris ambulavit, Ioh. 1 14. & 3. 15. 5. Et ille deſcenſus Spiritus Sancti in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos, Actor. 2. Nec non quotidianus ejus deſcenſus in corda fidelium. Ioh. 14. 23. 6. Denique notus ille deſcenſus filii Dei quem exſpectamus, quando cum omnibus ſuis angelis ex cœlo deſcendet uſque in nubes ad ultimum judicium 1. Theſſ. 4. 16. Matth. 24. 30. & 25. 31.

Object. Sed annon hic deſcenſus Dei pugnat cum Dei ubiquitate. Qui ubique eſt, non poteſt mutare locum & deſcendere vel aſcendere? *Reſp.* Deſcenſus Dei qua Dei non eſt mutatio loci, ſed eſt Dei quædam in terris manifeſtatio per externa ſigna & operationes, vel etiam per præſentiam humanę naturæ perſonaliter Deo unitæ. Hic deſcenſus Dei in terras debet nos ſolari contra imaginationes ſolitudinis, cum exclamamus ut eſt Pſalm. 25. 16. Non es ſolus, ſed Deus eſt tecum ubicunque es. Non relinquit te orphanum Iohan. 14. non eſt ſicut Pater qui moritur & plane deſerit. Nam 1. Manus providentiæ tecum eſt quæ te conſervat, nutrit, roborat. 2. Operatio Spiritus tibi ad eſt, qui te vivificat, te conſolatur & reficit. 3 Chriſtus corpore ſuo ad te redibit in nubibus, & videbunt ipſum oculi tui, & te transferet ad ſe, ut eſt 1. Theſſ 4. 17. Nos modo demus operam, ut fideles noſtræ preces & ſancta noſtra opera adſcendant quotidie in cœlum, ut eſt Act. 10. 4 & Deus non deſinet deſcendere ad nos, ut ſit perpetua inter nos & Deum converſatio, donec corpore & anima ad illum transferamur.

3. Non tantum generaliter pro Diis habent, ſed Barnabam pro ipſo Iove, Paulum pro Mercurio. Quot & quotuplices Deos habuerint gentiles, & quomodo regendi curam inter illos fuerint diſpertiti, longum eſſet dicere. Unum notabile, quod quidam Dii omnibus gentibus fuerint noti & crediti, quidam non omnibus. Sic ſtellę, animalia, & herbæ quæ ab Ægyptiis adoratæ, non ab omnibus gentibus colebantur. Iupiter & Mercurius illi dii, qui ab omnibus gentibus crediti & adorati. Iupiter gentibus eſt ſupremus Deus, unde dicitur *Optimus Maximus, divum atque hominum Rex*, qui cœteros Deos convocat, & in ſenatu eorum præſidet, cæteroſque Deos mittit. Mercurium ajunt eſſe filium Iovis, cujus præcipuum officium ſit, quod ſit Deorum nuncius, ac interpres, qui mittatur ad decreta Deorum hominibus annuncianda. In quibus certe fabulis aliqua adhuc veſtigia ſupereſſe videntur antiquæ veritatis de S S. Trinitate, accepta à Patribus prioris & purioris ævi. Sed quare Barnabæ nomen Iovis, Paulo vero Mercurii indunt? Quia Barnabas ſilebat, Paulus vero loquebatur, plane ſicut cum Moſes & Aaron ſimul mittebantur ad Pharaonem, Aaron loquebatur & Moſe ſilebat, indeque Moſes appellatus *Deus* & Aaron *ejus Propheta* Exod. 7. 1 Moſes erat Dei Legatus, qui habebat auctoritatem mandandi & inobedientem puniendi per miracula. Aaron erat hujus legati interpres, per quem Moſes mandata Dei Pharaoni exponebat. Sed quomodo hoc quadrat in Paulum & Barnabam, cum Paulus major Apoſtolus fuerit quam Barnabas? Non attendendum nobis quid ſecundum rei veritatem quadret, ſed quid Lyſtrenſes putaverint quadrare. Hoc enim, non illud Euangelium dicit. Secundum rei veritatem Barnabas non magis eſt Deus Pauli, quam Paulus Barnabæ, & Barnabas non minus Mercurius & eloquens interpres quam Paulus. Vide

Actor.4 36.& 11. 22. 23. 24. Secundum rei veritatem Paulus eſt Mercurius & interpres Chriſti, & Chriſtus ejus Deus, Actor.9.15. Et revera egregius Mercurius & interpres Chriſti, pro cujus donis & ſcriptis merito gratias agimus Deo.

4. Non tantum pro Diis habent, ſed & divinis honoribus afficere eos cupiunt. Sacerdos enim Iovis, qui habitat juxta templum Iovis, quod eſt extra portis, *boves & coronas*, i. e. coronatos boves adducebat ad portas ædium, ubi Apoſtoli erant, volebantque ſacrificare cum turba. Sacrificia erant dona, quæ homines hominibus dabant, præſertim quæ ſubditi Regibus, ad teſtandam reverentiam & obedientiam ſuam. Sed tamen præcipue ſacrificia ſunt ſacra dona, quæ homines ex religioſo timore iræ divinæ Diis offerebant, ad eos placandos, vel gratiam eorum impetrandam. Hic cultus Deo exhibitus inſtinctu Dei à Patriarchis ſtatim poſt peccatum, Geneſ. 4. à quibus & Ethnici hanc conſuetudinem colendi Deum acceperunt & retinuerunt, & ſacrificia Iovi, ut ſummo Deo, offerenda ex bobus erant, iiſque ſertis coronatis. Quoniam igitur Barnabam habebant pro Iove, more Iovis voluerunt eum colere. Videmus ex hoc exemplo quid ſit idololatria, & quæ ejus origo. Eſt nimirum inconſideratus & demens amor in creaturas, in quibus aliquid divini videmus lucere. Sicut homines impudici, cum vident aliquam pulchram fœminam, ſtatim eam deppereunt; ita homines à vero Deo alieni, cum vident aliquam creaturam, in qua aliqui radii divinitatis coruſcant, ſtatim eam ita efflictim depereunt, ut velint ei ſacrificare. Hinc toties per ſcortationes & carnalis amoris ſimilitudinem idololatria deſcribitur, Oſe.2.5. Ierem. 3. 1. Ezech. 16. 33. Originem carnaliſ amoris nemo poteſt ſufficienter deſcribere, Prov.30. v.19. multo minus originem idololatriæ. Hoc certum quod ſit inſania Diabolica, Ier. 50. 48. in corda hominum effuſa, ut Deo creetur dolor & ignominia. Novit enim Diabolus, quod ſicut mariti nullus major eſſe poteſt dolor, nec major ignominia, quam ſi uxor ejus conjugalem amorem transferat in alios; ita Deo nihil ægrius fit, quam ſi homines religionem & devotionem, qua ſoli Deo devincti eſſe debebant, in creaturas conferant. Quam dolendum noſtros Pontificios, qui tamen Chriſtiani volunt audire, hoc turpi igne tantopere uri, in tantum ut non ſolum Apoſtolis & aliis Sanctis in Scriptura notis, ſed etiam innumeris ficticiis & incertis ſanctis, immo notoriis nebulonibus & facinoroſis hominibus ſacrificia offerant, templa ædificent, feſta conſecrent, aras ſtatuant, imagines erigant, vota nuncupent religioſa, dona ſuſpendant, devotionem cordis, & vitulos labiorum ipſis offerant; fideciam majorem in eorum merita & interceſſionem collocent, quam in ipſo Deo & Chriſto. Proh pudor! quæ hæ ſunt maculæ Chriſtianiſmi? Quis non moveatur tam indignis facinoribus? *Except.* Nos non ſumus ſimiles Lyſtrenſibus, quia non habemus Apoſtolos pro Diis. *Reſp.* Tanto majus eſt dedecus veſtræ ſcortationis. Quod illi ex miraculo concludebant, Apoſtolos eſſe Deos, adeoq; divino honore dignos; error erat magnus quidem, ſed tamen id iſto tempore ignorantiæ facilis commiſſu. Sed quod vos, ſcientes & confitentes Apoſtolos non eſſe Deos, ſed homines nobis *ὁμοιοπαθεῖς*, tamen divino honore eos colitis, plus quam ipſum Deum quis turpitudinem hujus facinoris fatis deſcribat aut deploret? Quod vos, qui ſcitis & confitemini, Chriſtum ſuo corpore eſſe in cœlis donec redeat ad judicium, nihilominus buccellam panis dicitis eſſe ipſum Chriſtum, eumque adoratis, quis ſatis credat quam ſit turpe? Fugite filioli ab his idolis, & agite Deo gratias, quod ab idololatria liberati; habetis clarum præſcriptum Euangelii, quem & quomodo colere debeatis. Vos cum Chriſto recepiſtis conjugium ſpirituale. Hunc ſolum habetis pro veſtro marito & ſponſo, ſervate ei caſta corda, ut per eum pateat vobis aditus ad cæleſtem Patrem, huic ſacrificate 1. corpus & animam. 2. vitulos labiorum. 3. omnia quæ habetis. Cavete vobis & veſtris liberis, ne per conjugia, aut aliis modis recidant ad Papatum: ſcitis enim quantopere Deus iraſcatur idololatriæ. Vide comminationes ſecundi Præcepti. Væ noſtris Sacerdotibus Iovis, qui tanto numero inter nos graſſantur, & turbas miſeras ad hanc idololatriam ſeducunt.

Actor. 14. v. 14. 15.

CONCIO CLXIV.

Sequitur cohibitio & proteſtatio hujus abuſus, in qua tria conſideranda 1. Quibus geſtis. 2. Quibus verbis. 3. Quo fructu prohibuerint.

Geſtus ſunt v. 14. Lacerabant veſtes, inſiliebant in turbam & clamabant. Omnia hæc ſunt ſigna deteſtationis & exſecrationis, quibus nos docent Apoſtoli, quam exſecrabilis & deteſtanda res ſit idololatria, quæ non vitanda ſolum, ſed ſeveris oppoſitionibus ſupprimenda. Sic Moſes Exod. 32. 19, 20,

19,20,21. Sic Petrus Actor. 10. 26. Sic Angelus, Apoc. 19. 10. & 22. 9. Non docemus vos odiſſe idololatras, eoſque ferro & igne ac lanienis perſequi, ſicut fit in Papatu Chriſtianis, ſed tamen docemus vos odiſſe & deteſtari idololatriam, & fugere nonneceſſariam cum idololatris communionem ac familiaritatem & confœderationem, qua vel vos vel veſtri in communionem idololatriæ poteſtis implicari. Non docemus Magiſtratus noſtros idololatras enſe & igne exſtirpare & occidere, ſicut fit in Papatu contra noſtros, ſed tamen hortamur eos, ut impediant publicum & licentioſum exercitium idololatriæ, ne Deus contra nos irritetur, & terra noſtra fiat abominabilis coram Domino. Sic enim nobis Dominus mandavit Apoc. 2. v. 12. ad 21. præſertim v. 20. &. 16. Habet Deus aliquid contra vos Magiſtratus.

Verba Apoſtolorum habent 1. Compellationem: Viri 2. Dehortationem cum ratione: cur hoc facitis? Sumus homines ſicut vos. 3. Adhortationem. 4. Argumentionem, deſumptam à creatione & providentia.

I. Si cum Iudæis ipſis res fuiſſet, dixiſſent: Viri fratres, ſed hic ſimpliciter dicunt Viri, quia erant Ethnici cum quibus nec ſanguinis nec religionis communionem habebant, ſed ſolam communionem humanitatis. Legimus Luc. 10. Quod legis peritus quidam fraudulenta quæſtione Chriſtum tentans acceperit reſponſum: ut Deum & proximum diligeret Ipſe vero volens ſeipſum juſtificare, Chriſto moverit hanc quæſtionem: Quiſnam eſſet ejus proximus quem amare teneretur? Hanc quæſtionem movere hoc loco aliquis poſſet nobis, & quærere; Utrum Apoſtoli his hominibus negantes nomen *fratris*, ſimul non recuſent illis fraternum amorem? *Reſp.* Quod homines ſibi invicem obſtricti ſunt duplici vinculo, videlicet, vinculo communi humanitatis, & vinculo ſingulari religionis. Sicut autem duplici vinculo ſibi obſtricti ſunt; ita duplicem ſibi amorem debent, videlicet: τὴν ἀγάπην omnibus, τὴν φιλαδελφίαν fratribus, 2. Pet. 1. 7. Gal, 6. 10. Hæc prudenter in omnibus occaſionibus ſunt diſtinguenda, ne vel cuiquam negemus charitatem quam ipſi debemus, nec quempiam perdamus perverſa charitate quam debemus.

II. Cur hoc facitis q. d. nolite nos habere pro Diis, nec quicquam religioſi cultus nobis exhibere. Licitum eſt Miniſtris requirere ab Auditoribus honorem, 1 Timoth. 5. 17. Sed non talem honorem qui ſoli Deo competit, Hunc procul a ſe moliuntur ſi fidi ſunt, nec oblatum recipiunt, Actor. 3. 12. 1. Corinth. 3. 5. Honor religioſus ſanctis exhibitus ipſis non eſt honor, ſed ignominia. Facit enim ex ſanctis idola. Diſcant idiotæ hoc reſponſum dare Papiſtis, quiritantibus quod Sanctos non honoremus.

III. Rationem dehortationis hanc dant: ſumus enim ὁμοιοπαθεῖς ὑμῖν ἄνθρωποι. Eadem vox quæ de Elia uſurpatur, Iac. 5. 17. Homines iisdem paſſionibus obnoxii. Non tantum ſumus homines ſicut vos, ſed etiam ſumus ſubjecti omnibus iliis humanis paſſionibus & mutationibus, quibus humanum genus obnoxium eſt poſt peccatum. Non ſumus homines ſicut Adam ante peccatum, qui erat ſine paſſionibus. Prophetæ & Apoſtoli cæteris piis & Chriſtianis ſimiles ſunt in duabus rebus.

1. In malis, ſunt in peccatis concepti ſicut nos; ut patet ex Davide Pſalm. 51. peccarunt multa & gravia peccata ſicut nos, ut patet ex Petro & Paulo Matth, 26. 1. Timoth. 1. etiam poſt regenerationem ſunt imperfecti & peccatis inquinati ſicut nos, ut patet ex Pauli querela Rom. 7. ſunt denique calamitoſi & mortales ſicut nos.

2. In bono. Non enim habent pretioſiorem fidem quàm nos, ſed ἰσότιμον πίστιν, 2. Petr. 1. Fuit quidem fides eorum firmior ac major, adeoque fructuoſior in bonis operibus, & gratior Deo, ſed non dignior nec pretioſior, nec majoris meriti, ſed crediderunt per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvari ſicut & nos Officium quidem eorum fuit inſigne & eminens, ſed tamen non ſupra ſortem humanitatis. Fuerunt enim ſervi Dei & Eccleſiæ. Obſervandum hoc ad evertenda Romanæ ſuperſtitionis & idololatriæ fundamenta Nihil tam eminens in Apoſtolis vel Prophetis, quod adorationem religioſam mereatur.

IV. Dehortationi ſubjungitur adhortatio. Annunciamus vobis ut vos convertatis ab his vanis ad Deum vivum. Per vana intelligit idola gentilium, Iovem, Mercurium, ſimileſque Deos fictitios. Salomon Eccleſiaſt. 1. dicit, *Omnia quæ ſunt vana eſſe, immo ipſam vanitatem* ſcilicet omnia quæ ſunt extra Deum. Vt hoc intelligas, conſidera res vanas eſſe triplices:

1. Vana creata. Omnia quæ Deus creavit vana ſunt. *Object.* Atqui omnia quæ Deus creavit bona ſunt, Geneſ. 1. *Reſp.* Sunt bona ſed non ita perfecte bona ut carerent vanitate. Creaturæ enim omnes, etiam ante peccatum hominis, erant tam vanæ & evanidæ, ut ne ad momentum quidem per

ſe & ex ſe poſſent ſubſiſtere, niſi continuo à Deo conſervarentur. Quicquid ex nihilo factum eſt, nihil eſt, i. e. vanum & debile. Sicut ſunt ex nihilo, ita ſtatim recidunt in nihilum niſi à creatore ſuo continuo conſerventur & ſuſtententur, Pſalm. 104. 29. Iob. 4. 18. 2. Præſertim poſtquam homo peccavit, tota creatura vanitati ſubjecta eſt, Rom. 8. & adeo vana facta & impotens, ut in ſe ipſa gemat inſtar parturientis. Hinc omnes populi coram Domino vani & nihil ſunt, Eſa. 40. 17. Pſal. 62. 9, 10. Ne igitur acquieſcamus & confidamus, nec in toto mundo, nec in nobis ipſis, nec in hominibus magnatibus, ut in ipſis quidem Angelis. In his enim omnibus vanitas, ſolus Deus ſine vanitate, & ſolus poteſt reddere tutos & quietos. Ne igitur quieſcamus, donec Deum ipſum habeamus. Nam ſi vel totum mundum habeas, nihil præter vanitatem habes, Pſal. 118. v. 8. 9. Pſal. 146. 3.

2. Vana facta per humanam artem. Præter ea quę à Deo creata ſunt, homo ſua induſtria & arte multa parat ad ſe defendendum, ornandum, honorandum, ſuſtentandum, recreandum, ſanandum, quæ valde bona ſunt, & tamen omnia vana. Sic *omnes cogitationes hominis vanas eſſe* dicitur Pſal 94. 11. Sic Salomon de ſuis operibus teſtatur, Eccleſ. 2. 11. ſtudebat ut eſſet Sapiens c. 1. 16, 17, 18. ædificaverat palatia, plantaverat arbores & hortos & vineas, foderat piſcinas, comparaverat ſervos, aurum, argentum, Muſicos, cantores & cantatrices, & dicit ſe expertum eſſe, *Omnia iſta eſſe vana.* Cur vana? Vtiq; licita & ſæpe neceſſaria? *Reſp.* Vaneſcunt 1. Quia raro parantur ſine falſitate, fraude & mendaciis, ac varia injuſtitia, unde plerumque Vanitas & Falſitas in Scriptura conjunguntur, Prov. 30. 8. unde vocantur *injuſtus Mammon* Luc. 16. 9, 11. 2. Quia non poſſunt animum reddere quietum & contentum. Prębent aliquando aliquid contentationis ac delectationis, ſed id exiguum, breve & inconſtans eſt, ſicut quod crepændia & pupu præbent pueris, & præſertim tempore adverſitatis, calamitatis, morbi & mortis nullum plane præbent ſolatium. 3. Quia non pariunt niſi tædium & moleſtiam, non enim comparantur nec conſervantur niſi magnis curis & laboribus, quæ animum lacerant & corpus conterunt, Eccleſ. 1. 17. 18. & 2. 11. Vtinam noſtri homines diſcerent credere experto Salomoni, quod omnia illa opera, quæ tanto conamine faciunt, ad ſeſe deferendos, ſanandos, honorandos glorificandos, recreandos, delectandos, eſſe meram vanitatem. Verum non credunt, ſed dicunt: ſi Salomon expertus eſt, ego quoque experiar, & ubi expertus fuero, tum etiam fiam Eccleſiaſtes, & prædicabo vanitatem noſtrorum operum, atque exclamabo: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*: ſed heus, amici, omnes poſſunt hoc experimentum ſuſcipere, ſed non omnes poſſunt ſuſtinere, ſed plerique ſuffocantur & pereunt antequam per hanc propriam experientiam ſapiunt. Salomon toto corde ſe applicuerat ad vanitates mundi ſectandas, ut ex iis delectationem caperet. Singulari Dei gratia ipſi contigit, ut tandem percepta horum factorum vanitate, rediret ad veram ſapientiam, quæſiturus quæ ſupra ſunt, & non quæ in terris. Verum hæc ſingularis gratia Dei non omnibus contingit, ſed plerumque & juſte negatur iis, qui tanto cum ardore contra omnes bonorum admonitiones ſectantur & quærunt vanitates mundi. Talibus, inquam, plerumque & juſte negatur gratia Dei revocans ac refrænans, ut in vanitatibus ſuis indurentur, ut nunquam cum pœnitentia vera ab his vanitatibus reſipiſcant, quantumvis diu vivant ſed pereant ac moriantur ſtolidi ac vani ſenes. Verum quidem, quod opera quæ homines ſuſcipiunt ad ſe defendendos, curandos, ſanandos, ſuſtentandos, recreandos, honorandos non ſunt omni modo illicita, ſed ſæpe factu neceſſaria, ſed tamen, quia vana ſunt, facienda ſunt cum maxima cautela, ſollicitudine de moderatione, ut non fiat niſi quod eſt juſtum, neceſſarium, utile, & veræ ſapientiæ, qua ſalus animæ curatur minime contrarium. Curæ & voluptates hujus mundi ſunt vanum, inconſtans & impetuoſum mare. Hoc mari homo quidem indiget ad vitam ſuam ſuſtentandam, defendendam, recreandam, &c, ſed non debet ſe audacter & periculoſe projicere in medium mare, ſine cura, ſed ſollicite debet legere littus, ut neceſſaria refectione ex mundo percepta, vanitatibus mundi non pereat. *Debet mundo uti, ut non abutatur*, 1 Cor. 7. i. e. debet mundanas curas ac delectationes ſectari, quantum ſtare poteſt cum vera humiliatione cordis, cum vera docilitate, cum timore Dei, cum diligenti cura Chriſtianiſmi ac vocationis. Qui ſic in vanitatibus mundi verſatur, is in media vanitate vanus non erit nec ſtultus, ſed ſapiens ad ſalutem. Præſertim non feramus eos, qui ſunt magiſtri vanitatis & ſtultitiæ, ad docendam alios vanitatem. Cor hominis fraudulentum & vanum eſt à juventute, & ad inveniendas res vanas ac malas plus ſatis aptum ac edoctum, & per multam prædicationem verbi divini hanc vanitatem vix dediſcit. Quàm abominabile igitur eſt, Magiſtratus in publicis plateis erigere & ſæpe

ſæpe magnis ſumptibus ſuſtentare ſcholas vanitatis, in quibus juventus in omni vanitate roboretur. Textus dicit: *Convertimini à vanitate.* Si vani eſtis, imo ſi vanitatis magiſtri antiſtites, nondum eſtis converſi. Quod ſi non eſtis converſi, qui vocamini Chriſtiani, qui acceditis ad Cœnam Domini? qui poteſtis beate mori? Nonne mirum eſt Spiritum vanitatis ac ſtultitię tantum habere auctoritatis in cordibus eorum, qui volunt ac debent eſſe ſapientes? Pſalm. 119. 37.

3. Vana ficta. Quod homines non poſſunt facere, ſaltem volunt fingere. Non diffiteor figmenta & fabulas excogitatas habere ſuum uſum in docendo, tanquam parabolę & ſimilitudines, ſed hoc peſſimum eſt, quod homines figmenta ſui cerebri tam perdite amant, ſicut mater infantem quem peperit. Præcipue quod figmenta proprii cerebri Deos faciunt, & loco Dei colunt, vel quod ſibi ipſis excogitant modum colendi Deum, eumque majoris æſtimant, quam illum quem Deus in verbo ſuo requirit. Hęc illa vanitas, immo ſtultitia, de qua proprie agitur hoc noſtro textu, & de qua Paulus agit, Rom 1. 21, 22. Deo ſervire ſecundum Euangelium in Scriptura revelatum, ſapientia; ſed vel alios Deos ſibi fingere, vel alium modum Deum verum colendi inventare, quam Deus præſcripſit, ſtultitia eſt & vanitas. Falſa religio vanitas eſt & ſtultitia, Matth. 9. Coloſſ. 2. 18. Patet 1. ex religione Philoſophorum, qui omnia placita religionis ſuperbe revocant ad normam humanæ rationis, & nunquam ceſſant movere quęſtiones, nec acquieſcunt in iis quæ verbum revelavit. Hi vere vani ſunt ac ſtulti. 2. Tim. 2. v. 13. 1. Tim. 6. 2. 4. 2. Ex religione Phantaſtarum ſeu Enthuſiaſtarum, qui rejecto verbo revelationes captant. Hi plane ſunt ſtulti, ut nihil tam ſtultum & abſurdum quod ſibi non imaginentur & ſomnient. Præſertim cum phantaſticis imaginationibus accedit deluſio Diabolica. 3. Ex religione idololatrarum. Hi vere ſtulti. Vide Eſa. 44. 9. ad 20. Hinc hæc religio comparatur cum furioſo amore ſcortatorum, Ierem. 50. 48. ſic religio Pontificia vere eſt vana, ſtulta & ridicula religio, ſimilior luſui hiſtrionico quam cultui divino. Quis enumeret omnes vanitates hujus religionis? Aſpice abominabilia figmenta & cęremonias Miſſę, veſtitum Sacerdotum, cultum imaginum & Sanctorum reliquiarum, excogitata pharmaca contra peſtem, morbos, &c. Qui tali vanitati addictus eſt, non eſt converſus Chriſtianus, ſed opus habet ut ſe convertat, & ex ſtolido fiat ſapiens ad ſalutem. Hæc vera ſapientia, ut abnegata humana ratione & auctoritate humana, ſtricte adhæreamus verbo Dei ſcripto, illudque interpretemur & intelligamus ſecundum indubitatos revelatę fidei articulos. Qui ſic facit, ſapiens eſt ad ſalutem, 2. Timoth. 3. Nos quoque olim eramus amentes, &c. Tit. 3. 3. Fuimus enim Gentes vanæ, fuimus Pontificii vani ac cœci. Quod hanc ſtultitiam deſeruimus, non eſt tribuendum noſtræ ſapientiæ, ſed gratiæ Dei, qui nos ab his vanis convertit ad Deum vivum, vide 1. Petr. 2. 18, 19. Huic agendæ gratiæ, & digne ambulandum luce ad quam vocati ſumus.

V. Notabile autem quod non dicit: Mandamus vel hortamur ut convertamini, ſed Euangelizamus ut convertamini. Converſionis mandatum eſt Euangelium ſeu lætum nuncium. Multis hominibus Euangelium hoc tantum eſt, ſi annuncies remiſſionem peccatorum, vitam & cœlum; ſed ſi nuncies quod debeant ſe convertere, triſte hoc ipſis nuncium eſt, & nequaquam Euangelium, Matth. 19. 22. Mandatum tamen converſionis eſt pars Euangelii, & ſapientes hoc nuncium habent pro Euangelio, & qui ad converſionem hortantur, ſunt Doctores vere Euangelici. Eſt enim converſio via ad lætitiam, & eſt res quam cor bonum deſiderat, appetit, ſitit, eſurit plus quam quicquam aliud. Eſt enim ſignum cordis minime boni, ſi concionibus paræneticis non afficeris, ut alacriter curras, ſed triſtaris & indignaris, ac grunnis inſtar ſuis. Vide Pſal. 141. 5.

Actor. 14. v. 15, 16, 17, 18.

Concio CLXV.

Vidimus in hac Concione compellationem, & dehortationem cum ratione. Cœpimus etiam explicare Adhortationem, inque ea. 1. Quid intelligat per res vanas. 2. Cur dicat: ſe converſionem à rebus vanis Euangelizare. Reſtant duo in hac Adhortatione explicanda antequam ad argumenta hortationis tranſeamus.

I. Rebus vanis opponit Deum vivum. Res vanæ, quibus hominum corda adhærent, ſunt creatæ, vel factæ, vel fictæ, ſed Deus eſt vivus. Hoc Epitheton Dei opponitur.

1. Idolis, ſeu fictitiis diis & deabus Ethnicorum, Iovi, Mercurio, Iunoni, Marti, Veneri, &c. Quod enim non eſt, non vivit. Ethnici colebant nihil & non ens, 1. Corinth. 8 4. & 10. 19. 1. Sam. 12. 21. Cur idolum dicitur nihil? Ethnici adorabant Solem, Lu-

Lunam, Stellas, mortuos homines & heroas. Atqui hæc omnia non erant nihil, ſed vera entia. *Reſp.* Idolum nihil tale, quale ſibi imaginabantur. Imaginabantur ſibi in idolis aliquid divinum. At nihil divini erat in illis. Totum illud divinum quod ſibi in idolis imaginabantur, erat fictum, & à Diabolo ipſorum animis perſuaſum, unde qui idola colebant, dicuntur Diabolos coluiſſe, 1. Corinth. 10. 19 Levit. 17. 7. Deuter. 32. 17. Quia Diabolus hoc fine has imaginationes de creaturis, hominibus inſpiravit, ut religionem eorum ac devotionem in ſe derivet Sicut idola Ethnicorum nihil divini habebant, ſed tota imaginatio divinitatis erat Diabolica inſpiratio; ita cultus idolis exhibitus nihil erat, i.e. nullus cultus in Deum tendens, multo minus Deo gratus, ſed erat adoratio Diabolorum, qui has imaginationes hominibus inſpiraverant.

2. Imaginibus. Ethnici prudentiores ſciebant diſtinguere inter Deos & imagines. Imagines manu factas non habebant pro Diis, ſed pro Deorum ſimulacris, per quę colebant Deos, ſicut & hodie Pontificii faciunt. Sed non obſtante hac ſubtili diſtinctione, quam plebs non capit, ſed ligna colit ac Deos, Eſa. 44. 17. Scriptura nos dehortatur à cultu imaginum hoc argumento, quia non ſunt viva. Vide Pſal. 115. 4, 5, 6, 7.

3 Sanctis cœlitibus, quos adorat Papatus. Etſi inter hos multi ſint mere fictitii, de quibus non conſtat, quod unquam vixerint, tamen plerique ſunt tales, de quibus conſtat quod vivant in cœlis, & fruantur gaudio Domini. Et tamen ab horum cultu nos quoque dehortatur textus hoc argumento, quia non ſunt vivi. Sancti in cœlo non vivunt 1. apud nos, ut noſtras preces audire, & cultum noſtrum videre & exaudire poſſint, Eſa 63. 16. 2. non habent vitam quam nobis dare poſſint, nec ulla merita, quibus vitam nobis impetrare poſſint, nec ullam vim & virtutē, qua vitam in nobis operari poſſint, cum omnem vitam, quam habent, habeant ex mera gratia Dei propter merita Chriſti. Quis autem non plane inſanus religionem & devotionem ſuam offerat iis, à quibus vitam accipere nullo modo poteſt, Eſa. 55 2, 4. Deo Iudæorum, Turcarum & Socinianorum hæreticorum. Iudęi, quamvis ante captivitatem Babylonicam ad idololatriam proclives, tamen poſt eam nec idola nec imagines habuerunt & coluerunt, nec ullos ſanctos homines adorarunt. Turcæ nec idola habent, nec ſanctos adorant, ne ipſum quidem Mahumedem, nec imagines in templis ferunt, ſed propter imagines Chriſtianos maxime oderunt. Sociniani hæretici, nec idola nec imagines, nec Sanctos colunt ullos, unde hi omnes gloriantur, ſe colere Deum vivum, qui fecit cœlum, terram & omnia quæ in iis ſunt, &c. An verum hoc? Nequaquam, quia colunt Deum ſine Filio & Spiritu Sancto. Deus ſine Filio & Spiritu Sancto non eſt Deus vivus. Nam 1. in eo conſiſtit vita Dei, quod Filium generat, & cum Filio Spiritum S. ſpirat & ex ſe procedere facit, Iohan. 5. 26. *Pſal.* 33. 6. Sicut ceſſante halitu oris ceſſat vita; ita ſi *Deus Spiritum* non ſpirat ex ſe, non vivit. Qui hanc generationem & ſpirationem negat, vitam Dei negat. 2. Deus ſine Filio & Spiritu Sancto non vivificat. Deus ideo dicitur Deus vivus, quia omnia vivificat, 1. Timoth. 6. 13. Actor. 17. 25. At quomodo Deus omnia vivificat? Per Filium & Spiritum Sanctum. Nam 1. per Filium & Spiritum Sanctum in prima creatione omnibus dedit vitam & eſſentiam, Ioh. 1. v. 3, 4. Geneſ. 1, 2. 2. Per Filium & Spiritum S. omnibus in peccato mortuis & à vita Dei alienis reparat vitam ęternam & ſpiritualem. Hinc Filius *Panis vitæ*, qui merito ſacrificii ſui nobis vitam acquiſivit, & in ultimo die nos ad vitam ęternam excitat, Iohan. 6. 33. 35. 39. 40. Et Spiritus Sanctus nos regenerat ad novam vitam, & eſt in nobis fons vivus ſaliens in vitam æternam Iohan. 3. & 4. Qui negat hanc vivificationem per Filium & Spiritum, is negat Deum vivum, & non colit Deum vivum ſed idolum, ſeu Deum imaginarium & fictitium qui non eſt. Illi igitur ſoli converſi ſunt ad Deum vivum, qui colunt Deum Patrem generantem Filium, & cum Filio producentem Spiritum Sanctum, & qui à Deo Patre per meritum Filii ac efficacem operationem Spiritus Sancti exſpectant vitam æternam. Hoc myſterium Chriſtianiſmi, quod nobis revelatum eſt in Scripturis Sacris, quod nos ſeparat ab idololatris, & facit Chriſtianos. *Vide Iohan.* 5. 21, 22, 23. 1. Iohan. 2. 23 Luc. 12. 9. 2. Tim. 2 12.

II. Non hortatur tantum, ut nos convertamus ad Deum vivum, ſed, ut à rebus vanis convertamur ad Deum vivum. A rebus vanis ſe avertere, & ad Deum vivum ſe convertere, vera demum converſio eſt. Samaritani, plagis vivi Dei Iſraelis preſſi convertebant ſe ad Deum vivum Iſraëlis colendum. Sed non avertebant ſe à diis Ethnicis, quos coluerant antea, 2. Reg. 17. Hæc non erat vera converſio. Pontificii gloriantur ſe baptizatos in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti; ſe credere in Filium Dei & ejus merita ac ſatisfactiones, & ſacrificium ejus propitia;

piatiatorium; ſe credere in Spiritum Sanctum & ejus operationem. Sed interim non avertunt religionem & devotionem ſuam à Sanctis & Imaginibus, ſed multiplici cultu eos venerantur, etiam plus quam ipſum Deum; nec avertunt fiduciam ſuam à meritis Sanctorum, à meritis propriorum operum, à libero arbitrio, à ſacrificio Miſſæ, ſed in has res vanas confidunt plus quam in unicum ſacrificium Filii Dei in cruce peractum. Hæc non eſt converſio, ſed tales adhuc ſunt inconverſi, & vel nomine Chriſtianorum indigni. Sic homines carnales & mundani, qui Reformatis Eccleſiis ſe immiſcent, gloriantur ſe colere Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, & credere in unicum ſacrificium propitiatorium mortis Chriſti in cruce, frequentare templum, uſurpare Sacramenta, dare eleëmoſynas, timere & invocare Deum, &c. Sed interim ſe non avertunt à rebus vanis ſcilicet peccato & mundo, ſed adhærent ebrietati, avaritiæ, ambitioni, luxuriæ, fornicationi, injuſtitiæ, mendacio, &c. Separant quæ Deus conjunxit, utuntur baptiſmo & non cœna, precantur ore & non corde, ſerviunt Deo in ſecreto, abnegant in publico, unum peccatum deſerunt, alteri præfracte adhærent. Hæc non eſt converſio. Convertere enim eſt à rebus vanis ſe avertere, & tum ad Deum vivum convertere. Non poteſtis ſervire duobus Dominis, Matth. 6. Non poteſtis participes eſſe menſæ Diabolorũ & menſæ Dei, 1. Cor. 10. Non eſt claudicandũ inter Deum & mundum ac idolum, 1. Reg. 18. 21. Non debetis eſſe δίψυχοι Iacob. 4. Tales enim nec frigidi, nec fervidi ſunt, adeóque Domino ſunt abominationi, Apocal. 3. v. 15, 16. Et qui non ita Chriſtum ſequitur, ut propter Chriſtum omnia deſerat, non eſt eo dignus, Matth. 10. 34. 38. Qui Deum non diligit & colit toto corde & omnibus viribus, idem facit ac qui non diligit, nec colit. Ne decipite vos ipſos, putantes vos eſſe converſos cum non ſitis, Iac. 1. 26. *Object.* Quomodo nos poſſumus in mundo vivere & peccatum in nobis vivere, & tamen nos à mundo & peccato ita convertere, ut nihil commune habeamus cum mundo & peccato? *Reſp.* Cur hoc foret impoſſibile? Annon poteſt peccatum eſſe in noſtro corde, & tamen cor noſtrum peccatum averſari ac odiſſe? Annon poſſumus vivere in medio mundo, & tamen hunc præſentem mundum non amare, ſed eo ita uti, ut non abutamur? Annon poterat Adam vivere in Paradiſo, & tamen non edere à vetito fructu Paradiſi, Gen. 3? Annon Loth vivebat inter impios Sodomitas, & tamen averſabatur eorum im puritatem, 2. Petr. 2. 7. Vivit quidem peccatum in fidelibus, & fideles vivunt in mundo, ſed tamen fideles habent cor, quod peccatum odit & mundum contemnit, & ſic averſi ſunt à peccato & mundo, & peccato atque mundo quaſi tergum obvertunt. Magnum eſt diſcrimen inter converſos & inconverſos. In utriſque vivit peccatum, utrique vivunt in mundo. Sed illi peccatum oderunt ac mundum contemnunt, hi peccatum ac mundum perdite amant & ſequuntur. Illos peccatum & mundus ſequuntur, ſectantur, perſequuntur, corripiunt & proſternunt: ſed hi peccatum ac mundum toto corde ſectantur, & cæteros nolentes ac tergiverſantes ſecum trahere ſatagunt, 1. Petr. 4. 4. Videamus igitur ut converſio noſtra ſit vera converſio, ne in vanum laboremus.

Sequuntur argumenta quibus movet ad obedientiam hujus adhortationis, ut ſcilicet ſe convertant ab idolis ad Deum vivum. Prius argumentum deſumptum eſt à creatione. Solus creator meretur adorari. Non adorandus quem tu feciſti, ſed qui te fecit. Hoc jus creationis, quod omnes homines obligat ad Deum colendum, Eccl. 12, 13. 1. Petr. 4. 19. Prov. 16. 4. Mal. 2. 10. Indigniſſimum quod homines creaturam, immo propriam facturam plus colunt quam creatorem. Rom. 1. *Object.* Si creatio obligat ad legis divinæ obedientiam, cur non creatio, ſed eductio ex Ægypto ſubſternitur legi tanquam fundamentum? Exod. 20. 2. *Reſp.* In iſtis verbis creatio non excluditur. Cum enim dicit: *Ego ſum Deus tuus*, intellige, qui te creavit. Quoniam tamen lex ibi non fertur homini integro, ſed lapſo ac miſero, additur alterum fundamentum obedientię erga legem, videlicet liberatio ex ſervitute corporali & ſpirituali. Itaque jam per creationem & redemptionem obligamur ad colendum Deum vivum. Ego ſum Dominus, ego ſum tuus Deus, ego ſuum tuus Deus qui te eduxi. Infinita Divinæ eſſentię ὑπεροχὴ, creatio noſtri, & redemptio noſtri ſunt tria fundamenta quæ nos obligant ad Deum vivum colendum. Si natura de creatione cœli & terræ hic vellem tractare, explicandum quamdiu ſit quod Deus omnia creavit, quo ordine creaverit, quæ creaturarum præcipuæ, quo fine creatæ, &c. Sed hæc ſunt noſtra Catechetica.

Alterum argumentum deſumptum eſt à providentia. Is quærendus & colendus eſt, qui vos non tantum creavit, ſed etiam conſervat, alit, qui vobis bene facit ex cœlo, dans pluviam & fœcunditatem, implens vos cibo & gaudio. Nõ tantum cibum dat,

 ſed

ſed & gaudium, i.e. non tantum quę ad neceſſariam ſuſtentationem, ſed etiam quæ ad refectionem faciunt. Non tantum dedit cibum, ſed etiam cibo benedixit, ut cederet in ſanitatem & hilaritatem corporalem. De corporali enim gaudio hic agitur. Hoc etiam efficax argumentum ad colendum Deum. Vide Pſalm. 147. v. 7, 8, 9. 12, 13, 14. Deuter. 8. 10. Hoſ. 2. 7, 8. Hoc argumentum nobis meditandum, quoties edimus & bibimus. Si non facimus, ſumus pejores beſtiis, Eſa. 1. 3. Pertinet hic locus ad doctrinam de providentia, & probat quod Catechiſmus noſter docet Quæſt. 27.

Hoc autem valde notabile, quod hoc argumentum, à providentia Dei deſumptum proponitur antithetice. Sivit quidem Deus gentes ire ſuis viis, ſed tamen non reliquit ſe *ἀμάρτυρον*. Hoc fit ad occupandam objectionem. Vis nos, poſſent objicere, hortari ut deſinamus ſacrificare Mercurio, Iovi & cæteris Diis? At hoc omnibus præteritis ſæculis ita factū in his terris. Reſpondet Paulus: Factum quidem hoc, ſed non ex conſilio Dei, nec ſecundum ejus voluntatem. Deus enim, etſi præcedentibus ætatibus gentes ire ſivit ſuis viis, tamen ſuis quotidianis beneficiis aliter eos erudiit. Ex beneficiis enim cœlitus ad vos quotidie deſcendētibus debebatis & facile poteratis concludere, quod non viveretis virtute lapidum & lignorum, nec demortuorum hominum, quos adoratis, ſed virtute Dei, qui à nemine conditus condidit omnia, etiam illa, quæ vos adoratis, & quod propterea non debebatis colere ligna, lapides & demortuos homines, ſed Deum vivum, qui hæc omnia condidit. Videntur hæc duo pugnare: Deus ſivit gentes ire ſuis viis, & non paſſus eſt ſe *ἀμάρτυρον*, Si de ſeipſo inter gentes teſtatus eſt, quomodonam ſivit gentes ire ſuis viis? *Reſp.* 1. Sivit gentes ire ſuis viis, quia non revelavit ipſis Euangelium, nec dedit Spiritum Sanctum, per quem converterentur ad Deum. Hoc enim ſoli Iſraeli fecit, & nullis gentibus, Pſalm. 147. 19, 20. Tulit Deus ut gentes ſervirent ſuis libidinibus, & religioni indulgerēt quam ſibi ipſis finxerant. 2. Sed tamen teſtatus eſt de ſe inter gentes, quia multa corporalia beneficia ipſis exhibuit, ex quibus debebant & poterant concludere, ſe non debere ſervire lapidibus, lignis, aſtris & hominibus mortuis, ſed illi Deo vivo, à quo hæc beneficia accipiebant. Etſi gentibus Euangelium non dabat, dabat tamen illis lumen naturę, inviſibilem & infinitam ſapientiam & potentiam ob oculos ipſis ponebat in operibus creatis, & quotidianis beneficiis, ex quibus facile perſpicere poterant, illas creaturas, quas ipſi adorabant, non eſſe illum Deum vivum, quem adorare debebant, quippe qui non habitet in templis manufactis, nec manibus hominum ſerviatur, nec quaquam re indigeat, cum ipſe omnibus det vitam & halitum, & proinde de vero Deo debebant inquirere, ſi forte eum palparent & invenirent, Actor. 17. 24, 25, 26, 27. Hic jam quæritur; An hæc teſtificatio Dei inter gentes per lumen naturæ, & quotidiana beneficia corporalia fuerit ſufficiens auxilium gratiæ, per quod gentes potuerint ad cognitionem Dei pervenire, & ſe ad Deum convertere, vel ad minimum gratiam converſionis à Deo impetrare? Ieſuitarum & Pelagianorum Schola vehementer hoc affirmat. Nos dicimus; hanc teſtificationem fuiſſe ſufficientem ad omnes homines obligandos, ut Deum verum quærerent, nec non ad eos convincendos, quod male agerent ſerviendo creaturis, ſed non credimus fuiſſe ſufficientem ad verum Deum inveniendum & recte agnoſcendum. Nemo enim hoc poteſt, niſi cui filius Dei per verbum Euangelium hoc vult revelare, Matth. 11. 27. Et ad veram cognitionem Dei nihil ſufficiens eſt, niſi prędicatio Euangelii & regeneratio Spiritus Sancti, qui Ethnicis non contingit, nec per ullam promiſſionem Dei alligata eſt lumini naturę & ejus bono uſui, ſed diſpenſatur ſecundum merum Dei beneplacitum. Nos hoc ſolum inde diſcamus: Si gentes per lumen naturæ, & per ſola corporalia beneficia à Deo accepta obligati fuerunt ad Deum vivum quærendum, & convicti de ſua idololatria & impietate, quanto magis nos obligamur & convincimur, qui teſtificationi Dei per Euangelium non paremus. Vide Matth. 21. 41, 42. Hic verus uſus ex hac doctrina trahendus, non autem inanis cavillatio de ſufficiente gratia Ethnicis data. Precamur Deum, ne nos ſinat ire noſtris viis, ſed nos ducat & cuſtodiat Spiritu ſuo Sancto. Nam ſi nobis relinquimur, etiam poſtquam ad agnitionem veritatis vocati ſumus, viam noſtram iterum corrumpimus, & à veritate ad vanitatem deficimus, & poſtea plane tradimur in poteſtatem Diaboli, ut ſenſu reprobo ejus laqueis trahamur ad perniciem. Precemur igitur illud Davidis, Pſalm. 119. 176. Pſalm. 139. 24. Non eſt pugnandum & diſputandum pro libero noſtro arbitrio, ſed precandum contra illud tanquam hoſtem, ne ejus poteſtati permittamur.

Reſtat ſucceſſus hujus impeditionis *Talia loquentes vix impediebant turbam ne ſacrificaret.* Apparet hic 1. Quam difficulter homines a pecca-

tis

tis conſuetis arceantur. 2. Quanta culpa incumbat iis, qui quotidianis concionibus & adhortationibus non poſſunt emendari. Hi duri & idololatriæ aſſuetiſſimi Ethnici una concione tandem licet difficulter, adacti ſunt, ut idololatriam hanc non exercerent, at vos tot concionibus non poteſtis adigi ut dimittatis ebrietatem, &c.

Actor. 14. v. 19, 20, 21.

CONCIO CLXVI.

NOn deeſſet nobis materia immorandi diutius verbis illis, quæ in fine ultimæ concionis breviter perſtrinximus, quod Deus antecedentibus temporibus gentes ſiverit ire ſuis viis, & tamen ſe illis teſtatus ſit. Hic enim latiſſime vexanda foret illa quæſtio, de univerſali gratia omnibus hominibus data, in qua tantopere deſudant turbatores Eccleſiarum Reformatarum in his oris. Sed ſcitis quod nos ſoleamus noſtras conciones formare non ad litigioſa colloquia, ut loquitur Paulus, Rom. 14. v. 1. Sed ad ædificationem, quæ non magna oriri poteſt ex aſſertione univerſalis gratiæ, ſi vel evinci poſſet. Nos illud modo ſerio à Deo precemur, ne nos ſinat ire noſtris viis, ſed Spiritu Sancto nos trahat & ducat efficaciter. Nam ſi noſtro conſilio & arbitrio relinquimur, quantumcunque Deus inter nos de ſe teſtetur, ſive per lumen & opera naturæ, ſive per externam Euangelizationem gratiæ, omnia erunt fruſtranea. Videmus enim & hodie, quod Deus non tantum per lumen naturæ, & corporalia beneficia, ſed etiam per externam vocationem Euangelii inter nos teſtetur de ſe, docendo, hortando, minando, rogando tempeſtive, intempeſtive, & tamen tam multi ſunt, qui incedunt ſuiis viis & in iis pereunt. Quænam, quæſo, ſufficientia, aut quæ utilitas ad ſalutem in illa gratia, cum Deus quidem de ſe inter nos teſtatur, ſed tamen nos ſinit ire noſtris viis? Sed ſi regamur per efficacem operationem Spiritus S. tuti ſumus contra omnes internas & externas tentationes. Hanc igitur precemur nobis & liberis noſtris & quibuſcunque bene cupimus, quod & plus eis proderit, quam ſi multum ipſis diſputemus de univerſali gratia.

Sequitur nunc quarta & ultima pars eorum, quæ Paulo ac Barnabæ Iconii contigerunt, ſcilicet acerba perſecutio. De hac perſequutione tria habet textus 1. Qui perſequutores. 2. Quæ ſpecies perſecutionis. 3. Quis perſecutionis eventus.

I. Turba gentilis perſequuta eſt Apoſtolos, ſed ſuaſu Iudæorum.

1. Illa ipſa turba perſecuta eſt, quæ paulo ante ſacrificare ipſis volebat. Exemplum mobilis vulgi, populus ut aqua facile movetur, quæ cauſa eſt quod Eccleſiæ & Reſpublicæ tum facile poſſunt concuti & turbis impleri. Sicut in paſſione Chriſti, qui clamabant; *Hoſanna, Hoſanna*, mox clamabant: *crucifige, crucifige*. Tales ſunt omnes qui non habent corda in veritate radicata & ſtabilita. Circumferuntur omni vento doctrinæ, & nihil tam flagitioſum, ad quod patrandum non poſſint perſuaderi, ſi nanciſcantur idoneos ſuaſores & inſtigatores. Noſtra plebs ſtudeat veritatem recte diſcere, & agnitam ſincere amplecti, ut contra hæreſes & ſeductiones ſint immobiles, 1. Corinth. 15. 58. Qui tales non ſunt, facile ſeducuntur, 2. Petr. 2. 14. Precemur ſæpe votum Petri, 1. Petr. 5. 10. Davidis, Pſalm. 119. 133.

2. Defenſores veritatis non habent acriores hoſtes quam Apoſtatas. Gentes veritatem nunquam agnoverant, & non eſſent perſecuti Apoſtolos, niſi inducti fuiſſent ſuaſu Iudæorum, qui à veritate Euangelii, Patribus ipſorum tradita, defecerant. Hi non contenti ex ſuis urbibus expuliſſe Apoſtolos, ſequuntur eos in alias urbes, ut animum expleant, quod propter Apoſtolorum fugam in propria civitate non potuerunt. Sic olim Edomæi graviores perſecutores Iſraëlis, quam cæteræ gentes, Pſal. 137. v. 7. Sic Arriani acerbius perſequebantur Chriſtianos quam Ethnici. Caveamus Apoſtaſiam. Qui hanc committit, perſecutor fit juſto Dei judicio. Sic hodieque apoſtatici Sacerdotes in Papatu, quibus crimen Apoſtaſiæ expreſſe impingitur, 2. Theſſ. 2. 3. 1. Timoth. 4. 1. graviſſimi Eccleſiæ hoſtes, qui plebem & principes ſeculares incitant ad perſecutiones, à quibus alioquin tantopere non foret metuendum. Hi folles ſunt quibus Diabolus efflat virus perſecutionis & acerbitatis in corda aliorum. Ne à Turcis quidem tantum nobis metuendum atque ab his. Videant Magiſtratus noſtri, quos angues in ſinu foveant.

II. Species perſecutionis fuit lapidatio. Lapidatus eſt Paulus & non Barnabas, quia propter ſermonis excellentiam magis erat exoſus. Qui optima habent dona, plurimos habent hoſtes. Lapidatus eſt, etſi non ad mortem. Atque hæc ſine dubio illa lapidatio, de qua 2. Cor. 11. 25. Iconii quidem propoſuerant lapidare, ſed Paulus fuga ſibi conſuluit, Act. 14. 15. Malum quod multis viris Sanctis contigit. Moſi fere

Sed cum fratrem liberare probabiliter potes, non debes tibi parcere propter pericula, ſed cum fide in Deum facere, quicquid cum juſtitia & vocatione tua conſiſtere poteſt. Si hæc doctrina mihi foret applicanda, quantam haberem ſegetem ac materiam? Quot jam ſunt lapidati Pauli, quot omnino egentes fratres & Eccleſiæ, qnibus ſuccurrere nos poſſemus, ſi non nimium nobis parceremus, ſi non nimium pericula timeremus. Communis nunc eſt quæſtio: Quid faciendum nobis pro exteris Eccleſiis, quæ propter religionem perſecutionem patiuntur, an earum cauſa bellum ſuſcipiemus, & nos periculis ipſorum miſcebimus? Non miſcebo me quæſtionibus ad regimen Politicum pertinentibus, quamvis & hoc debet adminiſtrari ſecundum Scripturæ præſcriptum, & cum ſacrificuli Romani ſuos Magiſtratus tam impetuoſe urgeant, ut Eccleſias puras evertant, quidni nos noſtris quoque aurem ſubinde vellicemus, ut eas defendant. Interim, ut dixi, Politicis me non nimis immiſcebo, ſed hoc meum eſt officium, hortari ſingulos, ut nemo noſtrum in tantis fratrum periculis ſit ſine cura & ſollicitudine, utique ad minimum illam ipſis opem non negemus, quam ſine periculo præſtare poſſumus. O quot ſunt exterius fratres & ſervi Dei, cum fame ad mortem uſque conflictantes, quorum vitam eleëmoſynis noſtris ſervare poſſemus, ſi vellemus? Sed nos opes noſtras luxu & ſuperbia dilapidamus, & inter leves moriones, hiſtriones & morum ac animarum corruptores diſperdimus, & tum, cum ad nos confluunt lapidati Pauli, qui cum lacrymis oculos noſtros implorant, ac micas deſiderant, reſpondendum illis eſt, *Non habemus quo juvare poſſimus*. Si hoc Deus impune dimittit, mirabimur clementiam ejus. Nos cum emendare non poſſumus, & qui poſſunt, nolunt, reprehendere tamen debemus, ut noſtras liberemus animas. Quibus nihilupereſt quo juvare poſſint, ſaltem precibus juvent. Ne vivite in meris deliciis & carnalibus gaudiis, ſed conterimini contritione Ioſephi, & flete cum flentibus.

2. Quantacunque ſint pericula vitæ, tamen ante horam ſuam nemo moritur. Paulus ad mortem uſque erat lapidatus, & tamen non moriebatur, quare? Quia hora ejus nondum venerat, curſum ſuum nondum abſolverat, conſilio Dei nondum ſufficienter ſervierat, nihil igitur poterat Iudęorum rabies. Sic Chriſto factum ſæpe Iohan. 7. 30. & 8. 20. 59. & 10. 31. 39. Luc. 4. 29. Hæc doctrina ſapienter debet applicari, non ut hoc fundamento præcipitemus nos in pericula non neceſſaria, hæc enim foret illa tentatio Dei, quam Diabolus ſuadet Chriſto Matth. 4. 6, 7. Sed ut in neceſſariis & inevitabilibus vitæ periculis nos animemus & conſolemur, dicentes: Si hæc eſt hora mortis, quam Dominus mihi conſtituit, cur non libenter ſequar vocationem Domini, qua me ex hac miſeria in meliorem vitam evocat? Si non eſt hora, pericula vitæ, quantumvis magna me non necabunt, ſed vivam & nomen Domini magnificabo. Sic Chriſtus ipſe fecit Iohan. 12. 27. & 31. 1. Luc. 22. 53. Iohan. 17. 1. Hora mortis, quam Deus nobis definivit, ſine dubio eſt optima & commodiſſima hora moriendi, tum pro nobis qui è mundo excedimus; tum pro noſtris quos in mundo relinquimus, quam pii declinare ſicut non poſſunt, ita non volunt, ſed dicunt; Pater hæc eſt hora, jam finivi curſum, & retinui fidem ac bonam conſcientiam, &c.

Hactenus quid Lyſtrę Apoſtolis obtigerit, quam hiſtoriam merito nobis proponimus in exemplum patientiæ, ſicut Paulus eam ſuo Timotheo proponit 2. Tim. 3. 10, 11. Ultimus locus, ad quem in hoc primo egreſſu Paulus profectus, eſt civitas Derbe, Lyſtræ & Iconii vicina, in eadem Provincia ſcil. Lycaonia ſita. Quid hic geſſerint, non niſi generalibus terminis deſcribitur. Prædicarunt illi civitati Euangelium, & fecerunt multos diſcipulos. Quid intereſt inter prædicare Euangelium & facere diſcipulos? *Reſp.* Poſterius eſt prioris effectus. Nam per prædicationem Euangelii fecerant diſcipulos. Tribus modis fit aliquis diſcipulus Chriſti. 1. Cum inſtituitur ut veritatem Euangelii agnoſcat. 2. Cum perſuadetur ut extrinſecus per profeſſionem oris Eccleſiæ ſe adjungat, ſacramenta recipiat, diſciplinæ ſe ſubmittat. 3. Cum intus flectitur, ut ſincere ac conſtanter veritati credat & obediat. Eſt enim Apoſtolorum *μάθησις* non tantum cordis inſtitutio, ſed vera cordis mutatio & regeneratio, 1. Cor 4. 15. Hæc omnia fecerunt Apoſtoli ſed non ſua virtute, nec virtute ſolius externi verbi, ſed virtute Spiritus Sancti miniſterio ipſorum benedicentis. Sed non opus eſt his inſiſtere, niſi quod diſcere inde poſſumus, quod ſicut Apoſtolus perſecutionibus non fatigatur & deſinit ab opere mandato, ſic nos difficultatibus fatigati non debemus in opere & pugna, ad quam vocati ſumus ſuccumbere. Vide Iohan. 11. v. 8, 9. &c. Sequitur horum Apoſtolorum reditus & regreſſus ex primo itinere in locum unde erant egreſſi,

Actor. 14. v. 21, 22.

CONCIO CLXVII.

CUr non perrexerint Apoſtoli ad alias gentium Provincias ad propagandum inter illas Euangelium ſed in Iudæam prius regreſſi ſint, poſtea denuo exituri ad gentes ejus rei potiſſima ratio in occulto conſilio Dei quærenda eſt, qui Euangelium ſuum mittit quo vult & quando vult. Non enim eſt cum Euangelio ſicut cum ſole. Solem Deus alligavit ad continuum & ordinarium curſum, ut exitus ejus ſit à fine cœli, uſque ad finem, ut nulla pars mundi ſit ſine ejus colluſtratione, Pſal. 19. v. 7. Sed Euangelium eſt ſicut illa columna & nubes, quibus ducti Iſraelitæ in deſerto, quæ ſtabat & ſe movebat prout Deus jubebat, Exod. 13. v. 21. Vox libri naturæ penetrat totum orbem, Pſalm. 19. 1, 2, 3. Sed Euangelium eſt ſicut ventus, qui alibi flat, alibi non flat, ſicut nubes quæ alicubi pluit, alicubi non pluit, & currit ſicut movetur, Pſal. 147. 18, 19. Actor. 16. 6. ad 10. Ad quos igitur venit, illi ſingularem Dei gratiam inde agnoſcant, illudque retinere ſtudeant. De ortu ſolis naturalis ſuper nos non eſt quod ſimus ſolliciti, quia juſto tempore, nobis non curantibus, ſuper nos oritur & occidit, nec opus eſt metuamus, ne quando non oriatur. Sed candelam Euangelii ſolicita cura tenemur retinere, ne à nobis auferatur, & detur dignioribus, Matth. 21. v. 43. Matth. 8. 11. Non datur conſilium transferendi Euangelium in locum ubi non eſt. Non enim hoc eſt currentis aut volentis, ſed miſerentis Dei, Roman. 9. Verum qui ex gratia Dei Euangelium acceperunt, iis datum eſt conſilium Euangelium retinendi, ſcilicet ſi ferant fructus Euangelio dignos, & ambulent in luce dum lucem habent, Matth. 3. Ioh 12.

Non fuit autem Apoſtolorum regreſſus otioſus, conſtans in nuda locorum peragratione & luſtratione, ſed occupatus in Eccleſiis antehac plantatis, confirmandis Ideo dicuntur animos diſcipulorum confirmaſſe. Idem dicitur, Act. 15. 32. 41. & 18. 23. *Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.* Eccleſia per fidem & profeſſionem Euangelii à mundo ſeparata ſtatim fit ſicut urbs obſeſſa, cui omnia, quæ circumjacent, fiunt inimica, & conantur intercludere commeatum, & quicquid opus ad ſubſiſtendum; Immo oppugnant vehementer & ſubjugare nituntur, ſicut venti concutiunt domum petræ ſuperſtructam, Matth. 7. v. 24, 25. Opus igitur habet auxilio & ſublevatione ne expugnetur. Habet quidem promiſſionem, quod petræ ſuperſtructa non ſit caſura, Matth. 7. 25. & ne per portas quidem inferorum ſuperanda, Matth. 16. 18. Sed tamen vim & potentiam per quam ſubſiſtit, non habet in ſe nec ex ſe, ſed paulatim à Chriſto, lapide angulari, ſubminiſtranda eſt per media ordinata in eum finem. Eccleſia eſt ſicut ager conſitus tritico, cui inimicus inſevit Zizania, quæ debent evelli, ne triticum ſuffocent, quam ſol etiam ita urit, ut opus habeat rigatione, Matth. 13. 1. Cor. 3. Habetur quidem mandatum, Matth. 13. ne evellantur zizania ſed ſinantur creſcere, ſed hoc mandato non prohibetur cura doctorum in exſtirpanda falſa doctrina, ſed tantum injungitur prudentia & moderatio animi in exercenda diſciplina Eccleſiaſtica, ne forte per imprudentem præcipitantiam nocumentum inferatur iis, qui non hypocritæ ſed ſincera Eccleſiæ membra ſunt. Præſtat aliquid ſuſpectum ferre & tolerare, quam nimio rigore diſciplinæ totam Eccleſiam turbare. Dum autem nimis & imprudens rigor diſciplinę prohibetur, non ſimul prohibetur cura & ſollicitudo Doctorum in Eccleſiis plantandis, confirmandis, ſublevandis, purgandis, tum per doctrinam, tum per diſciplinam. Et hæc illa confirmatio diſcipulorum, qua Apoſtoli in regreſſu ſuo fuerunt occupati, unde videmus, quam neceſſaria ſit Eccleſiis continua confirmatio per verbum & diſciplinam. Verum quidem eſt, quod nullum miniſterium humanum ſufficit ad Eccleſiam ita roborandam, ut poſſit ſubſiſtere contra portas inferorum, ſed omnino potenti operatione Spiritus Sancti ad hoc opus ſit Col. 1. verſ. 11. Epheſ. 3. 14 16. Roman. 16, 25. Sed tamen ideo non ſunt contemnenda, ſed potius magni facienda iſta media, per quæ Spiritus Sanctus vult vires ſuas Eccleſiæ communicare, Ezech. 34. 4. Luc. 22. 32. 1. Theſſ. 3. 2. Apocal. 3. 2. Petamus igitur à Deo, ne hic Sol, hæc pluvia, hic comeatus nobis unquam intercludatur. Sumus enim ſicut civitas obſeſſa, quæ continua ſubminiſtratione comeatus & armorum opus habet, ſumus ſicut ager impurus & æſtui expoſitus, qui perpetua ſubminiſtratione pluviæ & expurgatione zizaniorum opus habet. Immo ſumus ſicut corpus ægrotum, quod ſine cibo & pharmaco emoritur. Hic ſtatus Eccleſiæ, hic ſtatus omnium fidelium, quem qui ſentit, ſibi ipſi hęc adminicula non intercludet per curas & voluptates mundanas, ut proh dolor! faciunt multi ex noſtris. Non tantum miniſtris mandatum

tum ut confirment diſcipulos, ſed etiam diſcipulis ut ſeipſos, Iac. 5. 8. 2. Timoth. 2. 1. Epheſ. 6. 10. Quomodo quilibet diſcipulorum ſeipſum roborat? Serio uſu verbi & Sacramentorum, aliorumque mediorum, quæ Deus per miniſtros ſuos ſubminiſtrat. Non exſpectandus vobis Angelus de cœlo qui vos roboret, ſicut Chriſtum, Luc. 22. 43. Sed uſurpanda opera miniſterii interris conſtituti. Perſeverantia & roboratio uſque ad finem divinitus quidem promiſſa, ſed ideo non minus humanitus curanda eſt. Dei enim conſilium, gratia & promiſſio non excludit, ſed potius ponit humanam curam, ut cum Deus in nobis operatur velle & perficere, nos in timore & tremore ſalutem noſtram operemur Philip. 2. Carpuntur igitur hic noſtri negligentes & indevoti auditores, multo magis autem negligentes & tepidi Paſtores. Vivunt iſti homines non ſecus ac ſi ex ſeipſis poſſent ſubſiſtere contra portas inferorum, nec opus haberent aliquo robore divino. Vide Pſal. 4. 13.

Quomodo autem confirmarunt ſeu roborarunt Apoſtoli animas diſcipulorum? *Reſp.* Tribus mediis.

1. Per adhortationem & inſtitutionem verbi verſ. 22.

2. Per erectionem diſciplinæ.

3. Per preces & jejunia v. 23.

Primo, inquit textus, hortati ſunt ut manerent in fide. Quid opus hac adhortatione, cum non detur apoſtaſia à fide? Omnes enim veri fideles perſeverant & non deficiunt à fide. *Reſp.* 1. Etſi non datur defectus à fide, tamen datur lapſus in fide. Poteſt enim fides vera graviter concuti & labaſcere, etiam uſque ad publicam abnegationem doctrinæ fidei, ut patet in exemplo Petri, Matth. 26. Id ne fiat, hortandi ſunt ut in fide maneant. 2. Etſi veri fideles nunquam à fide deficiunt, tamen ſuis viribus in fide non ſubſiſtunt, ſed cuſtodiuntur in fide per potentiam Dei, 1. Petr. 1. 5. quæ per Chriſti interceſſionem impetratur, Luc. 22. 31. Et per hortationem verbi ſubminiſtratur, 2. Petr. 1. 11. Roman. 16. 25. Non igitur adhortatio ad perſeverãtiam in fide fruſtranea eſt ſed potius neceſſaria ad ſubminiſtrandas nobis divinas illas vires, per quas in fide perſeveramus. Quid ſit autem *manere in fide* nunc non explicabo, quia jam tum bis hanc phraſin habuimus & explicuimus, videl. Actor. 11. 23. & 13. 43. Contrarium hujus vocis eſt cedere, vel ſe ſubducere, Hebr. 10. 39. Eſt Metaphora à militibus, qui magna audacia certamen ingrediuntur, ſed globis & periculis, caput circumvolantibus, ſe ſubducunt & cedunt. Vide Luc. 8. 18. Non plane deficiunt, ſaltem labaſcunt, Matth. 14. 28, 29, 30. Mira res: quamdiu Petrus credebat, ambulabat ſuper aquis & non mergebatur v. 29. Sed quamprimum fides ejus labaſcit, incipit mergi. Potentia Dei nos ſuſtentat, quamdiu per fidem à nobis tenetur. Vide Marc. 6. 5. & Matth. 13. 58. Propter incredulitatem Chriſtus non poterat operari, hæc enim manum Dei quaſi ligat ne poſſit benefacere potentia enim Dei per juſtitiam Dei impeditur, ne poſſit benefacere, niſi iis qui per fidem in Chriſtum placati ſunt. Hoc igitur eſt manere in fide, cum non deſinimus credere; etiamſi id quod credimus, plane ſit incredibile. Applica Rom. 4. 18, 19. Iob. 13. 15. Gen. 32. 26. Itaque in omni anguſtia, cum labaſcimus, nos excitemus dicentes ut Pſal. 42. 12.

Adhortationi ad perſeverantiam in fide Apoſtoli adjunxerunt commonefactionem de tribulationibus, per quas fidelibus ingrediendum in regnum cœlorum. Dicat aliquis; quid hoc facit ad fideles diſcipulos confirmandos & animandos, cum potius videatur, facere ad eos terrendos & dejiciendos. Vide Matth. 13. 21. & Marc. 4. 17. *Reſp.* Non debemus ſeparare quæ Apoſtolus conjungit. Vox enim *oportet* non tantum refertur ad tribulationes, ſed etiam ad ingreſſum in regnum cœlorum, adeò ut hæc propoſitio debeat, reſolvi in duas:

1. Oportet nos ingredi regnum cœlorum.

2. Oportet autem ingredi per variam tribulationem.

Prior certe propoſitio facit ad animandum & confirmandum. Impoſſibile eſt ut quicquam impediat veros fideles, quominus ingrediantur in regnum cœlorum. Quis nos ſeparabit, quid impediet? Rom. 8. 35. ad fin. Oportet ut in cœlum veniamus? Cur oportet

1. Propter Dei decretum. Eſt voluntas & decretum Dei beneplacitum electis ſuis filiis dare regnum Dei Matth. 11. 26.

2. Propter juſtitiam Dei. Impoſſibile eſt Deum ingreſſum in cœlum negare iis, quorum peccata perfecte ſunt expiata, & quibus per perfectam obedientiam legis à Mediatore Chriſto, ſecundum voluntatem ipſius Dei Patris, promerita & acquiſita eſt beatitudo. Atqui fidelibus, &c. Daniel. 9. v. 24. 2. Tim. 1. 9, 10.

3. Propter veritatem Dei. Impoſſibile eſt Deum non facere quod promiſit. Atqui ſalvatum iri credentes promiſit, Ioh. 3. 16. & paſſim.

 Fac

Fac jam certum in tua conſcientia, te eſſe vere fidelem & ſincerum Chriſtianum. Et tum conclude, oportet me ſalvari, non poſſum impediri quin ingrediar in regnum cœlorum. Et hoc certe facit ad animandum.

Poſterior propoſitio etiam animat. Etſi enim temporarii per crucem offenduntur, tamen vere fideles per prædictionem crucis à ſcandalo præſervantur Iohan. 16. 1. Dum enim ſciunt, crucem venturam, animant ſe & armant, ut tela præviſa minus noceant. Cur autem oportet per tribulationes ire in regnum cœlorum? *Reſp.*

1. Propter Deum. Iuſtitia quidē Dei non poſtulat quicquā mali fidelibus infligi. Ei enim ſatisfactum. Sed tamen ſapiens Dei voluntas poſtulat, ut ſicut Chriſtus, capitaneus fidei noſtrę, per paſſiones intravit in gloriam, Luc. 24. 16. Ita & nos, ut ita ſentientes ex cruce noſtra, quam acerba fuerit crux Chriſti, quam pertulit pro nobis, curcem Chriſti magni æſtimemus, & agnoſcamus noſtram obligationem ad gratitudinem. Si ſemper bene haberemus, neſciremus quid ſit, quod Chriſtus pro nobis paſſus, nec magni æſtimaremus. Sed ſentientes quam ægre feramus hæc brevia & levia, tum demum intelligimus, quantum ſit beneficii, quod Chriſtus æterna illa infernalia loco noſtro tulit.

2. Propter mundum. Statim atque credimus, mundus nos odit Ioh. 15. 19. Naturaliter igitur fieri non poteſt, ut in medio mundo degentes non experiamur mundi ludibria & perſecutiones. Hoc illud 2. Tim. 3. 12. Pietas odium habet in mundo. Poſſet quidem Deus nos in medio mundi odio tutos & ſalvos præſtare, ſicut Danielis ſocios in ignea fornace; ſicut Eliſæum inter Syros 2 Reg. 6. 15. &c. Sed Deus non ſemper vult facere miracula, ſed naturæ relinquit ſuum curſum, cum hoc ſit, non poſſunt non fideles perſequutionem pati.

3. Propter nos. Nos indigemus & opus habemus tribulationibus, idque propter duas cauſas.

1. Propter noſtram carnem. Sicut æger opus habet pharmaco, ſicut puer ſtultus virga ut emendetur; ita nos opus habemus tribulationibus, ut caro noſtra crucifigatur & dometur. Sicut Pharao Iſraelitarum luxuriam & laſciviam domabat laborioſa ſervitute; ſicut Deus in V. Teſt. carnem Patrum domabat jugo oneroſarum cæremoniarum; ita Deus noſtram carnem domat tribulationibus. Hoc illud Hebr. 12. 6. & 10. 33, 34.

2. Propter noſtrum honorem. Opus habemus tribulationibus, ut per eas, tanquam ignem, probetur noſtra fides, ut ſinceritas ejus appareat, exerceaturque noſtra patientia, noſtrę preces, noſtra vigilantia. Sicut miles ut fiat glorioſus, opus habet præſentia hoſtium, ut eorum conflictu oſtendat ſuam fortitudinem; ita Chriſtiani opus habent tribulationibus, ut earum ſuperatione appareat veritas noſtræ fidei. Vide 1. Petr. 1. 7.

Uſus.

Quod ſi oportet pati, diſcamus *libenter pati.* Ideo enim neceſſitas patiendi nobis inculcatur, ut lubentia patiendi in nobis generetur Nam ſi quod patimur, inviti patimur, non eſt paſſio, per quam introimus in regnum cœlorum. Etſi Chriſtianos oportet pati, tamen paſſio eorum non debet eſſe coacta, ſed voluntaria. Paſſio Chriſtianorum non debet eſſe mera paſſio, ſed actio, virtus & bonum opus, à Spiritu Sancto datum, Phil. 1. 29. At non poteſt eſſe, ſi ſit contra voluntatem, & non fiat libenter. Cum Deus dicit, *oportet pati*, Chriſtianus dicit, *volo pati* Mich. 7. 9.

Object. At quis Chriſtianorum ita patitur libenter. Si poſſent effugere, non paterentur, & æque ejulant Chriſtiani in Paſſionibus ac alii? *Reſp.*

1. Falſum hoc. Quam multa mala potuiſſent Chriſtiani, præſertim martyres, effugere, ſi voluiſſent peccare, & illegitimis uti mediis? Sed ſponte & libenter elegerunt potius cum populo Dei male tractari, quam ad tempus peccato frui, Hebr. 11. v. 25.

2. Etſi pii ejulant in tribulationibus, non ideo ſunt impatientes, aut inviti patiuntur. Cum enim ſecundum carnem ejulant, ſecundum ſpiritum lætantur, & gratias agunt Deo, quod caſtigantur ne cum mundo pereant, Rom. 5. v. 3. Verum quidem, quod ſicut noſtra fides non eſt ſine incredulitate; ita noſtra patientia non eſt ſine impatientia, noſtra promptitudo non ſine tarditate & reluctatione. Sed interim contra impatientiam luctamur, & patientiam noſtram manifeſtamus per juſtificationem judiciorum Dei ſuper nos, & per gratiarum actionem pro beneficiis, quæ Deus nobis dat in mediis tribulationibus. Etſi caro infirma eſt, Spiritus tamen promptus eſt Matth. 26. Diſcamus igitur libenter pati quod oportet pati; diſcamus libenter bibere poculum quod pater præbet; diſcamus crucem noſtram ſuſcipere. Si non eſſet neceſſarium, non oporteret pati. Eſt enim Deus bonus & miſericors, & pronus ad parcendum, quantum ferre poteſt ejus

gloria

gloria & noſtra ſalus. Quod autem oportet pati, non ſinit nos pati ſine magna noſtra utilitate, Hebr. 12. 11. Non ſinit ſolos pati, ſed pati, ſed nobis compatitur, & juvat ferre, nec ſinit fruſtra pati, ſed tribulationes noſtras ſanctificat, ut proſint, compenſat etiam mercede magna, ſi bene ferantur.

Actor. 14. v. 23. ad finem.

CONCIO CLXVIII.

SEcundum medium, quo Apoſtoli diſcipulos confirmarunt, eſt conſtitutio Presbyterorum. Non ſufficiebat ſemel & iterum ab Apoſtolis inſtitui, ſed requirebatur perpetuus ordo & continua adminiſtratio verbi. Hoc fine ordinati Presbyteri per ſingulas Eccleſias. Apoſtoli & Euangeliſtę erant univerſales Doctores, miſſi ad omnes, ſed ordinarii ſinguli ſingulis præfecti Eccleſiis Tit. 1. v. 5. Eſt igitur juris divini, ut ſingulæ Eccleſiæ ſuos in perpetuum habeant Presbyteros.

Sed quid Presbyteri? *Reſp.* Intelliguntur omnes qui ad aliquam leiturgiam ſeu functionem publicam in Eccleſia vocantur, ſive ſint Doctores, & Paſtores, qui verbum & Sacramenta adminiſtrant; ſive rectores, qui in diſciplinæ adminiſtratione Paſtoribus auxilio ſunt, ſive denique ipſi etiam Diaconi, qui eleëmoſynas adminiſtrant, omnes, inquam, illi officiarii Eccleſiaſtici, qui Rom. 12. 6, 7, 8. diverſis & diſtinctis enumerantur nominibus, hic uno generali vocabulo vocantur Presbyteri. Quare vocantur Presbyteri? quia ſunt, aut ſaltem debent eſſe non νεόφυτοι, ſed qui diutius cæteris in Eccleſia converſati ſunt, quique ceteros, ſi non ætate, ſaltem ſapientia & auctoritate antecellunt. Sunt illa membra, quę in corpore Eccleſiæ maximum habent honorem, 1. Cor. 12. Rom. 12. 4. i. e. reſpectum & autoritatem. Sicut caput in corpore humano eſt membrum honoratius, cętera membra regens; ita Preſbyteri in corpore Eccleſiæ ſunt loco capitis, per quod cætera membra reguntur, docentur, juvantur. Sic uſurpatur hæc ſimilitudo Rom. 12. & 1. Cor. 12. Hoc tamen caute intelligendum, ne videamur concedere quicquam impiæ illi gloriationi Papæ, qui ſe *Caput Eccleſiæ* vocat. Sciendum igitur, hæc ſimilitudo dupliciter in Scriptura uſurpatur.

1. Ad exprimendam unionem quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. Chriſtus caput, Eccleſia corpus. Sic uſurpatur Epheſ. 1. 22, 23. Sicut enim caput eſt ſedes animę rationalis, per quam cætera membra corporis vivificantur & reguntur: ita Chriſtus eſt fons vitæ ſpiritualis, ex quo tota Eccleſia trahit vitam ſpiritualem, propter quam excellentiam Chriſtus etiam Dominus Eccleſiæ, cui licet Eccleſiæ pręſcribere leges, eſt maritus & ſponſus Eccleſię, cui Eccleſia propria eſt. Hoc ſenſu aliquem hominem appellare *Caput Eccleſiæ*, ſumma eſt blaſphemia.

2. Ad exprimendum diverſum ſtatum ac conditionem, qua membra Eccleſiæ inter ſe differunt; ut unum ſit præſtantius altero. Sicut enim quædam membra corporis: non tantum communis vivificationis, quæ ab anima rationali fluit, participes ſunt, ſed etiam in tali abundantia accipiunt vires animæ, ut cœteris membris eas ſuppeditent & ſubminiſtrent; ita in corpore Eccleſiæ Presbyteri non tantum communis vivificationis, quæ ex Chriſto fluit, ſunt participes, ſed etiam dona Chriſti tam abundanter accipiunt, ut aliis membris de ſuo communicare & ſubminiſtrare poſſint. Sic uſurpatur hæc ſimilitudo Rom. 12. 1. Cor. 12. Et ſi potius Preſbyteri ſunt caput in Eccleſia, quam caput Eccleſiæ. Sed ne hoc quidem ſenſu Papa eſt caput Eccleſię. Si enim non eſt membrum verę Eccleſiæ, ſed hoſtis veritatis, & verus Antichriſtus, quomodo poteſt in Eccleſia habere locum & dignitatem capitis? Saltem ſi in Eccleſia, quæ Romæ poſſit eſſet, ſit caput & pręcipuum membrum, non igitur in tota Eccleſia. Quod ſi hæc eſt cauſa propter quam antiſtites Eccleſiæ vocantur Preſbyteri quia ſcil. eminent inter cætera Eccleſiæ membra in donis, & ſunt inſtrumenta per quæ virtus Chriſti cęteris Eccleſiæ membris communicatur. curemus ut à nobis pro talibus agnoſcantur. Non ſunt veſtri Domini, qui vobis dominantur: (ille enim honor ſoli Chriſto competit:) ſed tamen ſunt veſtri antiſtites, & inſtrumenta Dei, per quæ vos vult ædificare in communione cum Chriſto Domino veſtro. Sic igitur nos æſtimet omnis homo, 1. Cor. 4. verſ. 1. Vide 1. Timoth. 5. verſ. 17. Hebr. 13. 17. 1. Theſſ. 5. verſ. 12, 13.

At enim quomodo conſtituerunt Presbyteros? Χειροτονήσαντες. Hic quæſtio eſt, an aliqua differentia ſit inter χειροτονίαν & χειροθεσίαν de qua 1. Tim. 4. 14. & 5. 22. 2. Tim. 1, 6. *Reſp.* Eſt differentia. Nam. 1. χειροτονία ad electionem pertinet, & de Eccleſia ſeu populo dicitur, qui ſolebat extenſione manuum leges vel Magiſtratus ſciſcere & approbare. Sic 2. Cor. 8. 19. Etſi enim de Deo uſurpatur hæc vox, Actor. 14. 41. hoc tamen fit metaphoricè & tralaticie

laticie. Χειροθεσία verò eſt actio presbyterorum, qui aliis ad preſbyterium electis ac vocatis ſolebant imponere manus, ut precationibus, votis & congratulationibus ſuis illis impetrarent confirmationem donorum, quibus, ad functionem redderentur apti. Quomodo igitur hoc loco intelligendum, ubi χειροτονία non populo, ſed Apoſtolis tribuitur? *Reſp.* Tribuitur Apoſtolis, quia ipſi hujus Χειροτονίας, à populo factæ, auctores & ductores fuerunt. Illi enim populum convocarunt, aliquos idoneos viros ipſis præſtituerunt, ut Actor. 1. 23. juſſeruntque ut Eccleſia extenſione manuum approbationem ſuam declararet. Hoc enim diſcriminis obſervarunt in electione Apoſtoli & electione ordinariorum presbyterorum Apoſtolorum electuri ſtiterunt & nominarunt quidem duos, ſed electionem commiſerunt ſorti, ſeu divinæ providentiæ, quia Apoſtoli non debebant eſſe vocati per homines, ſed immediate à Deo Gal. 1, 1. Sed ordinarios presbyteros conſtituturi reſpexerunt ſuffragia & conſenſum populi. Sic etiam factum Actor. 6. 2, 3. Et hic tutiſſimus & optimus modus eligendi & vocandi Presbyteros Eccleſiæ, ut ſcil. antecedentibus & ducentibus presbyteris, qui ſunt, alii eligantur & vocentur, cum conſenſu & approbatione populi. Non debent hunc actum ad ſe rapere ſoli antiſtites Eccleſiæ, nec ſoli Magiſtratus. Non negamus Presbyteris ſuas partes, ſcil, ut ſua prudentia & moderatione & antecedente conſilio rem ducant ac dirigant. Nec Magiſtratui ſuas, ſcil. ut curet omnia recte geri, ſed nec ipſi Eccleſiæ ſuas, ſcil. ut approbatione ſua electionem ſciſcat, & proprio conſenſu electos pro ſuis antiſtitibus libenter recipiat. Monemus hæc, ut defendamus vocationem noſtram contra calumnias ſacrificulorum. Negant nos legitime vocatos, quia non ab Epiſcopo, nec à Papa. At quis legitimum vocandi modum rectius nos docebit quàm Apoſtoli, qui ordinarios presbyteros elegerunt cum approbatione Eccleſiæ, cum precibus & jejuniis. Sic nos dirigentibus & ducentibus presbyteris cum invocatione divini nominis electi ſumus cum approbatione Eccleſiæ. Hæc, hæc janua per quam ordinarii Paſtores debent ingredi in ovile Chriſti, Iohan. 10. Non autem Papiſtica illa nundinatio officiorum Eccleſiaſticorum.

Tertium medium, quo confirmarunt diſcipulos, fuit jejunium & precatio, ſeu potius precatio cum jejunio. Precatio enim proprie eſt medium confirmandi. Iejunium quaſi additur, quantum opus eſt, ut precari fervidius poſſimus. Poſſit videri hæc precatio adhibita ad electionem presbyterorum, quæ ſemper fieri debet cum præcatione & jejunio Actor. 13. 3. Quia eſt opus arduum. Eligentes enim cordium ſecreta ignorantes poſſunt falli, & eligendi opus habent donis, quibus reddantur apti. Sed tamen & conſtructio textus & verba proximè ſequentia indicant, etiam factas has preces valedicendi causa. Laudabilis mos, quod pii, per itinera disjungendi, per preces ſe invicem Deo commendent. Sic Paulus Actor. 20. 32, 36. Sic dicitur factum hiſce Apoſtolis hoc capite v. 26. & cap. 13. 2. Nec fruſtra fiunt tales valedictiones, ſed ſunt Deo gratæ, & benedictionem impetrant, præſertim id fieri debet cum per mortem ex mundo migramus. Vide Ioh. 17. 11, 12, 13. Cum noſtra cura non amplius poteſt pertingere ad eos quos amamus: commendemus eos Deo per fideles preces, & ſic acquieſcamus. Sed nō eſt animus in Locum communem de jejuniis & precibus nunc excurrere, quod ſæpius factum. Unum modo obſervemus, quod magna opera incipienda cum precibus & jeuniis.

In reliquo hujus capitis recenſentur:

1. Quæ loca peragrarint antequam venerunt ad locum unde exierant. Exierant Antiochia Syriæ, ad eam urbem reverſi ſunt, per Piſidiam, Pamphiliam, Attaliam, ibique ad tempus manſerunt.

2. Narraverunt ſeu expoſuerunt Eccleſiæ Antiochenſi quid rerum geſſerint in itinere, In hac peregrinatione & narratione nihil eſt quod expoſitione magnopere indigeat, niſi hæc duo:

1. Non narrat quid ipſi fecerint, ſed quam magna Deus per ipſos ſeu cum ipſis fecerit. Signum fidelis Miniſtri, non ſibi adſcribere quod efficit, ſed Deo Magna profecto faciunt miniſtri. Lucrantur animas, eaſque eripiunt ex regno tenebrarum, regenerantque animas hominum, quod certe plus eſt quam totum mundum armis vincere, ſed poſtquam fideles Miniſtri id fecerint, ſoli Deo quod effectum eſt, adſcribitur, 1. Cor. 15. 10. Et merito, non enim plus conferunt ad regenerationem animarum; quam agricola ad incrementum frugum. ſcil. quod ſemen in agrum conjiciunt, 1. Cor. 3. Sic etiam faciendum Chriſtianis ſi quod bonum faciunt. Bene vivere, bona opera facere, & poſt facta humilem eſſe, vere Chriſtianum eſt, Luc. 17. 10.

II. Phraſis egregia, quod Deus gentibus aperuit januam fidei. Ianua fidei gentibus olim clauſa, nunc aperta.

Deus duobis modis januam fidei claudit.

1. Cum Euangelium populi alicui non mittit,

nec

nec ſinit eos vocari ad fidem Chriſti. Sic gentibus olim clauſerat; ſic nunc Turcis & Iudæis. Olim gentibus erat clauſa & Iudæis aperta; nunc gentibus aperta, Iudæis clauſa Rom. 11. Imo adeo clauſa erat gentibus, ut Apoſtoli putarent, ſibi non licere ingredi ad incircumciſos prædicandi Euangelii cauſâ Actor. 10. & 11. Vide etiam Matt. 10. 5, 6 Nunc Deus non tantum conceſſerat, ſed etiam juſſerat, ut irent & prædicarent gentibus, immo comitante gratia Spiritus Sancti tam efficaciter operatus eſt, ut non tantum multi Ethnici Euangelium reciperent, ſed & in preſbyterium electi, per impoſitionem manuum, Euangelium aliis prædicarent. Sic erat aperta.

2. Cum per judicium indurationis homines tradit in reprobum ſenſum, ut non poſſint credere Ioh. 12. 37, 38, 39, 40. Actor. 28. Hoc eſt claudere januam fidei, & quibus ſic clauditur, iis nunquam aperitur. Sic janua fidei clauſa Iudæis, non aperienda niſi ſub finem mundi. Sic clauſa multis Chriſtianis, quibus propter contemptum veritatis miſſa efficacia erroris, 2. Theſ. 2. Sic ſub Euangelio clauditur multis malitioſis contemptoribus. Sic tandem in ultimo judicio claudetur omnibus, Matt. 25. 10. Intremus igitur antequam claudatur, dum *hodie* eſt, &c. Pſa. 95.

Actor. 15. v. 1, 2.

CONCIO CLXIX.

INter omnes magnas quæſtiones, de quibus rite ſolvendis ſollicitus eſſe debet homo Chriſtianus, hæc eſt omnium maxima, quam movet ille juvenis Mat. 19. 16. Mar. 10. 17. & Luc. 18. 18. & illę ter mille compunctæ animæ Actor. 2. 37. & ille præfectus carceris, Act. 16. 30. & turbæ illæ, Luc. 3. 10, Nam qui de hac Quæſtione rite ſolvenda ſollicitus non eſt, non ſalvabitur. Deus enim, qui nos ſine nobis creavit, nos ſine nobis & ſine noſtris factis non ſalvabit. Qui igitur non eſt ſollicitus, quid ſibi ſciendum, credendum & faciendum ut ſalvetur, is nunquam ſalvabitur. At enim quis ſolvet hanc quæſtionem, cum ab animo de ſalute anxio proponitur? *Reſp.* Nemo alius, niſi qui ſolvit cum à juvene & aliis proponeretur, nimirum Ieſus Chriſtus, qui ſolus eſt ille Doctor, qui viam ſalutis recte docere poteſt, Ioh. 3. At enim Chriſtus non eſt in terris, nec Prophetæ & Apoſtoli in terris, ut qui hodie de hac Quæſtione ſollicitus, eſt, eam Chriſto, vel Prophetis & Apoſtolis ejus poſſit proponere, & ſic certam ac indubitatam accipere reſponſionem? *Reſp.* Etſi Chriſtus à terris diſceſſit; tamen ſolutionem hujus Quęſtionis in libro Scripturæ Sacræ reliquit. Hanc interroga, hæc te poteſt reddere ſapientem ad ſalutem, 2. Tim. 3. 15. At enim ſunt qui Scripturam legere non poſſunt, ſunt quibus nec otium nec capacitas eſt Scripturam ſcrutandi, & ſenſus ſuos in ea exercendi, ipſa præterea. Scriptura tam ampla eſt, tam varios, ſublimes & obſcuros habet loquendi modos, ut uno loco videatur hoc docere, alio aliud, immo contrarium. Quis igitur ex Scriptura poſſit evidenter & ſine periculo erroris ſcire & diſcere omnia illa quæ ad ſalutem ſcitu, creditu & factu neceſſaria ſunt. *Reſp.* Omnis illa amplitudo, varietas & obſcuritas, quæ in Scripturis eſt, non poteſt impedire tuam ad ſalutem ſapientiam, ſi modo Scripturam ſcruteris eo modo, & iis cum adminiculis, & ea cum cura, quam Scriptura requirit. Nam qui eam ſic legunt & ſcrutantur, iis promiſſus eſt Spiritus Sancti qui eos ducat in omnem veritatem, eoſque doceat quantum ad ſalutem ſufficit, Ioh. c. 16.

Quid igitur requiritur ad Scripturam recte ſcrutandam, & qua in re illa ſcrutatio conſiſtit? *Reſp.* Id docet hoc exemplum, quod hoc capite proponitur. Cum enim Apoſtoli Paulus & Barnabas, ex primo ſuo itinere reverſi eſſent Antiochiam, unde egreſſi erant, ibique ad tempus bene magnum verſarentur, accidit ut Quæſtio moveretur; An neceſſarium eſſet ad ſalutem ut Chriſtiani etiam circumciderentur, & totam legem Moyſis ſervarent? Hac quæſtione mota magna contentione de ea diſputatum eſt, & denique miſſum Hieroſolymam, ibique convocati Apoſtoli & ſeniores Eccleſiæ, eorumque conſilium & deciſio ſuper hac quęſtione explorata, cui Eccleſiæ paruerunt.

At

At enim quid hoc ad nos? Nos non poſſumus convocare Apoſtolos, aut talem Synodum, quæ poſſit dicere ſicut hæc: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, cujus deciſio ſit ſine periculo erroris, & in qua tuto acquieſcere poſſimus. *Reſp.* Etſi conſilia, & interpretationes ordinariorum Doctorum non habent illum immediatum & extraordinarium Spiritus Sancti ductum, ut nulla in re falli poſſint; tamen cum in conſiliis & deciſionibus ſuis Scripturam habent pro regula, & ſententias ſuas ex Scriptura probant tum tantum claritatis & illuminationis à Spiritu Sancto eſt in eorum miniſterio, ut oves Chriſti, Spiritus Doctorum conſcientioſe probantes, diſcernere poſſint quando errant, aut quando veritatem loquuntur. Cum Doctores in Synodis ſuis, vel pulpitis ſeponunt Scripturam, & ſibi credi volunt ſine Scriptura, & cum auditores ſeponunt conſcientioſam probationem ſpirituum, & omni Spiritui credunt ſine inquiſitione humili doctrinæ, quæ proponitur, tum mirum non eſt errari circa media ſalutis; ſed cum Doctores in interpretatione Scripturæ ſeponunt auctoritatem hominum, & conſcientioſe ſequuntur Scripturam, & ex Scriptura dogmata confirmant, cumque auditores humili & contrito corde, cum fame & ſiti ſalutis, cumque invocatione divini nominis dogmata Paſtorum ſuorum diligenter audiunt, & ad Scripturam examinant, tum neque pro doctis neque pro indoctis tale periculum erroris eſt, à quo ſalus pendeat. Eſt itaque & hodie verum medium obtinendi ſapientiam ad ſalutem, ſi in quæſtionibus dubiis utamur manuductione piorum Eccleſiæ Doctorum, in ſenſu Spiritus Sancti per Scripturam inquirendo. Hi enim nobis dati ſunt ὁδηγοὶ in intelligendis Scripturis, Actor. 8. 31. & ſi horum manuductione in legenda Scriptura diligenter utimini, invenietis claritatem, cui contradicere non poteſtis, & ſi quid eſt obſcuritatis, quod penetrare non poteſtis, principia & fundamenta ſalutis, ad quorum agnitionem perveniſtis, vos ſuſtentabunt, animumque veſtruum reddent docilem & veritatis cupidum, & cum tales facti eſtis, Deus ſuo tempore quod neceſſarium eſt, revelabit, ne quicquam ſaluti veſtræ obeſſe poſſit. Docili diſcipulo non deerit boni Magiſtri inſtitutio, Pſal. 25. 8, 9. Ioh. 7. 17. Diligenter igitur hanc Apoſtolicam Synodum intueamur, ut inde diſcamus verum modum in quæſtionibus dubiis circa religionem perveniendi ad agnitionem veritatis.

Tria ſunt de hac Synodo conſideranda.

1. Quæſtio quæ hac Synodo diſputata & deciſa fuit.

2. Diſceptatio Synodi ſuper hac quæſtione particularia ſuffragia Petri, Pauli & Iacobi, cum argumentis, quibus ſuffragia ſua confirmant.

3. Synodalis ſententia & deciſio, una cum modo eam ad Eccleſias deferendi, nec non effectus & eventus Synodi.

Quantum ad quæſtionem, textus indicat 1. à quibus mota. 2. Quænam quæſtio fuerit. 3. Particularis diligentia Pauli & Barnabæ, Antiochiæ adhibita, ad quæſtionem hanc ſupprimendam. 4. Quomodo tandem ad Synodum delata.

Quæſtionem moverunt quidam ex Iudæa deſcendentes Antiochiam, qui verſ. 5. dicuntur fuiſſe ex ſecta Phariſæorum *qui crediderunt*, id eſt, qui Chriſtianam religionem profeſſi erant. Hactenus Apoſtoli diſputaverant contra Iudæos & Gentes, qui non erant Chriſtiani. Nunc inter ipſa Eccleſiæ membra, immo inter ipſos Eccleſiæ Doctores oriuntur lites & controverſiæ, & fit in Eccleſia diviſio, ſchiſma, bellum civile ac inteſtinum. Ipſo enim tempore Apoſtolorum triplices jam tum erant hæretici in Eccleſia. Primo erant hæretici *Anteuangelici*, qui ita Euangelium recipiebant, ut in obſervatione legis, præcipue ceremonialis, juſtitiam quærendam eſſe docerent. Tales erant illi, de quibus hoc loco, & contra quos Paulus ſcripſit in Epiſtola ad Romanos, Galatas, Philippenſes, quorum primi videntur fuiſſe Hymenæus & Alexander, de quibus nominatim queritur 1. Tim. cap. 1. Secundo erant hæretici *Antinomi*, qui ita Euangelio credebant, ut Legi nullam deberi obedientiam docerent. Tales fuerunt Nicolaitæ, qui urgebant quod liceret ſcortari, nec opus eſſet ſcandali cauſa ſecundum doctrinam Pauli ab Idolothytis abſtinere, Apoc. 2. 6, 14, 15. Item illi qui docebant hominem juſtificari per talem fidem, quæ ſit ſola ſine operibus, contra quos Iacobus ſuam Epiſtolam ſcripſit. Tertio loco erant hæretici *fanatici*, qui Scripturæ autoritatem & magiſterium in rebus fidei rejicientes, & contemnentes, vel revelationem & miracula crepabant, & ſua autoritate homines niti volebant ut Simon Magus, Act. 8. vel rationem & Philoſophiam magiſtram religionis agnoſcebant Col. 2. Adeoque omnis generis abſurda & ſtulta dogmata ſeminabant. Talis fuit Eccleſiæ ſtatus jam tum tempore Apoſtolorum. Non tantum habuit externos hoſtes Iudæos & philoſophos gentiles, ſed præcipue domeſticos falſo fratres, Pſeudapoſtolos &

& Pſeudoprophetas, qui veſtibus ovinis venientes erant intus lupi rapaces Matth. 7. & ſub nomine Chriſtianorum veri Antichriſti 1. Iohan. 2. Talis perpetuo fuit & etiamnum eſt ſtatus Eccleſiæ Chriſtianæ. Habet extus hoſtes apertos, Iudæos, Turcas, gentes infideles. Habet intus falſos fratres, hæreticos, ſchiſmaticos, qui fidem & mores Eccleſię falſis doctrinis corrumpunt. Et ſic fore prædictum ab Apoſtolis, Act. 20. 22. 30. 2. Pet. 2. 1. 1. Tim. 4. 1. 2. Tim. 3. 13. &c. Matth. 24. 11.

Ex his patet, quam abſurdi ſint Pontificii, dum negant eccleſiam poſſe errare. Cum dicimus, priſcis aliquot ſeculis falſos Doctores ita prævaluiſſe in eccleſia, ut Eccleſiam corruperint falſis & impiis dogmatibus, ut eccleſia Reformatione opus habuerit, clamant, fieri non poſſe, ut eccleſia erret. Quod manibus palpari poteſt, & oculis videri, imprudentes homines negant factum eſſe, aut fieri poſſe. Quod temporibus Apoſtolorum jam tum factum eſt, annon magis fieri potuit poſtea, præſertim cum prædictum ſit ita fore? Patet hinc etiam, neminem jure offendi poſſe, ſi in eccleſia videat hypocritas, ſchiſmata, falſos Doctores & fratres. Sic enim fuit inde ab Apoſtolis, & ſic oportet eſſe 1. Cor. 11. 9. Matth. 18. 7. Hæreſes non inveniuntur extra eccleſiam, ſed in ea. Non igitur propter hæreſes Eccleſia deſerenda, ſi modo ſine communione mali licet in ea manere. Præſertim propter has diſputationes non debemus ita offendi, ut omnem religionis & fidei doctrinam dubiam eſſe putemus, & nihil certitudinis habere, adeoque omnem curam religionis abjiciamus. Conducunt potius hę diſputationes ad clariorem agnitionem veritatis. Modo ſuſcipite ſtudium indagandi & tandem firmabimini in veritate.

Quęſtio ipſa eſt, an qui ex Ethnicis Chriſtiani fiebant, tenerentur circumcidi, & totam legem Moſis obſervare? In V. Teſt. multi Ethnici veniebant ad Eccleſiam, & fiebant proſelyti, ſed nemo eorum admittebatur, niſi prius circumciſus, & ceremoniis Iudaicis conformis. Hoc volebant hi homines etiam obſervari in N. Teſt. inter gentes ad Chriſtum converſos, immo non tantum hoc quærebatur, an Ethnici converſi deberent circumcidi & legem obſervare, ſed præcipue, an in obſervatione legis juſtificatio eſſet quærenda, an vero *ſola fides in Chriſtum* juſtificaret? Hæc quæſtio, quæ hac Synodo diſputabatur, quod non ſolum patet ex Epiſtolis Pauli, tandem quæſtionem contra eoſdem Pſeudapoſtolos diſputantis, ſed etiam ex hoc ipſo capite verſ. 11. Quod ſi hoc eſt dogma hac Synodo condemnatum, & poſtea ab Apoſtolo Paulo tam vehementer in Epiſtolis oppugnatum, mirum eſt, Phariſæos Romanenſes hodie idem dogma refodere, & eadem impudentia urgere. Hoc enim primarium, quod inter nos & illos hodie diſputatur, an homo ad juſtificationem ſuam coram Deo opus habeat obſervatione legis, an vero ſalvetur *per ſolam fidem* in gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti?

Object. Pontificii non urgent nos teneri circumcidi. *Reſp.* 1. At urgent quod ad juſtificationem obtinendam teneamur obſervare legem Moſis, quod non minus in hac Synodo condemnatum, ut patet v. 5. 2. Etſi non requirunt circumciſionem, tamen requirunt alias ceremonias ad juſtificationem peccatoris, circumciſione longe pejores quippe nullam inſtitutionem divinam habentes, ſed meræ traditiones hominum exiſtentes, quales ſunt ſacrificium Miſſæ, Pontificia jejunia, aqua luſtralis, opera ſatisfactionis & meritorum, flagellationes, peregrinationes, ignis purgatorius, &c. quæ omnia dicunt nos gentes debere facere & pati, ut à peccatis juſtificemur, & nequaquam poſſe juſtificari *per ſolam fidem* in gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eſt igitur eadem quæſtio. Quam pudendum, hos homines antiquorum hæreſium eſſe defenſores tam acres! Et quantopere nos hoc poteſt confirmare in fide & religione noſtra, quod videmus jam olim ab ipſis Apoſtolis unanimi conſenſu condemnata & rejecta eſſe quæ nunc à nobis rejiciuntur.

Diligentia Pauli ac Barnabæ contra hoc dogma ſic exprimitur. Paulo & Barnabæ fiebat contentio & litigatio non exigua contra illos, i.e. Paulus & Barnabas non parum vehementer contra illos contendebant & diſputabant. Hoc multi non bene factum judicabunt, quod Apoſtoli tam vehementi oppugnatione erroris tumultum & quaſi ſeditionem in eccleſia concitarunt. Miniſtri, inquiunt, debent populum longanimiter inſtituere & nil amplius. Vehementes illę oppugnationes errorum & peccatorum non niſi tumultus excitant. *Reſp.* Quod Apoſtoli fecerunt in ſuo officio, vos nos poteſtis reprehendere, & nos tenemur imitari. At vehemens errorum & peccatorum oppugnatio non tantum hic ab Apoſtolis fit, ſed & alibi mandatur 2. Tim. 4 verſ. 1. 2. Tit. 1. 9. ad 14. Iudæ 3. Poteſt vehementia miniſtrorum in oppugnando duobus modis mala eſſe.

1. Si cauſa, quam vehementer oppugnant, bona

& non mala eſt. Qui pro humanis traditionibus pugnant vehementer, & contra doctrinas Euangelicas pugnant illi male agunt, quantumvis putent ſe rem gratam facere Deo. Hi ſunt advocati qui pro mala cauſa litigant. Sed qui contra falſas hominum doctrinas pro fide Sanctis ſemel tradita vehementer contendunt, illi ſunt fideles ſervi Domini, fideles vigiles in civitate Dei, boni Paſtores ſuper gregem Domini Vide Gal. 4 17, 18.

2. Si cauſa, quam vehementer oppugnant, ſit parva & non magni momenti, nec magni damni. Sunt quædam actiones, quæ non ſunt licitæ nec decentes, & proinde merito prohibentur ac reprehenduntur, ſed quia non ſunt adeo noxiæ ædificationi Eccleſię, ſufficit reprehendamus & refutemus, & ſi quis ſe opponat contentioſe, non utendum intempeſtivo zelo, ſed dicendum ſicut Paulus concludit reprehenſionem levitatis, quæ in crinibus ornandis committitur 1. Cor. 11. v. 16. Sed in rebus magni momenti, cum vel ipſa peccata magna, & fidei ac honeſtati contraria ſunt, vel ſi parva in ſe videntur, magnorum tamen peccatorum matres & ſcholæ ſunt ac nutrices (non enim ſunt majora peccata, quam ſcholæ peccatorum ubi fit quod eſt, Tit. 1. v. 10.) ſi ſe talibus non vehementer opponunt, canes ſunt qui non latrant, vigiles qui dormiunt, ſal quod fatuum factum eſt. Hic autem agebatur de cauſa gravi & magni momenti. Agebatur enim de juſtitia, qua peccator ſtare poteſt coram Deo, & pacem cum illo habere. Si doctrina de hac juſtitia ſarta tecta non conſervatur, fruſtra eſt pacificum & longanimem eſſe erga homines. Talis igitur vehementia ſervorum Dei in oppugnandis erroribus ac peccatis non eſt ridenda ſed metuenda. Eſt enim gladius Dei, quo expugnare vult & ad deditionem cogere duras & mundanas animas. Has enim non fuſtibus & corporalibus armis Deus vult adoriri ſed ſolo hoc ſpirituali gladio, & qui per hunc adigi non poteſt ut ſe Chriſto dedat, nunquam Domino litabit, ſed punietur hoc judicio, ut cum noluerit credere iis qui veritatem & juſtitiam magno zelo magnaque contentione defenderunt, cedat ac ſubjiciatur illis, qui magna impudentia mendacium & errores urgent, 2 Theſſ 2 10, 11. Dicunt leonem adeo generoſum eſſe, ut ferreis vinculis nolit coërceri, ſed illico frangat, ſed & viciſſim ita generoſum, ut vires ſuas nolit adhibere ligneis vinculis frangendis, ſed potius patiatur ſe iis regi & contineri. Generoſe egiſtis, quod fregiſtis ferrea vincula diſciplinæ Pontificiæ, & non ſitis ſicut illi, qui etiamnum abſoluta & cœca obedientia ſunt veri ſervi Paparum & ſacrificulorum. Verum & hic generoſitatẽ veſtram oſtendite, ne leviter tranſiliatis aut rumpatis limites Euangelicæ doctrinæ, ordinis & vitæ, qui in Reformatis Eccleſiis ex verbo Dei feliciter conſtituti ſunt unanimi conſenſu piorum doctorum. Hos enim rumpere, non generoſitatis ſed feritatis eſt. His vero levibus diſciplinæ Euangelicæ vinculis libenter contineri in ſana doctrina, bono ordine, & modeſta ac ſancta vita, eſt generoſitas vere heroica, à Spiritu Sancto per regenerationem accenſa. Si hanc diſciplinam Euangelicam, ſalſedinem ac conſcientioſam contentionem miniſtrorum verbi contra peccata contemnentes non vultis emendari, niſi plagis & judiciis Dei corporalibus, ſive publicis, ſive privatis, non imitamini generoſitatem leonis, ſed irrationalitatem mulorum & equorum, Pſal. 32. v. 9.

Sequitur quomodo hæc quæſtio, cum non poſſet privata diligentia Pauli ac Barnabæ ſupprimi, tandem delata ſit ad publicam Synodum Hieroſolymitanam. Hic ſequentia habet textus:

1. A quibus & quorum nomine *hæc* delatio quæſtionis facta: ordinarunt ut Paulus & Barnabas aſcenderent, ſcilicet Antiochienſis Eccleſia v. 2.

2. Ad quos delata & quo fine Delata eſt ad congregationem Apoſtolorum & Seniorum, qui erant Hieroſolymæ, ut diſpicerent de hoc negocio, v. 2, & 6.

3. Per quos & quomodo.

Actor. 15. v. 2, 3, 4, 5.

CONCIO CLXX.

DIſceptantibus inter ſe de hac quæſtione Doctoribus Eccleſiæ Antiochenſis, Eccleſia ipſa turbata & nonnihil diviſa, in hoc uno conſentit, ut conſilium & ſententia Hieroſolymitanorum ſuper hac quæſtione exquireretur. *Object.* Atqui Gal 2 1. Ubi hoc ipſum iter videtur notari, dicitur quod adſcenderit Paulus per revelationem Hic autem quod miſſus ab Eccleſia. *Reſp.* Miſſus ab Eccleſia per ipſum, poſt acceptam revelationem, admonita. Ipſe per revelationem edoctus, conſilium mittendi dedit, & tum Eccleſia miſit. Eccleſia ipſa inquiſitionem veritatis in ſe recipit, nec voluit ſtare mera & nuda auctoritate ſuorum Doctorum in negociis fidei. In Papatu non conceditur Eccleſiis inquiſitio veritatis ſed cœca obedientia injungitur, qua Doctoribus

ctoribus credant ſine inquiſitione & examine. Aliud docemur hoc exemplo, & Beröenſium, Act. 17. 11. & admonitione Iohannis, 1. Iohan. 4. v. 1. & Pauli, 1. Theſſ. 5. 21. 1. Cor. 14. 29. 1. Cor. 10. 15. Matth. 7. v. 15, 16. Col. 2. 18. Eph. 5, 6. Matth. 24. 4, 5.

Object. 1. Non omnes tantum pollent judicio & intellectu, ut poſſint hanc probationem ſuſcipere. *Reſp.* Falſum hoc eſt. Exaggerant ſophiſtæ infirmitatem idiotarum, ut ſibi ſolis opinionem ſapientiæ concilient. Etſi judicio ſunt infirmi, tamen non ſint beſtiæ ſed homines rationales, qui, ſi ſunt vitæ honeſtioris, plerumque plus judicii habent quam ebrioſi & perverſi ſacrificuli & monachi. Si in civilibus tantum habent judicii, cur caverent in Eccleſiaſticis? Articuli fidei ſunt adeo clari & indubitati, ut, quid cum illis conveniat, vel pugnet nemo non poſſit judicare, niſi ebrioſus ſacrificulus. Scimus neminem poſſe intelligere ſacram doctrinam ſalutariter, niſi ſit illuminatus à Spiritu Sancto; ſcimus etiam idiotas non poſſe adeo penetrare totam Scripturam, & conciliare omnes ejus difficultates, atque illi qui habent adminiculum bonarum literarum. Sed fundamentales veritates ſacræ Doctrinæ à quibus ſalus abſolute dependet, non poſſe naturali certitudine comprehendi à quovis naturali homine, qui annos diſcretionis attigit & diligentiam adhibet, falſum eſt dogma, quod per experientiam ſatis convellitur.

Object. 2. Multi idiotę hanc probationem & ſcrutationem ſuſcipientes incidunt in errores, in quibus admodum ſibipſis placent, & quos contra ipſos ſuos Doctores animoſe defendunt, ut ſchiſmata excitent, ſicut abunde patet per experientiam in veſtris Eccleſiis. *Reſp.* 1. Quid igitur fit veſtris, quæ non inquirunt? Illi cœci ſunt, & cœci manent, & in cœcitate ſua pereunt. 2. Ubi illa probatio doctrinæ viget in populo, multi ſaltem veniunt ad agnitionem veritatis & ſalvantur. 3. Si cœteri per hanc probationem in exitiales incidunt errores, hoc non ideo fit, quia inquiſitio veritatis in ſe periculoſa eſt & illicita, ſed quia ipſi ſunt homines perverſi cordis, & carnaliter ſuperbi, qui bono medio abutuntur ad malum finem. Schiſmata & diſputationes, quæ in noſtris Eccleſiis unquam fuêre, ſemper fuerunt fœcunda ad multiplicandam ſcientiam in populo, etſi ſuperbi ſchiſmatum auctores & fautores per ea ſibi accerſerunt exitium, & ſemper apud nos comprobatum illud Chriſti Matth. 17. 7. Schiſmata noxia auctoribus, utilia Eccleſiæ. Sunt enim cotes judicia hominum ad veritatem acuentes, poſſumus in inquiſitione veritatis ſine ſchiſmate verſari & turbulentia. Qui autem turbulenter & pertinaciter agunt, ſibi nocent & aliis proſunt. Inquiſitio veritatis humilis, modeſta, proficiſcens ex deſiderio noſcendæ veritatis, conjuncta cum uſu precum & conſiliorum, nunquam eſt noxia.

Ad quos autem delata quæſtio & quo fine. Miſſa eſt ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieroſolymitana Eccleſia. Non omnes Apoſtoli erant Hieroſolymæ, quia Iacobus Zebedæi jam tum erat occiſus, Act. 12. Cæteri diſperſi. Solus autem Petrus & Iacobus & Iohannes videntur adfuiſſe, ut patet ex hoc capite & ad Gal. 2. 9. Cur autem non ad ſolos Apoſtolos, ſed etiam ad ordinarios Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Presbyteros? *Reſp.* Quia agebatur de conſenſu. Quæſtio enim erat, an Paulus & Barnabas Antiochiæ privatas opiniones docerent, quæ non haberent conſenſum totius Eccleſiæ. Defertur igitur quæſtio ad totam Eccleſiam Hieroſolymitanam, ut de conſenſu ejus conſtet. Atenim cur non ad ſolum Petrum, qui erat Apoſtolorum Princeps, Epiſcopus œcumenicus, Vicarius Chriſti in terris, ſolus controverſiarum judex? Reſpondeant ad hoc Ieſuitæ. Nobis inde certum, Petrum nihil habuiſſe juris & auctoritatis in cæteros Apoſtolos, ſed fuiſſe cæterorum collegam. Erat Apoſtolorum primus & ſenior, ſed non caput aut Princeps, cui plus juris fuerit in rebus fidei quam cæteris Apoſtolis. Atenim cur hæc quæſtio defertur ad Apoſtolos qui erant Hieroſolymæ? Utique Paulus & Barnabas ipſi erant Apoſtoli, Act. 14. 4. Et Paulus de ſe ſignificanter aſſerit, quod cæteris Apoſtolis minor non fuerit, Gal. 2. v. 9. 7. *Reſp.* 1. Eccleſia Antiochena maxima ex parte conſtabat ex Ethnicis, qui Euangelium acceperant ex Iudæa & à Iudæis. Mittunt igitur ad Iudæos, ut conſtet ſe idem habere Euangelium, & eandem doctrinam quam Iudæi. 2. Paulus erat quidem Apoſtolus, ſed non ex illis duodecim, qui ab ipſo Chriſto in terris verſante erant vocati, & cum illo converſati. Nec erat viſibiliter in facie Eccleſię vocatus per ſortem ſicut Matthias, Actor. 1. Hinc Pſeudapoſtoli autoritatem ejus vocabant in dubium, calumniabantur quod diviſum quid doceret à cæteris Apoſtolis, & in ſpeciem forte allegabant quod Apoſtoli Hieroſolymitani adhuc communionem colerent cum templo & ejus cęremoniis, Act. 3. Ad hanc ſuſpicionem & calumniam, quæ fructum laboris Paulini impedire poterat, tollendam miſſa eſt hæc quæſtio Hieroſolymam ad Apoſtolos. Vide Gal. 2. 2. Non vocabatur Pauli autoritas in dubium-

bium, nec illi negabatur fides ab eccleſia, ſed fit hoc totum ad obthurandum os calumniatoribus. Sic quum hodie Pontificii calumniantur, quod habeamus novam doctrinam, aſcendamus cum illis ad Apoſtolos, & eorum ſcripta, & exquiramus conſenſum. Sed illi hoc tribunal declinant, & vel ad Patres, vel ad miracula, vel ad ſplendorem & proſperitatem eccleſiæ ſuæ, vel ad ſucceſſionem provocant. Auctoritates & teſtimonium Scripturæ Apoſtolicæ eſt tribunal veritatis.

Per quos autem delata hęc quæſtio, & quomodo? Delata per Paulum, Barnabam & alios. Eſt hic exemplum magnæ modeſtiæ, & manſuetudinis in Paulo & Barnaba. Poterant illi eccleſiam ſuæ auctoritati adſtringere, nec pati ut Apoſtolatus ſuus in dubium vocaretur, & aliorum judicio ſubjiceretur. Erant enim revera veri Apoſtoli, quorum auctoritas & teſtimonium eccleſię in rebus fidei debebat ſufficere. Attamen ædificationis & tollendi ſcandali cauſa malunt aſcendere Hieroſolymam, & ſuam doctrinam Apoſtolorum judicio ſubmittere. Quam alienus ab hac praxi Pauli eſt Papa Romanus! ſub initium Reformationis Euangelicæ petierunt liberam Synodum, ſoli Scripturæ ſubjectam, cui Pontifex ſe ſuamque doctrinam ſubmitteret. Ille vero nullo pacto huc potuit adigi, ſed prætendit ſe ſummum controverſiarum Iudicem, qui à nemine poſſit judicari, nec aliam velle Synodum, quam quæ ab ipſius judicio dependeret. Paulus etiam erat Apoſtolus controverſiarum judex, & tamen ædificationis ergo ſe ſubmiſit. Sic omnes miniſtri diſcant hoc exemplo proprio honori non minis velificari. Vide Phil. 2, 3. Licet & decet defendere ſuam famam, honorem, jus. Sed ſi hæc defenſio fieri non poteſt ſine gravibus ſcandalis, ædificationem eccleſiæ impedientibus, præſtat cedere non nihil de ſuo jure, quam nimis acriter jus & honorem ſuum defendere. Ædificatio enim eccleſiæ debet pio miniſtro plus eſſe cordi quam proprius honor. Idem omnes privati debent curare 1. Cor. 6, 7.

Operæ pretium autem eſt conſiderare, quomodo hi legati ſua legatione functi ſint. De hoc deſcribitur porro.

1. Exitus ex Antiochia.
2. Tranſitus per Phœniciam & Samariam.
3. Introitus in Ieruſalem.

De exitu dicitur, quod ab eccleſia fuerint educti. Non ejecti ſed educti ſecuritatis & honoris cauſa, & ad teſtandum quam cara ſibi ſint hæc capita. Simile exemplum eſt Actor. 10. 23. Stabat enim eccleſia ab Apoſtolorum partibus, nec doctrinam & auctoritatem eorum in dubium vocabat, ſed tantum ad confundendos adverſarios Hieroſolymam eos mittebant, ad afferendum teſtimonium conſenſus cum cæteris Apoſtolis. Diſcant Auditores quid debeant ſuis miniſtris, qui pro veritate certant contra adverſarios, ſcilicet ut non deſerant eos, tanquam ſuum opus agentes, quod ad eos nihil pertineat, nec extra teli jactum ſubſiſtant, cum certamen pro religione periculum habet.

Tranſitus per Phœniciam & Samariam non fuit otioſus, ſed narrando converſionem gentium exhilararunt omnes fratres, qui jam tum in iſtis oris ad Chriſtianiſmum converſi erant. Profectus Euangelii maxima priorum lætitia, quam libenter narrant & libenter audiunt 1. Iohan. 3. 4. Vide inculcationem hujus doctrinæ in Actor 11, 1.

De introitu in urbem tria dicuntur:

1. Quod ab Apoſtolis & Senioribus & tota eccleſia Hieroſolymitana fuerint recepti, ſcilicet, honorifice & cum congratulatione. Hoc ipſis fiebat non tantum quia erant Apoſtoli & fidi Miniſtri Euangelii, ſed quia Antiochenſis eccleſiæ legati. Docet hoc, quod diverſæ eccleſiæ particulares ſibi invicem debent omnem amicitiam & correſpondentiam. Sunt enim ejuſdem eccleſię membra habentes unum caput, unum ſponſum.

2. Quod narraverint quam magna Deus cum ipſis feciſſet. Explicata hæc phraſis cap. 14. 27. Res magnas vocat non tam miracula quę fecerant, quam ipſam converſionem gentium in tot locis, quæ erat omni miraculo major Ioh. 14. 12.

3. Quod materiam ſuæ legationis expoſuerint, narrantes, quoſdam ſurrexiſſe ſcilicet Antiochiæ. Sunt enim verba non Lucæ, ſed Apoſtolorum, Hieroſolymæ narrantium quid Antiochiæ contigerit. Eſt autem in his verbis idem quod verſu primo, nec opus habent alia explicatione.

Actor. 15. v. 6, 7, 8.

CONCIO CLXXI.

Vidimus hactenus, quæ Quæſtio & quo modo huic Synodo fuerit ad decidendum propoſita. Sequitur nunc Synodi ipſius congregatio, & Quæſtionis ipſius ventilatio ante pronunciatam ſententiam ſynodalem. Ad hanc periodum, uſque ad verſum 22. ſeſe extendentem, ſequentia pertinent 1. Synodi congregatio, verſ. 6. 2. Generalis modus agen-

agendi, quem uſurparunt antequam ſententiam dixerunt: diſpexerunt de hac re magnis contentionibus v. 6. & 7. 3. Particularis ſententia & conſilium Petri ad v. 12. 4. Interloquutio Pauli ac Barnabæ ſententiam Petri confirmans v. 12 5. Particularis ſententia, conſilium & judicium Iacobi, inde ad verſ. 22.

I. De congregatione Synodi quęritur, quomodo potuerint legitime convenire, cum à nemine fuerint convocati? Penes quos eſt poteſtas convocandi Synodos? Si penes Magiſtratum, ille hic non convocavit, ſed potius ejuſmodi congreſſus prohibuit & condemnavit. Si penes eccleſiam, quomodo igitur eccleſia eſt ſub poteſtate Magiſtratus? *Reſp.* Breviter deciſionem hujus quæſtionis tribus complector membris:

1. Magiſtratus Politicus eccleſiæ Orthodoxæ (Orthodoxæ, inquam, Nam heterodoxæ, ſchiſmaticæ, hereticæ & idololatricæ eccleſię Magiſtratus nihil debet quam refrænationem, qua ſchiſmata & falſa dogmata coërceantur & compeſcantur, ne ſerpant, Orthodoxam eccleſiam vaſtent) ex officio tenetur concedere & procurare hanc libertatem, ut agere poſſit ſuos conventus, ſine metu hoſtium ſuorum, utque in iis conventibus agere poſſit, quæ ad ſeipſam ędificandam agere debet: Immo tenetur etiam proſpicere & curare, ut in iis conventibus omnia fiant legitime & ſecundum verbum Dei. Eſt enim cuſtos utriuſque tabulę, & nutritius eccleſię, Eſa. 49. Et habet mandatum, ut Chriſto aperiat ſuas portas, ut poſſit intrare, & ibi ſuum opus peragere in ędificanda ſua Eccleſia Pſal. 24.

2. Quod ſi Magiſtratus, à religione & pietate alienus, officium hac in parte non facit, nec ut faciat precibus ullis adduci poteſt, eccleſia Orthodoxa ideo non debet carere ſua ędificatione, ſed vel invito Magiſtratu debet convenire, & facere quę ad ędificationem & conſervationem ſuam abſolute neceſſaria ſunt. Hoc probat exemplum Apoſtolorum, Act. 4. 18, 19, 20. Chriſtus debet prædicari, eccleſia debet ędificari vel invitis omnibus.

3. Quod ſi Magiſtratus eccleſię conventus non ſolum prohibeat ſed & per vim impediat? *Reſp.* Tum Magiſtratus fit perſecutor & oppreſſor, & eccleſia tenetur vel fuga ſibi conſulere, vel perſecutionem & oppreſſionem patienter ferre, donec Deus excitet legitimam aliquam poteſtatem, per quam eccleſia Orthodoxa liberetur & defendatur. Nam quem exitum hęc oppreſſio tandem habitura ſit, poteſt eccleſia ſcire ex promiſſione quam habet 2. Theſſ. 1 v. 6. 7, 8. nec non experientia & exemplis tum quę Scriptura ſuppeditat; tum quæ proſtant in aliis hiſtoriis veterum & recentiorum temporum. Hęc ſunt illa tria ſana principia, ex quibus de hac quęſtione judicandum eſt. Quod ad particularem applicationem horum principiorum ad pręſentem ſtatum eccleſiæ Orthodoxę in hac Patria, non puto valde neceſſarium eſſe late illi inſiſtere. Sed tantum ex una parte eccleſiam hortor, ut quantam poſt Deum gratitudinem & honorem ac ſubjectionem debeat noſtris Magiſtratibus, & quorũ cura & beneficio hactenus hac libertate fruimur; ex altera parte rogo, ut noſtri Magiſtratus hoc curent, ne Patriam ſuam curam & libertatem, quam ſoli Orthodoxæ eccleſiæ debent, ita indulgeant idololatris, hæreticis & ſchiſmaticis, ut nomen Dei impune blaſphemetur, & neceſſaria libertas & ſecuritas eccleſię Orthodoxæ per hoc ipſum minuatur.

II. Modus agendi in hac Synodo uſurpatus, fuit is, quod ante dictionem ſententiæ magnis contentionibus & particularibus judiciis quæſtio propoſita fuit ventilata. Veritas in profundo latet, & per contentiones & ventilationes eruenda eſt, ſicut ignis per concuſſionem ignitabuli excitatur. Scriptura ſcrutando inveſtigari debet Ioh. 5. ſicut aurum in fodinis. Et circumſtantiæ ſæpe tales ſunt, ut multis ſępe contentionibus opus ſit, ad ſtatum controverſiæ ita formandum, ut judicium de ea recte fieri poſſit. Erant etiam multa argumenta valde ſpecioſa in contrarium. Nam. 1. Circumciſio non erat traditio humana ſed inſtitutum divinum. At legem Dei ſolvere difficile. 2. In Iudæa circumcidebantur infantes eorum, qui ex Ethnicis ad Chriſtianiſmum convertebantur. Sed an rectum eſt & juſtum, Theologos tam acriter inter ſe contendere. Theologi male audiunt apud Politicos ob acres ſuas contentiones. An igitur recte faciunt?

Reſp. Etiam hujus quæſtionis quædam ſana principia dabo, ſine applicatione, idque breviter, etiamſi ſit materia quæ non ſolum Theologos concernit, ſed omnes fideles, quibus injunctum eſt contendere pro veritate Iudæ 4.

1. Cum Theologi pro fide contendunt, ut loquitur Iudas, debent habere purum & juſtum ſcopum, ut non contendant niſi pro gloria Dei, & pro veritate ad ædificationem eccleſiæ neceſſaria ac utili ſine veliſicatione proprii honoris & emolumenti, Gal. 1. 10.

2. In contentionibus ſuis pro gloria Dei & pro

veritate ad ædificationem Eccleſiæ neceſſaria ac utili nihil debent tribuere conſuetudini, antiquitati, traditionibus, philoſophiæ, ſed ſolum dictamen Scripturæ ipſis debet eſſe regula, ut & analogia fidei, ut poſſint gloriari, quod prophetaverint ſecundum legem & teſtimonium, & ſecundum analogiam fidei, Eſ. 8. Rom. 12. Sic vides etiam hanc Synodum omnia ſua decreta in Scripturis fundare.

3. Contentio debet habere affectus moderatos. Contendendum enim non *frigide*, ſed *vehementer*, ne quid Adverſariis cedamus, Gal. 2. 5. Et tamen *manſuete* 2. Timoth. 2. 24. Cum omni lenitudine, ne ſimus pertinaces & acerbi. Difficile media incedere via; nec mirum ſi ſæpe declinetur ultra mediocritatem ad dextram vel ſiniſtram.

Qui ſecundum has regulas pro religione contendunt Theologi, non ſunt culpandi. Nam ſine contentionibus & diſputationibus in hoc mundo non retinetur veritas. Sicut palea non poteſt jacere quieta, quamdiu flat ventus: ita quamdiu veritas fugatur & pellitur à tot ventis oppoſitionum, non poteſt retineri niſi per contentiones & diſputationes. Unde etiam inter optima miniſtrorum dona recenſeri debet, quod ſunt apti ad os obturandum contradictoribus, Tit. 1. 6. Officium noſtrum eſt, ut ſimus advocati veritatis.

III. In mediis diſputationibus Petrus ſurgit & ſententiam dicit. Ieſuitæ cum nuſpiam poſſunt in Scriptura autoritatem Papæ invenire, huc confugiunt, & ſic argumentantur: Petrus fuit præſes primæ Synodi, in qua Apoſtoli fuerunt præſentes. Ergo fuit Apoſtolorum caput. Ergo fuit Epiſcopus œcumenicus. Ergo ſummus judex controverſiarum in tota Eccleſia. Ergo Papa Romanus idem. Nugæ ſunt quibus non immorabor. Nec enim antecedens certum, nec ulla ex conſequentiis legitima.

IV. Sententia autem & judicium Petri in eo conſiſtit, quod negat gentibus ad fidem converſis obſervationem legis Moſaicæ eſſe imponendam, ut per eam juſtificentur. Argumenta, quibus hoc probat, duo ſunt: Primum argumentum eſt hoc: Si Deus gentibus incircumciſis, & Moſaicam legem non obſervantibus, æque injunxit ut Euangelium audiant & in Chriſtum credant, & ſi illis æque dedit Spiritum Sanctum & purificationem cordis per fidem, ac circumciſis Iudæis, legem Moſaicam obſervantibus, tum fruſtra ab iis requiritur circumciſio & obſervatio legis Moſaicæ. Atqui verum prius. Ergo Conſequentia valet. Si enim ſunt jam tum per Spiritum Sanctum regeniti & per fidem juſtificati, non opus habent per ceremonias legis juſtificari. Alterum argumentum eſt hoc: Si nec nos Iudæi, nec Patres noſtri per legem Moſis potuimus juſtificari, ſed ſemper credidimus ſalvari per ſolam gratiam Ieſu Chriſti, tum eſt mera tentatio Dei, ſi Diſcipulis & Ethnicis converſis volumus imponere hoc jugum, ut ex obſervatione legis Moſaicæ quærant juſtitiam & ſalutem. Ad argumenta hæc recte intelligenda, verba eorum κατὰ πόδας ſectabimur.

In primo argumento.

1. Petrus dicit, Deum ab antiquis diebus in Apoſtolis elegiſſe, ut per os Petri Ethnici audirent Euangelium & crederent. Nota 1. Ab antiquis diebus i. e. præteritis diebus, vel primis diebus, quibus Euangelium ad incircumciſos Ethnicos pervenit. Revocat enim Petrus collegis ſuis in memoriam id quod contigerat circa Cornelium centurionem Act. 10. q. d. ſcitis, viri fratres, nunc non prima vice ſuper hac quæſtione diſputari, ſed recordamini quod ego jam olim, cum expreſſo Dei mandato, ad incircumciſum Cornelium ingreſſus ſum, eumque docui & baptizavi, è vobis ſuper ea re in judicium vocatus vobis reſpondi, quod non potuerim aquam negare quibus Deus Spiritum dediſſet æque ac nobis, Act. 11. Idem argumentum vobis denuo in mentem revoco. 2. Deus elegit in nobis, ut gentes per meum os audirent, i. e. placuit Deo ut inter nos omnes ego primus eſſem, per cujus os gentes Euangelium audirent. Deus dicitur eligere, cum aliquid ſibi ſinit placere, Eſa. 58. 5. *An hoc jejunium quod ego eligo?* ſic ad beneplacitum Dei refert Petrus effecta ſui miniſterii, non ad ſuam dignitatem, ſuasque vires, ſicut & Paulus facit Gal. 1. 15. 18. Sit hoc exemplo omnibus Dei inſtrumentis, per quorum manus Deus magna operatur, ut in humilitate diſcant dicere quod Paulus dicit, 1. *Corinth.* 15. 10. Gentes per os Petri non tantum Euangelium audiunt, ſed etiam credunt. Effectus miniſterii noſtri non tantum eſt, quod conciones habemus & homines facimus Euangelium audire, ſed etiam, quod per conciones noſtras facimus homines credere. Sic Rom. 10. *Per auditum fides*, 1 Corinth. 3. *Servi ſumus per quos crediḋiſtis*, 2. Corinth. 5. Nos movemus homines ad fidem. Sumus quidem tantum inſtrumenta, quæ laudem operis non ſibi debent tribuere, ſed ad Deum, referre; interim tamen vobis ſciendum, quid utilitatis ex Miniſterio noſtro percipere poſſitis, ſi ea utamini, & quid contemnatis ſi hoc contemnatis. Per noſtrum os creditis; ſi nobis

nobis noſtrum os obthuratis, vobis veſtram fidem & vitam intercluditis. Vide quanta ſit neceſſitas SS. Miniſterii. *Object.* Poſſum credere per lectionem Scripturæ nec opus habeo ore miniſtrorum *Reſp.* Deus vivam vocem à ſcripta litera non vult ſeparatam, ſed hanc per illam inculcatam. Ergo quæ Deus conjunxit tu ne ſepares, ſi cupis Dei benedictionem.

2. Secundum membrum primi argumenti eſt hoc: Et Deus ſcrutator cordium teſtimonium ipſis perhibuit, dans ipſis Spiritum S. ſicut nobis. Nota:

a Cur hoc loco Dei mentionem facit cum hoc epitheto, quod ſit ſcrutator cordium? *Reſp.* Deus vocatur καρδιογνώστης ob duas cauſas: 1. Quia novit cogitationes & motus in corde latentes, nec tantum verbo vel alio indicio expreſſos & patefactos, immo in ipſo corde nondum conceptos, ſed adhuc concipiendos, Pſal. 139. 2, 3, 4. Hic nobis occaſio foret agendi de omniſcientia Dei, qua etiam intima & abditiſſima humani cordis penetrat, quæ ſane doctrina eſt, quæ magna cum ædificatione ad multos uſus poteſt applicari. Sed quia is non eſt ſcopus textus, & alias de hac materia egimus, non inſiſtemus. Vide Commentarium meum in Rom. 8 v. 27. 2. Hoc loco vocatur καρδιογνώστης, quia cordis integritatē & puritatem agnoſcit & probat. Iudaizantes Chriſtiani ideo Chriſtianos ex gentibus converſos volebant circumcidi, quia incircumciſi erant impuri Iudæis, quibuſcum non licebat converſari, ut audivimus Act. 10. 14, 15. Ad hunc ſcrupulum eximendum Petrus dicit: Deus, qui cordis integritatem & puritatem reſpicit & acceptam habet, teſtatus eſt, Ethnicorum corda per fidem & Spiritum Sanctum eſſe purificata. Ergo nos converſos ex Ethnicis fratres non contemnamus, non pronunciemus impuros etiamſi non habeant ceremonialem illam externam puritatem. Hæc igitur doctrina, quam ſcopus textus ſuppeditat, quod Deus in illis, qui ipſum colunt, cor reſpiciat & requirit, non autem externas ceremonias. *Miſericordiam volo & non ſacrificium* Hoſ. 6. 6. Matth. 9. 13. & 12. 7. 1 Sam. 16. 7. 1 Chron. 28. 9. Senſus non eſt, quod externa opera, & ceremoniæ divinitus mandatæ, non ſunt neceſſariæ ob ſervatu, ſed quod non ſunt Deo gratæ, ſi fiunt ſine corde, ſine intentione & delectatione cordis. Si uſpiam verum eſt; *Duo cum faciunt idem, ſæpe non eſt idem*, certe hic verum eſt. Sedemus jam hic omnes, omnes audimus verbum, fundimus preces, utimur Sacramentis, damus eleēmoſynas, profitemur fidem in Chriſtum, confitemur peccata, policemur obedientiam legis, & emendationem vitæ, ideoque videmur plane pares & æquales eſſe: & tamen coram Deo adeo impares & diſſimiles ſumus, ut quidam noſtrum placeant Deo & ſint futuri beati, cæteri Deo diſpliceant & ſint perituri. Hoc fit, quia Deus reſpicit cor, & ibi nos invenit diſſimiles. Quidam enim cum precantur, precantur ex corde, cum intimo deſiderio gratiæ divinæ; cum audiunt verbum, audiunt ex corde, cum delectatione in verbo, & intentione ſeria vivendi ſecundum id quod ex verbo diſcituri ſunt; dant eleēmoſynas ex vera miſericordia & amore proximi; utuntur Sacramentis cum timore & tremore, & cum ſeria renovatione fœderis ſui cum Deo, confitentur peccata cum pudore & dolore ac pœnitentia; laborant ita credere, ut contra dubitationes in anguſtiis luctentur magno labore; ita promittunt emendationem vitæ, ut eam quoque proponant, ſeria lucta conatuque ſerio ſuſcipiant, & conſtanter proſequantur. Hoc illud cor quod Deus reſpicit. Cæteri, qui nobiſcum ſunt in externo cultu, labiis & auribus accedunt, cor autem procul eſt, manetque in delectatione & propoſito peccandi. Hinc ſicut Abelis ſacrificium melius quàm Caini; ita & hic. Hinc tot hortationes in Scriptura, ut cor noſtrum ſit rectum coram Deo, ut toto corde credamus, Act. 8. ut Deum ſanctificemus in corde, 1 Petr. 4. Deo cantemus in corde, Col. 3. v. 16. & quicquid facimus, faciamus ex corde, tanquam Domino & non hominibus, ibid. v. 23.

b. Deus ipſis teſtatus eſt, dans Spiritum Sanctum ſicut & nobis. Quid teſtatus eſt? Quod gentes credentes Deo ſint acceptæ, & populus ejus factus. Loquitur propriè de donis Spiritus S. externis, ſcilicet donis prophetiæ & miraculorum. Erat enim revera eximium teſtimonium gentes placere Deo, quod Deus inter Ethnicos barbaros tam brevi ſpatio tot eximios excitabat Doctores, qui apti erant magnalia Dei loqui, & Eccleſiam Chriſti docere ac regere cum ædificatione, Apoc. 19. 10. Sed tamen etiam loquitur de Spiritu regenerationis. Nam hoc demum verum eſt teſtimonium, quod quis Deo placeat, ſi Spiritum regenerationis habeat. Spiritus Sanctus non eſt cauſa propter quam quis Deo placeat, (hæc ſunt merita Chriſti,) eſt tamen cauſa per quam ſcimus, eſt teſtis, quod Deo placeamus Rom. 8. 16. 1 Ioh. 3. 24. Ideo vocatur arrhabo & pignus noſtræ ſalutis, 2 Cor. 1. 22. & 5. 5. Eph. 1. v. 13. Non ſufficit nos eſſe Chriſti, ſed ſciendum etiam quod ſimus Chriſti. Hoc enim parit ſolatium in vita & morte. At hoc non ſcimus niſi per Spiritum Sanctum, præcipue per Spiritum ſanctificationis.

nis. Rogemus igitur, ut Deus hoc teſtimonium nobis det,& cum habemus, curemus ne petulantibus peccatis contriſtemus Spiritum Sanctum, per quem ſumus obſignati Epheſ 4. 30.

Actor. 15. v. 9, 10, 11.

CONCIO CLXXII.

3. Tertium membrum primi Argumenti: Et nihil diſcrevit inter nos & illos, cordibus eorum per fidem purgatis. In V.Teſtam. Deus multum diſcrevit inter Iudæos & gentes, in tantum ut parietem intergerinum interpoſuerit, & per illum gentes à Iudæis ſeparaverit, Epheſ.2. v.14. quis ille paries? Ceremoniæ Leviticæ, circumciſio, Paſcha, ſacrificia, lotiones corporales, templum cum ſacerdotibus & ornatu ſuo. Harum ceremoniarum tantum erat privilegium in Vet. Teſt. ut Iudæi uſu earum quaſi ſanctificarentur fierentque populus ſanctus, & Deo confœderatus, & qui his ceremoniis initiati & dedicati (geheiliget) non erant, declararabantur impuri, idque non tantum Iudæorum ſuperſtitione, ſed ipſius legis divinæ inſtituto. Iudęi quidem degeneres, ceremonias has plus æquo æſtimantes, adeo ſuperſtitioſi erant in commercio cum gentibus fugiendo, ut in exceſſu peccarent, ut diximus in Actor. 10. 28. Vide Iohan. 18. 28. Attamen per ipſam Dei legem impuri erant declarati, quicunque ceremoniis Iudaicis non erant initiati; Immo ipſi Iudæi circumciſi, in uſu harum ceremoniarum alicubi deficientes, erant ad tempus impuri. Sic incircumciſi vocantur *Impuri* Eſa. 52. v. 1. Et terra gentium vocatur *impura terra* Amos. 7. v.17. Et ſi quis modo Iudæus tetigiſſet aliquid mortuum, vel comediſſet ex animalibus interdictis, ſtatum ad tempus erat impurus, Levit. 5. 2. & c. 18. paſſim. Sed poſtquam gentes crediderunt in Chriſtum, etiamſi ceremoniarum nullam obſervarent, tamen non erant impuræ. Immo Iudæi, qui per omnes ceremonias erant ſanctificati ſeu conſecrati, & in Chriſtum non credebant, erant coram Deo impuri, ſicut etiamnum ſunt, poſtquam ex olea decerpti in infidelitate perſeverant, Rom. 11. Quæritur hic qui fieri potuerit, ut qui in V.Teſt. erant impuri, in N.Teſt. non ſint impuri. Si peccata contra legem ceremonialem Iudæos æque ac gentes fecerunt impuros in V.Teſt. qui fit quod eadem peccata eoſdem non faciunt impuros in N. Teſt.? Utique peccata contra legem Dei homines ſemper faciunt impuros? *Reſp.* Opera præceptis Dei contraria non diutius ſunt peccata quam præcepta illa durant. Nam cum lex ceſſat, ceſſat etiam peccatum. At lex ceremonialis jam ceſſat, & non amplius præcipitur à Deo. Ergo etiam opera legi ceremoniali contraria, non amplius ſunt peccata. Eſt cum lege ceremoniali, ſicut cum legibus noſtris Politicis. Qui ante pacem factam in ditiones Hiſpanicas navigabat ſine vectigali, peccabat in Rempublicam & puniebatur. Qui nunc ſine vectigali eo navigat, nec peccat nec punitur: ſic qui ante pacem factam cum Deo, & ante peractum opus reconciliationis, & ante ſacrificium hilaſticum Chriſti ceremonias, per Moſen præceptas, non uſurpabat, peccabat & erat impurus. Sed qui poſtea non uſurpat, nec peccat, nec impurus eſt. Nam ante factam pacem volebat Deus, ut fœderati ſui teſtarentur ſuam ſpem & fidem futurę vero reconciliationis per placamenta umbratilia. Lex enim ceremonialis habet umbras reconciliationis, & reconciliationem aliquam umbratilem Hebr. 10. v. 1. Et qui his umbris non erat indutus, erat impurus, non quod uſus vel defectus harum umbrarum homines faceret puriores vel impuriores, ſed quia inde conſtabat, quis fidem ac ſpem futuræ per Chriſtum reconciliationis & purificationis haberet vel non haberet. Hinc dicuntur inſtitutæ iſtæ umbræ uſque ad tempus emendationis, Hebr.9 10. i. e. donec vera reconciliatio & purgatio per Chriſtum impleretur. Qui autem veram habet, umbris amplius opus non habet, ſed potius per uſum umbræ teſtatur, ſe non credere quod Chriſtus venerit & veram purgationem perfecerit.

Object. Atqui ceremonię erant injunctæ, ut eſſent *Inſtituta æterna*, Exod. 12. 14. & 24. *Reſp.* i. e. uſque ad finem Veteris Teſtamenti, cum Meſſias eſſet venturus, & ceremonias impleturus. Non licebat ceremonias omittere, donec eſſent impletæ. *Sic* Gen. 13. 15. Pſal.132, 13, 14. Obſervent hoc Pontificii, qui externis pompis & ceremoniis etiamnum hodie tantum tribuunt, ut putent non eſſe veram eccleſiam, quæ non per has ceremonias à mundo ſeparata ſit. Nam. 1. Papiſticæ pompæ & ceremoniæ non omnes ex V. Teſt. petitæ ſunt, ſed multæ ab Ethnicis & ex proprio Monachorum cerebro. 2. Quę ex V. Teſt. petitæ ſunt, non amplius poſſunt diſcernere & ſanctificare, quia non amplius pręcipiuntur à Deo. Immo jam impuros reddunt qui iis utuntur. Sicut enim olim Gentiles ideo erant impuri, quod umbras futuræ per Chriſtum purgationis negligentes teſtabantur, ſe fidem & ſpem in futurum

rum Chriſti ſacrificium nullam habere: Ita Iudęi & Papiſtæ, veteres umbras purgationis per Chriſtum factæ ſectantes, & in iis ſanctitatem & juſtitiam ſuam ponentes, per hoc ipſum teſtantur, ſe non credere, quod Chriſtus venerit, & perfectam purgationem peccatorum per ſe ipſum perfecerit. Nam ſi in corpore acquieſcerent, cur umbras ſectarentur, & in iis juſtitiam ſuam collocarent? Ceremoniæ igitur Iudaicæ hodie non purificant ſed po ius inquinant. Nos gentes igitur agimus Deo gratias, quod janua ad Eccleſiam nobis patefacta. Olim gentibus in lapideum templum intrare non licebat. Hodie in ipſam Eccleſiam intramus, & æque ſumus Iſraël ac olim circumciſi Iudæi. Immo Iſraël deſiit eſſe Iſraël, donec plenitudo gentium introiverit Rom. 11.

Poſtquam, inquit, per fidem purgavit corda eorum. Ceremonialem purgationem Deus à Gentibus non requirit, & tamen ideò gentes non ſunt impuræ. Sunt enim puri corde, idque per fidem. Purgatio tribuitur Deo, tribuitur etiam fidei. Deus purgavit corda per fidem. Deus dicitur *purgare per fidem*, quia non tantum habitum fidei nobis infundit, ſed & ipſum actum fidei, quo Chriſtum apprehendimus, & nos à peccatis lavamus, in nobis excitat. Sicut ludimagiſter, qui pueros literas pingere docet, non tantum dat pueris calamum & atramentum, quo ſcribere poſſint, ſed etiam digitos eorum regit & ducit, & per eorum digitos literas pingit; ita Deus non tantum dat donum fidei, quo credere poſſimus, ſed etiam facit & operatur ut actu credamus. Non tantum opus fidei, ſed etiam operatio fidei à Deo eſt; *Operatur enim & velle & perficere* Phil. 2. Ut ita opus ſalutis noſtræ non dividatur inter nos & Deum, ſed totum Dei ſit. Nam ſi verum eſt, quod per os miniſtrorum ipſo actu credimus v. 7. multo magis verum eſt, quod actualis noſtra fides à Deo eſt, & non ex nobis. Sicut Spiritus Sanctus dicitur pro nobis intercedere inexpreſſis gemitibus; quia ipſos gemitus, quibus nos Deum alloquimur, format & operatur, Rom. 8. 26, 27. Ita illam ipſam actualem fiduciam, qua in Deum recumbimus, format & operatur.

Sed cur fides dicitur purgare, cum tamen ſanguis Chriſti corda noſtra purget, Hebr 9. 14? *Reſp.* Purgatio cordis fit à ſanguine Chriſti, quia ejus merito & virtute acquiſitus Spiritus S. qui fomitem peccati expurgat, & veram ſanctimoniam cordi infundit, & ſanctas actiones inde producit. Tribuitur tamen fidei, quia per fidem noſtram Chriſti ſanguis nobis applicatur, ut virtutem ſuam in nobis exercere poſſit ad noſtram purificationem. Sicut anima corpus vivificat, quamdiu per ſanguinem, & præcipue per humidum radicale corpori unitur, hoc vero exſtincto anima excedit, & corpus fit impurum cadaver; ita quamdiu Chriſtus per fidem unitus nobis eſt, ſanctificat corda, ſed exſtincta fide, excedit Chriſtus: In ipſis corporalibus purgationibus & lotionib s res ita habet, ut ſola quidem aqua purget veſtes, ſed manus lotricis dicitur lavare & purgare, quia aquam applicat & perfricat. Sic, &c. Hæc illa adſperſio ſanguinis Chriſti, de qua 1. Petr. 1. 2. Deus dupliciter adſpergit nobis ſanguinem Chriſti. 1. Dum fidem in nobis operatur & excitat, facitque ut ſanguinem Chriſti quaſi imbibamus, attrahamus & applicemus. 2. Dum merita ſanguinis donat & imputat, & propter ea peccata remittit ac Spiritum largitur.

Dicitur autem quod fides corda purget. Fides

1. Dicitur purgare perſonas noſtras, dum per apprehenſionem meritorum Chriſti nos juſtificat, & ſententiam juſtificationis nobis impetrat, Act. 10. v. 43. Dum ex inimicis facit filios ac hæredes Deo gratos & acceptos.

2. Specialiter hic dicitur purgare corda. Loquitur enim hic Textus non tam de juſtificatione quam de ſanctificatione, dicitque quod per fidem cor ſanctificetur. Quomodo ſanctificat cor? *Reſp.* Per triplicem actum:

α Eodem actu eademque fiducia, qua impetrat à Deo ſanguinem Chriſti ad juſtificationem, impetrat etiam Spiritum Chriſti ad ſanctificationem. Apprehendit enim totam promiſſionem fœderis, quæ & remiſſionem peccatorum & Spiritum ſanctificationis promittit, & adoptionem quoque ac adoptionis Spiritum. Per fidem ſumus filii Dei, 1. Ioh. 1. 2. ſimulque impetramus Spiritum adoptionis, quo juſtificatio & adoptio noſtra obſignatur, Gal. 4. 6. Sicut enim per ſanguinem & remiſſio peccatorum & adoptio ac Spiritus S. acquiſitus eſt, ita per fidem in ſanguinem Chriſti hæc omnia à nobis obtinentur & impetrantur.

β. Eadem fiducia cordis, qua homo extra ſe egreditur, & ſanguinem Chriſti ſibi applicat, etiam reflectit in ſe ipſum, & operatur in proprium cor ac propriam conſcientiam, eam perſuadens ac convincens ac certificans de amore Dei erga ſe, & ſic pariens amorem erga Deum, ex quo amore oritur odium peccati, & ſtudium ſanctitatis. Fiducia ſalutis in Chriſto repoſita parit Parrheſiam & certitudinem conſcientiæ de ſalute adepta, Eph. 3. 12. Certitudo

Aaaa

titudo amoris Dei & datæ ſalutis parit amorem Dei 1.Joh 4.19. Amamus cum ſentimus quod nos amaverit. Amor autem parit ſtudium placendi & cavendi offenſionem, ex quo ſtudio vera obedientia oritur. Hinc fides vera dicitur efficax per charitatem, Galat 5.6. Quia per fiduciam ſalutis conſcientiam perſuadet ad Deum amandum, & ſic ad offenſionem ejus cavendam.

7. Accedit tertius fidei actus ad ſanctificationem cordis conducens, ſcil. is, quo mandata ſanctitatis in verbo Dei propoſita, obſignat, perſuadetque & convincit conſcientiam noſtram, quod ſint juſta & æqua. Niſi quis hoc credat, non multum iis movebitur ad ſanctitatem, ſed ſi credat, dicet ut Pſ. 19.9. Iuſta ſunt mandata Domini, ideo cor lætificant & delectant. Cum credimus quod mandata Dei ſint juſta & æqua, hæc fides efficit ut voluntas noſtra in mandata Dei conſentiat, & delectationem in mandatis Dei concipiat.

Diſcamus hinc methodum faciendi bona opera, ſc. perſonæ noſtræ & corda noſtra ſunt purificanda per fidem & tum opera ex illis creſcent. Qui ſtudium bonorum operum urgent, & rectificationem cordis primo non urgent, ſunt ſicut imperiti hortulani, qui arboris radicem non rectificant, ſed poma quaſi ex trunco exſculpere ſatagunt. Opera creſcunt ex corde. Cor igitur purgandum & fœcundandum per fidem. Hoc refutat triplices homines. 1. Papiſtas fiduciam firmam vetantes & dubitationes laudantes. 2. Eos qui diſputationes de fide & myſteriis Euangelicis inutiles prædicant, & clamitant ad bona opera hortandos eſſe homines. 3. Puſillanimes, qui propter indignitatem ſuam non audent firma fiducia in Deum recumbere. Nolite his prætextibus recuſare fidem. Deus enim eſt qui fiducialem acceſſum & reclinationem in merita Chriſti permiſit, qui ad eam invitat, qui eam mandat, qui recuſationem illius condemnat & punit Matth. 11.28. 1.Ioh. 3. v. 23.

Actor. 15. v. 10, 11.

CONCIO CLXXIII.

SEcundum argumentum Petri comprehenditur hoc Eothymemate. Obſervatio legis Moſaicæ eſt jugum quod nec Patres noſtri potuerunt, nec nos poſſumus portare, ſed credimus per gratiam Domini Ieſu Chriſti ſervari ſicut & illi. Ergo non debemus hoc jugum collo Diſcipulorum, qui ex Ethnicis ad Chriſtum converſi ſunt, imponere. Ratio conſequentiæ: Nam hoc foret tentare Deum.

Materiæ & doctrinæ hoc argumento contentæ, quædam ad legem, quædam ad Euangelium pertinent. De lege dicitur.

1. Quod lex Moſis ſit jugum, quod nec Iudæi, nec Patres ipſorum portare potuerunt.

2. Quod hoc jugum collo diſcipulorum imponere ſit tentare Deum. De Euangelio tres ſunt propoſitiones. 1. Credimus ſalvari. 2. Credimus ſalvari per gratiam Domini Ieſu Chriſti. 3. Patres etiam crediderunt per gratiam Chriſti ſalvari.

1. Cur Lex Moſis jugum importabile? Utique portarunt Iudæi circumciſionem. Etſi erat nonnihil dolorifica Sichemo, Gen. 34. 25. tamen portabatur. Sic cæteræ ceremoniæ erant quidem oneroſæ & ſumptuoſæ, ſed tamen portatæ ſunt à Iudæis, per annos circiter mille quingentos. Sic tota lex Moſis, moralis æque ac ceremonialis, à ſanctis Iſraëlitis fuit obſervata, ut in omnibus ejus præceptis & ſtatutis ambulaverint irreprehenſibiliter, *Luc.* 1. 6. Cur igitur dicitur non potuiſſe portari à Iudæis? *Reſp.* 1. Cum Orthodoxi hunc locum urgent contra Ieſuitas, docentes quod renati legem Dei in hac vita poſſint perfecte implere, excipiunt Ieſuitæ, quod Petrus tantum hoc velit, Iudæos non potuiſſe obſervare legem Moſis ſine magna difficultate. Sed textus evidenter dicit: Obſervationem legis Iudæis non difficilem, ſed impoſſibilem fuiſſe. Non potuerunt portare.

2. Attamen portarunt. *Reſp.* Verba hæc intelligenda ſunt ſecundum ſenſum. Quæſtionis de qua hic diſputatur. Diximus, quæſtionem à Synodo tractatam fuiſſe hanc: An homo teneatur obſervare legem Moſis, ut per eam juſtificetur coram Deo, & obtineat ſalutem? ſeu, ut verba textus retineam: An gentes credentes non poſſint ſalvari niſi circumcidantur ſecundum legem Moſis? Non eſt quæſtio de ſola lege ceremoniali, ſed etiam de morali, nec ſimpliciter quæritur, an credentes gentiles teneantur obſervare legem Moſis, ſed an eam teneantur obſervare eouſque; ut per eam poſſint ſervari & juſtificari? Hoc onus importabile. Nam ſi animas contritas ita doceas, quod non poſſint juſtificari niſi per perfectam obedientiam legis, ſtatim concidunt & merguntur in deſperationem. Sciunt enim ſe non poſſe legem Dei perfecte implere, & legi Dei ita ſatisfacere, ut contenta ſit, nec plus requirat, & maledicere deſinat. Hoc jugum ſolus Chriſtus

pro

pro nobis portavit, noſtrum nemo portare poteſt. Hinc Iudæorum Patres quiritabantur de lege Dei & concionibus Prophetarum, tanquam de onere, Ier. c. 23. v. 33. 38. Duris Iudæis lex erat onus, propter averſionem à lege, quam illubentes obſervabant. Contritis Iudæis lex erat onus propter ſuam imperfectionem, qua non attingebant perfectionem legis, ut maledictionem ejus evaderent, Pſalm 38. 5. Sic etiam hodie viva & ſevera prædicatio Legis habet hunc duplicem effectum, quod auditores contritos tanquam onus deprimit, ut contriſtati exclament, *O me miſerum quis me liberabit?* Rom. 7. duros vero auditores facit exacerbatos; ut indignabundi exclament: *Quis igitur poteſt ſalvari!* Concionatores adeo magna onera ligant auditoribus, ut vix non deſperent. Vide Pſ. 2. 3. Hinc & Paulus ſtudium juſtificationis per obſervationem legis & ceremoniarum vocat *jugum*, Gal. 5. 1. Ex his querelis tum piorum tum impiorum ſuper prædicatione legis ſatis patet, quod obſervatio legis ſit omnibus hominibus onus importabile.

Object. Si obſervatio legis eſt onus tam importabile, cur Deus legem collo Iudæorum injunxit, & nobis hodieque injungit Legem Moſis moralem? *Reſp.* Deus proprie non poteſt dici legis jugum collo noſtro imponere, ſicut hi Iudaizantes faciebant, quia non eo fine legem prædicat & mandat, quo hi Iudaizantes eam volebant prædicari & mandari, ſcil. ut medium, cujus obſervatione juſtificemur & ſalvemur, ſed tantum eo fine, ut legis onere preſſi deſideremus eum, qui nos à lege liberet. Sicut durum onus ſervitutis collo Iſraelitarum in Ægypto impoſuit, ut preſſi deſiderarent liberationem ex Ægypto: ita Legem injungit, ut legis jugo preſſi deſideremus liberatorem ſpiritualem qui à lege liberet. Vide Galat. 4. 3, 4, 5. Iudæos quidem, in notitia religionis pueros, preſſit non ſolum jugo legis moralis ſed etiam ſuperaddito onere ceremoniarum; Chriſtianos vero N. T, in religionis notitia perfectiores, à ſervitute quidem ceremoniarum liberavit, ſed tamen prædicatione legis moralis onerat, ut liberationem à lege quærant ac deſiderent. Quænam autem illa liberatio à lege, ad cujus deſiderium per prædicationem legis excitamur? *Reſp.* Ea duplex eſt. Propter duas enim cauſas lex importabilis eſt. 1. Quia ſemper maledicit. 2. Quia impoſſibilia requirit. Prædicatur igitur, ut per legem preſſi deſideremus liberationem à lege, & ſic

1. Ut liberemur à maledictione legis. Lex maledictionem noſtram nobis annunciat, ut hanc ſentientes, imploremus merita Chriſti, quibus Dei juſtitia placetur, & amor ejus paternus nobis acquiratur. Sic preſſura & ſervitus legis dicitur operari noſtram adoptionem, Gal. 4. 5. Non minatur maledictionem peccatoribus, ſicut Adamo ante lapſum, ſed abſolute denunciat.

2. Ut liberemur ab impoſſibilitate legis Lex impoſſibilia nobis requirit, ut impotentiam noſtram nobis oſtendat, utque hanc ſentientes imploremus gratiam Spiritus Sancti, per quam hoc importabile jugum fiat leve & portabile. Cum enim per prædicationem legis ad agnitionem noſtræ impotentiæ adducti petimus Spiritum Sanctum, tum lex fit *onus ac jugum leve & dulce*, Matth. 11. v. 28. tum *præcepta* Legis *non ſunt gravia*, 1 Ioh. 5. 3. Tum non eſt onus, ſed cibus, geen laſt / maer eene luſt / Pſalm 19. 11. Sic itaque lex eſt onus importabile quod non poteſt niſi premere. Sed tamen ideo imponitur Chriſtianis, æque ac Iudęis, ut utrique per preſſuram legis confugiant ad liberationem Ieſu, qui per ſanguinem & Spiritum ſuum à lege liberet, & ſic per novam obedientiam ad perfectionen legis contendant. Verum qui hoc onus ita imponit collo diſcipulorum, ſicut hi Iudaizantes faciebant, & ſicut hodie Papiſtæ faciunt, ſcil. ut doceant, non poſſe Chriſtianos ſalvari & juſtificari, niſi per perfectam obſervationem legis Moſis, is homines non ſalvat, ſed occidit & ad deſperationem adigit. Vos igitur cum auditis ſeveram prædicationem legis, nec indignemini, nec deſperate, ſed per legem territi, confugite ad Chriſtum, & ſanguinem ac Spiritum ejus implorate, & ſic hoc jugum legis in vos recipite; ſi ſic facitis, requiem invenietis animabus veſtris.

II. Cur Iudaizantes Chriſtiani, diſcipulis ab Ethnicicismo converſis imponentes ſtudium juſtificationis per obſervationem legis, dicuntur Tentare Deum? *Reſp.* Vocabulum *tentare* quatuor potiſſimum modis uſurpatur in Scriptura.

1. Deus tentat hominem, cum ipſi dat talia mandata, vel objicit tales occaſiones, per quas manifeſta fiant hominis interiora, ut conſtet an ſit fidelis Deo nec ne. Sic Adamum tentavit per arborem cognitionis boni & mali, Gen. 3. Sic Abrahamum jubens mactare filium ſuum, Gen. 22. Sic Iſraëlitas per falſos Prophetas, Deut 13. Sic Hiskiam per gratulationem Chaldæorum, 2 Chron. 32. 31. Sic Iobum per crucem.

2. Diabolus tentat homines, cum conatur seducere ad diffidentiam, vel ad alia peccata pellicere: ſic

Adamum tentavit Geneſ. 3. Sic ipſum Chriſtum, Mat. 4. Sic fideles quotidie, 1.Petr. 5. 1.Theſſ.3.5. Hoc genus tentationis in Deum non cadit, Iac. 1. v. 15. Sic & mali homines, Diabolum imitati, alios tentant ad ſeducendum, ad nocendum Matth. 22. v. 18.

3. Homo tentat ſe ipſum, cum ſe explorat & ſibi attendit, ut cor ſuum diſcat noſſe, an ſit ſincerum necne 2.Cor. 13. 5. Item cum ſe patitur propriis cupiditatibus ineſcari Iac. 1. 15.

4. Homo tentat Deum. Quomodo hoc? Cum Deo non credit, niſi videat ſigna & miracula, ut loquitur Chriſtus, Ioh. 4. 48. Sic Phariſæi Chriſtum tentabant, Matth. 16. 1. Sic Thomas, Ioh. 20. 25. Sic Papiſtæ hodie, quantumvis vera doctrina ex Scriptura clariſſime demonſtretur, dicunt tamen ſe nolle credere, niſi miraculis probemus noſtram Doctrinam. Sic hi quoq; Iudaizantes tentabant Deum, dum tam claris argumentis & documentis convicti, quod ſit voluntas Dei, etiam incircumciſis gentibus, ſi credant, vitam æternam dare, tamen non credebant, gentiles converſos eſſe puros, ut liceret cum illis converſari. Caveamus hoc vitium. Cum conſtat & evidens eſt, Deum hoc vel illud juſſiſſe, minatum eſſe, vel promiſiſſe, ne recuſemus credere, & obedire, donec Deus per ipſam experientiam nos convincat, & per ipſam impletionem ſuarum comminationum vel promiſſionum. Deus vult verbo ſuo credi, & ſi huic fidem derogantes, tum demum credimus, cum verbum impletur per experientiam, tentamus Dominum & ſentimus ſententiam quę eſt, Ioh. 20. 29. O quam nobis hoc familiare eſt, quod in neceſſitatibus, defectibus & difficultatibus conſtituti, in dubium vocamus Dei juſtitiam, potentiam & veritatem, nec prius eam confitemur, donec invenimus nos liberatos. Hactenus de Lege.

III. Prima Euangelica propoſitio hujus textus eſt: Credimus ſalvari. Credimus quod ſimus ſalutem habituri. Hinc conſtat, quod in vera fide debeat eſſe fiducia particularis, qua quiſque fidelium credit, ſe ſalvatum iri, ſua peccata eſſe remiſſa, Chriſtum pro ſe mortuum, Deum ſuum Patrem eſſe, ſibi Spiritum Sanctum dandum. Per *ſalvari* enim hic non tantum intelligitur ipſa vita æterna, ſed omnia ad vitam æternam conſequendam neceſſaria. Hæc particularis fiducia ſalutis fuit in fide Iobi, Iob 19. v. 25. Davidis Pſal. 18, 1, 2. in fide Pauli, 2.Tim. 1. v. 12. Gal. 2. 20. Rom 8. 38. Thomæ Ioh. 20. 28. Cum hac fide pugnat omnis voluntaria dubitatio de remiſſione peccatorum & ſalute, in qua homo ſibi indulget, & quam non nititur expellere. Talis dubitatio eſt infidelitas, quæ à Chriſto ſeparat & ſalutem impedit.

IV. Secunda propoſitio Euangelica eſt: Credimus per gratiam Domini Ieſu Chriſti ſalvari. Per *gratiam Domini Ieſu Chriſti* intelligitur non tam ipſa gratia & caritas ac miſericordia Chriſti erga nos, quam beneficia quæ ex mera gratia nobis præſtitit, quod ſcil. pro nobis mortuus juſtitiæ Dei ſatisfecit, & Spiritum Sanctum ac jus adoptionis nobis acquiſivit. Mera gratia & miſericordia Chriſti non ſalvant, ſed ſatisfactio ex gratia pro nobis præſtita. Hæc vera gratia Chriſti quod propter nos pauper factus, ut ejus paupertate fieremus divites, 2.Cor.8. v. 9. Iugum legis & gratia Chriſti ſunt duo contraria. Illud ferre non poſſumus, adeoque per illud ſalvari non poſſumus. Gratioſa autem ſatisfactio Chriſti, pro noſtris peccatis præſtita, nos ſalvat, quia nos tuetur contra iram Dei, & nobis aperit aditum ad gloriam. Diſcimus hinc, quod in vera fide non tantum eſt apprehenſio ſalutis, ſed etiam apprehenſio Chriſti. Si tantum dicimus: *Credo ſalvari*, hæc eſt carnalis ſecuritas & mera imaginatio; ſed ſi dicimus: *Credo ſalvari per gratiam Chriſti*: hæc eſt reclinatio cordis in Chriſtum, eſt amplexus Chriſti, quo cor noſtrum Chriſto utitur & inſeritur. Sicut in contractu conjugali ſponſa non tantum cor ſuum conjicit in felicitatem & bona, quibus per conjugium fruitura eſt, ſed præcipue in ſponſum, cujus amore & virtute his bonis fruitur: ita fides non tantum ſalutem apprehendit, & credenti applicat, ſed præcipue Chriſtum amplectitur, & in ipſum recumbit. Ubi hoc non eſt in fide, ibi nulla vera unio cordis cum Chriſto, & hæc fides Chriſto non inſerit, nec parit veram communionem cum bonis illius, nec cor avertit à mundo, & facit fœcundum in bonis operibus. Hoc demum eſt in Chriſtum credere, cum ita toto corde in Chriſtum recumbimus, eique adhæremus. Hoc eſt recipere Chriſtum, ſine qua receptione fides non eſt fides, Ioh. 1. 12. Hoc eſt ſuperſtruere ſe Chriſto ut lapidi angulari, 1.Petr. 2. Hoc eſt ſe per fidem ut per anchoram figere in Chriſtum, Hebr. 5.

V. Tertia & ultima Euangelica propoſitio eſt hæc. Patres V. Teſt. etiam crediderunt per gratiam Chriſti ſalvari. Nos ſicut illi. Non probabo nunc, Patres V. T. etiam ſalvatos eſſe & vitam æternam obtinuiſſe, contra illos qui docent, ſola poſſeſſione terreſtris Canaan ſaginatos, vel poſt mortem in aliquo Limbo uſque ad Chriſti deſcenſum ad inferos deten-

detentos eſſe: Plurima ſunt loca, quæ hoc refutant. Hoc tantum probabo, quod in textu eſt, ſcil. Patres V. Teſt. ſalvatos eſſe per fidem in gratiam Domini Ieſu Chriſti. Hoc patet ex exemplo Abrahami. Is dicitur ſalutem & benedictionem obtinuiſſe per ſuum ſemen, quod eſt Chriſtus, Galat. 3. 16. Vidit diem Chriſti & gaviſus eſt, i. e. credidit Chriſtum venturum, & in eo omne ſuum gaudium poſuit, Ioh. 8. Iuſtificatus eſt ex fide & non ex operibus, ſed per imputatam fidem, & ſic factus eſt Pater, id eſt, exemplar omnium fidelium, docens nos omnes, quo pacto debeamus juſtificari, Rom 4. 3. Iac. 2. v. 32.

Patet deinde ex exemplo Davidis Pſal. 2. Oſculamini filium. Beati qui in ipſum confidunt. Fides in filium Dei parit beatitudinem. Sic Pſ. 110. Chriſtum appellat ſuum Dominum, quod idem eſt, ac cum nos in Symbolo noſtro dicimus: *Credo in Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hinc Chriſtus vocatur ſanctuarium Davidis, τὰ ὅσια τοῦ Δαυῒδ q. d. aſylum Davidis, ad quod confugit, & in quo ſalutem ac protectionem ſuam quæſivit contra iram Dei, Eſa. 55. 3. Act. 13. 34.

Patet etiam ex catalogo fidelium, quem Paulus nectit, Hebr. 10. 11. Ubi teſtatur, quod omnes illi Patres per fidem obtinuerint meliorem reſurrectionem, Hebr. 11. 35. Teſtatur ibi Paulus, quod Patres habuerint fidem, & quod eorum fides non acquieverit in Tabernaculo Moſaico, & in ſanguine taurorum & hircorum. Sed quod per hæc tanquam per umbras cœleſtium, futura bona reſpexerint.

Patet ex exſpectatione futuræ ſalutis, quæ Patribus tribuitur. Vide Geneſ. 49. 18. 2. Sam. 23. v. 5. Luc. 2. 25. & 38. Hinc Patres fideles vocabantur *ſpeculatores*, Mich. 7. 4. Qua in re conſiſtebat Patrum exſpectatio? Ut Deus impleret, quod de Chriſto per Prophetas prædixerat. Vide hoc confirmatum, Act. 27. 6, 7, 22, 23, 27. Veterum exſpectatio & noſtra fides non differunt ſubſtantialiter.

Patet denique ex dicto, Rom. 3. 25. Rom. 10. 4. Cum confeſſione viginti quatuor Seniorum, quæ eſt Apoc. 5 8, 9. Hi Seniores enim ſunt Patres V. T. ſalvati.

Videmus hinc nos eandem fidem & religionem habere quam habuerunt Patres V. T. Si quicquam valet antiquitas, hæc valeat. Hanc Papiſtæ non habent. Nam 1. Præ fide laudant dubitationes. 2. Pro gratia Chriſti ſubſtituunt merita ſua & Sanctorum. Nos igitur in hac de fide vivamus & moriamur, & per veram ſanctimoniam vitę teſtemur hanc eſſe veram fidem, quæ Deum & Eccleſiam decet, nec reformidemus, cum opus eſt, hanc fidem obſignare noſtro ſanguine.

Actor. 15. *v.* 12. *ad* 22.

CONCIO CLXXIV.

HActenus congregatio Synodi, generalis procedendi modus, & particulare judicium ac conſilium Petri fuit expoſitum. Reſtat in hac parte. 1. Interloquutio Pauli & Barnabæ. 2. Particulare judicium & conſilium Iacobi.

Petro ceſſante loqui, tacuit tota multitudo, & auſcultavit Barnabæ & Paulo exponentibus: quanta ſigna & miracula Deus per ipſos fecerit inter gentes. 5. Per *multitudinem* intelligimus vel totum corpus Synodi, ex multis conſtans membris, vel etiam totam Eccleſiam Hieroſolymitanam, in cujus facie & conſpectu Synodus omnia ſua egiſſe videtur, ſi recte inſpicias verſum 22.

Ex ſilentio hujus multitudinis poſt ſermonem Petri, Ieſuitæ colligunt, eam in ſolius Petri judicio penitus acquieviſſe, eumque pro ſolo & ſummo controverſiarum judice per hoc ſilentium agnoviſſe. Et merito, inquit Ieſuita celebris, (Cornelius à Lapide) quia B. Virginem privatim conſuluerat, quæ cum eſſet Apoſtolorum Magiſtra, prima hanc quæſtionem definivit. Quam verum illud Apoſtoli Rom. 1. 21, 22. quod idololatræ ſtulti facti! Si in ſolius Petri ſententia acquieverunt, cur plures audiverunt? Cur poſteà tota Synodus decretum fecit? Silentium Eccleſiæ non fluebat ex auctoritate Petri, quam haberet ſupra cæteros Apoſtolos, ſed ex claritate Argumentorum, quam in ſermone ſuo habuerat. Non erant iſti auditores Pontificii, qui in mera authoritate docentium acquieſcunt, non curantes *Quid dicatur*, ſed tantum *Quis dicat.* Claritas doctrinæ, non auctoritatis docentis fecit Eccleſiam ſilere, deditque pertinacibus Papiſtis exemplum, quo diſcant cedere doctrinæ evidenter demonſtratæ, etiamſi Doctor ipſe nec Papa ſit nec Epiſcopus. Non cœci ſequamur ductores, lucernam ſine lumine præferentes.

Quid autem loquebantur Barnabas & Paulus? Exponunt quanta ſigna ac miracula Deus per ipſos feciſſet inter gentes. Petrus argumentatus fuerat ab eo teſtimonio, quod Deus gentibus per ipſum dederat in converſione Cornelii. Ad confirmationem hujus argumentationis Barnabas & Paulus addunt,

quanta

Quanta teſtimonia Deus gentibus dederit per illos in ſuperiori ipſorum itinere. q. d. Viri fratres, ſi ex eo teſtimonio, quod Deus per Petrum gentibus incircumciſis dedit in converſione Cornelii & domus ipſius, poteſtis concludere, quod gentes converſæ, quamvis incircumciſæ, Deo ſint gratæ; quid non concludetis, ſi audietis quanta ſigna & miracula per nos ſit inter eos operatus. Narrarunt igitur idem quod in ſuperiori itinere factum audivimus in Cypro, Piſidia, Lycaonia, &c. Quæ quia ſuperius explicata ſunt, non eſt quod huic verſui inhæreamus.

Tranſimus itaque ad conſilium Iacobi. Hic primum quæritur, Quis ille Iacobus? Breviter dico ſententiam. Fuit ille ipſe, qui ſcripſit Epiſtolam Iacobi, filius Alphæi, in catalogo Apoſtolorum ordine nonus, Matth. 10. 3. vocatus *frater Domini* Gal. 1. 19. Quia ejus cognatus ſecundum carnem. Verus eſt opinio, quod fuerit Epiſcopus Hieroſolymitanus. Conſtat quidem ex Scriptura, quod plerumque Hieroſolymæ manſerit Act. 12. 17. & 21. v. 18. Gal. 1. 16. Sed Epiſcopum urbis fuiſſe, inde non conſtat. Apoſtoli enim non erant Doctores alicujus urbis, ſed totius orbis, etiamſi in una altera ve urbe & Eccleſia aliquando per plures annos commorati ſunt.

Sed orationem Iacobi videamus, quæ quatuor habet partes:

1. Poſt præfationem præmittit Argumentum ex quo concludit, v. 13, 14, 15, 16, 17, 18,

2. Concluſionem ipſam ponit, v. 19.

3. Iſti concluſioni limitationem aliquam adjicit, v. 20.

4. Et illam limitationem argumento confirmat, v. 21.

Hæc diſtinctio partim hoc loco probe obſervanda eſt, quoniam ſine illa textus eſt longe difficillimus.

In præfatione audientiam petit, & Petri argumentum repetit, & cum ſuo connectit. q. d. Meus collega Simeon (Habet enim is quatuor nomina in Scriptura, Petrus, Cephas, Simon & Simeon) bene oſtendit, quod Deus jam dudum cœperit ex incircumciſis Ethnicis populum ſumere ſuo nomini, & inde concluſit, Ethnicis ad Deum converſis non eſſe imponendum jugum legis Moſaicæ. Ego altius vos ſubveham. Nam quod Deus jam incepit facere, jam dudum prædixit ſe facturum eſſe, immo etiam ab æterno decrevit. Videtur vobis valde novum & peregrinum, incircumciſos Ethnicos, quos nos & noſtri Patres tantopere ſemper fuimus deteſtati, admitti in Eccleſiam, & familiarem noſtram converſationem, baptizari, haberi pro iis & Deo acceptis, vitæ æternæ hæredibus. Sed ne ſit vobis hoc adeo novum & peregrinum. Eſt enim id, quod Deus non ſolum jam dudum & ante aliquot annos facere incepit, ſed etiam quod jam olim per Prophetam prædixit, & quod proinde ab æterno decrevit. Hæ ſunt tres periodi argumentationis Iacobinæ.

I. Deus jam dudum incepit populum ſumere ſuo nomini ex Ethnicis. Sic enim vocem ἐπεσκέψατο puto vertendam. proprie eſt: Viſitavit ſumere populum, vel potius diſpexit, circumſpexit ſumere ut c. 6. 3. Cum enim rem aliquam incipimus, oculos in eam conjicimus. Hinc Syriaca verſio pro ἐπεσκέψατο habet *incepit*. Sed quid eſt: *Nomini ſuo populum ſumere ex Ethnicis*, vel ut eſt in Græco, *ſumere populum in nomine ſuo? Reſp.* i. e. Cœpit vocare populum per verbum ac Spiritum ſuum, qui in nomen ejus baptizaretur, qui in nomen ejus crederet, qui nomen Domini invocaret, qui de nomine Domini appellationem acciperet, tanquam peculium illius. Deſcribitur hac phraſi vocatio noſtra ad Chriſtianiſmum quo modo fiat, & quem finem habeat. Modus eſt, quod ſumimur in populum, i. e. adoptamur in populum peculii. Cum eſſemus non populus, *Loammi*; adoptamur in populum Hoſ. 1, 10. 1. Petr. 2. 10. Reges mundani ſic loqui non poſſunt. Illi enim non eligunt ſibi populum pro lubitu, ſed fortunati ſunt, ſi quando ab aliquo populo ſumantur in Regem, hic populi dicunt: Faciemus eum Regem; & nolumus hunc regnare ſuper nos. Sed Deus pro libertate ſua ex omnibus populis mundi ſibi eligit ſuper quem vult eſſe Rex, proſpicit ſibi de populo, ſceptrum ſuum demittit ubi vult, & dicit: Hic ero Rex, hic mihi erit populus, Pſ. 100. 3. Ier. 24. v. 7. Sed quo fine Deus aliquem populum facit ſuum populum? Nonne terra Domini eſt, & omnes populi qui in ea ſunt, Pſ. 24. *Reſp.* Habet quidem poteſtatem regnandi ſuper omnes, ſed non vult regnare ſuper omnes populos, ſed tantum ſuper eos, quos aſſumit in nomen ſuum. Cæteri ſunt mancipia, captivi hoſtes, quos ut judex punit, ſed illi demum populus ſunt, quos adſciſcit ſuo nomini. Quid hoc?

1. Quibus dat cor ut nomen ſuum glorificent, ſanctificent, eique ſerviant in decoro ſanctitatis. Vide Pſal. 110. 3. Tit. 2. 14. 1. Petr. 2. 9.

2. Qui de nomine ejus nominantur, Eſa. 43. v. 1, 6, 7. i. e. quos fecit ſuos domeſticos, quos per

potentiam ſuam defendit ac contra omnes hoſtes protegit, quoſque hæredes bonorum ſuorum inſtituit. Hinc tales dicuntur *populus paſcui ipſius*, Pſ. 100. quia eos paſcit & nutrit ut ſuos domeſticos, non tantum cibo corporali, ſed præcipue ſpirituali. Tales & nos per Dei gratiam facti ſumus. Super nos enim extendit ſceptrum verbi & dixit: Vos mihi eritis in populum, & ordinariis ſimul ac miraculoſis benedictionibus teſtatus eſt quod noſter Deus ſit, & nos ipſi populus. Diſcamus igitur inde. 1. Noſtram felicitatem. Cum res nobis cum hoſtibus, cum luctamur cum omnis generis defectibus, ne abjiciamus fiduciam, ſed recordemur nos de nomine Dei nominatos, & precemur Deum ut eſt Ierem. 14. 9. 2. Noſtrum officium, ut Deo noſtro protectori & redemptori fideliter ſerviamus, ne nobis dicatur illud Eſa. 1. 2, 3, 4. Matth. 21, 43.

II. Non tantum noſtro tempore cœpit ſumere populum ex Ethnicis, ſed etiam olim ſe ita facturum prædixit. Hoc fine provocat ad omnes Prophetas, & nominatim citat dictum ex Amos 9. 11, 12. De hoc dicto multa forent dicenda, conciliandæ diverſitates quæ ſunt inter originalem Textum, & inter verſionem Græcam quam Iacobus citat, explicandum quid Propheta intelligat *per reliquias populorum*, per tabernaculum fractum, per requirere Deum, &c. Sed non exponimus nunc Prophetam, niſi quatenus facit ad ſcopum Apoſtoli. Quomodo ex hoc dicto ſequitur quod Apoſtolus vult probare, videlicet: Gentibus non eſſe imponendum jugum legis Moſaicæ? *Reſp.* Quia ex hoc dicto patet: Gentes, ad agnitionem Chriſti vocatas, pertinere ad tabernaculum ſeu ad Eccleſiam N. Teſt. & habere idem privilegium cum Iudæis. Si Propheta teſtatur, gentes non circumciſas tempore N. Teſt. ad agnitionem Chriſti vocatas, pertinere ad tabernaculum ſeu Eccleſiam, & eſſe inter eos, qui Dominum toto corde requirunt, & ſuper quos nomen Domini invocatur, tum non licet ipſis imponere jugum legis, ut per ejus obſervationem demum fiant populus Dei. Atqui hoc Propheta teſtatur, Ergo. Hunc eſſe ſenſum Prophetæ, clarius patet ex Hebræo Textu, qui ſic vertitur recte: Reædificabo tabernaculum, i. e. Eccleſiam, ut poſſideant: (enallage numeri propter nomen collectivum:) id eſt, ut complectatur & ſuo ambitu comprehendat reliquias Edom, & cæteras gentes quæ de nomine meo vocantur. Etiam Edom & cæteras gentes comprehendentur in Eccleſia. Sic exponitur ſenſus Prophetæ à Paulo, Eph. 3. 5, 6. Si jam olim, quamvis obſcurius, per Prophetas prædictum fuit, gentes eſſe cohæredes, concorpores, una participes promiſſionis in Chriſto, quo jure aut qua conſcientia poſſumus talibus gentibus imponere jugum legis, ut per eam quærant juſtificari? Sic Eph. 2. 12, 13, 14, 15, 16, &c. Sic Rom. 11. 17. Sed mittamus Prophetam & redeamus ad verba Iacobi.

III. Deus non tantum noſtro tempore cœpit ſibi ſumere populum ex gentibus, non tantum olim ſe ita facturum promiſit, ſed etiam ab æterno decrevit. Omnia enim opera ejus ab æterno ipſi cognita ſunt. Deus eſt qui hæc omnia facit, cui ab æterno quod in tempore facit notum eſt: Hæc Iacobi γνώμη & veriſſima & utiliſſima. Veritas ejus patet non ſolum ex hoc dicto, ſed etiam aliunde. Vide Hebr. 4. v. 13. Iob. 28 24. Si non ſic eſſet, ſcientia ejus non eſſet æterna nec infinita. Patet etiam ex prædictione rerum futurarum. Vide Eſa. 41. 23. Et ſicut omnia ab æterno præſcit; ita præſertim ab æterno novit unumquemque hominem, omneſque ejus cogitationes, conſilia & eventus Ier. 1. 5. Pſ. 139. 2. Rom. 8. 29. Sed quæritur hic, unde Deus ſciat res futuras, unde ei notæ ſint, an ex rerum natura, an ex Dei decreto. *Reſp.* Deus non habet præſcientiam ſuam ex rerum futurarum natura, ſed res omnes habent ſuam futuritatem ex Dei decreto, quia fuit beneplacitum & conſilium Dei hoc illud facere vel permittere, hinc præſcit hoc vel illud eſſe futurum, Actor. 2. 23. Pſalm 115. 3. Epheſ. 1. 11. Pſ. 135. v. 6. Hinc quoque ſequitur, omnibus rebus ineſſe quandam neceſſitatem, ut fiant neceſſario. Si enim fiunt ſecundum conſilium & præſcientiam Dei, aut neceſſe eſt Deum in ſuo conſilio & præſcientia ſua poſſe falli, aut neceſſario fiunt quæ Deus decrevit & præſcit futura eſſe. Hinc toties de rebus futuris dicitur quod eas oporteat fieri, Matth. 19. Luc. 24. Non eſt quidem talis neceſſitas quæ hominis libertatem tollat in actionibus, ut bene agendo non habeat laudem, nec male, culpam, ſeu tamen eſt talis neceſſitas, quæ Deum glorificat atque decet. Novit Deus ita regere hominem, ut quæ propter conſilium & præſcientiam Dei fiunt neceſſario & infallibiliter, ab homine gerantur libere ſecundum conſilium voluntatis ipſius, ut fiant & ſecundum conſilium Dei, & ſecundum conſilium hominis; ita tamen, ut conſilium & voluntas Dei, conſilio & voluntati hominis dominetur. Sicut hæc doctrina eſt veriſſima; ita etiam eſt magnæ utilitatis. Nam

1. Eſt radix humilitatis & abnegationis ſui ipſius, qua ſuperbia & arrogantia impeditur, & homo ad Deum

Deum glorificandum diſponitur. Cum enim docemur, omnia bona, quæ nobis contingunt, per quæ ſumus feliciores multis alis, referre non ad diſcretionem propriam, & ad electionem noſtri arbitrii, ſed ad gratioſum beneplacitum & æternam præſcientiam Dei, tum cogimur exclamare: O me miſerum ſi me Deus non diſcreviſſet! Quis ego, quæ domus mei Patris! Quomodo rependam Domino! Si ante jacta mundi fundamenta, antequam in utero conceptus eſſem, pro me curavit Deus & omnia ad ſalutem meam neceſſaria firmo conſilio diſpoſuit, quantopere obligatus ſum, ut ipſi ſerviam in æternum! Si vero hoc ſomnium penes me hæret, quod Deus ſuam præſcientiam ſuumque conſilium, quod ab æterno apud ipſum fuit, hauſit ex intuitu meæ ſingularitatis & meæ eminentiæ, non niſi Phariſaica gratitudo à me proficiſcitur ut Luc, 18. 11. Sacrificabo meo reti, Habac. 1. 16.

2. Temperat metum rerum futurarum. Quoties angimur cura & metu rerum quæ futuræ ſunt! Ah quid hoc erit, quid tandem fiet? Quid quæſo contingere poteſt aliud, præterquam quod conſilio & præſcientia Dei definitum eſt ut fiat? Nihil fit caſu, ſed quicquid fiet, ab æterno à Deo prævisum & diſpoſitum eſt, & ita diſpoſitum, ut fiat ad gloriam Dei & ſalutem eorum, qui in Deum recte ſunt affecti. Examina te modo qui ſis affectus in Deum, & tum ſi vel cœlum ruat, vel montes Pſal. 46. nihil eſt quod metuas. Qui à Deo nihil opus habet metuere, non opus habet quiquam metuere à rebus futuris; eæ enim omnes conſilio Dei ſunt definitæ. O quam hoc ſolatur & animat conſcientias in medio tremore & angore corporis! Corporis tremor in turbis præveniri ſæpe poteſt, ſed in medio tremore corporis de Providentia Dei poſſe gloriari dulce eſt.

Actor. 15. v. 19, 20, 21.

Concio CLXXV.

Sequitur ipſum conſilium & ſuffragium Iacobi, quod ex præmiſſo argumento concludit v. 19. Ideo ego judico non perturbare (decere) eos, qui ex gentibus ad Dominum ſe convertunt. Multa hic notabilia:

1. Ego judico. Non dicit, ego conſulo vel ſuadeo, ſed judico Apoſtolorum enim ſuffragia in Synodo non tantum erant conſilia, ſed definitivæ ſententiæ. Illi enim erant judices controverſiarum in Eccleſia, ſicut etiamnum verba eorum in Scripturis depoſita, ſunt ſententiæ definitivæ omnium controverſiarum quæ oriuntur in Eccleſia Epheſ. 2. v. 20. à quibus non licet provocare ad alium judicem.

2. Ex gentibus ad Dominum ſe convertunt. Idololatria & communio cum Deo ſunt duo contraria. Dum gentes erant & idololatræ, alieni erant a Domino. Sed cum à gentiliſmo & idolólatria ſe averterent, venerunt ad Deum & communionem cum ipſo acceperunt. Sed hoc declaratum in Act. 14. 15. *Ab his vanis converti ad Deum vivum.*

3. Præcipua vox in hoc verſu eſt: μὴ παρενοχλεῖν, non turbare. Ego judico non decere perturbare gentes converſas. Gentium converſarum collo imponere jugum legis Moſaicæ, & gentes ita docere, quod non poſſint ſalvari niſi circumcidantur & legem Moſis obſervent, Iacobus dicit eſſe perturbare gentes converſas, vultq; id minime eſſe faciendum. Synodus v. 24. eandem rem duabus aliis vocibus exprimit, ſcilicet ταράττειν λόγοις ϗ ἀνασκευάζειν τὰς ψυχάς, deſtruere animas, ſicut ædificium bene conſtructum diruitur. Apoſtolus Paulus Gal. 5. 10. & 12. de eadem materia loquens, dicit: quod illi qui Chriſtianos volunt in obſervatione legis Moſaicæ juſtitiam quærere, ταράσσουσι ϗ ἀναστατοῦσι, turbant & inquietant Chriſtianos (ontveſtigen / los maecken dat vaſt is) Et Gal. 1. v 6. dicit, quod iidem Chriſtianos transferunt in aliud Euangelium, ſicut planta ex uno ſolo transplantatur in aliud. Omnibus his vocibus indicatur, quod per doctrinam de Iuſtificatione per Legem deſtruitur fides, & Chriſtiani extrahuntur ex propria ſtabilitate 2. Petr. 3. 17. Turbare aliquem eſt aliquem ex ſua quiete, pace & delectatione conjicere in timorem, terrorem, dubitationes & ſollicitudines. Et hoc fieri poteſt dupliciter:

1. Cum eos, qui ſopore carnalis ſecuritatis obruti ſunt, & nulla ſollicitudine ac cura ſalutis ſuæ tanguntur, excitamus per ſtrepitum & tonitrua legis, ut miſerum ac periculoſum ſuum ſtatum, in quo naturaliter jacent demerſi animadvertentes, diſcant cum timore ac tremore ſalutem ſuam operari, & iram venturam Domini effugere. Hæc turbatio hominum Miniſtris verbi divinitus mandata, auditoribus ingrata quidem, ſed tamen utilis & ſalutaris eſt. Si quis in ponte dormiens præceps in fluvium ruere incipit, ſi quis in medio incendio dormiens flammæ & combuſtioni proximus eſt, non habet majorem amicum quam eum, qui ipſum ex

dulci

dulci ſomno excitat, ut periculum videns trepidus effugiat. Sic vobis non ſunt utiliores amici, quam Miniſtri verbi, qui exitioſo ſecuritatis ſomno ſepultos perturbant, ut ex laqueis Diaboli evigilantes, cum cura & timore ſalutem operemini. Hinc miniſtri verbi vocantur *vigiles*, qui conſtituti ſunt ut homines in periculis ſalutis dormitantes excitent, ut effugere poſſint; & cum hoc officium non faciunt, comparantur cum *ignavis canibus*, qui herum ſuum latratu ſuo, furibus ingruentibus, non commonefaciunt Ezech. 33. 2, 3. &c. Eſai. 56. 10. Verum de hac turbatione textus non loquitur.

2. Cum eos, qui per legis contritionem ac compunctionem ex carnalis ſecuritatis ſomno excitati, & in veram ſalutis curam conjecti, per fidem in Ieſum Chriſtum recumbunt, & in ejus meritis acquieſcunt, ab hac fide & quiete divertimus, dicentes; Eos hoc faciendo non poſſe ſalvari. Nulla eſt arx, in qua potes eſſe tutus & quietus, niſi crux Chriſti & ejus merita; nullus lectus in quo tutus potes acquieſcere, præterquam crux Chriſti. Qui hanc quietem tibi non permittit, ſed te ex illo lecto expellit, is idem facit, ac ſi quis columbam depulſiſſet ab arca Noe, ut cum corvo hinc inde vagaretur, Gen. 8. v. 8, 9. Et hæc illa turbatio de qua noſter textus. Gentes ad Deum converſæ, poſtquam per legis mucronem miſere compunctæ eſſent, quietem pro animabus ſuis repererant in meritis Chriſti, & in crucifixo Chriſto ſecure acquieſcebant, nec amplius condemnationem metuebant, ſed credebant, ſe in crucifixo Chriſto omnia habituros, quæ ad ſalutem neceſſaria. Invidens hoc Satanas ſtimulavit quoſdam, qui ſub profeſſione Chriſti cor habebant repletum fermento Phariſaico, ut hanc fidelium quietem turbarent, dicentes, ac clamantes; crucem Chriſti non eſſe ſufficientem ad eos ſalvandos, ſed ſi ſervari velint, circumcidendos eſſe & totam legem Moſis obſervandam. Hanc excitationem fidelium Iacobus improbat, appellatque *turbationem*. Sicut male faciunt qui ægrum corpore excitant ex ſomno, quippe per quem ſanari poteſt; ita qui animam contritam avertunt à fide. Apoſtoli hanc turbationem appellant ταραγμὸν καὶ ἀνασκευάσιν, ſeu deſtructionem ędificii bene conſtituti. Erant enim per fidem ſuperſtructi lapidi angulari, ſuper quo tuti erant contra iram Dei, vim Satanę & Mundi. Ex hoc fundamento non erant devellendi. Hæc illa μετάθεσις ſeu transplantatio fidelium ex Paradiſo & arbore vitæ in ſterile ſolum, quod nec ſuccum nec vitam ſuppeditare poteſt. Hoc illud ἀνασκευῶν, reſigere, los maken / ex fundamento in quo firmiter fixi erant, quod Paulus adeo ægre fert, ut optet exſcindi eos, qui fideles, in Chriſto per fidem acquieſcentes, à Chriſto ſolvere ſatagant per falſam doctrinam. Gal. 5. 12. Tales turbatores fidelium etiamnum quotidie experitur Eccleſia. Huc enim pertinent, qui pro ſuo arbitrio extra verbum Dei onera ligant, ceremonias inveniant, leges cudunt, & dicunt Chriſtianos non poſſe ſalvari niſi remiſſionem peccatorum emant à Sacerdotibus, niſi in purgatorio tot vel tot annis pro peccatis ſatisfaciant, &c. Huc pertinent qui non in ſacrificio Chriſti, ſed vel in nuda Dei miſericordia, vel in ſuis & Sanctorum meritis docent confidere & quieſcere. Huc denique pertinent qui negant homines poſſe ſalvari, ſi toto corde confidant ſe in Chriſto habituros omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, etiam ipſam perſeverantiam in fide, & non potius de gratia Dei & ſalute ſua humiliter dubitent. Hi omnes qui ſic docent, ſunt turbatores Eccleſiæ, quibus merito optandum ut exſcindantur, ſi converti nolint & deſiſtere. Non tantum enim ſchiſmata excitant in Eccleſia, & pacem corporalem turbant, ſed turbant pacem, gaudium, quietem & ſolatium conſcientiæ, quę ſola animam contritam poteſt ſuſtentare contra angores inferni, & quæ ſola verum amorem Dei & ſtudium gratitudinis ac bonorum operum, nec non luctam contra peccatum parere poteſt. Hanc turbationem Eccleſiæ Chriſtus ſevere vetat Cant. 3. 5. Qui vere contriti ſunt, ſua ſponte ſatis ſæpe evigilant, & propter imbecillitatem fidei variis ſollicitudinibus, terroribus & dubitationibus turbantur, & vel ideo tanto minus turbandi ſunt per perverſionem Euangelii & prohibitionem fidei ac quietis. Si vultis turbare, turbate eos, qui non ſunt contriti corde, ſed in peccatis carnali ſecuritate dormiunt, vel in ſuis meritis acquieſcunt. Hæc quies turbanda, ſed non fiducia illa, qua in Chriſto acquieſcimus. Ubi quietem inveniet anima defatigata, ſi hanc ipſi quietem non permittis, ſcil. ut in crucifixo Chriſto & ejus meritis, plena cordis fiducia recumbat & acquieſcat? Quæ quies tuta, ſi hæc non eſt? Suffragium igitur Iacobi eſt, ut Chriſtiani ex gentibus converſi non turbentur in fide ſua, nec in libertate qua Chriſtus eos liberavit.

Attamen huic ſuffragio ſubjicit Apoſtolus aliquam limitationem vel exceptionem, qua cavet, ne libertate ſua abutantur ad licentiam carnis, vel ad ſcandalum infirmorum Iudæorum. Sicut plerumque Apoſtoli, cum hortantur ut retineamus liber-

tatem, quam Chriſtus acquiſivit, nec denuo implicemur ſervituti ceremoniarum vel inventionum humanarum, addere ſolent aliquam cautionem, ut ita libertate utamur ne abutamur. Vide Gal. 5. 13. 1 Petr 2. 16. Ita & Iacobus hic aliquid excipit, vultque ut ab eo abſtineant Chriſtiani ex gentibus converſi. Particula igitur, ἀλλὰ hic idem eſt quod ἀλλά γε *tamen*, *attamen* ut 1. Cor. 9. 2: q. d. judico gentes non eſſe turbandas per impoſitionem legis. Attamen hoc eis ſcribendum puto, ut abſtineant, &c. Vel pro εἰ μὴ, *niſi*, ut Marc. 9. 8. q. d. non judico aliquo jugo turbandas, niſi quod ſcribendum ipſis eſt, ut abſtineant, &c. Vel etiam ſimpliciter ſumitur adverſative, ut diverſum quid notet ab eo quod anteceſſit, q. d. non ſunt turbandi jugo legis, ſed ſunt monendi ad vitandum ſcandalum. Concedit gentibus converſis Chriſtianam libertatem à lege, ſed tamen limitat illam libertatem, ne ſit ſcandalo infirmis.

Quatuor autem res Apoſtolus præcipue vult gentibus converſis commendari, ut ab iis abſtineant, quia uſus harum quatuor Iudæos maxime averſos faciebat ab Ethnicis converſis. Primum eſt polluciones idolorum, ſeu ut eſt v. 29. ἀλισγήματα per quod intelligit carnes & cibos idolis ſacrificatos, ex quibus poſt peractum ſacrificium gentiles in idolorum templis convivia celebrabant, invitantes quoque Chriſtianos vicinos, cognatos vel amicos ſuos ad hæc convivia. His conviviis vult Iacobus Chriſtianis interdictum, quia Iudæis & infirmis Chriſtianis, omnia per idolum polluta putantibus, magno erant ſcandalo, unde & Paulus vehementer hæc convivia Chriſtianis interdicit, 1. Cor. 8. & 10. Ubi probe obſervandum, quod Paulus hæc convivia Chriſtianis diſſuadeat propter duas cauſas: 1. quia ſint participatio quædam gentilis idololatriæ. Vide hoc 1. Cor. 10. 19, 20, 21, 22. 2. quia ſint infirmis ſcandalo. Vide ibidem v. 23. &c. Secundo gentibus converſis Iacobus vult prohiberi ſcortationem. *Object.* Atqui hæc ipſa lege naturæ & Decalogi erat prohibita, cur igitur hoc decreto Synodico magis prohibetur ſcortatio, quam adulterium, homicidium, furtum, mendacium? &c. *Reſp.* Hoc fit quia ſcortatio extra conjugium apud Ethnicos plerumque habebatur pro re indifferente, quæ peccatum non eſſet, vel ſaltem non magnum peccatum. Specialiter igitur erat converſis gentibus commendanda ut vitaretur, ſicut & Paulus eo fine converſis Corinthiis ſingulari vehementia hoc peccatum diſſuaſit, 1. Cor. 6. 13, 14, 15. &c. Tertii & quarto Iacobus gentibus converſis vult prohibero ſuffocata & ſanguinem. Per *ſuffocata* intelligit carnem animalium non mactatorum ſed ita mortuorum, ut ſanguinem ſuum ſecum retinerent. Per *ſanguinem* intelligit ſanguinem per mactationem ab animalibus ſeparatum, ſicut horum uſus Iudæis interdicitur, Lev. 3. 17. & 17. 11. Deut. 13. 23. Hic iterum quæritur, cur uſum ſanguinis vetet gentibus converſis magis, quam ullam aliam rem, lege ceremoniali Iudæis interdictam? *Reſp.* Quia uſus ſanguinis Iudæos maxime averſos reddebat à *gentibus*, impediebatque Chriſtianam illam communionem & converſationem, quam converſi Iudæi debebant habere cum converſis gentibus, idque propter duas cauſas 1. Quia erat interdictum valde antiquum, ſtatim poſt diluvium promulgatum, Gen. 9. 4. & in eo fundatum, ut homines tanto magis abhorrerent ab effuſione ſanguinis humani, unde & uſus ſanguinis nullibi magis in uſu eſt, quam apud barbaros Scythas, ad bella & homicidia maxime pronos. 2. Quia ſanguis beſtiarum apud Iudæos ſacer erat, deſtinatus ad ſacrificia, ſanguinem noſtræ reconciliationis repræſentantia, Lev. 17. 11. & proinde uſus ſanguinis in communi victu Iudæis valde erat abominabilis.

Hic jam quæſtio eſt, an hoc decretum Synodale ſit perpetuum & etiamnum obliget Chriſtianos? Reſpondeo quod ſic. Non ceſſat hoc interdictum obligare, uti ratio hujus interdicti non ceſſat. Quæ ratio hujus interdicti? ne per uſum harum quatuor rerum offendantur infirmi. Quod ſi & hodie dentur infirmi fratres, qui per uſum harum quatuor rerum offendantur, abſtinendum mihi eſt ab illis vi hujus interdicti. Eſt enim interdictum Apoſtolicum, me obligans ad cavendam offenſionem infirmi fratris per abſtinentiam ab his rebus. Non ceſſat igitur vis & obligatio hujus interdicti, quamvis hæ duæ cautiones neceſſario circa illud obſervandæ ſunt:

1. Scortatio & participatio cum idololatria vitanda nobis eſt propter hoc interdictum, ſed non propter hoc ſolum & præcipue. Scortatio & idololatria ideo præcipue fugienda ſunt, quia pugnant contra legem naturæ & Decalogi, attamen & ideo fugienda, quia multum faciunt ad ſeducendos & offendendos infirmos. Hoc noſtris ſcortatoribus dictum eſto. Obligati eſtis ad vitandam ſcortationem 1. Quia eſt peccatum contra decalogum, æternæ maledictionis proprias veſtras animas reas faciens, Hebr. 13. 4. 2. Quia eſt peccatum pugnans contra Apoſtolicum ordinem, infirmum fratrem offendens & ſeducens. Fugienda nobis eſt ſcortatio, præcipue quidem quia eſt peccatum contra legem naturæ & deca-

decalogi, ſed tamen etiam propterea, ne nos, ex gentibus converſi, ſimiles ſimus gentibus inconverſis, quibus ſcortatio peculiariter erat in uſu.

2. Uſus ſuffocati & ſanguinis non eſt condemnandus extra caſum ſcandali. Uſus ſanguinis non eſt peccatum pugnans contra legem naturæ & decalogi, ſed tantum contra legem ceremonialem, quæ Chriſtianos non obligat. Deus enim diſcrimen ciborum ſuſtulit, Act. 10. 15. & ſic Apoſtoli Rom. 14. 14, 17. 1. Cor. 8 8. & 10. 25, 27. Col. 2. 16. 1. Tim. 4. 3. Tit. 1. v. 15. Non eſt igitur ab Apoſtolis interdictus eſus ſanguinis, niſi quatenus eſt ſcandalum fratris infirmi. Ubi igitur non offendit, ibi non eſt illicitus. Et quia extra dubium eſt, quod hodie minus offendat quam olim, ideo hodie ſanguis beſtiarum ſine peccato à Chriſtianis magis uſurpari ſolet quam olim.

Sed quæ eſt ratio, quod uſus & eſus ſanguinis hodie minus offendit quam olim? *Reſp.* Hanc rationem dat ipſe Iacob. v. 21. Quia ſcilicet Iudaicæ Synagogæ adhuc ſtant, in quibus inde ab antiquis diebus ſingulis Sabbathis Moſes legitur & prędicatur. Totus Leviticus cultus inter Iudæos adhuc publice viget, pręcepta & ceremonię Moſaicę etiam apud converſos Iudęos propter antiquitatem & divinam autoritatem adhuc valde ſunt venerabiles, ut non poſſint non valde offendi, ſi vident ad unam omnes à gentibus intermitti & nullo reſpectu haberi. Auctoritas Moſis adhuc nimis magna eſt apud converſos Iudęos. Nondum deſueverunt à patriis inſtitutis, & libertatem ſuam, quam in Chriſto habent, nondum ſatis intelligunt. Ergo Etſi lex ceremonialis gentes non obligat; tamen Chriſtiana caritas requirit, ut ſe infirmis Iudæis accommodent quantum poſſunt, & ab iis ſaltem abſtineant, quibus illi maxime offenduntur. Hic ſenſus hujus argumenti. Vide ſimile quid Act. 21. 20. &c. *Object.* Atqui ceremoniæ Iudaicæ etiam apud hodiernos Iudæos venerabiles ſunt, cur igitur etiam propter illos non abſtinemus à ſanguine? *Reſp.* 1. Ceremoniæ non ſunt amplius in tam publico uſu. 2. Nobis hodie tanta cum Iudæis non eſt converſatio. 3 Iudęi non amplius ſunt reputandi inter infirmos fratres, ſed poſt tam diuturnam informationem pro mere obſtinatis habendi, & induratis hoſtibus, quibus ne ad horam quidem cedendum eſt. Hic jam occaſio foret hunc textum applicandi ad ſeriam hortationem de vitandis ſcandalis. Duplex eſt ſcandalum illicitum.

1. In rebus interdictis; cum notoriis peccatis non aliis præbemus exempla peccandi. Turpe eſt eſſe nobilem peccatorem, & peccandi exemplar atque ducem, immo data opera ad exemplum ſuum malum ſectandum allicere & compellere ut 1 Pet 4. v. 4. His ſcandalis *Væ* denunciantur, Matth. 18. Et merito. Si enim tales pœna digni ſunt, quod propriam animam perdunt, quanto magis damnabiles ſunt, quod tot alios ſecum in perniciem trahere ſatagunt, ſunt phari male poſiti, ad quod curſum dirigentes nautæ pereunt.

2. In rebus adiaphoris. Non ſufficit malis exemplis infirmos ſeducere, ſed etiam neceſſe eſt bonis exemplis alios Deo lucrifacere, ideo ut lumina debemus ambulare in gente curva, & lux noſtra debet lucere, ut homines bona noſtra opera videntes Patrem in cœlis glorificent. Matt. 5. Et hoc fine præcipue à nobis requiritur, ut tanta ſit in nobis caritas erga proximum, ut ad lucrifaciendum proximum etiam libertatem noſtram in rebus adiaphoris temperemus, omittentes quod facere in ſe licitum eſt, ſi fratri infirmo ſit offendiculum, & ſi ſine magno malo à nobis omitti poſſit. Sæpe, inquam, propter infirmum proximum abſtinendum eſt à rebus licitis 1. Si infirmis ſit offendiculo, i. e. ſi contriſtis ſit triſtitiæ & infirmis ſeductioni, illudque offendiculum nulla inſtitutione tolli poſſit. 2. Si abſtinere abſque peccato & magno malo poſſumus. Hoc fine hic injungitur abſtinentia à ſanguine, & hæc abſtinentia à rebus licitis in caſu ſcandali non parum vehementer urgetur à Paulo, 1. Corinth. 8. & 10. Rom. 14. 13, 14, 15, 16. Ubi his argumentis diſſuadetur: 1. contriſtant fratrem. 2. non ambulant ſecundum caritatem. 3. perdunt fratrem. 4. faciunt ſuum bonum blaſphemari. Multo magis hoc faciendum in iis rebus, quas mundus habet pro rebus liberis & adiaphoris, & quæ tamen ab Eccleſię Doctoribus unanimi conſenſu damnantur, ut res in ſe ipſis illicitæ. Si hæc vellem applicare ad multa, quæ inter nos graſſantur, in victu, amictu, luſibus, &c. quantus mihi pateret campus! Sed ſi vobis caritas ineſt, ea faciet, ut ſponte ſciatis, ubi temperantia libertatis opus ſit. Sin minus, fruſtra erit noſtra applicatio. Poſſumus etiam hinc diſcere quod & lectio & prædicatio S. Scripturæ ſingulis diebus Sabbathi in publicis cœtibus ſit antiquiſſimæ conſuetudinis, quæ cum apud Pontificios non ſit, fruſtra gloriantur de antiquitate. Sed hæc alibi, latius inculcata ſunt.

Actor. 15. *v.* 22. ad 36.

CONCIO CLXXVI.

EXplicamus adhuc Acta Synodi Hieroſolymitanæ. Ea in tria ſumma capita diſtribuimus, quę ſunt:

1. Quæſtio Synodo tractata. 2. Particularia judicia, vota & ſuffragia à diverſis membris in ventilatione hujus Quæſtionis prolata. 3. Synodalis ſententia. Abſolvimus priora duo. His verſibus continetur tertium, una cum fructibus Synodum conſecutis, ſed quia hęc ſententia Synodi ex particularibus iſtis ſuffragiis, & ſecundum ea, collecta & confecta eſt & nihil ſingulare habet, præterquam quod ſcripto per modum epiſtolæ nomine totius Synodi Eccleſiis, & Ethnicis collectis, tranſmiſſa eſt, fit ut poſt explicata particularia ſuffragia parum ſit, quod in hac ſententia Synodica nova explicatione indigeat. Breviter igitur verba hujus Epiſtolæ Synodalis percurremus, & iis tantum, quæ aliquid difficile habent, immorabimur.

I. Et primo quidem illud conſideratu dignum, quod hæc Synodalis ſententia non tantum ad Eccleſias gentiles ſcripta dicitur nomine Synodi, ſed etiam nomine totius Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & nomine omnium fratrum, ut eſt. v. 22. & 23 Quid Eccleſiæ cum hoc negocio, quod videtur pertinere ad vocationem antiſtitum?

Reſp. 1. Docet hoc quod antiſtites Eccleſiæ in actibus, qui ad gubernationem Eccleſiæ pertinent, judicium & conſenſum totius Eccleſiæ non debent negligere vel contemnere. Sicut enim regimen Eccleſiæ non debet eſſe anarchicum, quod rapi debet à Populo, ſed prudentiæ & auctoritati antiſtitum præcipue debet eſſe concreditum & commiſſum: ita nec debet eſſe deſpoticum & tyrannicum, ſicut in Papatu, ubi populus ut pecus contemnitur, & ſolorum Sacerdotum nutu omnia aguntur. Antiſtites Eccleſiæ non ſunt domini & populus ſubditi, ſed tantum ſunt ſicut ſeniores natu inter plurimos fratres, quorum ἡγεμονία non tam utitur auctoritate dominantium, quam fraterne conſulentium, 1. Petr. 5. 2, 3. Itaque deſideria, conſilia & ſapientiam, quæ in Eccleſia eſt, non contemnit, ſed debite, quantum fieri poteſt, reſpicit.

2. Hæc Synodus celebrabatur eo fine, ut Eccleſia Antiochienſis & cœteri gentiles intelligerent, an Eccleſia Iudaica eandem doctrinam teneret, quam Paulus & Barnabas inter gentes docebant. Ut hoc conſtaret, Apoſtoli & Presbyteri non ſolum ſuo, ſed & totius Eccleſiæ nomine ſcribebant, ut ita tota Eccleſia Iudaica aret Paulo & Barnabæ teſtimonium Orthodoxiæ.

II. Cur non ſolum Paulum & Barnabam remiſerunt cum literis, ſed ipſis adjunxerunt alios electos viros, auctoritate pollentes apud fratres? *Reſp.* Hoc factum 1. Ad majorem fidem Paulo & Barnabæ conciliandam contra calumnias adverſariorum, qui objicere poterant, quod Paulus & Barnabas fidem non mererentur, qui ſiniſtris aucupiis Synodum in ſuas partes pertraxerint, vel etiam mentem Synodi non recte referant. 2 Ut Paulo & Barnabæ eſſent adjutores in ſedandis animis eorum, qui per adverſariorum impetus turbati erant Animi enim commoti non componuntur Epiſcopali auctoritate, ſed multitudine laborantium, qui conſcientias convincant, & errores expugnent. Hoc non eſt quorumvis in Eccleſia, nec etiam quorumvis Doctorum in omnibus caſibus, ſed ad talia requiruntur ἄνδρες ἐκλεξάμενοι & ἡγούμενοι.

III. Vidimus à quibus miſſa, & per quos miſſa, ſequitur ad quos miſſa hęc Synodalis epiſtola, videl. ad fratres ex Ethnicis, qui erant Antiochię, nec non in tota Syria & Cilicia 1. Fratres ex Ethnicis. In V. Teſt. proſelyti poterant appellari Iudæorum fratres, quia Iudæorum Leviticas ceremonias receperant, ſed hic appellantur *fratres* qui eandem fidem cum Abraham & omnibus piis Iudæis habebant Fides in Chriſtum facit fraternitatem inter eos, qui credunt, quantumvis genere & natione ſint diverſiſſimi, Orientales & Occidentales, Græcos & Barbaros, Scythas & Iudæos fides facit fratres. Facit enim filios ejuſdem Patris Dei hęredes ejuſdem patrimonii, fratres & cohęredes ejuſdem primogeniti Chriſti, filios ejuſdem matris ſcil. Eccleſiæ, & fraterno quoque amore eos inter ſe conjungit. Hoc debet extinguere odia illa, quę ſolent eſſe inter homines diverſarum nationum, & accendere ſtudium concordię cum omnibus fidelibus, mutuamque interceſſionem, Epheſ. 4. 1. ad 7. 2. Scribunt autem non ad omnes fratres ex gentibus, ſed ad eos, qui in Syria & Cilicia, quia apud hos ſchiſma factum per falſos Doctores. Ubi autem vulnus, ibi applicandum emplaſtrum. Alioquin poſtea hoc ſchiſma ſerpſit & ad cœteros quoque pervenit, ut patet ex epiſtolis Pauli ad Romanos, Galatas, Philippenſes, &c.

IV. Sequitur nunc ipſa epiſtola, in qua habes 1. Salutationem cum valedictione. 2. Cenſuram

qua perſtringuntur falſi Doctores, ſchiſmatis auctores. 3. Commendationem eorum, qui à Synodo mittuntur & Epiſtolam ferunt. 4. Commendationem ſententiæ Synodicæ quam ferunt. 5. Ipſam ſententiam Synodicam. Singula breviter perſtringemus:

1. Salutatio & valedictio eſt: χαίρειν, ἔῤῥωσθε v.23. & 29. Salutationes ſunt vota, quibus proximo apprecamur à Deo omnis generis benedictionem, ad teſtandam noſtram in ipſum charitatem. Hæc non tantum exemplis, ſed & mandatis nobis commendantur. In V. T. uſitata apud Iudæos, 1 Sam. 30. 21. 1. Sam. 25. 5, 6. & gentes Dan. 4. 1. & 6. 26. Immo Angeli nobis exemplo ſunt Luc. 1 v. 28. In N. Teſt. omnes Apoſtolorum epiſtolæ plenæ ſunt exemplis & mandatis. Itaque humanitatem plane exuunt & barbari fiunt, qui iræ ſuæ adeo indulgent, ut ne ſalutare quidem proximum dignentur. Quis apud hos Chriſtianiſmum quærat, ubi humanitas locum non obtinet? Eſt quidem ſalutationis recuſatio ordinata ad pudefaciendum eum, qui cenſuris Eccleſiæ publicis gravatus eſt 2. Ioh. v. 10. ſed hoc fit ex amore ad lucrandum proximum. Verum odio & iræ adeo indulgere, ut & ſalutationem recuſes, inhumanum eſt.

2. Cenſura eorum Doctorum, quorum doctrina in Synodo condemnata erat, eſt, quod turbaverint Eccleſiam, & animas eorum ſubverterint, docentes quod Apoſtoli non mandaverant. Quid ſit turbare Eccleſiam & animas fidelium ſubvertere, vel diruere & deſtruere, in priori concione explicatum, ſcilicet non tantum ſchiſmata excitare, & externam pacem Eccleſię turbare, ſed præcipue turbare internam pacem conſcientię, deſtruendo eam fidem, per quam anima contrita acquievit in Chriſto crucifixo, & ejus meritis tanquam lapidi angulari ſe ſuperſtruxit. Hic tantum illud nota quod qui docet aliquid ad ſalutem eſſe neceſſarium, quod Apoſtoli non mandarunt, eſt turbator Eccleſiæ. Egreſſi ſunt ex nobis, & docuerunt quod non mandavimus. Viva Monachorum deſcriptio. Gloriantur ſe Apoſtolorum eſſe ſucceſſores, & tamen docent quod Apoſtoli condemnaverunt. Ubi mandarunt Apoſtoli quod docent ſacrificuli? *Object.* At Romana Eccleſia nobis mandavit ita docere. *Reſp.* At Romana curia gloriatur ſe egreſſam ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſorem eſſe. Tales autem damnantur, ſi prædicant vel prædicare jubent, quod Apoſtoli non juſſerunt. Præſertim doctrina de Iuſtificatione per opera legis hic expreſſe vocatur doctrina quam Apoſtoli non juſſerunt, ſed condemnarunt.

3. Laus & commendatio Pauli ac Barnabæ opponitur calumniæ falſorum Doctorum quam paſſi erant Antiochiæ. Illi calumniati erant Paulum & Barnabam eſſe impoſtores, qui Chriſtum non recte doceant. Apoſtoli teſtantur eſſe homines, qui animas ſuas dederunt pro Chriſto. Quid hoc? Chriſtum animam ſuam dediſſe pro nobis in pretium redemptionis clarum eſt ex Matth. 20. v. 28. & paſſim, ſed quomodo Apoſtoli dederunt animam ſuam pro Chriſto & nomine ejus? *Reſp.* Dum non veriti ſunt extrema vitæ pericula adire ad nomen Chriſti gentibus manifeſtandum, ut præcedentibus capitibus audivimus. Hoc officium eorum, qui ad Chriſtum confitendum & docendum vocati ſunt. Si non poſſunt ſine periculo Chriſtum fateri & docere, ſatius eſt extrema vitæ pericula adeant, quam Chriſtum abnegent aut taceant. Vide honeſtum propoſitum Petri Iohan. 13. v. 17. & Pauli de ſe teſtimonium Act. 20. 24. Et Chriſti mandatum Matt. 10. 32, 33, 37. Animemus nos ad martyria; præſertim qui nunc excurrunt ad luſtranda idola, ne tam facile periculi evadendi cauſa idolis ſe incurvent: Si pericula times, cur excurris? Certe ſi contemplari aut ſpectare idololatriæ exercitia licet, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt, non licet certe ſpectare cum delectatione, ſed cum horrore & lacrymis.

4. Commendant etiam decretum quod Eccleſiis mittunt, ut tanto lubentius illud recipiant, idque tribus argumentis:

α. Viſum Spiritui Sancto & nobis. Argumentum petitum ab authoritate hujus decreti. 1. Viſum eſt nobis, totius Eccleſiæ Iudaicæ judicium eſt, quod certe à vobis Ethnicis contemni non debet. Nobis enim primo revelatum eſt Euangelium per Dominum, & eos qui cum Domino converſati ſunt. 2. Viſum etiam eſt Spiritui Sancto. Habemus enim inter nos Apoſtolos indubitatos, qui à Spiritu Sancto aguntur & extra periculum erroris ſunt. & ſciunt hanc doctrinam ſibi à Spiritu Sancto revelatam eſſe. Duplex hic auctoritas cui niti debet fides fidelium in rebus religionis. 1. Auctoritas Eccleſiæ. Hoc argumentum nos non contemnimus, ſed maximi facimus, & pro prima cauſa noſtræ fidei habemus, etſi non pro præcipua. Non autem unius alicujus particularis Eccleſiæ e. g. Romanæ, ſed Catholicæ & præſertim primitivæ. Quod illa docuit & credidit, ei non facile derogamus fidem. 2. Præcipuum tamē fundamentum noſtrę fidei, quod fidem no-

noſtram ſuſtentat, eſt teſtimonium Spiritus Sancti. Ideo credimus, quia ſic viſum eſt Spiritui Sancto docere. Hoc tamen diſcriminis eſt inter Apoſtolos & nos, quod Apoſtolorum fides erat fundata ſuper teſtimonio interno, quo Spiritus Sanctus eorum conſcientias efficaciter perſuadebat & illuminabat, ut ita crederent, nec ad aliam auctoritatem provocare opus habebant, quam ad illud teſtimonium Spiritus, quod intus in corde ſuo ſentiebant, quamvis majoris convictionis cauſa etiam ſæpe ad Scripturam Veteris Teſt. provocabant. Nos autem, etſi etiam interna illa perſuaſione Spiritus opus habemus, nec ſine ea credere poſſumus, tamen ad illam non provocamus, tanquam ad fundamentum cui fides noſtra utitur, ſed provocamus ad externum illud teſtimonium, quod Spiritus Sanctus in Scriptura Sacra depoſuit. Hic noſter Spiritus cui nititur noſtra fides, 1.Iohan. 5. 6. Ideo hoc vel illud credimus, quia legimus in Scriptura, quod Spiritui Sancto viſum ſit nos ita docere. Tum poſſumus dicere: *Viſum eſt nobis & Spiritui Sancto*, cum quod nobis videtur, Spiritus in Scriptura teſtatur,

β. Non imponimus vobis grave onus. Non imponimus dolorificam circumciſionem, ſumptuoſa ſacrificia, oneroſa feſta, moleſtas purgationes, & cæteras Iudaiſmi ceremonias, nec urgemus quod ſalvari non poſſitis nec juſtificari, niſi per plenam obſervationem legis. Quod ſi à toto jugo legis vos liberos pronunciamus, annon libenter pauca hæc feretis, quæ Spiritui Sancto & nobis viſum eſt vobis imponere? *Object.* Atqui Apoſtoli plura impoſuerunt Ethnicis converſis quam hæc tria. Obligarunt enim eos ad novam obedientiam totius legis moralis. *Reſp.* Hoc non erat onus. Nam 1. Non imponebant ipſis talem obedientiam, ſine qua non poterant juſtificari, ſcilicet perfectam partibus & gradibus, ſed tantum obedientiam legis Euangelicę perfectam. 2. Non injungebant obedientiam impoſſibilem, ſed obedientiam Legis requirentes virtutem Spiritus promittebant, per quam fieri & præſtari poſſet quod jubebatur, immo per quam fiebat jugum leve & ſuave, Matth. 11. v. 28. Non igitur habebant cauſam querendi, quod libertas ipſorum in Chriſto læderetur, & aliquod jugum imponeretur.

γ. Non imponeremus hæc tria, niſi neceſſe eſſet ea imponere. Non dicit: Imponimus hæc neceſſaria: ſed imponimus hęc quę neceſſe eſt, ſcilicet imponere. Non enim ſunt tria neceſſaria, ſed unum inter illa eſt adiaphorum. Nec Apoſtoli hic reſpiciunt eam neceſſitatem, qua aliquid vitari neceſſe eſt, quia per ſe turpe & legi naturæ ac decalogi contrarium eſt, ſed decreta Synodalia res vetant vel præcipiunt, quatenus ad ſcandalum vitandum neceſſaria ſunt. Neceſſe eſt idolothyta vobis vetari, quia alioquin infirmi Iudęi, quibus tanta ab idolis averſio, non habebunt communionem vobiſcum, gravabuntur communionem Sanctorum vobiſcum colere. Neceſſe eſt ſcortationem vobis prohiberi, quia infirmi Iudæi alioquin putabunt, vos æque ac cæteros gentiles eam pro peccato non habere, & ſic non habebunt communionem vobiſcum. Neceſſe eſt ſuffocata & ſanguinem vobis interdici, quia propter antiquitatem hujus ceremonialis interdicti, & propter ſacrum uſum ſanguinis in cultu Moſaico Iudæi adhuc nimis averſantur eſum ſanguinis, & ſic non haberent communionem vobiſcum. Diſcamus igitur hinc, quod abſtinentia à rebus adiaphoris in caſu ſcandali habet ſuam neceſſitatem, ut non poſſimus bona cum conſcientia regulas, ea de re in Scriptura datas, contemnere. Neceſſe ut intempeſtivo uſu noſtræ libertatis in rebus adiaphoris nemini demus ſcandalum.

5. Sequitur denique decretum ipſum, ſeu Synodale præceptum, quod tranſmittitur. Sed quia hoc non differt à ſuffragio & voto Iacobi, quod nuper explicatum eſt, nova explicatione nun indiget.

Sic vidimus acta hujus magni Concilii, quibus tamen uſque ad v. 36. additur effectus & fructus hujus Synodi, qui breviter ad tria capita poteſt reduci:

1. Fidelitas & diligentia eorum, qui à Synodo miſſi erant ad Eccleſias novo dogmate turbatas. Hi enim Eccleſiæ convocatæ literas Synodi tradebant, fratreſque turbatos multis verbis hortabantur & roborabant, facti omnibus Miniſtris exemplum diligentiæ & fidelitatis. Pſeudapoſtoli labefactaverant & ſubverterant ac turbaverant; hi iterum firmant.

2. Gaudium Eccleſiæ turbatæ. Hæc enim lecta Epiſtola lætabatur. Et merito. Audiunt enim doctrinam & Doctores, quos amabant, à tot calumniis vindicatos, & conſcientiam ſuam liberatam à tot ſcrupulis, & tanto jugo, quod imponere falſi Doctores ſatagebant, reſtitutamque ſuam in Chriſto libertatem. Hoc gaudium apud nos quoque gentiles parere debet hæc Synodalis ſententia.

3. Pax & quies Doctorum. Pacata enim Eccleſia, illi, qui à Synodo miſſi erant, in pace mittuntur ad ſuos, Paulus vero ac Barnabas, qui hactenus

inter

inter tot perſecutiones hic & alibi Euangelium docuerant, cum multis aliis manent Antiochiæ, & officio ſuo funguntur in pace. Sic Deus ſuis Miniſtris aliquando concedit halcyonia. Poſſet ex his omnibus late deduci neceſſitas & utilitas Synodorum in Eccleſia, & quid ordinariorum Epiſcoporum concilia ab hac Apoſtolica Synodo differant. Etſi enim concilia ſequentium temporum non ſunt ejuſdem auctoritatis atque hæc, cui Apoſtoli interfuerunt, tamen non ſunt parvæ utilitatis. Sicut enim olim pacarunt turbas in Eccleſia ortas: ita etiamnum poſt Scripturam non habent exiguum pondus ad ſtabiliendam Eccleſiæ fidem, & proſunt ad compeſcendas innovationes in doctrina. Non ſunt tamen extra periculum errandi, nec quicquam debent valere contra Scripturam.

Actor. 15. v. 36. ad fin.

CONCIO CLXXVII.

VIſum eſt Spiritui Sancto & Lucæ in deſcribenda hiſtoria propagationis Euangelii inter gentes omittere quæ fecerunt alii Apoſtoli, & ſolius Pauli acta atque itinera potiſſimum deſcribere, quippe qui præcipue fuit vas illud electum, ut nomen Domini portaret coram gentibus. Act. 9. Finivimus primum illud iter Pauli, quod ex Iudæa verſus Occidentem ſuſcepit ad propagandum Euangelium, videlicet iter Aſiaticum, in quo Barnabam comitem & collegam habuit, eſtque deſcriptum inde ab initio capitis decimi tertii. Sequitur iter Pauli ſecundum, quod voco iter Macedonicum & Græcum, in quo comite Syla uſque ad Illyricum omnia Chriſto Euangelio replevit, Rom. 15. 19. Hoc iter deſcribitur à v. 36. cap. 15. uſque ad v. 23. cap. 18. Tria ſunt in hoc itinere conſideranda. 1. Propoſitum itineris v. 36. 2. Infelix aliqua remora hujus itineris v. 37, 38, 39. 3. Succeſſus itineris, inque eo primo egreſſus à v. 40. c. 15. ad v. 18 cap. 18. In quo egreſſu per Eccleſias Aſiaticas primo itinere plantatas, penetravit in Europam, ibique in civitatibus Macedoniæ & Græciæ, ſcil. Philippis, Berœæ, Theſſalonicæ, Athenis & Corintho Eccleſias plantavit. Deinde regreſſus à v. 18. c. 15. ad v. 23. ejuſdem capitis, in quo per Epheſum & Cæſaream rediit in Iudæam.

De propoſito itineris dicitur, quod Paulus Barnabam hortatus ſit, ut ſecum proficiſceretur, & additur ſcopus itineris, ut ſcil. in qualibet civitate, in qua verbum annunciaverant, viderent quomodo fratres ſe haberent, quod verſu ultimo oſtenditur habere hunc ſenſum, ut ſicubi nutantes viderent in fide, eos roborarent. Primum iter ſuſceperant expreſſo mandato Spiritus Sancti, Actor. 13. 1, 2. Hoc ſecundum ſuſcipiunt proprio conſilio, incitati ſollicitudine de ſtatu Eccleſiarum quas plantaverant. Non tamen putandum, quod hoc iter non æque Spiritus Sancti ductu atque inſtinctu ſuſceptum ac prius. Illam enim ſollicitudinem de Eccleſiis, per quam ad iter incitati ſunt, idem Spiritus operatus eſt, qui antea expreſſo mandato eos miſerat. Et hæc etiamnum illa cauſa eſt, per quam Deus Miniſtros ſuos facit ad officium ſuum promptos, ſcil. ſollicitudo & cura ut bene ſe habeant Eccleſiæ. Hoc ſigno differunt mercenarius & bonus Paſtor, quod illi ideo Chriſtum prædicant & in officio ſudant, ut laudem & mercedem habeant, ſed hi aguntur ſollicitudine & cura ut Eccleſia bene habeat. Qui hoc calcari non impellitur ad officium, quantumcunque laboret, non eſt bonus Paſtor. Verum quidem eſt, quod Deus benedicit aliquando etiam labori eorum qui Chriſtum ex contentione vel aliis ſtimulis acti prædicant, Phil. 1. 16, 17, 18. ſed tamen ſi quis de fructu laboris vult eſſe certus, is debet Chriſtum prædicare ex hac cura & cupiditate, ut Eccleſiæ bene ſit, ex amore Eccleſiæ & cura pro ſalute ejus. Vide Iohan. 2. 3, 4. 2. Cor. 7. 12. 2 Cor. 12. 14. Hoc ſigno ſe probent omnes Miniſtri verbi, ne fruſtra laborent. Quod ad ſcopum itineris attinet, qui eſt, roborare fratres & Eccleſias antea plantatas, inde poteramus diſcere, quam neceſſaria ſit Eccleſiis & fidelibus converſis quotidiana cura Paſtorum. Sed hanc doctrinam late inculcavimus, Actor 14. v. 22.

Remora & impedimentum itineris fuit infelix quædam contentio inter Paulum & Barnabam orta. Cum enim propoſuiſſent hoc iter ſuſcipere, Barnabas ſuaſit ut ſecum ſumerent illum Marcum, qui in primo itinere ab illis diſceſſerat, Act. 13. 13. Paulus vero noluit ut cum illis proficiſceretur, & cum ſuper illa re diſceptarent rationibus, exarſerunt in tantum Paroxyſmum iræ, ut objecto propoſito conjuncti itineris ſeparatim proficiſcerentur; alter hac, alter alia via. Viri duo tam Sancti, tam chari & rari amici, tam conjunctiſſimi collegæ, qui tot pericula & tot labores terra marique una pertulerant, & tanto amore ſibi invicem erant conglutinati, quanto vix Ionathan & David, non tantum incidunt in diverſitatem judicii & voluntatis, ut alter hoc ſuadeat

& velit, alter diſſuadeat & nolit, ſed etiam tantum paroxyſmum iræ & affectuum patiuntur, ut contra ſe invicem exacerbentur, & à ſe invicem abalienentur & diſſiliant, ut una iter facere non poſſint. Triplex apparet diverſitas, & tres ſunt hujus diſſidii gradus.

1. Differunt judicio: Barnabas judicabat bonum & utile eſſe, ut Marcum ſecum ſumerent, Paulus judicabat iniquum eſſe ut ſumerent. Uterque ſuas habuit rationes. Barnabæ ratio erat, quia erat filius piæ matris, ut audivimus Actor. 13. & erat quoque cognatus Barnabæ, Col 4 10. quem ideo amabat & volebat ut in ſecundo itinere emendaret, quod in primo deliquerat, elueretque maculam bonæ famæ quam contraxerat. Paulus vero judicabat iniquum eſſe, ut ille, qui ſemel aratro manum admoverat & poſtea reſpexerat, ut loquitur Chriſtus Luc. 9 denuo reciperetur in comitatum & conſortium tanti operis.

2. Differunt voluntate. Neuter enim vult cedere & contra judicium ſuum aliquid permittere vel facere. Licet aliquando ſecus facere quam judicamus factu optimum eſſe. Potuiſſet Barnabas, quod in ſe bonum & æquum putabat deſeruiſſe, & reliquiſſe Marcum domi propter majus commodum, ſcil. ut collegam tam conjunctum non offenderet, neque à ſe ſepararet. Potuiſſet Paulus Marcum, etſi aliud commeritum, in comitatu tolerare propter eandem cauſam, ſecundum propriam ſuam doctrinam Gal. 6. 1. Sed uterque mavult ſuo adhærere judicio.

3. Erumpunt deniq; in affectus contra ſe invicem. *Diverſum ſentire duos de rebus iiſdem, Incolumi licuit ſemper amicitia.* Hanc regulam viri magni & Sancti hic non obſervant, ſed cum adigi non poſſent, ut idem ſentirent & idem vellent, etiam contra ſe invicem vehementer exacerbantur, in tantum ut una iter facere non poſſent. Diſcimus hinc

1. In Marco, quam grave peccatum, & quanta cenſura dignum, ſit defectus & retrogreſſus in bonis operibus. Paulus, inquit Textus, volebat, vel æquum eſſe cenſebat τὸν ἀποστάντα μὴ συμπαραλαβεῖν. Marcus non erat Apoſtata à vera religione; ſed tamen quia bonum opus deſeruerat, & in bono cœpto non perſeveraverat, nomen ſortitur non multo melius, & videtur Eccleſia Antiochienſis hoc judicium Pauli approbaſſe magis, quam conſilium Barnabæ v. 40. Malum eſt bonum opus nolle incipere, ſed pejus bonum opus deſerere. Si Lothi uxor noluiſſet egredi è Sodoma, periiſſet igne cum cæteris, ſed cum egreſſa cuperet reſpicere & retrogredi, punitur exemplariter, Gen. 19. 16. Sic qui converſi à peccatis, revertuntur ad peccata, abominabiles ſunt coram Deo. Vide 2. Petr. 2. 20, 21, 22. Et ratio in aprico eſt: quia ante converſionem ſumus penitus ſub dominio peccati, ſed poſt converſionem ſumus illuminati, guſtavimus cœleſte donum, participes facti ſumus Spiritus Sancti, guſtavimus bonum verbum Dei & virtutes futuri ſeculi, Hebr. 6. 4, 5. Plane igitur inexcuſabiles ſumus; ſi, cum ante regenerationem per Spiritum Dei bene cœpimus, poſt regenerationem deficimus & retrogredimur.

Object. Cur non ſim excuſabilis ſi ſic faciam? Si Spiritus Sanctus me poſt regenerationem nolentem non perpetuo pellit & trahit, ſicut ante regenerationem nolentem convertit, tum poſt regenerationem non magis poſſum perſeverare quam ante regenerationem me potui convertere. *Reſp.* Falſum hoc, quod poſt regenerationem non magis poſſis perſeverare, quam ante regenerationem potuiſti incipere. Si regenitus es, vivus es, ſi vivus es, habes facultatem agendi. Si verus Adam tibi dat vires male agendi, an ſecundus Adam, poſtquam ipſi inſitus es, non daret vires bene agendi? Imago Dei eſt vis agendi quod Deus requirit. Atqui illa imago in regenitis ex parte renovata eſt, Eph. 4. 24. Ergo regeniti aliquid poſſunt agere quod Deus requirit. Quæ differentia foret inter regenitum & irregenitum, & quis uſus regenerationis, ſi ille æque nihil poſſet atque hic? Fateor quidem, quod regeniti nihil poſſint ſine continuo influxu & concurſu ejuſdem Spiritus, per quem regeniti ſunt, ſed tamen Spiritus ille aliter operatur in regenitis, aliter in irregenitis. Irregenitos convertit, dum illi nihil agunt, immo ſæpe contrarium agunt; ſed regenitos non vult juvare niſi conantes, luctantes, laborantes perſeverare & creſcere in regeneratione. Sicut regenitorum lucta & conatus ac labor non ſufficit ad perſeverantiam ſine cooperatione Spiritus: Ita Spiritus regenitis cooperari non vult, niſi conantibus, luctantibus, laborantibus. Sicut nauta, qui vult navem ſuam vento impelli, debet vaſa ſua componere & vela extendere, ita ſi cupiant regeniti virtute Spiritus Sancti impelli ad curſum ſuum in gaudio perficiendum, debent extendere omnes ſuas vires ad currendum, oſtendere ſe pronos & promptos ad currendum, implorare opem Spiritus, & uti omnibus mediis per quæ vult nobis adeſſe. Verum quidem, quod regeniti ſæpe eouſque relabuntur in malum, ut ne conari quidem poſſint, niſi nova gratia præveniantur, ut

pateſ

patet in exemplo Petri Luc. 22. 61. Sed vel hanc ipſam ob cauſam neceſſarii ſunt noſtri conatus, ut Spiritu juvante perſeveremus, ac creſcamus, nec unquam eouſque relabamur, ut nova gratia præveniente & quaſi nova regeneratione opus ſit, ſicuti Davidi opus erat Pſ. 51. 12. Dico *quaſi nova regeneratione.* Totaliter enim & omnimode à regeneratione regeniti non excidunt. Meditemur hanc doctrinam & caveamus deficere ac retrogradi. Magna culpa eſt ſub tam diviti cultura Domini non proficere & creſcere in gratia, ſed longe damnabilius, quotidie tardiorem fieri in fide, ſtupidiorem in notitia, negligentiorem in verbo, tepidiorem in precibus, parciorem in caritate, ſteriliorem in omni opere bono. Talibus certe dicitur illud Apoc. 2. 5. *Cogita, unde excideris,* &c.

II. In Paulo & Barnaba diſcere poſſemus hanc generalem doctrinam: quod nè ſanctiſſimi quidem ſine nævis & lapſibus ſint in hoc mundo. Quis ſanctior his duobus Apoſtolis, & tamen, vide quantus hic lapſus eos corripiat? Sic in omnibus Sanctis triplex ille defectus locum habet, ſcil.

1. Quod ſint imperfecti in cognitione. Multi Sancti magnos habent defectus in cognitione Euangelii & legis, & multis erroribus ſunt imbuti, & quotidie cum Davide neceſſe habent petere ut magis magiſque illuminentur, Pſal. 119. Errant ſæpe circa articulos fidei, errant quoque in cauſis & caſibus juris, ut ſæpe quod injuſtum eſt pro juſto habeant & contra. Non quidem poteſt converſio conſiſtere cum talibus erroribus, qui fidem & ſanctitatem plane tollunt & impediunt, ſed tamen in illis Sanctis, qui præcipua fundamenta legis & Euangelii ſalutariter intelligunt, magna eſt in cognitione religionis ſæpe imperfectio, ut fatetur Paulus 1. Corinth. 13. 9.

2. Quod non ſint planè liberi à perverſione voluntatis, ſed ſæpe volunt quod debebant nolle, & contra. Habent quidem Sancti voluntatem faciendi omnia Dei præcepta, & delectantur in tota lege Dei *ſecundum interiorem hominem*, Rom. 7. 26. Sed tamen cum ad opus veniendum, vim patitur eorum voluntas à reliquiis carnis contra Spiritum concupiſcentibus, ut ſecundum carnem nolit quæ vult ſecundum Spiritum, Roman. 7. 26. Galat. 5. v. 17.

3. Quod non ſint omnino liberi ab intemperantia affectuum, ſed quod affectus eorum ſæpe erumpunt ſicut procella, eoſque abripiunt ad faciendum quę non convenit. Sunt quidem affectus Sanctorum circumciſi, nec regnant ac dominantur in regenitis, ſed tamen non ita ſunt mortui & ſuppreſſi, quin aliquando erumpant. Sicut quamdiu ſol in cœlo erit, vapores & venti nunquā prævalebunt ad mundum perdendum, & montes in mare conjiciendos, ſed tamen ſæpe erumpunt & turbant mundum, donec per ſolum vincantur & ſedentur: ita poſtquam per Spiritum ſumus regeniti, affectus noſtri nunquam prævalebunt contra Spiritum ad nos perdendos, ſed tamē ſæpe erumpunt ad nos turbandos & abripiendos ac concutiendos, donec per Spiritum reprimantur. Hinc Paulus queritur, quod abripiatur & quaſi captivus ducatur *ſub peccatum* Rom. 7. 23. ſicut navis vi venti gubernatori eripitur, & periculoſe jactatur, donec vi gubernaculi redeat in poteſtatem nautæ.

Hanc, inquam, generalem doctrinam de imperfectione omnium Sanctorū in ſanctitate ex hoc lapſu Pauli ac Barnabæ poſſemus educere, indeque hæc tria concludere. 1. Quod fidelium ſanctitas eos non juſtificat coram Deo. Eſt enim imperfecta 2. Quod fideles ſuis viribus non debent niti, quia poſſunt graviter cadere, ſed debent quærere adjuvantem & roborantem gratiam Spiritus Sancti. 3. Quod propter lapſus nemo condemnandus, nam & ſanctiſſimi labuntur. Sod præſtat obſervare hanc ſpecialem doctrinam: quod Sancti non ſunt immunes ab intemperanti ac injuſta ira & exacerbatione contra ſe invicem. Non loquor de ira juſta & temperata, cujus multa ſunt in Scripturis exempla, quæ nemo debet condemnare, ſed loquor de ira injuſta & intemperata. Hujus exempla ſunt Abraham & Loth Gen. 13. 7. Moſes Exod. 32. 19. Undecim Patriarchæ Gen. 37. 4. Aaron & Miriam contra Moſen Num. 12. 1, 2. Novem tribus Iſraëlitarum Ioſuæ 22. 12. Iob & amici ejus Iob 17. 6 & 18. 4. David 1 Sam. 25. 13, 21, 24. Diſcipuli Chriſti Mat. 20. 24. Et ſic hoc loco Paulus & Barnabas. Erant amore vere fraterno conjunctiſſimi, & tamen ita erga ſe invicem exacerbantur. Immo videmus etiā ſanctiſſimos ira corripi ex improviſo, cum maxime ſibi invicem volunt eſſe amici. Fulgur ex nubibus tam ſubito non erumpit, quin præcedat aliqua cœli obnubilatio; ſed cum animus ſæpe maxime ſerenus eſt, ſubito fit exacerbatio, idque inter amiciſſimos, ne conjugibus quidem exceptis. Sicut inter linguam & vinum aliquando exiſtit talis abalienatio, ut quod vinum linguæ modo erat gratiſſimum, mox fiat ingratum & adverſum, vitio modo in lingua; modo in vino exiſtente; ita inter duos fratres ſibi chariſſimos ſubito exiſtit exacerbatio, cujus culpa modo apud hunc; modo apud alte-

Cccc rum

rum eſt ? ſæpe etiam apud utrumque. Et mihi magnus erit Philoſophus, qui cauſas atque modum harum exacerbationum exacte poſſit deſcribere. Quo autem fine hæc omnia inculcantur ? Non certe ut tales exacerbationes fratrum nec curemus nec caveamus, ſed leves æſtimemus. Sunt profecto & in ſe gravia peccata, & periculoſa ad inducendum in peccata alia graviora Mat. 5. 22 Pro. 14. 17. & 25. 28 Iacob 1 19, 20. Cur igitur hæc exacerbatio Apoſtolorum nobis deſcripta & relicta ? Ut inde noſtram infirmitatẽ hac in parte diſcentes, utamur remediis contra hunc morbum ordinatis. Quæ illa? *Reſp.*

1. Hoc vitium, hanc partem veteris hominis quotidie non tantum oppugnare, & ei reſiſtere viribus quas habemus in nobis ipſis, ſed præcipue magna cum deploratione & humilitate accuſare apud Deum in precibus, rogareque ut is crucifigat & hunc affectum in te domet, ne te abripiat ad deſignanda ac committenda in proximo, ſæpe etiam in chariſſimis amicis talia, quæ commiſſa turbare poſſent honorem, pacem & ſalutem tuam. Sic David Pſal. 39. 1, 2, 3. cum omni ſuo conatu iram ſuam compeſcere non poſſet, convertit ſe ad preces, Deumque orat ut ſe compeſcat.

2. Nec apud homines debes excuſare & extenuare iram tuam injuſtam & intemperantem, culpamque ejus in alios rejicere, ſed debes proximo confiteri, quoties temere ipſi iraſceris, & teipſum libenter pudefacere. Eſt enim peccatum quo & Deum & proximum offendis, ideo & huic confitendum Iacob. 5 16 Sit hoc dictum iis, qui præ cæteris ſunt iracundi, & tamen nolunt tales videri, ſed vitium ſuum ſatagunt tegere, & in omni contentione culpam in alios conjicere. Pudor ex confeſſione mortificat iracundiam. Tectio vero & excuſatio iracundiæ irritat Deum, ut eam non ſanet.

3. Iram cum erupit non diu ſervare, ſed ſtatim retrahere. Hoc facilius poſſumus Epheſ. 4 26. Hoc quoque Paulus & Barnabas fecerunt, ut patet ex 2 Tim. 4. 11. 1. Petr. 5. 13. & 1. Cor. 9. 6 Quomodo poſſumus retrahere iram ? *Reſp.* Meditando, cum ſentis animam ira turbatam, conſideas & mediteris Pſal. 4. 5. Meditare ſcilicet. 1. Quod ſit frater cui iraſceris, quem Deus amat. 2. Quod tu quoque homo & errare ac labi poſſis, & fratrum longanimitate opus habeas. 3. Quod Deus tibi tantum remiſerit. 4. Quod periculoſum ſit ſervare iram, tum propter Deum, qui ſevere punit Matth. 18 ult. tum propter Satanam, qui eâ facile abutitur. Si hæc & ſimilia meditaris, facile ira ſubſidet.

Actor. 16. v. 1, 2, 3, 4, 5.

CONCIO CLXXVIII.

SEcundum iter Pauli dividitur in egreſſum & regreſſum. Egreſſus habet quatuor gradus. 1. Diceſſum Pauli à Barnaba & Antiochenſibus c. 15. 39. 40. 2. Viſitationem Eccleſiarum antehac in Aſia plantarum à v. 41. c. 15. ad v. 6. c. 16. 3. Conatum ulterius propagandi Euangelium in Aſia c. 16. v. 6, 7, 8. 4. Vocationem & expeditionem ejus in Macedoniam & Græciam. Vocatio eſt v. 9, 10.

Expeditio eſt facta: 1. Philippis v. 11. ad finem cap. 16. 2 Theſſalonicę c. 17. v. 1. ad 10. 3. Berœę v. 16. ad 16 4. Athenis v. 15. ad finem c. 17. 5. Corinthi cap. 18 v. 1. ad 18.

De diſceſſu ſcribitur, quod Barnabas Marcum, Paulus Silam comitem ſumpſerit itineris, quod Barnabas in Cyprum navigaverit, Paulus, alio abierit, gratiæ Dei à fratribus commendatus. Hic illud tantum animadvertimus, quod Miniſtris in verbo laborantibus Eccleſia debet apprecari gratiam & benedictionem Dei. Sicut Chriſto, in officio mediatorio laboranti ab Eccleſia acclamatum eſt Hoſianna, Pſ. 118. 25, 26. Mat. 21. 9. Ita & ordinariis Paſtoribus in officio laborantibus Eccleſia debet apprecari benedictionem Domini. Vide Ephe. 6. 19 Act. 4 v. 29. 2. Theſſ. 3. 1. Mat. 9. 38. Col. 4. 3. Rom. 15. 30, 31. Sicut manus & brachia ſunt Inſtrumenta corporis, & quaſi famuli corporis, qui in uſum ejus laborant, & corpori advehunt omnia neceſſaria, ſed non poſſunt recte fungi officio, niſi à corpore ſuſtententur & geſtentur, & ex corpore robur ac vires accipiant; ita miniſtri ſunt inſtrumenta Eccle-

ſiæ,

ſiæ, quæ in uſum & incrementum ejus laborant, ſed Eccleſia per preces ipſis debet impetrare & procurare Spiritum Sanctum, qui eſt in corpore Eccleſiæ, ut ejus vi cum fructu laborare poſſint. Sit hoc vobis admonitioni, ut non tantum labore noſtro utamini, ſed etiam pro miniſterio noſtro ardenter oretis, tum ut bene laborare poſſimus; tum ut labor noſter animabus veſtris proſit. Niſi enim Deus det incrementum, fruſtra nos plantamus & rigamus, 1. Cor. 3.

De viſitatione Eccleſiarum, ante plantatarum, dicitur, quod Syriam & Ciliciam peragrans pervenerit Derbam uſque & Lyſtram, quæ fuerat ultima meta primi itineris. Res quę in hac viſitatione contigere paucę deſcribuntur. Primo dicitur quod Paulus has Eccleſias roboraverit. Deinde quod Timotheum ſibi comitem itineris elegerit. Porro quod ſtatuta & decreta Synodi Hieroſolymitanæ his Eccleſiis commendaverit. Denique quod Eccleſię per hanc viſitationem Pauli & fide & numero creverint.

De confirmatione Eccleſiarum actum eſt c. 14. v. 22. Erat hæc viſitatio & confirmatio Eccleſiarum neceſſaria, ne vel propriæ ſecuritati immerſæ vel Sathanæ dolis circumventæ, vel perſequutionibus preſſæ & ſuperatæ à fide deficerent, vel etiam per ſchiſmata dilaberentur.

De vocatione Timothei diverſa habet Textus. 1. Quis fuerit. 2. ad quid vocatus. 3. & quomodo.

Deſcribitur Timotheus 1. à parentibus. Erat filius, cujus mater erat Iudæa, ſed ad fidem Chriſti converſa, cujus nomen Eunice, & avia Timothei Lois 2. Tim. 1. 4, 5. Pater ejus fuit vir Græcus, ſcil. nativitate. Fuit tamen ſine dubio etiam ille Iudæus proſelytus, ita tamen proſelytus, ut intus quidem Iudaicæ Eccleſiæ doctrinam crederet, ſed publice eam non profiteretur, unde nec ipſe circumciſus fuit, nec filios ſuos circumcidi curavit, qualis etiam fuit Cornelius, Act. 10. Nec ſolum Iudæus fuit, ſed procul dubio etiam Chriſtianus, cujus cura & educatione Timotheus tam bonus diſcipulus Chriſti factus eſt. Magnum beneficium eſt naſci bonis parentibus. Quamvis enim parentum pietas non impedit, quo minus filii naſcantur cum peccatis & maledictione; tamen duplex præbet beneficium liberis. 1. Quod talium filii ſine ſcrupulo habendi ſunt pro filiis fœderis ad Eccleſiam pertinentibus, donec facto contrarium oſtendant, Rom. 11. 16. 1. Cor. 1. 7, 14. 2. Quod infirma eorum ętas bonis ſeminibus parentum cura conſeritur & vitiorum connatorum ſurculi præciduntur & revelluntur, antequam in vitiis per conſuetudinem indureſcunt. Videmus hinc quam noxia ſit impia vita eorum qui liberos habent. Non ſuæ enim tantum animę impietate ſua nocent, ſed & liberos ſuos, quantum in ipſis eſt, ſecum perdunt. Si tamen malis credere Timothei patrem etiam religione fuiſſe Ethnicum, tum inde diſce, quam noxia ſint conjugia cum impiis & heterodoxis. Impediunt enim educationem filiorum, in religione, ſicut hic impedivit circumciſionem Timothei. 2. Quod matronæ, quibus imparia contingunt conjugia, etiam invitis maritis filios in pietate & veritate inſtituunt, ſicut Eunice Timotheum.

2. Deſcribitur porro à qualitatibus. Erat diſcipulus qui ornabatur teſtimonio fratrum. Non tantum Chriſtianam religionem receperat, ſed & in ea talia ſpecimina pietatis & donorum oſtenderat, ut omnes bene de ipſo teſtarentur. Neceſſarium requiſitum eorum, qui ad officia Eccleſiaſtica promovendi ſunt, ut ſcil. habeant bonum teſtimonium in Eccleſia Act. 6. 3. 1. Tim. 5. 10. Immo tam evidens debet eſſe talium pietas, ut etiam qui ab Eccleſia alieni ſunt, bene de ipſis teſtentur, 1 Tim 3 7. Obſervent hoc Candidati Theologiæ, qui Epiſcopatum deſiderant. Non tantum autem his, ſed & omnibus Eccleſię membris eo adſpirandum, Act. 10. 22. Ut Chriſto ab Eccleſia commendari poſſint, ſicut ille centurio Luc. 7. 4. Vivendum autem ita, ut tuto dari poſſit vobis teſtimonium bonum. Teſtimonia quæ à nobis petitis ſæpe fallunt alios, quia vos fallitis nos. Vivendum ita, ut tandem obtineatis illud bonum teſtimonium, quod eſt Matt. 25. 21. item v. 35, 36.

Ad quid autem vocatus Timotheus? Paulus volebat ut ſecum proficiſceretur. Non eſt vocatus ut eſſet Paſtor unius alicujus particularis Eccleſiæ, ſed ut Paulo eſſet comes itineris in Apoſtolatu apud gentes. Non qui temporis fallendi cauſa ipſi adeſſet, aut corporali famulitio ipſum juvaret, ſed qui in opere Domini ipſi collaboraret, Rom. 16. 21. 1. Cor. 16. 10, 11. Phil. 1. 1. Iſti adjutores Apoſtolorum vocari ſolebant Euangeliſtæ, Eph. 4. 11. quod nomen & huic tribuitur, 2. Tim. 4. 5. Adſcitus eſt comes itineris, ut à Paulo quid ad ædificationem Eccleſiæ agendum eſſet diſceret, 1. Tim. 3. 15. & in eo ita profecit, ut collega Paulo evaderet. Paulo cordi erat ut plures adaptaret per quos regnum Chriſti propagaretur. Hoc exemplo Magiſtratibus & Eccleſiarum Antiſtitibus commendatur cura ſcholarum.

 Quo-

Quomodo vocatus? Paulus eum ſumpſit & circumcidit, idque propter Iudæos. In quamcunque civitatem Paulus veniebat inter gentes, primo Synagogas Iudæorum ingrediebatur, ut per Iudæos ad gentes ipſi daretur acceſſus. At vero Iudæis paſſim notum erat, Timotheum eſſe incircumciſi Patris Filium, & ipſum incircumciſum. Statim igitur abhorrebant ab omni conſortio cum Timotheo, & ſic propter præputium ſuum erat inutilis ad hanc vocationem, & nunquam admiſſus fuiſſet ad loquendum in Synagogis Iudæorum. Paulus igitur prudenter hoc offendiculum è medio ſuſtulit.

Object. Atqui hoc erat contra decreta Synodi, quę verſu ſequente Eccleſiis commendat, & cur hic circumcidit Timotheum, cum Titum circumcidere nollet, Gal. 2. 3. *Reſp.* Synodus non decreverat ut nemo Gręcus circumcideretur, ſed ut nemo cogeretur ad circumciſionem, tanquam ad rem neceſſariam ad ſalutem. Interim ſcandali tollendi cauſa licebat, cum utile erat, præputium tollere. Et ſic de Tito quoque dicitur, non quod non potuerit licite circumcidi in caſu ſcandali, ſed quod non coactus ſit ad circumciſionem. Hinc diſcimus duplicem regulam. 1. Quod non eſt neceſſarium ad ſalutem factu vel omiſſu, aliquando tamen faciendum vel omittendum eſt, cum ita conducit ad ædificationem aliorum. Quod non eſt neceſſarium factu propter ſe, poteſt eſſe factu vel omiſſu neceſſarium propter alios. Vide 1. Cor. 9. 19, 20, 21, 22. 2. Sed cum factio vel omiſſio talium incipit haberi pro cultu neceſſario, præcipue cum meriti opinio illis affingitur, Chriſtianæ libertati inſidiæ ſtruuntur, & ędificatio Eccleſiæ per illa non promovetur, ſed impeditur, abroganda ſunt & non facienda. Patet hinc quid reſpondendum Papiſtis, objicientibus, nos ad minimum traditiones & ceremonias ipſorum exemplo Pauli tolerare debuiſſe in Eccleſia. Non erant tolerabiles. 1. Quia non erant res indifferentes ſed illicitæ, inutiles & oneroſæ. 2. Quia igne & gladio nobis obtrudebantur tanquam neceſſariæ, & opinio meriti ipſis affingebatur, ſicut etiamnum affingitur.

Paulus has Eccleſias peragrans eis commendavit ſtatuta & decreta Synodi Hieroſolymitanæ. Decreta Synodalia erant Lex obligans, etſi non perpetuo obligans, ſed tantum in caſu ſcandali. Erat in iſtis decretis pars doctrinalis & pars moralis. Doctrinalis, de obſervatione legis ad juſtificationem non neceſſaria, ſemper obligat. Pars moralis, de abſtinentia à ſanguine & idolothytis, obligat in caſu ſcandali. Quantum ad abſtinentiam à ſcortatione, cum ſit peccatum Lege morali illicitum, decreto Synodico præcipitur tanto magis vitari, quia Iudæis ſcandalo ſit, & eos abſterreat à communione cum converſis gentibus. Decreta hujus Synodi habent vim legis, quia intererant Apoſtoli Spiritu S. infallibiliter gubernati. Decreta Synodorum ordinariarum habent vim legis, & obligant conſcientias, quatenus cum Scriptura conſentiunt, & ad pacem Eccleſię neceſſaria ac utilia ſunt.

Hac viſitatione Pauli Eccleſiæ, ante plantatæ, confirmatę ſunt in fide, & creverunt numero. Eccleſia bene plantata eſt ſponſa & uxor Chriſti, ideoque, ſicut in felici matrimonio fieri ſolet, non tantum vegeta eſt ſed & fœcunda; non tantum creſcit ſed & multiplicatur, adeoque benedictione illa, quam Deus ſuper matrimonium pronunciavit, Geneſ. 9. v. 1. ſpiritualiater & perfecte fruitur. Sicut omnia vere viva membra corporis non tantum attrahunt ex cibo quantum ad conſervationem individui requiritur, ſed etiam aliquid diſtribuunt & contribuunt, quod ad propagationem ſpeciei requiritur: ita omnia fidelia & viva membra Eccleſiæ verbo Dei non tantum ſe ipſos paſcunt, ſed etiam vitam ſuam ſpiritualem in alios propagant, ut corpus Chriſti numero creſcat.

Actor. 16. v. 6. ad 13.

CONCIO CLXXIX.

Sequitur conatus Pauli, quo tentavit poſt viſitatas Eccleſias, primo itinere plantatas, Euangelium in cæteras Aſiæ Provincias propagare. Cum enim primi itineris ultima meta fuerit Lycaonia, conatus eſt hoc ſecundo itinere tranſire in Phrygiam & Galatiam, & ibi Euangelium prædicare, ſed prohibitus eſt à Spiritu Sancto. Itaque in *Myſiam* & Bithyniam proficiſci voluit, ſed Spiritus non permiſit. In Troadem itaque venit (quæ eſt ultima Provincia Aſiæ Minoris, Europæ vicina, in qua Troja celeberrima olim civitas:) ſed & inde avocatus nihil effecit. Diverſæ hic quæſtiones occurrunt explicatione dignæ.

I. A quo Paulus impeditus eſt Euangelium prædicare in Aſia? *Reſp.* Paulus ſæpe declarat ſe impeditum, cum habuit propoſitum Euangelicum alicubi prædicandi.

1. A Sathana. Vide 1. Theſſ. 2. 18. qui ſine dubio & hic opus ſuum fecit varia objiciendo impedimenta

2. Per

2. Per neceſſitatem aliarum Eccleſiarum, quæ opera ejus indigebant, Roman. 1. v. 14. & 15. v. 22, 23.

3. A. Spiritu Sancto. Sic hic expreſſe dicitur, quod ille ipſe Spiritus S. qui ipſum vocaverat ad Euangelium inter gentes prædicandum, prohibuerit Euangelium prædicare in Aſia. Multa exemplaria legunt, quod *Spiritus Ieſu* prohibuerit, unde contra Græcos colligitur, quod Spiritus Sanctus non minus procedat à Filio quam à Patre, ſicut & vocatur *Spiritus Filii*, Gal. 4. 6. & *Spiritus Chriſti*, Rom. 8. 9.

II. Quomodo autem impedivit eum Spiritus Sanctus? *Reſp.* 1. Per internum alloquium & interdictum. 2. Vel, ſicut poſtea, per viſionem excitavit ut in Macedoniam iret, ita per viſionem potuit prohibere ne iret in provincias Aſiæ. 3. Vel etiam per invaletudinem & alia obſtacula à Sathana excitata ſicut, 2. Cor. 12. 7. 4. Vel non benedicendo ejus labori, ut multum laborans neminem converteret. 5. Vel etiam cohibendo influxum donorum. Cum enim virtus Dei non influit in animos miniſtrorum Dei; lingua eorum quaſi exareſcit, ut & voluptas & facultas concionandi deficiat Non poſſunt concionari prout volunt, Sed prout datur, Epheſ. 6. 19.

III, Sed quare impedivit? Is qui juſſerat, cur prohibet concionari? *Reſp.* 1. Sunt qui cauſas quærunt in incolis harum Provinciarum, quaſi præ cæteris fuerint impii, & minus ad Euangelium recipiendum diſpoſiti. Sed quæ quæſo probitas fuit apud Lycaonios, Cypros, Macedonas? nonne omnes erant idololatræ & ſcortatores? & ubi major impietas & perfidia quam apud Græcos? Etſi hæc fuit cauſa prohibitionis, cur poſtea permiſit? In tertio enim ſuo itinere Paulus in his locis, ubi nunc prohibetur, per integrum biennium Euangelium prædicavit, Act. 19. 10. Et Apoſtolus Iohannes ibi docuit diu, atque ad civitates hic ſitas Epiſtolas ſuas ſcripſit, Apoc. 2. & 3. 2. Cauſa igitur hujus prohibitionis quærenda eſt in Deo, qui hoc pacto voluit docere, quod Euangelium non currit fortuito, aut ſecundum conſilia hominum, ſed prout à Deo mittitur. *Spiritus ſpirat ubi vult*, Ioh. 3. Hoc dictum non tantum intelligendum de diſtributione internæ gratiæ, ſed etiam de diſtributione externi verbi. Hoc non habet curſum fortuitum, nec curſum ordinarium ac ligatum ſicut ſol, ſed ſpargitur à Deo ſicut pruina, ſuper hunc populum & non ſuper alium, Pſal. 147. Ad unum populum venit mane, ad alterum ſero Matth. 20. Idque ideo, ut unuſquiſque qui vocatur, laudem ſuæ vocationis tribuat ſingulari & impromeritæ gratiæ Dei, & non propriæ ſuæ diſcretioni. Paulus continuas & contiguas voluit plantare Eccleſias, ut totum mundum faceret ſenſim Eccleſiam, ſed Deus voluit Eccleſias hinc inde diſperſas, ut ex toto orbe electos ſuos converteret. Amor Paulus latius ſe extendit quam conſilium Dei.

IV. At enim an juſte Deus potuit impedire curſum Euangelii? Utique hoc peccatum eſt. *Reſp.* Deus non impedivit curcum Euangelii, dum impedivit, ne Paulus in Aſia prædicaret Euangelium, ſed potius promovit. Hoc enim eſt promovere curſum Euangelii, cum eo mittitur Euangelium, ubi conſilium Dei fert ut Euangelio benedicatur. Impediunt Miniſtri, dum vocati nolunt prædicare; impediunt hoſtes, cum prædicato Euangelio reſiſtunt, ſed non impedit Dominus, dum ſuum Euangelium, quod nemini debet, mittit quo vult.

V. An vero Paulus non peccavit, dum voluit quod Spiritus Sanctus noluit; Voluit in Aſia prædicare, noluit Spiritus Sanctus. Cum voluntas hominum contraria eſt voluntati Dei, annon eſt peccatum? *Reſp.* Duplex eſt voluntas Dei, *revelata* & *ſecreta*, Cum hominis voluntas eſt contraria voluntati revelatæ peccatum eſt, ſed non cum ſecretæ. Si Paulus poſt interdictum in Aſia docuiſſet, peccaſſet, ſed voluit prædicare ante interdictum. Gratum Deo ſæpe eſt nos velle facere, quod Deus non vult fieri. Sic mactatio Iſaaci Geneſ. 22. Ingratum Deo ſæpe eſt nos nolle facere quod ipſe non vult fieri. Sic ſi Abraham noluiſſe mactare filium, quem Deus nolebat mactare, peccaſſet. Immo ingratum eſt nos velle facere quod ipſe vult fieri. Sic ingratiſſimum Deo fuit, Iudæos velle facere Chriſto omne illud malum, quod conſilium & manus ejus determinaverat ut fieret Actor. 2. & 4. Sed hæc omnia de Secreta Dei voluntate intelligenda ſunt. Nobis vivendum ſecundum Revelata præcepta Dei, non ſecundum ſecreta conſilia Dei. Si illis contraria eſt noſtra voluntas, peccamus, & punimur, etiamſi his ſit conformis.

VI. An hoc interdictum non excuſat infidelitatem Aſiaticorum populorum? Quoniam enim Deus noluit, immo prohibuit eos vocari, ſequitur utique eos non potuiſſe credere? *Reſp.* Sequitur omnino quod non vocati non potuerint credere, ſed hæc non vocatio non excuſat eorum impotentiam credendi. Non enim habet originen hæc impoten-

potentia credendi ex defectu vocationis, ſed ex ipſorum natura, per Adamum depravata, nec non ex propria ipſorum voluntate mala, qua ſe magis magiſque ad peccandum aſſuefecerunt, in peccatis obdurarunt, & ſe divina vocatione indignos fecerunt, & æternæ condemnationis reos. Ipſi ſunt injuſti & rei, qui hanc impotentiam credendi Euangelio ex ſe habent, nec juſtificantur & excuſantur, ſi Deus impotentiam eorum non tollit per efficacem ſuam vocationem, quam aliis mittit & confert. Quod enim aliis ex gratia dedit, his ex juſtitia potuit negare. Juſtus Deus eſt, & etiam gratioſus. Ideo miſeretur quorum vult, quos vult præterit & indurat Rom. 9.

Huctenus tres priores partes itineris hujus vidimus, videl. diſceſſum ab Antiochenſibus, viſitationem Eccleſiarum antea plantatarum, & conatum fruſtraneum propagandi Euangelium in cæteras Aſiæ minoris Provincias. Sequitur pars ultima, videl. transfretatio ejus in Europam quæ nobis tanto magis conſideranda, quia per hanc ad noſtras habitationes propius acceſſit Euangelium. Hic porro duo videnda, 1. Vocatio Pauli in Europam. 2. Expeditio ejus.

Vocatio facta eſt per viſionem. Nocte enim vidit virum habitu Macedonico, rogantem ut ad Macedones tranſiret, iisque ſuppetias ferret. Ex hac viſione concludit, ſe à Deo in Macedoniam vocatum. Duo hic quæri poſſunt.

1. Annon hinc ſequatur, apud Macedones jam tum fuiſſe aliquod deſiderium Euangelii, quo Deus motus eſt ad Euangelium ipſis mittendum? Videntur enim ſenſu miſeriæ ſuæ ita compuncti, ut opem & auxilium deſiderent, ſicut ægrotus medicum vocat in auxilium. *Reſp.* 1. Non ſequitur. Non enim voluit Deus Paulo per hanc viſionem depingere, quomodo diſpoſiti & conſtituti ſint Macedones, ſed ſimpliciter eum monere, ut in Macedoniam abiret; & Euangelium prædicaret. 2. Si concedamus, nihil facit pro adverſariis, naturalem inclinationem & diſpoſitionem ad Euangelium præ aliis recipiendum urgentibus. Potuit enim Deus in Macedonia habuiſſe aliquos, non qui naturaliter præ cæteris ad Euangelium recipiendum magis diſpoſiti eſſent, ſed qui per Spiritum Sanctum, mediante prædicatione legis, in Synagogis Iudaicis uſitata, eſſent contriti ac compuncti, & ad deſiderandum ac recipiendum Euangelium præparati, ſicut Cornelius erat Actor. 10. 1, 2. Et hanc fatemur eſſe cauſam, propter quam Euangelium mittitur. Ubi enim Deus Eccleſiam ſibi elegit & præparavit, eo mittit Euangelium ad eam vocandam ac perficiendam. Obſervandum præcipue hic eſt, quod Paulus vocatur ad ſuccurrendum Macedonibus. Commendat hoc dignitatem S.S. Miniſterii. Sunt auxiliatores miſerorum. Etſi enim hoc Chriſti proprium eſt, tamen ab inſtrumentis ſuis vult peti auxilium, quorum Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem. Sunt auxiliatores contra neceſſitates ſpirituales, quas nec Medici, nec Iuriſconſulti, nec Magiſtratus poſſunt tollere.

2. An nocturna viſio, vel ſomnium nocturnum fuit fundamentum ſatis tutum, ex quo Paulus potuit concludere, ſe à Deo in Macedoniam vocatum eſſe? Quid ſi fuiſſet ſomnium fallax, vel ſpectrum Diabolicum? *Reſp.* Manifeſtationes divinæ, quæ fiebant Prophetis & Apoſtolis, ſive fierent per viſiones, ſive per ſomnia, ſive per inſtinctus, &c. ſemper ſecum habebant talem lucem Spiritus Sancti, per quam in animis ipſorum efficiebatur fides & convictio, quod manifeſtatio eſſet à Deo. Sicut Angeli apparentes hominibus ſemper apparebant cum claritate Domini, ex qua conſtabat quod eſſent Angeli Domini, Luc. 2. 9. Ita divinæ compellationes, quæ fiebant Prophetis ac Apoſtolis, ſemper erant veſtitæ claritate Spiritus Sancti, ex qua & per quam divinitas earum teſtata reddebatur. Habebant tales characteres divinitatis, ut tuto illis fidere poſſent Prophetæ ac Apoſtoli. Vide 2. Petr. 1. 21. Noſtra ſomnia, quoniam iſtis characteribus deſtituuntur, fidere iis non debemus, quantumvis ſint ſpecioſa & probabilia. Nos ſomniorum noſtrorum aliam curam gerere non debemus, niſi ut adſueſcamus vigilantes ſemper bene agere & bonum cogitare, tum enim dormientes non facile ſomniabimus malum: Sicut equi, aurigæ parere adſueti, etiam dormiente auriga recta via incedunt; ita ſenſus noſtri, rationi obtemperare adſueti, etiam ratione per ſomnum interclusa non declinant ab eo quod ſecundum rationem eſt.

In cæteris verbis hujus Textus deſcribitur, qua via, ſeu quo itinere Paulus ex Aſia in Europam, & ſic in Græciam venerit. Troada ſolvit, per Ægeum mare in Samothraciam venit, quæ eſt inſula Thraciæ vicina, in qua Thracia Conſtantinopolis ſita; ex hac inſula in continentem venit, & primo Neapolim, mox Philippos pervenit, quę eſt prima urbs Macedonię, eaque colonia. Nihil hic notabile ad ædificationem pertinens Eccleſiaſticam, niſi 1. quod Lucas hic incipit in prima perſona loqui, indicans

ſe

ſe hic cœpiſſe Apoſtoli comitem fieri. 2. quod Spiritui S. viſum Philippos ita deſcribere, quod eſſet prima ſeu primaria civitas in partibus Macedoniæ, ſed colonia, ſcilicet Romana. Cur hoc? Quid attinebat hoc eſſe Scriptura? *Reſp.* Voluit Spiritus Sanctus omnibus magnis & florentibus provinciis ac civitatibus ſtatum hujus urbis proponere in exemplum ruinæ & decrementi. Urbis olim orbis Domina tempore Marchię Grecæ, nunc Romanorum colonia eſt, ex qua expulerant naturales incolas, & in eorum locum Italos plantaverant, ad firmandos imperii ſui limites. Hoc ſibi accerſiverant Greci peſſima ſua vita. Qualis enim vita eorum fuerit, patet ex duobus vulgatiſſimis proverbiis 1. *Græca fide mercari*, i.e. hypocritice, fraudulenter, mendaciter cum proximo commercari & converſari. 2. *Græcari, ſeu pergræcari*, i.e. crapulæ & omnis generis libidinibus ſine timore Dei indulgere. Talis vita florentes provincias & civitates facit exterorum colonias. Nos jam floremus præ omnibus totius orbis provinciis & civitatibus. Caveamus Græcam vitam, ne Græca ſors nos obruat. Nihil apud nos tam magnum, quod non olim fuerit in Græcia. Nihil nunc apud Græcos tam perditum quod non nos quoque obruere poſſit. Poteſt & nobis dici quod dictum Philippenſibus: *Veteres migrate coloni.* Olim reſpectu Græciæ omnes nationes barbaræ erant. Nunc vix ulla natio tam barbara ac Græcorum.

Actor. 16. v. 13, 14, 15.

CONCIO CLXXX.

APpulimus nuper cum Paulo Philippos, civitatem quæ olim Macedoniæ, immo totius Græciæ prima & primaria, tempore vero Pauli Romanorum colonia facta erat. Quid hic geſtum ſit, in reſiduo hujus capitis deſcribitur, & ad ſequentia recidit: 1. Occaſionis prædicandi captatio & inventio v. 13. 2. Lydiæ converſio v. 14. 15. 3. Spiritus Pythonis ejectio v. 16. ad 19. 4. Pauli & comitum flagellatio ac incarceratio v. 19. ad 25. 5. Cuſtodis carceris converſio v. 25. ad 35. 6. Pauli ex urbe hac diſceſſus v. 35. ad finem.

I. Quod ad primum attinet, potuiſſet Paulus ex viſione & ardenti flagitatione viri Macedonis v. 9. ſpem concipere, fore ut omnes Macedones agminatim ipſi obviam venirent, & prædicationem Euangelii ab ipſo peterent. Sed ecce cum Philippos venit, tota urbe nemo eſt, qui Euangelii prædicationem deſideret, ſed cogitur Paulus occaſionem captare, qua uni vel alteri commode Euangelii nuncium inſinuare poſſit. Eo fine aliquot diebus in urbe commorati, tandem die Sabbathi egreſſi ſunt extra urbem ad fluvium, ubi conjiciebant precatorium eſſe, ibique conſidentes confluentibus mulieribus loquuti vel concionati ſunt. 1. προσευχὴ hic eſt vel domus precum, ſeu Synagoga ad cultum publicum deſtinata, vel ſaltem conventus & confluxus populi ad precandum & Deum colendum. 2. Ex mentione Sabbathi patet quod hæc precatio non fuerit gentium, ſed Iudæorum & Proſelytarum. 3. Cur autem ſolarum mulierum & non virorum? non quod viri non adfuerint, ſed quod auſcultari noluerint. 4. At unde conjiciebant Apoſtoli & putabant, quod hic eſſet futura precatio? vel ex colloquiis cum civibus, qui dixerant Iudæos ibi aliquando ſolere congregari, vel etiam ex amore & conſuetudine Iudæorum inter gentes habitantium, qui ſæpius habebant ſuas Synagogas extra civitates, ſive quod gentes eas in civitatibus non ferrent, ſive quod delectarentur ad fontes & fluvios ædificare ſuas Synagogas extra ſtrepitum populi. Diſcimus hinc, quod Dei promiſſio & hominum curæ ſe invicem non tollunt, ſed ponunt; Cum Deus nobis aliquid promiſit, noſtrum eſt curare ut id fiat. Vocaverat Deus Paulum in Macedoniam, cum promiſſione, fore, ut ibi multos inveniret qui Euangelium deſiderarent & cupide amplecterentur, ſed cum venit neminem invenit, niſi quos quærit, ſollicite occaſiones captat Euangelium inſinuandi. Hos nos erudit, ne per divinas promiſſiones ſegneſcamus in noſtris curis & officiis. Quid enim eſt quod Deus nobis promiſit? Promiſit benedicere noſtris laboribus & curis. Ubi igitur nullæ curæ, nullus labor ex parte noſtra, ibi nullam vim habet divina promiſſio. Verum quidem eſt, quod Deus fidelibus etiam hoc promiſit, quod illos defectus & illas infirmitates, quæ ſunt in curis, laboribus & officiis noſtris non vult reſpicere, nec propter illas benedictionem ſuam nobis ſubtrahere, ſed tamen nuſpiam promiſit, quod ſine noſtris curis & laboribus nobis velit benedicere. Benedictio per promiſſiones alligata eſt noſtris curis. Sicut igitur per promiſſiones nos poſſumus roborare, ut propter defectus, infirmitates & difficultates, quæ in curis noſtris & laboribus nobis obveniunt, non deſperemus; ita ſciendum, promiſſiones benedictionem alligare noſtris officiis ne in illis ſegneſcamus. Ante converſionem benedi-

ctio

ctio & gratia divina curas noſtras prævenit, & nos ad curas & officia diſponit, ſed promiſſiones quæ converſis factæ ſunt, noſtris curis & laboribus alligatæ ſunt. Hinc ſenſus Pauli Phil. 4. 6, 7. non vult nos eſſe ſine curis, ſed vult ut curis noſtris non diffidamus, ſed curarum & officiorum noſtrorum imperfectionibus opponamus fiduciam in Dei promiſſiones q. d. Date modo operam, ut veſtrum velle, veſter conatus, veſtra lucta Deo fiat manifeſta, & tum non ſitis diffidentes. Beatus ſervus quem Dominus invenit facientem, etſi opus nondum abſolverit, Matt. 24. 46, 47. Hoc cuilibet noſtrum tum in ſuo Chriſtianiſmo, tum in ſua vocatione ſemper ſit ob oculos.

II. Sequitur primus fructus Miniſterii Pauli in Macedonia, videlicet converſio Lydiæ. De hac tria conſideranda: 1. Deſcriptio perſonæ converſæ. 2. Converſionis modus. 3. Converſionis fructus.

Perſona converſa deſcribitur.

1. A nomine, quod non eſt cognomen ſed prænomen. Non quod eſſet ex provincia Lydia, ſic appellatur, ſed Lydia nomen proprium eſt.

2. A patria. Habitabat Philippis, ſed oriunda erat ex urbe Thyatira de qua, Apoc. 2. 18. quam alii in Myſia; alii in Lydia ſitam putant; alii in Ionia. Peregrina erat in loco habitationis ſuæ, quam Deus nativis Macedonibus prætulit.

3. Ab opificio. Erat mercatrix purpuræ. Hic foret campus quærendi, an illa occupatio legitima. Tractare merces ad neceſſitatem humanæ vitæ pertinentes ſine dubio licitum eſt, ſed quæ non niſi ad ſuperbiam faciunt, an illas licet facere, emere, vendere, gerere? *Reſp.* Nihil eſt tam lautum & pretioſum, quod non ſit licitum. Omnes bonę artes, quæ non ſunt *Artes vanæ*, ut vocantur Actor. 17. 29. 2. Tim. 6. 20. i. e. movendorum peccatorum & impediendæ pietatis cauſa inventę, omniaque bona dona ſunt dona Dei, à Patre luminum deſcendentia, & poſſunt uſurpari ad gloriam Dei & uſum hominum, unde & Spiritus S. ea ſibi vendicat, Exod. 31. v. 1, &c. Nec lauta & pretioſa veſtis ſuperbiam facit, quę ſæpe in lacinia mendicorum locum habet. Hoc autem ſciendum, quod quæ in ſe licita ſunt, non omnibus licita ſunt, nec ſemper, nec omni modo. Nam

a. Quod licitum eſt divitibus, non licitum eſt cæteris. Furari neceſſitatibus quod impendas ornatui non eſt licitum, nedum illegitimis mediis comparare quo te ornes. Nec licet confundere ſtatus quos Deus diſtinxit. Sunt ornamenta & lautitiæ quę omnibus conveniunt, ſunt quæ non niſi quibuſdam. Non debet ruſticus in ornatu æqualis eſſe civi, nec civis nobili, nec nobilis Principi, nec Princeps Regi, nec ſervus libero, nec ſubditus Magiſtratui, ſed quilibet tenetur ſe ornare ſecundum gradum honoris & gloriæ, quo divinitus donatus eſt, ut aliis vel inferior ſit vel ſuperior, Matth. 11. 8. Huc licet accommodare illud Prov. 27. 8. 1. Corinth. 7. 20, 21.

b. Quod licitum eſt tempore proſperitatis, non licitum eſt tempore calamitatis & triſtitiæ. Cum Deus vocat ad ſaccum, noſtrum non eſt ambulare in ornatu, Eſa. 22. 12. Tempora jejunii & humiliationis reſpuunt ornatum alio tempore licitum. Cum exules Chriſti fame moriuntur, ſubtrahendum eſt noſtro ornatui, quod ſerviat ipſorum neceſſitati, Amos 6. 6. Luc. 16. 19.

c. Quod licitum eſt, non in omni forma & modo licitum eſt. Cum licitum eſt ut nos pretioſius ornemus, ſpectandum tamen, ne ornatus noſter ſit levis, meretricius, mundo ſimilis, honeſtati & Chriſtianę modeſtiæ ac humilitati & mediocritati contrarius. Vide 1. Timoth. 2. v. 9. Tit. 2. v. 3. 1. Petr. 3. 3.

His cautionibus obſervatis nemini ſcrupulum injicimus in veſtibus. Sed proh dolor! noſtris in hac materia directionibus, quantumvis ex Scriptura depromptis, parum creditur, antiquam veniant milites & leges veſtiarias imponant.

4. A religione. Σεβομένη τὸν Θεόν. Si Deum timuit, quid opus habuit converſione? Qui enim Deum timet, converſus eſt. *Reſp.* Dictum c. 10. v. 1, 2. quod tempore Chriſti & Apoſtolorum multi Iudæi & proſelyti fuerint eouſque converſi, ut per legem compuncti gratiam deſiderarent, & per legis umbras illuminati generalem aliquam promiſſi Meſſię exſpectationem haberent, qui tamen ulteriore converſione indigebant, ut Meſſiam exhibitum agnoſcerent & amplecterentur, eique insererentur. Talis potuit fuiſſe hæc Lydia. Iudæa enim fuit vel proſelyta. 2. Sed non opus eſt eouſque adſcendere. Dantur multi religioſi qui non ſunt converſi. Sunt enim in quibus lux naturæ ſenſum Numinis in tantum acuit, ut ſciant Deum eſſe & colendum & placandum, & magna diligentia id conentur facere. Sed quia cultus ipſorum caret inſtructione divini verbi, & non proficiſcitur ex corde ſincero, ac per fidem purgato, ideo religio quidem eſt, ſed non pietas. Talem Lydiam fuiſſe probabilius eſt, quia nondum

habuit

habuit cor apertum, quod Cornelium habuiſſe extra dubium eſt. Tales religioſi etiamnum multi ſunt inter Gentiles, Turcas, Iudæos, Hæreticos, Papiſtas, noſtros, qui magno labore multis ceremoniis, immo ſumtibus & moleſtiis in cultu Dei ſunt occupati, ſed quia vel præſcriptum verbi non ſequuntur, vel quod faciunt falſo corde faciunt, à dominio peccatorum non liberati, ideo religioſi quidem ſunt, ſed non pii. In modio religionis ne granum quidem pietatis reperitur, quę Deo placeat, adeo tota ipſorum religio palea eſt, ideoque converſione opus habent. Vide Eſa. 1. 10. ad 19. Hactenus deſcriptio perſonę converſæ.

Converſionis modus in eo conſiſtit, quod Lydia Paulum audiente *Deus cor ejus aperuit*, ut attenderet iis quę à Paulo dicebantur.

1. Lydia audiebat. Auditus verbi præcedit converſionem. Eſt enim medium converſionis, eſt gladius cor aperiens, eſt ſemen ex quo regignimur. Iacob. 1. 18. Hebr. 4. 12. Rom. 10. 15. Act. 26. 18. Etſi enim qui converſi non ſunt, non poſſunt ſe ſua virtute convertere, tamen omnes, qui per verbum vocantur, tenentur per auditum verbi converſionem ſuam apud Deum quærere. Etſi enim auditus verbi non eſt medium, cui Deus per promiſſionem ſe alligavit, ut teneantur omnes qui audiunt, converteret; tamen eſt medium cujus uſui nos per mandatum alligavit, ut omnes qui verbum audire recuſant, ſua culpa à converſione excidant, & ſeipſos æterna vita indignos declarent, Act 13. 46

2. Deus Lydiæ cor inter audiendum aperuit, ut dictis Pauli attenderet. Deus dicitur circumcidere cor, frangere cor, renovare cor, vivificare cor, purgare cor, illuminare cor, dilatare cor, & hoc loco aperire cor. Similis phraſis eſt Luc. 24. 45. Cor igitur noſtrum natura clauſum opus habet à Deo aperire. Quomodo clauſum 1 Sicut aqua frigore clauditur & congelatur ac indureſcit, ut nullo vento commoveri poſſit, ſed ut opus habeat calore ſolvi; ita fugato è nobis per peccatum Spiritu Sancto cor noſtrum afflatu Satanæ induruit inſtar petræ, & opus habet ſolvi calore Spiritus Sancti, alioqui moveri non poteſt per verbum ad obedientiam Ezech. 36. 26. 2. Sicut oculus per exſiccationem humoris cryſtallini, vel per inductionem membranæ clauditur, ut videre non poſſit niſi aperiatur per ablationem impedimenti; ita oculus noſter intellectus per ablationem luminis cœleſtis & inductionem corporis peccati, tanquam tegmine obductus eſt, ut ſpiritualia objecta verbo revelata comprehendere non poſſit, niſi divinitus aperiatur, 2. Cor. 3. 15, 16, 17. Pſ. 119. 18. 3. Sed præcipue ipſe textus indicat quomodo cor Lydię Deus aperuit, ſcilicet non tantum adaptando cor ut poſſet verbum percipere, ſed cor Lydię inclinando, ut actualiter iis, quæ dicebantur, attenderet, eaque perciperet, comprehenderet & amplecteretur tanquam vera & juſta ac ſalutaria. Sicut oculus aliquando quibuſdam objectis ita quaſi ligatur & divertitur, ut alias res, quamvis proxime objectas & ad ſe pertinentes non cernat, niſi aliquo modo à prioribus objectis ſolvatur & divertatur; ita naturaliter cor hominis rebus mundanis adeo affixum eſt, ut omnia ſpiritualia, quantumvis revelata & prædicata, non capiat, ſed ſinat præterire, niſi divina virtute à mundanis objectis ſolvatur, & in verbum divinum transferatur ac convertatur. Hæc illa apertio & ſolutio cordis, quam David petit Pſ. 119. 36, 37. *Object.* Cur hæc apertio cordis Deo tribuitur, cum tamen ab homine requiratur, Apocal. 3. 10 *Reſp.* 1. Quod homini mandatur, non ideo mandatur, quia illud facere in ejus viribus eſt, ſed ut per hoc mandatum Deus id, quod requirit ab homine, efficiat in homine. 2. Iohannes ibi loquitur de regenitis & converſis. Scribit enim ad Eccleſiam Laodicenſem, quæ utique converſa. Facile autem fatemur, eſſe in poteſtate converſorum, cor ſuum Chriſto aperire. Sicut quilibet domeſticorum poteſt aperire januam domus, poſtquam ea ab architecto conſtructa eſt, ſed januam in domo exſtruere nemo poteſt niſi architectus. ita poſtquam Deus clauſum & durum noſtrum cor aperuit, & januam fidei in eo exſtruxit, nos poſſumus eam januam à Deo exſtructam aperire & claudere. Sed januam fidei exſtruere nemo poteſt niſi Deus. Vide Act 14. 27. 1. Cor. 16. 1, 9. Col 4. 3. Apoc. 3. 8 Finis igitur Iohannis hoc loco eſt Eccleſiam converſam, ſed in converſione flacceſcentem excitare. ut viribus converſionis utatur, ad ſuam cum Chriſto communionem magis magiſque promovendam. Ex hoc modo loquendi duæ egregiæ doctrinæ ſe offerunt:

1 De efficaci operatione Dei in negocio converſionis contra Scholam Pelagianam, quæ in ea nihil divinum agnoſcit, niſi *moralem ſuaſionem* per verbum, & quod quædam potentia ſe convertendi homini confertur, & tota actualis converſio ab ipſo exſpectatur. Aliud vult hic textus, cum cor clauſum dicit à Deo aperiri eouſque ut verbo actualiter attendat, illudque recipiat. Ipſe actus converſionis divinæ operationi tribuitur. Verbum exter-

nium aderat, prædicabatur, audiebatur, ſuadebatur, ſed nihil efficiebat antequam Deus cor aperiret. Et cum Deus aperiret, non eouſque aperiebat ut attendere poſſet, ſed ut actu attenderet, perciperet & amplecteretur. Deus non tantum dat poſſe, 2. Cor. 3. 5. Sed velle & perficere Phil. 2. 13. & 1. 29. Luc. 1. v. 73, 74. Hebr. 13. 12.

2. De neceſſitate verbi in opere converſionis contra Enthuſiaſtas, qui verbi uſum repudiantes operationes Spiritus captant extra verbum & ſine verbo. Spiritus aperit cor, ſed per verbum, & cum aperit, verbo affigit ut verbo attendat.

Has duas doctrinas poſſem late confirmare, ſed quia ſunt materiæ catecheticæ, non inſiſtam. Doceant modo nos, ut & verbum ſtudioſe audiamus, & tamen in externo verbi auditu non acquieſcamus, ſed benedictionem Dei imploremus, ut is oſtium verbi aperiat ne perfluat.

Nunc de fructu converſionis pauca addam, qui triplex eſt.

1. Baptizatur. Prius convertitur, tum baptizatur. Sacramenta non convertunt, ſed dantur converſis. Deſiderantur tamen à converſis tanquam media corroborationis in converſione. Aperto intus corde & convicta conſcientia, extus quoque ſe à mundo ſeparat, Deo ſe conſecrat & Eccleſiæ adjungit. Vera enim fides non ſe abſcondit in corde, ſed exſerit in opere. Pietas cauta eſt ac circumſpecta, ſeipſam cupiens roborare per media corroborationis divinitus inſtituta, ne deficiat.

2. Baptizatur cum domo ſua. Pietas eſt fertilis ac fœcunda, & ſe ſtatim cupit propagare, præſertim in proximos. Luc. 22. 32. Exemplum omnibus heris & parentibus probe obſervandum.

3. Invitat Apoſtolum cum comitibus in domum ſuam, idque cum ſeria obteſtatione, & quaſi cum coactione: Apoſtolus recuſat ſub initium, ne ipſam gravaret, vel in periculum perſequutionis induceret. Sed ipſa ſerio inſtat donec obtinet. Pietas eſt grata, & cupit compenſare beneficia. Si miniſtro cupit eſſe grata, quidni cupiat auctori Deo? Notabile eſt, quod Apoſtolos rogat cum hac obteſtatione: ſi me judicaſtis fidelem Domino, venite in domum meam. q. d. ſi judicatis meam fidem in Dominum Ieſum Chriſtum eſſe veram & ſinceram fidem, date mihi etiam occaſionem gratitudinis. Qui enim gratus non eſt, fidelis non eſt. Hæc fœmina non ex longa inſtitutione didicit neceſſitatem gratitudinis pro ſalute, ſed per ipſam fidem inſtituitur, immo urgetur ac movetur ad gratitudinem. Sunt hæ tres inſeparabiles proprietates veræ fidei, quæ ſe ſtatim exſerunt ſimulatque fides ipſa naſcitur, *videl.* 1. fides eſt famelica & eſuriens, agnoſcit ſuam imperfectionem & appetit media corroborationis. 2. fides eſt fœcunda & cupit ſe propagare in alios. 3. fides eſt grata in eum, à quo proficiſcitur & efficitur. Hic verus Lydius lapis, quem in memoriam hujus Lydiæ aſſervate, & ad eum ſæpe veſtram fidem probate, an vere ſitis fideles Domino ſicut Lydia fuit.

Actor. 16. *v.* 16, 17, 18.

CONCIO CLXXXI.

Tertium caput in actis Pauli Philippenſibus eſt ejectio Spiritus faticidi ex quadam ancilla. De ea tria ſunt in textu: 1. Qualis fuerit ille Spiritus. 2. Quam ob cauſam ejectus. 3. Quomodo ejectus.

I. Spiritus ejectus Pythonis, quod tranſlatores noſtri vertunt Spiritum veridicum: (**warſeggenden Geeſt**) Quis ille Spiritus veridicus? Tria ſunt genera Spirituum; Deus, anima, Angelus. An Spiritum Sanctum ejecit, qui eſt Spiritus vere veridicus & Spiritus veritatis? Iohan. 16. 13. Nequaquam, officium enim Pauli non erat ejicere hunc Spiritum ex hominibus, ſed inducere Actor. 8. 15, 16, 17. An animan ancillæ ejecit ſicut Petrus Spiritum Ananiæ & Sapphiræ; Actor. 5. Nequaquam, quia nihil de morte ancillæ narratur. An Angelum bonum vel malum ejecit? Non bonum ſed malum, videlicet Diabolum, qui hanc ancillam non tantum afflabat, ſed plane obſidebat, ut ejiciendus & expellendus eſſet, ſicut hoc eo tempore non rarum erat inter Ethnicos *Object.* At enim Diabolus non eſt Spiritus veridicus, ſed Spiritus mendacii, 1 Reg. 22. v. 22, 23. *Reſp.* Eſt vere Spiritus mendacii & mendax, Ioh. 8. ſed tamen vocatur *veridicus* ob hanc cauſam, quod præſumebat futura prædicere, & eventus prædictionibus ejus ſæpe reſpondebat. Erat inter graviſſima peccata Ethnicorum non minimum magna illa curioſitas & cupiditas ſciendi futuros cœptarum rerum eventus, & res eo devenerat, ut fere nihil inciperent, quin prius ſciſcitarentur, quem exitum res habitura eſſet. Qui bellum, qui iter, qui fœdus vel quodcunque opus aggrediebantur, præſcire cupiebant quis eſſet futurus ſucceſſus, & quid adhibendum conſilii. Unde autem ſciſcitabantur? Duplici modo. Vel per proprias imaginationes

tiones & conjecturas ac divinationes, vel per interrogationes Diabolorum. Artes conjiciendi futura erant varię, augures, aruſpices, aſtrologi, ſomniorum interpretes, genethliaci, &c. Qui omnes magnam habebant auctoritatem, & conjecturis eorum plurimum fidebatur in rebus maximis gerendis, pręſertim autem crebrę erant interrogationes Diabolorum. Elegerat enim Diabolus certa quædam loca, in quibus oracula edebat per afflationes & inflationes ſuorum Sacerdotum, inter quæ præcipuus erat Delphi, urbs Bœotiæ, ubi Diabolus oracula edens vocabatur *Apollo* & *Pytho*, in cujus honorem annuum feſtum celebrabatur nomine *Pythia*, ad quem locum oraculorum cauſa reges & reſpublicæ ex omnibus locis ſuos mittebant legatos. Templum quoque ejus Pythium. De modo dandi hæc oracula vide Eſa. 29. 4. Non tamen ita ſe adſtrinxerat certis locis, quin & paſſim certas perſonas ſibi eligeret quas afflaret & inhabitaret, iiſque revelationes ſuas inderet, quales propterea dicebantur habere Spiritum Pythonis & Spiritum familiarem. Talis fuit illa fœmina in Endor, 1 Sam. 28. 71. à qua conſilium petebat Saul. Talis quoque fuit hæc ancilla, quæ talem afflatum Diaboli habens prædictiones & conſilia ſua ſciſcitantibus vendebat pro pecunia, & ſic multum lucri acquirebat heris ſuis. Quicquid enim mancipia lucrabantur, non ſibi ſed dominis ſuis acquirebant. Sed an poteſt Diabolus futura prædicere? *Reſp.* Non eſt omniſcius, eſt nec καρδιογνώστης, cui futura ſint præſentia ſicut Deo, ut ſine periculo fallendi poſſit prædicere futuros eventus. Eſt tamen Spiritus ſagax, qui ex naturalibus cauſis, vel etiam ex comminationibus & prædictionibus Scripturæ, item ex diuturna obſervatione conſuetudinis & ordinarii curſus, qui eſt in Dei providentia, multa poteſt prævidere. Si Phyſici, Aſtrologi, Medici, etiam Theologi per principia ſuarum artium & facultatum multa poſſunt prædicere, quibus eventus ſæpe reſpondet, quid non poſſit ſagax ille Spiritus? Accedit judicium Dei, qui pro ſapientia ſua rerum eventus ſępe ita moderatur, ut cum conjecturis Diaboli conveniant, idque eo fine, ut homines divinis revelationibus non contenti, ſed curioſitate ſua arcana Dei audaciter perſcrutantes, Diabolicis ſeductionibus implicentur, & audaciæ ſuæ dignas pœnas darent. Rom. 1. 21, 28. Non potuit tamen aliquid futurum prædicere ſine periculo falſi. Hinc ſolebat ſuas prædictiones concipere verbis ambiguis, ut ſi eventus reſponderet, ipſe haberet laudem, ſin minus, homines ſibi imputarent, quod male conſtruxerint verba oraculi. Sicut autem hæc perverſa ſcrutatio rerum futurarum apud Ethnicos in uſu fuit; ita ab Iſraëlitis quoque uſurpata eſt, quibus tamen Deus eam adeò ſtricte vetuerat Lev. 20. 6. Deut. 18. 10, 11. Et propter quam Saulum occidit 1. Chron. 10. 13. In Papatu quoque uſitatiſſima eſt, & pro peccato vix habetur. Et utinam apud nullos inter nos! Caveamus, nec permittamus nobis aut noſtris. Quid aliud eſt quam adorare Diabolum? Qui opem Diaboli poſtulat, juſtiſſimam dat Chriſto cauſam ipſum deſerendi, & Diabolo tradendi, ut impleatur quod eſt, 2. Theſſ. 2 11, 12. Obſervemus nos noſtra officia in Scripturis revelata, & de futuro noſtro ſtatu, & omnium noſtrorum caſuum eventu, credamus promiſſionibus Euangelii, quæ ſunt, quod diligentibus Deum omnes caſus cedent in bonum, Rom. 8. & Eccleſiam ſervatum iri. Plus non opus eſt de rebus futuris ſciamus.

II. Sed quare Paulus hunc Spiritum ejecit? Quia euntibus ad preces acclamavit: Hi homines ſunt ſervi Dei altiſſimi, qui nobis annunciant viam ſalutis.

1. Euntibus nobis ad preces, i.e. quoties egrediebamur. Diu manſerunt Philippis Apoſtoli, & ſæpe cum Iudæis egreſſi ſunt ad ipſorum Synagogam, quod inde patet, quia præter Lydiam ante captivitatem ſuam plures ad Chriſtum converterunt & multos diſcipulos fecerunt v. 40. Quæritur hic, qua conſcientia Apoſtoli cum infidelibus Iudæis poterant ire ad preces? An poſſunt Chriſtiani infidelium & heterodoxorum ſacris intereſſe bona conſcientia? *Reſp.* I. Synagogæ Iudæorum tum temporis non, dum erant Synagogæ Satanę, ſed templa Dei, in quibus Deus multos ſuorum electorum habebat, qui adventum Meſſiæ ſincero corde exſpectabant, & initia Spiritus Sancti per verbum in Synagogis prædicatum acceperant. Induratio totalis Iſraëli nondum obtigerat, de qua Rom. 11. 25. II. Etſi autem Iudæi in hoc errore erant, quod Meſſias nondum veniſſet, ſed venturus eſſet; Apoſtoli tamen ideo non peccabant ingredientes eorum Synagogas, quia non ingrediebantur ad errorem illum fovendum ſed corrigendum. Si ſic licet intereſſe errantium ſacris, ut errores eorum corrigamus, non foveamus, non peccatur. Sic enim Chriſtus & Apoſtoli cum errantibus Iudæis iverunt ad templum & oratorium.

2. Sed quomodo hoc verum encomium Apoſtolorum potuit proficiſci à Satana, qui eſt Pater mendaciorum, qui cognitionem Chriſti omnibus viribus conabatur impedire? *Reſp.* Non verba ſed inten-

intentio Diaboli ſpectanda 1. Diabolus Apoſtolos laudat ut eos faciat ſuſpectos. Sciebat enim neminem cordatum, præſertim inter Iudæos, qui omnes ſciebant Spiritum ex ancilla loquentem eſſe Diabolum, iis crediturum, quos Diabolus laudabat, ſed potius Apoſtolos omnibus fore ſuſpectos colluſionis cum Diabolo. Inter homines ſibi invicem hoſtes hæ artes ſunt, ut cum hoſtis obſervat ſuo hoſti eſſe fideles & utiles ſervos, quos corrumpere non poteſt & in ſuas partes pertrahere, eos ſervos laudet & ſe illis amiciſſimum ſimulet, ut fiant Domino ſuo ſuſpecti ac inutiles, quibus nihil amplius confidat, habens eos ſuſpectos colluſionis cum hoſte. Sic Diabolus videns Apoſtolos eſſe Eccleſiæ fideles, laudat eos, ut Eccleſiæ ſuſpecti fiant. Idem Chriſto fecit Marc. 1. 24. Sic ſe novit Diabolus transformare in Angelum lucis. Non terret ſemper, ſed ſæpe blanditur. Suſpectus nobis ſit ſemper. 2. Habet & alium finem ſuæ laudationis, ſcil. ut ſibi fidem conciliet apud homines. Qui enim Apoſtolorum doctrinam pro vera habebant, hoc ipſo poterant putare, Diabolum non eſſe tantum mendacem, quippe qui Chriſto & veritati teſtimonium daret. Eodem fine Antichriſtus Romanus Scripturam crepat & Chriſtum prædicat, ut hoc pacto inimicitiam ſuam quam gerit erga Scripturam & Chriſtum, tegat. Veritatem prædicat, ut veritatis odium celet. Non facile enim imperitos ſcit credituros illum eſſe Antichriſtum qui Chriſtum prædicat. Beſtia loquitur linguam agni.

3. Sed quare Paulus hunc Spiritum ejecit? *Reſp.* Quia indignabatur, Diabolum ſe ita laudare. Cur ob hoc indignabatur? Nonne lætandum erat, quod ipſe Diabolus veritati teſtimonium daret? *Reſp.* 1. Sciebat intentionem Diaboli, quod non veritati, ſed ſibi hoc modo ſtudebat prodeſſe. 2. Ne tantam quidem communionem cum Diabolo habere volebat, ut ab ipſo laudari ſuſtineret. Moveat hoc tanto magis ad reſpuenda conſilia & auxilia Diaboli. Paulus ne laudari quidem voluit à Diabolo, & nos voluntatem ejus facere, & opem ejus petere non gravamur? Sicut Deus dedignatur laudari ab impio Pſ. 50. 16. ita pii adeo deteſtantur Diabolum, ut & nomen ſuum ab ipſo nominari non ferant. Sic & detrectanda amicitia eorum, quos ſcimus eſſe hoſtes Chriſti, quantumvis amicitiam noſtram ambiant & nobis blandiantur.

III. Modus ejiciendi eſt hic, quod Paulus in nomine Ieſu Chriſti mandat, & Sathan extemplo exit. Non ſponte exivit, ſed mandato parere coactus eſt, Exorciſtarum mandatis ſponte cedit, non quia quædam vis cogens in illis eſt, ſed quia ſua intereſſe intelligit, ut in errore confirmentur. Sed Chriſti mandatis & Apoſtolorum cedit invitus, quia nomen Chriſti ipſi terribile, quem novit ſuum judicem, qui & caput ejus conculcavit, & tandem ligatum conjiciet in ſtagnum ignis, ubi torquebitur in omnem æternitatem. vide Luc. 4. 36. Hanc poteſtatem ſibi Chriſtus acquiſivit per mortem, quam propter peccata noſtra ſuſtinuit. Ante mortem Chriſti Satanas ipſius filii Dei mandatis non ceſſiſſet, ſed prætendiſſet ſuum jus à Deo Patre ſibi in homines conceſſum. Sed poſtquam Chriſtus per mortem Deo pro peccatis ſatisfecit, nomen Chriſti adeo terribile Satanæ, ut cogatur cedere, non tantum Chriſto, ſed & hominibus in Chriſti nomine ipſum exire jubentibus. Quod enim Chriſtus per paſſionem acquiſivit, id ſervis ſuis acquiſivit. Etſi hoc loco eſt ejectio miraculoſa, quam non poſſunt imitari omnes Chriſtiani, tamen hoc miraculum nos docet quo pacto vincendus Satan, ſcilicet per nomen Chriſti. Etſi non poſſumus omnes miraculoſe ejicere, tamen poſſumus vincere & reſiſtere, ut fugiat à nobis nec nobis dominetur Iac. 4. *Object.* At quod Paulus potuit, non omnes poſſumus. *Reſp.* Si quis Chriſtianus, Chriſto vere inſitus, & Chriſtum ſincere colens nomen Chriſti invocet, & Satanæ tentationibus fortiter ac fideliter opponat, is habet vim fugandi Satanam, ne ab ipſo vincatur. Oppugnationes Satanæ evadere fideles non poſſunt 1. Petr. 5. 8 Sed tamen vincere poſſunt, nec ſuccumbunt in lucta. Habent enim promiſſionem Rom. 16. 20. Debent autem eſſe veri Chriſtiani, qui non dicunt: in nomine Ieſu quem Paulus prædicat ut Act. 19. 13. ſed: in nomine Ieſu in quem ego credo, cui fideliter ſervio, qui meus eſt Salvator. Hic jam cauſa lætitiæ pro piis. *Object.* At Chriſtus dicit, ideo non eſſe gaudendum Luc. 10. 20 *Reſp.* Hoc intelligendum de dono miraculoſo ejiciendi dæmones, quod & impii habent. Sed de poteſtate ſuper Satanam, quam acceperunt omnes pii, vide Lætitiam Eccleſiæ deſcriptam Apoc. 12. 10, 11. Ne finamus Satanam regredi in cor noſtrum, ne illud peſſimum nobis superveniat quod eſt Matth. 12. 43, 44, 45. Rumpamus vincula & laqueos Satanæ, ſcilicet peccata, ut tenere nos non poſſit.

Actor.

Actor. 16. v. 19, ad 26.

CONCIO CLXXXII.

QUartum caput in actis Pauli Philippenſibus eſt afflictio, in quam Paulus incidit cum Sila & comitibus. Satanas enim ex ancilla ejectus in dominos ejus intravit, & cum antea Paulum & ſocios blanditiis ſuis fruſtra conatus eſſet ſuſpectos reddere, nunc aperta perſecutione eos adoritur. Sunt enim Miniſtri Euangelii bellatores contra Satanam hoſtem indefeſſum, qui uno auſu excidens novis inſidiis ſemper inſtructus redit. Omnes quidem Chriſtiani ſunt in bello contra Satanam Epheſ. 6. 10, 11, &c. Sed ſicut in Republ. omnes quidem ſubditi inſidiis & vi hoſtium expetuntur; attamen Rex & milites ſtipendia merentes ſunt in perpetuo cum hoſte conflictu; ita in Eccleſia omnes quidem Sanctos Satanas circumit, ut Leo rugiens, & quærit quem devoret 1 Petr. 5. 8. ſed præcique tamen Miniſtri Euangelii ſunt ejus hoſtes, in quos arma ſua expedit 2. Reg. 2. 12. 2 Cor. 10, 4. 1 Timoth. 2. 3, 4 Unde illis ex hac hiſtoria diſcendum, quam neceſſarium ſibi ſit præ cæteris τῇ πανοπλίᾳ θεῦ ſemper indutos eſſe, habentes clypeum fidei, gladium Spiritus & verbi, cingulum veritatis, loricam juſtitiæ, calceos Euangelii Pacis, galeam ſalutis, cum omni ſupplicatione & precatione, ut ſtare poſſint in hora pugnæ.

In hoc autem capite tria ſunt conſideranda: I. Afflictionis cauſæ & autores. II. Afflictionis diverſæ ſpecies III. Et quodomo ſe in hac afflictione geſſerint.

I. Auctores afflictonis ſunt quadruplices: 1. accuſatores erant domini ejus ancillæ, ex qua Spiritum Pythonis Paulus ejecerat. Cauſa impellens hujus accuſationis, quia videbant ſpem lucri ſui periiſſe per ejectionem Spiritus Pythonis. 2. Adjutores, populus inſurgens v. 22. Sicut enim flante vento mare totum facile commovetur; ita ſeditioſis quibuſdam populum concitantibus, populus facile inſurgit. 3. Iudices, οἱ ἄρχοντες ἐν ἀγορᾷ, i. e. Magiſtaatus ex populo, qui jurisdictionem civilem & criminalem habebant. 4. Exequutores, duces militiæ, qui præſidio præerant. Etſi enim omnes cives urbis Romani erant, tamen præſidio Romano urbs firmabatur. Et ſicut penes Politicum Magiſtratum erat ſontes judicare; ita penes præfectos ſatellitum & militum erat ſontes ſecundum judicia & ſententias judicum punire, id quod in urbibus præſidio carentibus officium Prætoris eſt. Præcipui igitur auctores hujus perſequutionis fuerunt heri illius ancillæ ex qua Diabolus ejectus à Paulo. Illi enim concitantes, cæteri concitati; illi ex privata paſſione & affectu, cæteri ex inconſiderato Zelo religionis & pacis publicæ Paulum perſequuti ſunt. Paſſio particularis, qua heri illius ancillæ agebantur in hunc furorem contra Paulum, erat dolor amiſſi lucri Ancilla divinando multum lucri adferebat heris ſuis, cujus illi erant cupidiſſimi. Cum hoc per miraculum Pauli ejectum eſſet, convertuntur in furorem contra Paulum. Sicut cupiditas lucri eſt radix omnis mali 1 Timoth. 6. 10. ita præcipue perſequutionis Eccleſiæ. Cupiditas lucri homines abalienat ab Euangelio, & exacerbat contra Euangelium. Euangelium multa lucra facit exire, ideoque lucri cupidos exacerbat in ſui perſequutionem. Cur Euangelium multa lucra expellit? *Reſp.* 1. Quia multas artes & multa media lucrandi & acquirendi damnat ac prohibet, quæ ab iis, qui Euangelium non amplectuntur, ſine ſcrupulo exercentur, à filiis vero Euangelii ſollicite vitantur. Divinationes erant apud Ethnicos medium lucrandi. Hoc prohibet Euangelium. Sic magia Simonem Magnum quendam faciebat & divitem, quod veniente Euangelio ceſſabat Actor. 8. Sic fœneratores Euangelium expellit Matth. 21. 12. Sic multas vanas artes, quæ lucroſæ ſunt, Euangelium damnat Actor. 19. v. 19. Sic τοὺς εἰδωλοποιοὺς, lucroſum admodum opificium, Euangelium expellit Actor. 19. 24. Sic lenones damnat Actor. 15. 29. Sic uſum rerum lautarum & pretioſarum coërcet 1. Timoth. 2. 9. Sic mendicus ad labores cogit 2. Theſſ 3. 10, 11. Sic diem Sabbathi interdicit omnibus opificibus, nundinationibus, &c. Nehem. 13, 15. Sic interdixit matrimonia cum infidelibus quantumvis ditia 2 Corinth. 6. 14. Quid mirum igitur, quod Euangelium homines lucri cupidos in ſuam perſequutionem irritat? 2. Quia Euangelium ſecum fert divinas caſtigationes, probationes & difficultates, quibus mundus non eſt obnoxius. Sicut Gadareni Euangelium habere non poterant ſine jactura porcorum Matth. 8. ita Euangelium multas ſecum fert difficultates, propter quas non eſt ἀδάπανον, ut loquitur Paulus 1. Corinth. 9. 18. Sed multa lucra intercipit, poſtulat beneficentiam erga pauperes, abnegationem & derelictionem omnium. Non mirum igitur, quod exoſum eſt Lucri cupidis.

Etſi autem dolor intercepti lucri eſt vera cauſa hujus furoris contra Apoſtolos, aliam tamen cauſam

ſam prætexunt. Scientes enim ſui lucri cauſa non inſuirecturos cives, cauſam publicam prætexunt, accuſantes Apoſtolos 1. quod civitatem turbent. 2. quod *novos mores*, id eſt, novam religionem annuncient. Hæc duo crimina exaggerant duobus argumentis 1. quod Apoſtoli ſint Iudæi, Iudæorum natio exoſa erat per totum imperium, & tantum non infamis, partim ob ſingularitatem religionis, partim ob frequentes rebelliones & ſeditiones contra Romanos, quaſi diceret an convenit infames Iudæos nobis civibus Romanis, qui orbis Domini ſumus, noſtram civitatem turbare, & nobis jura ac leges præſcribere! 2. quod ipſi ſint Romani, quibus non liceret per Romanas leges novam aliquam religionem recipere. Senatus enim interdixerat, ne quis novum aliquem Deum colere ſuſciperet, antequam ſenatus eum pro Deo habendum cenſuiſſet, ſicut hodieque apud Romanos nemo Divus adoratur, niſi quem Pontifex in canonem retulit. *Object.* Annon verum, quod non liceat recipere religionem quam Magiſtratus non permiſit? Tenemur enim Magiſtratibus obedire. *Reſp.* Tenemur obedire in iis, quæ præcipiunt ſecundum Deum & veritatem, ſed cum præcipiunt quod eſt contra Deum, obediendum magis Deo, Actor. 4. Sic ſemper perſequutio veritatis ex lucri terreni cupiditate orta velatur pallio zeli pro antiqua religione & pace publica, quorum violatio antiſtitibus veritatis impingitur. Hæc crimina quæ Pharaoh impegit Moſi & Aaroni, Exod. 5. v. 4, 5, 17. Achab Eliæ 1 Reg. 18. v. 17. Amazia Amoſo Amos 7. v. 10. populus Ieremiæ Ier. 26. 11. Iudæi Chriſto Luc. 23. 2. & Stephano Actor. 6. 11, 13, 14 Id hodieque in omnibus contentionibus & bellis, quibus Eccleſia turbatur, uſu venit. Turbones privatis paſſionibus, præſertim ambitione & ſpe lucri acti, tumultus occipiunt, quos deinde velo religionis & pacis publicæ palliant. Præcipue hoc uſu venit in diſſidio quod Reformatis intercedit cum Romanenſibus. Eſt enim revera lucri cupiditas quę Romanenſes contra Reformationem noſtram adeo incendit, ſed quia turpe foret hoc confiteri, prætexunt nos turbarę Pacem & unionem Eccleſiæ, & nova dogmata introducere. Sunt meri prætextus. Nihil eſt in noſtra doctrina novum, nihil ſeditioſum, ſed docemus Cæſari dare quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ Dei, & nihil docemus quod Sacræ Scripturæ, indubitatis fidei articulis, & priſtinæ Eccleſiæ Symbolis, ac antiquiſſimorum Patrum ſcriptis contrarium eſt, immo nullum noſtrum dogma eſt, quod non habeat aliquos claros Pontificios nobis ſuffragantes. Omnia mala, quibus doctrinam noſtram gravant, ſunt mera figmenta, & meri prætextus perſequutionum & odii contra nos. Vera ratio, cur tam acerbe perſequuntur Reformationem, eſt hæc, quia vident ſpem lucri ſui per illam exiviſſe. Religio Pontificia eſt quæſtuoſa religio, & hi quæſtus per Reformationem exeunt. Eſt Papiſmus quæſtuoſus.

1. Vulgo & opificibus. Quamdiu bacchanalia, comœdiæ, idolorum & imaginum cultus, magnifica Muſica in Templis, Mercatus & Proceſſiones, privilegiata lupanaria, concubinatus, & ſimilia in magno prætio habentur, id multis Demetriis magno lucro eſt. Et quoniam Reformatio hæc omnia contemnit, & condemnat, ideo fiunt Reformationi tam iniqui. Quamvis Pontificii opifices, ſi recta via rem reputent, cauſam indignandi non habeant Si enim multitudinem feſtorum & exactiones Eccleſiaſticorum, quibus gravantur quotidie, reſpiciant, lucrum quod ex religione iſta capiunt tanti non æſtimabunt.

2. Nobilibus & magnatibus. Hi enim in iſta religione ſoli poſſunt retinere ſua patrimonia, & fratres ac ſorores natu minores ſciunt vel in monaſteria detrudere, ne ſibi ſint oneri, vel ad canonicatus, præbendas, pręlaturas honorificas promovere. Hic quæſtus per Reformationem exiir, quippe per quam hæc bona otioſis ventribus adempta, vel ad ſuſtentationem pauperum, vel ad educationem piam juventutis, vel ad defenſionem libertatis & religionis, vel denique ad ſuſtentandum fidele Eccleſiæ miniſterium impenduntur. Ideo hujus otioſi lucri cupidi Reformationi indignantur.

3. Clericis Quam quæſtuoſa eſt Pontificia religio Sacerdotibus & Clericis! Non enim hic valet illud Chriſti, *gratis accepiſtis, gratis date*, ſed omnia ſunt venalia, abſolutio, indulgentiæ, Miſſæ, redemptio ex purgatorio quantos præbet reditus, ut tota ſacerdotum functio non ſit niſi mera nundinatio. Monachorum libera & Sanctitatis titulo ſuperbiens mendicatio quam utilis eſt & jucunda! Hierarchiæ & prælaturæ, quæ vel mendici filium Regi proximum poſſunt efficere, quam lucroſæ! Hæc omnis ſpes lucri erit per reformationem, & quid mirum quod Reformatio adeo ſit exoſa illis qui ſunt lucri cupidi. Sed cogitandum erat illud 1. Tim 3. 3. 1. Tit. 1. 7, 11. 1. Petr. 5. 2. 2. Petr. 2. 3. Ne appetamus lucrum quod contra pietatem & juſtitiam eſt Eſa. 33. 15, 16. Lucrari in ſe non eſt illicitum,

ſed

ſed potius eſt finis laboris quem Deus nobis in Epheſ.4.28. *Laboret ut habeat.* Quid igitur lucrum illicitum? 1. Quod fit per injuſta media ad detrimentum proximi. 2. Quod fit cum diſpendio religionis, & cum abnegatione veritatis ad detrimentum animæ. Qui in his duobus conſcientioſus non eſt, ſatis poteſt lucrari; ſed quid prodeſt tale lucrum Matth. 16. v. 26. 1.Theſſ. 4. v.6? Nonne præſtat illud 1.Tim. 6. v. 4, 5, 6. Si cupis lucrari, ſtudeas 1. lucrari Chriſtum Phil.3,7,8. & 1.21. 2. ſtudeas lucrari proximum Chriſto 1.Cor.2. 19,20,21. Sumus enim ſervi ad hoc ipſum empti & talentis inſtructi, ut Chriſto lucremur Matth.25.20,22.

II. Species afflictionis, quas Paulus cum comitibus paſſus eſt, ſunt quatuor 1. Tracti ſunt tanquam flagitioſi in judicium. Nudati ſunt. Laceraruut enim veſtes eorum, partim ignominiæ cauſa; ut ipſe Paulus innuit 1.Theſſ. 2. 2. partim ut acerbius cædi poſſent. Quidam putant, quod ſtrategi ſuas veſtes laceraverint deteſtationis cauſa, ſicut Iudæi ſolebant blaſphemiam audientes. Sed non erat hic mos Ethnicorum. 3. Cæſi ſunt plagis multis. 4. In carcerem conjecti ſunt, & quidem in ultimum carcerem, & cippis conſtricti firmiter. Sunt hæ omnes plagæ ſolis flagitioſis paratæ, & tamẽ hic infliguntur virorum ſanctiſſimis. Nulla igitur plaga tam infamis neque tam acerba, quin & Sanctos Dei obruere poſſit. Sic magiſter noſter tractatus, non mirum ſi & ſic diſcipuli. Eſt hæc illa participatio & conformitas paſſionum Chriſti, de qua Philip.3.10. Omnes enim iſtæ plagæ in hiſtoria paſſionis Chriſti inveniuntur. Ne reformidemus iſtas infames plagas ferre, ſi quando ad eas ferendas vocamur. Etſi enim in ſe infames ſunt, tamen in filiis Dei non ſunt infames, ſed

1. Sunt Sanctæ. Sunt enim calcaria, quibus excitamur ad quærendum Deum, quibus humiliamur ut mundo moriamur, & quibus fides noſtra probatur ut ſit auro purior 1.Petr.1.7.

2. Sunt Glorioſæ. Etſi enim in cordibus impiorum deteſtationem erga vos excitant, tamen in cordibus piorum compaſſionem & benedictonem efficiunt. Et poſtquam patienter tuliſtis, conſequuntur præmium æternæ gloriæ Luc.6.22,23.

III. Quomodo ſe geſſerunt in hac aſſlictione Apoſtoli? Media nocte precabantur & canebant hymnos, voce tam alta & læta, ut captivi evigilarent & audirent. Hic Papiſtæ fundant ſuas matutinas, veſperas, & cæteras horas canonicas, diurnas nocturnasve, quibus Clerici in templis ſuas precatiunculas cantillant. Paulus & Silas media nocte precati ſunt & cecinerunt. Ergo habent noſtrę horæ canonicæ ſuum fundamentum in Scriptura. *Reſp.* Nos non improbamus precationes & cantationes, quantumvis ſæpe, & nocte æque ac interdiu factas, ſed improbamus vitia, quæ ſunt in Papiſticis precibus & cantationibus. Quænam illa vitia?

1. Quod iſtas horas humanitus inſtitutas faciunt neceſſarias, cum nihil ſit in cultu neceſſarium niſi quod divinitus inſtitutum.

2. Quod precationes & cantus quæ ſoli Deo debentur, dirigunt ad Angelos & Sanctos.

3. Quod preces & cantus miſcentur ceremoniis ſuperſtitioſis, ſcil. quod non licet precari niſi albo veſtitu, & cum inſtrumentis muſicalibus, ad carnalem delectationem magis quam ad ſpiritualem devotionem facientibus. Etſi enim hujus muſicæ quidam uſus fuit inter crepundia V. T. is tamen nunc non eſt revocandus, quando Deo nihil placet niſi cultus rationalis.

4. Quod precantur & cantillant ſine intellectu, lingua peregrina, quam nec cantores nec auditores intelligunt.

5. Quod cantillant ſine devotione. Sunt preces mere mercenarię ſolorum clericorum, ſicut noſtri vigiles precio conducuntur ad proclamandam horam noctis. Nocte dieque precari non ſolorum clericorum eſt, ſed omnium.

6. Precantur & cantillant ſine fide. Cum enim Iacobus fidem in precibus requirit, ille fidem condemnant & dubitationes laudant.

6. Precantur & cantillant cum opinione meriti, quod blaſphemum.

Non igitur horas Canonicas hinc diſcimus, ſed aliud quid ſcil. quod non efficacius detur remedium contra calamitates & triſtitiam animi in calamitatibus, quam aſſiduę & diligentes preces ac cantationes. Precibus enim deſideria noſtra ſecundum conſilium Pauli Philip. 4 De nota facimus, cantationibus lætis fidem noſtram teſtamur, & cor elevamus, ne triſtitia ſuccumbat. Sicut in calamitatibus debet eſſe humile deſiderium auxilii; ita etiam debet eſſe læta confidentia auxilii, quæ in cantu ſeſe potiſſimum exſerit Pſal.6.7,8,9. ubi David gemitum & tantum ἐπινίκιον ſeu triumphalem conjungit. Cantatio Chriſtianorum, ſi eſt pura à ſuperſtitione ac idololatria, & plena devotionis & fidei, eſt futuræ lætitię ęternæ quoddam præludium. Iacobus c. 5. jubet, ut qui patiuntur, orent, qui proſpe-

re agunt, cantent. Paulus autem patiens cantat. Non pugnat praxis Pauli contra præceptum Iacobi, dum preces & cantum in utroque ſtatu conjungit.

Actor. 16. v. 26, 27.

Concio CLXXXIII.

QUintum caput in actis Pauli Philippenſibus eſt converſio commentarienſis, qui Pauli carcerem cuſtodiebat. Hæc converſio habet quatuor partes vel gradus.

1. Terretur & ad deſperationem adigitur. Cum enim ſubitus terræ motus fieret, per quem fundamenta carceris commovebantur, januæ aperiebantur, vincula captivorum ſolvebantur, ipſe expergefactus putans aufugiſſe captivos, gladium ſtrinxit, & vitam ſibi ademiſſet, niſi fuiſſet impeditus v. 26, 27.

2. Terror ejus in piam humiliationem & curam mutatur. Cum enim ex acclamatione Pauli animadverteret, non fugam moliri Apoſtolos & cęteros captivos, poſtulata candela carcerem ingreditur, & re examinata deprehendit divinum miraculum factum eſſe, tum tremens ad pedes Pauli ac Silæ procidit, ipſoſque ex carcere eductos magna cum reverentia interrogat conſilium, quid faciendum ut ſalvari poſſet v. 28, 29, 30.

3. Cura ejus excitatur in fidem per charitatem efficacem. Cum enim ex inſtitutione Apoſtolorum conſilium & promiſſionem Euangelii didiciſſet, baptiſmum recepit cum tota ſua familia, & Apoſtolorum vibices lavit, quos acceperant cum virgis cæderentur, eoſque inſtructa menſa recreavit, v. 31, 32, 33.

4 Fides ejus in gaudium ſublimatur. Gaudebat enim, quod cum tota ſua domo fidelis eſſet factus Deo v. 34. p. poſtr.

Primo omnium Deus volens convertere cuſtodem carceris, per vehementem & miraculoſum terræ motum eum terret atque ad deſperationem adigit. Sicut enim ſolutio vinculorum fuit miraculoſa & præter naturam, ita ſine dubio etiam terræ motus, per quem illa facta eſt. Et notandum quod hic terræ motus, per quem vincula Apoſtolorum ſoluta, fit Apoſtolis precantibus & canentibus, unde vis & efficacia precum nobis diſcenda eſt.

Object. Sed an illa terrefactio & deſperatio cuſtodis adſcribenda eſt Deo, cum ſit valde peccaminoſa. Quod enim ſupplicium magiſtratus, quod propter fugam captivorum ſibi ſubeundum putabat, eouſque metuit, ut vitam ſibi adimere vellet, id impium flagitium eſt. Quomodo igitur poteſt aſcribi Deo, & inter partes ac gradus converſionis numerari? *Reſp.* Diſtinguendum eſt inter terrorem ac deſperationem ipſam, & inter exceſſum terroris ac deſperationis. Eſt ſanctus quidem terror, & ſancta quędam deſperatio quam Deus operatur, & quę initium converſionis eſt. Incipit enim converſio peccatoris à terrore ſuper conſpectu miſeriæ ſuæ, & à deſperatione in ſe ipſo Actor. 2. 37. Actor. 9. 9. Nec tantum ſub initium converſionis aliquis terror ſanctus eſt in Sanctis, ſed etiam omnibus diebus vitæ. Et hæc terrefactio ac deſperatio ad converſionem peccatoris neceſſaria eſt. Per eam enim efficitur,

1. Contritio ac mollefactio, vel liquefactio cordis, & abnegatio ſui ipſius, per quam evacuatur cor confidentia carnali, & præparatur ad recipiendum Deum, quæ contritio eſt primus gradus converſionis, cui ſalus per promiſſionem jam tum alligata eſt, & ſine qua peccatori nulla eſt communio cum Deo, Pſal 51. 19. Pſal. 14. 19. Eſa 57. 51.

2. Deſiderium, fames & ſitis, cura ac ſollicitudo auxilii, per quam peccator in ſe ipſo deſperans, extra ſe ipſum egreditur, & auxilium quærit apud Deum, de quo poſtea. Dum non deſperat in ſe, ſalutem non quærit extra ſe.

3. Apertio cordis, per quam quædam ſeparatio fit inter naturam & peccatum adiacens, ut radices peccati evellantur, amor peccati extinguatur, ſicut per hunc terræ motum catenæ vinctorum ſolvebantur. Talis igitur terrefactio neceſſaria eſt ad omnium peccatorum converſionem.

Object. At non omnibus contingit talis terrefactio & deſperatio? Ego nunquam ſenſi, & tamen puto me quoque converſum. *Reſp* Immo omnibus contingit, qui convertuntur ut patet ex ſuperioribus rationibus. Hoc tamen diſcrimina:

1. Non in omnibus efficitur per miraculum ſicut hic, ſed ordinarie per prædicationem legis; aliquando etiam per graves caſus & adverſitates, quæ hoc vulnus cordi infligunt ut poſtea nunquam perfecte ſanetur.

2. Non in omnibus efficitur tam ſubito & una vice, ſed ſenſim, ut minus animadvertatur. Ubi enim lex & Euangelium ſimul prædicantur, cor quidem per legem vulneratur, ſed per balſamum Euangelii tantum ſanatur, quantum vulneratur, ut contritio cordis in talibus ſit potius quædam jucunda & man-

manſueta ac lenis cordis ſolutio & liquefactio ac maceratio, quam dura confractio & contuſio in mortario ſubitæ terrefactionis.

Et hactenus non malum, ſed bonum ac ſanctum eſt, quod hic cuſtos carceris adeo pavit, tremuit ac deſperavit. Hoc autem peccatum, quod tantum paſſus eſt exceſſum terroris & deſperationis, ut voluerit ſe ipſum occidere. Tremendum quidem & deſperandum propter peccata & miſeriam in ſe ipſo, ſed non deſperandum in Deo, ſed poſt deſperationem in ſeipſo, quærendū eſt auxilium apud Deum. Vide 2 Chron. 20. 21. In nobis nullæ vires contra hoc malum, & deſperamus eouſque ut neſciamus quid faciendum; interim oculi noſtri in te reſpiciunt. Vide etiam 2 Cor. 4. 8. ἀπορέμϑμοι ἀλλὰ μὴ ἐξαπορέμϑμοι. Vide 2. Cor. 2. 6, 7. 2. Cor. 1. 8, 9. Pſ. 107. v. 26, 27, 28. Sunt ſine conſilio & tamen non ſine ſpe. Sedulo itaque cavendus hic exceſſus terroris ac deſperationis, ne nos impellat ad peccatum autophoniæ, quod eſt graviſſimum peccatum, pugnans contra ſextum præceptum. Si enim hoc præcepto vetatur homicidium proximi, multo magis vetatur homicidium ſui ipſius, quia amor ſui eſt menſura amoris erga proximum. Solus Deus eſt Dominus vitæ atque necis, ſine cujus mandato nemini licet occidere quenquam. Non vult Deus ut peccator moriatur, ſed ut vivat & ſe convertat, Ezech. 18. Solet autem hæc deſperata actio provenire ex duplici cauſa:

1. Ex carnali & Atheiſtica σκληροκαρδίᾳ καὶ ὑψοκαρδίᾳ. Cum enim homines ſunt ſine timore Dei & judiciorum ipſius ac pœnarum poſt hanc vitam, facile vitam profundunt ut incommoda vitæ evadant. Sic Agag 1. Sam. 15. 32. *Acerbitas mortis periit*, id eſt, cito periit: (**De ſmerten des Doodes ſijn haeſt ghedaen:**) ideo non vereor mori. Sic latrones & fures, qui propter bona temporalia quotidie vitam ſuam in periculum conjiciunt, hoc argumento hoc periculum eludunt, quod acerbitas mortis facile præterit, **het is om een quaedt half uytghen te doen.** Sic quos honor mundi vel vindictæ cupiditas excœcat & occupat, ut futura poſt hanc vitam judicia Dei non metuant, facile vitam profundunt ac abjiciunt, ut vitæ dedecora ac ignominiam evadant & ulciſcantur. Sic Saul maluit ſe ipſum occidere, quam ignominioſam mortem ab hoſtibus pati 1. Sam. 31. v. 4. Sic Achitophel 2 Sam. 17. Simile exemplum narratur 2 Machab. 14. 40. 41. &c. Etſi enim hic homo laudatur à pietate v. 38. ea tamen laus cum autophonia non conſiſtit, ſed arguitur hic homo per ſuam autophoniam, quod fuerit ſine ſpe & fide in Deum. Talis etiam hic noſter cuſtos fuit, ideo ſe ipſum occidere voluit, ne turpi morte periret propter negligentiam ſuam circa captivos, ſicut milites Herodis Actor. 12. v. 19. Sic Ethnici, etiam Philoſophi, pro glorioſa fortitudine habebant, ſi quis declinandæ ignominiæ cauſa ſibi ipſi mortem conſciſceret, quod ſane dogma directe pugnat contra Chriſtianam illam humilitatem, fidem & patientiam erga Deum, quæ in Euangelio præcipitur, & proficiſcitur ex Diabolica ſuperbia & ambitione, & proinde inter Chriſtianos non debebat habere locum, ſi ut tamen proh dolor! habet apud eos, qui ignominiæ ulciſcendæ cauſa in duelli & alia non neceſſaria mortis pericula ſeſe præcipitant.

2. Ex infideli puſillanimitate ac impatientia, cum quis ſibi in ſenſu miſeriæ ac triſtitiæ animi, ac in tædio vitæ hujus ita indulget, ne negligat per fiduciam in promiſſiones Euangelii ſe ipſum erigere, & liberationem Dei exſpectare, ſed per finem vitæ miſeriam ſuam finere nititur. Sic Iudas proditor Chriſti Matth. 27. Sic multi melancholici Spiritus, ſolatio bonæ conſcientiæ deſtituti, ſuaſui Sathanæ ſuccumbunt, ut vitam ſibi adimant. Quos enim Satanas non poteſt indurare per abnegationem vel extenuationem mortis ac judiciorum Dei, eos nititur ſuffocare ac ſubmergere per aggravationem & exaggerationem peccatorum ac pœnarum, ut per infidelitatem à Deo recedant, & per impatientiam vitæ vitam abjiciant. Quæritur hic, an omnes qui ſibi ipſis mortem conſciſcunt, ſint damnati, annon poſſint pii quoque in hoc peccatum incidere? *Reſp.* Non poteſt cum pietate conſiſtere. Eſt enim totalis ceſſatio & abjectio fidei, & deſperatio ac abnegatio divini auxilii, quod in piis locum non habet. Qui enim vere credit, ejus fides non deſinit Luc. 22. ſed is per potentiam Dei in fide cuſtoditur, 1. Petr. 1. Nec poteſt autophonia aliter accipi quam pœna in quam Deus ſinit incidere propter non converſionem & infidelitatem. Quid judicandum ſit, cum vis morbi corporalis animi vires plane opprimit & ſuffocat, ut quis judicii impos tale quid patret, alia quæſtio eſt, quam in benigniorem partem facile decidemus, ſperantes Deum cuſtodire ſemen fidei, cum actus fidei vi morbi deſinunt, ſicut & actus rationis ſanæ. Sed interim omnibus Chriſtianis hoc peccatum totis viribus diſſuademus quippe per quod & legis & Euangelii obedientia detrectatur. Nam qui ſeipſum occidit, & legem Dei tranſ-

 greditur,

greditur, quæ dicit *Non occidis*, & Euangelium Chriſti rejicit, quod dicit, *Sis fidelis uſque ad mortem.* Satis eſt, ſi cum Elia præ impatientia dicimus: *Sufficit Domine, tolle animam meam* 1.Reg.19.4. & cum Iobo cap. 3. optemus *Nos nunquam natos.* Quam turpe igitur non exſpectare donec Dominus tollat, ſed ſponte evomere & expellere infelicem animam! Cum vitam tuam finis, miſeriam tuam non finis. Animam enim occidere non potes, ſed ea manet Deo, conjicienda cum corpore in infernum Matth. 10. *Poſt mortem conſtitutum eſt judicium* Hebr. 9. Poſſideamus & retineamus potius animas noſtras in patientia noſtra, donec Deus eas evocet, & per Angelos tranſportet in ſinum Abrahæ, Luc. 21. 19. Sic Matth. 10. 22. qui in periculis mortis manet uſque ad finem, beatus eſt. Impii præ impatientia animas evomunt & expellunt, pii per patientiam animam retinent ac poſſident, ut ne inordinatis quidem & immoderatis deſideriis moriendi Deum fatigent, ſed dicant ut David Pſ. 118. 17. *Non moriar ſed vivam.*

Object. At vos Theologi ſæpe cauſa eſtis talium facinorum. Vos enim triſtibus veſtris concionibus homines adigitis ad vitam melancholicam, ex qua talia oriuntur. Si ſineretis homines vivere in ſuavibus ſodalitiis, compotationibus, ſolationibus, comœdiis, ut poſſent genio ſuo indulgere, & vivere ſicut lubet, non foret talium rerum periculum. Si faceretis ſicut ſacrificuli, qui auditorum cerebra lectione Bibliorum non turbant, ſed illam curam in ſe ſuſcipiunt. Sed quia vos homines aſſuefacitis ad ſolitariam & continentem vitam, ut hybernas veſperas non inſumant niſi legendis Bibliis & fundendis precibus, hinc tam facile incidunt in melancholiam & deſperationem.

Reſp. 1. Atqui ſi experientiam conſulis, invenies quod pauci homines modeſtæ ac continentis vitæ, & qui ſeduli ſunt in ſtudio & praxi religionis, in hoc malum incidant. Hi enim plerumque in graviſſimis tentationibus & afflictionibus poſſunt cantare, & cum patientia ac lætitia horam Domini exſpectare. Plurimi quos hoc deſperationis malum obruit, ſunt ex iis, qui vitam tranſegerunt ſine religione, in mera feritate & in meris deliciis. Hi enim homines non niſi luſibus, deliciis & carnali lętitiæ aſſueti, & poſtea divinitus in morbum vel alias calamitates conjecti, nihil habent quo triſtem animum ſuſtentent, ideoque tam facile in deſperationem incidunt, in mortem immoderatis votis ſibi optant, & omne ſuum ſolatium in interitu vitæ ſuæ collocant.

Fatemur, quod honeſtæ occupationes & recreationes uſurpandæ ſunt poſt ſacras meditationes & praxes, & quod defectu horum multi incidunt in deſidiam & melancholiam, quæ pulvinar Satanæ eſt, ut facile adigantur ad deſperationem. Sed hoc non faciunt noſtro ſuaſu, ſed contra noſtra monita, quibus otium vetamus & honeſtas recreationes injungimus, juxta præceptum quartum, quo juxta cultum & occupatio & recreatio injungitur, honeſta ſcilicet & licita, quæ cum pietate conſiſtere poteſt, & cum modeſta ac continente vita. Si hoc ſequeris, nihil periculi eſt à modeſta & continente vita. Nos non ſumus Monachi, qui ſuadent vitam Eremiticam & melancholicam.

2. Deſperatio, præſertim quę in autophoniam deſinit, proficiſcitur ex ſuaſu & impulſu Diaboli, ut patet ex hiſtoria Iudæ. Mors enim eſt contra naturam, quam natura abhorret, & quam homo ſibi non infligit, niſi extrinſecus impellatur Iob 2. 4. Quod ſi eam impedire vis, cogita an rectum impediendi medium ſit, ut in ea te immergas exercitia, per quæ caro roboratur, Spiritus Sanctus expellitur, Satanas in cor intromittitur, ut efficax in te eſſe poſſit? Annon melius medium impediendi Satanam eſt, ut his exercitiis derelictis ea ſecteris, per quæ Spiritus S. vult eſſe efficax, & per quæ anima erigitur ad fiduciam in Deum, per quam contra omnes tentationes Satanæ ſubſiſtere & finem Domini patienter exſpectare potes? Ne igitur diſcamus dicere ſicut impii Pſal. 2. 3. *Rumpamus vincula Domini & Chriſti illius.* Hoc enim ridet Dominus. Ib. v. 4. Sed diſcamus ſanctam illam exſpectationem Domini de qua Pſ. 27. 13, 14. Hab. 2. 3. Eſa. 25. 9. & 33. v. 2. & ſacrum illud ſilentium, de quo Eſa. 30. 15. Exod. 14. 13.

Actor, 16. v. 18, 29, 30, 31, 32, 33, 34.

CONCIO CLXXXIV.

VIdimus primum gradum converſionis, ſcilic. quomodo terrefactus ſit cuſtos carceris. Videndus jam ſecundus gradus, ſcilic. quomodo ejus terror, in impiam deſperationem ejus vitio exorbitans, in piam curam mutatus ſit. Terrefactio frangit quidem cor, ſed non mutat cor. Sicut malleus lapidem quidem frangit, ſed non mutat, nam & fractus lapis eſt ac durus; ita fractio cordis per terrorem non ſufficit ad converſionem, quia etiam cor mero terrore concuſſum durum manet & potius deſpe-

deſperationi immergitur, quam ut ex impio in pium mutetur. Neceſſaria quidem eſt ejuſmodi terrefactio ad converſionem, ſed non ſufficit. Sicut ad fœcundandam tellurem neceſſaria eſt aratio, ſed poſt hanc quoque requiritur ſtercoratio & ſementis injectio; ita hic cuſtos carceris primo per terrefactionem aratus atque fractus, poſt admonitione Paulj ſtercoratus & emollitus, denique ſemine Euangelii conſitus tulit fructus fidei, caritatis & gaudii. In hoc itaque ſecundo gradu conſiderandum.

1. Medium, quo cuſtos ab impia ſua deſperatione retractus & ad piam curam & humiliationem adactus eſt.

2, Gradus hujus mutationis & curæ.

DE PRIMO.

MEdium eſt acclamatio Pauli. Si carnalis fuiſſet Paulus, cum gaudio vidiſſet hoſtem ſuum proprio gladio ſe conficientem, ſed quia ſpiritualis & verus Chriſtianus eſt, inimico quoque benefacit, eumque in meliorem viam revocat. Si aſinum inimici errantem reducere ſecundum legem eſt Exod. 23. 4. multo magis ipſum inimicum. Acclamat igitur deſperabundo homini Paulus, ne ſibi ipſi malum ullum faciat. Eſt hoc præceptum fundatum in lege, ama proximum ſicut te ipſum. Quod

1. Multas habet exceptiones. Homo ſæpe tenetur ſibi ipſi malum facere & ſe ipſum lædere. e. g.

a. Cum ęgrotas, teneris te ipſum torquere pharmacis ad ſanitatem neceſſariis. Cuſtodia enim vitæ per uſum mediorum vitæ nobis mandata eſt, cum Chriſtus uſum medici ægro neceſſarium declarat. Matth. 9. 12.

b. Cum divino præcepto vocaris ad opus cum periculo ſanitatis & vitæ conjunctum, non debes dicere ſicut Petrus Matth. 16. Sis tibi ipſi propitius, ſed crucem tollere, poculum bibere quod pater propinat.

c. Cum oculus dexter te ſcandalizat, debes eruere Mat. 5. 21, 30. i. e. proprias cupiditates crucifigere, membra mortificare, ut alibi exponitur.

d. Cum amor fratris requirit, non debes recuſare pro fratre mori, 1. Ioh. 3. 16. i. e. aliquo periculo vitæ ex certa morte fratrem eripere.

e. Multas habet tranſgreſſiones. Homo ſibi ipſi facit malum, *Perditio tua ex te Oſe*. 13. 9. Satanas non poteſt niſi ſuadere malum. Facere malum & nobis nocere noſtrum opus. Deus nemini malum facit niſi merenti. Nos nobis malum facimus ipſis per noſtram imprudentiam, intemperantiam, iracundiam, avaritiam. Singula vitia tot ſunt gladii quibus nos ipſos confodimus, quod ſane debet argumentum eſſe, quo urgeamur ad vitanda vitia. Per vitia enim nobis ipſis nocemus & malum faceſſimus.

Gradus hujus mutationis ſunt ſequentes. 1. Ex furibunda deſperatione redit ad ſe, & fit prudens. Cum enim audiret ex voce Pauli captivos non aufugiſſe, poſtulata candela inſilit in carcerem, ut ſcil. videat quid rei ſit. Antea plane furioſus fuerat, nunc incipit agere rationaliter. 2. Cum deprehendiſſet fragorem illum, quo ex ſomno excitatus erat, non eſſe ex fuga captivorum, ſed ex miraculo divino, liquefit cor ejus tremore & metu, & ita ſtatim mutatur, ut quos antea tyrannice conſtrinxerat, nunc venerabundus adoret & ex carcere educat. 3. Manifeſtat ſenſum ſuæ perditionis & conſilium ſalutis exquirit. En talis mutatio cordis fit in converſione cuſtodis antequam fidem habuit, immo antequam ſemen fidei, ſcil. verbum & conſilium Euangelii, audivit. Calumniantur hoſtes Eccleſiæ, quod homines ad fidem hortando reddamus diſſolutos & de pietate non ſollicitos. Et multi carnales inter nos ſe decipiunt, dum pietatem non curantes ſe ſalvatos putant mera confidentia de remiſſione peccatorum. Sed prætetquam quod vera fides fœcunda & per caritatem efficax eſt ad bona opera, vides quoque ex hoc exemplo, quod vera fides non venit in cor, niſi illud prius ad pietatem bene ſit diſpoſitum ac pręparatum, quæ diſpoſitiones ad pietatem ſunt radix ex qua vera fides poſtea pullulat. Vides enim hic, cor ante fidem liquefactum tremore & timore peccati, propoſitum peccandi dimittens, erga Deum reverentia utens, & ex ſenſu profundo perditionis auxilium & conſilium ſitiens, eſuriens & poſtulans. Sicut ante manducationem & bibitionem eſt fames atque ſitis, quæ ad manducandum & bibendum ſtimulat, & manducatio ex fame non proveniens, non prodeſt ad nutritionem; ſic ante fidem in corde eſt ſenſus miſeriæ & deſiderium opis, ad fidem ſtimulans, ſine quo fides non eſt efficax applicatio Chriſti. Et ut hic ſenſus miſeriæ & hoc deſiderium auxilii, ibi jam tum ceſſat irreverentia erga Deum, & propoſitum peccandi. Sicut enim cum fame & ſiti non poteſt conſiſtere laſcivia corporis, ita cum hac ſpirituali fame atque ſiti non poteſt conſiſtere petulantia & laſcivia ac rebellio animi contra Deum. Hinc tali præparationi animi ad fidem jam tum alligata eſt ſalus per promiſſionem Mat. 5. 5, 6. Prov. 28. 14.

Nemini poteſt tribui ſalus, niſi qui per fidem juſtificatus eſt, & Chriſtum edit ac bibit, & tamen ſoli deſiderio Chriſti tribuitur ſalus, quia hoc ad fidem præparat ac ſtimulat. Obſervent hoc 1. qui animum habentes ferum, durum, laſcivum, petulantem &c. tamen de fide gloriantur. Ante fidem hæc tolluntur ex corde. 2. Qui fidem ſuam ſe non ſentire queruntur. Videant modo an habeant hunc timorem, hanc reverentiam, dimiſerint propoſitum peccandi, eſuriant conſilium ſalutis. Hæ ſunt radices, ex quibus fides ſuo tempore pullulabit. Qui tales ſunt, ſunt veri convivæ ad manducandum Chriſtum per fidem invitati, Matth. 11. 28. Eſa. 55. 1. Hactenus ſecundus gradus converſionis. De hac autem cura & ſollicitudine ſalutis, quæ fidem antecedit, plura diximus in locos Parallelos, quæ ſunt Actor. 2. 37. & 9. 6.

Tertius gradus eſt mutatio curæ in fidem. Sicut famem debet ſequi eſus, ſine quo eſuriens perit; ita curam ſalutis debet ſequi fides ſalutis. Per hanc enim applicatur Chriſtus, ſatiatur conſcientia, derivatur in nos juſtitia & Spiritus vitę, & ſine hac contritæ conſcientię æternum pereunt. Non igitur ſubſiſtendum in humiliatione animi, ſed addenda fiducia in Chriſtum poſt promiſſionem. Sicut enim hujus fiduciæ recuſatio eſt inobedientia contra pręceptum Euangelii; ita eſt intermiſſio unici illius medii, per quod Chriſto inſeri ac uniri, ac juſtitiæ & vitæ, quæ in ipſo eſt, participes fieri poſſumus, ut plane damnabilis ſit doctrina illorum, qui fiduciam firmam & contra omnes dubitationes luctantem condemnant. Condemnant enim illud unicum medium, per quod ſalvari poſſumus & vivere. Qui non credit nec confidit, eſt ſicut palmes extra vitem, membrum extra corpus. Et qui poteſt vivere? Quid autem ſit fides, & quibus illa partibus conſiſtat, nunc non explicabo. Textus de hac fide cuſtodis duo habet.

1. Medium per quod generata eſt, ſc. per annunciationem conſilii Euangelici, promiſſionis Euangelicæ, & hiſtoriæ Euangelicæ. Conſilium Euangelii eſt: *Crede in Dominum Ieſum Chriſtum*, ἐπὶ τὸν Κύριον. Phraſis inſignis, quæ ſatis declarat, quod vera fides ſit inclinatio & innixio cordis in Chriſtum, tanquam in fulcrum ſuſtentans. Sicut aliquis cadens fulcro ſe ſuſtentat; ita cor ſenſu peccati depreſſum & ad deſperationem vergens ſe ſuſtentat per fiduciam in Chriſtum. Sicut Adonia reus mortis apprehendebat cornua altaris, 1. Reg. 1. 50. Ita cor, metu ſui reatus contritum apprehendit crucifixum Chriſtum ut ejus merito tutum ſit. Promiſſio Euangelii eſt: *Salvaberis tu & domus tua*. An igitur fides patris familias ſalvat totam familiam? *Reſp.* Non ſalvat directe ſed indirecte, quatenus patrem-familias impellit, ut familiam quoque ſuam in doctrina Euangelii inſtituat vel inſtitui curet, ut credant ſicut ipſe. Hiſtoria Euangelii etiam addita fuit. *Loquuti enim ſunt ipſi & toti domui ejus verbum Domini*, id eſt, totam hiſtoriam de Chriſti æterna generatione, temporali nativitate, unctione ad officium, paſſione & exaltatione. Non enim ſufficit ſimpliciter ad fidem hortari, & ſalutem promittere, ſed requiritur larga & clara cognitio Domini Ieſu Chriſti ſecundum perſonam & officium, ut fides generetur.

2. Fructus per quos manifeſta eſt, qui ſunt duo:

α. Opus cultus, Baptizatus eſt. Per Baptiſmi receptionem fidem ſuam teſtatus eſt, & ſeſe Domino dedicavit & conſecravit, ad ſerviendum ipſi ſecundum voluntatem ejus. Ideo enim petimus ac recipimus ablutionem baptiſmi, ut teſtemur nos credere ablutionem peccatorum per Chriſtum, & ut teſtemur nos pura conſcientia coram Deo ambulaturos, Act. 2. 38. 1. Petr. 3. 21. Sicut enim Deus ex ſua parte nos in domum ſuam recipit, & remiſſionem peccatorum ac regenerationem Spiritus obſignat; ita nos ex noſtra parte per baptiſmum teſtamur, quod hęc obſignata credamus, & in domo Dei ſancte velimus verſari.

β. Opus caritatis ac gratitudinis. Abluit enim vibices, & ſtravit Apoſtolis menſam. Non tantum captivi erant Apoſtoli, ſed & vulnerati flagris & famelici. Hanc occaſionem benefaciendi nactus cuſtos, oſtendit fidem ſuam per caritatem efficacem eſſe. Sicut fides ejus pullulavit ex bona radice, ſcilicet ex corde quod humile, liquidum & carneum factum; ita bonos fert fructus. Hoc probe obſervandum iis, qui de fide gloriantur, ut ſecundum hoc exemplar fidem ſuam probent. Per vibices Chriſti ſanatus, Eſa. 53. 5. 1. Petr. 2. 24 merito igitur lavat vibices eorum, qui Chriſtum docuerant, per Chriſtum ſatiata erat eſuriens ac ſitiens ejus anima, merito igitur cibat famelica corpora eorum, qui Chriſtum ipſi revelaverant; per baptiſmum Apoſtoli ipſum inſeruerant in domum Domini, merito igitur eos recipit in ſuam domum. Apoſtoli nihil ipſi præſcripſerant niſi fidem, & ecce illa tam inſignia edit opera. Modo ad veram fidem adigas homines, & non deerunt opera. Quodſi erga Miniſtros

ita

ita gratus fuit, quid putas fuiſſe erga Dominum?

Reſtat quartus gradus converſionis, videlicet gaudium, quod cum tota domo fidelis factus. Gaudium eſt cum puerpera enixa eſt Ioh. 16. 21 Cum frumentum & oleum abundat, Pſalm 4. 8. Cum amiſſa ovis inventa eſt Luc. 15. 6. eſt gaudium apud Angelos cum homines convertuntur, Luc. 15. 7. Annon igitur qui converſi ſunt debent gaudere de ſalute? vide ſimile exemplum Luc. 19, 6, 8. præſertim duo ſunt in hoc gaudio hujus cuſtodis valde notabilia: 1. quod gaudet in medio periculo vitæ. Quid enim aliud ipſi exſpectandum, quam ut à Magiſtratu plecteretur, quod ut convivas tractaret, quos ſtricto carceri includere juſſus erat? Et tamen hoc omni periculo contempto gaudet. Triſtitia enim carnis non tollit gaudium Spiritus ſuper ſalute animæ. 2. quod non tam gaudet quod eſt factus ſalvus, quam quod eſt factus fidelis ac probus. Sicut Iohannes teſtatur 3. Ioh. 4. Majus gaudium non habeo quam quod auditores ambulant in veritate; ita pii de propria pietate gaudent. Sicut pii ſe plus cruciant peccatis ſuis quam plagis ſuis; ita plus gaudent de pietate quam de ſalute ſua. En habetis exemplum hujus converſionis breviter explicatum, quod merito nobis ſpeculi loco eſſe debet, ad quod noſtram converſionem contemplemur an ſit ſana.

Actor. 16. v. 35. ad fin.

CONCIO CLXXXV.

SEquitur ultimum caput eorum, quæ Paulo contigerunt in urbe Philippis, videlicet diſceſſus & exitus ejus ex iſta urbe. De hoc quatuor ſunt in textu.

1. Iuſſu Magiſtratus data eſt Apoſtolis venia exeundi ex carcere.
2. Hanc veniam exeundi Apoſtoli rejecerunt, & voluerunt ab ipſo Magiſtratu honeſte educi.
3. Magiſtratus culpam deprecatus eos eduxit ex carcere, & exitum ex urbe ipſis perſuaſit.
4. Apoſtoli non exiverunt niſi viſitatis fratribus.

DE PRIMO.

POenitentia quędam cepit Magiſtratum de injuriis erga Apoſtolos. Recordati enim ſunt, quod ſine ulla culpa, immo propter magnum beneficium urbi præſtitum, ſcilicet ejectionem Diaboli, tam male tractaverant Apoſtolos, & forte terror aliquis ex terræ motu eos quoque corripuit, & ad hanc pœnitentiam commovit. Fuit autem pœnitentia inſufficiens. Definunt injuriam facere Apoſtolis, & injuriam quam paſſi erant, clancularia dimiſſione ideo cupiunt tegere, ut Apoſtoli putarentur quod male ſibi conſcii effracto carcere clam aufugerint. Hoc ingenium impiorum præcipue Magnatum mundi, qui omnem ſuam felicitatem ponunt in honore, ut cum aliquid commiſerunt, quod vident minus recte factum, non alia utuntur pœnitentia, quam qua tegant crimen artificioſe, ne exiſtimatio eorum lædatur. Sic Magiſtratus Iudaicus, per reſurrectionem Chriſti ex mortuis de flagitioſo ſuo homicidio convictus, id tantum curat, ut flagitium mendacio tegat Matth. 28. 12, 13, 14. Sic Saul de peccato ſuo per Samuelem convictus, hoc tantum curat ut coram populo honoretur, & per comitatum Samuelis rejectio ejus tegatur 1. Sam. 15. 30. Sic David de commiſſo adulterio pudens ad tempus nil aliud ſtudet, quam ut tegat 2. Sam. 11. 8, 9. 10, &c. Non improbo tectionem commiſſi mali, cum revelatio nullo modo neceſſaria eſt. Sed tamen de commiſſo peccato ſibi ipſi ſatisfacere tali pœnitentia & pudore, qui tantum ſtudet peccata tegere, hoc miſerum eſt, & noxam commiſſi peccati nequaquam tollit. Quid igitur præterea requiritur? *Reſp.* 1. Confeſſio & deploratio coram Deo. Injuriæ contra proximum, ſunt peccata contra Deum Numer. 5. 6, 7. Etſi non ſit peccatum contra primam ſed ſecundam tabulam, i. e. contra proximum commiſſum, tamen non ceſſat te damnare, donec coram Deo reveletur, lachrymis contritionis condemnetur, & vera in Chriſtum fide, cum emendationis propoſito conjuncta, abluatur. Davidem ſtatim pudebat adulterii, & quærebat illud tegere, ſed diu non pœnitebat, ideoque remiſſionem non obtinebat, donec per Prophetam excitatus ederet pœnitentiam illam profundam quæ Pſalmo 51. deſcribitur.

2. Requiritur reconciliatio proximi offenſi, per quam injuria & injuſtitia, proximo illata, reparetur. *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Etſi enim illa reparatio & reſtitutio ſæpe non eſt in poteſtate ejus qui læſit, tamen animus reparandi, & ipſa reparatio, cum poſſibilis eſt, neceſſaria eſt, præſertim tum, cum à perſona læſa requiritur & poſtulatur, & animus ejus pacari non poteſt niſi per reparationem injuriæ vel damni illati. Sic præcipitur Matth. 5. 23, 24, 25. Rom. 13. 7, 8. Sic de

de reſtitutione damni habes leges Exo.22.1.Lev.6.1. ad 6. Num. 5 7.2. Sam. 12.6. & exempla Samuelis 1. Sam. 12. 3. & Zachæi Luc. 19.8. De reparatione famæ & pudicitiæ Exod. 22.16. 17. Deut. 22.29. Si hæc requiſita veræ pœnitentiæ comparentur cum pœnitentia multorum inter nos, videbimus quantum ſit pœnitentiæ falſæ! Quot ſunt inter nos, qui cum detrimento proximi ſeipſos ditarunt, qui famam, qui pudicitiam aliorum læſerunt, & tamen bene ſunt quieti, ſi modo tegere poſſunt, ſi judici ſatisfacere ſciunt ne perſequatur, ſi non amplius faciant quod fecerunt. Talis pœnitentia vos à reatu peccati non liberabit.

Non tamen inutilis fuit hæc pœnitentia, ſed à Deo eo fine inſpirata judicibus; ut per eam liberarentur Apoſtoli. Deus ſæpe animos impiorum non euſque circa peccatum mutat, ut ſe vere emendent & convertant, ſed tamen euſque ut ceſſent nocere piis. Sic Pharaonem non emendavit, & tamen ad dimittendum Iſraelem diſpoſuit Exod. 12. Sic Saul non fuit emendatus, & tamen ita diſpoſitus; ut Davidem, quem in manu habebat, cum innocentiæ teſtimonio ſponte dimitteret 1. Sam. 24. & 26. Sic ſenatus Hieroſolymitanus Petrum & Iohannem ſponte dimiſit Actor. 4. Sic hodie hoſtes noſtros ita diſpoſuit & mutavit, ut fecerint quod ante 60. annos nunquam putabant ſe facturos. Nunquam diffidamus Deo. Habet ille etiam hoſtium ac impiorum corda in ſua manu, & quamvis ſæpe non convertat, ut piis bene velint, tamen ita novit flectere, ut benefaciant quibus male volunt.

De Secundo.

Cuſtos acceptum nuncium Apoſtolis lætabundus adfert, putans hoc totum eſſe quod Apoſtoli vel optare poſſent. Sed Apoſtoli oblatam exeundi veniam reſpuunt, appellant ad legem Romani imperii, de civibus Romanis indicta cauſa non affligendis, & nolunt exire, niſi ab ipſo magiſtratu honeſte educantur, quod includit tacitam comminationem, Iudicem ſuperiorem ſibi quæſituros. Hæc lex ſatis nota in hiſtoricis Romanis, etiam in Cicerone in Verrem, vocaturque *lex Valeriana* & *Semproniana*. Appellatione ad hanc legem Paulus ſæpius uſus eſt ad ſe defendendum Actor. 21. 39. & 22. 25. &c. & 20. 10, 11. Sed an bene fecit Paulus, cogens Magiſtratus ut ipſi educant? Annon hoc eſt contra Chriſtianam humilitatem ac manſuetudinem, & ſapit mundanam ſuperbiam (trotſighert!) An decet Chriſtianum tantum inſiſtere puncto honoris & exiſtimationis? Immo annon vindictam ſapit Chriſtianis prohibitam? aut quomodo convenit cum illo Chriſti dicto Matth. 5. v. 39. *Reſp.* Chriſtiana humilitas, lenitas & manſuetudo, tum erga fratres, tum erga hoſtes, nos non obligat ad negligendam famam, vel ad admittendam infamiam, cum eam legitime poſſumus à nobis avertere. Nam poſt bonam conſcientiam non eſt majus bonum, quod homo magis tenetur cuſtodire, quam bona fama. Immo bona fama cordibus honeſtis ipſa vita carior eſt. Et qui famam negligit, & infamiam non curat, non eſt capax bonæ conſcientiæ. Honeſtus debes eſſe prius, antequam poſſis eſſe pius. Hinc tantopere fama & famæ ſtudium laudatur & commendatur etiam in Scriptura Prov. 22. 1. Eccl. 7. 3. Phil. 4. 8. præſertim qui vocati ſunt ad officium, quo aliis prodeſſe, & ad virtutem alios adigere debent, famæ ſuæ curam gerere tenentur. Si enim hi ſunt infames, quo pacto poterunt ad bonum adigere alios? 1. Tim. 3. 7, 8. Nehem. 6. 10. 1 Sam. 2. 17. 2. Cor. 11. 10. & 18. Hoc fine etiam Paulus voluit honorifice educi, ne ad impedimentum Euangelii ſpargeretur de ipſo hæc infamia, quod incarceratus Philippis, formidine malæ conſcientiæ, effracto carcere clam aufugiſſet.

Object. Atenim alibi Paulus teſtatur ſe neglexiſſe famam, nec eam valde curaſſe 2. Corinth. 6 8, 1. Corinth. 4. 3. Matth 5. 11. *Reſp.* Habet certe ſtudium famæ ſua vitia, verbo Dei contraria, & Chriſtianis cavenda. Quænam illa?

1. Cum bonam famam quærimus in honore, non in virtute. Hoc eſt verum ſtudium bonæ famæ, cum recte faciendo nos quærimus reddere acceptos apud conſcientias hominum, ut non poſſint non bene de nobis ſentire 2. Corinth. 4. 2. & 5. 12. *Damus vobis cauſam nos laudandi*, & 6. 4. Aliud eſt ſtudium honoris, aliud ſtudium bonæ famæ. Bonæ famæ ſtudemus, cum à flagitiis & vitiis abſtinentes, & virtutem omnem ſectantes efficimus ut homines non habeant quod de nobis male loquantur 1. Petr. 2. 12. Honori ſtudemus, cum per egregias artes & dignitates cupimus excellere & laudari inter homines ac metui. Hinc honores poſſunt eſſe ubi non eſt bona fama, e. g. in Nerone, Caligula, Pilato, Iuda Apoſtolo. Et ſtulta eſt litigatio, an tu ſis excelſior illo. Qui famæ cupit ſtudere, ſtudeat innocentiæ, vel ſi innocens non eſt, adhibeat ingenuam confeſſionem & humiliationem. Etſi enim hæc non omnem ſtatim infamiam abluit, tamen